Digitized by Google

CE LIVRE A ÉTÉ DONNÉ A LA
BIBLIOTHÈQUE CANTONALE
ET UNIVERSITAIRE
DE LAUSANNE

par legs, par Edward GIBBON
historien
22 mars 1794.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DESIDERII
ERASMI
OPERVM
OMNIVM

TOMVS SEPTIMVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

DESIDERII ERASMI
ROTERODAMI
OPERA OMNIA
EMENDATIORA ET AVCTIORA,

AD OPTIMAS EDITIONES, PRAECIPVE QVAS IPSE ERASMVS POSTREMO CVRAVIT, SVMMA FIDE EXACTA,

DOCTORVMQVE VIRORVM NOTIS ILLVSTRATA.

TOMVS SEPTIMVS,

COMPLECTENS

PARAPHRASES IN N. TESTAMENTVM,

In qua accessere Summaria singulorum Capitum, Versio Vulgata margini adjecta, Versuumque numeri adnotati.

J. Goeree del. J. Baptist Scul.

LVGDVNI BATAVORVM,
Curâ & impensis PETRI VANDER AA, MDCCVI.
Cum speciali Privilegio Illustr. ac Præpotent. Ordd. Holl. & West-Frisiæ.

Digitized by Google

3A
975
17
Res. A
①

Digitized by Google

LECTORI S.

HOC *septimo summi viri* Des. Erasmi *Operum Volumine, opus continetur, quod inter omnes ejus lucubrationes multis maximè placuit, atque Auctori minimam invidiam creavit. In hisce certè Paraphrasibus, elucent summum acumen, & dexteritas singularis* Erasmi, *qui sensus abditos, & paucitate verborum involutos copiosiore oratione feliciter evolvit, nexúmque & seriem orationis obscuriorem ingeniosè illustravit; quod in Epistolis Pauli Apostoli, ubi ejuscemodi Cynosura plerique indigent, potissimùm videre est. Quin etiam ubi traduntur Euangelica Mysteria, obscurioribus verbis, ex quibus unum certum sensum, pluribus animo pariter se se offerentibus, elicere certò non licet, magnâ industriâ, SS. Patrum, præstantissimorúmque Interpretum sententias intertexit; ex quibus Lector eam eligere queat, quæ maximè animo ejus arridebit. Sed laudare ejusmodi opus, & verbis ornare, perinde est ac meridiano soli lucem addere velle. Novimus equidem à temporibus, quibus* Erasmus *illustrandis Sacris Litteris incubuit, multos exortos esse præstantissimos viros, Linguæ Hebraïcæ accuratiore peritiâ, aliisque subsidiis necessariis instructiores, quia dies diem docet, qui sensus eruerint summo viro ignotos. Verùm non tantùm ejus ævo nemo hac in re fuit ei æquiparandus, sed ad maximam partem Novi Testamenti quod attinet, nemo, ne nunc quidem, feliciùs sensum ejus expedivit.*

Fuit hujus Operis Editio quædam Hanoveræ anno 1668. *procurata in* quarto, *sed adeò turpis & vitiosa, ut non modò singulæ voces passim essent fœdè corruptæ, sed & integri versus omissi; quæ menda diligentissimè hîc emendata sunt. Accepi etiam à fide dignis, cùm primùm prodiret ea Editio, nemini eam obtrudi potuisse; quamobrem Bibliopola aliquamdiu postea titulum recudi curavit, quasi esset alia Editio; quæ fraus primùm ei malè cessit, sed paucis pòst annis iterum tentata, nescio quo errore hominum, effecit ut in Anglia, millia aliquot exemplarium vitiosissimæ Editionis vendita fuerint. Utantur verò potiùs hac studiosi; quæ & castigatior & elegantior multò est.*

Quam ut exornaret Bibliopola, curavit commata ad marginem diligenter numeris notari, ut Lectoribus interpretationes Erasmi *quærentibus laborem minueret. Imò verò & textum integrum Vulgatæ Versionis in margine à Cap.* VIII. *Matthæi exprimi curavit, ut Lectores cum eo possent* Erasmi *Paraphrases facilius conferre; nam principium tantùm versuum in prioribus Editionibus erat, quo factum est ut hujus rei ab initio in mentem non venerit. Editio etiam Frobeniana anni* 1540. *est cum duabus aliis Editionibus recentioribus collata à viro erudito, qui correctioni præfuit, & qui varias nonnullas lectiones, si quæ essent memoratu dignæ, sub ima paginarum ora addidit. Idem quoque singulis Capitibus districha dudum edita, quæ complectuntur quod iis continetur, præfixit. Si minùs boni sint versus, mirum sanè non erit, cùm tam paucis verbis non possit commodè copiosum argumentum coërceri. Interea alicui usui esse queunt quærentibus quidpiam, nec interdum satis accuratè tenentibus quonam Capite inveniatur; monent enim uno verbo Lectorem. Hæc erant quæ te,* BENIGNE LECTOR, *non ignorare volebat Bibliopola. Vale.*

Dabam mense Junio
anni MDCCV.

Digitized by Google

INVICTISSIMO
CAESARI CAROLO,
EJVS NOMINIS QVINTO,

DES. ERASMVS ROTERODAMVS

S. D.

HAVD quaquam ignarus, Carole Cæsar invictissime, quanta religio, quantaque reverentia debeatur, cum omnibus sacris Litteris, quas nobis sancti Patres divini Numinis afflatu prodiderunt: tum præcipue iis, quæ nobis bona fide referunt, quæ Pater ille cœlestis ad totius orbis salutem per Filium suum Jesum, vel gessit, vel proloquutus est: simulque conscius indignitatis propriæ, quum ante annos aliquot primum admolirer manum Epistolis *Paulinis*, Paraphrasi explanandis, (nam id mihi tum ultro suggessit impetus animi) videbar mihi facinus aggredi vehementer audax & improbum, ac periculosæ, quod ajunt, aleæ: adeo ut posteaquam in uno alterove capite feciſſem operis periculum, plane contractis velis destiturus fuerim ab instituto cursu, ni me mirus amicorum eruditorum consensus, uti pergerem, perpulisset. Nec mihi licuit per horum efflagitationes conquiescere, donec quicquid esset Apostolicarum Epistolarum absolviſſem, quum ipse non sumsiſſem tractandas, nisi eas, quæ citra controversiam omnem à *Paulo* conscriptæ sunt. Non semper mihi prospere cessit amicorum instigationibus obsecundasse. Sed hac tamen in re mihi gratulatus sum eam audaciam exspectatione fuisse feliciorem: tum auctori, cui minimum peperit invidiæ, tum Euangelicæ Philosophiæ candidatis, qui mihi certatim gratias agunt, quod hac mea industria ad cognitionem Apostolicæ sapientiæ, vel excitati sint, vel adjuti. Sed hac defunctus provincia, non exspectabam posthac unquam mihi rem fore cum hoc scripti genere.

Et ecce R. D. *Matthæus* Cardinalis *Sedunensis*, cujus hortatu perfeceram Epistolas Canonicas, quum illum è *Wormacienſi* Concilio reversum salutandi gratia conveniſſem *Bruxellæ*, primo statim colloquio, velut hoc meditatus incipit hortari, ut quod feciſſem in Epistolas Apostolicas, idem facerem in Euangelium *Matthæi*. Ego protinus excusare multa, plus satis audax fuisse facinus, quod id tentasſem in Apostolicas litteras: viros quidem divinos Apostolos, sed tamen homines fuisse. Cæterum Christi majestatem esse majorem, quam ut in hujus verbis idem audere fas sit. Quod si * non submoveret operis majestas, tamen argumenti naturam refragari, nec admittere Paraphrasten: non tantum ob hoc, quod hîc variæ sint personæ, quibus dum necessario attemperatur oratio, fit ut intra cancellos arctissimos cohibeatur calamus: nimirum excluſus ab ea libertate, quam admittunt reliqua commentariorum genera. Nam & Paraphrasis commentarii genus est. Deinde quum bona pars Euangelii constet narratione rerum gestarum, eaque simplici ac plana, fortasſis videbitur hîc Paraphrastes nihil aliud quam *lucernam accendere in meridie*, juxta Græcorum proverbium. Jam quum Veteres in allegoriis explicandis, partim varient, partim sic agant, ut mihi nonnunquam ludere videantur: nec mihi licuerit eas nisi sub persona vel Christi, vel Euangelistæ referre, palam est, in quantis anguſtiis essem versaturus. Omitto quod Christus quædam ita locutus est, ut tum quum diceret intelligi noluerit, quod genus est illud: *Solvite templum hoc, & in triduo ædificabo illud.* Rursum de emendo gladio, de fermento Pharisæorum vitando. Porro in eo sermone, quo prædicit excidium urbis *Hierosolymitanæ*, finem hujus mundi, & afflictiones olim Apostolis eventuras, ita miscet ac temperat sermonem Jesus, ut mihi videatur, non solum Apostolis, sed nobis etiam obscurus esse voluisse. Sunt rursus loca quædam mea sententia † inexplicabilia, quorum est de peccato in Spiritum Sanctum nunquam remittendo: de die supremo, quem solus Pater norit, etiam Filio incognitum. Hîc in commentariis licet absque pe-

* Alia Editio habet, *si nos non.* † Altera Edit. addit, *prorsus.*

Digitized by Google

periculo referre ſententias diverſorum diverſas, licet ingenue fateri locum tibi non liquere. At idem jus non eſt Paraphraſtæ. Præterea ſunt quædam ita dicta, ut ad hæc quoque tempora pertineant, in quibus plurima ſunt ab Apoſtolicis inſtitutis diſſidentia. Hæc ut Spiritu Prophetico præſcierint Euangeliſtæ, certe ſub illorum perſona non poſſunt narrari, niſi frigide & coacte. Movebat & illud animum meum, ſi in ſolum *Matthæum* hoc operæ ſumerem, fore protinus, qui idem efflagitarent in cæteros Euangeliſtas. Quorum voluntati ſi morem gererem, futurum ut mihi ſæpius eadem eſſent repetenda, nimirum omnia in quibus inter ſe conſentiunt Euangeliſtæ. Sin ex omnibus perpetuam quandam narrationis ſeriem contexerem, (quum explicare diſſonantes locos in Euangeliſtis nihil aliud ſit, quam in labyrintho quodam verſari) non potuiſſem ſervire perſpicuitati paraphraſeos.

His & hujuſmodi plurimis argumentis quum deprecarer delatam provinciam, mihique viderer habere cauſam bonam ac vincibilem: tamen ille vicit facundia, vicit auctoritate, totius negotii periculum & aleam in ſeſe recipiens. Nec auſus ſum diutius illius viri reluctari conſilio, cujus conſiliis tua Majeſtas graviſſimis in rebus ſolet non illibenter obtemperare. Et tamen quum ego non plane recepiſſem negotium, ſed tantum pollicitus eſſem aliquando conaturum me, ſi forte procederet, ille *Mediolanum* ſe conferens, meo nomine ſpoponderat *Germanis* Opus hac hyeme proditurum. Itaque quum ipſe *Baſileam* repeto, ſic urgebar undique à *Germanis* meis, flagitatoribus non parum improbis, ut quo fidem illius ac meam liberarem, Opus menſtruo ferme labore perfecerim. Utinam ſit omnibus felix illius imperium ac meum obſequium: & ſpero fore, ſi tua Majeſtas hoc munuſculum ſibi dicatum agnoſcet.

Sed hîc fortaſſe dicet aliquis, qui te non alio titulo quam Cæſaris novit, quid hoc argumentum ad profanum Principem, quod magis conveniebat Abbatibus, aut Epiſcopis conſecrare? Primum mihi videtur apte datum, quicquid honeſtum offertur Chriſtiano Principi. Ad hæc cum nullus Princeps tam profanus ſit, ut ab Euangelii profeſſione ſit alienus, Cæſares in hoc unguntur & conſecrantur, ut Euangelicam Religionem vel tutentur, vel ſarciant, vel propagent. Itaque non doctor eſt Euangelii Cæſar, ſed propugnator; fateor, ſed interim par eſt non ignorare quale ſit, pro quo ſumis arma. Porro cum tuum iſtum animum contemplor ſic religioni pietatique deditum, ut Epiſcopis & Abbatibus ad pietatis ſtudium vel regula poſſit eſſe, vel calcar: non mihi viſus ſum ulli congruentius hoc munus dedicaturus, quam tuæ Majeſtati. Proinde quod apte dicaturus eram Chriſtiano Principi, aptius Cæſari, aptiſſime dico Carolo. Minus apta deferunt, qui gemmas raras, qui feroces caballos, qui canes venatorios, qui aulea barbarica largiuntur. Jam cum Euangeliſtæ nulli non ſcripſerint Euangelium, non video quo minus ſit ab omnibus legendum. Et nos ita tractavimus, ut & ab illiteratis poſſit intelligi. Legetur autem ſummo cum fructu, ſi quiſque hoc animo ſumet in manus, ut ſeipſo reddatur melior: nec Euangelicam Scripturam ad ſuos accommodet affectus, ſed ſuam vitam, ſuaſque cupiditates ad hujus regulam corrigat. Nos in hoc Opere potiſſimum ſequuti ſumus *Origenem* rei theologicæ longe peritiſſimum, *Chryſoſtomum* ac *Hieronymum* ex orthodoxis probatiſſimos. Det tibi, Cæſar Auguſtiſſime, cœleſtis ille Princeps ea velle conarique, quæ ſunt optima, atque idem tuos conatus bene fortunet, ut ampliſſimum imperium, quod citra ſanguinis humani jacturam hactenus contigit, poſſis itidem vel propagare, vel tueri. Illud interim ſemper meminerit tua clementia, nullum bellum, neque tam juſtis de cauſis ſuſcipi, neque tam moderate geri, quod non ingens & ſcelerum & calamitatum agmen ſecum trahat: tum maximam malorum partem ad innoxios & indignos recidere. *Baſilea*, 13. Januar. Anno MDXXII.

Digitized by Google

DES. ERASMVS ROTERODAMVS
PIO LECTORI
S. D.

MEMINI, *Lector optime, & alias alicubi teſtificatum eſſe, me plurimum diſſentire ab iis, qui laicos & illiteratos in totum putant ſubmovendos à lectione ſacrorum Voluminum: nec admittendos ad hæc adyta, niſi paucos* Ariſtotelica *Philoſophia, Scholaſticaque Theologia multis annis detritos. Equidem in præſentia non digladiabor cum iis, qui hos potiſſimum judicant idoneos legendis & enarrandis Voluminibus arcanis, quod ingenium adferant humanis diſciplinis exercitatum. Sit ita ſane, modo eas per ætatem ſobrie modiceque attigerint, modo ne in illis conſenuerint, modo ne plus ſatis illis tribuant, modo abſit ſupercilium & cæcus amor ſui, modo ſimplex & purus ſit oculus, quo in Scripturis arcanis conſpicitur Deus, neque animus ſit mundanis affectibus vitiatus, à quibus reſilit Spiritus ille cœleſtis. Alioqui pulchre tenebant ſacras Litteras Scribæ & Phariſæi, & interrogati de Chriſto, incunctanter proferebant è Prophetis teſtimonium: rogati de præcipuo Legis præcepto, apte reſpondebant.* Caiaphas *etiam vaticinium edidit de mundo Chriſti morte redimendo.* Sed videntes non videbant, *quod oculos haberent livore, odioque vitiatos:* audientes non audiebant, *quod aures haberent malarum cupiditatum ſordibus obturatas:* intelligentes non intelligebant, *quod mentem haberent ambitionis & avaritiæ tenebris obcæcatam. Nec ulli pertinacius obſtitere Chriſto, quam qui præcipue tenebant eos libros, in quibus & promiſſus fuerat, & adumbratus. Sed non ideo damnanda eſt ſacrarum Litterarum exacta cognitio, ſi quidam ſuo vitio ſibi vertunt in perniciem, quod ſuapte natura bonum eſt ac ſalutiferum. Ut igitur iis detur primus locus in docendo, non video tamen cur idiotæ ſint ab Euangelicis præcipue litteris, ceu profani à ſacris, ſubmovendi, quæ doctis pariter & indoctis, quæ* Græcis *æque ac* Scythis, *quæ ſervis itidem ut liberis, quæ fœminis ſimul & viris, quæ plebejis non minus atque Regibus proditæ ſunt. Quod docent, ex æquo ad omnes pertinet, quod pollicentur, pariter ad omnes pertinet. Et ita proditæ ſunt, ut citius intelligantur ab idiota pio modeſtoque, quam ab arrogante Philoſopho.* Judæorum *eſt populum celare ſua myſteria, qui in umbris verſabantur. Euangelica lux premi non ſuſtinet. Olim in ſancta ſanctorum unus ingrediebatur Sacerdos. At ubi Templi velum in morte Domini ſciſſum eſt, ad ipſum uſque Chriſtum, qui vere ſanctus eſt ſanctorum, & ſanctificator omnium, datus eſt omnibus aditus: & exaltatus à terra, omnia trahit ad ſe, qui cupit omnes ſalvos facere. Exclamant indignum facinus, ſi mulier aut coriarius loquatur de ſacris Litteris. At ego puellas quaſdam audire mallem de Chriſto loquentes, quam quoſdam ſummos vulgi opinione Rabinos. Cur nos ſumus immitiores* Judæis ? *Illi ferebant puerum Jeſum in medio Doctorum reſpondentem & interrogantem, cum nihil adhuc in eo divinum ſuſpicarentur. Increpat ille diſcipulos ſuos, qui prohiberent pueros adire ſe:* Talium eſt enim, *inquit,* regnum cœlorum. *Neque nos igitur arceamus parvulos ab Euangelica lectione. Fortaſſe Jeſus & illos complecti dignabitur, ſacriſque ſuis manibus contingere, ac benedicere. Hæc ætas Phariſæis obtrectantibus Domino cecinit gratum Oſanna. Ex hoc genere delegit Euangelicæ Philoſophiæ diſcipulos, non ſolum piſcatores, & ἀναλφαβήτους, ſed etiam natura tardiuſculos, quod multis argumentis liquet ex Euangelica narratione. Pro his parvulis gratias agit Patri:* Confiteor tibi Deus cœli & terræ, quod abſconderis hæc à ſapientibus ac prudentibus, & revelaris ea parvulis, *hoc eſt, juxta mundi judicium, ſtultis. Sæpenumero qui mundo contemtiſſimi ſunt, apud Chriſtum ſummo in pretio ſunt. Et quos mundus habet pro doctiſſimis, Chriſto ſunt idiotæ. De quibus loquitur* Paulus, *ſcribens* Romanis : Evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obtenebratum eſt inſipiens cor eorum, dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. *Neque vero hæc dixerim, quo bonis Doctoribus adimam auctoritatem ſuam, aut idiotis quibuslibet addam animos, ut ſibi vindicent ſcientiam Scripturæ myſticæ, ſuæque prudentiæ innitentes, adſpernentur Doctores Eccleſiaſticos. Habet humana ſapientia ſupercilium ſuum, ſed habet & idiotarum inſcitia non minus arrogans ſupercilium ſuum.* Paulus *non patitur mulierem loqui in cœtu Eccleſiaſtico, ne diſcendi quidem gratia: taxatque mulierculas oneratas peccatis, ſemper diſcentes, nec unquam ad ſcientiam veritatis pervenientes. Contra, divus* Hieronymus *& virgines, & viduas, & conjugatas hortatur ad lectionem ſacrorum Voluminum, & tamen queritur hujus ſcientiæ profeſſionem paſſim ab indignis arrogari.* Hanc, *inquit,* garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent antequam diſcant. *Tantum autem abeſt, ut in laico probem arrogantem Scripturæ divinæ profeſſionem, ut mihi nec in eruditis videatur tolerabilis. Quid enim arrogantius, quam ut homo ſe profiteatur doctorem rerum divinarum ? Sed ut profeſſio nec ab eruditis uſurpatur ſatis modeſte, ita nulli non permittendam arbitror ſobriam ac piam veſtigationem, præſertim eorum quæ vitam reddunt meliorem.*

Porro quum in iis hortis varia genera deliciarum naſcantur, decerpat ſibi quiſque quod commodum eſt. Conſideremus quos auditores habuerit ipſe Chriſtus, nonne promiſcuam multitudinem, & in hac cæcos, claudos, mendicos, publicanos, centuriones, opifices, mulieres ac pueros ? An gravetur ab iis legi, à quibus voluit audiri? Me quidem auctore leget agricola, leget faber, leget latomus, legent & meretrices & lenones, denique legent & Turcæ. *Si hos non ſubmovit à ſua voce Chriſtus, nec ego ſubmovebo eos ab illius libris. Qui ſcis an iis quoque veniat uſu, quod accidit Eunucho? Inter Veteris Teſtamenti libros fortaſſis ſunt nonnulli, à quibus ſit cur arceas idiotas. Qualis eſt* Ezechiel, *&* Canticum ſponſæ, *ac pene omnes libri Veteris Teſtamenti: quod in iis frequenter offendit vel hiſtoria in ſpeciem abſurda, vel ænigmatum obſcuritas. Nec horum tamen lectionem cuiquam Chriſtiana Philoſophiæ cupido interdixero. Hoc certe fructus ceperint, quod inſtructiores ac paratiores venient ad Eccleſiaſticas conciones: & libentius audient, in quibus agnoſcent aliqua: & facilius intelligent, quorum jam guſtum qualemcunque ceperunt. Quanquam in libris Euangelicis divina ſapientia ſe mire demittit ad captum etiam infirmorum*, ut nemo tam indoctus eſſe poſſit, quin ad Euangelicam Philoſophiam ſit docilis. Tantum adſit animus, quantumvis rudis, modo ſimplex, modo purus, ac vacuus ab iis curis & cupiditatibus, quæ doctiſſimos etiam Chriſto reddunt indociles. Idiota priuſquam codicem Euangelicum ſumet in manum, precatiuncula ſe præparet ad lectionem: oret ut optimus ille Jeſus, qui pro contemtiſſimis etiam hominibus mortuus eſt, impartire dignetur Spiritum ſuum, qui non requieſcit, niſi ſuper humilem ac manſuetum, & trementem verba ipſius. Ac confirmatus conſilio* Jacobi, Qui indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, nec exprobrat, *dicat cum Pſalmographo:* Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. *Item illud:* Servus tuus ego ſum, da mihi intellectum Domine. *Deinde nihil aliud venetur in hoc ſaltu, quam ut ſeipſo melior evadat.*

* Alia Editio, *infimorum.*

Digitized by Google

dat. Laborat ignorantia, obſervet ſi quid alicunde lucis affulgeat. Torquetur odio aut livore, tenetur libidine, avaritia, ambitione, aliove mentis morbo, hîc remedium quarat, & inveniet. Mœret aliquis, hinc petat lenimen doloris, & diſcedat alacrior. Haret ac perplexus eſt quiſpiam, non aliunde melius ſuppetet conſilium. Tentatur quis & periclitatur, ab Euangelio petat præſidium. Sitit aliquis juſtitiam, hîc reperiet fontem purißimum, unde qui biberit, fiet in eo fons aqua ſalientis in vitam æternam, nec amplius ſitiet aquas, qua promuntur è ciſternis contritis ac turbatis ungulis omnium beſtiarum terra. Si quis eſuriet cibum vitalem, hic eſt panis de cœlo deſcendens: unde qui ederit, vegetus ac robuſtus evadet in Chriſto, donec occurrat in virum perfectum, in menſuram plenitudinis Chriſti. Hic fons eſt ille paradiſiacus, unde promanant quatuor amnes irrigantes univerſam faciem terræ. Hic eſt panis ſermonis divini, unde Jeſus & hodie reficit promiſcuam turbam ad ſe confluentem, & in deſertis locis ſibi hærentem.

Scio Paſtorum eſſe partes, panem hunc à Chriſto fractum, ac traditum diſtribuere populo. Sed quid, ſi ceſſent Paſtores? Quid, ſi vertantur in lupos? Horum eſt fodere puteos, & ex iis hauſtum liquorem doctrinæ cœleſtis porrigere populo, ne ſiti pereant in deſerto. Sed quid, ſi Paſtores verſi ſint in Philiſtæos, *& venas aquæ vivæ obturent injecta terra? Quid faciet populus? Nimirum implorabit opem Principis paſtorum Jeſu. Vivit adhuc, nec deſeruit curam gregis ſui. Interpellatus publicis ſuorum precibus, faciet quod pollicetur apud* Ezechielem: Ecce ego ipſe requiram oves meas, & viſitabo eas, ſicut paſtor viſitat gregem ſuum, in die quando fuerit in medio ovium ſuarum diſſipatarum: *cæteraque quæ ſequuntur in hanc ſententiam apud eundem Prophetam. Oves ſunt idiotæ, ſed rationales: & ex iis ovibus fiunt Paſtores. Ac nonnunquam fit, ut ovis plus ſapiat ipſo Paſtore. Proinde ut non decet laicum ſeditioſe rebellare Presbyteris ſuis, ne confundatur ordo, quem* Paulus *vult eſſe in corpore Chriſti: ita non decet Sacerdotes exercere tyrannidem in gregem. Alioqui his erit imputanda ſeditio. Ergo quoties Paſtores funguntur officio ſuo, reverenter ſunt audiendi, tanquam Angeli Dei, per quos nobis loquitur Chriſtus. Sin inſincere docent, tamen excerpendum, ſi quid admixtum ſit boni. Sin aut omnino ceſſant, aut ea docent, quæ plane pugnant cum Euangelio, aut ſi quando per occaſionem non eſt doctoris copia, reficiat ſuum quiſque animum lectione privata. E fontibus Servatoris hauriat ſibi quiſque quod poteſt. E panibus ſacris decerpat ſibi quiſque quo ſatiet animum eſurientem. Non deerit Jeſu Spiritus vel uni meditanti tale quiddam in nomine ipſius, qui ſe promiſit adfuturum, quoties duo congregarentur in nomine ipſius. Fruſtra vel ſex millia conveniant, ſi non conveniant in nomine Jeſu. Conveniunt autem in illius nomine, qui nihil aliud ſpectant, quam gloriam Principis ſui, & ſalutem æternam.*

Dicet mihi quiſpiam: Difficilis eſt diſcretio ſpirituum, & Angelus Satanæ nonnunquam transfigurat ſe in Angelum lucis. Fateor: & eam ob cauſam, nolim eſſe præceps judicium. Sed tamen certiſſimum cuique ſuffragium eſt teſtimonium ſuæ conſcientiæ. Proximum eſt conſenſus Scripturæ & vitæ Chriſti. Denique quædam dilucidiora ſunt, quàm ut oporteat ambigere, aut requirere interpretem. Et tamen his offenduntur, qui ſe totos dedicarunt mundo, non ob aliud, niſi quod officiunt inſtitutis votiſque ſuis. Quam enim aliam ob cauſam tam gravis erat Phariſæis & Scribis Chriſtus, cujus doctrina nihil erat æquius, cujus vita nihil innocentius, cujus poteſtate nihil beneficentius? Nimirum jam illi regnum quoddam poſſidebant. Honorabantur ut docti, adorabantur ut ſancti, ditabantur affatim, cupiebant eum ſtatum eſſe perpetuum, qui tamen erat ſceleratiſſimus. Et ideo non ferebant lucem Euangelicæ veritatis, per quam videbant auctoritatis ſuæ ſcenam diſcutiendam. Hujuſmodi ſi palam deplorati ſint, quantum ſit tribuendum, ſatis indicat Chriſtus: Sinite, *inquit,* illos, cæci ſunt cæcorum duces. *Certe Scripturarum ſuarum penum nulli pio claudit Chriſtus, etiamſi ſubulcus eſſet, qui quondam paſtoribus impartiit Spiritum Propheticum. In hujus igitur libris verſentur omnes qui venantur Chriſtianam Philoſophiam. Si ſuccedit, age gratias Deo. Sin minus, ne protinus abjice animum; quære, pete, pulſa. Quærenti continget ut inveniat, petenti dabitur, pulſanti aperiet is, qui habet clavem, qua ſic aperit, ut nemo claudat: ſic claudit, ut nemo aperiat. Conſule proximum, ſi quid non aſſequeris: fortaſſe per illum tibi loquetur Spiritus arcanus, qui non uno modo ſeſe ſolet inſerere mentibus hominum. Adſit quidem pia curioſitas, & curioſa pietas, ſed abſit temeritas, abſit præceps & pervicax ſcientiæ perſuaſio. Quod legis & intelligis, ſumma fide complectere. Frivolas quæſtiunculas, aut impie curioſas diſpelle, ſi fors oboriantur animo. Dic:* Quæ ſupra nos, nihil ad nos. *Quomodo Chriſti corpus exierit clauſo ſepulchro, noli diſceptare: tibi ſatis eſt quod exiit. Quomodo in ſacra menſa ſit corpus Chriſti, ubi ponebatur panis, noli diſquirere: tibi ſufficit credere quod illic eſt corpus Domini. Quomodo Filius ſit alius à Patre, quum ſit una natura, noli ſcrutari: tibi ſatis eſt credere Patrem, Filium & Spiritum Sanctum tres Perſonas, ſed unum Deum. Sed illud in primis cavendum, ne Scripturam tentes ad tuas cupiditates, tuaque decreta detorquere: ſed ad hujus regulam potius tuas opiniones ac vitæ rationem attempera. Alioqui ex hujuſmodi fontibus naſcitur aſſeverandi pervicacia, naſcuntur contentiones, naſcuntur diſſidia & odia, naſcuntur hæreſes, fidei ſimul & Chriſtianæ concordiæ venena. Neque tamen protinus arcendi ſunt à ſacris Libris idiotæ, ſi quis exortus fuerit, qui per hanc occaſionem prolapſus ſit in errores. Neque enim iſtud lectionis vitium eſt, ſed hominis. Nec olim ideo vetitum eſt Euangelium in Templis recitari, quod hinc hæretici priſci hauſerint errorum ſuorum ſemina. Nec ideo prohibentur apes à floribus, quod ex iis aliquando venenum ſugat aranea. Legant igitur omnes, ſed qui volet cum fructu legere, legat ſobrie, legat non oſcitanter, velut hiſtoriam aliquam humanam, ad ſe nihil attinentem, ſed avide, ſed attente, ſed aſſidue. Tanquam pius Jeſu diſcipulus, aſſectetur illum per omnia veſtigia: obſervet quid agat, quid loquatur: ſubodoretur, veſtiget, ſcrutetur ſingula, & reperiet in ſimpliciſſima illa rudique Scriptura conſilium ineffabile ſapientiæ cœleſtis: videbit in illa ſtultitia Dei, ſi fas eſt ita loqui, prima fronte humili & contemnenda, quod longe ſuperet omnem prudentiam humanam, quamvis ſublimem & admirabilem. Nihil autem illic narratur, quod ad unumquenque noſtrum non pertinet: nihil illic geritur, quod quotidie non geritur in vita noſtra, tectius quidem, ſed verius. Naſcitur in nobis Chriſtus, nec deſunt* Herodes, *qui tenerum adhuc & lactentem conantur occidere. Grandeſcit & proficit gradibus ætatum. Sanat omne morborum genus, ſi quis modo cum fiducia imploret illius opem. Non repellit ille leproſos, non Dæmoniacos, non ſanguinis profluvio impuros, non cæcos, non claudos. Nullum eſt animi vitium tam tetrum, tam immedicabile, quod ille non tollat, ſi dicamus illi ex animo:* Jeſu fili David, miſerere. *Et:* Domine, ſi vis, potes mundare. *Quin & mortuos excitat ad vitam. Docet, terret, minatur, blanditur, conſolatur. Habet & nunc* Judæos *ſuos, qui non ferunt illius luce obſcurari ſuum* Moſen. *Habet Scribas & Phariſæos, qui inſidientur. Et utinam non habeat plures quam duos,* Annam & Caiapham. *Habet* Iſcariotas *ſuos, qui ſanguinem innoxium pecunia vendant. Nec deeſt* Pilatus *& cohors, per quam flagelletur, conſpuatur, & crucifigatur. Habet interim & puſillum gregem ſuum, ex ipſo pendentem. Habet qui dicant:* Domine, quo ibimus, verba vitæ æternæ habes. *In hujuſmodi Philoſophia profuerit omnibus verſari, quamlibet idiotis aut illiteratis. Nec deerit ſobrie verſantibus unctio, quæ doceat illos de omnibus quæ pertinent ad ſalutem æternam: juxta vaticinium Joëlis:* Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & erunt omnes θεοδίδακτοι, *hoc eſt,* divinitus docti. Paulus *non vult pro-*

Digitized by Google

hiberi ſpiritum, ſed optat ut prophetent omnes. Et Moſes *rogatus, ut prohibeat* Heldad *&* Medad *à prophetia?* Quis, *inquit*, tribuat, ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum ſuum?

Quidam piaculum arbitrantur, ſi ſacri Libri vertantur in linguam Gallicam, *aut* Britannicam. *Sed Euangeliſtæ non veriti ſunt* Græce *ſcribere, quod Chriſtus* Syriace *loquutus eſt. Neque* Latini *veriti ſunt Apoſtolorum ſermonem in* Romanam *linguam vertere, hoc eſt, promiſcuæ multitudini prodere. Neque* Hieronymo *religio fuit ſacras Literas* Dalmatice *vertere. Equidem cupiam in omnes verti linguas. Cupit Chriſtus ſuam Philoſophiam quam latiſſime propagari. Pro omnibus mortuus eſt: ab omnibus cognoſci deſiderat. Ad id conducet, ſi aut illius libri vertantur in omnes omnium gentium linguas: aut Principum opera fiat, ut tres linguæ, quibus potiſſimum creditæ eſt divina Philoſophia, diſcantur à populis omnibus. Hoc ſi paucis annis potuit* Romanorum *Principum induſtria, ut* Galli, Germani, Hiſpani, Afri, Ægyptii, Aſiani, Cilices, Palæſtini, Latine Græce*que loquerentur, etiam vulgo: nec ob aliud, niſi ut commercio linguarum commodius propagaretur imperium non diu duraturum: quanto juſtius hoc nobis curandum eſt, quo Chriſti imperium, ſine fine manſurum, per omnes orbis regiones proferatur? quod nunc neſcio quibus de cauſis ſic in anguſtum contractum eſt, niſi quod, ut ſuſpicor, homines ſunt, qui malunt ſub Chriſti prætextu regnum mundanum tenere in arcto orbis angulo, quam Chriſtum ipſum toto terrarum orbe regnare. Sed de hoc alias fortaſſe tempeſtivius dicetur. Nunc ut quod inſtitui pergam, cur indecorum videtur, ſi quiſquam ſonet Euangelium ea lingua qua natus eſt, & quam intelligit:* Gallus *Gallica*, Britannus *Britannica*, Germanus *Germanica*, Indus *Indica? Mihi magis indecorum vel ridiculum potius videtur, quod idiotæ & mulierculæ, pſitaci exemplo, Pſalmos ſuos & precationem Dominicam* Latine *murmurant, quum ipſæ quod ſonant, non intelligant. Ego cum divo* Hieronymo *ſentiens, citius gratuler gloriæ crucis, magnificumque cum primis ac triumphale duxerim, ſi linguis omnibus ab omni hominum genere celebretur. Si ſtivam tenens arator aliquid ſua lingua decantet è Pſalmis myſticis. Si textor aſſidens telæ, nonnihil ex Euangelio modulans ſoletur laborem. Hinc nauclerus affixus clavo cantillet aliquid. Denique ad colum ſedenti matronæ, ſodalis aut cognata hinc recitet aliquid. Quid alienius à myſteriis Prophetarum, quam Eunuchus ille* Candaces *Reginæ, in regia nutritus, muliebribus obſequiis addictus, denique* Æthiops, *qua gente vix ulla effœminatior: tamen dum ut delicatus curru vehitur, legit* Eſaiam *de Chriſto vaticinantem. Non intelligebat Scripturæ ſenſum homo profanus & idiota: & tamen quoniam pio ſtudio legebat, ſubito mittitur illi* Philippus *interpres: vertitur Eunuchus in virum, tingitur aqua, & ater* Æthiops *niveo agni immaculati vellere induitur: ſubitoque ex mancipio profanæ Reginæ, fit ſervus Jeſu Chriſti.*

Jam quod tam multos habemus Chriſtianos adeo rudes, ut non multo plus teneant ſapientiæ Chriſtianæ, quam ii qui ſunt à Chriſtiana profeſſione alieniſſimi, magna ex parte imputandum arbitror Sacerdotibus. Videorque mihi videre viam, qua fieri poſſit, ut poſthac paulo minus inidoneus habeamus ſacræ lectioni: videlicet ſi ſumma fidei ac doctrinæ Chriſtianæ, lucida brevitate, & docta ſimplicitate proponeretur quotannis populo Chriſtiano. Et ne vitio concionatorum depravaretur aliquid, libellum confici velim à doctis & integris viris, qui multitudini voce Sacerdotis recitaretur. Eum concinnari cupiam non ex humanis lacunis, ſed ex fontilibus Euangelicis, ex Apoſtolicis literis, ex Symbolo, quod an ab Apoſtolis proditum ſit, neſcio: certe majeſtatem ac puritatem Apoſtolicam præ ſe fert. Hoc, opinor, non intempeſtive fieret feriis Paſchalibus. Atque hoc præſtaret, opinor, quam populum ineptis, nonnunquam & obſcœnis jocis ad cachinnos concitare. Quem morem, neſcio quis Cacodæmon invexit in Eccleſiam. Nam etſi populus aliqua voluptate retinendus eſt, atque etiam excitandus nonnunquam: tamen hujuſmodi ludicris excitare riſum, ſcurrarum eſt, non Theologorum. Quin & illud mihi videtur non mediocriter ad hanc rem conducturum, ſi pueri baptizati, quum jam ad pubertatem pervenerint, jubeantur hujuſmodi concionibus adeſſe, in quibus illis dilucide declaretur, quid in ſe contineat profeſſio baptiſmi. Deinde diligenter privatim examinentur à probis viris, ſatis ne teneant, ac meminerint ea, quæ docuit Sacerdos. Si comperientur ſatis tenere, interrogentur ratum ne habeant, quod ſuſceptores illorum nomine polliciti ſunt in baptiſmo. Si reſpondeant ſe ratum habere, tum publice renovetur ea profeſſio, ſimul congregatis æqualibus, idque ceremoniis gravibus, aptis, caſtis, ſeriis, ac magnificis: quæque deceant eam profeſſionem, qua nulla poteſt eſſe ſanctior. Quid enim ſunt humanæ profeſſiones, niſi ſimulachra quædam hujus ſanctiſſimæ profeſſionis, hoc eſt, revocamenta quædam Chriſtianiſmi prolapſi ad mundum. Norunt Monachi ſuas profeſſiones hujuſmodi ceremoniis imitatitiis commendare populo: & ſic agunt hanc fabulam, ut nonnunquam erumpant lachrymæ ſpectatoribus. Quanto magis id facere convenit in hac longe religioſiſſima profeſſione, qua non homini, ſed Chriſto damus nomina: nec juramus in regulam Franciſci, *aut* Benedicti, *ſed in regulam Euangelicam? Ita fiet, ut adoleſcentes intelligant, quid Principi ſuo præſtare debeant, & quibus ſtudiis eniti ad veram pietatem. Et interim majoribus etiam ſuccurret, quot modis à ſuis votis exorbitarint. Aguntur nunc in Templis quibuſdam comœdiæ, mihi non prorſus improbatæ, de Chriſto reſurgente, de adſcendente in cœlum, de miſſo Spiritu Sancto. Quam vero magnificum eſſet hoc ſpectaculum, audire vocem tot juvenum ſeſe Jeſu Chriſto dedicantium, tot tironum in illius verba jurantium, abrenuntiantium huic mundo, qui totus in malitia poſitus eſt: abjurantium & exſibilantium Satanam cum omnibus pompis, voluptatibus & operibus ipſius? Videre Chriſtos novos, Imperatoris ſui ſignum geſtantes in frontibus? Videre gregem candidatorum prodeuntem à ſacro lavacro? Audire vocem reliquæ multitudinis acclamantis beneque ominantis Chriſti tironibus? Hæc ſic publice fieri velim, ut nihilo ſegnius interim ab ipſis ſtatim incunabulis privatim ac publice Chriſti doctrinam imbibant, quantum fieri poteſt. Quæ quidem hoc plus habebunt auctoritatis, ſi tractentur per ipſos Epiſcopos, non per Parochos, aut conductos ſuffraganeos. Hæc ſi fierent, quemadmodum oporteret, aut ego fallor, aut haberemus aliquanto ſinceriores Chriſtianos, quam habemus.*

Verum hic geminus exſiſtit ſcrupulus: primum quod videatur iterari baptiſmus, id quod fas non eſt: deinde quod periculum ſit, ne quidam audita profeſſione non approbent quod geſtum eſt per vicarios. Prior ille facile diſcutitur, ſi hæc ſic gerantur, ut nihil aliud ſint, quam inſtauratio quædam ac repræſentatio priſtini baptiſmi: quod genus eſt, cum aqua ſacra quotidie conſpergimur. Poſterioris difficilior eſt ſolutio. Sed omnia tentanda ſunt, ne quis reſiliat à prima fide. Quod ſi non poteſt obtineri, fortaſſis expediet illum non cogi, ſed ſuo relinqui animo, donec reſipiſcat: nec ad aliam interim vocari pœnam, niſi ut ab euchariſtia ſumenda reliquiſque ſacramentis arceatur. Cæterum nec à ſacris, nec à concionibus excludatur. Atque etiam libellos de Philoſophia Chriſtiana conſcriptos paſſim circumferri velim, in quibus purus ille Chriſtus depictus ſit, non ceremoniis Judaicis, *non commentis aut decretis hominum obnubilatus: denique non tetricus & aſper, ſed ut eſt blandus & amabilis. Hujuſmodi rudimentis qui fuerint inſtituti, non venient omnino rudes ad lectionem ſacrorum Voluminum. Nunc multi ſunt quinquagenarii, qui neſciant quid voverint in baptiſmo: qui ne ſomniarint quidem, quid ſibi velint articuli fidei, quid precatio Dominica, quid Eccleſiæ ſacramenta. Hoc ita eſſe ſæpenumero deprehendimus, vel ex familiaribus colloquiis, vel ex arcanis confeſſionibus. Sed hoc magis deplorandum, quod plerique Sacerdotes hujuſmodi ſumus, ut nunquam ſerio cogitaverimus, quid ſit eſſe vere Chriſtianum. Titulo, conſuetudinibus, ceremoniis Chriſtiani ſumus,*

Digitized by Google

mus, magis quam ex animo. Aut inopia scientiæ non habemus quod doceamus populum: aut cupiditatibus mundanis corrupti, nostrum negotium agimus potius quam Jesu Christi. Quid igitur mirum, si in tenebris versatur populus, cum ii quoque tenebricosi sint, quos oportebat esse lucem mundi: cum ipsi nihil Christo dignum sapiant, quos conveniebat esse salem terræ: cum ipsi cæcutiant, quos oportebat esse lucernam toti domui lucentem: cum sordidis lucris ac voluptatibus immersi sint, quos oportebat esse civitatem in edito monte sitam, quæ monstret viam errantibus. Atque utinam non essent tam multi, in quos vere dici posset illud Esaiæ: Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi, canes muti, non valentes latrare, dormientes & amantes somnia: & canes impudentissimi nescierunt saturitatem. Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam. Omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam. *Item illud Hieremiæ:* Grex perditus factus est populus meus. Pastores eorum seduxerunt eos. *Rursus* Ezechiel *magna libertate destomachatur in pastores versos in lupos, qui pascentes semetipsos, gregem infelicem dissipant ac laniant. Sed & aliis item in locis frequens querela est apud Prophetas de pastoribus, quod ab iis fere proficiscatur calamitas populi, teste* Zacharia *Propheta:* Affligentur, quia non est eis pastor.

Nonnunquam merentur hoc peccata populi, ut Deus patiatur regnare hypocritam & idolum loco pastoris: quando juxta Paulum *aversantur sanam doctrinam, & adsciscunt sibi doctores, qui grata doceant magis quam salutaria, nimirum prurientibus auribus. Tunc datur* dignum patellæ cooperculum: *& juxta Prophetam* Oseæ *fit, ut talis sit populus qualis Sacerdos. Habet enim grex popularis lupos, vulpes, pardos, aliasque noxias feras admixtas. Sed tamen magna ex parte ex ovibus constat populus. Rudes sunt, simplices, & indocti, tamen utiles Domino, si fidi pastoris cura regantur. Horum vicem doluit optimus ille Pastor, qui nihil vult perire de grege suo, qui oviculam erraticam multo labore quæsitam in montibus reduxit in humeris suis. Siquidem is quum videret ingentem hominum multitudinem, simulque consideraret, quam non agerent pastores, qui tum erant Sacerdotes, Scribæ & Pharisæi, commotus est misericordia, quod essent velut oves disjectæ ac destitutæ, non habentes pastorem. Felix ille populus, quem suo intuitu dignatus est Jesus. Non est otiosus illius adspectus: non habet oculos fascino noxios, sed virtute divina salutiferos. Intuitus est* Petrum *abjurantem, & respuit. Ac primum intuitus eum, novato nomine, ominatus est illi fidei soliditatem. In monte intuitus est suos discipulos, & inhæsit animis illorum doctrina cœlestis. Quid igitur fratres? Demus operam, ut simus oves omnem deponentes malitiam, superbiam, iracundiam, (nihil horum competit in oves) ac precibus sollicitemus benignissimum Jesum, ut oculos suos dignetur & in nos deflectere. Pastor est bonus, miserebitur nostri: & aut mittet operarios in messem suam idoneos, si modo id postulemus à Domino messis, quemadmodum legimus apud* Matthæum: *aut ipse docebit nos, quemadmodum scribit* Marcus: Et cœpit, *inquit,* illos docere multa: *nec docuit solum, verum etiam totam illam multitudinem, quam Pharisæorum tyrannis sinebat perire fame, panibus saturavit in deserto. Non desinit & hodie suos docere Jesus, non desinit pascere, qui relictis urbibus ipsum sequuntur in deserta. Effudit olim Spiritum suum in discipulos, neque nunc est abbreviata manus Domini: neque defecit Spiritus illius vis in animis piorum: quem ut mereamur accipere, faciamus quod olim fecerunt discipuli. Conscendamus in cœnaculum, animos procul submoventes à sordidis rerum fluxarum curis. Simus concordes, unanimiter perseverantes in deprecationibus, si velimus audiri vota nostra. Eadem sit omnium vox, eadem mens, idem conatus. Petamus in nomine Jesu, & audiet nos Pater cœlestis.*

Nunc quibus dissidiis, quibus contentionibus tumultuatur sine fine populus Christianus? Nec ulla ex parte tranquillitas est. Exitiabilibus bellis conflictantur Principes profani: bellorum undis involvuntur & Proceres Ecclesiastici. Populus perniciosis odiis inter se committitur. Quin & fidei sinceritas variis modis vitiatur, pax Christiana distrahitur. Non ego nunc in hanc aut illam partem pronuntio: ubicunque dissidium est, ibi Diabolus est. Quis unquam vidit vel atrociores, vel diuturniores bellorum tumultus inter Ethnicos, quam annis jam aliquot videmus inter Christianos? Ut ne causas interim excutiam, quando sic undis jactata est Ecclesiæ navis? Cur non horum malorum causas investigamus, quo cognito fonte pesti huic facilius medeamur? Equidem apud Euangelistas reperio bis periclitatam navim Apostolicam, semel noctu quum abesset Jesus, quemadmodum legimus Matthæi *Cap.* XIV. Navicula, *inquit,* in medio mari jactabatur fluctibus. *Quid autem mirum in Ecclesia nasci tumultus, si ibi non adsit Jesus? Quoties abest Spiritus Christi, tunc spiritus illi hujus mundi misere jactant ac vexant naviculam. Quid mirum illic non esse salutiferum consilium, ubi tantæ sunt tenebræ, ut Jesum advenientem non agnoscant, & ad Servatoris adventum expavescant, suspicantes esse phantasma noxium? Et nisi Jesus illos nota voce compellans, jussisset esse bono animo, metu fuerant exanimandi. Ibi* Petrus *tutius judicavit in fluctibus esse cum Jesu, quam in navi periclitante. Imitemur fidem* Petri, *& Jesus illico, reversus in navim, sedabit omnem tempestatem. Rursus periclitatur navis apud eundem Euangelistam, Capite octavo, præsente quidem Jesu, sed altum dormiente. Nam & caput innixum fuisse cervicali, addit* Marcus, *nec temere adjecit id factum fuisse in puppi navis. Vis autem audire quantum sit periculi dormire Jesum?* Facta est, *inquit,* procella magna venti, & fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis, *aut, ut* Matthæus *narrat,* operiretur fluctibus. *Horribilis ventus ambitio, pestilens ventus avaritia, pernicioſus ventus voluptatum amor, cæteræque cupiditates rerum mundanarum. Hi venti cient hos motus, sic ut fluctus bellorum ac dissidiorum inundent in Ecclesiam. Fitque ut periclitetur non solum navis, in qua erant Apostoli, sed cætera quoque quæ Jesu navim comitabantur: addit enim* Marcus: Et aliæ naves erant cum eo. *Quid autem sibi vult somnus Jesu? Utinam non ille tam sæpe dormiret in animis pastorum, qui locum in puppi tenent, totius navis honoratissimum, ubi convenit esse nauclerum, qui temonem moderetur. Quid sibi vult cervical capiti suppositum? Nonne is erat qui dixit:* Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet? *Quid autem est,* non habet ubi caput reclinet? *certe diversorium habebat Jesus, & consentaneum est illi non defuisse culcitram, in qua dormiret. Sed qui nihil habet in hoc mundo, cui innixus animus acquiescat, sed totus invigilat studio rerum cœlestium, is non habet ubi caput reclinet. O quam molle cervical est ambitioso, summus honos tandem per fas nefasque obtentus? Quam dulce cervical est admiratori divitiarum, res domi pulchre auctæ & constabilitæ? Qui sic funguntur magistratu, ut non sibi gerant, sed aliis, qui cogitant Episcopatum opus esse non regnum, his non est cervical, quod ad somnum invitet: sed crepitaculum potius, quod non sinat obrepere somnum. Nunc quosdam videmus successu rerum mundanarum sic delinitos, ac pene dixerim ebrios, ut non cervicali, sed mandragoræ, quod ajunt, indormire videantur. Hinc nimirum illa* periculosa rerum tempestas, quia Christus dormit in nobis.*

Verum in tanto discrimine, quod ad universos pertinet, quid consilii, fratres? Solent enim naucleri, cujuslibet etiam consilium admittere in magnis tempestatibus. Unde potius consilium sumamus quam ab Euangelio? Diffisi præsidiis nostris inclamemus Jesum, pulsemus aures illius, vellicemus, donec expergiscatur. Sic excitari & potest, & cupit. Dicamus illi flebili voce: Domine, tua non refert si pereamus? *Dicamus cum summa fiducia:* Domine, serva nos, perimus. *Ille, ut est exorabilis, audiet suos, suoque spiritu repente sedabit tempestatem mundano spiritu excitatam. Dicet vento:* Quiesce. *Dicet mari:* Tace, obmutesce. *Quid autem consequutum est?* Cessavi ventus, & facta est tran-

* Alia Editio, *ista.*

Digitized by Google

tranquillitas magna. *Quamdiu navis Ecclesia ventorum arbitrio jactatur, in summo versatur discrimine. Et si datur aliquando temporaria tranquillitas, rursum aliunde obortus ventus renovat tempestatem. Si conquieſcit ad tempus Auster avaritiæ, surgit Aquilo superbiæ: si voluptatum Zephyri cessant, exoritur Boreas iracundiæ. Assequutus sum hoc aut illud, cujus gratia digladiabar: mox objicitur aliud, cujus gratia novum & atrocius certamen suscipiam. Nam mundanarum cupiditatum nullus est finis. Hi venti sedari non possunt, nisi illis comminetur Jesus. Omnes igitur in commune consulamus tranquillitati Christiani nominis. Exsuamus privatas quisque cupiditates. Ea concordibus animis spectemus, quæ digna sint animo professioneque Christiana. Populus sese componat ad studium veræ pietatis, & consentientibus pariter atque ardentibus votis sollicitet Jesum Christum, ut Principum animos vertat ad consilia pacis. Principes autem, præsertim Ecclesiastici, sic instituant consiliorum rationes, ut sincera conscientia non aliud moliantur, quam ut per fidem, caritatem, pietatem, concordiam, per rerum mundanarum contemtum, per rerum cœlestium amorem, quam latissime regnet, floreat, & imperet Christus. Ita demum vere magni Principes erunt, si illorum auctoritas serviat æterni Principis gloriæ, & Christiani gregis utilitati. Ita felix erit populus, si talibus Principibus, velut ipsi Christo, obtemperet. Alioqui si pergimus intestinis conflictationibus nostras ipsorum vires atterere, periculum est, ne Deus, peccatis nostris offensus, immittat nobis aliquem* Nabuchodonosor, *qui durioribus remediis doceat rectius sapere. Concordia conjunctos proteget Deus, dissidio segregatos contemnent hostes. Nunquam autem coibit concordia, si suum quisque jus mordicus tenere voluerit: nec unquam erit firma diuturnave pax, nisi veris solidisque rationibus conglutinetur. Non est perpetuum quod terroribus ac minis conficitur. Non est firmum quod humanis technis obliquisque consiliis texitur. Nisi Christus interfit consiliis nostris, etiamsi malum prematur ad tempus, mox tamen erumpet majore cum orbis pernicie. Bene vale, Lector. Hæc adjeci, quod Typographus quæreretur, alioqui paginas aliquot fore vacuas, quas nolui nugis prorsus inanibus explere.* Basilea 14. *Januar. Anno* 1522.

IN

Digitized by Google

IN EVANGELIVM MATTHAEI PARAPHRASIS,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

CAPVT I.

A patribus Christus natus: turbatur Joseph; Angelus hunc retinet; virgo beata parit.

Tituli paraphrasis. Evangelium. Liber generationis.

SI Mortales tam ardentibus ſtudiis amplectuntur librum humana proditum induſtria, qui vel tuendæ ſarciendæve valetudinis rationem, vel augendæ rei familiaris viam, vel aliam aliquam diſciplinam ad terrena modo commoda conducibilem pollicetur, quanto flagrantioribus ſtudiis hic liber eſt ab omnibus excipiendus, cujus utilitas ex æquo pertinet ad omnes; nec humana commoda, moxque peritura, promittit, ſed cœleſtem Philoſophiam à cœleſti doctore Jeſu Chriſto mortalium generi traditam docet, & hujus admirabile præmium pollicetur, non opes, non regnum, non voluptates, ſed veram atque æternam felicitatem, atque ad hanc expeditam ac facilem omnibus viam commonſtrat, & auctorem indicat, per quem nulli non eſt parata ſalus, extra quem nulli eſt ſperanda ſalus. Quis autem eſt hominum, quem non excitet tanti boni certa ſpes, quantumvis barbarus ſit, aut idiota? Hanc *mirificam ſalutem, quam nec humanus conatus, nec laborioſa Philoſophorum induſtria, nec ſuperſtitioſa Gentium religio, nec Moſaicæ Legis quamlibet diligens obſervatio præſtare potuerunt ad plenum, Deus omnium rerum & viſibilium & inviſibilium conditor, ſervator, moderator ac vindex, olim per omnium Prophetarum ora, quos Spiritu ſuo cœleſti afflaverat, toti quidem orbi, ſed peculiarius Judaicæ genti, quæ tum Eccleſiæ Chriſtianæ, mox per orbem univerſum propagandæ, gerebat imaginem, promiſit; variis figurarum involucris atque umbris deſignans, ac veluti præludens, quicquid nunc per Filium ſuum Jeſum Chriſtum ſublatis ænigmatis palam exhibuit mundo; qui ſic hujus gratuitæ felicitatis nuncius fuit, Dei Patris nomine legatum agens in terris, ut idem eſſet & Philoſophiæ ſalutiferæ doctor, ipſe exemplar, ipſe præmii & pignus, & ſponſor, & auctor. Paſſus eſt enim Deus arcano ſuo & humanis ingeniis inſcrutabili conſilio, mortalium genus ſuæ ſtirpis auctorem primum ingenio referens, & ad vitia proclive, diu falſis religionibus, variiſque vitæ vitiis, & improbis cupiditatibus involvi; quo tempore hoc optatiſſimo, quod divina ſapientia, rerum omnium moderatrix, ſibi præſcripſerat, univerſi tanto magis ſitientibus & conſentientibus animis hanc vere ſalutiferam & efficacem Philoſophiam amplecterentur, poſteaquam competiſſent ſeſe, neque per ea commoda præſidiaque, quæ mundus hic præcipue pollicetur, neque per tot Philoſophorum accurata dogmata, neque per tot religionum ſpecies, neque per Moſaicæ Legis anxiam obſervationem, ad veram pietatem, veramque felicitatem potuiſſe pertingere, imo hoc magis involvi vitiis & cupiditatibus, quo vehementius humanis freti præſidiis contenderent ad innocentiam ac felicitatem. Proinde ſi Judæi, quos maxime conveniebat amplecti, quod toties promiſſum, tot ſeculis exoptatum offertur, ſoli negligunt tantum bonum, quod gratis exponitur omnibus, maluntque ſoli carere, quam habere cum cæteris commune, non eſt quod cuiquam imputent interitum ſuum, niſi ſuæ incredulitati. Illis potiſſimum hæc futura cecinerunt ſacrorum Vatum oracula; illi cominus conſpexerunt Chriſtum edentem miracula, cominus audiere doctrinam Euangelicam; illis primum annunciavimus regnum cœlorum. Cæterum quoſcunque tædet vitæ prioris, quotquot amant veram innocentiam, quicunque deſiderant veram, ſolidam, & nunquam auferendam felicitatem, hoc Euangelium, hoc eſt, optabile ac lætum nuncium, lætis & alacribus animis excipiant, ſive Græci ſint, ſive Judæi, ſive Romani, ſive Scythæ, ſive Galli, ſive Britanni. Ut Deus non eſt tantum Judæorum Deus, ſed ex æquo communis omnium, quemadmodum Sol unus & idem eſt mundo communis, ita Jeſus Chriſtus hujus Filius omnibus ſervandis venit, omnibus mortuus eſt, omnibus reſurrexit, omnibus adſcendit in cœlum, omnibus ſuum emiſit ſpiritum; nullum repellens, neque ob generis, neque ob ætatis, ſexus, conditionis aut vitæ diſcrimen. Semel per illius mortem in ſacro lavacro demerguntur univerſa peccata vitæ prioris: nec imputantur quamlibet atrocia crimina, pro quibus dependendis innocens ille ſemel eſt mortuus, modo quod reliquum eſt ætatis ad Chriſti regulam, hoc eſt, Euangelicam doctrinam exigatur. A Baptiſmo cenſetur Chriſtianus. Ad id præſtandum ipſe largietur gratuitam opem ſuam, qui perſeverantibus largietur & præmia. Non exigit à quoquam onus Legis Moſaicæ, tantum adſit vivida fides, quæ & promte credat quod annunciatur, & certa fiducia exſpectet quod promittitur. Non fallit veritas æterna, non fruſtratur Deus promiſſor. Porro quid agendum ſit, non jam præſcribet humana lex, ſed dictabit Chriſtiana charitas.

Et hactenus quidem viva voce tradidimus Euangelium optima fide, communicantes omnibus, quæ vidimus oculis noſtris, quæque audivimus auribus noſtris. Cæterum quoniam periculum eſt, ne negocio latius in dies ſeſe dilatante, vel variet narratio per multorum manus obambulans, vel apud aliquos minus inveniat fidei ſermo quam liber, ad hæc quo facilius permanet ad omnes ſcriptura quam vox, ſummam totius negotii, quod ſatis eſt ad parandam ſalutem, hoc volumine complectar, nativitatem, doctrinam, miracula, mortem, ac reſurrectionem. Ac primo quidem loco Jeſu Chriſti genealogiam recenſebimus, exordium capientes, non à ſummo capite, ſed à David & Abraham, vel quod horum duorum memoria celeberrima pariter & gratioſiſſima ſit apud Judæos. Siquidem Abraham gentis auctore gloriantur imprimis, & David Rex, tantopere laudatus ore divino, hoc magis inſidet illorum mentibus, quod hujus recentior etiam ſit memoria; vel quod his duobus potiſſimum promiſſus ſit ille tot ſeculis exſpectatus Chriſtus in Hebræorum oraculis, quibus ſummam habent fidem, etiam illi, qui Chriſto repugnant. Siquidem in libro Geneſeos ſic Abrahæ loquitur Deus, promittens fore, ut ex ipſius ſtirpe naſceretur olim, cujus gratuito beneficio non ſolum natio Judæorum, verum etiam omnes totius orbis populi, non per circumciſionem, quæ tum nondum erat nata, ſed per fidem Euangelicam in jus & charitatem filiorum adſciti, cœleſtis regni conſortium una cum Chriſto ſortirentur. *In ſemine,*

1 *Liber generationis.*

* In alia Editione legitur *felicitatem.*

Digitized by Google

inquit, *tuo*, nimirum Jesu Christo, *benedicentur omnes gentes.* Porro David ita loquitur in Psalmis mysticis: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Idque præcipue faciemus Judæorum causa, ne ut est rebellis ac difficilis ad credendum natio, quum ex oraculorum auctoritate, quibus abunde fidunt illi, persuasum habeant Messiam venturum fuisse promissum, tergiversentur, causantes alium servatorem exspectandum, nec hunc esse, quem illa promiserant. Siquidem illorum plerique quoniam terrenarum rerum cupiditatibus obcæcatos habent animos, pro suo carnali crassoque affectu, non recte interpretantes oracula vatum, præpotentem quempiam ac magnificum Regem sibi pollicebantur, qui copiis, armis, opibus, similibusque mundi hujus præsidiis invictus, gentem suam ad divitias, ad honores, ad imperium eveheret, orbemque totum Hebræorum ditioni subigeret. At Christus quamquam est omnium rerum dominus, non ideo venit in mundum, ut unicam gentem, ex qua juxta corpus assumtum erat nasciturus, terrenis bonis locupletaret, sed ut omnes totius orbis nationes ad veras opes, nec unquam interituras eveheret, easque bonis cœlestibus in æternum bearet; patiendo, moriendoque vinceret mortis tyrannidem; beneficio subigeret inimicos; gladio Spiritus jugularet monstra vitiorum, rebellesque motus cupiditatum; & expugnatis iis, quæ pugnant adversus Spiritum Dei, de suo conferret nobis justitiam & innocentiam: denique ut spirituale regnum nobis armis spiritualibus vindicaret. At non habebunt isti posthac quod tergiversentur, ubi viderint in hoc, quem nos venisse scimus, & prædicamus, omnia consentire, quæ sancti Prophetæ Spiritu cœlesti afflati in sacris Libris ante tot secula de eo magno consensu prædixerant; genus, familiam, nativitatis modum, vitam, doctrinam, miracula, afflictiones, & ignominias, mortis genus, sepulturam, resurrectionem, adscensum in cœlum, Spiritum Sanctum è cœlo demissum, prodigiosas Apostolorum linguas, Gentium conversionem, reliquaque, quæ post facta vidimus, & quotidie fieri videmus, per eos qui Christi nomen profitentur. Denique consentire & tempus ipsum, quo prædictus est adventurus. Neque solum hæc omnia prædicta sunt Prophetarum oraculis, verum etiam Patriarcharum factis adumbrata. Hæc quum illi teneant, si conferant cum his, quæ nos gesta nunciamus, intelligent se frustra exspectare Messiam alium ab hoc, quem nos prædicamus. Semel advenit humilis & abjectus juxta speciem humani corporis; sic enim illum venturum prædixerat Esaias, sua morte liberaturus universos à mortis tyrannide. Idem rursus adveniet in fine seculorum, non jam servator, sed judex omnium vivorum ac mortuorum. Nunc ab illius beneficio nullus hominum excluditur. Tunc illius judicium nullus effugiet. Sed tunc læti videbunt judicem æterna præmia largientem, qui nunc mansuetum & exorabilem servatorem non adspernantur. Hic est igitur unicus ac verus ille Messias, cujus genealogia juxta corpus humanum, quod nostra causa assumserat, mox dicetur; per hunc enim erat exoritura nova natio, non carnalis, sed spiritualis, quæ non tam terras impleret, quam cœlum, quæque non humano semine, sed Euangelica fide propagaretur cœlesti semine sermonis divini. Hujus principem ac progenitorem mystico quodam typo repræsentabat Abraham, qui nondum prodita lege circumcisionis, justitiæ laudem meruit, non apud homines, sed apud Deum; nec ex observatione Legis, sed ex sinceritate fidei, qua nihil addubitavit de promissis divinis, quanquam naturæ vires superarent. Et ob hanc fiduciam dictus est *pater multarum gentium*, quæ ad illius exemplum crederent Euangelio Jesu Christi.

Abraham autem genuit, &c.

2 Is jam ob senium defecto corpore, ex uxore item effœta genuit promissum Isaac, qui & ipse Christi typum gessit, ligna bajulans ad sacrificium, cui erat ipse destinatus. Isaac genuit Jacob, qui quum esset natu minor, tamen excluso fratre majore consequutus est hæreditatem, jam tum typum gerens ecclesiæ è Gentibus congregandæ, quæ Judæis exclusis quotidie magis ac magis invalescens, occupat Euangelii gratiam, per fidem, qua Judæi se per diffidentiam reddunt indignos. Sic enim loquitur Deus: *Jacob dilexi, & Esau odio habui.* Et hujus nominis mentio frequens est in Prophetarum vaticiniis. Jacob genuit Judam, qui Tribui nomen dedit, è qua Christus prædictus est exoriturus, cujusque titulo promissa est nova lex Euangelica. Sic enim loquitur Hieremias: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & disponam domui Juda & domui Jacob Testamentum Novum.* Nec hunc solum genuit: quanquam hic potissimum merebatur in hoc catalogo recenseri, sed & alios undecim Judæ fratres, qui singuli singulis Tribubus Israeliticæ gentis indidere cognomina. Porro Judas sustulit gemellos, Phares & Zaram, 3
non ex uxore legitima, sed ex Thamar nuru sua, quæ prius nupserat Her primogenito Judæ; cui cum non præstaret Judas, quod receperat, videlicet fore, ut nuberet Sela fratri mariti defuncti, juxta Legis præscriptum, mulier nimium prolis avida, sumto meretricis habitu, velataque facie, dolo suffurata est concubitum Judæ soceri sui; ac post arrabonis indicio, quem ab eo, priusquam coitum admitteret, sumserat, geminam prolem patri jam ad pœnam vocanti vindicavit. Res gesta non vacat crimine, sed tamen latens sub inhonesto tectorio mysterium ad Euangelii negocium facit. Quemadmodum & Phares Ecclesiæ & Synagogæ gessit imaginem, qui fratrem porrecta manu prius ex uteri latebris exire parantem antevertit. Ex hoc natus est Esrom, ex Es- 4
rom natus est Aram, ex Aram Aminadab, ex Aminadab Naason. Atque ex hoc Salmon, Salmon 5
sustulit Boos ex Rahab: quæ tametsi non esset Judaicæ gentis, sed Cananææ, tamen ob servatos exploratores à Jesu duce missos, proditamque civitatem Hiericho, locum meruit in eorum catalogo, qui per fidem commendabiles redditi sunt Deo, & exemta meretricio ordini, cooptata est & insita populo Dei, nupta marito Judaicæ gentis, jam tum adumbrans peccatores & gentes à cultu Dei alienas, fidei merito Christo copulandas. Boos item filium habuit Obeth ex Moabitide Ruth, quæ & ipsa velut abdicata patria, & affectibus corporeis, maluit inseri populo Judæorum, hoc est, Christi doctrinam profitentium; videlicet jam tum typis & umbris præludentibus, nullum hominum genus ab Euangelii consortio submovendum, modo fidem adferat, & animum veræ pietatis avidum. Ex Obeth proditus est Jesse, idem dictus Isai, cujus nomen non tacet vaticinium Esaiæ de Christo: *Exibit*, inquit, *virga de radice Jesse.* Ex hoc progenitus est 6
David ille Deo carus, Rex & idem Propheta, conditor urbis Hierosolymitanæ, nobilis interfecto Goliat: & ex humili pastore gregis ovili, nutu Dei consecratus Rex Israelitarum, submoto Saule Rege impio. Ex hujus stirpe tota gens Hebræorum exspectabat exoriturum Christum, quemadmodum prædictum erat à viris afflatis Deo. Atque hic quoque multis nominibus repræsentavit imaginem Christi nepotis sui. David genuit Solomonem illum pacifi- 7
cum, ac templi dominici constructorem; genuit autem ex adamata Bethsabee, quam Uria marito priore, per dolum occiso, sibi matrimonio copularat, non absque scelere, si nihil spectes præter historiæ superficiem; at rursus non absque præsagio futuri, si mysterium scruteris. E Solomone natus 8
est Roboam, ex hoc Abias. Ex Abia prognatus est Asa, ex Asa Josaphat, unde prodiit Joram, atque ex hoc Ozias. Ex Ozia natus est Joatham, ex 9
Joatham Achas, ex Achas Ezechias, ex hoc Ma- 10
nas-

Digitized by Google

11 naſſes. Ex Manaſſe ſatus eſt Amon, ex Amon Joſias, ex Joſia Jechonias, reliquique Jechoniæ fratres, ſub id tempus, quo Nabuchodonoſor tyrannus, exuſto templo, quod erat Hieroſolymæ, Regem ac populum Hebræum captivum tranſtulit in Babylonem, figuris nimirum portendentibus, Diaboli tyrannidem in genus humanum, & libertatem
12 Chriſti beneficio reſtitutam. In hoc rerum confinio, cum jam ageretur de reſtituendo ſuis ſacris ac ſedibus populo Dei, Jechonias genuit Salathielem,
13 Salathiel Zorobabelem, Zorobabel Abiud. Ex A-
14 biud proditus eſt Eliachim, ex Eliachim Azor, ex Azor Sadoch, ex hoc Achim, ex Achim Eliud, ex
15 Eliud Eleazar, ex Eleazare Matthan, ex Matthan
16 Jacob. Atque hic Jacob pater fuit Joſeph, cui nupſit Maria mater promiſſi Servatoris omnium Jeſu, quem Hebræi vocant *Meſſiam*, hoc eſt, *Chriſtum*, ſive *unctum*; quod hic omnium Rex, idemque ſummus ſacerdos, ſolus Deum Patrem, vitiis humanæ gentis offenſum, ſui corporis victima placarit, ac depulſa mortis tyrannide, cœleſte regnum omnibus aperuerit. Nupſit autem pudica pudico, caſtiſſima caſto, ex eadem Tribu familiaque, videlicet David, juxta divinæ Legis præſcriptum, ne quis hanc ſtirpis ſeriem nil habere momenti putet ad declaran-
17 dam originem Chriſti. Quod ſi cui libebit etiam temporis rationem ſubducere, quod digeſtis hebdomadarum gradibus ante tot annos deſcripſit Daniel, comperiet & hic Prophetarum præſagia cum eventu rei conſentire. Summa igitur totius genealogiæ conſtat tribus teſſaradecadibus. Etenim ſi ſupputes ab Abraham Patriarcha uſque ad David, regni florentis auctorem, reperies generationes quatuordecim. Rurſum ſi à David uſque ad regni deliquium, hoc eſt, ad exſilium Babylonicum, reperies quatuordecim. Rurſum ſi ab hoc tempore uſque ad Chriſtum, novæ generationis Euangelicæ, novique regni principem & clauſulam, reperies quatuordecim.

Hactenus Chriſti genealogiam bona fide reddidimus, quo conſtet omnibus hunc ipſum eſſe, quem olim oracula Prophetarum orbi promiſerant, tot argumentis in unum conſentientibus, ut caſu geſtum videri non poſſit; ſimulque conſtet illum verum fuiſſe hominem, qui ex notis majoribus juxta carnem
18 genus duxerit. Sed quanquam homo natus ex homi-
Chriſti autem generatio ſic erat. ne, qui in hoc venerat, ut humanum genus ſua morte redimeret, tamen haud quaquam natus eſt juxta communem ac vulgatum naſcentium morem: decebat enim, ut qui venerat è cœlis, qui vocabat ad cœlos, qui nihil niſi cœleſtia docebat ac pollicebatur, denique qui poſt tot Prophetas ac doctores in hoc legatus eſt, ut ſemel nova faceret omnia, vero quidem corpore, ſed tamen novo modo prodiret in mundum, & ita doceretur vera hominis nativitas, ut tamen Deo digna videretur. Atque hoc futurum prædixerat Eſaias, ut quoniam homines ad iſta vulgata naturæ miracula propter aſſuetudinem dormitabant, Deus novum miraculum ederet, idque in terris, quo magis eſſet omnium mortalium ſenſibus expoſitum. Natus eſt homo verus ac mortalis, ſed idem Deus & immortalis. Natus eſt homo ex homine, ſed ex virgine. Natus eſt ex progenie generis humani principis Adæ, ſed abſque labe. Natus eſt ex matrimonio, ſed ita, ut opificium conceptus non fuerit mariti, ſed Spiritus Sancti, qui modo nequaquam enarrabili de ſubſtantia virginis illibatæ, velut in templo cœleſti Numini ſacro, peregit fœtus inauditi formationem; hujuſque negotii diſpenſationem ita temperavit admirabili conſilio, ut rem incredibilem celaret impios, & piis animis certiſſimis argumentis perſuaderet, cujus nulla mortalis elo-
Quum eſſet deſponſata mater Jeſu. quentia fidem facere potuiſſet. Quum igitur è parentum arbitrio, ſed horum animos moderante Numine, ſanctiſſima virguncula, huic tanto myſterio ab æterno deſtinata, futura mater Jeſu, deſponſa

A ſuæ Tribus probato viro, nomine Joſeph, cum eo domeſticam ageret conſuetudinem, priuſquam connubialis congreſſus inter eos interceſſerat, ſive quia non eſt ad libidinem præceps vera probitas, ſive quia ſic Deus ordinem hujus negotii temperabat, deprehenſa eſt eſſe gravida. Id enim arguebat & amanti, & minime ſtupido ſponſo, puellæ uterus in dies magis ac magis intumeſcens. Nec enim illa fugitabat ſponſi ſui conſpectum, quaſi ſibi male conſcia, nec aperiebat arcanum, quod ab Angelo didicerat, ſive quia deſperabat adhuc poſſe perſuaderi, ſive quia ſervabat hoc Deo, ſuo tempore patefaciendum. Certus igitur ac verus erat conceptus, manifeſtis ac ſo-
B litis indiciis ſeſe prodens, præſertim Joſeph, qui ob domeſticum convictum facilius obſervabat in ſponſa ſua corporis habitum. Verum is fœtus non erat profectus è complexu viri, quemadmodum reliquæ fœminæ ſolent juxta communem naturæ legem concipere, ſed à Spiritu Sancto, qui per Gabrielem Angelum internuncium, cœlitus illapſus in ſacratiſſimum templum uteri virginei, paterni Numinis inviſibili virtute, ſanctiſſimæ virginis totum corpus & animum ceu complexu quodam obumbrante, citra nullum pudoris detrimentum gravidam reddiderat. Porro Joſeph, nondum gnarus tanti myſterii, cum 19
C indubitata cerneret argumenta conceptus in conjuge, ſibique conſcius eſſet, nihil ſibi rei fuiſſe cum puella, unde gravida fieri poſſet, & tamen eos comperiſſet ſponſæ mores, ut in eam non caderet adulterii certa ſuſpicio, & alioqui vera probitas, nec eſt prona ad ſuſpicandum, nec præceps ad vindicandum, ſuo cum animo rationem aliquam diſpiciebat, qua ſimul & uxoris famæ vitæque conſuleret, ac negotium, cujus ipſe nullum exitum invenire poterat, Deo committeret. Ex arctiſſima familiaritate deprehenderat inculpatiſſimos puellæ mores. Siquidem Spiritus ille divinus, qui totum ejus animum occuparat, in ipſis oculis, ipſoque vultu relucebat: ipſo
D inceſſu, geſtu, ſermone undique ſeſe prodebat. Cœleſte quiddam in ea deprehenderat, & homine majus. Et tamen videbat gravidam, & abfuerat illa domo menſes aliquot, dum inviſit cognatam Elizabeth: ad hæc cogitabat, quanta eſſet ejus ætatis ac ſexus infirmitas in cæteris puellis. Quas turbas hic excitaſſet alius maritus, præſertim amore exaſperante zelotypiam, quo non alius animi morbus impotentior? Sed ad hujus rei fidem delectus erat teſtis Joſeph, ne quis cauſari poſſet Mariæ partum, aut ſuppoſititium eſſe, aut adulterinum. Erat vir apud omnes notæ ſpectatæque probitatis ac prudentiæ; ne quiſquam ſuſpicari poſſet illum vel eſſe tam inſigniter improbum, ut uxoris leno ſuſtineret eſſe; vel tam
E ſtultæ patientiæ, ut domi aleret curaretque una cum puero, quam ſciret eſſe adulteram. Nulli magis fæviunt in lapſas uxores, quam qui ipſi multis adulteriis ſunt obnoxii. Joſeph ipſe innocentiſſimus, adeo non rapitur ad ultionem, ut nec cum conjuge verbis expoſtularit, ne qua mœſtitudine virginis animum obnubilaret. Tacitis animi curis ſecum æſtuat, ac mite quoddam divortii genus comminiſcitur, quo ſic ipſe liberaretur à gravidæ contubernio, ne quid infamiæ periculive puellæ conflaret. Atque hactenus quidem paſſus eſt Deus innocentiſſimum virum diſtrahi perplexis conſiliis: id enim expediebat ad fi-
F dei certitudinem. Sed jam tempus erat ut his animi 20
moleſtiis liberaretur, dignus videlicet, qui myſterii conſcius fieret, ob inſignem erga virginem, Deo dicatam, reverentiam, ſatiſque ob ſpectatam gravitatem in premendis animi ſui curis, viſus idoneus, qui ſecretum, nondum ob Judæorum perverſam ſuſpicionem evulgandum, bona fide contineret. Ecce Gabriel Angelus, qui virgini conceptum admirabilem nunciarat, multa cum luce apparens vigilanti, nimirum ob pluſquam angelicam puritatem hujuſmodi viſionum non inſolenti, Joſeph in ſomnis ſemet ex-

Digitized by Google

hibet, ac per ſoporem etiam tale quiddam agitantem, ſic eſt affatus oraculi cœleſtis interpres: *Joſeph fili David*, quæ torquet animum tuum humana ſuſpicio? Quid æſtuas, quid fluctuas? Aut quod meditare divortium, aut cur ab ea vis diſtrahi, quæ tibi tanta charitate, ſimul & Tribus & familiæ cognatione juncta eſt? Non eſt alius ſponſus ea virgine dignus, nec illa eſt alteri deſtinata Dei conſilio, niſi tibi. Agnoſce David auctorem tui generis, cui promiſſum eſt olim, quod nunc incipit exhiberi. Totum divinum eſt quod geritur. Non eſt quod metuas, ne quid labis tuo conjugio contrahat uxoris uterus, citra tuam operam intumeſcens. Suſpicaris gravidam, & recte ſuſpicaris: ſed non ideo ſubmovenda à domeſtico convictu, imo hoc magis tibi adjungenda eſt, quod gravidam vides, cui divino conſilio in hoc ipſum datus es ſponſus, ut in poſterum teſtis eſſe poſſis fœcundæ virginitatis in uxore compertæ: atque illa interim tuo conjugio tuta ſit adverſus Judæorum ſuſpicioſam ſævitiam, quibus hoc myſterium nondum eſt aperiendum, neque dignis adhuc, neque capacibus. Tibi communicabitur, ne quid interim uxoris innocentia ſeſe indignum patiatur. Nam fœtus iſte, quo vides conjugis uterum quotidianis auctibus intumeſcere, ut non eſt ex te, ita nec ab alio quoquam mortali. Angelus nunciavit, conciliator hujus divini complexus, Pater obumbravit, Spiritus Sanctus præparavit uterum, Dei Filius
21 implevit. Nova ſunt omnia, quia nova proles naſcetur. Cœlo debetur quod pariet tua ſponſa, caſtior etiam futura, poſteaquam pepererit. Pariet autem filium, non tibi, ſed orbi. Hujus tu pater interim diceris, & puellæ cuſtos eris potius quam maritus. Nato puero tu ceu pater nomen impones; non quod tibi tuus ſuggeſſerit animus, ſed quod ex re Deus illi deſtinavit ante mundum conditum. *Vocabis* autem *Jeſum, hoc eſt, ſervatorem.* Nam hic eſt ille tot ſeculis exoptatus & exſpectatus Meſſias, qui juxta Prophetarum oracula liberaturus eſt populum ſuum univerſum à peccatis ſuis, non victimis pecudum, ſed ſuo ipſius ſanguine. Nec hoc tantum beneficium gratis dediſſe contentus, purgatis à vitæ prioris peccatis, conferet perfectam & æternam ſalutem. Ne-
22 que vero quicquam hujus rei caſu fortuitove geſtum eſt, ſed conſilio divino. Quod enim nos factum narramus, hoc olim Dominus ipſe ſe facturum promiſerat, loquens per os Eſaiæ Prophetæ, paucis depingens hujus conceptus, & novitatem inauditam, & fructum optabilem: *Ecce*, inquit, *virgo concipiet*
23 *& pariet.* Habes novitatem: quando enim unquam fando auditum, ſalva virginitate, peperiſſe puellam? Nunc fructum accipe: *Et vocabitur*, inquit, *nomen ejus Emanuel*, quod Hebræis ſonat, *nobiſcum Deus.* Siquidem hic unus populum ſuum Deo reconciliabit, atque ex infenſo reddet propitium, ac verſans inter homines cumulatiſſimam Dei beneficentiam illis effundet, ac tandem experti doctrinam efficacem, experti vim miraculorum, experti præſentem energiam ac robur & impetum divini Spiritus, novo more ſeſe prodentis in his qui crediderint, merito clamabunt, *nobiſcum Deus.* Si agnoſcis vaticinium, & ſane agnoſcis, ſubſervi myſterio ac cela ſecretum.
24 Hæc ubi dixiſſet ſummi Dei nuncius, Joſeph expergefactus à ſomno, lætus & alacer paruit oraculo, ponit conſilia diſſidii, & arctius etiam adjungit ſibi conjugem ſuam, ne qua diſſidii ſuſpicio poſſet oriri cuiquam; jamque ſentiens eam totam dicatam cœlesti Numini, veneratur in ea divinum myſterium, nec audet attingere, quam ſibi divinitas unice vindicaſſet. Adeſt obſequio, abſtinet à congreſſu maritali. Matureſcit interim in ſacro virginis utero fœtus ille cœleſtis, qui ſuo tempore prodiens ex matre virgine, parentis integritatem non abſtulit, ſed conſecravit. Porro Joſeph, ut erat juſſus ab Angelo, hactenus patris gerens imaginem, nomen indidit puero Jeſu, quum juxta gentis morem octavo die circumcideretur.

CAP. II.

Barbara gens quærit: trepidat Rex: Memphis aditur: Infantes cæſi: Chriſte rediſque fuga.

HACTENVS vides, quam multa congruant cum 1
Prophetarum oraculis. Ex his progenitoribus, ex ea Tribu familiaque natus eſt, unde illum prophetia promiſerat: congruit & hebdomadarum ſupputatio, ad quam illum venturum prædixit Daniel. Convenit & nativitatis novitas, qua natus eſt ex virgine, citra virilem operam. Convenit & nomen; promiſſus erat ſervator, exſpectabatur ſervator, Jeſus ſervatorem ſonat. Quin & regionis, & oppidi nomen reſpondet fidei Prophetarum: natus eſt enim haud procul ab Hieroſolyma in oppidulo, cui nomen Bethlehem, idque in regione Judææ: nam eſt & in Galilæa oppidum huic cognomine, nimirum in Tribu Zabulon. Natus eſt autem eo tempore, quo regnum apud Judæos obtinebat Herodes natione Idumæus, non Judæus; ne cui dubium eſſet jam adeſſe tempus, quo naſciturus eſſet Meſſias: quod hoc multis ante ſeculis futurum prædixerat Jacob Patriarcha: *Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec venerit ille, qui mittendus eſt.* Nimirum hic eſt ille ſanctus ſanctorum, ad cujus exortum ceſſare debuit omnis unctio Judæorum. Nunc quam miris conſiliis paulatim innotuerit orbi accipite. Voluit enim omnibus eſſe perſpicuus, qui venerat ſervandis omnibus: ut & bonis innoteſceret ad ſalutem, & impiis adimeret omnem excuſationem ignorantiæ. Judæis præcipue fuerat promiſſus; ex horum gente natus eſt, his primum prædicatus eſt ab Angelis canentibus, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax in hominibus bonæ voluntatis.* Paſtores Angelica voce docti, de nato puero, fidei primitias obtulerunt, ad natalitium infantuli præſepe. Secreto ſpiritus afflatu agnitus eſt ab Eliſabeth, à Simeone, & Anna prophetiſſa. Ac primum quidem pauperibus & humilibus ſemet aperuit, in quibus ſciebat eſſe pronam credulitatem. Nec enim facile ſuſcepturi erant humilem ſuperbi, pauperem opulenti, modeſtum feroces, cœleſtem, hujus mundi cupiditatibus obnoxii. Quoniam autem non Judæis tantum, ſed & Gentibus, imo cunctis mundi nationibus promiſſus erat, in ipſo ſtatim exordio voluit & his innoteſcere, quo declararet ſimul & illis oblatam eſſe ſalutem, & horum exemplo Judæos ad æmulationem credulitatis exſtimularet. Nec omnes eadem ratione pertraxit ad ſui notitiam, ſed ſingulos paulatim allexit rebus jam perſuaſis ac familiaribus. Judæi Prophetis habebant fidem, ſignis ac prodigiis commovebantur, atque harum rerum illecebra pellexit eos. Perſæ & Chaldæi multum tribuebant aſtris, ut huic Philoſophiæ potiſſimum dediti, è cujus peritia ſibi mirabilem quendam orbis inſtauratorem promiſerant. His igitur pueri nativitatem non Propheta, non Angelus, ſed nova quædam & admiranda ſtellæ ſpecies indicvait; nimirum ſtellam illam, quam Prophetia Balaam deſignarat exorituram ex Jacob. Et publico rumore jam cognoverant hunc Regem Judæorum genti peculiariter eſſe promiſſum, non illum vulgarem quempiam, atque ex numero cæterorum, ſed inſignem & incomparabilem, cujus potentiam, ſapientiam, ac bonitatem, humana majorem, totus orbis eſſet experturus. Porro ut improbus data occaſione fit improbior, & ſapiens occaſione præbita ſapientior, Magi quidam, (nam hoc nomine Perſæ vocant Philoſophiæ profeſſione ſuſpiciendos) quo quod ſtella veluti per ſomnium docuerat, cominus diſcerent & exactius, nihil deterriti itineris magnitudine, Hieroſolymam ſeſe prævia ſtella conferunt; ſive quod illic

Gen. 49.

Ecce Magi ab oriente veni.

Digitized by Google

lic agebant Scribæ & Phariſæi, in Lege ac Prophetis eruditiſſimi, ſive quod intellexerant Regem eum
2 haud procul ab Hieroſolymis naſciturum. Jam enim certi natum eſſe, tantum ſciſcitantur, quisnam eſſet ille locus tam inclyto partu felix. Exiſtimabant enim tanti Principis nativitatem non poſſe latere apud eos, qui naſciturum tot ſeculis exſpectaverant, præſertim cum non ſolum apud illos, verum etiam ex illis natus eſſet. At nuſquam ſerius ac difficilius innoteſcit Chriſtus, quam in urbibus opulentis, in aulis Principum, & apud ſapientiæ profeſſione turgidos. Sed harum rerum imprudentes illi ſimpliciter ac palam ſciſcitantur: *Ubi*, inquiunt, *eſt ille, qui nuper natus eſt Rex Judæorum?* Nos enim certo indicio natum illum cognovimus: nam cum procul hinc ageremus in Oriente, ſtellam ejus admirabili ſpecie vidimus. Vidimus ſtellam, & ſenſimus afflatum. Proinde quoniam ſcimus illum omnium bono naſci, nos, licet alienigenæ, ſumus huc profecti, ut illum adoremus, novoque Regi debitas honoris primitias exhibeamus, non ignari, felices futuros,
3 qui illius numen habituri ſunt propitium. Hujuſmodi ſermonem cum illi ſimpliciter apud quoſvis effunderent, ilico rumor ad Herodem Regem perlatus eſt, qui jam pridem ejus naſcituri famam horruerat, metuens, ne quando regno, quod occupaverat, alienigena deturbaretur, ſi tantus Princeps è Judæorum ſtirpe exſtitiſſet. Siquidem Herodes nihil aliud, quam terrenum regnum ſomniabat, ignarus Chriſtum aliud regni genus invehere, quod ad univerſos homines pertineret. Itaque poſtquam natum audierat, quem metuerat naſciturum, & audierat à Magis, viris & eruditione, & fortunæ ſtrepitu nequaquam adſpernandis, ſane conturbatus eſt animo, ſimulque cum hoc tota civitas Hieroſolymorum, aliis aliud metuentibus, aut ſperantibus. Sed ita divina ſapientia temperavit affectus ac molitiones mortalium, ut & piorum ſimplicitas, & impiorum veſania, undique Chriſti gloriam illuſtraret, & fidei rerum incredibilium pondus adderet. Nec aliam ob cauſam ſtella viæ dux Magos Hieroſolymam ingreſſuros ad tempus deſtituerat, niſi ut illorum percunctatio divulgaret rumorem nati pueri, nec proderet nati cu-
4 nabula Regi ſævituro. Itaque Rex Herodes, livore & ira cæcus, cum totus arderet in exitium nati pueri, tamen impiæ crudelitati pietatis ſpem prætexuit. Accerſit ad ſe ex ordine ſacerdotum cunctos primores ac Scribas populi Judaici, quorum hæc erat peculiaris profeſſio, ut ſi quid exoriretur rerum novarum, è Prophetarum oraculis, éque divinis Libris reſponſa darent, quod horum exactam ſcientiam profiterentur; videlicet, ut & numerus & auctoritas ad fidem conduceret. Ab his igitur convocatis, Rex hoc magis impius, quod pietatem mentiretur, ſciſcitatus eſt, ubinam naſci-
5 turum Chriſtum oracula promiſiſſent. At illi nondum odio furentes in Chriſtum, quem non viderant, ſimpliciter & incunctanter reſpondent, *in Bethlehem Judæ;* ac ne parum ponderis haberet ipſorum auctoritas, ecce in promtu habent vaticinium Micheæ
6 Prophetæ: *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam*
Micheæ 5. *minima es in principibus Juda: ex te enim exorietur dux, qui regat populum meum Iſrael.* Atque hæc tum reſponderunt Sacerdotes & Scribæ, qui poſt tot miraculis coruſcantem, & omnibus benefacien-
Tunc Herodes clam vocatis Magis dilig. did. ab &c. tem, curarunt occidendum. Rex Magorum oratione non leviter commotus, hoc reſponſo tam promto prorſus exanimatus eſt, præſertim quum prophetia palam polliceretur ducem Bethlehemiticum, qui
7 regeret populum unde natus eſſet. Sacerdotibus itaque ac Scribis dimiſſis, quibus ſeſe deſperabat poſſe imponere, clanculum, ne Judæi dolum ſuſpicarentur, accerſit ad ſeſe Magos, & communicata re, quaſi idem agerent utrique, diligenter percunctatus eſt eos, quantum eſſet temporis, quod illis primum apparuiſſet ſtella, cujus indicio tantum itineris emenſi veniſſent Hieroſolymam; videlicet hoc agens, ut certius in unum caput ſæviret crudelitas. Magi, ut non eſt ſuſpicioſa pietas, nihil illum celant, haudquaquam ſuſpicantes eum eſſe tam immanem, ut in infantem vix dum natum ſævire vellet; neque tam furioſum, ut ſe ſperaret humanis conſiliis oppreſſurum, quod divinitus ageretur. Indicato tempore,
8 ille viciſſim indicat locum, quem à Scribis didicerat. Jamque ſpe certa concepta, his duobus indiciis puerum poſſe deprehendi, Magos ultro ituros, etiam ſuo nomine mandatis onerat, adirent Bethlehem, ſummaque diligentia veſtigarent de puero; moxque eo comperto, Hieroſolymam reverſi, ſe facerent totius negotii certiorem; cauſam prætexens admodum piam, & ab animis Magorum minimum abhorrentem, ut & ego, inquit, eodem me conferam, voſque imitatus, adorem eum. Sibi primum volebat innoteſcere puerum, ut eum prius tolleret è medio, quam populus Judæus eum plane reſciſſet eſſe natum: Deo interim & hoc procurante, ut incolumes redirent Magi ſuis regionibus annunciaturi Chriſtum. Alioqui, ni ſpes hæc ſcelerato impoſuiſſet, ſæviturus erat in Magos ipſos, qui nuncium tam inauſpicatum attuliſſent. Magorum pia ſimplici-
9 tas, audito Rege, contendunt Bethlehem, quos in hoc ſtella, quæ illos exciverat, ad tempus deſtituit, ut barbari primi Chriſtum annunciarent natum, quem illi tot ſeculis exſpectatum poſt occiderunt. Sed hac parte divini conſilii functis, rurſus aderat mirabilis illa ſtella, quæ ſic illorum pietati ſerviebat, ut non ſolum Bethlehem, ſed ipſum etiam tugurium humile, & ob hoc inventu difficile indicaret; atque adeo ipſius pueri capiti imminens è propinquo, ceu
10 digito demonſtraret expetitum infantem. Hæc igitur ubi rurſus apparere cœperat, omnem ſollicitudinem ex animis illorum diſpulit; jamque certa ſpe ſimul & gaudio pleni, neglectis hominum indiciis, cœleſtem ducem ſequuti, novi Regis palatium, vident ſordidum & abjectum tugurium, vile ſtabulum.
11 Nihil commovetur his rebus ſincera pietas, ingrediuntur, reperiunt infantem, nihil à cæteris ſpecie differentem; reperiunt matrem, nihil magnificum præ ſe ferentem. Paupertatem ac ſimplicitatem tota ſupellex teſtabatur. Magi, qui non adoraverant Herodem, è ſolio regali ſtrepitu jactantem ſeſe, ad pueri vagientis cunas procumbunt, adorant proni nondum fari potentem. Nec hac pietate contenti, depromunt è repoſitoriis ſuis deſtinata munera, ex hiſce rebus, quarum proventu regio Perſarum præcipue dives erat, Aurum, Thus & Myrrham, ne viaticum deeſſet mox fugituro. Atque his fidei primitiis gentes, quæ procul aberant, Judæos, qui Deo videbantur proximi, prævenientes, Chriſtum ſibi inaugurant, ſeſeque viciſſim illi dedicant, triplici rerum genere novum ſacrificium offerentes, jamque veluti per ænigma Trinitatem illam ineffabilem profitentes, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, ſimulque in uno homine, mortalitatem, ſacerdotium & regnum agnoſcentes. Siquidem Aurum Regi convenit, Thus Sacerdoti, Myrrha morituro. Natus eſt mortalis, ſacrificavit in cruce; vicit reſurgens, regnat in cœlis. Tot prodigia viderant Judæi, & cognitum occiderunt; nihil præclari videre Magi, quod ad oculos corporeos pertinet, & ſibi gratulantur eam peregrinationem fuiſſe felicem. Cæterum
12 quum ſecum agitarent, an redeundum eſſet ad Herodem, ut illius animo ſatisfacerent, in ſomnis admoniti ſunt oraculo divino, ne ſe referrent ad Herodem: id enim nec ipſis eſſe tutum, nec puero, nec expedire tanto negotio, ſuis temporibus, & per partes orbi provulgando. Illi non ſegnes parent oraculo, ac diverſa via reverſi ſunt in patriam, apud ſuos novi Regis, novi præcones futuri. Jam Magorum incolu-
13 mitati conſultum erat: mox ut matris etiam ac pue-

Et reſponſo accepto in ſomno ne redirent ad Herodem, &c.

Digitized by Google

ri tranquillitati consuleretur, simulque Herodis impietas, ita ut merebatur, magis ac magis exacerbaretur in gloriam Christi, idem cœlestis nuncius, qui Magos dimiserat, Joseph apparuit in somnis; hortans eum, ut jam arcani conscius, matrem ac puerum clanculum subduceret in Ægyptum: videlicet hoc agente consilio divino, ut ea quoque regio, tota prodigiosis Deorum cultibus dedita, dum profugo præbet hospitium, ejus contactu commercioque præpararetur ad aliquod primordium veræ pietatis. His itaque verbis Angelus affatus est Joseph: *Surge & adjuncto tibi puero una cum matre, clam fuge in Ægyptum, atque illic commorare donec reversus ad te, admonuero tempus esse huc remigrandi.* Futurum est enim, ut Herodes nihil intentatum relinquat, quo perdat puerum. Non quod difficile sit Deo puerum subito exstincto Herode servare, si libeat: sed hic ordo negotii magis conducit ad confirmandum fidem: vult enim Deus, ut tyranni furor suæ gloriæ
14 serviat. Nihil cunctatus Joseph, assumtam puellam matrem ac puerum, nocte fugiens, subducit in Ægyptum, inibi commoratus usque ad obitum Hero-
15 dis. Neque vero hoc humano metu contigit aut casu: his malis Deus voluit parari stabilirique regnum Filii sui, quibus humanæ res solent labefactari, ne quid sibi mundus vindicare posset in negotio divino. Id quo magis credas, Deus, qui hoc fieri voluit, multis retro seculis futurum prædixit per os Oseæ
Oseæ 2. Prophetæ: *Ex Ægypto*, inquiens, *vocavi filium*
16 *meum.* Interea Rex Herodes, posteaquam ipsa re comperit, Magos sibi dedisse verba, jam impotens iræ, abjecto fuco, prorupit in manifestam insaniam; missisque vesaniæ suæ ministris, occidit omneis infantes, & quotquot erant in ipsa Bethlehem, & quotquot erant in ejus oppidi finibus, bimulos, aut hac ætate minores, sequutus temporis supputationem, quo Magi prædixerant sibi primum visam esse pueri stellam. Dilatavit tempus crudelitas, dilatavit locum, pueros universos complexa, putans hoc impio consilio satis sibi cautum esse, ne qua posset elabi, quem unum cupiebat exstinctum. Sed frustra nititur astutia mortalium adversus consilia divina. His rebus parabatur exemplum, quid essent ab impiis Principibus passuri, qui crediturі essent Euangelio; quid profecturi, qui fidem Euangelicam, teneram adhuc, & in piorum animis gliscentem, crudelitate sua conarentur exstinguere. Ob Christum interimi, servari est. Herodi data erat occasio resipiscendi, non sæviendi, nisi mentem illius regnandi cupiditas excæcasset: sed dum ipse sibi suo vitio vertit omnia in materiam majoris insaniæ, sua malitia Dei justitiam illustravit, dum omnibus palam fit innoxios puellos immani crudelitate trucidatos, & ipsum horribili dignum exitio, quo postea periit,
17 fuisse. Porro ne quis addubitet hoc dispensatione divini consilii sic evenisse, audite Prophetæ Hieremiæ vaticinium, hoc præsagio mentis afflatæ jam factum cernentis quod multis post seculis esset futu-
18 rum: *Vox*, inquit, *in Rama est audita, vox vehe-*
Hier. 3. *menter plorabunda, lugubris ac lamentabilis: Nimirum Rachel ea erat deplorans filios suos: nec admisit consolationem, propterea quod essent omnes è medio sublati.* Rachel, quæ enixa Benoni, hoc est, *doloris sui filium*, cui post mutatum est nomen Benjamin, mox à partu periit, sepulta est non procul à Bethlehem: unde Propheta sub hujus persona, matrum luctum, suos filios ab Herode trucidatos deplorantium, expressit.

Defuncto autem Herode ecce angelus domini appa-
19 Interea posteaquam Herodem exitium ipso dignum sustulisset è medio, rursus Angelus, qui fugæ consilium dederat, apparens Joseph in somnis, horta-
20 tur illum, ut Ægypto relicta, puerum ac matrem ejus reduceret in terram Israeliticam: jam enim exstinctos esse eos, qui puerum volebant exstinctum.
21 Atque his promte per omnia parens divinæ voluntati, virginem matrem cum dulcissimo puero revexit in regionem Israeliticam. His enim oportuit illum primum innotescere, ad quos præcipue missus erat, ne gens incredula haberet, quod vel probabiliter suæ impietati prætexeret, negans illum esse Messiam suum, sed alium Gentibus destinatum. Ut
22 vero patriæ fines ingressus est Joseph, atque illic certo rumore cognovisset, quod Archelaus, Herodis defuncti filius, paterni regni dimidium sortitus, vice patris regnaret in Judæa, veritus ne filius, ut in regnum, ita & in crudelitatem paternam successisset, timuit eo proficisci, ac rursus oraculo Angeli confirmatus, unde jam totus pendebat, secessit in partes Galilææ, quæ pars obvenerat Herodi Tetrarchæ, fratri Regis defuncti. Hic tuta omnia pollicente Angelo, invitavit etiam patriæ charitas, simul hoc agente consilio divino, ut per occasiones varias Christus multis divideretur, qui nulli non venerat. Bethlehem hujus partu gloriatur, Hierosolymæ circumcisus est, ac purificatus, Ægyptus tanto hospite felix erat. Habet Nazareth quod de tanto alumno glorietur. Nam hic erat parentis Mariæ patria, in qua filium conceperat, viculus humilis & obscurus, Galilææ contemtæ apud Judæos regionis, sed hoc magis opportuna latebra puero adversus Archelai sævitiam: & illud interim nos re ipsa docente Deo, in his, quæ divina voluntate geruntur, nihil opus esse hujus mundi præsidiis, opibus, potentia, factionibus, generis claritudine. Imo hæc adjuncta obscurant apud homines gloriam Dei: nam ne hoc quidem accidisse fortuito satis arguit, quod prophetia jam olim futurum prædixerat, quod Messias ille Nazarenus appellaretur, quod esse factum, vel ipse titulus indicat, quem Pilatus, ignarus prophetiæ, cruci affigi jussit, *Jesus Nazarenus Rex Judæorum.* Et hodie, qui Christum profitentur, ab eo Nazaræi dicuntur à plerisque. Neque vocabulum ipsum mysterio vacat. Nazareth Hebræis à flore nomen habet, quod hic è virgine conceptus sit purissimus ille flosculus, omnis virginitatis consecrator; quemadmodum Bethlehem *domum panis* sonat Hebræis, ubi proditus est ille panis cœlestis, quem qui ederit, vivet in æternum. Hic igitur annos aliquot vixit, velut ignotus, cum matre & nutritio suo, cujus filius ab omnibus existimabatur, donec ad ætatem adultam progressus jam ipse sese doctrina, miraculis, morte & resurrectione mundo proderet: nulla interim re insignis, aut inter cæteros mortales eminens, nisi quod omni probitatis genere, doniisque cœlestibus sic in dies proficiebat, ut nemo non magnum aliquid ab eo puero exspectaret: Legis etiam interim observantissimus, ne quam ansam daret malevolis obtrectandi, sed per omnia satisfaceret omnibus. Maluit ad tempus observata Lege ad perfectiora perducere Judæos, quam ea spreta animos illorum ab sese alienare. Semel duntaxat specimen sui præbuit Hierosolymis, annos natus duodecim, cum clam relictis parentibus, repertus est in templo, in medio doctorum sedens, audiens illos, ac vicissim sic interrogans, ut omnibus esset admirationi. Jam tum videlicet gestiebat indoles ad ea, quorum gratia missus erat in mundum; sed ut hæc erat animi promti laus, ita moderationis & obedientiæ erat exemplum, exspectare tempus à Patre præscriptum.

ruit in somnis.

Et veniens habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth.

CAP. III.

Clamet Johannes: taxat: Christoque minorem
Se fassus: Christum lotum: adestque Trias.

NUNC operæ pretium est audire, quomodo tan- 1
dem negotium hoc, cujus gratia venerat, sit aggressus Dominus noster Jesus Christus. Non ex improviso semet ingessit inopinantibus. Ante per anteambulonem Joannem, Zachariæ filium, ipsis etiam Judæis notum ac probatum, animos omnium præparari voluit, quo sensim ac paulatim instillare-

tur

Digitized by Google

tur mentibus hominum, quod ſemper erat credendum. Ergo cum appeteret tempus, quo decretum erat æterno conſilio, ut totus orbis per Chriſti doctrinam innovaretur, prodiit Joannes Sacerdotis ac Prophetiſſæ filius, poſt ipſius Chriſti teſtimonio pluſquam Propheta judicatus, qui ipſo etiam exortu ſummam de ſe ſpem præbuerat: prodiit autem non è Regum aulis, aut è vulgato hominum cœtu, ſed ex eremo, ubi à puero vitam angelicam egerat, victu facillimo parabilique contentus, amictus pallio è cameli pilis contexto, cinctus zona pellicea. Veſtitui victus reſpondebat. Victitabat enim parabili commeatu, quem eremus ſuppeditabat, locuſtis ac melle ſylveſtri. Hic cultus, hic victus, talis locus decebat pœnitentiæ præconem. Cujus admirabilis ſanctimonia ſic omnium animos obſtupefecerat, ut plerique ſuſpicarentur hunc eſſe Chriſtum, præſertim cum multis eſſet perſuaſum, alterum illum, qui Meſſias putabatur, in turba Bethlehemiticorum infantium periſſe. Atqui is adeo non vindicabat gloriam alienam, ut Chriſto palam omnibus demonſtrato, ſe negaret dignum, qui calceamentorum illius ligulas
2 ſolveret. Nec is tamen ſuopte impetu prodiit ad prædicandum, ſed voce divina monitus jam adeſſe tempus agendi præconem. Siquidem haudquaquam fortuito, aut humana delegatione venit ad hoc prædicandi munus, ſed hic erat, de quo tot ante ſeculis
Eſaiæ 40. vaticinatus fuerat Eſaias, & quod in eremo palam ederet prædicationis ſuæ vocem, & quod animos hominum ad accipiendam Chriſti doctrinam prævius ipſe præpararet; quodque perſuaſa ſuperioris vitæ pœnitentia, redderet eos capaces gratiæ Chriſti, peccata per baptiſmum ſuum condonaturi omnibus; quodque ſubito mutatis rerum vicibus, qui ante turgebant inani juſtitia Legis Moſaicæ, ſtultaque Philoſophia mundi hujus, dejicerentur, & qui antea propter imperitiam ac modeſtiam humiles & abjecti videbantur, atque inutiles, per Euangelicam doctrinam vegeti fierent, & opulenti bonis cœleſtibus; quæque per Legis aſperitatem difficilia videbantur, & impedita, per fidem & Euangelicam gratiam expedita fierent ac facilia; quodque ſalus hæc non Judæis tantum, ſed omnibus totius orbis nationibus
3 aperietur. Hæc omnia præcinuerat Eſaias, certiſſi-
4 mus Domini Propheta. Vaticinium enim ſic habet: *Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Et erunt prava in directa & aſpera in vias planas, & videbit omnis caro ſalutare Dei.* Jamque rumor & aura quædam famæ ſecreto ſparſa per multos de venturo Meſſia, ad hæc conſcientia malorum, (nam eo ſeculo non fuit aliud inquinatius) poſtremo tacitus quidam afflatus effecerat, ut pleroſque ſuæ vitæ tæderet, ac deſiderarent illum, cujus odor quidam ad eos utcunque pervenerat, qui ſubito mortalium omne genus eſſet innovaturus, & abolitis peccatis, ad juſtitiæ regnum vin-
5 dicaturus. Quum igitur ad Joannem confluerent, non ſolum ex urbe Hieroſolymorum, verum etiam ex univerſa Judæa, præſertim hiſce regionibus, quæ Jordanem accolebant, occurrit & ipſe Joannes promtæ illorum voluntati, & quod in eremo prædicaverat, idem denſioribus jam turbis ad Jordanis ripas inculcabat, ut ſe per pœnitentiam vitæ ſuperioris Meſſiæ mox venturo præpararent, & ſalutem allaturo ſe præberent ſanabiles. Sanabilis autem eſt, qui morbum ſuum agnoſcit & odit; jam enim inſtare adeo & in proximo eſſe regnum cœlorum, feliciſſimum quidem illud & exoptabile, ſed in quod non pateret aditus, niſi puris ab his terrenis ſor-
6 dibus. Ad hanc vocem, in typum mox abolendarum animi ſordium, plurimi tingebantur in flumi-
Confitentes peccata. ne Jordanis, damnantes ipſi vitam priorem, ac palam agnoſcentes ſua commiſſa. Sic enim viſum ſapientiæ divinæ, ut Joannes, qui erat confinium

A Moſaicæ Legis jam deſituræ, & Euangelicæ gratiæ jam adventantis, hoc ſigno præluderet, non ad abolenda peccata, quod proprie Chriſto ſervabatur, ſed ad præparandos hominum animos, quo capaciores eſſent beneficii mox ſecuturi. Id factum eſt Tiberio Cæſare annum jam decimum quintum moderante Romanum Imperium, Pontio Pilato hujus nomine procurante Judæam: Herode defuncti fratre; Tetrarcha Galilææ, in qua commorabatur Chriſtus, & hujus fratre Philippo Tetrarcha Iturææ, & Trachonitidis regionis, Liſania Abilinæ Tetrarcha: Sacerdotalis ordinis primas tenentibus Anna & Cajapha. Itaque Judæorum regione in tot Principes diſtracta, prodiit ille, qui cuncta vocaret ad unius
B Principis ditionem. Ac primò quidem confluentibus 7
ad ſe turbis, cum conſpiceret Joannes non parum multos Phariſæos & Sadducæos venire ad Baptiſmum, nec ignoraret, quam hoc hominum genus eſſet elatum, ferox ac ſibi placens, ob inſignem, ut putabant, Moſaicæ Legis obſervationem, & Patriarcharum merita, à quibus ſe gloriabantur oriundos: nam hi velut invidentes & inſidias ſtruentes Baptiſmo Joannis tam celebri, ſubdolam legationem ad illum miſerant in Bethaniam *, ſiquidem ibi tum baptizabat Joannes, percunctantes, num ipſe eſſet Chriſtus; ſi eſſet, mox objecturi, quod Chriſtus promiſſus eſſet de Tribu Juda, cum conſtaret Joannem eſſe Leviticæ Tribus.
C Porro cum Joannes ingenue faſſus eſſet ſe non eſſe Chriſtum, ac ne Prophetam quidem aliquem ex priſcis illis, quos illi redituros in mundum ſuſpicabantur, rogare pergunt, qua fronte per Baptiſmum polliceretur remiſſionem peccatorum, quod proprie Chriſto ſervabatur. Reſpondit plurimum intereſſe inter ſuum Baptiſmum, quo tantum invitaret ad reſipiſcentiam ac pœnitudinem vitæ prioris, & Chriſti Baptiſmum mox ſecuturum, quo condonarentur omnia peccata. Ex hoc igitur hominum genere cum multos videret cum reliquis ad Baptiſmum accurrere, acrioribus verbis mordet illorum conſcientias, quo magis ad pœnitentiam commoverentur. Aſtu-
Progenies viperarum.
D tum, inquit, ac malitioſum hominum genus, plane non hominum, ſed viperarum progenies, majorum interfectores, inſidioſi, malæque mentis in omnes, cum hactenus vos apud homines ſic jactaveritis titulo patrum opinione ſanctimoniæ probatorum, falſaque ſpecie juſtitiæ, atque ita ſupine regnaveritis, quaſi Meſſias nunquam eſſet venturus, quis vos ſubmonuit inſtare ſupplicium inevitabile, niſi ad pœnitentiæ remedium cum cæteris confugiſſetis, ut nunc cum his cupiatis baptizari, veluti peccatores, inter quos admirabilem quandam ſanctimoniæ ſpeciem præ vobis ferebatis? Senſiſtis inanem 8
fore fiduciam veſtram, ni jam imminenti divinæ ul-
E tioni vos ſubduxiſſetis ſuffugio pœnitentiæ. Neque enim patrum merita, neque Legis obſervatio liberat ab æterno ſupplicio, ſed ſua quemque vitæ ſinceritas commendat Deo. Poſteaquam igitur pœnitet vos vitæ prioris, poſthac ſic fructificate piis affectibus, & factis, ut teſtentur vos vere reſipuiſſe. Hactenus ob craſſitudinem hominum, nonnihil indultum eſt figuris & umbris, ut his cancellis circumſepta mortalium ad mala proclivitas coerceretur, ne poſſet in deteriora prolabi: hactenus dilatatis phylacteriis, in longum productis precibus, lotionibus, crebra mentione patris Abrahæ ſanctiſſimi Patriarchæ, exſtruendis monumentis Prophetarum, quorum poſteri
F vultis videri, paraſtis vobis apud homines aliquam ſanctimoniæ ſpeciem. Poſthac quoniam ad lucem Euangelicam evaneſcent umbræ, veris agendum erit, ſi velitis aſſequi ſalutem æternam. Pro priſtinis peccatis jam non exigitur à vobis holocauſtum, aut ſanguis pecudis, tantum adſit pœnitentia non fucata,

* Sic juxta Vulgatam, Joh. 1. 28. at in Textu Græco habetur *Bethabara*, & ita legitur in alia Editione.

Digitized by Google

ta, culpam ipſe gratis condonabit. Porro qui ſunt fructus veræ pœnitentiæ, Meſſias ipſe vos docebit,
9 ſi dociles repererit. Interim ponite vanam fiduciam, neque vobis ipſis ſic blandiamini, *Sancti ſumus, è ſancto patre prognati Abraham.* Abraham juſtus nihil proderit ex ſe prognatis, niſi laudatam illius fidem & obedientiam imitentur. Abrahæ promiſſa eſt benedictio, quæ nunc inſtat. Sed ad hanc obtinendam non ſatis eſt generis quamlibet arcta propinquitas. Quicunque diffiſi Deo mundi hujus præſidiis nituntur, exciderunt à cognatione Abrahæ. Et poſthac Abrahæ poſteri non è ſanguinis affinitate, ſed è fidei ſinceritate cenſebuntur. Nec ideo deſiderabit Deus poſteritatem Abrahæ, cui promiſſam benedictionem perſolvat, ſi vos ab Abrahæ moribus deſciveritis. Imo illud habete certum, ſi vos neglexeritis oblatam gratiam, Deum vel ex hiſce lapidibus poſſe ſuſcitare filios ſuo amico Abrahæ vobis longe potiores. Nec eſt quod hactenus dilatus Meſſiæ adventus vos reddat negligentes. Nam nunc urget extremum periculum, in acie novaculæ res omnis ſita eſt. Aut ſinceris animis adeundum eſt regnum cœlorum, aut accipiendum ſupplicium æternum. Adeſt præſens ſalus amplectentibus, adeſt pœna præſens & exitium immedicabile reſpuentibus. Jam enim ſecuris admo-
10 ta eſt arbori, non ramis aut trunco, ſed radicibus, funditus & irreparabili vulnere ſucciſura, ni fœtus Deo dignos produxerit. Diſcrimen imminens, & urgens, nullam admittit ceſſationem. Properandum eſt amputatis omnibus remoris. Adhuc vobis in manu eſt utrum velitis amplecti. Non feriet ſecuris, ſi vos ſubito mentem mutaveritis. In arbore naturali longum ac difficillimum eſt mutare ſuccum, unde fœtus ſaporem ducat. Hic ſola voluntate res peracta eſt. Sed ut accelerantibus communis eſt ſalus, ita ceſſantibus commune eſt periculum. Neminem neque opes, neque generis nobilitas, neque ſapientia liberabit poſthac, quemadmodum hactenus ſibi plerique perſuaſerant. Omnis arbor, quæ non attulerit fructum, non dico qualemcunque, ſed inſigniter bonum ac dignum regno cœlorum, exciditur, & in ignem conjicitur. Hactenus tulit Deus ac diſſimulavit ſegnitiem hominum. Error & ignorantia nonnihil veniæ promerebantur. Ad naturæ Legem obſurduerat genus humanum, Moſi Lege non ita multum eſt profectum. Contemtæ ſunt Prophetarum minæ, non audita ſunt ſomnia. Nunc is adeſt poſt quem nemo mittendus eſt. Cujus adventus ne quem opprimat, ego prænuncius ſum. Si vos veſtri pœnituerit, ſi morbum agnoveritis, ſi medicum ardentibus votis exceperitis, aderit ille vobis omnibus ſalutaris.
11 Nec enim ipſe ſum ille quem exſpectatis. Baptizo quidem vos, ſed in hoc tantum, ut reſipiſcentes, illi vos præbeatis dociles ac ſanabiles ubi venerit. Mox enim aderit, imo jam adeſt, qui ut me poſterior eſt in ordine prædicandi, ita tanto me eſt modis omnibus ſuperior, ut ego, quem vos aliquid eſſe creditis, prorſus indignus ſim, qui mancipium apud illum agam, hoc eſt, ut vel calceamenta illi bajulem, aut calceamentorum corrigiam ſolvam. Ego nihil aliud ſum quam præco, fidelis quidem, & officio fungens, quod mihi juxta Prophetæ vaticinium Deus injunxit. Ille auctor eſt, & omnem poteſtatem ſecum adfert, ſeu peccata condonandi, ſeu virtutum omne genus conferendi. Ad illius doctrinam, ad illius Baptiſmum omnes accurrite, ſiquidem ille vos baptizabit efficaci Baptiſmo, non aqua tantum, ſed ſpiritu & igni. Spiritu vos transformabit, igni rapiet ad cœleſtia. A vobis nihil exiget niſi ſinceram, minimeque fucatam pœnitudinem. Gratis vobis conferet ſua bona, ſi vobis ex animo diſplicuerint veſtra mala.
12 Tantum abſit fucus, apud illum nihil valiturus. Nihil illum latet, neminem metuit. Severo & inevitabili judicio res agetur. Poſthac nihil erit medium, aut ingenue boni ſitis oportet, aut ingenue mali. Nihil ille morabitur perſonatam ſanctimoniam. Habet ventilabrum in manu ſua, perſpicit etiam intimos receſſus animorum. Apud hunc aut paleæ ſitis oportet, aut purum triticum; ſed interim utrum eſſe velitis, vobis partim in manu eſſe voluit. Fruſtra latebunt inter ſincera grana permixtæ paleæ. Exacte purgabit ille aream ſuam, ac triticum recondet in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inexſtinguibili. Aut igitur toto pectore conandum eſt ad ſummam virtutem, ut mereamini recipi in regnum æternum; aut ſi Dei bonitatem, quæ nunc offertur, adſpernati fueritis, hoc ipſo peſſimi ſitis oportet, quod tantam ſalutem ultro delatam rejicitis, meritoque veſtro, pro cœleſti præmio æternis gehennæ incendiis addicamini. His ſanctiſſimi viri vocibus adeo commoti ſunt populares animi, ut complures, qui hactenus Legis obſervatione nixi fuerant, metu trepidi venerint ad eum, dicentes: Si res ſic habet, quid igitur cenſes nobis faciendum? At ille eos non ad Legis ceremonias & hominum conſtitutiunculas, quemadmodum ſolent Phariſæi, ſed ad officia charitatis hortabatur, dicens: Prima via placandi Deum, eſt beneficentia gratuita in proximum. Qui veſtitu abundat, impartiat nudo, qui cibis abundat, communicet famelico. Accedebant & Publicani, quod hominum genus abominantur Judæi, quod fere vel in gratiam Principum, vel ad explendam avaritiam ſuam, populum expilare ſoleant. Rogant pavidi quid ſibi cenſeat agendum. Nec hos ille rejicit à Baptiſmo, nec his rurſus indicit, ut ſua largirentur, quibus jam diu ſolenne erat aliena rapere, ſed ut aliquo gradu propius accederent ad perfectam Chriſti doctrinam, edicit ne quid exigant à populo præter id, quod à Principe præſcriptum ſit. Denique venerunt & milites violentum & infame genus hominum. Nec hos à ſe ſubmovet, ſatis ipſa re loquens Judæis Chriſtum nullum omnino genus hominum adſpernaturum. Nihil hi confitentur, ſiquidem hoc ipſum militem profiteri, eſt malorum lernam confiteri. Rogant quid ſibi quoque det conſilii. At ille tam rudes magis docet, quid ſit vitandum, quo minus eſſent mali, quam quid agendum, ut fierent abſolute boni. Ne abutamini, inquit, armis veſtris, quæ nonniſi in hoſtes, idque imperatoris juſſu, movenda ſunt; ne quem per vim pulſetis, aut concutiatis, cum in hoc conducti ſitis, ut veſtra opera ſit tranquilla provincia; neve abutamini veſtra cum præſidibus familiaritate, falſo quempiam deferentes per calumniam, ut hinc turpe lucrum ad vos redeat. Poſtremo contenti ſtipendiis veſtris, neminem fraudetis aut ſpolietis. Siquidem in hoc dantur à Principe ſalaria, ne ſit aliena rapiendi neceſſitas. Sic ille levioribus præceptis, ut erat cujuſque capacitas, omnes Chriſto venturo præparabat, ſpiritu prævidens Chriſtum, quem oculis corporeis nondum viderat. Itaque rumore variis modis per Angelos, per paſtores, per Magos, per Herodis crudelem ſollicitudinem, per Zachariæ prophetiam, per Simeonem, per Annam, paulatim & clanculum, ſed multo maxime per apertum, ſummaque cum auctoritate conjunctum Joannis præconium, jam late ſparſo, in dieſque gliſcente, ſic ut mali quoque metu territi, ſeſe ad denunciatum Chriſti adventum componerent, nimirum tempus erat, ut ipſe prodiret in Theatrum mundi, non jam alieno teſtimonio, ſed ſuis ipſius virtutibus ſeſe declaraturus, qualis & quantus eſſet, & obſcuraturus omnes homines, quorum teſtimonio fuerat ante commendatus. Reliquit igitur Jeſus Galilæam, in qua hactenus
13 latuerat, & Patris negotium acturus, maternam deſerit Nazareth, ad Jordanem properat, ubi confertiſſimam turbam è diverſis Judææ regionibus conflatam teſtem haberet eorum quæ dicerentur, ac gererentur. Per medias peccatorum turmas, is qui ſolus omnium nulla peccati labe contactus fuerat, imo qui

Filii ſumus Abrahæ.

Jam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt.

Ego quidem baptizo vos.

Tunc venit Jeſus à Galilæa in Jordanem.

Digitized by Google

qui ſolus tolleret peccata mundi, velut peccator adit Joannem; baptiſmum ab illo flagitat, qui ſolus ba-
14 ptiſmum omnem ſanctificat. Joannes nondum plane certus, quod Jeſus eſſet ſummus ille Meſſias Filius Dei, ſed tamen admirabilem probitatem, ipſis oculis, totoque vultu & inceſſu ſeſe exſerentem, animadvertens, excuſat præpoſterum officium, nullo interim certo elogio dignitatem illius honorans. Tantum, inquit, par erat, ut ego, qui tuis virtutibus longe ſum inferior; abs te baptiſmum flagitarem. Et unde factum eſt, ut teipſum uſque adeo demittas, ut à me tingi poſtules; cum nemo purior ab omnibus peccatis? Hæc ita geſta ſunt, diſpenſante Deo, ut & admirabilis Chriſti modeſtiæ nobis pararetur exemplum, & Joannis teſtimonio conſtaret omnibus, Chriſtum haudquaquam ullius mali ſibi conſcium poſtulaſſe baptiſmum. Sic enim baptizatus eſt, ut circumciſus, ut purificatus in templo cum matre, ut flagellatus, ut crucifixus. Nobis hæc
15 omnia paſſus eſt, non ſibi. Proinde cum Joannes conſtanter teſtificans ſuam indignitatem, Jeſuque dignitatem efferens, recuſaret baptiſtæ officium: Chriſtus nulla quidem ſuſpicione ſiniſtra polluit innocentiam ſuam, quam omnibus notam ac perſuaſam eſſe oportuit: Hujus, inquit, negotii partes ſuum quæque tempus habent. Tu patere interim, *Sic nos decet implere omnem juſtitiam.* ut abs te baptiſmum impetrem, ne putes indecorum tibi, ſi tingas te, ut ais, meliorem; mihi certe decorum eſt, ut qui omnes ad me pertrahere cupio, omnem impleam juſtitiam. Etenim qui docet omnes, & qui perfecta docet, eum non oportet committere, ut aliqua vel minima injuſtitiæ ſpecies in ipſius moribus hæreat. Omnibus omnia fiam oportet, ut omnes Patri lucrifaciam. His auditis, Joannes cum *Baptizatus autem Jeſus.* Jeſu deſcendit in Jordanem, ac tinxit eum. Ac ſpecies quidem exemplum habet ſalutare in Chriſto modeſtiæ, in Joanne obedientiæ, cæterum res atque effectus plane præpoſtere ceſſit. Siquidem nos conſecrat baptiſmus, ille baptiſmum conſecravit ſa-
16 cro ſui corporis contactu. Simul autem ut oſtenderet quid nobis agendum eſſet à baptiſmo, & quanta felicitas daretur per baptiſmum, Jeſus alacer ac properans, veluti depoſita peccatorum ſarcina, egreſſus ab aqua, docens in lotionibus non eſſe commorandum, nec ad eas ſubinde redeundum; iteratis peccatis, ſed ſemel abjectis ac ſepultis in baptiſmo commiſſis vitæ prioris, ad ſpiritualis vitæ munia feſtinandum, compoſitis genibus, & ſublatis in cœlum manibus, deprecatus eſt Patrem, ut hoc negotium ſervandi genus humanum, quod aggrederetur, omnibus felix ac fauſtum eſſe vellet, iſque ſua paterna auctoritate commendaret Filium ſuum orbi, ne parum gravis eſſet Joannis auctoritas, quanquam hoc quoque pro tempore profuit craſſis ac rudibus. Et ecce palam teſte tanta hominum multitudine Pater aſſeruit auctoritatem Filio ſuo. Cœli diffiſi, prodigioſam quandam lucem oſtenderunt: quin & Joannes conſpexit Spiritum cœleſtem, viſibili ſpecie columbæ, delabi è cœlo & ſacro illius vertici inſidentem. Unde columba venerat, oculis conſpicua, in-
17 de venit & vox paterna, auribus omnium inſonans: Hic, inquiens, eſt ille Filius meus unice dilectus, delicium animi mei, & in quo mihi ſingulariter placeo; ipſum audite, meæ mentis interpretem, & meæ bonitatis erga vos diſpenſatorem. Quoniam autem Jeſus id temporis adhuc ignotus erat multitudini, quæ de Joanne magnifice ſentiebat, ne vox, quæ è ſublimi miſſa, neminem certo deſignabat ſenſibus, putaretur ad Joannem pertinere: idcirco additum eſt cœleſtis columbæ viſibile ſignum, quæ capiti inſidens ceu digito demonſtraret omnibus, ad quem ea vox pertineret. Quo quidem ſigno & ipſe Joannes jam plene certoque monitus eſt, illum eſſe Filium Dei. Quod poſt palam teſtificatus eſt, hoc ſignum & ante ſibi promiſſum à Patre fuiſſe; quo

A citra dubitationem in tanta hominum turba dignoſceret illum, qui baptizaturus eſſet omnes Spiritu & igni. Atque his ceremoniis Dominus Jeſus declaratus & conſecratus eſt magiſter noſter, cujus Theologiam quiſquis ſequetur, is vere beatus erit.

CAP. IV.

Damona ter vicit: lux magna eſt orta: vocantur
Bis duo: morborum pellitur omne genus.

Ac ne his quidem jactis exordiis ſtatim proſilit 1
ad prædicandum, licet cœlitus auctoritate tradita, ſed ſubitò à turbarum oculis ſubducit ſeſe in ſolitudinem, quod ſeceſſus à populi commercio, &
B auget auctoritatem, & acuit deſiderium. Eos autem potiſſimum aggreditur Spiritus ille inſtigator malorum, qui relictis mundi cupiditatibus, puram ac cœleſtem vitam meditantur. Hoc igitur tacite nos docens Jeſus petit ſolitudinem: idque facit non hortatu cujuſquam, ſed ſuo ipſius Spiritu. Nam qui baptizatus eſt, jam exſuit affectus carnales, & factus regeneratione ſpiritualis, Spiritus S. ducitur & agitur arbitrio. Non meminit Bethlehem, non repetit Nazareth, non redit ad matrem aut nutricium, ſed impetu raptuque Spiritus, veterum Prophetarum exemplo, nemorum deſerta petit. Vegetat animum tyronis Chriſtiani ſeceſſus, & aliquoties tutius
C eſt ſe feris committere quam hominibus. Baptiſmus aufert omnia delicta vitæ ſuperioris, ſed ob hoc nemo tutus eſt ab inſidiis Satanæ, qui ſocorditer agit. Alioqui pravæ cupiditates meditantur repullulascere, præſertim in rudibus, & nuper initiatis Chriſto: & improbus ille Satanas, tam invidus humanæ ſalutis, quam Chriſtus eſt avidus, miris cuniculis & inſidiis ſollicitat ad defectionem, ut majore tyrannide poſſideat relapſum, quam antea poſſederat ſuum. Adverſus hæc pericula Chriſtus demonſtrat tribus potiſſimum rebus occurrendum, crebris ac puris precationibus, fuga turbæ, fuga luxus, & abſtinentia, non ſine diligenti meditatione divinarum Scripturarum, ne perniciem adferat ignava ſolitudo. Et quoniam arduam hanc & angelicam vitam molientibus, potiſſimum Diabolus ſolet inſidias ſtruere, Chriſtus ipſe, velut optimus Doctor progreſſus in palæſtram, ſuos athletas docuit, quibus modis ſuperandus ſit ille malitioſus & callidus veterator, quanque nihil poſſit adverſus ſobrios ac vigilantes, totoque pectore fidentes Scripturis divinis. Quin & hoc interim agebat Dominus Jeſus, ut ita paulatim hoc myſterium innoteſceret mundo, ut Satanas, qui non ob aliud certum ſcire cupiebat, num hic eſſet Filius Dei, quem audierat hoc titulo à Patre honoratum, niſi ut redemtionem humani
E generis impediret, ſic in ancipiti teneretur, ut non ante certo noſſet hunc eſſe Meſſiam, quam ſuam tyrannidem ſubverſam cerneret. Simul & illud nos commonefacit Chriſtus, neminem idoneum ad Euangelicam prædicationem, niſi qui jam ſui periculo facto, firmus ſit & validus adverſus omnes mundanas cupiditates, luxum, & hujus comites, libidinem, ambitionem, avaritiam, & his conſimiles animi morbos, quibus hoſtis ſimplicium animos velut arietibus pulſat, quatitque. Cum igitur Chriſtus ine-
F diam ad quadrageſimum uſque diem produxiſſet, 2
Danielem, Heliam, ac Moſen referens, quod ſic erat ſupra vires humanas, ut tamen ab hominibus factum Judæi crederent, tandem ut manifeſtam humanæ imbecillitatis ſpeciem daret, non diſſimulavit ſe famis moleſtiam ſentire. Siquidem juxta communem humani corporis naturam, humoris inopia ſtomachum moleſto ſenſu cruciabat. Id ubi ſenſit inſidioſus ille tentator, ac jam prope nihil aliud quam hominem ſuſpicans, licet admirabilem, hamum projicit inanis gloriæ illecebra ineſcatum, quod hinc maxime capiantur, qui videntur ad ſumma tendere: Si Filius, inquit, es Dei, quid opus eſt te fame cruciari?

Et cum jejunaſſet quadraginta noctibus poſt eſuriit.

Digitized by Google

4 Dic potius, ut hi lapides tibi vertantur in panes. Nutu tibi potes præstare quod desideras. Agnoscas eundem esse captatorem, qui primum illum Adam escæ lenocinio pellexit in mortem; sed posterior Adam, Spiritu cæleſtis, dolosum insidiatorem sic eluſit Christus, ut nec nomen filii Dei recusaret, nec se fame vinci posse, ut hominem quemlibet, demonstraret. Etenim ne sibi vindicaret auctoritatem responsi, no-
Deut. 8. tissimam illi scripturam objicit: *Scriptum est*, inquiens, in Deuteronomio, *Non ex solo pane victurus est homo, sed ex omni sermone qui proficiscitur ex ore*
5 *Dei.* Elusus ancipiti responso, jam & ipse Sacræ Scripturæ verbis abutitur ad lædendum: & quemadmodum principem humani generis parentem, ambitionis esca deceperat, pollicens illi æqualem cum diis honorem & immortalitatem; simili machina Dominum impetens, sustulit illum Diabolus in sanctam civitatem, & impositum summo templi pin-
6 naculo hortatus est, ut si vere Filius Dei esset, è sublimi se præcipitem daret, id illi impune fore, quandoquidem ita promisisset ipse Deus in Psalmo
Psal. 90. mystico: *Angelis suis mandaturus est de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem*
7 *tuum.* At Dominus Jesus oppositа Scriptura tacite docet, quam ille perverse torqueret Sacræ Scriptu-
Deut. 6. ræ sensum: *E diverso*, inquit, *scriptum est* in Deuteronomio, *non tentabis Dominum Deum tuum.* Siquidem ad hoc hortatur Scriptura, ut in necessitatibus ingruentibus bene speremus, auxilio divino freti, non ut temere nosmetipsos in periculum præcipitemus. Piorum miracula non probantur accersendis periculis, sed depellendis quæ aliunde acciderint. Nec enim pium est quenquam in flumen præcipitare, ut eo liberato vir magnus appareas, sed eum, qui casu delapsus sit, eripere. Nec quavis de causa, nec apud quosvis sunt edenda miracula. Apud Herodem, cupidum harum rerum, ne loqui quidem dignatus est Jesus, tantum abest, ut in gratiam Satanæ virtutis divinæ specimen edere voluerit. Quoties id suadet afflata caritas, quoties id postulat gloria Dei, tum exserenda est vis numinis.
8 Jam quo suos doceret Christus, ne post unam aut alteram victoriam securitati se traderent, sed semper in excubiis agentes, sese præberent paratos ad omnes Satanæ assultus, tertio passus est tentatoris improbitatem; qui sicuti priorem illum Adam ceperat esca curiositatis & avaritiæ, pollicens illi boni malique scientiam, & posteriorem aggreditur, & à templi pinnaculo sublatum, in montem quendam vehementer editum abduxit, unde liber undique & late patens prospectus subjiceret oculis omnia regna mundi, & admirandam cujusque gloriam, strepitumque. Nimirum expertus erat, in cæteris hominibus nihil esse tam impium ac ne-
9 farium, quod imperii causa non auderent. Porro quum Deus sit omnium rerum auctor & conditor, quæ in cœlis sunt ac terris, nec in his ullum jus habeat Diabolus, nisi si quid ab ipso vitiatum est, tamen perinde quasi dominus omnium, sic audet improbus loqui Christo: *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me.* O cæcam impietatem! pollicetur aliena, & præmium petit sceleratus spiritus,
10 soli Deo congruens. At Jesus, qui hactenus suam contumeliam moderate tulit, non fert Patris ignominiam: *Abi*, inquit, *Satana*, longe aliud docet divina Scriptura, quam tu suades. Illa ait, *Domi-*
11 *num Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* His atque aliis modis quum tentasset eum Diabolus, semper expertus athletam invictum adversus omnes machinas, tandem reliquit eum: bis sua spe frustratus, primum quod sensisset insuperabilem, deinde quod cum expiscatum venisset, num esset Filius Dei, aliquanto incertior dimitteretur quam venerat. Hunc conflictum tametsi Deo duntaxat & Angelis testibus gestum, post suis ignotum esse noluit

A Dominus Jesus, ne nesciremus cum quam improbo hoste nobis res esset, & quibus auctoramentis ille sollicitaret incautos animos, non ut desperaremus, sed ut vigilaremus. Vicit illum Christus, ut nobis ostenderet vinci posse, & vincendi rationem docuit. Denique nobis vicit non sibi, per nos eundem victurus, si modo promerebimur illum nobis habere præsentem. Audiet & à Christo per nos, *Abi*, *Satana*, metuetque famulos ejus, à quo victus est. Porro quemadmodum in humana militia vices rerum sunt, & labores otio, dura jucundis recreantur, & post diros conflictus celebrantur epinicia; ita in Christi militia semper aspera lætorum
B vicissitudine mitigantur. Post toleratam impuri spiritus improbitatem, mox adsunt Angeli & Christo victori subserviunt. Hæc videlicet rerum imago *Et ecce Angeli accesserunt & ministrabant ei.*
nos docet, ut in rebus tristibus spe lætiorum fulciamus animum, Dei bonitate freti, qui sic moderatur omnia, ut vicissim & rebus asperis exerceat, probetque militum suorum fortitudinem, & rursus solatio quopiam invitet ad gratulationem, & gratiarum actionem, qui Christianorum triumphus est, qui & in afflictionibus invicti sunt præsidio Dei, & si quid prosperitatis affulserit, id totum adscribunt bonitati, munificentiæque divinæ. Ita fit, ut nec
C sæviente fortuna dejiciantur animo, nec rebus prosperioribus insolescant.

Quum igitur Christo satis esset conciliatum auc- 12
toritatis & opinionis, præsertim quum Joannes illum veluti tradens & commendans suis discipulis, digito demonstraret ac diceret: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, cum superato Diabolo, totus afflatus esset Spiritu Sancto, nihil restabat, nisi ut auspicandæ prædicationi tempus ac locus sumeretur. Joannes nullum ediderat miraculum, sola pœnitentiæ prædicatione contentus: Christus illo prædicante siluit, ne quid dissidii nasceretur inter utriusque discipulos, ut adhuc erant rudes, & car-
D nem sapientes, humanis affectibus obnoxii. Porro boni doctoris est, sese ad captum eorum, quos instituit, demittere. Verum, tum demum aggre- *Audiens autem Jesus quod Joannes traditus esset.*
ditur docendi negotium, ubi rumor vulgasset, Joannem ab Herode Tetrarcha fuisse conjectum in vincula, nimirum ferentem præmium quod solent, qui apud hujus mundi Principes audent liberius admonere, maluntque salutaria dicere quam jucunda. Admonuerat enim Tetrarcham de incesto conjugio, quo sibi Philippi fratris uxorem adjunctam habebat. Et gaudent nonnunquam etiam mali Prin-
E cipes habere domi viros insigni probitatis opinione celebres & commendatos, non ut horum consiliis obtemperent, sed ut quod agunt ex animo suo, ex horum consiliis agere videantur apud ignaram plebem. Atque in aliis quidem rebus levioribus frequenter illius monitis paruerat, hic ubi præcipue conveniebat obtemperare, ad impuræ saltaticulæ libidinem, & turpissimæ matris affectum, virum optimum in carcerem detruserat, ac deinde crudelissima nece tanti viri, convivium suum natalitium, & procerum suorum oculos, funestavit. Hoc igitur cum audisset Jesus, non quod me- 13
tueret ipse, sed uti doceret suos, non esse ultro accersendum periculum, si liceat vitare commo-
F de, sed quoties oppressit, fortiter esse negligendum: relicta Nazareth secessit in Galilæam Gentium, in qua Solomon viginti quinque civitates donavit Hiræ Regi Tyriorum, & contulit se in civitatem Capernaum, ob hoc dictam maritimam, quod finitima sit stagno Genezareth, in finibus Zabulon & Nephtalim, videlicet duarum Tribuum, in quarum priore est Galilæa, in altera Galilæa Gentium cognominata: Christo jam tum sub hac imagine, ceu minitante fore, ut Judæis respuentibus & affligentibus Euangelii præcones, ad Gentes Euangelium deferretur. Ac ne quis hoc for- 14
tui-

Digitized by Google

tuito sic usû veniſſe putet, sic fore jam olim prædixerat Esaias, cum fatidico afflatus spiritu canebat: *In terra Zabulon & terra Nephtalim, quæ finitima est littori marino, in Galilæa quæ dicitur gentium, populus qui antehac habitabat in tenebris, vidit lucem magnam & admirabilem, & iis, qui ante versabantur in densissima caligine, qualis est apud inferos, exorta lux est.* Itaque quod ad tempus attinet, ubi desiit Joannes, incipit Christus. Siquidem ad Euangelii clarissimam lucem evanescunt umbræ Legis Mosaicæ. Hoc quod attinet ad Legis typos & expressam Euangelio veritatem: ceterum quod ad locum pertinet, ad primam afflictionem sancti præconis, ad Gentium nomen itur, & lux, quam Judæi, cupiditatibus excæcati, ferre non poterant, ad Gentes idololatras demigratura pingitur, sed sic, ut à confinio non recedatur, ut utrinque possit audiri tuba vocis Euangelicæ. Quanquam & alioqui non inutile theatrum erat ea regio, propter commoditatem portuum, & aliquot celebres civitates in littore sitas, quæ ob commercia negotiationum à longinquis etiam frequentabantur.

Esaiæ 9. 15 16

17 Nunc exordium prædicationis audiamus. Ut Joanni succesſit, ne ab se alienaret, quos illius admiratio jam totos occuparat, à nota & familiari illius doctrina rem auspicatur, lactans interim infirmos, ut post solidum illis cibum proferat jam firmioribus. Hic nimirum est ordo Doctorum, qui malunt prodesse auditoribus, quam semet apud alios ostentare. Est autem Christi prædicatio non solum mitior quam Joannis; (nulla enim hic securis, aut ventilabri, aut ignis nunquam exstinguendi mentio) verum multis beneficiis in omnes citra discrimen accurrentes commendata. Clamat igitur & Jesus, veluti Joannem referens, *Respiscite*, pœniteat vos vitæ prioris: jam enim instat regnum cœlorum, quod cum nulli sit claudendum, nullis tamen patebit, nisi puris, & cœlestia quærentibus, & quicquid est terrenarum cupiditatum amputantibus. Quid hac Philosophia simplicius? Sua cuique mala displiceant, & gratis adsunt omnibus bona cœlestia. Jam verò tempus erat, ut ipse quoque Jesus chorum aliquem discipulorum colligeret, quos familiares haberet testes omnium quæ faceret ac diceret, & per quos alios deinceps doceret. Sed adverte quales sibi delegerit, non Philosophos, non Pharisæos, non Sacerdotes, non opulentos: noluit enim Euangelii gloriam ullis mundi præsidiis inquinari. Sed cum ambularet juxta lacum, quem diximus esse in confinio utriusque Galilææ, conspexit duos fratres germanos, quorum alteri nomen erat Simon, qui idem dictus est Petrus, alteri nomen Andreas; patri nomen erat Joannes. Hi prius audito Joanne, ejus hortatu sequi cœperunt Jesum. Sed utroque relicto redierant ad artem, qua soliti sunt sibi parare cibum. Jamque satagebant in suo negotio, mittentes rete in lacum. Ominis erat boni, primum juventus novæ doctrinæ capacior, deinde fratrum concordia sese mutuo studio juvantium; ad hæc ars innoxia, è publico lacu tenuem victum parans; denique piscatio ipsa novæ piscationis admonebat, non quæ lineis textis captaret pisces in cibum ventris, sed quæ reti sermonis Euangelici captatet homines immersos terrenis curis ad desiderium vitæ cœlestis. Itaque corporis intentos necessitati Jesus interpellans: Me, inquit, sequamini, & à me discetis artem, certe meliorem, quam à patre didiciſtis. Nec artem tamen deseretis, sed in melius commutabitis; siquidem efficiam posthac ut sitis piscatores hominum, ut qui nunc piscículis insidiamini in perniciem, homines capiatis in salutem æternam. Agnoverunt vocem ejus, cui aliquando crediderant, & cujus humanitatem domestico colloquio fuerant experti, sed addita voci energia perfecit, ut protinus ad vocem vocantis, non solum obliviscerentur piscium, verum etiam retia, ut erant, relinquerent inibi, ac ne domesticis quidem salutatis, Jesum (ut illic ambulabat) sequerentur. Nihil adhuc præclari viderant in Jesu, & tamen nihil cunctati, nec solliciti unde victus in posterum suppeteret, simplici verbo vocanti sese adjungunt comites, ne morte quidem divellendi.

Exinde cœpit Jesus prædicare.

Venite post me & faciam vos, &c.

Hinc aliquantulum progressus Jesus, conspicatus est alios duos fratres, Jacobum & Joannem filios Zebedæi: magis etiam placuit fratrum & patris concordia. Omnes eadem habebat scapha, rem eandem molientes, nimirum, quod Petrus & Andreas. Sed his in mora erant rupta longo usu retia, tenuitatis argumentum. In his igitur reconcinnandis ac farciendis vehementer intentos, interpellavit Jesus, velut obiter præteriens, jussitque uti sese sequerentur. Nec mora, simplicissimæ fiduciæ juvenes, illico relictis retibus, ac ne patris quidem memores, Jesu comitatui sese adjungunt. Sic illos formaverat Joannis prædicatio, sic merebatur animi promtitudo, sic illos attraxit afflatus Christi, qui totus spirabat cœleste Numen, quo plenus erat. Videtis exordia nostræ Philosophiæ, per quam visum est Deo servare genus humanum universum. Videtis pompam ac strepitum Euangelicæ scholæ. Pauculis hisce piscatoribus idiotis, plebejis, & pauperculis, comitatus pauper ipse Jesus obambulabat per totam Galilæam, non jam in angulis aut in deserto, sed in frequentibus illorum Synagogis, prædicans, & annuncians adesse jam olim promissum regnum cœlorum, non territans metu gehennæ, quemadmodum fecerat Joannes, sed beneficiis gratuitis invitans & alliciens omnes. Etenim quocunque sese conferebat, gratis & citra discrimen medebatur omnibus omnium morbis; neque repellens quenquam, quamlibet humilem ac plebejum, & eadem facilitate profligans omnem morbum, quantumvis insanabilem; quo simul & miraculis potentiam suam declararet, humana majorem, & beneficentia gratuita sibi conciliaret amorem omnium: libentius enim illi credimus, quem amamus. Porro beneficiis conciliantur & feræ. Nullum autem beneficium divinius, quam gratis restitutæ sanitatis. His rebus factum est, ut rumore per omnem Syriam sparso, plures etiam è longinquo deportarent suos, variis morbis & cruciatibus obnoxios, ad hæc dæmoniacos, lunaticos, & paralyticos, quos medici fere aut non suscipiunt curandos, aut frustra curare solent: nimirum artem superante malo. At Jesus non humanis pharmacis, sed virtute cœlesti, qua poterat & mortuos excitare, nullo negotio sanabat omnes. Parum erat illi tollere morbos corporum, qui tollebat morbos animorum. Minimum erat illi remorari vitam corporis, qui venerat omnibus largiturus vitam æternam. Confluxit igitur hinc atque hinc ingens hominum turba, non solum è Galilæa Gentium, in qua versabatur, verum etiam ex altera Galilæa, quæ erat ultra lacum, & regione quæ ob decem civitates, quas complectitur, Decapolis dicta est. Item ex Hierosolymis, reliquaque Judæa, ac locis ultra Jordanem sitis. Ad beneficium affluunt omnes cum est opus. Novitatis admiratione plerique ducuntur. Nonnullos trahebat livor, & insidiandi libido. Omnes, quod quidem in ipso est, attrahit Jesus, sed pauci sunt idonei cœlesti Philosophiæ, cujus tradendæ gratia potissimum venerat. Populum cura corporis movet, qui gaudet novis spectaculis oculos pascere. Sed hujusmodi theatro non admodum delectatur is, qui perfecta quærit, longeque semota ab affectibus popularibus.

Et circuibat Jesus totam Galilæam.

Digitized by Google

CAP. V.

En tibi felices: sal: lux: impletio Legis:
Ne cade, aut jura: dilige more Dei.

1 JESVS igitur conspiciens turbam in dies magis ac magis densari, promiscuis hominum generibus, veluti subducit sese ab humili loco, qui facile patebat quibuslibet: ac monte conscenso, jam cœlestis Philosophiæ doctorem agere cœpit, ipsa loci celsitudine declarans, se nihil plebejum aut humile traditurum, sed ardua cœlestiaque omnia: simul Mosi referens exemplum, qui Legem proditurus populo, montem adscendisse legitur. Adscendentem sequuti sunt Discipuli, quos sibi peculiariter delegerat, sic tamen ut turba non sit prohibita sequi, si quibus tantum ardoris ac roboris adfuisset. Itaque superato montis fastigio, consedit Jesus, non uti fessus, sed velut ardua quædam, magisque seria docturus, quæ attentum auditorem requirerent. Id ubi sensere Discipuli, propius illum cinxerunt, ne quid illius sacræ doctrinæ posset effluere. Jesus igitur non ex Jarcæ aureo solio, aut supercilioso Philosophorum pulpito, aut arroganti Pharisæorum cathedra, sed ex herbido thoro, divinam ac salutiferam illam suam Philosophiam auspicaturus, vertit oculos non in turba, sed in Discipulos; & aperto sacro ore suo, Euangelicæ doctrinæ nondum audita dogmata cœpit depromere, plurimum abhorrentia ab omnium opinione, qui mundo videntur admodum sapere. Beatitudinem pollicentur omnes, qui se doctores sapientiæ profitentur. Beatitudinem expetunt omnes cujuscunque status sunt aut conditionis. Sed quibus in rebus sita sit hominis felicitas, hinc multa inter Philosophos controversia, multus in vita mortalium error. Hic quoniam scopus est, & fundamentum totius sapientiæ, primum id explicat Jesus, paradoxa docens, sed verissima, & ideo miraculis præstruxit fidem sermoni incredibili; ut qui virtutem ipsius experti essent efficacem in sanandis corporum morbis, confiderent & doctrinam esse veracem, qua mederetur morbis animorum. Hæc tum audierunt Discipuli pauci, & beatitudinem sunt amplexi. Audiant omnes, nam omnibus loquutus est, & omnes reddentur felices. Ex falsis opinionibus oriuntur omnia peccata vitæ. His igitur eximendis ante omnia studendum est. Quoniam pernicioſissimus animorum morbus est ferocitas & arrogantia, quæ non sinit hominem esse capacem veræ doctrinæ; imo fons est, unde fere scatet quicquid est capitalium
3 vitiorum: huic primum medetur Jesus: *Beati*, inquiens, *pauperes spiritu, quoniam eorum est regnum cœlorum*. Quorum aures tulissent vocem tam inopinabilem, nisi post tot testimonia Joannis, Patris, columbæ, postremo præsentibus signis fuisset auctoritas commendata, & conciliata fides? Multos rei familiaris tenuitas, generis humilitas, conditionis obscuritas, fortunæ adversitas reddit abjectos & humiles, sibique displicentes. Sunt hi quidem viciniores Euangelicæ beatitudini, si quo vocat fortuna, sequantur animo. Verum hæc spirituum humilitas in affectu sita est, non in rebus extrariis. Sed unde regnum huic, qui nihil arrogat sibi, qui cedit omnibus, qui sibi displicet, qui neminem protrudit aut lædit? Is enim propior asininæ servituti videtur quam regno. Hoc hominum genus ubique conculcatur, læditur impune, vivit abjectum & obscurum, egens ac destitutum. Atqui verum est quod dixit veritas, horum tantum est regnum, sed cœlorum. An tu regnare putas istos feroces ac violentos? Servitutem serviunt, multos patiuntur tyrannos. Discruciantur avaritia, ira, livore, cupiditate vindictæ, metu, spe. Vix vivunt, tantum abest ut regnent. At qui liber est his curis omnibus, fretus innocentia sua, fretus Deo, fretus præmiis futuri seculi, tranquillo pectore contemnit ea, quæ sunt hujus mundi, & sequitur bona cœlestia: nonne regnum obtinet longe pulchrius ac magnificentius regno tyrannorum? Non huic imperat libido, non avaritia, non livor, non ira, non cæteræ pestes animorum. Et armatus fide, quoties res postulat, imperat morbis, & fugiunt; imperat undis, & conquiescunt; imperat Dæmonibus, & emigrant. Tam potens est regnum animi, sibi diffidentis, ac Deo fidentis, humanis diffisi præsidiis, & ex cœlo pendentis. Non diadema, non unguentum, non satellitium dant regnum: hæc sunt quæ vere Regem faciunt, ac denique ad cœlestis æternique regni consortium evocant, ubi nulla jam erit rebellio. Regnum mundanum paratur violentia, ferocia defenditur: hoc regnum parit modestia, tuetur & constabilit humilitas. Mundus non judicat regno gerendo idoneos, nisi qui generoso præditi spiritu ingentes tollunt animos: Deus ad suum regnum eos potissimum evehit, qui se maxime dejiciunt.

Pergit Jesus, & addit huic simile paradoxon: *Beati mites, quoniam hi possidebunt hæreditate terram.* 4 Quinam sunt mites? qui nulli vim faciunt, qui læsi facile condonant injuriam, qui malunt rem perdere, quam contendere, qui pluris faciunt concordiam & animi tranquillitatem, quam latifundium; quibus optabilior est quieta paupertas, quam rixosæ divitiæ. Sed hoc hominum genus solet suis agris deturbari, tantumque abest ut aliena sibi parent, ut avitis etiam possessionibus pellantur. Sed hæc est nova dilatandæ possessionis ratio, ut plus impetret ab ultro largientibus mansuetudo, quam per fas nefasque paret aliorum rapacitas. Immitis ac ferox dominus, nec hoc possidet quod habet. Placidus autem, qui mavult sua cedere, quam pro his digladiari, tot locis habet fundum, quot locis reperit amantes Euangelicæ mansuetudinis. Invisa est omnibus pervicacia, mansuetudini favent & Ethnici. Postremo, si perit possessio miti, damnum non est, sed ingens lucrum; periit ager, sed incolumi tranquillitate animi. Magno cum lucro vendidit fundum, qui vitavit tumultum, & servavit animi quietem. Postremo, ut omnibus excludatur mitis, tanto certior est illi cœlestis terræ possessio, unde depelli non poterit. Mundus ut infelices deplorat, qui pulsi patria, solum vertere coguntur, sed Christus beatos pronunciat, qui ob Euangelium exsulant, cœlo municipes adscripti. Excussi sunt à jure civitatis unius, ejecti domo, profligati patria, sed Euangelico viro totus mundus patria est, & piis cœlum certissima domus est, patriaque securissima. Vulgo misera res est orbitas, adeo ut quidam orbati suis affectibus, puta uxore, parentibus, fratribus, aut liberis, nonnunquam sibi manus adferant. Et ob hoc adhibentur amici, qui luctus acerbitatem consolatione leniant. Sed *beati qui lugent* ob amorem Euangelii, 5 qui vel distrahuntur à suis affectibus, qui quos habent carissimos vident ob Euangelicam justitiam affligi, trucidarique, qui spretis hujus mundi voluptatibus, in lachrymis, in vigiliis, in jejuniis vitam transigunt: nam his Spiritus cœlestis aderit, secretus consolator, qui temporarium luctum inæstimabili mentis gaudio pensabit interim, mox ad æterna gaudia transferendis. Humana consolatio frequenter ægritudinem, dum mederi studet, exasperat: at Spiritus ille verus consolator, sic intus exhilarat animum sibi bene conscium, deque futuræ vitæ præmiis certum, ut in atrociſſimis etiam corporum afflictionibus sibi gratulentur; tantum abest ut sibi videantur infelices. Publica omnium opinione res 6 est acerba fames, & egestas res est velis equisque fugienda; neque quisquam non eos beatos prædicat, qui rem familiarem luculenter auxerint, & constabilierint, ut liceat affatim frui. Sed nec opes quamlibet aggestæ saturant animum, neque felicitas hominis ventris saturitate metienda est. Quos igitur Chri-

Videns autem Jesus turbas.

Beati pauperes spiritu.

Beati mites.

Beati qui lugent.

Beati qui esuriunt.

Digitized by Google

Chriſtus in hoc genere beatos pronunciat? *Beati*, inquit, *qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam*. Leviter appetenda ſunt iſta, quibus alitur ac fovetur corpus, in quorum cura vulgus tam miſere torquetur. Et expletos nonnunquam magis cruciat ſaturitas, quam fames cruciabat, & mox à ſaturitate recurrit ſitis ac fames ſubinde ſarcienda: & iſta piis parvo contentis, nec præter neceſſaria quicquam deſiderantibus, vel non ſollicitis ubivis adſunt, eo nimirum ſuppeditante, qui paſcit & paſſerculos & veſtit lilia. Felices autem, qui famem & ſitim hanc à rebus corporeis, & perituris, transferunt ad expetendam juſtitiam Euangelicam; ubi ſemper eſt quod eſuriatur, ſemper quod ſitiatur, & beata ſatietas eſt: & hoc ipſum beatitudinis pars eſt, eſurire panem illum animi, de quo qui ederit vivet in æternum; ſitire aquam illam vivam, de qua qui biberit fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Vulgus exiſtimat eos felices, qui juvantur aliena beneficentia, & ſublevato gratulantur magis quam ſublevanti. At ego *beatos* pronuncio *miſericordes*, qui pro caritate fraterna, alienam miſeriam ſuam eſſe ducunt, qui proximi malis indoleſcunt; qui calamitatibus aliorum illachrymant; qui de ſuo paſcunt egentem, veſtiunt nudum, monent errantem, docent ignorantem, condonant peccanti; breviter qui quicquid habent dotis, id aliis ſublevandis ac refocillandis impendunt. Non enim is ſumtum facit, ſed lucrum. Siquidem miſericors, ac beneficus in proximum, ſentiet Deum erga ſe multo magis miſericordem, ac benignius beneficum. Condonaſti proximo delictum aliquod leviuſculum, tibi Deus condonabit omnia peccata. Remiſiſti fratri vindictam temporariam, tibi Deus remittet pœnam æternam. Sublevaſti tua pecunia fratris inopiam, tibi reddet Deus opes ſuas cœleſtes. Apud homines paupereſcunt miſericordes, dum largitione exhauriuntur facultates, ſed apud Deum locupletantur, dum exhauſto ſerinio, pectus pietatis fructibus cumulatur. Vulgus hominum infelices appellat orbatos oculis; & qui hoc ſenſu longe gratiſſimo carent, negant ſe vivere, ſed mortuorum ſimiles, in tenebris agere. Tam ſuavis res videtur oculis intueri lucem, & hoc pulcherrimum mundi theatrum contemplari. Quod ſi res tam optanda videtur adſpicere ſolem oculis corporeis, quanto felicius eſt oculis animi contueri Deum, ſolis & omnium rerum conditorem. Vidiſtis exſilientes gaudio, quibus ademta cæcitate contigit intueri lucem, nec aliter ſibi gratulari, quam ſi rediſſent ab inferis. Quanto beatiores, quibus ademta mentis caligine, datum eſt intus cernere Deum, totius lætitiæ fontem, quem videre ſumma eſt felicitas? Quod ſol eſt puris oculis, hoc Deus eſt puris mentibus. Quod pituita, aut ſquamæ ſunt oculis, hoc peccata ſunt animis. Beati igitur quibus cor eſt ab inquinamentis omnibus purum & illibatum: nam his dabitur, quod eſt omnibus hujus mundi voluptatibus optabilius, videre Deum. Vulgus mortalium beatos judicat, qui rebus ex animi ſententia compoſitis, degunt in ocio, neque quenquam habent, qui ſibi faceſſat negotium: at me judice beati ſunt, qui poſtquam ipſi cupiditatum omnium rebellionem in animo ſuo compreſſerunt, ſtudent & inter alios diſſidentes ſarcire concordiam, non ſolum non ulciſcentes, ſi quid læſi ſunt à quoquam, verum etiam ultro invitantes ad pacem eos, à quibus ſunt offenſi. Quod ſi cui durum videtur, audiat præmium: *Quoniam tales filii Dei vocabuntur*. Quid honorabilius hoc elogio? Imo quid beatius? Neq enim eſt inanis titulus. Qui filius ſit, idem & hæres ſit oportet. Sed nothum arguit morum diſſimilitudo, germanum & gneſion patris imitatio. Deus gratis condonans omnia peccata, mortales omnes, à quibus fuerat offenſus, invitat ad pacem & amicitiam. Ultro ſe præbet propitium omnibus, qui reſipiſcunt. Is non agnoſcet pro filiis ſuis, niſi qui tales ſe præbuerint adverſus fratres ſuos, qualem ipſe ſe præbuit adverſus univerſos. Patres carnales exhæredant filios, quibus non convenit cum reliquis fratribus: ita Pater cœleſtis abdicaturus eſt pacis oſores, ac diſſidiorum auctores. Quoniam autem plures ubique ſunt improbi, non poteſt cum omnibus conſtare pax, niſi tolerantia malorum. Piorum eſt omnibus modis adniti, ne quod habeant diſſidium cum ullis hominibus, ſive boni ſint, ſive mali; omnes comitate, lenitate, beneficentia ſunt, quoad fieri poteſt, ad amorem & concordiam invitandi: ſed quorundam tanta eſt perverſitas, ut benefactis etiam irritentur, & affligant benemerentes, ſæviant in beneficos, ſervare cupientes ducant pro hoſtibus. Hic ſi pax utrinque conſtare non poteſt, tamen illi interim ob pacis ſtudium erunt beati, cum illos impii perſequentur, non ob aliud, niſi ob juſtitiam Euangelicam, quæ nullum lædit, prodeſt omnibus. Siquidem hoc ipſum concitat illorum odium, ob quod amare debuerant; nec ob aliud referunt injurias, niſi cujus nomine debebant agere gratias. Dicet aliquis: Quis poſſet amare tales, qui pro beneficiis reponunt odium & maleficia? Ardua res eſt, fateor, ſed ingens eſt præmium. Quod autem præmium? Non querna laureave corolla, non bos aut hircus, aut aliud ſimile, quod in certaminibus humanis victori tribuit mundus, ſed regnum cœlorum: ad hanc palæſtram vos paretis oportet, diſcipuli mei, ſi vos capiant Euangelicæ felicitatis bravia. Non eſt quod vos terreat humana crudelitas. Nemo vos lædere poterit, ſi mordicus tenueritis juſtitiam. Perſecutio malorum non auferet innocentiam veſtram, ſed augebit beatitudinem. In mediis etiam malorum procellis vos beati eritis. Cum vos diris exſecrationibus devoverint, cum omni malorum genere impetierint, cum probrorum & criminum omne genus in vos torſerint, idque mentientes, non veſtra culpa, ſed odio mei, ſiquidem ſumma criminum erit eſſe Chriſtianum, ne deplorate vos ipſos, ut afflictos, ut exploſos, ut infames, quin potius ob hæc ipſa gaudete & exſultate, quod quo magis illi ſævierint perſequendo, hoc magis vobis creſcit, & accumulatur præmium vobis à Patre repoſitum in cœlis. Illorum malum Deus vertet in bonum veſtrum; damna, ab illis illata, vertet in lucrum; ignominiam, ab illis illatam, vertet in æternam veramque gloriam; crimina probraque, ab illis falſo intentata, vertet in titulos & elogia veræ pietatis; exſecrationem illorum vertet in laudes & gratulationes, non ſolum apud eum, cui placuiſſe abunde ſatis eſt, etiamſi toti mundo diſpliceatis, ſed interim etiam apud homines. Nam ab impiis ob pietatem vituperari, laudari eſt; ab oſoribus Dei cruciari, coronari eſt. Non eſt affectanda apud homines gloria, ſed hæc ultro veram virtutem ſolet comitari. Vultis exemplum promtum & evidens? Quid hodie Prophetarum memoria ſanctius, aut venerabilius? & tamen hos, cum in vivis ageret, omni malorum genere ſunt perſecuti, quibus & vos perſequentur. Illos perſecuti ſunt odio Patris, vos perſequentur odio mei. Fortia ſunt hæc, fateor, & humanam mediocritatem ſuperantia; ſed inſigne ſit oportet, quod vi ſua moveat ac pertrahat mundum univerſum, dilutis opinionibus ac vanis cupiditatibus obrutum. Quis enim iſtorum non horret corporis cruciatus? Quis non ad vitæ diſcrimen intentatum expaveſcit? Quis non exardeſcit in vindictæ cupiditatem, atrocibus convitiis incitatus? Quis impune tolerat famæ ſuæ labem præter meritum adſpergi? At ego plus etiam exigo à vobis, ut ob hæc mala vobis beati videamini, ut cæcis perſecutoribus miſereamini magis, quam indignemini; ut male precantibus bene precemini; ut perniciem vobis molientibus offeratis ſalutem æternam. Hanc ſublimem & heroicam virtutem non præſtabitis, niſi huc per gradus

Beati miſericordes.

Beati mundi corde.

Beati pacifici.

Beati perſecutionem patiuntur.

Beati eſtis quum, &c.

Digitized by Google

illos, quos ante propoſui, perveneritis. Si tumorem animi prorſus abjeceritis, ſi vindictæ cupiditatem expulçritis, ſi voluptates omnes hujus mundi ſpernentes vitam aſperam amplectamini, ſi prorſus exſtincta rerum humanarum cupiditate, nihil magnopere ſitieritis præter juſtitiam & pietatem, ſi ſic fueritis affecti, ut omnium malis ſuccurrere cupiatis, & omnium ſervire commodis ſtudeatis, ſi mentem habueritis ab omnibus vitiis praviſque cupiditatibus puram ac ſinceram, nec alio ſpectantem, nec alio ſemet oblectantem, quam Deo; ſi ipſi pacatis animis ubique ſtudueritis alendæ ſarciendæque concordiæ, tum demum præſtabitis hæc, quæ cæteri mortales ne per ſomnium quidem adhuc poſſunt attingere. Sed tamen qui ſanabiles erunt, qui mentis non omnino deploratæ, admirati tolerantiam ſimul & bonitatem veſtram intelligent rem non eſſe fucatam, perſpicient non eſſe virium humanarum, veſtroque exemplo commoti vertentur ad meliorem frugem. Siquidem in hoc delegi vos paucos, ut non unam aut alteram civitatem, ſed univerſum mundum adducam ad cognitionem Euangelicæ ſapientiæ. Vividum & efficax ſit oportet, quod totius humani generis vitæ, fluxarum rerum cupiditatibus ac
13 ſtultis opinionibus dilutæ, condiendæ ſufficiat. Vos enim in hoc delegi, non ut ſitis mediocres aut tole-
Vos eſtis ſal terræ. rabiles, ſed ſitis ſal terræ. Non opus eſt multo ſale, ſed efficaci, ut quicquid contigerit afficiat, & ex inſipido reddat ſapidum. Ingens eſt terra, & tamen hoc quod habet ſalſitatis, habet à paululo ſalis admixto. Et videtis copioſum cibum alioqui fatui dilutique ſaporis, paululo ſalis adſperſo condiri. Fieri non poteſt, quin in magna hominum turba reperiantur mediocres, ac vix etiam tolerabiles: at in Apoſtolis, in Epiſcopis, in Doctoribus, vividus ille & perfectus Euangelicæ caritatis vigor perſeveret oportet. Alioqui ſi veſtri quoque mores fuerint amore laudis, cupiditate pecuniarum, ſtudio voluptatum, libidine vindicandi, metu infamiæ, damnorum, aut mortis infatuati, quid tandem erit reliquum, quo multitudinis inſulſa vita condiatur? Ita futurum eſt, ut non ſolum aliis condiendis non ſitis uſui, verum etiam ipſi veniatis in extremum hominum contemtum, nequaquam præſtantes hoc quod docetis. Quid enim eſt fatuo ſale contemtius, cujus ne ad agrum quidem ſtercorandum ullus eſt uſus, quippe ſterilitatem etiam adferens, ſi admiſceatur? Ita vos admirabuntur homines, etiam ii, qui vobis per invidiam & odium oblatrabant, ſi ſenſerint doctrinam veſtram ſapere vigorem Euangelicum, ſi viderint vitam omnem doctrinæ reſpondere. Hac profeſſione ſuſcepta, aut magno uſui omnibus ſitis oportet, aut magno malo omnibus; aut ingentem gloriam apud homines reportetis, aut inſignem ignominiam. Eſt autem ignominia magis morte vitanda, quæ redundat in infamiam Euangelii. Sitis igitur undequaque ſinceri, & inſigniter integri, quo veſtra puritate corrigatur mul-
14 titudinis impuritas. Talis ſit vita doctrinaque ve-
Vos eſtis lux mundi. ſtra, ut omnibus intuentibus ſit dux regulaque recte vivendi. Unicus eſt Sol hujus mundi, ſed is eſt tam efficaci copioſoque lumine, ut omnibus terram incolentibus è longinquo luceat. Sic vos in edito collocavi, ut quod loquimini, quod facitis, non poſſit non per univerſum orbem diſpergi. Si Solem obducant nubes, unde lumen mortalibus? Si veſtra doctrina caligabit erroribus, ſi veſtra vita mundanis cupiditatibus erit offuſcata, quæ res diſpellet caliginem multitudinis? Cavendum igitur ne quid tenebrarum in vobis ſit, ne quid ſtultitiæ. Non poteritis latere, etiamſi maxime conemini. Cogitate vos in totius orbis theatro fabulam agere, quo ſollicitudo vos acuat ad circumſpectionem ac diligentiam. In vobis exiguus lapſus, fœdi criminis inſtar erit. Vos eſtis veluti civitas in edito monte ſita, longe late-

A que conſpicua viatoribus. Celari non poteſt etiamſi cupiat. Mons enim eminenti vertice, qui ſuſtinet illam, velit nolit, reddit eam omnibus conſpicuam, ut iter monſtret errantibus. Hæc eſt Euangelicæ doctrinæ natura, non ſinit ſui profeſſores latere, quamvis ipſi famam hominum fugitantes quærant latebras. Cur autem abſcondatur, quod in hoc ipſum paratum eſt, ut ex æquo proſit omnibus? Ideo ſal adhibetur ut condiat; ideo Sol datus eſt orbi, ut luceat; ideo civitas in montis cacumine conſtruitur, ut omnibus ſit conſpicua. Ideo noctu lucernam accendunt in 15
ædibus, ut luceat omnibus qui in domo verſantur.
B Et ideo non condunt accenſam ſub modio, ſed imponunt candelabro, quo lumen ejus magis ad omnes perveniat, & unici luminis uſus ad quam plurimos manet. Sic non eſt vobis quidem affectandum, ut famam & opinionem paretis apud homines, tantum curate, ut lucem, quam in vobis accendi, ne obſcuretis, & in candelabro, quo vos collocavi, perſeveretis. Non poteſt non condire ſal. Non poteſt
non lucere lumen. Luceat igitur lux veſtra, imo mea 16
Patriſque, cunctis mortalibus, ut contemplantes vitam veſtram, undequaque puram & inculpatam, planeque cœleſtem, glorificent Patrem veſtrum cœleſtem, cui debetur omnis honos & gloria. Nihil
C enim ex omnibus bonis operibus, aut miraculis quamlibet admirandis, vobis vindicabitis, ſed in illum omnem gloriam ac laudem transferetis, à quo proficiſcitur, quicquid apud homines cum laude geritur. Veſtrum erit interim nihil aliud habere curæ, quam ut delegato munere, gnaviter, bonaque fide fungamini. Præmium ille ſuo tempore perſolvet abunde magnum, cujus gloriæ militatis. Hæc nova 17
præcepta cum auditis, quæ nec Moſes tradidit, nec *Nolite putare quoniam, &c.*
Prophetæ docuerunt, nolite ſuſpicari me ſimile quiddam adferre, quale ſolent Phariſæi, additamentis ſuis, & humanis conſtitutiunculis ſic aggravantes Legem, ut quod illius eſt præcipuum negligant,
D aboleantque. Nequaquam in hoc veni, quo vel Legem reddam dilutiorem, vel abrogem novis præceptis. Quin potius ideo veni, ut Legem abſolvam ac perficiam: nihil enim illa præcipit, quod hactenus à me non obſervatum queri poſſint. Quod ſi luce prodita cedunt umbræ, ſi jam factis ipſis præſto, quod Prophetæ futurum prædixerant, nihil Legi derogatur, ſed potius accedit perfectio. Habuit illa tempus ſuum, habuit honorem ſuum, illa typis quibuſdam adumbravit, quod nunc orbi repræſentatur. Illa ceremoniis & præceptis carnalibus ceu cancellis quibuſdam circumſepſit cupiditates hominum, ne impune prolaberentur in omne flagitium, quo capaciores eſſent Euangelicæ doctrinæ, nunc quod perfectum eſt expromitur: illa carnalis licet & craſſa hactenus profuit, ut homines peccatum ſuum agnoſcerent,
E nunc abſque ceremoniis datur gratia, quæ peccata diluat. Non magis igitur illa læditur, quam ſi pictæ imagini Regis Rex ipſe vivus ſuccedens, omnium oculos in ſe deflectat, aut ſi puer imbecillus progreſſu temporis grandeſcat in virum adultum, aut ſi frondibus & foliis ſuccedat fructus maturus, aut ſi Lunam & ſtellas Sol exoriens obſcuret. Quod illa promiſit, nunc exhibetur, quod prædixit, geritur, quod adumbravit, omnium oculis exponitur, quod
F præſtare conata eſt, nec potuit, nunc ad plenum præſtatur. Lux hæc promittitur omnibus, ſed ita tamen, ut Judæi non habeant quod de nobis querantur. Primum illis oblata eſt Euangelii gratia; nec 18
eo minus habituri ſunt, ſi quod habent, habeant *Amen dico vobis.*
cum plurimis commune. Illud habetote certum, adeo non facimus irritam Legem, qua Phariſæi gloriantur, ut ex ea ne minimum quidem elementorum Jota, imo ne apiculus quidem ſit ex univerſa Lege periturus, uſque adeo nihil in ea ſcriptum eſt, quod non ſit perficiendum. Stultum autem ſit exſpectare futurum, quod jam præſens ſit: inſanum

ſit,

Digitized by Google

sit, sic umbris delectari, ut res veras adsperneris: sic hærere imperfectis, ut perfecta spernas: sic amplecti carnalia, ut spiritualia fastidias: sic
19 terrenis affixum esse, uti negligas cœlestia. Apud *Qui ergo solverit unum, &c.* Judæos contemtus habetur, parumque Legis observans, qui quicquam eorum præterit, quæ Pharisæi de suo addiderunt, præscribentes lotiones manuum, urceorum ac vasorum, & tamen hæc additamenta usque adeo nihil conferunt ad perfectionem Legis, ut frequenter abducant ab ejus observatione. At in regno cœlorum, quod est longe perfectius, qui solverit vel unum ex his præceptis minimis, quæ nunc addo præscriptis Mosaicæ Legis, cum tamen doceat B
observandum, quod ipse per imbecillitatem non præstat, minimus & contemtissimus habebitur, adeo ut ni profecerit ad meliora, prorsus excludendus sit ab Euangelico contubernio. Cæterum quisquis docuerit hæc minuta non esse negligenda, quæ procul arcent ab his, quæ vetat Lex, & quod docet præstiterit, is demum admirandus, & magnus habebitur in regno cœlorum. Et tamen in Synagoga summates habentur, qui negligunt hujusmodi, satis esse putantes quod nihil horum committant, quæ Lex puniri jussit, cum interim in pravis animi cupiditatibus sibi ignoscant. Hæc videlicet est eorum justitia, quos pœnæ metus deterret à maleficiis. Cæ- C
terum quos caritas, quos spiritus ille cœlestis impellit ad perfectiora, procul & ultro se submovent ab omni confinio maleficiorum. Et adeo non lædunt,
20 quenquam, ut nec male velint cuiquam. Ut autem *Ni abundaverit justitia vestra.* intelligatis quantum intersit inter Judæum & Christianum, inter Mosi discipulum & meum, illud affirmo vobis, si præstiteritis quicquid præscribit Lex, quicquid præstant Pharisæi, qui nunc habentur, ac sibi videntur absolutæ cujusdam justitiæ, etsi nihil adjeceritis perfectius, adeo non eritis magni in hac professione, ut ne aditus quidem dandus sit in regno cœlorum. Tantum enim præcellit hæc professio, ut qui illic primas tenent, iis hic ne postremus quidem sit locus. D
Agedum, quo magis perspicuum fiat, quantum adjiciamus justitiæ Pharisaicæ, quamque nostra non pugnent cum Legis præceptis, sed ea potius adjuvent,
21 rem exemplis aliquot conferamus. Audistis quod majoribus olim sit præceptum: *Non occides.* Quod si quis occiderit, convictus & judicatus dabit pœnas. Hactenus igitur Legi videtur feciisse satis, qui neminem occiderit, & Legis minas effugit. Is videlicet & vir justus, & innocens, recipietur in Synagogam.
22 Nunc audite quantum ego adjiciam. Siquidem illud *Omnis qui irascitur fratri, &c.* affirmo vobis, quisquis vel irascitur fratri suo, obnoxius erit judicio. Siquidem professionis sublimitas exaggerat culpam, ut quod in veteri Lege sit homici- E
dium, hoc in nova sit impotens animi motus ad vindictam. Primus enim ad homicidium gradus est irasci. Nondum ille quidem perfecit homicidium, sed tamen jam tendere cœpit ad homicidium. Itaque jam nunc grave facinus admisit apud Deum judicem, qui fratri male voluit. Quod ni mox repressérit animum efferveséentem, sed ira impotens erumpat in vocem, quæ nullo quidem certo convitio percutiat *Qui dixerit fratri suo racha.* fratrem, sed tamen eum manifesto contemtus indicio contristet; veluti si dicat *racha*, aut simile quiddam, quod animi malevolentiam declaret, jam ut propior homicidio, non solum obnoxius erit judicio, daturus pœnam leviorem, sed tamen Judaico F
homicidio parem, verum etiam concilio, gravius etiam condemnandus. Porro si rebellis animi motus huc proruperit, ut fratrem suum manifesto jam certoque convicio percutiat, ut fatuum, aut aliud simile, appellet, jam gravissimæ pœnæ erit obnoxius, nimirum gehennæ. Tot modis plectitur, qui nondum progressus est usque ad homicidium. Sed homicidio confinis est, quisquis excidit à caritate fraterna. Nondum exemit gladium, sed percussit animo, quisquis iratus male voluit. Percussit lingua,

A quisquis iratus convitium dixit, fortassis & occisurus, ni pœnam metueret. Itaque Lex Euangelica, quæ punit etiam iracundum, non adversatur præcepto Legis, *Non occides*, sed longius arcet ac submovet ab eo, quod Lex puniri jubet. Tutior est ab homicidio, quisquis iram & odium penitus exemit ex animo, qua quidem ex radice pullulant homicidia. Quisquis igitur sibi pararit caritatem Euangelicam, quæ bene vult etiam male volentibus, quæ beneficio pensat injuriam, nihil eget Mosaicæ Legis minis, ad vitandum homicidium. Odii extrema linea est occidere, caritatis extrema linea est, B
etiam occidenti bene velle. Atque apud Judæos quidem pius ac religiosus videtur, qui male cogitans fratri suo, munus aliquod defert ad altare, cum Deo nullum sacrificium sit acceptum absque fraterna concordia; vobis igitur prima debet esse cura pacis & mutuæ concordiæ. Quod si autem, ut est humanæ 23
naturæ imbecillitas, inciderit offensæ nonnihil inter *Si ergo offers munus,* fratres, rebus omnibus omissis date operam ut sarciatur concordia: adeo ut si forte jam adornes offerre Deo munus aliquod altari vicinus, atque inibi venerit in mentem, tibi parum convenire cum fratre tuo, sive quod is te offenderit, sive quod offensa 24
quæpiam mutua contristarit amicitiam, ne cuncteris, ne differas, sed apud ipsam aram relicto munere, domum properes, efficiasque, ut ante omnia sarciatur tibi cum fratre amicitiæ dulcedo. Eo confecto redibis ad altare, peracturus sacrificium tuum. Adeo Deo nullum donarium gratius, quam consensus hominum. Ex dilato munere nihil ille damni patitur, ex rescissa concordia multum imminet utrisque periculi. Siquidem offensæ dilatæ gignunt odium, & ex odio gignitur homicidium. At Deo nullum est gratum obsequium, quod non commendat caritas. Quod si mihi dixeris, *Ego nihil commerui, prior ille redeat in gratiam unde nata est offensa*, non audiam. Qui jubetur & inimicum diligere, non gravabitur sarcire gratiam, licet aliena culpa rescissam. Ultro condona noxam, & fratrem hoc mœrore subleva, qui te sibi putabat iratum. Non experieris Deum tibi propitium, nisi proximus senserit te sibi propitium. Nulla erit apud 25
Deum muneris tui gratia, nisi tibi constiterit cum *Esto consentiens cum adversario;* fratre gratia. Si apud Deum tanti est hominum concordia, ut patiatur interim se fraudari munere parato, modo illa sarciatur; quanto justius est hominem, cujus intereat, rei suæ dispendio pacem & amicitiam redimere? Sed forsitan adeo quis reperietur iniquus, ut injurius ultro in jus trahat, negotium etiam exhibiturus, ni te deprædetur. Jamque accensis utrinque animis, paratur dica, curritur ad judices. Quæris, quid hic faciam? Num legibus meum jus persequar? Si me audies, in via properabis cum adversario tuo rem componere, vel æquis, vel iniquis conditionibus: quantumvis iniquis conditionibus cum illo transegeris, tamen lucrum feceris. Peribit nummorum aliquid, sed servata est res longe pretiosissima, pax & amicitia; servata est animi tranquillitas, quam puta vel universis facultatibus emtam, parvo emtam esse. Serviendum erat Advocatis & Notariis, sursum ac deorsum assidue cursitandum. Ambiendus favor judicum. Multa & facienda & ferenda, indigna te. Et cum tempore nihil sit pretiosius, cogita quantum hinc fuerit insumendum. Vide igitur, quam non adspernandum lucrum feceris, celeritate finiendæ litis, cum judiciorum interim incertus sit exitus. Neque enim semper superior discedit, cui causa melior: siquidem periculum est, ne adversarius victor tradat te judici, judex tradat ministro publico, per quem ducaris in carcerem. Quo si semel conjectus fueris, jam 26
ademta facultate componendæ rei cum adversario, non solum lucrifeceris corporis afflictionem & ignominiam, verum etiam non liberaberis, donec ad as-

sem

Digitized by Google

sem universam resolvas summam, quam petebat adversarius, cum minoris licuerit cum illo transigere, mitiore adhuc & minus irritato. Sic in sarcienda amicitia noli esse morosus expensor, uter magis sit in culpa. Tantum hoc age, vel de jure tuo concedens
27 aliquid, ut incolumis sit concordia. Hactenus exemplum contulimus, de caritate & odio, in quorum altero radix est totius pietatis Euangelicæ, in altero pestis. Sed homicidio proximum est adulterium, nec ulla caritas arctior, quam matrimonii. Conferamus igitur & hac de re, quid Lex præceperit vestris majoribus, & quantum nos adjiciamus. Illis nihil aliud dictum est in tabulis, quam, *Non committes adulterium, si commiseris, lapidaberis à populo.* Itaque sanctus & integer habitus est apud Judæos hactenus, quisquis sua contentus, abstinuit ab
28 uxore aliena. Sed ad legem Euangelicam, quam ego defero, non solum committit adulterium, qui conjugem alterius stupro violat, & corpus corpore complectitur, verum etiam qui oculis parum pudicis intuetur alienam. Ut enim homicidio vicinus est, qui fratri suo irascitur, ita tendit ad adulterium cujus jam animus est impudicus, cujus oculi sunt adulteri. Non habet maritus, cur te ad pœnam adulterii vocet, sed habet Deus, cur te damnet adulterii, apud quem commisit flagitium, qui voluit. Quod igitur in homicidiis est irasci, hoc in adulteriis est concupiscere; quod illic est dicere *racha*, aut fatue, hoc hic est oculos pascere, & horum illecebris alienæ conjugis animum ad impudicitiam sollicitare. Verum, hic dicet homo carnalis, Quis queat non animo saltem concupiscere quod amat? Imo quis amabit uxorem alterius, cum suo periculo, cumque mariti injuria, qui sic est affectus animo, ut non solum nolit innoxium quenquam lædere, sed etiam iis, à quibus læsus est, beneficium pro maleficio studeat reponere? Non possum, in-
29 quiet, oculos claudere. Imo præstat oculum erudere, quam per eum capere jacturam pietatis. Imo nullum corporis membrum tam debet esse carum homini, quin præstet amputare, quam hujus occasione quicquam veris animi bonis decedere. Sic properandum est ad fastigium Euangelicæ perfectionis, ut quicquid obstiterit huc eunti, protinus sit abjiciendum, quantumvis dulce, quantumvis amabile. Lucrum est, cujusvis rei jactura parare margaritum Euangelicæ caritatis. Proinde si forte huc properanti obstaculo fuerit oculus tuus dexter, noli cogitare quam res cara sit oculus, sed cogita à quanto pretiosiore re remoretur: nihilque cunctatus effodias oculum remorantem, & eo abjecto propera quo cœperas. Ubi totus homo de capite periclitatur, præstabilius est unius membri jactura, totius reliqui corporis salutem redimere. Posthac Juscus vives. Quid tum postea? An non optabilius est luscum agere vi-
30 tam, quam occidi, neutro oculorum effosso? Nullum membrum carius, aut ad plures usus magis necessarium, quam dextra manus. Quis hoc negat? Et tamen ea si remoretur ad hæc ardua properantem, unde pendet totius hominis salus, amputa remoratricem dextram, & abjecto onere expeditus eo, quo cœperas, propera. In hoc discrimine conducibilius est, unius membri quamvis cari feciſſe jacturam, quam toto corpore ruere in exitium gehennæ. Hoc si probant homines, cum non aliud est periculum quam corporis, quanto magis id faciendum, quoties animi simul & corporis discrimen vertitur. Verum hæc docendi gratia per similitudinem à nobis dicta sunt. Neque enim hoc sentio, consultum esse, ut quisquam sibi ipsi membrum aliquod corporis amputet: neque enim membrorum natura mala est, sed abusus est damnandus; de membris animi loquor: habet enim & animus sua membra noxia, quæ pium sit quam ociſſime recidere. Amputato corporis membro, præter cruciatum hoc additur damni, quod portionem semel amputatam, nunquam liceat restituere. At amputatis animi membris noxiis, quod genus, odium, ira, libido, ambitio, avaritia, non solum non est mutilus animus, sed absolutior etiam est amputatis prodigiosis & noxiis partibus. Ac brevem amputandi molestiam perpetua consequitur voluptas. Dicam explanatius, quo magis quid velim intelligatis. Affectus membra sunt animi. Sunt autem affectus quidam, qui suapte natura ducant ad impietatem, quod genus sunt, ira, odium, livor, appetentia rei alienæ: horum si quid pullulare cœperit in animo, statim est excidendum; sic enim & facilius, & tutius amputatur nascens malum. Sunt rursus affectus per se neutiquam mali, sed tamen qui per occasionem aliquoties abducant ab eo quod est optimum. Quod genus sunt, amor patriæ, affectus in uxorem, liberos ac parentes, aut alioqui cognatos & amicos, cura famæ. Hæc membra si subserviunt ad perfectionem Euangelicam properanti, non est cur amputes: neque enim mea doctrina pugnat cum naturalibus affectibus, sed naturam suæ puritati restituit. Porro si casus inciderit, ut parentis, aut uxoris, aut liberorum affectus per occasionem te remoretur à studio pietatis Euangelicæ, & ad mundum retrahat, amputa noxiam pietatem. Quemadmodum qui noxias amputat cogitationes, non cor ipsum exsecat unde nascuntur, sed pravas cupiditates: ita qui alienam uxorem jam adspicere cœpit casto affectu, quo sororem adspicit, aut filiam, bene effodit noxium oculum, ut succederet columbinus; & qui manu, qua solet alios spoliare, jam laborat, ut subveniat aliorum inopiæ, bene amputavit rapacem dextram, ut succederet benefica. Age jam & aliud exemplum conferamus. Lex Mosaica permittit, ut maritus of-
31 fensus aliquo conjugis vitio dimittat eam suo arbitratu: modo dimissæ det libellum repudii, per quem illa possit alteri nubere, & priori marito jus adimatur repetendi, quam abjecit. Proinde Legi satisfecit vir, qui quavis de causa repudiarit uxorem, modo libellum dederit abeunti, nec ille velut adulter judicabitur, nec hanc quisquam ut adulteram notabit. Et quamquam Lex optabat inter conjugatos amicitiam & concordiam esse perpetuam, tamen conscia duritiei cordis Judaici, ne quid committeretur sceleratius, indulsit divortium, puta ne veneficium, aut homicidium perpetraretur. At ego volo sanctius
32 & inviolatius esse matrimonium, inter novæ legis professores. Quisquis enim dimiserit uxorem suam, nisi forte adulteram, (jam enim uxor esse desiit, quæ se miscuit alteri viro) cogit illam ad adulterium. Siquidem si nupserit alteri, non marito nubet, sed adultero. Atque is, qui sic repudiatam duxerit, non uxorem ducit, sed adulteram. Nihil horum punit Lex Mosaica, sed tamen damnat Lex Euangelica. Neque tamen hæc pugnat cum illa: nam Mosaica laxavit jus repudii maritis, ne sceleratius sævirent in uxores invisas, & tamen licentiam adstrinxit libello repudii, ne vel clanculum id possent, vel temere dimissas reposcerent, quoties libuisset. Nec est ausa plus exigere in conjugio, quia non est ausa præcipere, quæ nos supra docuimus. Nam vir Euangelica præditus mansuetudine, facile aut corriget mores uxoris, aut feret. Quando autem quæret dissidium cum uxore, qui pacem habet etiam cum inimicis? Quando molietur exitium uxori, qui nec læsus irascitur, nec offensus male vult cuiquam? Aut quomodo non feret uxorem domestica consuetudine junctam, qui tolerat etiam inimicum occidentem? Quod si Lex hoc agit, ut sanctum sit conjugium, neque passim concessa divortia: nos Legem non solvimus, sed adjuvamus, qui nullum volumus esse divortium, excepta causa stupri, quæ pugnat cum ipsa natura matrimonii. Siquidem ad hoc inductum est conjugium, ut mulier semel addicta marito uni gi-

Non mœchaberis.

Quod si oculus tuus dexter, &c.

Et si dextra manus, &c.

Dictum est autem, quicunque dimiserit uxorem.

Digitized by Google

gignat, & uni obsequatur. Porro jam divertit à marito, quæ sui copiam alteri fecerit. Proinde inter Christianos conjuges, nec graves incident offensæ, nec ob leves, vel ille, vel illa quæret divortium, sed protinus alter alteri reconciliabitur, si quid per humanam imbecillitatem inciderit. Audite jam & aliud.
33 *Audistis, quia dictum est antiquis, &c.* Nihil aliud audistis traditum majoribus, nisi ne perjerarent, sed si quid jurassent, id præstarent, veluti jam obnoxii Deo, non tantum homini. Apud Judæos igitur non punitur nisi perjurium. Ceterum qui non interposito jurejurando fallit proximum, apud Synagogam impunitus est. At hunc condemnat ac punit
34 lex Euangelica, quæ quo tutiores sitis à perjurio, prorsus damnat omne jusjurandum, ut jam fas non sit jurare, neque per Deum, neque per ea, quæ vulgo videntur minus habere religionis, hoc est, *neque*
35 *per cœlum, quoniam thronus est Dei: neque per terram, quia scabellum est pedum ejus: neque per Hierosolymam, quia civitas est magni Regis*, nimirum illius,
36 qui condidit & gubernat universa. Neque quemadmodum barbari jurant, per caput alterius, in quod tibi nullum est jus, sed Deo sacrum est, qui ut voluit condidit omnia; cum tu nec unum pilum queas ex nigro facere album, aut ex albo nigrum. Quoniam autem omnia Deo conditori sacra sunt, religiosum esse debet per ullam omnino rem dejerare. Quid autem opus est ullo jurejurando inter eos, inter quos nec pro sua simplicitate diffidat quisquam, nec pro sua sinceritate fallere cupiat quisquam, etiamsi liceat impune, præsertim in rebus his, quarum contemtum profitentur. Inter vos igitur sanctior ac firmior esse debet sermo simplex, quam apud Judæos quamlibet
37 religiosum jusjurandum. Apud vos enim, apud quos nihil esse debet in labiis, quod diffideat ab animo, non est alius usus sermonis, nisi ut mutuo sibi significent homines, quod animo sentiunt. Nec opus est in contractibus admiscere jusjurandum, aut exsecrationes, aut aliud simile, quod & promittentem obstringat metu, & stipulanti fidem faciat. Abunde satis sunt duæ voces, non & etiam, ut neges te facturum, quod non polliceris, & præstes, quod simplici sermone te præstaturum receperas. Neque enim alter minus obstrictus est simplici nudoque verbo, quam Judæus per omnia sacra dejerans, neque alter minus fidit, quam si jusjurandum intercessisset. Quod si quid his accesserit, ex vitio accesserit oportet. Aut enim parum bene sentit, qui jurat, de eo, cui jurat, aut diffidit is, qui jusjurandum exigit. At neutrum competit in vos, quos omnibus modis perfectos esse volo. Itaque cum in totum vetem jurare, non abrogo Legem, quæ vetat perjurium, sed Legem reddo pleniorem, ac longius ab eo submoveo, quod punit Lex.
38 *Audistis, oculum pro oculo, &c.* Audistis quid in injuria vindicanda patribus nostris Lex indulserit: *Oculum*, inquit, *pro oculo, dentem pro dente*. Noverat enim animos illorum ultionis avidos. Hactenus igitur coercuit libidinem ulciscendi, ut ex Judicum arbitrio delictum talione pensaretur, & oculum amitteret, qui alteri oculum extudisset, & dente plecteretur, qui alteri dentem excussisset. Propterea quod si injuriæ vindicta permissa fuisset animo læsi, frequenter accideret, ut pro dente excusso vitam adimeret. Lex igitur hoc agebat, ne lon-
39 gius æquo procederet ultio. At ego Legem hanc non abrogo, sed confirmo. Siquidem illud doceo vos, pro quamlibet atrocibus injuriis nullam omnino vindictam esse reposcendam, nec ullum maledictum maledicto, nec damnum damno, nec injuriam injuria retaliandam; adeo ut si quis alapam impegerit in maxillam, quæ quidem contumelia vulgo videtur intolerabilis, tantum abest ut illi regeras alapam, ut alteram potius maxillam illi cædendam præbeas, malisque duplicatam injuriam perpeti, quam referre
40 talionem. Quod si quis trahat in jus ut tunicam adimat, adeo non est cum illo contendendum, ut citius
41 illi pallium etiam ultro cedas. Rursus si quis importunus conetur adigere te, ut ipsum ad mille passus comiteris aliquo, bis mille potius cum illo ambules, quam cum eo contentionem suscipias: hac comitate tolerantiaque fiet, ut nec is, qui propensus est ad lædendum, exasperetur ad atrociora; & tu citius à molestia libereris, quam si malum malo propagetur; & ex parvo reddatur magnum, ex uno multiplex, nec animi tranquillitatem amittas, & fortassis ex inimico tibi reddes amicum tua bonitate. Rem arduam agitis: ad hæc omni studio contendendum est, contemtis interim hisce rebus levioribus, quibus alii mortales, vel parandis augendisque, vel vitandis, totam vitam impendunt; quibus illud interim usu venit, ut dum hæc venantur, excidant à bonis cœlestibus, nec hic suaviter vivant, ipsi sibi molestiis molestias accumulantes, variisque simultatibus & odiis semet involventes. Harum rerum contemtu, quæ nec si adsint pios, nec si desint impios faciunt, vos & odium redimetis, & amorem ac benevolentiam vobis comparabitis, & doctrinæ vestræ conciliabitis fidem & auctoritatem. Itaque si quis tibi molestus est ob 42
vestem, vas, aut aliud simile, cujus avidus est, ut abs te auferat, potius quam aliis viis tibi struat insidias, da flagitanti, simul & illum devincturus beneficio, & te molestia liberaturus. Rursum si quis pecuniam abs te petit mutuo, ne gravere dare, etiamsi nihil inde sit ad te rediturum, non solum ex usura, sed ne sorte quidem: nam qui mutuum dat ad usuram, non tam impartit sua quam venatur aliena. Et cur graveris ei dare mutuo, fortassis ad te nunquam rediturum, cui debebas & dono dare, quod tibi supererat, & illi deerat? Ita vestro exemplo discent homines, hæc esse prorsus negligenda, quorum gratia ipsi nihil non & patiuntur, & faciunt. Accipite jam & illud præcep- 43
tum, quod habetur in Lege præcipuum: *Diliges*, inquit, *proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*. Benevolentiam exigit, sed erga benevolos ac benemeritos, cæterum permittit male velle his, qui nos lædunt. Videtis quam huic præcepto non dero- 44
gem, sed quantum adjiciam. Siquidem ego non contentus mutua in amicos benevolentia, illud à vobis meæ doctrinæ sectatoribus exigo, ut diligatis & inimicos, & his qui vos odio prosequuntur, non solum non respondeatis odio mutuo, verum etiam beneficiis ad amorem provocetis. Quod si illi fuerint usque adeo efferati, ut beneficio vestro nolint uti, sed sine fine vos impetant, & maledictis ac malefactis incessant, vos tamen in mediis afflictionibus adeo non mutetis animum vestrum, ut pro illis rogetis etiam Deum, quo resipiscant. Hac bonitate utentes erga universos 45
& bonos & malos, declarabitis vos esse non degeneres filios Patris cœlestis, qui cupiens omnes servare, tam multa bona largitur dignis & indignis. Patitur enim solem suum esse communem & his à quibus colitur, & his à quibus contemnitur; ac pluviam suam patitur utilem esse justis pariter & injustis, malos suo beneficio provocans, ut resipiscant, bonos excitans, ut gratias agant. Similitudo morum vos asserat Patri cœlesti, & ab eo profectam credent vestram doctrinam, si conspexerint in vobis illius insignem bonitatem. Alioqui 46
si diligitis diligentes, si bene facitis bene de vobis meritis, si bene vultis benevolis, crimen effugistis, non promeruistis laudem. Non referre beneficium, ingratitudo est, etiam apud Ethnicos & publicanos exsecrabilis, quorum institutum infame est etiam apud vulgus. Naturæ est, non Euangelicæ virtutis, redama- 47
re amantem. Et si vos comes & affabiles præbueritis erga cognatos, aut populares vestros tantum, cæteros velut alienos nec salutatione dignemini, quid eximium facitis? Nonne idem faciunt Ethnici? Vulgaria sunt ista, quæ non arguunt bonos, sed homines tantum. Neque possunt videri præclara, quæ cadunt & in malos. Vos igitur volo perfectos esse, & 48
admirabili quadam luce bonitatis referre Patrem cœlestem, qui cum sit omnipotens, tamen sua bonitate

Digitized by Google

prodeſt omnibus, nihil à quoquam exſpectans mercedis. Mitis & clemens eſt erga univerſos, cum poſſet illico, ſi velit, ulciſci.

CAP. VI.

Fac bene: forma precum: jejunia: cœlica gaza:
Sit lux pura: duplex ne ſit herus: vide aves.

1 OSTENDI quibus rebus oporteat vos excellere juſtitiam Scribarum & Phariſæorum, ſi velitis eſſe mei diſcipuli. Nunc oſtendam in his, quæ vobis videntur cum illis eſſe communia, quid ſit vitandum. Eſt enim tacita quædam peſtis, quæ vere vitiat omnia Phariſæorum benefacta, ſic, ut apud Deum nullam omnino laudem promereantur. Res eſt ſancta, beneficentia ſublevare egentes. Res pia eſt, puris precibus cum Deo colloqui. Res eſt religioſa jejunium; atque harum rerum oſtentatione Phariſæi ſibi vindicant opinionem eximiæ cujuſdam ſanctimoniæ apud homines, cum Deo diſpliceant, qui non faciem intuetur, ſed cor. Itaque merito diſplicent, quia cor habent inani gloria vitiatum. Auram populi venantur, potius quam bonam conſcientiam apud Deum, & dum hic captant inane præmium, fruſtrantur eo quod ſolum erat expetendum. Hæc peſtis per cuniculos quoſdam irrepens, clanculum inſidiatur etiam iis, qui in virtutis ſtadio aliquo uſque progreſſi videntur. Vos igitur hac in parte cautos ac circumſpectos eſſe volo, ne cum erit aliquid piorum operum præſtandum, ideo malitis apud homines facere, quam ſoli, ut ab illis conſpecti laudem & gloriam humanam venemini. Semper benefaciendum ſive videant homines, ſive non videant. Semper enim vos intuetur Deus, à quo præmium exſpectatis. Alioqui ſi ex benefactis laudem captatis apud homines, præmium amittitis apud Patrem cœleſtem. Non eſt ſemper celandum bonum opus, ſed non eſt agenda fabula conſpectibus humanis, veluti faciunt hiſtriones è proſcenio ſaltantes fabulam, quibus nihil aliud ſtudio eſt, quam ut oculis & auribus populi placeant. Atqui non poteſt ſemper optima ſequi, qui ſemet ad vulgi judicia accommodat. Sic enim eſt obſerviendum hominibus, ut illos ad veſtros mores pelliceatis, non ut vos ad illorum mores degeneretis. Veram virtutem ultro ſequitur ſua laus, etiam cum fugitur. At ea demum vera laus eſt, cum contingit non ambita, nec affectata. Atque hoc ipſum quod gloriæ naſcitur ex benefactis, totum eſt Deo tranſcribendum. Illi diſplicebitis ſimul atque vobis placebitis, vobis vindicantes quod totum illius eſt munificentiæ. Ergo quiſquis es Euangelicæ Legis ſectator, cum tua largitate ſublevare paras pauperum inopiam, noli facere quod ſolent hypocritæ, nimirum homines hiſtriones & fucati perſonatique, qui cum videantur liberales ac miſericordes, animo & avari ſunt & crudeles; nihil enim illos commovet calamitas proximorum, ſed avidi gloriæ, paululo pecuniæ mercantur auram popularem, nihil omnino daturi, ſi ſoli conſpiciant fratrem vel fame morientem. Itaque quoties aliquid largiuntur pauperibus, non quærunt ſolitudinem, ſed prodeunt in conciliabulis hominum & vicis, nec aliter quam fabulam acturi, tubæ cantu multitudinem ad ſpectaculum evocant, ſimul & miſeris exprobrantes ſuam calamitatem, & ſibi ſtultiſſimam quandam gloriam venantes ab hominibus. Vultis audire quid proficiant? utcunque applauſerit populus, apud Deum perdiderunt mercedem benefacti ſui, qui pium opus ex animi ſincero affectu metitur. Qui ad gloriam dedit beneficium, vendidit, non largitus

2 *Cum ergo facis eleemoſynam, &c.*

3 eſt. Te vero tantum oportet abeſſe ab iſtorum affectu, ut cum confers beneficium, ne ſiniſtra quidem ſciat quid faciat dextera tua, & adeo non deſideres hominem ſpectatorem, ut ſi fieri poſſit, nec ipſe ſcias te facere, quod recte facis, ac velut oblitus facti tui, nec imputes homini, quod benefeceris, nec tibi hoc nomine placeas, quod dederis, ſed tantum in ſinu gau-

A deas, quod refocillatus ſit egenus. Quid tum, ſi ne- 4
ſciant homines, imo ſi ne ipſe quidem qui juvatur, norit auctorem beneficii? Tibi ſatis eſt quod teſtem habes Patrem, cujus oculos nihil omnino fugit. Is tibi reponet præmium, etiamſi ab homine nihil * reddet gratiæ. Similiter autem cum precamini Deum, 5
ne ſequamini morem Hypocritarum, qui ſtare gaudent in conciliabulis hominum, & in angulis platearum, quoties precantur, non ob aliud, niſi ut conſpiciantur ab hominibus, à quibus ſanctimoniæ laudem aucupantur. Placeant ſibi, placeant aliis, hujuſmodi glorioſis precationibus: illud affirmo vobis, jam ha-
B bent præmium ſuum, nimirum hoc quod captabant. Quid autem inanius hac mercede? Et ob fucatam falſamque gloriolam ſeſe fruſtrantur ipſi tam felici præmio, quod Deus erat repenſurus, ſi precum ſuarum puram ac ſinceram victimam ipſius oculis obtuliſſent? Tu contra facito. Cum precaris, fugito tur- 6
bam, ingredere ſecretum cubiculi tui, & occluſis foribus, in abdito exprome coram Patre ſinceras preces tuas. Satis eſt, quod illum habes ſpectatorem tuæ pietatis, cui nihil occultum. Is tibi mercedem reddet æternam. Atque hæc docendi gratia craſſioribus exemplis propoſui; non enim nefas eſt aliquando largiri beneficium teſtibus hominibus, aut orare
C in frequentia multorum; ſed tum neſcit tua ſiniſtra, quid faciat dextera, cum opus caritatis nullo humanæ vanitatis affectu vitiatur. Tunc abditus es in cubiculo tuo, cum ea ſinceritate mentis Deum alloqueris, quaſi nullus hominum te videret. Qui in cœtu multorum orat, nihilo ſegnius, imo fortaſſe vehementius oraturus, ſi ſolus eſſet, orat in abdito cubiculo: neque enim dextera & ſiniſtra aut cubiculi ſecretum in rebus ſunt, ſed in affectibus. Quin & 7
illud vobis erit fugiendum inter precandum. Affectus eſt, qui movet Deum, non ſtrepitus labiorum, neque refert quam prolixa, quam vocalis ſit precatio, ſed quam ardens ac ſincerus affectus. Procul igitur 8
D abſit à vobis exemplum Ethnicorum, qui prolixas ac verboſas precationes veluti verbis conceptis recenſent, perinde quaſi nihil ſint impetraturi, niſi verboſiſſima loquacitate Deum fatigarint, identidem inculcantes eadem, ac verboſa recenſione præſcribentes quid velint, & quando, quomodoque ſibi præſtare velint quod optant, cum ſæpe precentur noxia. Optima petenda ſunt à Deo, non omnia, & crebro potius orandum, quam diu, & intente magis, quam prolixe, poſtremo, animo magis, quam voce, neque verbis Gentium more præſcriptis, ſed quantum ſuggerit animi calor & raptus in Deum. Amat quidem rogari Pater, non ut doceatur oratione prolixa,
E quid poſtulat veſtra neceſſitas, ſed ut excitetur veſtra pietate ad præſtandum, quod non merentur accipere ſegnes & oſcitantes, alioqui novit ille quid veſtra poſtulet neceſſitas, etiam antequam rogetur. Ergo quemadmodum vita, ſic & precatio diſcernat vos ab Ethnicis. Quod ſi vobis formam præſcribi vultis 9
Euangelicæ precationis, accipite dignam, qua veri ſincerique filii, fraterna caritate concordes, Patrem cœleſtem omnibus ex æquo communem compelletis, à quo tametſi vobis ſuppetunt omnia, tamen ea potiſſimum petenda ſunt, quæ conferunt ad
F viram cœleſtem. Nam cætera vel ſua ſponte, velut auctarium votis ſuorum adjiciet, ut eſt benigniſſimus. Cujus gloria non oportet quicquam vobis eſſe antiquius, cui debetur omnis gloria in cœlis & in terris. Ad cujus regnum pertinere, eſt Diaboli viciſſe tyrannidem, cujus voluntati ſubjici, regnare eſt. A cujus gratuita largitate venit, quicquid animos hominum alit vegetatque ad Euangelicam perfectionem. Sed non audiet vos niſi concordes, neque facile conſtabit concordia, niſi mutuas offenſas, ſine quibus non agitur hominum vita, quamvis ad perfecta tendentium, invicem condonetis. Atque hac concordia ſic eritis paterno præſidio tuti adverſus im-

* Alia Editio, *redeat.*

pro-

Digitized by Google

probum illum tentatorem, si vigilantes eritis, & assidue optimi Patris opem adversus pessimum imploretis. Itaque frustra compellarit Patrem hac formula, quam traditurus sum, is qui non est hujus contubernii; qui Deum nec veretur, nec amat; qui sibi vivit; qui suæ gloriæ servit magis quam Dei; qui mundanis opibus & regno inhiat; qui mavult assequi grata animo suo, quam quæ placita sunt Deo; qui terrena sectatur potius, quam æterna; qui corporalibus commodis posthabet animi dotes; qui dissidium habet cum fratre; qui per luxum & voluptates socorditer agit adversus insidias Satanæ. Nam formula sic habet: Pater noster, qui nos semel infeliciter genitos ex Adam, rursum cœlo genuisti, ubi nobis à terrenis rebus subvehendis regnum & hæreditatem æternam parasti, ipse in cœlis agere dictus, quod cum impleas omnia, nihil habes fecis aut infirmitatis terrenæ, fac ut per nos, tuo beneficio puros & integros, inter homines fiat inclytum & glorioſum nomen tuum. Non enim est nostra gloria, cum tui muneris sit, quicquid à nobis recte geritur. Aboleatur tyrannis Satanæ, ut in dies magis ac magis invalescat regnum tuum, quod non opibus aut satellitio, sed modestia, pudicitia, lenitate, tolerantia, fide, caritate constat, ut profligatis vitiis una cum malis cupiditatibus, vim suam exserant inter homines tuæ virtutes cœlestes; fiatque tandem, ut quemadmodum in cœlis pacata sunt omnia, nec est ulla creatura, quæ non obediat tuis jussis, ita in terris, nemo sit, qui non obtemperet tuæ sanctissimæ voluntati, cunctis (quantum patitur imbecillitas humanæ naturæ) jam hoc meditantibus, quod perfecte continget in futura vita. Ale, Pater, quod genuisti; prospice nobis ne nos deficiat panis ille tuus doctrinæ cœlestis, ut eo quotidie sumto confirmemur & adolescamus, vegetique reddamur ad tua jussa perficienda. Ac ne quando nostris delictis offensus, alienes animum tuum à nobis, sed pro tua clementia ignosce nobis delicta, quæ per infirmitatem in te committimus, ut tecum pacem habeamus; quemadmodum & nos inter nos invicem condonantes, si quid alius in alium deliquit, mutuam alimus concordiam. Te propitio nihil timemus, & concordia fulti firmiores sumus adversus hostem communem. Cui, quæsumus, ne tuos tradas tentandos, si fieri potest. Novimus enim illius malitiam, novimus improbitatem & versutiam. Quod si patieris nos incidere in tentationem, ut explores animi nostri constantiam, tu, Amen. Pater optime, libera nos ab illo pessimo. Hæc vota tua bonitas rata velit esse. Videte igitur, hæc brevis precatio quam multa complectitur, ut perfectus sit oportet, quisquis hanc recte pronunciaverit, hoc est, qui sic ore pronunciet, ut animus & affectus respondeat. Primum, docet vos totos non aliunde pendere quam à Patre cœlesti, cui debetis quod estis conditi; cui debetis quod estis à peccatis redemti; cui debetis quicquid habetis virtutum. Pater vocatur, ut clementem ac benignum intelligatis. In cœlis esse dicitur, ut illuc sustollatis animos vestros, neglectis bonis terrenis. Vestrum appellatis, ne quis sibi proprium aliquid vindicet, cum ex unius beneficentia proficiscatur omnibus quicquid habent. Et hac in parte est Regum & servorum æqualitas. Illius gloriam tantum optatis, ne quisquam in terris ulla ex re quicquam laudis adscribat sibi, unde nasci solet insolentia, animique tumor. Optatis ut ille regnet, ut illi obtemperetur, non vobis. Illius enim virtutes sunt, quæ per vos operantur. Illius doctrina est, quam ex me tradetis hominibus. Nec satis est in illius bonis persistere, nisi quotidie proficiatis in melius, & ob hoc postulatis ab eo panem illum admirabilem; quem quotidie vult peti, quoniam quotidie largitur: & ab ipso vult peti, ut memineritis ab illo proficisci bona omnia. Denique quo magis caveatis ne quando excidatis à caritate Patris tam

Pater noster, &c.

benigni, commonet vos illius improbi Satanæ, qui nunquam non insidiatur piis, ut eos in suam retrahat tyrannidem. Proinde priusquam hac precatione 14
Patrem compelletis, vobiscum expendite, an vere cupiatis hoc quod petitis, & num idonei sitis, quos Pater ista precantes audiat. Sed illud in primis excutite, an cum proximis habeatis concordiam. Talem experiemini Patrem erga vos, quales vos proximus experitur erga se. Non agnoscet pro filio, cui non convenit cum fratre. Si remiseritis hominibus in vos delinquentibus, remittet & Pater vester cœlestis, quod in ipsum deliquistis. Quod si 15
vos eritis duri & implacabiles erga cæteros homines, nec Pater vester condonabit vobis peccata vestra. Non vis ignoscere conservo tuo, in quem tu vicissim aliquando peccasti, & postulas à Deo, ut tibi condonet tuum admissum, qui cum nulla tibi potest esse pensatio delicti mutui? Habetis quantum oporteat vestram eleemosynam abesse ab eleemosynis Pharisæorum, & precationes vestras à precibus illorum. Nunc audite quantum oporteat & jejunia vestra di- 16
stare ab illorum jejuniis, si velitis esse grata Patri, vobis frugifera. Nec enim jejunium Deo commendat abstinentia cibi, sed affectus purus animi, soli Deo placere gestientis. Proinde vos quoties pietas hortabitur ad jejunandum, ne velitis imitari quosdam non jejunatores, sed jejunii simulatores, frontis tristitia jejunii personam præ se ferentes, cum re ipsa non hoc agant, ob quod jejunium debet adhiberi, nimirum vel ob placandum Deum, vel ob corporis castigationem, quo liberior sit animus sacris rebus vacaturus; sed hoc fuco laudem inanem captant apud homines, quibus Deo contemto fabulam hanc agunt. In hoc enim ad pallorem & tristitiam obnubilant facies suas, quo vel ipso corporis habitu conspicuum sit hominibus eos jejunare. Illud habetote certum, nihil est quod ob ista benefacta mercedem exspectent à Deo: jam enim habent præmium suum, hoc assecuti quod aucupabantur jejunio. Tu vero quoties je- 17
junas, dissimula magis jejunium, & uncto capite lotaque facie lætitiam præ te feras, ne te sentiant homines jejunare. Neque putes infrugiferum esse jeju- 18
nium, quod latet homines. Tibi satis est, quod Pater tuus videt, cui nihil est occultum. Et is, qui cernit in occulto, pro inani laude mortalium solidam mercedem reponet tibi. Neque rursus hæc dico, quod impium sit aliquos habere tui jejunii conscios, sed quod animus debeat ab affectione laudis abhorrere. Tunc nemo mortalium videt te jejunantem, quando tu non in hoc jejunas, ut à quoquam videaris. Tunc solus Deus videt te jejunantem, quando jejunas hoc animo, ut nihilo minus libenter sis jejunaturus, etiamsi nemo viderit mortalium. Hæc vulgus hominum non animadvertens, dum visibilia quædam apud homines præmiola venatur, sese frustratur invisibili veroque bono, quod pro recte factis largitur Deus. I- 19
dem accidit iis, qui magna sollicitudine sibi congerunt ac recondunt opes, easque ne perdant defodiunt in terra; atqui hoc ipsum est eas perdere. Qui recte erogavit divitias suas, is demum in tuto collocavit. Alioqui quod defoderis nec tibi est usui, tineisque, ærugini, & furibus obnoxium est, ut jam hinc ad te nihil redeat, præter calamitosam parandi, servandique sollicitudinem. Ista nec anxie, nec immodice paranda sunt vobis: & parata, aut forte objecta, facile sunt elargienda, si quis egeat, aut certe in hoc dispensanda, ut naturæ necessitati subveniatur, non ut luxui, animive morbo serviatur. Et tamen in hoc studium plerique mortales, omnes curas suas conferunt, quasi paupertas miseros efficiat, divitiæ felices. Dumque sectantur hæc falsa bona, moxque suos dominos relictura, relinquunt æterna bona, quæ vere felices reddunt, & eripi non possunt. Vos contra toto studio properantes ad optima, per- 20
fectaque, quo vere divites efficiamini, recondite vo-

Cum autem jejunatis nolite fieri, &c.

Nolite thesaurizare.

Digitized by Google

bis thesauros in cœlis, quorum custodia vos non eruciet anxia sollicitudine. Neque enim opes ejusmodi demolitur ærugo, tineave, nec fures effodiunt ac suffurantur, quibus casibus opes humanæ sunt obnoxiæ. Istas opes apud Patrem depositas, ipse vobis servabit tuto, nec animus vester sordidis curis depressus, hærebit humi, sed neglectis his humilioribus ac fluxis rebus, ad cœlestia rapietur. Siquidem ubi thesaurus est hominis, quem unice amat, ibi & cor erit. Nihil igitur sublime cogitant, qui congestas opes defossas habent in terra: ipsi quidem huc & illuc obambulant, tamen animus habitat in fovea, cui credita est pecunia. Quod si corruptus est animus vel inanis gloriæ, vel avaritiæ morbo, totum quod geritur, vitiosum sit oportet. Primum enim est perspicere quid sit potissimum expetendum, & quid vere præstet id quod petimus. Porro quod est in domo lucerna, quod est oculus in corpore, id est animus in homine. Si lux animi non est vitiata caligine falsarum opinionum, malarumque cupiditatum, si mentis oculus non alio dirigit aciem, quam ad verum scopum, quicquid agitur in vita gratum Deo est, nihilque non conducit ad cumulum felicitatis: quemadmodum si domus habeat insignem lucernam, nusquam impingitur, ita si oculus tuus purus est & integer, lucet membris omnibus, nec ulla pars impingit, aut errat, nimirum oculo duce. Contra si oculus corporis tui fuerit vitiatus, nullum membrum recte suo fungitur officio. Nihil enim recte judicatur, ea parte nostri vitiata, per quam unam judicamus. Proinde si ea pars, quæ in te est data vice luminis, versa sit in tenebras, quanta erit caligo reliquarum partium, quæ ex se lumen non habent? Si ratio cupiditatibus est excæcata, & id judicat esse felix, quod est calamitosum, id judicat in primis expetendum, quod vel contemnendum, vel neglectui habendum, in quas tenebras totum hominem rapiet ambitio, libido, avaritia, stultitia, ira, livor, odium, reliquæque perturbationes animi, quæ suapte natura caliginem habent? Sit igitur purus ac sincerus oculus vester, ut spectet optima; sit & simplex, ut hæc vel sola vel potissimum spectet. Ne vero putetis istos audiendos, qui se Deo & hominibus, qui se terræ cœloque partientes, ita sequuntur æterna, ut tamen hæc temporaria nolint contemnere: nihil enim aliud efficiunt, nisi quod dum utrumque captant, neutro potiuntur. Hæc Philosophia sicut ingentia præmia pollicetur, ita totum requirit hominem. Inter homines non reperies duos tam commodis moribus, ut idem servus possit duobus satisfacere. Ita fit, ut alter sit deserendus, aut neutri fiet satis. Quod si domini sint inter sese diversis moribus, ac simultate quapiam gravi dissidentes, necesse est ut servus, si velit alteri probari, alterum illum non deserat solum, sed alteri adhærens oderit etiam quem deseruit. Quod si rursus ab hoc velit ad alterum deficere, in hunc unum amorem & obsequium omne transferat oportet, neglecto eo quem reliquit. Qui vero sic inter se pugnant, ut Deus & mammona? Quomodo unus duobus serviet, cum imperent tam diversa? Deus imperat, ut tua largiaris egenti, mammona jubet, ut per fas nefasque rapias aliena. Deus imperat, ut consulas fratri tuo periclitanti, mammona jubet, ut tibi vivas. Deus imperat sobrietatem, mammona luxum docet. Frustra igitur vobis blandiemini, si creditis fieri posse, quod fieri non potest, ut simul & Deo serviatis, & mammonæ. Ejus quisque servus est, cui vehementer est addictus. Videtis quam totos possideant opes eos, qui tanto tumultu illas parant, tanta sollicitudine tuentur ac servant, tanto cruciatu amittunt. Quid non ob has patiuntur? quid non faciunt? Huic servitio qui se mancipavit, non potest esse servus Dei. Totum ille requirit hominem, nec patitur tam sordidi fœdique domini consortium,

Si oculus tuus fuerit simplex.

Nemo potest duobus dominis servire.

nec fert servum dimidiatum, & cum hoste communem. Sed divitum vulgus avaritiæ morbum excusare solet prætextu necessitatis humanæ. Fami, inquiunt, & nuditati consulitur his rebus. Ita loquuntur, qui non pendent toti à Deo, sed suis fidunt præsidiis. Ego volo vos hac quoque sollicitudine vacare, ne quid ea cura vos avocet à studio rerum meliorum. Minimis contenta est naturæ necessitas, & undelibet facile suppetit, quod talibus, quales meos esse volo, satis sit. Aut enim succurret obvia liberalitas bonorum, aut opera manuaria suppeditabit, quod necessitati medeatur. Postremo si nihil horum, Pater non destituet suos: totis animis inhiantibus ad cœlestia, vel non sollicitis hæc leviora adjiciet, qui majora largitur. Nolite itaque reponere in longum tempus, nolite discruciari sollicitudine de parandis cibis, sine quibus non vivitur, de parando vestitu, quo tegitur corpus, & à frigoris injuria defenditur. Nonne vita res est pretiosior quam cibus? Nonne corpus res est pretiosior vestimento? Hæc tanto meliora qui dedit, & dedit non sollicitis; an gravabitur vilioribus hisce rebus alere tuerique quod dedit? Si quæritis exemplum, verite oculos ad animantia reliqua, quæ vestra gratia condidit is, qui condidit omnia. An quicquam suo victu destituit eorum quæ condidit? Considerate volucres cœli: non serunt, non metunt, non recondunt in horrea de futuro sollicitæ, vivunt in diem, vacantes omni sollicitudine, quod obvium datur sumunt cum alacritate. Et tamen Pater vester cœlestis omnibus illis cibum suppeditat. Et vos destituet, quos tanto pluris facit quam aviculas? Quod si vos illi curæ estis, sicut utique estis, nonne supervacua est vestra sollicitudo? Si destituat ille, quid vobis proderit vestra sollicitudo? Ut corpus dedit suo arbitratu, ita & victum dabit suo arbitratu. Vultis videre quam sit inutilis animi sollicitudo de rebus hujusmodi? Quis est hominum, qui quamvis magna sollicitudine possit unum cubitum addere modulo corporis sui? Sed cujusque corpus, ipso ne cogitante quidem, statis auctibus crescit usque ad præscriptam à Deo magnitudinem; sive curam abjicias, nihilo brevius habebis corpus, sive cura distorquearis, nihilo habebis procerius. Proinde qui te non sollicito facit, ut corpus tuum augescat ac roboretur, idem prospiciet de victu citra tuam sollicitudinem, quæ te à cura rerum earum avocat, quæ sine nostra sollicitudine non parantur. Proinde stultum est anxie metuere, ne vobis desit pabulum, cum videatis hoc avibus ultro suppetere. Jam ne vos sollicitos habeat providentia vestiendi corpus, contemplamini lilia, quæ nulla hominum cura nascuntur & crescunt in agris: non laborant, non nent; quis autem illis de vestitu, ut ipsi visum est, prospicit? Quis nisi Pater cœlestis? Et ita prospicit, ut nec Solomon Rex opulentissimus ac splendidissimus unquam sic amictus fuerit, etiam cum maxime strepitum divitiarum suarum ostentaret, quemadmodum unum quodlibet ex his contemtis neglectisque liliis, non quæ in hortis, quibus nonnihil humanæ curæ tribuitur, sed in pratis sponte proveniunt? Nihil enim tam elegans præstare potest hominum cura, quam præstat ipsa naturæ providentia. Quod si Pater vester herbam vilem, moxque perituram, quæque hodie nitet in agris, cras demessa & arefacta, in clibanum mittenda, tanto nitore vestit, cur vos adeo parum illi fiditis, ut vobis, quibus tanto præstantiora contulit, quosque immortalitati condidit, ac peculiariter in sui nominis gloriam paravit, putetis defutura vestimenta, quæ vobis qualiacunque non ad ornatum, sed ad necessitatem quærenda sunt? Proinde qui patrem habetis Deum, tanta benignitate prospicientem etiam aviculis, prospicientem floseulis & herbis, quarum illæ ratione carent, hæ nec sentiunt; cum videatis illum vos tanti facere, ut corpo-

Respicite volatilia cœli.

Quis autem cogitans, &c.

Si enim fœnum agri, &c.

Digitized by Google

pori, mira providentia compoſito, animam indiderit rationalem, & angelicis mentibus ſimilem; ut filiorum titulo dignetur; ut vos ex omnibus delegerit ſua gratuita caritate, quorum ſincera vita caſtaque doctrina notus & glorioſus fiat apud univerſum mortalium genus, quos ad æternæ vitæ hæreditatem deſtinavit, abjicite iſtam humilium & ſordidarum rerum ſollicitudinem, ut anxii trepidique dicatis, *quid*
32 *edemus, aut quid bibemus, aut quo veſtiemur?* E-
Nolite ergo ſolliciti eſſe. thnicorum iſtæ voces ſunt, non Chriſtianorum, ſiquidem illi aut Deum eſſe non credunt, aut non credunt agere curam mortalium. Neque didicerunt aliam eſſe potiorem vitam, ad quam omnis cura ſit dirigenda. Itaque Dei præſidiis diffiſi, & in B
his, quæ corporis ſunt, felicitatem hominis conſtituentes, magna ſollicitudine parant, quæ ad victum veſtitumque aut reliqua corporis commoda faciunt. Geſtiunt gaudio, cum hæc obtigerint; exanimantur metu, cum his imminet periculum; diſcruciantur mœrore, ac nonnunquam ad laqueum currunt, cum hæc eripiuntur. Ac per has curas affixi rebus perituris, nec hic vivunt ſuaviter, nec ad cœleſtium bonorum ſtudium poſſunt animum erigere. Quis eſt inter homines pater tam impius, ut liberis ſuis non proſpiciat de rebus ad vitam neceſſariis? Vos Patrem habetis tam divitem, tam benignum, tam providum, ut omnibus ſufficiat, ut omnia locupletet, ut nihil quamlibet minutum aut contemtum deſtituat, & metuitis, ne filiis ſuis non ſuppeditet iſta, ſine quibus non vivitur? Hanc curam in illum transferte; novit his omnibus vobis opus eſſe: nec enim tam durus eſt, ut ſuum agentibus negotium neceſſaria ſubtrahat. Sed dicet aliquis, quid igitur? An non parabimus opera manuaria, quo nos, uxorem, liberoſque noſtros alamus? Quo pauperum inopiam ſublevemus? Maxime, ſed abſque ſollicitudine. Siquidem vulgus conduplicat ſuam miſeriam, ſimul & laborans corpore, & animo ſollicitum. Se- D
runt, ſed anxii, ne non proveniat quod ſerunt: metunt, ſed anxii, ne miles aut prædo prius auferat quod demeſſum eſt, quam condatur in horreum. Condunt in granarium, ſed anxii, ne peſtis aliqua vitiet frumentum, aut ne incendium exortum perdat. Poſtremo, quoniam ad copiam ſpectant, non ad præſentem neceſſitatem, & in longinquum congerunt, quaſi certum ſit illos diu victuros, & nihil unquam ſatis eſt. Vos itaque, ſi res ita poſcet, laborate, ſed abſque ſollicitudine: ſi obtingit ſine fraude & abſque negotio pecunia, accipite, ſed ſic, ut ejus cura nihil vos remoretur ab Euangelii negotio: majus enim quiddam agitis, quam ut levium & fluxarum rerum cura conveniat avocari. Prima cura E
33 ſit ejus boni, ad quod iſta collata nullius ſunt mo-
Quærite ergo primum regnum Dei. menti. Inſtaurandum eſt regnum Dei, hoc eſt, doctrina Euangelica, per quam pertingitur ad cœleſtem hæreditatem; hujus vos præcones & adjutores delegi; & oſtendi quam eximiis virtutibus ſit opus ad hoc negotium obeundum, ut inimicos diligatis, & ſalutem optetis his, qui vobis moliuntur exitium. Hæc quia ſumma ſunt, nec vobis ſine veſtra ſollicitudine contingent à Patre, primum vobis quærenda ſunt. Reliqua leviora, quæ pertinent ad hujus vitæ neceſſitatem, Pater optimus ultro vobis non ſollicitis, velut auctarium adjiciet; ut utro- F
que nomine gratias agatis illius munificentiæ, & quod illa ſumma vobis adnitentibus præſtiterit, & hæc citra veſtram ſollicitudinem adjecerit. Non vult vos gravari curis, quæ faciunt afflictiores, meliores non faciunt. Et hoc negotium, quod ſuſcipitis, tam arduum eſt, ut totum animum, ut expedi-
34 tum, ut vacuum reliquis curis, deſideret. Quare velut in diem viventes præſentibus rebus contenti, nolite diſcruciari cura futuri, quemadmodum facit hominum vulgus, ſibi conduplicantium afflictionem, dum & de præſenti neceſſitate ſatagunt, nihil non facientes, & futuri metu diſtorquentur. Quod hodiernus dies obtulit, accipite cum gratiarum actione: quid craſtinus dies ſit allaturus, ipſi curandum relinquite. Si quid adferet boni, non pendebitis ſpe; ſi quid mali, non prævenietis afflictionem metu futuri mali. Habet hæc vita ſuas affiictiones, quas nihil eſt neceſſe metu conduplicari. Satis enim eſt eas ferre cum adſunt, ut non etiam timor nobis præſentes reddat antequam accedant. Tempus iſta volvit ac defert in vita mortalium, læta triſtibus miſcens, quæ tamen omnia vobis vertentur in bonum, ſi quicquid inciderit, boni conſulentes, totos vos poſſideat cura regni cœleſtis.

CAP. VII.

Grandis trabs: petito: via duplex: pſeudo-Propheta: Arbor cum fructu: firma, ruenſque domus.

EST & aliud, in quo velim vos procul abeſſe à mo- 1
ribus Scribarum & Phariſæorum. Siquidem il- *Nolite jam dicere.*
li cum ſibi ignoſcant in graviſſimis peccatis, tamen erga fratrem peccantem judices agunt inclementiſſimos; etiam ea calumniantes quæ recta ſunt, ſiniſtre interpretantes quæ ſunt dubia, exaggerantes quæ levia ſunt; denique ſi quem viderint in aliquod gravius crimen prolapſum, magis hoc agentes, ut perdant quam ut ſanent. Atque hinc quoque juſtitiæ famam ſibi venantur, quod magno ſupercilio ſæviant in lapſus alienos, cum id faciant, nec amore proximorum, quos exſtinctos malunt quam correctos, & tractos potius quam emendatos; nec odio vitiorum, cum ipſi ſuis vitiis longe gravioribus indulgeant. Veſtra vero judicia, ſi qua ſunt, ſapere debent Euangelicam caritatem, quæ facile condonat; quæ non temere ſuſpicatur de quoquam; quæ quicquid anceps eſt, in bonum potius quam in malum interpretatur; quæ multa lenitate ſua tolerat; quæ mederi mavult, quam punire; quæ ſuæ infirmitatis conſcia, talem ſe præbet judicem in commiſſis alienis, quales velit alios experiri erga ſe peccantem. Poſtremo, non ſumit ſibi ſupercilium in objurgandis malis aliorum, ſi ſibi ſit conſcia ſimilium aut etiam majorum, ſe ſibi prius cenſorem ac judicem adhibens, quam alterum increpet aut admoneat. Atque interim uſu venit illis ſuperciliosis, ut iniqui judicii exemplum in ipſos auctores recidat, & alios viciſſim experiantur ſuæ vitæ cenſores tales, quales in alienam egerint. Nolite ergo vos ſic alios judicare, ne ſimili modo judicemini ab aliis. Alio- 2
qui fiet, ut quale judicium exercueritis in alios, tale viciſſim alii in vos exerceant, quaque menſura menſi fueritis aliis, alii viciſſim metiantur vobis. Ut enim officium invitat officium, clementia clementiam, ita calumnia calumniam, ſævitia ſævitiam. Qui male loquitur de proximo, pejus audiet. Nulli enim atrocius ſæviunt in quamlibet leves lapſus proximi, quam qui ipſi madent vitiis longe gravioribus. Hic traducit fratrem, quod veſte diſcincta utatur, cum ipſe totus madeat livore: ille nihil non dicit in fratrem, quod victus imbecillitate carnis, concubina ſit uſus, cum ipſe totus ſerviat avaritiæ & ambitioni. Alius exſecratur fratrem, quod bibit paulo largius, cum ipſe tot homicidia, tot veneficia gerat in pectore, adeo cæcutiens ad ſua tubera, qui ad verruculam alienam eſt oculatiſſimus. Quod autem eſt iſtud præpoſterum judicium? in ſuis quiſque malis debet eſſe judex acerrimus, in alienis mitior; ad ſua quemque vitia decet eſſe oculatum, in alienis non perinde curioſum. Et ſibi quiſque primum debet eſſe medicus, priuſquam alteri manus admoveat. Tu vero cur vides feſtucam in oculo fratris, cum 3
trabem, quæ eſt in oculo tuo, non videas? Aut 4
qua fronte dicis fratri tuo, ſine ejiciam feſtucam ex oculo tuo, cum interim ipſe geſtes trabem in oculis propriis? Hypocrita, qui non ex tuis bonis, 5
ſed ex alienis malis ſanctimoniæ laudem venaris apud

Digitized by Google

homines, prius ejice trabem ex oculo tuo, ac deinde, puro jam ac purgato oculo tuo, diſpicias, num qua ſit feſtuca, quam ejicias ex oculo fratris. Ut oculo judicamus ea quæ ſunt corporis, ita animo judicamus ea quæ ſunt animi. Proinde vitio careat oportet illud, quo vitium alienum judicamus. Et ſeipſum prius docuerit oportet, qui ſuſcipit alios docendi provinciam; & ſui judex ſit oportet, qui parat in alios pronunciare; & ſibi monitor ſit oportet, qui velit alios admonere. Atque hæc quidem potiſſimum
6 ad eos pertinent, qui populi curam gerunt. Quan-
Nolite dare ſanctum canibus. quam autem volo vos eſſe promtos ad benemerendum de omnibus, tolerantes erga eos qui vos afficiunt injuria; ſimplices & candidos erga eos qui labuntur humana infirmitate; denique & erga perverſos tales, ut malitis eos corrigi quam exſtingui: nolim tamen Euangelicæ ſapientiæ myſteria, ſine delectu prodi dignis & indignis. Etenim ſi Judæi tanti faciunt ſua ſacra, ut ab his arceant canes animal impurum; ſi divites tanti faciunt ſuos uniones, ut non projiciant eos porcis, alioqui inſani habendi, ſi id faciant, vos qui poſſidetis ea quæ vere ſancta ſunt, quæque ſuperant omnes baccas quamlibet pretioſas, cavete ne opes Euangelicas projiciatis indignis. Canes enim ſunt, qui toto pectore dediti profanis rebus abhorrent ab iis, quæ ſapiunt ſanctimoniam. Sues ſunt, qui toti immerſi voluptatibus obſcœnis, exſecrantur puram caſtamque Euangelii doctrinam. Canibus putria cadavera, & fœtidus vomitus jucundior eſt omnibus condimentis & aromatis; ſus cœnum mavult quam gemmas. His igitur, qui ſic palam præ ſe ferunt contemtum ſanioris doctrinæ, ut nulla ſpes fructus videatur, non oportet ingerere ſecreta doctrinæ cœleſtis, ne provocati per occaſionem ſceleratiores etiam evadant quam antea fuerant; & idem eveniat, quod eventurum ſit, ſi quis margaritas porcis objiciat, aut canibus id quod ſanctum eſt: nam canes non ſolum non reverebuntur rem ſacram, verum etiam irritati jactu inſilient in vos, ac dilacerabunt dentibus: & ſues pretioſos lapillos ceu rudera pedibus ſuis conculcabunt. Ita nec canis re ſancta fit ſanctior, ſed rem ſanctam profanat; & ſus non fit ornatior gemmis, ſed illarum puritatem conſpurcat. Sic homines deploratæ malitiæ doctrinam ſacram ut ſtultam irrident, ubi cognorint, & ut impiam calumniantur, ac negotium faceſſunt iis, qui tradiderunt. Avidis igitur, aut certe ſanabilibus communicanda eſt Euangelica Philoſophia. Nec ſtatim credenda ſunt omnia omnibus, ſed ut quiſque ſpecimen ſui profectus præbuit, ita ſunt abſtruſiora quædam aperienda. Hæc eximia bona, ut non ſunt à vobis communicanda quibuslibet, ita non contingunt à Deo Patre ſegnibus & oſcitantibus.
7 Dat hæc, ſed avide petentibus; non negat hæc, ſed
Petite & dabitur vobis. ſtudioſe quærentibus; non arcet ab hoc theſauro, ſed improbe pulſantes. Petite igitur à Patre, non gemmas aut aurum, ſed has veras & inæſtimabiles opes animi; *petite*, inquam, *& quod petitis dabitur. Quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis.* Dives ac benignus eſt Pater veſter, nulli negat, nulli invidet opes ſuas, ſed agnoſci vult earum pretium.
8 Non agnoſcit autem qui ſegniter optat. Quiſquis igitur ut par eſt petit, accipit; quiſquis avide ſcrutatur, invenit; quiſquis inſtanter pulſarit fores, huic aperietur. Porro recte petit, qui petit ſalutifera, qui petit cum fiducia; recte quærit, qui quærit infatigabili ſtudio; recte pulſat, qui piis operibus divinam bonitatem ſollicitat. Quod ſi non
9 protinus accipitis quod petitur, ne diffidite tamen de benignitate Patris veſtri: dabit cum opus erit, & quantum opus erit, ſi modo perſeveraveritis: non enim minus exorabilis eſt Deus erga filios ſuos, quam homo pater erga liberos ſuos. Quis enim eſt inter vos pater tam inhumanus, ut ſi filius petat rem utilem, puta panem, non illi det quod petit, ſed pro pane lapidem porrigat? Aut ſi piſcem petierit obſo- 10
nii loco, pro piſce ſerpentem illi porrigat? Utique negaturus, ſi lapidem, aut ſerpentem, aut alioqui rem noxiam peteret. Vos igitur natura proclives ad 11
malum, atque etiam aliis in rebus mali plerunque, tamen hac in parte, non virtute, ſed naturæ impulſu ſervatis pietatem, ut noveritis utilia dare liberis veſtris, quanto magis id faciet Pater veſter cœleſtis natura bonus? An is non dabit vobis filiis ſuis ſua bona, ſi benignitatem ipſius flagrantibus ac pertinacibus votis ſollicitaveritis? Porro quod ad vitæ con- 12
ſuetudinem attinet, quæ mutuis officiis & injuriis *Omnia ergo quæcunque vultis fac. &c.* invicem aut læditur, aut juvatur, quoniam prolixum ſit de ſingulis præcipere, dabo formam generalem, cujus vis ſit omnibus à natura inſita. Nemo ſanus ſibi non bene cupit, ſed vulgus hominum ſic eſt amans ſui, ut alienis malis ſuis conſulat commodis. Vobis non itidem faciendum, ſed quales optaretis alios eſſe in vos, tales vos ipſos præſtate in alios. Nemo cum ignorantia tenetur, non cupit doceri; nemo cum labitur, non cupit amanter ac ſecreto moneri potius quam traduci; nemo cum eget, non velit ſibi ſubveniri; nemo velit obtrectari famæ ſuæ, nemo fraudari. Ex hoc igitur ſenſu communi, qui nulli mortalium non eſt inditus, quiſque ſumat ſibi conſilium, qualis eſſe debeat erga proximum ſuum. Quod ſibi fieri nolit, ne faciat alteri: quod ſibi fieri gaudeat, præſtet in alterum. Hoc eſt compendium & ſumma omnium quæ docet Lex & Prophetæ; quos ſi aut non vacat, aut per inſcitiam literarum non poteſt aliquis evolvere, certe nemo non habet domi regulam, ad quam dirigat actus ſuos, modo rationi quam cupiditatibus obtemperare malit. Hæc ſi videntur ardua iis, qui diligunt 13
hunc mundum, ſi videtis maximam hominum partem diverſa ſequi, ne quid animum veſtrum commoverit. Optima quæque difficiles habent aditus. Vos ſpectate magis quo ducat hæc via, quam an commodum habeat ingreſſum. Fingite duas eſſe portas, alteram arctam, ad quam non ſit aditus niſi per anguſtam viam, ſed quæ mox ducat ad vitam æternam. Alteram latam ac patentem, ad quam ſpatioſa via præbeat omnibus aditum, ſed quæ mox ducat in exitium æternum. Vos ergo intrate per anguſtam portam, malitiſque cum paucis tendere ad vitam æternam, quam cum multis ad perditionem æternam. Siquidem ſpatioſa via, quoniam neminem arctat legibus pietatis, quoniam his rebus adblanditur, quæ delectant ſenſus corporis, quæ blandiuntur animi cupiditatibus, facile plurimos ad ſeſe pellicit, ſed ad breve tempus delinitos, per amplam portam tranſmittit in calamitates inenarrabiles, & falſis bonis deceptos tradit veris malis. Quam vero 14
anguſta eſt porta, quam arcta eſt via quæ ducit ad vitam? Nihil enim oſtentat quod blandiatur carni; multis aſpera eſt: quæ moleſta ſunt etiam naturæ, protinus objicit, paupertatem, jejunia, vigilias, tolerantiam injuriarum, caſtitatem, ſobrietatem. Hæc porta non capit hujus mundi gloria turgidos; hæc non capit faſtu elatos; hæc non capit luxu diſtentos; hæc non capit divitiarum ſarcinis onuſtos; hæc non capit reliquas hujus mundi copias ſecum trahentes. Non recipit niſi nudos, & ab omnibus hujus mundi cupiditatibus expeditos, ac velut exſutis corporibus in ſpiritum extenuatos; unde fit, ut à paucis inveniatur, quod non cernatur niſi purgatis oculis, quibus perſpicua ſunt bona ſpiritualia. Sed ab iſtis, qui libidine, luxu, faſtu, avaritia, reliquiſque cupiditatibus ludentes, ac riſum inſanum ridentes, tendunt in exitium, vobis non eſt periculum; ſiquidem illos ſequi, non error eſt, ſed inſania. Ma-
15 gis cavendum eſt ab his, qui vobis ſe jungunt, ſpe- *Attendite à falſis prophetis.* ciem habentes pietatis, cum ſint pietatis hoſtes: Deum Patrem, Euangelicam doctrinam, regnum cœlorum habent in ore, cultus eſt vilis, ora pallent

lent jejunio, corpus habent attenuatum macie, orant prolixe, largiuntur pauperibus, erudiunt populum & interpretantur ſacros Libros, atque harum rerum imagine perſonati veniunt ad vos, velut ovilla pelle tecti, cum intus ſint lupi rapaces & Euangelici gregis laniatores. Nihil ſit negotii lupum ab ove dignoſcere, ſi uterque ſuam edat vocem, ſi uterque ſua pelle tectus veniat. Quid autem facias, ubi lupus ovillo vellere, ovilla voce ovem ſimulans, irrepſerit in ovile, non ut ovis fiat, ſed ut crudelius oves laniet? Mutat vocem lupus, & Chriſti nomen profitetur; profitetur Euangelicam doctrinam, ſed ut incautis adſpergat hæreſeos ſuæ venena. Simulat opera pietatis, quo magis aliorum ſimplicitate ad ſuas cupiditates abutatur. Ab his igitur diligenter eſt cavendum vobis, quos delegi gregis mei cuſtodes ac
16 paſtores. Facile deprehendetis ſimulationis præſti-
A fructibus eorum cognoſcetis. gium, ſi propius inſpexeritis, non titulum & veſtem, ſed ipſa facta, quæ produnt animum inſincerum: nam etiamſi bene docent, tamen hoc ipſum quod docent, non præſtant. Eſt ſuus cuique arbori peculiaris fœtus, qui ſapore prodit radicem. Si vitam & mores attentius obſerves, reperies illos ſibi placentes, ſuis commodis ubique ſervientes, elatos, vindices, invidos, obtrectatores, gloriæ ſitientes, nonnunquam & ventri deditos, & omnino ſuum negotium agentes, potius quam gregis, aut Euangelii. Oſtendi qui ſint fructus arboris Euangelicæ, nimirum animus alienus ab omni faſtu; animus lenis, & minime appetens vindictæ; animus contemtor omnium voluptatum hujus mundi; animus contemtor opum, & ſitiens eſurienſque pietatis Euangelicæ; animus promtus & expoſitus ad benemerendum de omnibus; animus purus ab omnibus cupiditatibus, nec alio ſpectans quam ad Deum; animus nihil afflictionum recuſans, modo provehat doctrinam Euangelicam; animus nihil mercedis exſpectans in hoc mundo pro ſuis benefactis, neque gloriam, neque voluptatem, neque divitias; animus qui bene velit etiam malevolis, qui bene mereatur etiam de male merentibus. Hos fructus qui vere præſtat ipſa re, is demum eſt arbor Euangelica. Proinde qui ſe jactant Prophetas, & hoc titulo ſe venditant, qui cultu religioſo ſe fingunt oves, cum affectu ſint lupi, ab his fructibus ſunt æſtimandi. Nolite ſpectare frondes & corticem. Hæc ſæpe communia ſunt agreſtibus cum mitibus, ſalubribus cum peſtiferis: fœtus guſtatus indicat, qualis ſit arboris ſuccus. Quod ſi videritis in his avaritiam, arrogantiam, livorem, ulciſcendi libidinem, fucum, aliaque id genus, quæ velut ex diametro pugnant cum fructibus Euangelicæ mentis, nolite putare ex iiſdem arboribus aliquid boni fructus proditurum. Quis enim ſic
Numquid colligunt de ſpinis uvas? inſanit inter homines, ut de ſpinis colligat uvas, aut de tribulis ficus? hoc eſt, ex aſperis & immitibus fruticibus fructus ſuaviſſimos? Itidem fit inter homines.
17 Arbor vere bona, & ſuccum mitem gerens in radi-
18 ce mentis, edit bonos fructus. Contra arbor vere mala, quibuſcunque ſit foliis, quocunque cortice, tamen fructus edit malos. Nec poſſunt hæc inverti, natura videlicet repugnante. Neque enim qui ſincero eſt animo, poteſt non factis exprimere ſinceritatem affectus ſui; neque rurſus qui vitiato eſt animo, poteſt ea præſtare factis, quæ vere bonum arguunt. Tametſi præſtigiis ac ſpecie ſanctimoniæ nonnunquam imponit incautis hominibus, certe Deo non poteſt imponere. Proinde qui fucate boni ſunt,
19 dent operam, ut omiſſo fuco fiant boni. Poteſt enim inter homines ex arbore mala fieri bona. Quod ſi perſeveraverit in perverſa ſimulatione, metuat ne hoc patiatur à vindice Deo, quod arbor infrugifera patitur ab agricola ſuo. Quid autem patitur? Exciditur & in ignem conjicitur. Sic quiſquis in regno Dei aut nullum affert fructum, aut fructum edit indignum ſua profeſſione, niſi reſipuerit, in ignem

A æternum abjicietur. Hoc igitur indicio dignoſcetis 20
eos, nimirum ex ipſis fructibus, quos ſi malos in eis deprehenderitis, ſubmovebitis à cura gregis, nec recipietis in regnum cœlorum, nec habebitis pro Chriſtianis, ſed pro hoſtibus; non ut illos lædatis, ſed ut caveatis ne gregi noceant admixti. Nihil eſt 21
enim pernicioſius impietate, cui ſanctimoniæ falſa ſpecies fidem addit & auctoritatem. Non omnis *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, &c.* qui me verbis duntaxat profitetur, dignus habebitur regno cœlorum. Neque enim titulus Chriſtianum facit, ſed vita, neque protinus eos pro diſcipulis agnoſcam, qui mihi religioſis verbis dixerint, *Domine, Domine*, cum re ipſa longe aliis dominis ſerB viant, mammonæ, ventri, ambitioni. Quos igitur dignabor regno cœlorum? qui vere repudium miſerunt terrenis cupiditatibus, & ex animo obtemperant voluntati Patris mei, qui in cœlis eſt, cujus voluntatem ego vobis prædico. Siquidem ab illo eſt 22
quicquid vos doceo. Atque adeo non proderit no- *Multi dicent mihi &c.* men meum his, qui ſpiritu factiſque meis caruerint, in illo die cum non jam humano judicio, quod ſæpe fallitur, ſed divino, pro ſuis cuique meritis præmia deſignabuntur, & ſeparabuntur oves ab hœdis, ut nec illa ſint eis profutura, quæ nunc inter mortales divinum quiddam & homine majus præ ſe ferunt.
C Tum enim videntes jam æternam vitam paratam iis, qui doctrinam Euangelicam ſecuti, ſe declararunt veros eſſe diſcipulos meos; rurſum æternum ſupplicium his, qui ab horum conſortio ſemovebuntur; multi metu territi venient, & agnoſci jam cupient apud Deum, cum apud homines ſimulaverint præcipuos quoſdam & eximios diſcipulos Chriſti, Euangeliique præcones, dicentque mihi, *Domine, Domine*, non agnoſcis famulos tuos? Nonne per tuum nomen futura prædiximus? Nonne per tuum nomen dæmonia profligavimus? Nonne per tuum nomen defunctos excitavimus? Nonne per tuum nomen venena morboſque pepulimus? Nonne per tuum no-
D men alia prodigioſa quædam ac ſtupenda multa fecimus, atque his factis nomen tuum illuſtravimus? Tot argumentis docuimus nos eſſe tuos, & nunc non agnoſcis? Tunc audient ex me tale reſponſum: 23
Profecto nunquam agnovi vos, ne tum quidem cum iſta faceretis. Audio *Domine, Domine*, ſed fidelium ſervorum animum nunquam ſenſi in vobis. Audio multam mentionem nominis mei, ſed Spiritum meum nunquam expertus ſum in vobis. Audio miracula per nomen meum geſta, ſed non audio fructus illos proprios & peculiares, per quos vere Chriſti diſcipulus agnoſcitur. Proinde quando nec tum vere mei fuiſtis, eum meo nomine vos venditabatis inter homines,
E ſed ſub ſimulata profeſſione mei ſerviiſtis Diabolo, diſcedite nunc à me, & accedite illi, cujus ſpiritum hauſiſtis, cujus voluntati obtemperaſtis. Quocun- 24
que titulo fuerint, quicunque operati ſunt injuſti- *Omnis ergò qui audit verba mea, &c.* tiam, non erunt conſortes regni mei. Sed quemadmodum fructus arboris non poteſt eſſe generoſi ſaporis, niſi radix ſuccum habeat generoſum, ita ſtructura quamvis foris magnifica, & in altum ſurgens, firma non erit, niſi firmo ſolidoque fundamento nitatur. Qui meum hauſerit Spiritum, hoc eſt, ſincerum affectum, non alio ſpectantem quam ad Dei gloriam, is eſt arbor bonæ radicis. Ita qui non in-
F nititur inanibus hujus mundi rebus, ſed veris animi bonis, atque in his conſtanter perſeverat, is ſapienter ædificat ædificium nunquam ruiturum. Proinde quiſquis audit ſermones meos, nec audit tantum, ſed in intimos affectus ſuos demittit, ut factis exprimat quod didicit, hunc ſimilem ajo viro provido prudentique, qui quo ſolidum ac firmum ædificium ſtruat, ante omnia diſpicit ſibi ſolidum & immobile fundamentum, cui credat ſubſtructionem adverſus omnes injurias tempeſtatum duraturam: nam tranquillo quidem cœlo quodvis ædificium facile conſiſtit, cæterum hiems arguit ſoliditatem ſtructu-

ræ.

Digitized by Google

25 ræ. Jam pluviæ vis ingruens, illam pulsat; jam au-
ɔta imbribus flumina, magno impetu illam quatiunt;
jam ventorum impetus illam oppugnat; & tamen
tot modis pulsata, consistit immobilis. Cur ita?
quia solido nititur fundamento. Providerat hæc
exoritura ædificator, & ideo imposuit illam solido
saxo, cujus præsidio nihil illos insultus metueret.
26 Rursus quisquis audit sermones meos, & audit tan-
tum, nec eos transfundit in affectus suos, nec hos
exprimit factis, similis est ædificatori parum provi-
do, qui non prævidens tempestates venturas, ædi-
ficium suum collocat super arenam, videlicet flui-
27 dum, minimeque fidele fundamentum. Post irruit
pluviæ vis, irruit torrentium impetus, irruit ven-
torum procella, domusque à fundamentis convulsa
solvitur, magnoque fragore concidit. Cur ita? quia
splendida quidem in speciem erat structura, verum
nitebatur inutili fundamento. Prima sit igitur cura
fundamenti. Jejunia, eleemosynæ, preces, sordi-
dus vestitus, denique miracula, sunt quidem instar
splendidi ædificii; cæterum si animus ista gerentis
spectat inanem hominum laudem, si quæstum, si
voluptatem, corruent omnia, si quando ingruerit
vehemens tentationum procella. Cæterum cujus af-
fectus fixus est in doctrina promissisque Euangelicis,
à solo Deo præmium exspectans recte factorum, is
adversus omnes malorum injurias, adversus impio-
rum atrocissimas persecutiones, adversus hæretico-
rum insidias & insultus, denique adversus omnes ma-
chinas Satanæ, adversus mortem ipsam, stabit in-
concussus & infractus usque ad diem illum, cum
perseverantia victrix malorum suam feret coronam.
28 Hos sermones cum finisset Jesus, admirabantur
turbæ novum hoc doctrinæ genus. Nihil enim hu-
jusmodi audierant ex Scribis aut Pharisæis, qui si
quid addere solent Legi Mosaicæ, quo se redderent
admirabiles populo, dilutas quasdam constitutiun-
culas solent adferre, de lavandis ante cibum mani-
bus, de lavando corpore, si quis à foro domum re-
disset, de lavandis poculis, de decimis persolvendis
ex proventu menthæ & rutæ. Nihil hujusmodi do-
cebat Jesus, sed cum miraculis testatus esset, quid pos-
set factis, talem item sese declarabat in doctrina, cum
auctoritate vetans quod Lex indulserat, & exigens
quod Lex non exegerat. Lex indulserat repudium,
quacunque de causa, Jesus interdixit omne repudium,
nisi interceserit adulterium. Lex nihil aliud vetat
quam occidere, Jesus exigebat, ut nec irascerentur
fratri, ut facile declararet se non esse Legis inter-
pretem tantum, sed dominum; non ministrum, sed
29 auctorem. Postremo vigor quidam doctrinæ perfe-
ctæ, ac genuina quædam veritatis vis afflabat docil-
lem ac simplicem multitudinem, nihil expertam si-
mile in suis Scribis ac Pharisæis.

CAP. VIII.

Hinc lepra: Centurio: socrus: fovea: tumulator: Somnus: turba maris: porcus in amne perit.

1 HAEC igitur sublimia locutus in monte Jesus,
non quibuslibet, sed præcipue Discipulis suis,
& his qui Spiritus alacritate potuerant illos consequi,
rursus demittit sese ad humilitatem promiscuæ tur-
bæ, quæ multos habebat segnes, debiles, claudos,
& ægrotos, qui corporalibus etiam beneficiis alli-
ciendi erant ad studium rerum cœlestium. Atque
in his sanandis hoc ipsum agebatur per imaginem,
quod per doctrinam agebat sanandis animi morbis.
Utraque res alteri conciliabat fidem atque auctorita-
tem: libentius illi credimus quem amamus, & be-
neficiis conciliatur amor. Ac facile pondus apud
nos habet illius oratio, quem conspicimus in factis
tam esse potentem. Ergo cum Jesus relicto monte
venisset in planiciem, hinc atque hinc variæ homi-
num catervæ ad illum confluebant, quo miracula,
2 per eum edenda, plures haberent testes. Numeroso

A igitur theatro congregato, ecce prodit quidam mi- *Et ecce le-*
raculi præbiturus occasionem, simulque typo quo- *prosus ve-*
dam docturus eos, qui lepra laborarent animorum, *niens, &c.*
unde & qua fide deberent remedium petere. Pro-
dit enim quidam lepra corpus habens infectum. Is
morbus apud Judæos cum primis habebatur abomi-
nabilis, & major esse creditur, quam ut arte medi-
corum tolli possit. Hujus morbi judicium veluti sa-
cri, Sacerdotibus erat delegatum, ac miris variisq
que observationibus explorabant, num vera lepra
corpus alicujus teneretur. Damnatis nefas erat ad-
misceri cœtibus hominum, nec fas erat inquinatum
hoc morbo corpus contingere. Hic igitur damna-
tus à Sacerdotibus, certaque lepra impurus, ausus
B est venire ad purificatorem omnium Jesum. Pudo-
rem adimebat salutis amor, fiduciam addebat Jesu
jam in omnes spectata benignitas. Spem faciebant
tot aliorum exempla, qui sani domum redierant. I-
taque cum provolutus ad genua Jesum adorasset: *Do-*
mine, inquit, *si vis, potes me mundare.* Quid hic fa-
cturus erat superbus Pharisæus, aut Sacerdos Mosai-
cus? Abominatus fuisset hominem impurum, ac ne
colloquio quidem dignatus fuisset. At Jesus boni pa- 3
storis imaginem exhibens, delectatus hominis fide
cum tanta modestia conjuncta, qui non ausus sit pe-
tere ut mundaretur, nisi vellet ipse qui novit quid
cuique expediat, sed tamen non dubitabat posse, si
C vellet, non aversatus est impurum, sed porrecta manu
tetigit eum: hac sane in parte neglecta Lege, quod
ad literam attinet. Et adjecit sermonem, quo si-
mul & voluntatis bonitatem, & potentiæ suæ ma-
gnitudinem declararet: *Quandoquidem*, inquit, *cre-*
dis me posse si velim, volo, mundus esto. Simulque
cum dicto mutata cute reliquit eum morbus, teste
populo. Sub hæc Jesus, quo major esset fides mi- 4.
raculo, simulque eriperetur ansa Sacerdotibus calu-
mniandi, quod sibi vindicaret auctoritatem judicandi
de lepra, & ad se trahere cuperet lucrum, quod ex
mundatis à lepra soleat ad ipsos redire, dicit illi:
Vide interim ne cui te prædices esse purum à lepra.
D Neque enim tuum est judicare de teipso, nec ego
mihi sumo quod est Sacerdotum. Prius igitur adito
Sacerdotem, illique temet ostende, & si te pronun-
ciaverit esse mundum, qui antea pronunciaverat esse
leprosum, tum offeras munus, quod Moses jussit
offerri ab his, quibus contigisset à lepra mundari,
ne post & te calumnientur, qui te turbæ admi-
scueris, & me, qui non potuerim veram præstare
sanitatem. Munus enim ab illis acceptum velut à
puro redarguet illos, si post cœperint odio mei ca-
lumniari quod factum est. Etenim si leprosus antea
non eras, cur te summoverunt à castris? Si nunc
purus non es, cur abs te ceperunt munus solenne
E velut à purgato? Voluit autem Jesus testem esse po-
pulum, quantum leproso profuisset sua fides, quam-
que nullo negotio verbo morbum omnem abstuli-
sset, ut eadem fide audirent doctrinam ipsius, qua
sanarentur à morbis animorum.

Ergo postquam Judæos facto docuisset, sinceritate 5
fidei facillimam esse viam ad salutem, ita mox in *Accessit ad*
Centurione docet, ne Gentibus quidem esse præclu- *eum Centu-*
sam, si modo fides adsit Euangelio digna. *Cum enim* *rio, &c.*
ingressus esset Capernaum, id oppidum est haud pro-
cul à stagno Genezareth, in confinio Zabulon &
Neptalim, adiit illum Centurio quidam, quod ho-
minum genus duobus nominibus exsecrabantur Ju-
F dæi; primum, quod fere sint incircumcisi, & à Lege
Mosaica alieni, deinde quod vitæ genus infame sit
vulgo. At nec hunc aversatus est optimus Jesus,
qui venerat sanandis omnibus. Rogat hunc Centu- 6
rio, dicens: *Domine, est mihi famulus domi*, quem
unice carum habeo, veluti fidum & utilem mini-
steriis. *Is* jam totus inutilis *lecto affixus est paralysi*,
& non solum mihi non potest esse usui, sed etiam
graviter discruciatur ipse morbo sævissimo, jam mor-

ti

Digitized by Google

ti proximus. Est autem & hoc morbi genus ut periculosum ac molestum, ita non temere cedens arti curæque medicorum. [7] Jesus delectatus hominis fide, qui non dubitaret ipsum & absenti verbo mederi posse, quo magis redderet omnibus perspicuam insignem viri fiduciam, cum summa mentis humilitate conjunctam, respondit, *Ipse veniam & sanabo eum.* [8] Ad hæc Centurio: *Domine*; Judæus non sum, Centurio *sum*, duplici nomine Judæis abominandus, & ob hæc *indignus*, *cujus tu tectum subeas*, meoque contubernio contamineris. Nihil opus est corporis tui præsentia: *tantum verbo jube*, & quæ tua potestas est, *protinus sanabitur famulus meus.* [9] Habes Angelos, quibus hujusmodi munera deleges: ex meipso conjecturam facio. Habeo præfectum, cui subditus sum, ejus jussis obtempero, nec est necesse, ut ipse per sese obeat omnia. Satis est illi delegasse cum auctoritate. Rursus habeo milites meæ potestati subditos, per quos obeo, quæ meipso parum sunt digna. Tantum jubeo, & illi jussis obtemperant. Huic jubeo, ut eat aliquo, & abit, alteri ut veniat, & venit. Rursus servo meo, in quem mihi privatum jus est, dico, fac hoc aut illud, & nihil cunctatus facit quod jussus est. Si mihi peccatori & abjecto homuncioni sic obediunt mei; quanto magis tuis jussis obedient tui? [10] His auditis miratus est Jesus, non quod ignoraret hominis fidem, sed ut omnibus admirabilem redderet: & conversus ad Judæos, qui sequebantur, eisque velut exprobrans incredulitatem suam, dixit: Illud affirmo vobis, Hactenus non inveni tantum fidei in populo meo Israelitico, quantum in hoc alienigena, qui nec Prophetas novit, nec nostram doctrinam accepit; nec miracula vidit. [11] Vos vobis placetis, quod sitis filii Patriarcharum, quos Deus amavit, quod sitis populus Deo peculiaris, cui salus hæc præcipue promissa videtur. Verum, illud affirmo vobis, futurum est, ut multi veniant undique ex remotissimis orbis partibus, quos vos ut alienigenas abominamini, per fidem irrumpentes, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno cœlorum; hosque vestri patres ob fidem Euangelicam pro legitimis filiis agnoscent, & adhibebunt suæ mensæ, consortes æternæ felicitatis. [12] Contra filii regni, qui juxta carnis cognationem genus ducunt ex Abraham, Isaac & Jacob, ob incredulitatem non solum non recipientur ad felix illud convivium, sed expellentur in tenebras externas, qui lucem oblatam cernere prius noluerint. Ibi dabunt pœnas diffidentiæ suæ flentes ac stridentes dentibus, sero jam intelligentes, à quanta beatitudine per suam malitiam exciderint: & dolorem acuet livor, cum videbunt alienigenas ad felicitatem & honorem ipsis promissum admissos. [13] Hæc ubi Judæis dixit Jesus, quo sermoni fidem adstrueret miraculo, versus ad Centurionem ait: *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi*: nimirum declarans sanitatem non tribui, nec generi, nec aliis meritis, sed soli fidei, quam in plerisque Judæis desiderabat. Dictum secuta res. Siquidem compertum est eodem tempore subito Centurionis famulum fuisse morbo liberatum, ne quis suspicari posset, casu aut medicorum ope factum. Nam ut nemo subito liberatur à lepra, juxta naturæ cursum; ita nec paralysis quenquam subito reliquit.

[14] His atque aliis quibusdam prodigiis editis subduxit se paulisper à turba Jesus, & ingressus est domum Simoni Petro & Andreæ fratri communem. Comitati sunt Jacobus & Joannes. [15] Ibi cognovit Petri socrum febri tam valida teneri, ut lecto decumberet: rogatus ut eam sanaret, nihil cunctatus, apprehensa manu mulieris erexit eam, & continuo tota febris abiit, vigor & alacritas rediit, sic ut ministraret illis cibum capientibus. Adeo nullum sui vestigium febris in ea reliquit, cum eos, quos medicorum ars restituit, multo tempore languor ac fastidium teneat à morbo. [16] Cum vero jam appeteret nox, confertissima turba sese ad fores adglomerarat, exspectans ut cibo sumto rediret ad beneficia. Prodeunti obtulerunt innumeros variis morborum generibus obnoxios, atque etiam Dæmoniacos. Ille Spiritibus ejectis & morbis propulsatis sanabat omnes; hic quoque suo nomini respondens. Nulla erat tam fœda, tamque horribilis morbi species, quam aversaretur Jesus. Nulla tam vehemens aut insanabilis, quæ non statim ad jussum illius relinqueret hominem. Dicto sanabat omnes, gratis sanabat omnes; jam hoc agens in tollendis promiscue morbis corporum, quod acturus erat in tollendis peccatis, quæ sunt multo atrociores animorum morbi. [17] Nimirum in hoc venerat in mundum, & hoc erat quod Esaias multis retro seculis de illo futurum prædixerat: *Nostras infirmitates ipse ultro in se transtulit, & morbos nostros ipse portavit.*

[18] Cum vidisset autem Jesus, ne sanatis quidem ægrotis, nec ingruente nocte, jam enim occiderat Sol, abire turbam, sed magis ac magis undique condensari, præcepit discipulis, ut appararent navim transmissuro lacum, quo vel sic à turbis liberaretur. Hoc audito, cæteri quidem abibant domum. [19] Cæterum Scriba quidam importunior secutus est Jesum ad ripam euntem, cupiens in numerum discipulorum illius recipi, quem viderat à turbis tanti fieri ob potentiam in miraculis edendis, non ut illius doctrinam vitamque sequeretur, sed ut ex ejus miraculis sibi gloriam & quæstum compararet. Hic igitur aggressus Jesum dixit: *Magister, sequar te quocunque ieris.* Vox erat digna futuro discipulo, si voci respondisset animus. Ultro se ingessit, & ad omnia semet obtulit, neque quicquam moræ prætexuit. [20] At Jesus nec importunitatem hominis repulit, nec animum insincerum exprobravit, sed tacite admonuit nec illum sibi fore discipulum idoneum, nec se illi magistrum accommodum, quod quisquis hujus mundi commoda spectaret, stulte se illi adjungeret, qui nec opes, nec gloriam, nec regnum hujus mundi vel haberet, vel quæreret, sed summam paupertatem, summam ignominiam, summam afflictionem amplecteretur, adeo ut nec illa suppeterent, quæ volucribus & bestiis non deessent. Vulpes, inquit, tametsi domos non habent, tamen cavos habent effossos, quibus abdant sese. Volucres in aere vagantes, tamen nidulos habent vice domicilii, in quibus conquiescant. At filius hominis adeo destitutus est omnibus hujus mundi præsidiis, ut nihil usquam habeat, ubi vel caput suum reclinet. Talis magister si cui placet, me, si volet, sequatur, sed affectu sequatur, non tantum vestigiis pedum. Sic ille sibi conscius abstinuit. [21] Rursus hoc audito, quidam ex eorum numero, qui jam esse cœperant in numero discipulorum, commotus imbecillitate humana, cum audisset extremam paupertatem Christi, quærens ansam aliquo prætextu elabendi à disciplina Jesu: Domine, inquit, priusquam totus te sequar quocunque ieris, sine prius, ut domum reversus sepeliam patrem meum. [22] Causa quidem in speciem erat pia, sed Jesus docere volens omnia posthabenda negotio salutis æternæ, atque hic omnem moram esse periculosam, non passus est juvenem bonæ mentis, sed imbecillem, sub pietatis prætextu testamentariis negotiis implicari, & dum hæreditati vilissimæ consulit, excidere ab hæreditate cœlesti. Imo, inquit, nihil jam tibi cum patre mortuo, qui te dedicasti vitæ cœlesti. Non deerunt qui sepeliant patrem tuum. Sine tu * mortui sepeliant mortuos suos, & terræ mandent, qui terrena diligunt, mortuum infodiant terræ, qui vivi mortui sunt, atque etiam sepulti. Hominibus illi vivunt, Deo mortui sunt. Tu cura ut vivas, & à mortuorum consortio sejungere, si vere vis vivere.

[23] Cum igitur Jesus dimissa turba navim ingressus esset,

7 *Et ait illi Jesus: Ego veniam, & curabo eum.*
8 *Et respondens Centurio, ait: Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus.*
9 *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit; & alii, Veni, & venit; & servo meo, Fac hoc, & facit.*
10 *Audiens autem Jesus miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.*
11 *Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in regno cælorum:*
12 *Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.*
13 *Et dixit Jesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.*
14 *Et cum venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem, & febricitantem:*
15 *Et tetigit manum ejus, & dimisit eam febris, & surrexit, & ministrabat eis.*
16 *Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & ejiciebat spiritus verbo: & omnes male habentes curavit:*
17 *Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit: & ægrotationes nostras portavit.*
18 *Videns autem Jesus turbas multas circum se, jussit ire trans fretum.*
19 *Et accedens unus scriba, ait illi: Magister, sequar te, quocumque ieris.*
20 *Et dicit ei Jesus: Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.*
21 *Alius autem de discipulis ejus ait illi: Domine, permitte me primum ire, & sepelire patrem meum.*
22 *Jesus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.*
23 *Et ascendente eo in navicu-*

* Alia Editio *ut.*

lam, secuti sunt eum discipuli ejus.

Digitized by Google

esset, comitantibus ipsum discipulis, inter navigandum repente coorta tempestate, sic commotus est lacus, ut fluctus navim operirent. [24] Jesus interea dormiebat capite innixus cervicali, quodam ænigmate depingens quantum immineat periculi rebus humanis, quoties ii dormiunt hujus mundi commodis deliniti, qui vices Christi susceperunt. [25] Sed in his tempestatibus, unde petendum sit auxilium, docent discipuli. Siquidem ii metu exanimati, Christum vellicant, expergefaciunt: *Domine*, inquiunt, *serva nos, perimus.* Siquidem adhuc hominem tantum esse credebant, nec credunt sese tutos esse, nisi illo vigilante. [26] Proinde Jesus volens eos adversus omnes quamvis atrocium malorum insultus, intrepidos & invictos reddere, tantam illorum formidinem increpans: *Quid*, inquit, *sic timetis, homines exiguæ fiduciæ?* Vos tot conspectis miraculis, auditaque doctrina mea, non oportebat ulla re terreri, quasi vos usquam defuturum auxilium Dei, si modo vos non defecerit fiducia, quam nondum in vobis tantam video, quantam oportet. Sic admonitis discipulis suis Jesus surrexit, & ut ostenderet sese elementorum omnium Dominum, increpuit ventos ac mare, continuoque tempestas illa conquievit, & secuta est mira tranquillitas, quo magis esset perspicuum hæc non geri viribus humanis, sed virtute divina. Nihil enim surdius aut impotentius mari commoto, & tamen ad Domini jussum repente versum est in summam tranquillitatem. [27] Porro discipuli, cæterique qui erant in navi, rem tam prodigiosam vehementer admirati, dixerunt: Quis est hic tantus? Nam omnino præfert quiddam homine majus; quandoquidem non solum morbi ac Dæmones, verum etiam venti ac mare jussis ejus obtemperant. Hac autem imagine nos docuit optimus Dominus Jesus, ut quoties in nos sævierint tentationum, aut persecutionum procellæ, non aliunde petamus auxilium quam ab ipso. Tumultus omnis vertetur in tranquillitatem, si modo ille in nobis vigilaverit.

[28] Cum igitur transmisso lacu Jesus venisset in regionem Gerasenorum, ecce majoris prodigii materia objicitur: occurrerunt duo pessimis Dæmoniis multum jam temporis obnoxii, qui aut vagabantur per loca deserta, aut sese continebant illic in sepulchris mortuorum, quæ solent exstrui juxta viam publicam: horum erat tanta sævitia, ut nullis catenis cohiberi possent, sed disruptis omnibus vinculis, insilirent in viatores, sic ut nemini tutum esset illac iter facere. Nullus illos audebat ad Jesum adducere, quemadmodum de nonnullis factum recensui, sed hos invitos attraxit tacita virtus Jesu. [29] Cruciabantur impii Spiritus, nec ferebant vim divinam, adeo ut sibi male conscii, sentirent novum quendam & occultum cruciatum; etiam prius quam illis loqueretur Jesus, metuerent ne jam instaret ille dies, quo relegarentur in profunda tartari, suppliciis æternis afficiendi, neque posthac sinerentur hominibus esse molesti. Cruciatus igitur, ac metus, ab invitis extorsit vocem testem divinæ virtutis in Christo. Vociferabantur itaque per ora miserorum: *Quid*, inquiunt, *tibi nobiscum est rei, Jesu fili Dei? Num ideo huc venisti, ut ante tempus nos torqueas?* Scimus quæ nos maneat pro meritis calamitas, sed sine nos saltem temporis moram lucrifacere. Nimium mature nobis veniet ille dies. Dilationem petimus, non absolutionem. [30] Haud procul ab eo loco, quo hæc gerebantur, pascebat ingens grex porcorum. [31] Dæmones igitur sentientes sese vehementer urgeri virtute divina, ne sine noxa abirent, tanta erat malitia, deprecabantur Jesum, dicentes: Si prorsus non pateris nos in hoc manere domicilio, saltem permitte, ut hinc demigremus in porcos, animal immundum & abominandum. [32] Hoc simul atque permisisset illis Jesus, cui satis erat humanæ saluti consulere, Dæmonum multitudo continuo demigravit in gregem porcorum. Et ecce protinus totus ille grex correptus furore è monte per præcipitium ferebatur in lacum, atque illic interiit in aquis. [33] Hoc passus est Jesus, simul ut ostenderet insignem Dæmonum malitiam, & occasionem præberet dilatandi rumorem miraculi. Siquidem pastores viso hoc horrendo spectaculo territi fugerunt, & ingressi civitatem Gadaram renuntiaverunt civibus, quicquid viderant, quid accidisset Dæmoniacis, quibus contigerat sanitas, jam fama cognitis, & quid accidisset gregi porcorum. [34] Ad hunc rumorem tota civitas Gadarenorum, animo consternata, exiit in occursum Jesu, metuens, ne ad se veniret. Viderunt porcos exstinctos; viderunt duos homines ex nudis jam vestitos, ex phreniticis sanos, ex rabidis quietos, adeo ut sederent ad pedes Jesu, agnoscentes auctorem suæ salutis; sed quoniam erant crassi malique, magis metuebant virtutem Jesu, quam amabant bonitatem, ac pluris faciebant jacturam porcorum, quam salutem hominum, adiere Jesum, & rogarunt eum ut excederet à finibus ipsorum: qui si pernovissent eum, obnixe rogassent, ut venire dignaretur in fines ipsorum, hoc facturus in animis illorum, quod in duobus fecerat Dæmoniacis. Qualis enim esset illorum vita porci declarant, quos Dæmones hominum vicarios sibi postularunt. Nihil igitur illos docuit Jesus, terruisse contentus. Nos tamen hac imagine docuit, nullam esse pestem animorum tam sævam, ut sit desperanda salus, si contingat ad Jesum accedere. Sunt enim quædam cupiditates, adeo effrenes, impotentes & indomitæ, ut eum, quem occuparint, ad veneficium, ad homicidium, ad parricidium, aliaque facinora non nominanda adigant, nonnunquam & huc impellant vesaniæ, ut ipse sibi manus adferat. His nulla mortalis ratio mederi potest, solus Jesus sanitatem dare potest, si dignabitur ad illos accedere. Nec desperandum: dignabitur, si modo illi vicissim occurrent.

24 *Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat.*

25 *Et accesserunt ad eum discipuli ejus, & suscitaverunt eum, dicentes: Domine, salva nos, perimus.*

26 *Et dixit eis Jesus: Quid timidi estis, modicæ fidei? Tunc surgens, imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.*

27 *Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?*

28 *Et cum venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam.*

29 *Et ecce clamaverunt, dicentes: Quid nobis, & tibi, Jesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos?*

30 *Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum pascens.*

31 *Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.* 32 *Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare: & mortui sunt in aquis.*

33 *Pastores autem fugerunt: & venientes in civitatem, nuntiaverunt omnia, & de eis, qui dæmonia habuerant.*

34 *Et ecce tota civitas exiit obviam Jesu, & viso eo rogabant, ut transiret à finibus eorum.*

CAP. IX.

I, paralytice: adest Levi: sponsus: filia primi: Profluvium: cæci: mutus: & alba seges.

[1] Jesus igitur nolens sanctum dare canibus, neque margaritas objicere porcis, conscensa navi rursus trajecit lacum, ac reversus est in civitatem suam, nimirum Capernaum, siquidem hic habebat domicilium id temporis. [2] Cum igitur esset ingressus domum, confluebant ad illum multi, inter quos erant & Legis Doctores è Galilæa, Judæa, & Hierosolyma, docebatque eos sedens, assidentibus Scribis ac Doctoribus. Cum autem tanta vis hominum confluxerit, ut jam domus esset angusta, ac ne vestibulum quidem capax esset immensæ multitudinis, quidam adducebant quendam tam vehementi paralysi detentum, ut à quatuor bajulis una cum lecto decumbens deportaretur, cadaver hominis verius, quam homo. Proinde cum scirent intus esse Jesum, nec præ turba daretur aditus, conscenderunt tectum, ac submotis tegulis, per hiatum funibus demiserunt grabatum una cum paralytico, ante pedes Jesu. Jesus non offensus hac importunitate bajulorum, sed potius approbans ardorem fidei, quanquam oportuit non minorem esse fidem ægroti, qui sic demitti se vel jusserit, vel passus sit, conversus ad decumbentem, ut circumstantibus fidem etiam atque etiam commendaret: *Bono*, inquit, *animo esto fili, remittuntur tibi peccata tua;* prius eam partem morbo liberans, unde corporis morbus erat profectus: & tamen inaudita mansuetudine filium appellat, hominem utraque sui portione calamitosum, tacite Pharisæis & Scribis supercilium & arrogantiam exprobrans. [3] Turbis autem silentibus & admirantibus, Scribæ nonnulli, qui meminerant in sacris Scripturis sic loqui Deum, *Ego sum*

1 *Et ascendens in navicula, transfretavit, & venit in civitatem suam.*

2 *Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*

3 *Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra*

Digitized by Google

sem: Hic blasphemat.

sum qui deleo peccata hominum, cum in tanta frequentia faventium non auderent palam obmurmurare, taciti loquebantur apud sese: *Hic blasphemus est* in Deum, qui cum homo sit, Dei potestatem sibi vindicat. [4] Jesus autem, qui remittendis peccatis divinam potentiam suam subindicarat Scribis, etiam peculiari signo declarat eandem: demonstrans se non latere quid quisque cogitet. Ergo respondens ad ea, quæ illi tacita secum cogitatione loquebantur, ait: *Cur* invidentes benefactis *male cogitatis in cordibus vestris?* An quia morbus animi non cernitur oculis corporeis, uti nec salus, suspicamini me falso mihi sumere, & aliis polliceri, quod præstare non queam? [5] Sed *utrum vobis videtur facilius, dicere* peccatis obnoxio, quod modo dixi, *Remittuntur tibi peccata, an dicere* paralytico, quem totum videtis obstrictum morbo, *Surge & ambula.* [6] Ut igitur ex iis, quæ videtis, credatis & illa vera, quæ non videtis, ac filio hominis utrumque æque esse proclive, & morbum dicto tollere, & peccata condonare, dabo signum omnium sensibus conspicuum. Quod si videritis hæc verba, quæ nunc dicturus sum, non esse inania, sed habere vim præsentem, nolite dubitare filio hominis esse potestatem remittendi peccata in terris, idque non sacrificiis aut holocaustis, sed simplici verbo. Simulque conversus ad paralyticum, dixit: *Surge, tolle grabatum tuum, atque abi in domum tuam*, ut ii qui te noverunt ægrotum ac salutem desperabant, videant te sic esse subito factum validum, ut non solum pedibus tuis ingredi possis, qui paulo ante à quatuor bajulis portabaris, verum etiam mutatis rerum vicibus lectulum tuum gestare, cum te gestarit hactenus. Nec mora, res illico vocem est consecuta. [7] Surgit paralyticus, & sublato in humeros lectulo abit in domum suam, longe alia pompa, quam paulo ante fuerat exportatus. [8] Hoc tam evidens miraculum cum vidissent turbæ, planeque intelligerent rem non esse potestatis humanæ, sed divinæ, glorificaverunt Deum, qui talem potestatem dedisset hominibus in terris, affirmantes se nihil unquam tale vidisse gestum ab iis, qui inter Judæos pro summis viris habebantur. Scribis autem sic erat impositum silentium, ut magis etiam exacerbarentur invidia, nimirum magis quærentibus suam gloriam, quam gloriam Dei, qua per Jesum in dies illucescente, se videbant obscurari. Quemadmodum enim Sol obscurat lucernam, ita divina gloria obscurat & evanescere cogit inanem hominum gloriam. Sed horum livor non in aliud profecit, nisi quod Christi gloriam obsistendo reddidit illustriorem. Novit enim Deus etiam malitia mortalium ad suam abuti gloriam.

4 Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?

5 Quid est facilius, dicere: Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere: Surge, & ambula?

6 Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

7 Et surrexit, & abiit in domum suam.

8 Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

[9] Jesus igitur ut cederet invidiæ Scribarum, digressus illinc, repetiit lacum, ubi turbam undequaque confluentem docebat. Porro cum præteriret telonium, conspexit illic Publicanum quendam sedentem, Matthæum nomine, qui idem dictus est Levi, filium Alphei. Est autem hoc hominum genus, quoniam artem exercent sordidi quæstus & violentæ rapacitatis, multis modis infame, præsertim apud Judæos. At Jesus, qui prius Simonem & Andream, Joannem & Jacobum, ab humili quidem, sed tamen licito quæstu vocarat ad se, ut palam faceret, se nullum omnino genus hominum fastidire, modo se convertat ad meliora, Matthæum ad se vocat, ac sequi jussit. Ille nihil cunctatus, sed relictis rationibus imperfectis, relicto quæstu, sequi cœpit Jesum, subito ex Publicano factus discipulus. Habebat enim Jesu vox energiam quandam admirabilem, relucebat & in vultu vis quædam occulta, qua quos volebat, non aliter ad se trahebat quam magnes ferrum. [10] Deinde rogavit Matthæus Jesum, ut in ædibus suis convivium agere dignaretur. Nec hoc gravatus est Jesus, ut suos doceret, nec impiorum consortium esse vitandum, si spes sit illos nostra consuetudine fore castigatiores. Porro Matthæus ex his, quæ tum illi suppetebant, affatim exhibebat magnificum & amplum convivium, ad quod adhibebat multos sui ordinis homines, Publicanos & peccatores, quos exemplo sermoneque suo pertraxerat in admirationem & amorem Jesu. [11] Cum his igitur ut videre discumbentem Jesum una cum discipulis suis Pharisæi, captantes undique calumniandi materiam, ipsum quidem non audent interpellare, ne quod nollent audirent, discipulos ab eo conantur avertere. Quare, inquiunt, magister vester, cui vos hæretis ut eximie sancto, convivium agitat cum Publicanis & peccatoribus, quos nos ut abominandos vitamus? Pares autem cum paribus facile congregantur, & tales fere reddimur, quales sunt ii, quibus cum vivimus. [12] Hunc sermonem cum excepisset Jesus pro discipulis adhuc infirmis patronum agit, docens Evangelii præcones non inquinari convictu peccatorum, quibus cum non alio animo agunt aliquando consuetudinem, nisi ut illos allectent ad bonam frugem. Atqui Publicanos, qui vulgo peccatores habentur, Pharisæi vitant, non, ne malis illorum inquinentur, sed ut ipsi cum sint Publicanis deteriores apud homines habeantur sancti. Cæterum qui sanctimoniam habent Euangelicam, non ideo consuetudinem expetunt peccatorum, ut ab illis auferant emolumentum, sed ut illos locupletent pietate, nec alio studio subeunt illorum tecta, quam boni medici subeunt ædes ægrotorum. Nusquam enim decet fidum medicum versari crebrius, quam apud eos, quibus opus est medicorum ope. Itaque versus ad Pharisæos, qui sibi justi videbantur, cum essent pejoribus vitiis infecti: Ideo, inquit, versor cum Publicanis & peccatoribus, quia medicus sum animarum, & salutem hominum sitio. Quorsum autem attinet versari cum justis, quales vos vobis videmini, cum illis medico non sit opus? Iis opus est medico, qui male valent, & his utilis est medicus, qui morbum suum agnoscunt, seque præbent sanabiles. Hos igitur fastidire non est sanctimonia, sed supercilium, & his succurrere sacrificium est Deo longe gratius quam ullum sacrificii genus, quod offertur in templo. [13] Hoc vos latere non debuit, qui tenetis Scripturas, in quibus ita loquitur Deus, *Misericordiam volo potius quam victimam.* Idem apud Esaiam aversatur hostias vestras, officium misericordiæ nusquam aversatur. Hoc si nondum animadvertistis, ite & discite quid hic sermo Dei sibi velit, ac deinde si videtur calumniamini factum meum, quod non pugnat cum lege vestra, sed respondet voluntati divinæ. Cur autem fugiam consuetudinem peccatorum, qui in hoc venerim, ut tales invitem ad pœnitentiam vitæ prioris? Multi sibi justi videntur, ab his si me subduco, non debent indignari, non enim egent ope nostra, & supervacaneum, imo contumelia sit eos vocare ad pœnitentiam, qui nihil habent pœnitendum. Hoc sermone Jesus perstrinxit, & quodammodo derisit, arrogans supercilium Pharisæorum, qui sibi justi viderentur, cum non essent.

9 Et cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et surgens, secutus est eum.

10 Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes, discumbebant cum Jesu, & discipulis ejus.

11 Et videntes Pharisæi, dicebant discipulis ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?

12 At Jesus audiens, ait: Non est opus valentibus medicus, sed malle habentibus.

[14] Post hæc discipuli quidam Joannis, qui quodam humano affectu subinvidebant Jesu, de magistro suo Joanne, veluti de præstantiore gloriantes, juncti Pharisæis adeunt Jesum, nec verentur illum in os calumniari, quod nimis indulgenter haberet suos discipulos, minusque severe instituerit quam Joannes suos, cum arctiorem quandam disciplinam videretur polliceri. Duabus autem rebus Pharisæi potissimum captabant apud populum opinionem sanctimoniæ, jejuniis, ac precationibus. Rogant itaque Jesum, quare nos discipuli Joannis & Pharisæi, frequenter jejunamus, ac precamur ex institutione majorum, qui docuerunt preces jejunio commendari: discipuli tui non jejunant æque? [15] Ad hanc manifestam calumniam, quoniam ipsum petebat, non discipulos, Jesus humanissime respondit, sic ut nec Joannis taxaret institutionem, nec aliorum jejunia simpliciter damnaret, sed tantum ostenderet indulgentiam, qua in suos u-

13 Euntes autem discite quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores.

14 Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis, dicentes: Quare nos, & Pharisæi, jejunamus frequenter: discipuli autem tui non jejunant?

15 Et ait illis Jesus: Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu

Digitized by Google

cum illo eſt ſponſus? Venient autem dies cum auferetur ab eis ſponſus: & tunc jejunabunt.

teretur, non eſſe negligentiæ, ſed artificii, quo paulatim illos adduceret ad majora; veluti cum prudens literator, & peritus artifex formandæ pueritiæ, primam ac teneram ætatem non ſtatim deterret rebus aſperioribus, ſed blandimentis allectat ad difficiliora. Ac reſponſionis occaſionem mutuatur ab ipſius Joannis teſtimonio, de Jeſu teſtificantis apud eos, qui ſuſpicabantur ipſum eſſe Chriſtum: *Qui habet*, inquit, *ſponſam ſponſus eſt, amicus autem ejus adſtat, ac vehementer gaudet, quod audiat vocem ſponſi:* Jeſum indicans eſſe ſponſum, quem Pſalmi vaticinium promiſerat tanquam ſponſum proceſſurum de thalamo ſuo, ſe nihil aliud quam ſponſi amicum. Hunc igitur Joannis ſermonem Jeſus illis revocans in memoriam, ait: Num filii, qui in recentis ſponſi thalamo verſantur, ubi læta eſſe decet omnia, poſſunt Judaico triſtique jejunio torqueri, præſertim cum ſponſum habeant præſentem? Nolite interim eis invidere hanc lætitiam, non diu duraturam. Sinite illos hac indulgentia leniter ac ſuaviter duci ad perfectiora. Habent nunc ſponſum, & in hoc ſunt toti; non vacat illis jejunare, & teneriores ſunt, quam ut ferre poſſint. Grandeſcent interim, & veniet tempus cum ab illis auferetur ſponſus, tunc firmiores non ſolum jejunabunt ultro, ſed aſperioribus etiam ferendis erunt pares. Judæi ſummam religionis collocant in crebris jejuniis ac precationibus prolixis. Hæc ut damnanda non ſunt, ſi non ad inanem gloriam, ſed ad pietatem adhibeantur, ita fortiora quædam ac magis ardua ſpectat Euangelica doctrina, ad quæ meos paulatim formo, fingoque. [16] Proinde non convenit mihi inſtituendi ratio cum Joanne. Novum eſt quod doceo, & novæ doctrinæ nova convenit inſtitutio. Non oportet præceptorem eſſe præproperum; ſuo tempore res indicabit, utrius Diſcipuli fortius fuerint inſtituti. Non oportet vetera miſceri novis: *Nullus enim aſſuit veteri veſtimento particulam panni novi rudiſque.* Siquidem hac via non ſolum non ſarcitur veſtimenti veteris plaga, verum etiam non cohærente novo panno cum vetere, fit major ac deformior hiatus. [17] Neque qui ſapiunt, vinum novum credunt utribus vetuſtis. Alioqui duplex ſequitur incommodum, dum & vinum effunditur, & utres dirupti pereunt. Quin potius vinum novum infundunt novis utribus, qui ferant vim vini, nec diſſiliant efferveſcente muſto. Itaque fit ut & utres ſint incolumes & vinum. Ego meos totos novos eſſe volo, * eoque mihi ſic paulatim fingo, ut olim fortes ac firmi queant Euangelicæ doctrinæ vim perferre. Joannes vetuſtis utribus non eſt auſus aliud quam vetus vinum committere, jejunium & hujuſmodi, quæ multum abſunt ab his, quæ præſtanda ſunt viris Euangelicis. Ego meæ doctrinæ muſtum non credo, niſi novis vaſculis.

16 Nemo autem immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus: tollit enim plenitudinem ejus à veſtimento, & pejor ſciſſura fit.

17 Neque mittunt vinum novum in utres veteres: alioquin rumpuntur utres, & vinum effunditur, & utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt, & ambo conſervantur.

[18] Hæc loquente Jeſu, adiit eum quidam Synagogæ præfectus, nomine Jairus, & accidens ſupplex ad genua Jeſu adorabat eum, ac majorem in modum deprecans & obteſtans, ait: Filia mea unica, annos nata duodecim, jam agebat animam, cum domo diſcederem, ac vereor ne jam mortua ſit; veni, obſecro, & impone illi manum, ut convaleſcat ac vivat. [19] Jeſus ut erat expoſitus ad benefaciendum omnibus, qui cum ſimplici fiducia poſtulabant aliquid, ſive pauperes eſſent, ſive divites, ſive Judæi, ſive exteri, illico ſurgens ſecutus eſt Jairum, properantem domum, ſi forte filiam adhuc ſpirantem offenderet. Jeſum diſcipuli ſequebantur, ac turba denſiſſima. Ecce autem inter eundum alterius occaſio miraculi. [20] Admiſcuerat ſe confertæ hominum multitudini mulier quædam duodecim jam annos obnoxia profluvio ſanguinis, quæ facultates ſuas omnes inſumſerat in medicos, neque quenquam invenit, qui malo poſſet mederi. Itaque bis erat miſera, poſteaquam malæ valetudini acceſſerat inopia. Hæc cum

16 Nemo autem immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus: tollit enim plenitudinem ejus à veſtimento, & pejor ſciſſura fit.

17 Neque mittunt vinum novum in utres veteres: alioquin rumpuntur utres, & vinum effunditur, & utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt, & ambo conſervantur.

18 Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps unus acceſſit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta eſt: ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet.

19 Et ſurgens Jeſus, ſequebatur eum, & diſcipuli ejus.

20 Et ecce mulier, quæ

* Alia Editio *eoſque* habet.

ſummam fiduciam animo concepiſſet de Jeſu, ob morbi fœditatem non audebat tot teſtibus appellare Jeſum. Itaque veluti ſuffuratura beneficium, clanculum acceſſit à tergo, ac tetigit fimbriam veſtimenti ejus: ſic enim ſibi perſuaſerat, ſi vel extremam veſtis illius oram attigero, ſalutem adipiſcar. [21] Ac mox attacta veſte, ſiſtebatur profluvium, ſenſitque mulier reſtitutam corporis ſanitatem. At Jeſus nolens latere tam inſigne fidei exemplum, ſimulque docens non eſſe celandam Dei gloriam, ut eliceret beneficii confeſſionem, converſus ad turbam: *Quis*, inquit, *me tetigit?* Negantibus cunctis: Tamen aliquis, inquit, me tetigit: nam ſentio vim à me profectam. Hic Petrus reliquique diſcipuli, non intelligentes quid ſibi vellet Jeſus: Domine, inquiunt, vides confertam turbam undique prementem te, & rogas, quis te tetigerit, cum à tam multis tangaris? Porro cum Jeſus, quaſi ignarus à quo contactus eſſet, circumſpiceret velut oculis quærens quis fuiſſet ille furtivus attactor, mulier ſola ſibi conſcia, cum videret ſe non latuiſſe Jeſum, excuſſo pudore timens ac tremens procidit ad pedes Jeſu, & confeſſa eſt rem, ut habebat, omnem, & quo morbo laboraſſet, & quot annos laboraſſet, & ut omnes facultates fruſtra profudiſſet in medicos, & ut ſibi perſuaſiſſet, ſolo fimbriæ contactu poſſe ſanari, & mox à contactu ſenſiſſet perfectam corporis ſanitatem. Hæc Chriſtus teſte turba prædicari voluit, non ut pudefaceret mulierculam, aut ſibi laudem apud homines vindicaret, ſed ut hoc exemplo doceret omnes, quantum valeret firma fiducia, ac mulieris exemplo confirmaret fidem Archiſynagogi, quam intelligebat nonnihil vacillare, ſimulque Phariſæis ſuam exprobraret incredulitatem. [22] Itaque mulierem trepidam, ac metuentem, ne iratus Jeſus ſuum beneficium repeteret, conſolatus eſt, dicens: *Bono animo eſto, filia.* Tua fiducia tibi peperit ſanitatem. Vade cum pace, tranquilloque ac ſecuro animo. Volo ut hoc beneficium tibi ſit perpetuum, licet ſuffurata ſis à nobis. [23] Dum hæc loqueretur Jeſus, veniunt quidam ab ædibus præfecti Synagogæ, nunciantes ei jam mortuam eſſe filiam, nec eſſe cauſam cur pergat eſſe moleſtus Jeſu. Siquidem illi nihil aliud credebant eſſe Jeſum, quam medicum aliquem inſignem, qui vivæ quidem ſalutem dare poſſet arte ſua, mortuæ vitam reddere non poſſet. Et idcirco ſupervacaneum eſſe judicabant, ad exanimem jam accerſere medicum, quamlibet egregium. Jeſus videns ad hunc nuncium vehementer eſſe conſternatum animo patrem puellæ, conſolatus eſt illum, dicens: Ne trepida, tu modo fidem habe, puellam fore ſalvam, & erit ſalva. In te ſitum eſt, ut valeat filia. Cumque jam ventum eſſet ad domum præfecti Synagogæ, non paſſus eſt Jeſus ingredi turbam, neque reliquos diſcipulos, præter Petrum, Jacobum & Joannem, cumque his patrem ac matrem puellæ. Flebant autem omnes cognati & amici, atque ex gentis more percutiebant corpora ſua, lugentes illam & ejulantes, qualia ſtultiſſime fieri ſolent in funeribus divitum ac potentium. [24] Jeſus juſſit illos à luctu deſiſtere, puellam enim non eſſe mortuam, ſed dormire; illud nimirum ſentiens, puellam aliis quidem eſſe mortuam, à quibus excitari non poſſet; ſibi dormire tantum, cui facilius eſſet illam excitare à morte, quam aliis eſſet à ſomno. Hæc cum non intelligerent familiares & amici præfecti, deridebant Jeſum, videlicet certo ſcientes illam eſſe mortuam, cum ipſi morientem vidiſſent. [25] Cum igitur expuliſſet turbam lugentem à funere, ipſe aſſumto patre ac matre puellæ, ingreſſus eſt conclave, ubi jacebat cadaver puellæ. Jeſus autem apprehenſa manu virginis, *Puella*, inquit, *ſurge.* Simulque cum dicto ſurrexit puella, & ambulabat, quo certior eſſet fides miraculi: non enim ſolum vitam reddidit ſubito, ſed & vires & alacritatem. [26] Cumque puellæ parentes ingens ſtu-

ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus.

21 Dicebat enim intra ſe: Si tetigero tantum veſtimentum ejus, ſalva ero.

22 At Jeſus converſus, & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te ſalvam fecit. Et ſalva facta eſt mulier ex illa hora.

23 Et cum veniſſet Jeſus in domum principis, & vidiſſet tibicines & turbam tumultuantem, dicebat:

24 Recedite: non eſt enim mortua puella, ſed dormit. Et deridebant eum.

25 Et cum ejecta eſſet turba, intravit: & tenuit manum ejus. Et ſurrexit puella.

26 Et exiit

fama hac in universam terram illam.

stupor haberet, præcepit illis, ac vehementer obtestatus est, ne cui dicerent quod factum esset; simul ut ipse vitaret suspicionem affectatæ gloriæ; (hoc enim potissimum agendum erat apud Synagogæ primores, qui nihil non faciebant ad laudem humanam emerendam) simul ut illi majore cum fide prædicarent quod gestum erat, si tacere jussi, tamen Pharisæis suis, & Synagogæ proceribus, rem gestam, quam viderant, denarrarent: noverat enim humanum ingenium, & hoc in bonum aliorum voluit abuti. Jussit autem digrediens, ut daretur cibus puellæ, videlicet medicum agens, ac dissimulans apud alios miraculum, quanquam & hoc cessit ad prodigii confirmandam fidem.

27 Et transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes, & dicentes: Miserere nostri, fili David.

27 Ergo cum relictis ædibus Archisynagogi Jesus repeteret domum suam, secuti sunt illum duo cæci, qui rumorem miraculorum acceperant, atque ex eo conceperant spem adipiscendæ sanitatis, præsertim cum audissent illius beneficentiam nulli non patere, quantumvis humili. Sed cum Jesum nec cernere possent, nec adire, tamen ingenti clamore, quem sanitatis amor, & ardor fiduciæ exprimebat, procul appellant Jesum, ac precibus addentes blandimentum: *Miserere*, inquiunt, *nostri*, *fili David*. Jesus in via nihil illis respondit, differens beneficium, ut esset evidentius miraculum: semper hoc agens, ut Judæos ad credulitatem provocaret, ac Pharisæis suam incredulitatem multis modis exprobraret rebus ipsis. Confisus est Centurio; confisa est mulier; confisi sunt qui portabant paralyticum; & illi diffidebant, atque etiam invidebant. 28 Porro cum ventum esset in ædes Jesu, admissi sunt cæci, qui pertinaci spe fuerant secuti. Tunc Jesus aliis exemplum parans, prius ab eis stipulatus est fiduciam: *Creditis*, inquit, *me posse præstare vobis quod petitis?* At illi incunctanter, *Credimus*, inquiunt, *Domine*. 29 *Tum Jesus manu contactis illorum oculis: Uti creditis*, inquit, *ita fiat vobis*; non sibi vindicans redditi luminis officium, sed ipsorum fiduciæ imputans; videlicet declarans incredulitatem præcipue nos indignos reddere beneficentia divina, alioqui nulli non exposita promtaque. 30 Mox ut locutus est Jesus, aperti sunt oculi cæcorum sic, ut clare viderent. Hic Jesus nos admonere volens per imaginem, ut tametsi gloria suapte sponte comitatur recte factum, tamen à nobis fugiendam esse potius, quam affectandam, vehementer interminatus est cæcis, ne quisquam factum hoc resciscret. 31 At illi gestientes nova felicitate, tanto magis sparserunt famam Jesu per universam illam regionem apud omnes, quos habebant pristinæ cæcitatis testes.

28 Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci. Et dicit eis Jesus: Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Utique, Domine.

29 Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis.

30 Et aperti sunt oculi eorum: & comminatus est illis Jesus, dicens: Videte ne quis sciat.

31 Illi autem exeuntes, diffamaverunt eum in tota terra illa.

32 Cæcis egressis, oblatus est alius longe miserrimus, qui obnoxius erat Dæmonio, quod illi linguæ usum adimebat, ut homo nec mentis esset compos, ut salutem optaret, nec linguæ, ut postularet. Hic igitur quoniam aliena fiducia habebat opus, oblatus est Jesu. Ille nihil cunctatus ejecit Dæmonium, & protinus locutus est, qui mutus fuerat. 33 Turbæ demirantes tantam celeritatem miraculorum, æque paratam in omni quamlibet immedicabilium malorum genere, dicebant inter sese: Nullus unquam exortus est in gente Israelitica, qui tam multa prodigia tam facile patraret. 34 Contra Pharisæi, jam in dies glisente livore cæci, cum quæ gerebantur in oculis omnium inficiari non possent, tamen ut animos multitudinis, illum suspicientis, ab eo alienarent, calumniantur illum ejicere Dæmonia, non virtute divina, sed ope Beelzebub, Dæmoniorum principis. Qua calumnia quid esse poterat dementius? quasi Dæmon exigat Dæmonem, aut quasi Beelzebub, hostis humani generis, conferret mortuis vitam, ægrotis sanitatem, cæcis visum, mutis linguam. Ab illis hæc mala proficiscuntur plerunque, quæ Jesus sua bonitate misertus hominum tollebat, hujusmodi corporalibus beneficiis, quæ sensibus ipsis percipiebantur, præparans eos ad capacitatem beneficiorum spiritualium. Sed hujusmodi malitiosis calumniis adeo non est offensus clementissimus Jesus, ut tanto magis consuleret omnium saluti, quod videret Pharisæos, quorum partes erant populi saluti consulere, adeo nihil opis adferre, ut aliorum bonis etiam inviderent.

32 Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem.

33 Et ejecto dæmonio, locutus est mutus, & mirata sunt turbæ, dicentes: Nunquam apparuit sic in Israel.

34 Pharisæi autem dicebant: In principe dæmoniorum ejicit dæmones.

35 Et circuibat Jesus omnes civitates, & castella, docens in synagogis eorum, & prædicans evangelium regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem.

35 Jesus itaque tanquam bonus pastor obambulabat per omnes civitates ac vicos, animis simul & corporibus omnium *mederi studens, in conventiculis illorum docens & annuncians regnum cœlorum, in quod non recipiuntur, nisi qui vacant omnibus animi morbis, & obiter sanans omne morbi genus, omnemque speciem malæ valetudinis. 36 Porro cum Jesus videret turbas undiquaque confluentes, & in dies frequentiores, jam avidas salutis ac doctrinæ melioris, simulque consideraret Sacerdotes, Pharisæos & Scribas, unde populus hactenus pependerat, omnia potius agere, quam ut servarent populum, totosque servire gloriæ suæ, non Dei, servire lucro suo, servire ventri, voluptatibusque suis, in quibus si quid esset religionis, hoc ipsum esse fucatum ac simulatum, ut officeret etiam ad veram religionem; populum rudem quidem esse, & crassum, sed tamen esse sanabilem, quandoquidem in corpore sanandus simplici fiducia sequebatur, ac dabat gloriam Deo, & doctrinam Euangelicam, tametsi nondum intelligeret, tamen non aversabatur: Contra Pharisæos & Scribas, cum tenerent Prophetas & scripta Legis, tamen obcæcatos mundanis cupiditatibus, obluctari etiam Euangelicæ doctrinæ, tactus est optimus pastor affectu misericordiæ, quod conspiceret illos similes ovibus palantibus, dissipatis, ac destitutis, quæ pastore carent, sed temere vagantur huc & illuc. 37 Considerans igitur in Pharisæis, lupos agentibus, non pastores, nullam esse spem gregis, jamque populum miraculis utcunque præparatum ad accipiendam doctrinam Euangelicam, dixit discipulis suis, quos jam aliquam multos collegerat: Messem quidem multam video, cæterum operarios admodum paucos. Rumor Euangelii quaquaversum sparsus est. Excitatus est ardor plurimorum, qui maturi videntur audiendæ Euangelicæ Philosophiæ. Sed ubi sunt, qui suscipiant prædicandi, docendique negotium? Ubi qui pure sincereque doceant, neque gloriam humanam, neque quæstum affectantes, sed ea sinceritate tradentes, qua me videtis tradere? 38 Certe non oportet negligere tantam hominum multitudinem, jam flagrantem studio cœlestis doctrinæ. Quid igitur supereſt, nisi ut rogetis Dominum messis, ut operarios etiam cessantes ac detrectantes extrudat in messem suam. Urget enim occasio, nec est tuta cunctatio. Scio vobis esse gratius hærere mihi, sed tempus est, ut & vos aliquod vestri specimen præbeatis, & quod à nobis accepistis, in aliorum salutem incipiatis expromere.

37 Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarii autem pauci.

38 Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

Cap. X.

Christe, tuos mittens, ferrent, fugerentque monebas:
Vivet confessor: bellaque, Christe, seris.

1 Et convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.

1 Itaque conscenso monte, jussit adesse discipulos suos, qui ceu peculiares ipsum affectabantur. Ex his instituit duodecim præcipuos, quibus ut eruditioribus ac firmioribus docendi munus cum auctoritate delegarat, ut ad exemplar, quod in præceptore conspexerant, alius alibi docerent populum. Ac ne doctrina piscatorum idiotarum & humilium illico contemneretur, dedit & illis potestatem adversus omnes spiritus impuros, ut illos verbo ejicerent, ac morbi genus omne, & omne corporis vitium sanarent, ut quicquid Christus ipsis testibus gesserat, nomine Patris ac suo, id illi facerent nomine Jesu Christi, cujus gerebant vices. Sic enim ingressus erat Jesus, ut sanandis morbis gravibus & immedicabilibus, quo non aliud beneficium videtur homi-

* Alia Editio, *hominum*.

Digitized by Google

nibus divinius, alliceret rudes ad ea, quæ ſunt animi. [2] Cæterum ne quis Pſeudapoſtolos pro veris Apoſtolis amplectatur, duodecim Apoſtolorum, quos ipſe Chriſtus inſtituit, nomina ſunt hæc. Primo loco Simon, Joannis filius, qui idem dictus eſt Petrus, una cum fratre Andrea: nam hos omnium primos vocavit. [3] Secundo Jacobus Zebedæi filius, cum Joanne fratre ipſius. Tertio Philippus, & Bartholomæus. Quarto Thomas, cui cognomen Didymus, & Matthæus Publicanus. Quinto Jacobus Alphei filius, una cum Juda Jacobi fratre, qui idem Lebbæus, ſive Thaddæus dictus. [4] Sexto Simon Cananæus, qui & Zelotes, una cum Juda Iſchariote, qui poſtea prodidit Dominum ſuum. [5] Per hujuſmodi legatos Chriſtus aggreſſus eſt orbem univerſum innovare ad Philoſophiam Euangelicam, pauperes, rudes, humiles, piſcatores, peccatores, & obſcuros: ne quid in hac laude ſibi mundus vindicaret, ſi per eruditos, potentes, opulentos, nobiles, rem cœleſtem fuiſſet auſpicatus. Nunc operæ pretium eſt audire, quid illis mandaverit, quove viatico ſuos legatos inſtruxerit. Ac primum quidem præſcribit eis prædicandi limites, vetatque ne Judæam egreſſi, conferant ſeſe, vel ad gentes finitimas, vel in civitates Samaritanorum, quos abominabantur Judæi; non quod Jeſus ullum hominum genus abominandum duxerit, ſed ne videretur offenſus injuriis Phariſæorum, vindictæ gratia ſuos ablegaſſe ad exteros, neve Judæis daret anſam cauſandi ſe ſpretos fuiſſe, ſibique gentes ac Samaritanos fuiſſe prælatos; ſimulque quoniam ſciebat Judæos maxime rebellaturos Euangelio, noluit illis quicquam excuſationis eſſe reliquum, ſed omnibus eſſe perſpicuum, eos ſuapte perverſitate ſubmotos à regno Dei, & Gentes ſua ſimplici credulitate fuiſſe receptas. [6] Ab illis igitur, inquit, interim abſtinete, ſed potius ite ad oves perditas gentis Iſraeliticæ, ut reſipiſcant ad ſalutem. Nec enim omnes Phariſaica ſunt malitia. Sunt & inter hos oves, ſimpliciter & per ignorantiam errantes, quæ doctæ monitæque facile reſipiſcent, ac vocem audient boni paſtoris. [7] Cæterum ſic auſpicabimini prædicationem, quemadmodum à me factum videtis. Non enim ſtatim expedit rudibus aperire ſecretiora myſteria, prius præparandi ſunt, ut ſint perfectioris doctrinæ capaces. Primum igitur nihil aliud prædicate, quam adeſſe regnum cœlorum, ut reſipiſcentes à vita veteri, ſe præparent novæ. [8] Primus enim juſtitiæ gradus eſt abſtinere à peccatis, & primus ad ſanitatem gradus eſt agnoſcere morbum. Porro ne deſit fides, & obſcuris doctoribus, & nova docentibus, miraculis edendis doctrinæ fidem adſtruite, quemadmodum vidiſtis à me factum. Sanate ægrotos, excitate mortuos, mundate leproſos, ejicite Dæmones. Hæc quanquam ſunt maxima, tamen vobis ex me ſuppetent, & apud omnes conciliabunt favorem & auctoritatem. Primum enim alliciendi ſunt imbecilles. Vos tantum cavete, ne his vel ad inanem gloriam, vel ad quæſtum abutamini. Ut gratis accepiſtis à me, ita gratis date. Ne vel minima gloriæ, quæſtuſve ſuſpicione contaminetis Euangelicum munus. Ita demum vos vere magnos judicabunt homines, ſi conſpexerint tanta poteſtate præditos, nec intumeſcere faſtu, nec tangi cupiditate lucri, eaque fortiter contemnere, pro quibus vulgus hominum nihil non & facit, & patitur. [9] Volo vos expeditos hanc obire legationem, nullis onuſtos ſarcinis, nulla ſollicitudine obſtrictos, quo toti vacetis delegatæ functioni. Cœleſtia docetis, nolite curare terrena. Viaticum habetis dignum veſtra prædicatione, quæ nihil humile docet. Proinde iter ingreſſuri, ne zonas veſtras oneretis auro argentove. [10] Imo ne peram quidem, veluti penuarium quoddam, vobiſcum circumferatis, neque tunicas binas, ne calceamenta quidem, aut baculum. Satis armatus eſt hic, qui gladio ſermonis Euangelici fuerit accinctus. Nec eſt quod ſolliciti cogitetis, unde nudis ſuppetent neceſſaria? Vos modo curate munus delegatum, iſta ultro ſuppetent vobis à Patre cœleſti. Illius agitis negotium. Non ſinet operarios fraudari mercede ſua. In diem & ſecundum naturam viventibus, facile ſuppeditatur neceſſitas. Nec deerunt, qui ſponte ſuppeditent talia patrantibus, ac talia docentibus. Ita fiet ut nec vos hujuſmodi curis torqueamini, quæ & minuant auctoritatem veſtram & ſuſpicioni reddant obnoxios, nec ii, quos docetis, ingrati ſint erga eos, à quibus longe majora accipiunt. Nec vos cuiquam eritis moleſti exigendo, nec quiſquam vobis imputabit ſuum beneficium, quod tanto melioribus rebus commutavit verius quam dedit.

[11] Nec enim opus eſt, ut divertatis in diverſoria meritoria, ſed in quamcunque civitatem, aut vicum ingreſſi fueritis, primum inquirite, num quis ſit illic probitate vitæ commendatus, & avidus regni cœleſtis. Cui mundus hic tædio ſit, qui piis querimoniis ſubinde ſuſpiret promiſſum Meſſiam, qui ſimplicitate * morum; qui beneficentia in pauperes, majoris etiam profectus ſpem de ſe præbeat. Is enim futurus eſt vobis idoneus hoſpes, & vos illi viciſſim hoſpites gratiſſimi. Hujuſmodi cum repertus erit, in ejus ædes divertite, non mutantes hoſpitium, donec Euangelii negotium hortabitur in aliam demigrare civitatem. Neque enim opus erit, neque decorum vobis ſubinde mutare hoſpitem, quaſi vel leves ſitis, vel appetentes menſæ lautioris. Quævis domus, quivis victus, ſufficere debet viris Euangelicis. [12] Sitis autem moribus commodis, ac facilibus, ut nec faſtuoſi, nec adulantes videamini. Ubi domum eritis ingreſſi, priores ſalutate, dicentes: *Pax huic domui*, non erit inanis veſtra precatio. [13] Etenim ſi domus fuerit digna hac precatione, ſtatim & incunctanter eam recipiet. Sin averſabitur, nihil vobis peribit de ſalutatione veſtra. Quod enim adſpernantur illi, redibit ad vos. [14] Atque adeo nolim vos eſſe cuiquam ſupplices, aut adulantes, ob res neceſſarias, ut ſi qua domus vos gravetur excipere, aut ſi qua civitas vos gravetur hoſpites, nec admittant ultro oblatam Euangelicam ſalutem; velim vos relicta domo, quam ſalutaſtis, relicturos & civitatem, quam intraſtis, progreſſos in plateas etiam pulverem excutere de pedibus veſtris, palam teſtificantes vos adeo nihil terreni commodi venari ab his, qui rejiciunt Euangelium Dei, ut ne pulverem quidem viliſſimum, qui pedibus hæſit, velitis vobis imputari. Hic mementote non eſſe dandum ſanctum canibus, neque margaritas objiciendas porcis. [15] Tantum illud ingerite ingratis, velint nolint, inſtare regnum Dei, magno bono eorum, qui receperint, ſummo malo eorum, qui fuerint adſpernati. Viderint illi, qui rejiciunt ſermonem Euangelicum. Væ civitati illi, in qua nullus invenietur, quem ſuæ vitæ pœniteat, quique velit fieri melior. Illud affirmo vobis, in die judicii mitius agetur cum regione Sodomorum & Gomorrhæ, quam cum illa civitate, licet Iſraelitica.

Quo major eſt clementia Dei, tot miraculis, tot beneficiis provocantis illos ad pœnitentiam, hoc gravius punientur, ſi rejecerint. [16] Sed iſtos Deo puniendos relinquite, vos adverſus omnes injurias, ſervate manſuetudinem, & ita velitis omnibus prodeſſe bonis, ut nec à malis laceſſiti referatis injuriam. Satis eſt vobis iis rebus inſtructos eſſe, quibus poſſitis de omnibus benemereri: adverſus hominum injurias volo vos prorſus inermes eſſe, nec alio vincere præſidio, quam tolerantiæ. Poteram alioqui vos reddere formidabiles ac metuendos, ſed non hoc expedit Euangelio. Nec enim violentia violentiam, injuria injuriam, ſuperbia ſuperbiam exſtinguit, ſed manſuetudo, lenitas, placabilitas. Scio Phariſæos & ho-

* Alia Editio *vitæ*.

2 *Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc. Primus, Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus.*

3 *Jacobus Zebedæi, & Joannes frater ejus, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, & Jacobus Alphæi, & Thaddæus.*

4 *Simon Chananæus, & Judas Iſcariotes, qui & tradidit eum.*

5 *Hos duodecim miſit Jeſus; præcipiens eis, dicens: In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis:*

6 *Sed potius ite ad oves, quæ perierunt domus Iſrael.*

7 *Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum cœlorum.*

8 *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones ejicite: gratis accepiſtis, gratis date.*

9 *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris:*

10 *Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus enim eſt operarius cibo ſuo.*

11 *In quamcunque autem civitatem aut caſtellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus ſit: & ibi manete donec exeatis.*

12 *Intrantes autem in domum, ſalutate eam, dicentes: Pax huic domui.*

13 *Et ſi quidem fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam: ſi autem non fuerit digna, pax veſtra revertetur ad vos.*

14 *Et quicunque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros: exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus veſtris.*

15 *Amen dico vobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati.*

16 *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.*

Digitized by Google

homines, hujus mundi præſidiis feroces, multa dira molituros in vos. Sed adverſus hæc omnia non alius objiciendus eſt clypeus, quam patientia, nec eſt quod metuatis, mittemini velut oves inermes, ſimplices, innoxii, in medium luporum, ſed à me mittemini. Nolim vos quoque malis illorum irritatos, verti in lupos, ſed hoc modis omnibus agere, ut lupi, veſtra lenitate deliniti, vertantur in oves. Non eſt magnum ulciſci malos, ſed illorum animos in bonum vertere, maximum eſt ac difficillimum. Proinde duo quædam copuletis oportet, ſerpentis prudentiam cum columbæ ſimplicitate. Columbina ſimplicitas præſtabit, ut de omnibus benemereri cupientes, neminem lædatis, ne provocati quidem: Serpentina prudentia, ne quam anſam illis præbeatis calumniandi doctrinam. Hoc eſt caput veſtræ legationis, ut Euangelium penetret in animos omnium. Nihil igitur à vobis committendum eſt, quod probabili ſpecie poſſit cujuſquam animum ab Euangelica doctrina reddere alieniorem. Excitabit veſtra doctrina magnos in orbe tumultus, quo magis cavendum, ne quid veſtra culpa natum videri poſſit. Non poterit autem, ſi vos gratis communicantes omnibus bona veſtra, erga malos etiam ſervetis manſuetudinem, ac benemerendi ſtudium. [17] Cum hujuſmodi igitur hominibus, imo lupis verius, cautius eſt agendum, & jam nunc animus adverſus omne malorum genus præparandus, ne quid vos conturbent, cum inciderint. Futurum eſt enim olim, ut pertrahant vos, tanquam maleficos, in concilia ſua, & in conciliabulis ſuis quaſi ſceleroſos flagris vos cædent: [18] quin etiam ut Reipublicæ ſubverſores, producemini ad Præſides ac Reges, non ob veſtra merita, ſed mea tantum cauſa. Atque hæc omnia cum prohibere liceat, fieri patiar, ut omnibus teſtatum ſit ac perſpicuum illos ſuopte vitio perire, qui tot miraculis, qui tot beneficiis, qui tam obvia doctrina, qui veſtra ſimplicitate, lenitateque provocati, tam odioſe rejecerint ſalutem oblatam. [19] Cum igitur ad tam multos pauci, ad tam potentes, infirmi & inermes, ad tam eruditos, idiotæ producemini, ne velitis eſſe ſolliciti, quomodo cauſam veſtram ſitis acturi, judiciorum, legum, forique rudes & imperiti. Nolim hic quoque vos ad ea confugere præſidia, quibus hominum vulgus in judiciis ſolet vincere. Adhibent peritum & bene linguacem patronum, adulantur judicibus, ſupplices ſe provolvunt ad genua, favores redimunt pecunia. Abſint hæc à vobis. Tantum prodite vocati, juſſi reſpondete, ne merito vos arguant contumaciæ; ſed reſpondete ſimpliciter ac fortiter, non oratione meditata, ſed quæ fortitudinem præ ſe ferat, cum prudentia, modeſtiaque conjunctam. Ut victus vobis citra ſollicitudinem veſtram ubique ſuppetet, ita ſuppeditabitur & oratio. Hanc anxie meditari, non eſt ejus, qui totus pendet ab auxilio divino. Etiam nihil præmeditatis dabitur in tempore oratio, non ornata, ſed prudens & efficax, dignaque Euangelio. [20] Non eſt humanum negotium, quod geritis, ſed divinum, cujus vos non auctores eſtis, ſed organa. Nec enim vos illic loquemini, ſed Spiritus Patris veſtri loquetur per ora veſtra. Hujus igitur præſidio fretos, non oportet ullis malorum procellis commoveri. [21] Tantis enim tumultibus mundus inſurget adverſus doctrinam meam, ut frater, oblitus germanæ caritatis, fratrem adacturus ſit in mortem; ut pater, oblitus pietatis naturalis, filium accerſat capitis; ut filius, abjecta omni reverentia, cooriatur adverſus patrem ac matrem, eoſque morte afficiat, à quibus initium vitæ ſumſerat. [22] Quid multis? Omnibus inviſi reddemini propter odium nominis mei: non feret enim hic mundus, ambitione, ſuperbia, avaritia, libidine, cæteriſque terrenis cupiditatibus undique corruptiſſimus, doctrinam cœleſtem, nimirum adverſantem ſtudiis ipſius. Et atrocius crimen erit eſſe Chriſtianum, quam parricidam, aut veneficum. Has turbas per homines impios excitabit Diabolus adverſus Euangelium meum, ſed nolite diffidere, vincet divina ſapientia & Satanæ technas & malitiam humanam; vos modo fortibus & infractis animis pertendite negotium vobis delegatum: nam qui inter hæc mala perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit; neque enim oportet ullis terroribus fractos Euangelii negotium relinquere. Nihil eſt omnino periculi, niſi vos deficiat animus Euangelio dignus.

[23] Sed ut vobis non eſt provocanda malorum ſævitia, nec accerſenda perſecutio, nec viribus repugnandum, ita dum adhuc recens eſt Euangelii prædicatio, concedo vobis, ut fuga declinare periculum liceat, non ſolum ut vos ſitis incolumes, verum etiam ut hac occaſione latius ſpargatur rumor Euangelicæ doctrinæ. Proinde ſi quando vos impetent in hac civitate, date locum inſaniæ, & fugite in aliam: tantum abeſt, ut ſtatim ad injuriam perſecutionis deſiſtatis ab Euangelico negotio. Tantum hoc nunc agendum eſt, ut per omnem Palæſtinam ſpargatur Euangelii fama. Ad hoc etiam profuerit perſecutor, ſi non ſinet vos eodem in loco ſedere diutius. Erit olim tempus cum non erit fugâ declinanda perſecutio. Nunc breve tempus eſt, & properandum eſt. In proximo eſt enim regnum Dei. Illud confirmo vobis, priuſquam vos perambulaveritis omnes civitates Judææ, jam filius hominis ſe proferet, & aderit vobis periclitantibus. [24] In hoc exemplum vobis edetur, quanta toleranda ſint Euangelii præconibus. Quæ quidem omnia, vel hoc nomine vobis debent tolerabiliora videri, quod me vidiſtis, nullum non probri & afflictionis genus eſſe perpeſſum. Non eſt diſcipulus potior ſuo magiſtro, nec ſervus melior domino ſuo. [25] Hoc abunde ſatis eſt diſcipulo, ſi magiſtro ſuo æquetur: hoc debet ſufficere ſervo, ſi contingant paria cum domino. Si me patremfamilias tam indignis convitiis affecerunt, ut ſpurciſſimo convitio Beelzebub appellarint, & Filio Dei nomen impoſuerint impuriſſimi Dæmonis: quid mirum, ſi idem audebunt in ſervos familiæ? [26] Scio grave malum videri infamiam, ac morte propemodum acerbius, ſed laus eſt, non infamia, quæ ob Euangelium infertur ab impiis. Dicent vos eſſe magos, maleficos, ſeditioſos, ſed hæc ignominia poſt vertetur in gloriam. Eluceſcet tandem orbi veſtra ſinceritas, quam omnes laudibus vehent, exſecrantes eos, qui vos falſa fœdarant infamia. Diu preſſa laus, majori cum luce ſolet erumpere. Nihil eſt tectum, quod tempus non retegat, & nihil occultum, quod non aliquando ſciatur. Vos tantum hoc agite, ut laude digna geratis, non ut laudem affectetis. [27] Non eſt igitur, cur infamiæ metu deterreamini, quo minus libere prædicetis Euangelium regni. Nihil habet pudendum aut celandum. Imo etiam ſi quid à me auditis in tenebris, vos prædicate clara in luce, & ſi quid vobis dixerim in aurem, vos prædicate de tectis: † veſtra doctrina fucos neſcit. Vult in lucem omnium proferri, neque cujuſquam veretur conſcientiam. [28] Sed erunt fortaſſe, qui contemnant infamiam, cæteraque mala, mortem vero quis poſſet contemnere? Iſtos vero jure timeretis, ſi totum hominem poſſent occidere, vos autem, qui noſtis corpus viliſſimam eſſe partem hominis, animam, quæ potior eſt hominis portio, nequaquam ab iſtis lædi poſſe, quantumvis ſæviant, non eſt quod illos metuatis. Magis læderent, ſi non occiderent ſibi obſequentes, quam ſi occidant contemti. Oſtendam vobis, qui magis ſit metuendus: eum metuite, qui ut totum hominem condidit, ita poteſt totum hominem æterno damnatum exitio tradere gehennæ. Quanquam corpus, quod ad tempus exſtinguit tyrannus, non omnino perit, reddetur enim in reſurrectio-

† In alia Editione legitur *noſtra*.

17 Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos:

18 Et ad præſides & ad reges ducemini propter me, in teſtimonium illis, & gentibus.

19 Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.

20 Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.

21 Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & inſurgent filii in parentes, & morte eos afficient:

22 Et eritis odio omnibus propter nomen meum: qui

autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

23 Cum autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam. Amen dico vobis, non conſummabitis civitates Iſrael, donec veniat filius hominis.

24 Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſervus ſuper dominum ſuum.

25 Sufficit diſcipulo, ut ſit ſicut magiſter ejus; & ſervo, ſicut dominus ejus. Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt: quanto magis domeſticos ejus?

26 Ne ergo timueritis eos. Nihil enim eſt opertum, quod non revelabitur, & occultum, quod non ſcietur.

27 Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.

28 Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.

Digitized by Google

ctione longe melius, sed idem. Hactenus igitur corpus duntaxat periclitatur, si constanter obtemperantes jussis meis contingat occidi. Cæterum si jussis illorum obtemperantes deseratis Euangelii negotium, jam non corpus solum perit, quod etiamsi nullus occidat, tamen communi naturæ lege moriatur oportet, verum etiam anima tradetur æternis incendiis. Quid autem refert, utrum persecutor auferat vitam, an morbus, aliusve casus? Certe gloriosius est, ob Euangelium mortem oppetere. Quæ quanquam est violenta, non tamen veniet ante diem; quandocunque veniet, non veniet absque providentia divina. Unde fit, ut si conemini vitare, non possitis. Non patietur Deus vos occidi, nisi cum maxime vobis expediet mori. Quare hanc quoque formidinem omnem ex animis propellite. Deus hoc quoque curabit, cui non esset difficile vobis immortalitatem largiri, nisi majus esset, mortem contemnere, quam effugere. [29] Quid vilius passerculis, quorum par emitur asse, nummo minimo? Et tam immensus est passerum ubique numerus; & tamen ne unus quidem ex illis perit in terra, nisi voluntate permissuque Patris vestri. [30] An igitur metuitis, ne vos, quos ex omnibus delegit ad hoc negotium, passurus sit ante tempus interire, quos adeo non negligit, ut etiam omnes capitis vestri pilos habeat numeratos? [31] Quod si vos multo pluris estis Patri, passeribus innumeris, non est quod metuatis, ne quid in vos possint homines secus quam illi visum est, qui vestri jugem agit curam. [32] Huic igitur vitæ mortisque vestræ curam relinquite, nec ullo metu malorum, quæ possunt homines hominibus inferre, deterreamini à publica professione mei nominis, quamlibet invisi mundo. Quisquis enim contemtis hominum probris, me Dominum ac Magistrum professus fuerit in hac vita, hunc & ego agnoscam famulum ac discipulum coram Patre meo cœlesti. [33] Contra quem mei puduerit apud homines, meque negaverit, hunc & ego negaturus sum apud Patrem meum, qui est in cœlis. Non est autem hæc delicata professio: non enim me profitetur, nisi qui vita quoque declarat se credere dictis meis. Porro abnegavit qui sic vivit, ut quicquam anteponat mihi. Quid igitur lucri sit, si quis hic metu falsæ ignominiæ, quæ nec diuturna futura sit, nec prorsus ignominia sit, nisi apud ignaros ac stultos homines, cum apud Deum vera sit gloria, perdat egregiam illam ac æternam laudem apud Patrem & Angelos Patris? Lucrum est ista negligere, & omnibus contemtis ad æternum properare præmium. Hoc suo tempore reddetur promeritis; interim bona præmii pars est, bona conscientia. Non est diluta res, nec facilis Euangelii professio. Præmia quidem ingentia, sed ad hæc pertinacibus animi studiis grassandum est; non contingent otiosis ac cessantibus, Violenta manu sunt asserenda. [34] An putatis, quod venerim ut in terris seram pacem inter homines? Longe secus habet; imo non veni ut seram pacem & concordiam, sed gladium & bellum etiam intestinum ac domesticum, non modo civile. Cum enim Euangelica doctrina plerisque sit invisa futura, & hæc tam ardens sui studium requirat, ut oporteat omnes humanos affectus quantumvis impotentes cedere: fieri non potest, quin magna dissidia inter conjunctissimos etiam exoriantur, dum & hi, qui mundum deamant, citius sævient in sibi carissimos, quam vitia, quibus assueverunt, relinquant, & quos semel attigit ardor Euangelicæ caritatis, nullis affectibus se patientur avelli ab eo, quod cœperunt amplecti. Sed felix dissidium, quod sincera provehit, putria resecat; felix gladius, qui noxias cupiditates omnes ab animo recidit. Hic tumultus mihi imputetur, non vobis, qui dato pharmaco corpus omne perturbarim; sed ita, ut qui belligerantur adversus affectus suos, hoc est, naturæ fœdere junctissimos, odio nominis mei, sibi debeant imputare, non mihi: nam ipsos æmulari licebat, quos persequuntur. Omnibus offero salutem; quam si amplectantur omnes, nullum erit dissidium. Per se quidem Euangelium res est pacifica, sed aliorum vitio concitatur seditio. Ut pharmacum per se res est salutifera, sed interim in corpore movet tumultum, dum consulit omnium membrorum tranquillitati. [35] Verum, expedit amputari noxia, quo magis inter puros constet vera sanctaque concordia. Hunc igitur gladium defero in terram, qui dirimat concordiam inter filium & patrem: qui dissecet naturæ conjunctissimum vinculum inter filiam & matrem: qui distrahat concordiam inter socrum & nurum. Nullus est naturæ aut amicitiæ nexus tam tenax, quem hic gladius non queat dirumpere. [36] Quos domestica consuetudo fecerat homini conjunctissimos, hos Euangelii gladius inimicitia subita divellet. Sed hactenus constabit hoc bellum, ut qui stant à nobis, contemnant tantum hostes, non lædant autem, quod quidem in ipsis est, servent etiam si queant. [37] Et hactenus consistet contemtus, non ut fastidiant, sed ut modeste reddita ratione non obtemperent jussis impiis. Vobis danda est opera modis omnibus, ne per vos turbetur communis Reipublicæ status; ne desitis officio, quod filius patri, quod filia matri, quod frater fratri, quod maritus uxori, quod affinis affini, quod amicus amico, quod familiaris familiari debet ex lege naturæ. Non enim abrogo naturæ legem, sed perficio. Publicis magistratibus in omnibus obtemperandum est, nisi cum præscribunt impia: vocant in jus, eundum est: exigunt rationem, reddenda est: sin jubeant immolare simulacris, si imperent cessare à prædicando nomine meo, nequaquam est obtemperandum. Nec sunt tamen convitiis irritandi, sed sobrie reddenda est ratio, cur magis deceat obtemperare omnium principi Deo, quam humanæ potestati. Æquum enim esse, ut præscripta Dei, præscriptis hominum præponderent. Quod si præscribant iniqua, sed quæ non faciant impios, si quis obtemperet *, tolerandi sunt, ne provocati sæviant. Quod genus sunt, si vestem aut pecuniam auferant præter jus; si conjiciant in carcerem; si flagris cædant: hæc enim adeo non auferunt pietatem, ut per occasionem augeant, & illustrent virtutem Euangelicam. Itidem parenti si quid opus est, etiam Ethnico, & ab Euangelio alieno, præstandum est officium pietatis. Verum si parentis auctoritas avocet ab Euangelio, magis obtemperandum est Patri cœlesti, quam terreno. Nec tamen pater est aspere spernendus, sed blande reverenterque monendus, ne repugnet Deo. Ad hunc modum & cum cæteris agendum, quibus ex natura, moreve civili debemus officium humanitatis. Dicet aliquis, durum est hujusmodi affectus vincere, quos natura nobis penitus insevit. Sed tales requirit Euangelii professio, fortes ac masculos, quique nullis affectibus dimoveantur à cœlesti negotio. Hanc viam me videbitis ingredi, eadem me sequatur oportet, qui se velit haberi in numero discipulorum meorum. Filius, qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Rursum pater, qui filium, aut filiam, amat plus quam me, non est me dignus. Amat autem plus quam me, si dum illi obsequitur, mea præcepta negligit. Impia pietas est, sic indulgere parentibus hominibus, ut Deum parentem offendas. [38] Et ne videatur esse nimium Dei voluntatem præferre omnibus humanis affectibus, cum nihil sit homini vita carius, nisi quis hanc quoque contemnat Euangelii gratia, & semper paratus ad omne mortis ac supplicii genus, tollat crucem suam, & sequatur me quotidie, non est me præceptore dignus discipulus. [39] Quemadmodum enim præposterus amor parentis aut filii, odium est verius, quam amor, cum utrique sit noxius: ita præpostera cura servandæ vitæ, verum est exitium vitæ.

29 *Nonne duo passeres asse veneunt: & unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro?*

30 *Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.*

31 *Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos.*

32 *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est:*

33 *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.*

34 *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium.*

35 *Veni enim separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam:*

36 *Et inimici hominis, domestici ejus.*

37 *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.*

38 *Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.*

39 *Qui invenit animam suam, perdet illam: & qui*

* Alia Editio *si qui obtemperent.*

perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

vitæ. Servavit vitam, qui bene perdidit. Perdidit, qui male servavit. Qui deserto Euangelio, & abnegato me, placavit judicem, effugit carcerem, effugit crucem, evasit mortem, cum videatur hominibus lucrifeciſſe vitam, vere jacturam vitæ facit. Rursus qui constanter adhærens Euangelio, fortiter seſe periculis omnibus ac mortibus objicit, videtur hominibus subire vitæ dispendium, cum is demum vitam lucrifecerit. Non perit anima, cum ob Euangelii professionem occiditur, sed in æternum servatur: vere perit, si brevem in corpore moram impietate depaciscitur; quanquam ne tum quidem vivit in corpore, quæ vivit invisa Deo.

40 Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit.

40 Nec est periculum ne si contingat à parentibus, cognatis, affinibus & amicis destitui, non sint qui tectum ac victum suppeditent. Dotes quibus vos instruo, vestraque sinceritas vobis ubique parabit domos, parentes, filios, cognatos, & amicos. Tot enim habebitis fratres ac filios, quot habebitis discipulos: ut nunquam defuturi sunt, qui vos adspernentur & persequantur, ita nusquam non erunt, qui vos sincero refocillent affectu. Atque ut illos vobis non ulciscentibus, sed bene precantibus, olim gravissime puniet Deus, qui se spretum interpretatur, cum vos spernemini, ita his pro vobis, etiamsi nihil referatis gratiæ, mercedem amplissimam reponet: non enim vobis, sed sibi vult imputari Deus, si quid officii fuerit in vos collocatum Euangelii respectu. Quisquis enim vos recipit, me recipit, cujus nomine legatione fungimini, & qui me recipit, recipit Patrem, à quo missus sum, & cujus ago negotium. Is igitur ut dives est pariter ac benignus, pro quamlibet levi beneficio in vos collocato, præmium amplissimum remetietur, ut beneficium suum in vos non insumserint, sed fœneraverint; & multo plus gratiæ debeat, qui dedit, quam qui accepit. Siquidem ingens lucrum est, spirituales ac perpetuas opes corporali temporarioque beneficio commutasse.

41 Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.

41 Qui recipit Prophetam, non ob aliud, nisi quod Propheta est, nisi quod à me missus prædicat divinam voluntatem, ac divina promissa, is Prophetæ mercedem accipiet, nimirum factus & ipse Propheta. Et qui justum recipit, non quia cognatus sit, aut ob alium quempiam affectum humanum, sed hoc tantum nomine, quod justus sit, juxta regulam Euangelicam, justi mercedem accipiet, nimirum factus & ipse justus. An non feliciter commutavit, qui communicavit hospitium, & lucrifecit innocentiam? Ab hoc lucro nec fortunæ tenuitas quenquam arcebit. Hic enim affectus dantis æstimatur in ratione præmii, non doni pretium.

42 Et quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

42 Imo qui vel aquæ frigidæ poculum dederit, non dicam mihi, sed unicuilibet ex his minimis, tantum ob hoc, quod meus sit discipulus, pro certo dico vobis, non frustrabitur mercede sua, fiet enim & ipse discipulus meus. Quis autem usque adeo tenuis est, ut non possit sitienti porrigere aquam frigidam? Ut autem non refert, quantum sit, quod datur, sed quo affectu, cujusve nomine detur; ita non refert, quantus sit ille cui præstatur officium; hoc satis est, quod est meus discipulus, ut mihi possit imputari pro magno beneficio.

Cap. XI.

Legati Baptistæ: & laus: mox increpat urbes: Parvulus hæc novit: recreo: tolle jugum.

1 Et factum est, cum consummasset Jesus, præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde ut doceret & prædicaret in civitatibus eorum.

1 Ubi mandatis hujusmodi Jesus suos discipulos ad prædicationem Euangelicam instruxisset,* relictis illis, quo semoti à præceptore, sui periculum facerent, reliquit montem, ut & ipse pro sua portione prædicaret Euangelium in civitatibus Judæorum. 2 Cumque passim editis miraculis doctrinaque mirabili in dies magis ac magis increbresceret fama Jesu per universam Judæam, & in regionibus Jordani finitimis, ubi prius prædicarat Joannes, ac bapti-

2 Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis

A zarat Jesum, discipuli Joannis jamdudum subinvidentes gloriæ Jesu, de quo nihil adhuc eximium sentiebant, cum de Joanne nescio quid homine majus suspicarentur, renuntiarunt Joanni in carcere, quantus esset successus omnium, quæ gerebantur per illum, quem paulo ante tinxerat in Jordane, cuique testimonium præbuerat apud populum. 3 Porro Joan-

3 Ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?

nes, vir absolutæ sanctimoniæ, gaudens evenire jam, quod ipse prædixerat, suam opinionem, quæ re major erat, decrescere, Jesu famam in dies inclarescere, sentiensque discipulorum suorum subinvidos affectus, ut illorum infirmitati mederetur, & ab se alienatos Jesu velut in manum traderet, misit duos

B ex illis delectos ad Jesum, qui suis verbis hæc illi referrent: Tu ne es ille Messias, qui dicebatur adventurus, an non es, quem esse prædixeram, & adhuc alium exspectamus? Hæc faciebat Joannes, non quod ipse adhuc dubitaret, sed ut confirmaret suorum animos, & immodicam de se suspicionem cum fide aboleret. Etenim si ipse negasset se Christum esse, & repetisset quod sæpe jam dixerat Jesum esse Messiam, discipuli modestiæ tribuissent, & hoc magnificentius de illo sensuri, quo magis sese dejecisset. Sciebat autem Jesum ipsum melius huic imbecillitati medicaturum. Adeunt illi Jesum & renuntiant quæ mandarat Joannes. 4 Jesus autem non

4 Et respondens Jesus ait illis: Euntes renuntiate Joanni quæ audistis, & vidistis.

C ignarus, certius esse testimonium, quod à factis proficiscitur, quam quod à verbis, præsertim si quis ipse sibi sit testis, nihil quidem respondit primum, sed in illorum conspectu multis editis prodigiis, novis & inauditis, sanans ægrotos, profligans impuros spiritus, restituens debiles, cæcorum oculos aperiens, ait illis: Nihil opus est, ut de me qui sim pronunciem. Tantum ite & renunciate Joanni, quæ vestris oculis vidistis, quæ vestris auribus audistis. 5 Cæci

5 Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur:

recipiunt visum, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, Dæmoniaci liberantur, mortui reviviscunt, denique juxta vaticinium Esaiæ, pau-

D peres & humiles amplectuntur lætum salutis æternæ nuntium, quem feroces & arrogantes adspernantur. Hæc, inquam, facta satis loquuntur, qui sim. 6 Beatus autem est, cujus animo successus tantus Euangelii non præbuerit occasionem mali. Hoc adjecit Jesus, modeste subtaxans invidiam discipulorum Joannis, sed sic ut nec apud turbam pudesceret, sed taciti secum agnoscerent vitium suum: temperato modis omnibus responso, ut & ipse fugeret arrogantiæ suspicionem, & majorem fidem faceret discipulis, & illorum affectioni mederetur potius, quam traduceret.

6 Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.

7 Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?

7 Illis igitur digressis, conversus ad turbam, ne

E quid suspicarentur de Joanne, quod illo parum esset dignum, existimantes eum hæc percunctatum sibi dubitanti, ac non potius discipulorum imbecillitati sanandæ, cœpit amplissime Joannis laudes deprædicare, sic tamen, ut illi Messiæ laudem non adscribat, sed proximam duntaxat, & tamen pondus arroget illius de se testimonio. Expediebat enim ut populus quam optime sentiret de Joanne, qui tam præclare testificatus fuerat de Jesu, quod esset Filius Dei, quod esset agnus, qui tolleret peccata mundi, quod esset is, qui baptizaturus esset igni & spiritu. Nec enim in talem virum cadebat suspicio vanitatis, quasi falso prius Christum prædicasset; aut inconstantiæ, quasi post mutatus, cœpisset de Christo dubitare: Ne cui, inquit, obrepat

F suspicio levitatis de Joanne. Alioqui si talis visus est vobis, qui levium hominum more mutet sententiam, & quod prius affirmavit, post vocet in dubium: cujus spectaculi gratia sic dudum confluebatis in desertum? An ut videretis arundinem agitari ventis? Talis enim fuisset si nunc à seipso dissentiret, suique dissimilis esset factus. Sed ab hac suspicione facile illum vindicat perpetua vitæ totius austeritas. 8 Quid, inquam, visuri concurrebatis tum in deser-

8 Sed quid

* Alia Editio, *dimissis.*

Digitized by Google

existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regni sunt.

9 *Sed quid existis videre? prophetam? Etiam dico vobis, & plus quam prophetam.*

10 *Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Mal. 3.

11 *Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista: qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo.*

12 *A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

13 *Omnes enim prophetæ & lex, usque ad Joannem, prophetaverunt:*

14 *Et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est.*

15 *Qui habet aures audiendi, audiat.*

16 *Cui autem similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus,*

17 *Dicunt: Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentavimus, & non planxistis.*

18 *Venit enim Joannes*

tum? Num hominem holosericis vestitum? Hoc spectaculum non conveniebat eremo. Siquidem qui vestiuntur lineis & holosericis, in palatiis Regum sunt, quibus luxus vitæque delitiæ conveniunt. Atque inter hos locus est inconstantiæ, locus est adulationi. Qui locustis victitat & melle sylvestri, qui pilis cameli tegitur, qui coriacea zona cingitur, in hunc non cadit hujusmodi suspicio. Nec aulæ regiæ familiaritas potuit illius institutum vertere. Illum adulari nescisse, carcer arguit. 9 Sed magnum aliquod spectaculum fuerit oportet, quod vos tam frequentes pertraxerit in desertum? Quid igitur veniebatis spectatum? Num Prophetam aliquem? Nam hi solent fere in desertis vitam agere. Hîc certe non estis frustrati spe vestra: vidistis enim non solum Prophetam, sed præstantius quiddam Propheta. 10 Hic est, de quo vaticinatus est olim Malachias, quod præcursor esset Messiæ jam adventantis, ut non solum in longum illum oraculo promitteret, sed etiam de próximo digito posset ostendere. Vaticinium sic habet: *Ecce*, inquit, *mitto Angelum meum ante conspectum tuum, qui tibi mox venturo viam præparet.* 11 Illud vobis affirmo, tantam esse Joannis præstantiam, ut inter universos, quos ulla fœmina produxit in lucem, nemo sit illo major. Attamen is, qui nunc in Euangelii prædicatione à multis habetur minor, solus est illo major. Neque enim ille Messiam ambiguis vaticiniis promisit olim venturum, sed jam venientem ostendit, & regnum cœlorum jam adesse prædicavit. 12 Hactenus exspectabatur doctrina cœlestis, quam Patriarcharum typi, quam vatum oracula per ænigmata quædam promiserant. Nunc Joannes sic excitavit animos multorum ad Euangelicæ doctrinæ studium, ut ab exordio prædicationis illius usque ad hunc diem, ad hanc fidei violentia perrumpant, etiam peccatores & Ethnici, & volentibus nolentibus nobis vi diripiant. Nolunt diutius excludi, nolunt diutius in umbris & ænigmatis vetustæ Legis detineri, sentientes adesse lucem Euangelicæ veritatis, jamque adesse rem, in superioribus libris adumbratam, nec aliam prophetiam exspectandam de Messia venturo. 13 Siquidem omnes typi, quibus Lex designarat Messiam venturum, omnia vaticinia Prophetarum, quæ promittebant Messiam venturum, simulatque venit Joannes, desierunt rem futuram promittere. Stulte enim exspectatur quod adest. 14 Nihil supereſt, nisi ut quod juxta vatum oracula nunc præsens offertur, ardentibus studiis rapiatur. Atque ut plane videatis, posthac non esse vobis alium Prophetam, qui Messiam vobis annuntiet * adfuturum, Joannes ille est, quem Malachias, sub Eliæ nomine, quem victus ac vestitus austeritate, quem libertate in arguendis Regibus retulit, venturum esse prædixit, antequam veniret Messias. Hunc igitur si recipitis, credite jam adesse Messiam tot seculis exspectatum; vidistis illius vitam, audistis testimonium, auditis quid & ipse loquar vobis. 15 Si cui sunt aures, ut admittat veritatem, audiat: Si quis obturarit aures suas, sibi imputet exitium suum. A nobis nihil omissum, quod ad movendos animos omnium facit. Et tamen video multos tam pertinaciter incredulos esse, ut nec austeritate Joannis territi, nec mea civilitate, beneficentiaque, deliniti, recipiant quod tot jam seculis ex fide Prophetarum exspectarunt.

16 Qualem esse dicam hanc generationem? aut qua similitudine possem illam adumbrare? Similis videtur pueris in foro sedentibus, qui sic vulgata cantione procul acclamant sodalibus suis: 17 Tibiis cecinimus vobis læta, nec saltastis, lugubria cecinimus vobis, nec planxistis. 18 Diversis viis idem tentatum est à nobis. Neutra profectum est apud quosdam incredulos ac morosos. Joannes veluti lugubri cantu nationem hanc excitaturus ad pœnitentiam, prodiit

* Alia Editio, *adventurum.*

A insignis austeritate vitæ, jejunans & abstinens ab omnibus delitiis ciborum, abstemius, & aquæ potor. Et sunt qui dicant, Dæmonium habet, tantum abest ut imitentur. 19 Prodiit Filius hominis, veluti tibiarum lætiore cantu, nationem hanc excitaturus ad amorem cœlestis doctrinæ; quoque plures alliceret comitate sua, non abdit se in deserta, nec utitur vestitu insigniter aspero, nec cibis insigniter austeris, sed omnibus semet accommodans, nec ullius adspernans consortium, vescitur quibuslibet, & bibit quod apponitur: & rursum inveniunt quod calumnientur, dicentes: *Ecce homo vorax ac violentus, amicus publicanorum & peccatorum.* Qui non commoB ventur austeritate, solent blandimentis & comitate vinci. At ista natio ad omnem occasionem fit deterior. Nullum remedium sibi non vertit in materiam majoris morbi. Sed quo pluribus modis provocata est ad salutem, hoc omnibus erit evidentius, eam suapte malitia perisse, ac Dei sapientia, cujus hæc consilio geruntur omnia, justitiæ laudem ferat apud filios suos, cum viderint eos, qui magni justique videbantur apud homines, ob incredulitatem suam repulsos à regno cœlorum; contra, peccatores, publicanos, meretrices, Ethnicos, humiles, & abjectos, ob fidei promtitudinem admissos ad salutem æternam.

C 20 Hic Jesus veluti demiratus invincibilem quorundam malitiam, cœpit ad aliorum terrorem exprobrare civitatibus, quæ cum in his plura miracula prodidisset, & homines sanasset, tam multa docuisset, tamen ad pœnitentiam vitæ prioris compunctæ non sint. 21 *Væ*, inquit, *tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida: quia si prodigia, quæ sunt in vobis edita, visa fuissent in Tyro, aut Sidone*, quas civitates vos ut Ethnicas & impias exsecramini, *jamdudum compunctæ, in cilicio & cinere* peccatorum suorum agerent pœnitentiam. 22 Et interim vobis placetis, quod Israelitici generis sitis; quod non immolatis idolis; quod non tam palam ac licenter indulgetis luxui; D quod unum Deum colitis; quod Abrahæ filii sitis; quod Legem & Prophetas habetis; imo nisi resipueritis, hæc omnia cedent vobis in cumulum damnationis. Illud enim affirmo vobis, in die divini judicii, cum non ex opinione, sed ex merito quisque æstimabitur à Deo, mitius agetur cum Tyro & Sidone quam vobiscum. Levius punientur, quia non perinde atque vos fuerunt ad pœnitentiam provocatæ. 23 *Et tu Capernaum, quæ* nunc tibi placens *in cœlum usque tollis animos*, tunc *ad inferos usque detraheris.* Tibi plaudis tanquam justitiæ cultrici, & Sodomæ cultores abominaris, qui olim horrendo supplicio scelerum suorum dedere pœnas: 24 In die juE dicii & horum damnatio mitior erit, quam tui: nam si Sodomis edita fuissent ea miracula, quæ prodita sunt in te, pœnitentia placassent Deum offensum, & civitates exstarent in hodiernum usque diem.

25 Cum autem essent ad Jesum reversi à prædicatione discipuli, lætique retulissent illi, negotium successisse, ille docens nos, Deo tribuendum quicquid à nobis cum laude geritur, sublatis in cœlum oculis dixit: Gratias ago tibi, Pater, qui Dominus es cœli ac terræ, cujusque sapientia reguntur universa, quod hanc cœlestem Philosophiam celasti sapientiæ prudentiæque mundanæ persuasione turgidos elatosque, & eam aperuisti pusillis, humilibus, & F juxta mundi æstimationem stultis. 26 Profecto sic est, Pater, quia sic visum est tuæ benignitati; quo doceres tibi non placere feroces, & suæ justitiæ, suæque prudentiæ fidentes; & eos esse magnos apud te, ob simplicitatem fidei, quos mundus habet pro stultis & abjectis. Sic placitum tuo divino consilio, damnare sapientiam humanam, & per humilitatem Euange-

nec neque manducans neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet.

19 *Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Et justificata est sapientia à filiis suis.*

20 *Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus facta sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam.*

21 *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia, si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.*

22 *Verumtamen dico vobis: Tyro & Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis.*

23 *Et tu Capharnaum, numquid usque in cœlum exaltaberis? usque in infernum descendes: quia, si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem.*

24 *Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi.*

25 *In illo tempore respondens Jesus dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* 26 *Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te.*

gelicæ doctrinæ bonos ad te pertrahere. [27] Ac mox versus ad circumstantes: Horum, inquit, omnium bonorum Pater est auctor, à quo mihi tradita sunt omnia. Illum meque nosse, vera felicitas est. Sed non insinuat sese, nisi placidis ac modestis animis. Hæc arcana quædam est & mundo incognita Philosophia. *Nemo novit Filium, nisi Pater, nemo novit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius patefacere.* Non patefacit autem superbis & elatis. Nihil agit doctrina, nihil agunt miracula, nisi secretus accesserit afflatus. Sed hoc non dignamur nisi eos, qui prorsus diffisi suis præsidiis, totos sese credunt bonitati divinæ. Qui sibi videntur sapientes, indigni sunt hac sapientia; qui sibi videntur divites, non admittuntur ad has opes; qui sibi videntur nobiles ac potentes, non recipiuntur ad hæc adyta; qui sibi videntur justi, non sunt capaces justitiæ divinæ.

[28] Hic Jesus animo contemplans quanta esset generis humani calamitas; alios premi paupertate, rursus alios gravius etiam distorqueri cura divitiarum; alios affligi morbis, alios senio; hos discruciari amore, illos etiam gravius odio torqueri; multos variis falsarum opinionum inerrare labyrinthis; plerosque scelerum conscientia nunquam non intus affligi; nec esse qui pastorem ageret fidum & efficacem, cum essent innumeri, qui fastu gererent sacerdotes, qui *Rabi* nomine se venditarent, qui decimas exigerent, misericordia commotus invitat omnes ad se, omnibus solatium ac remedium pollicens ultro, si modo simplici sinceroque pectore sese adeant, & excusso jugo mundi longe miserrimo molestissimoque, jugum Euangelicæ doctrinæ recipiant: Venite, inquit, ad me, quotquot afflictionibus, curis, aut vitiorum conscientia laboratis, quotquot malorum sarcina degravamini, ego vos refocillabo, ego adversus omne malorum genus impartiam solatium. [29] Nec opes, nec honores, nec voluptates hujus mundi præstant veram animi tranquillitatem, nec Philosophia mundi hujus, nec Pharisæorum religio liberat à molestis curis. Habet mundus suum jugum, prima specie blandum, sed revera molestum & asperum. Illud inprimis excutite, mox ad me currite, lubentes & alacres jugo meo colla vestra submittite. Ex me discite, quæ res sola vereque tranquillet animum, & quo fonte nascatur totus iste mortalium tumultus. Nimirum hic est elatus ac ferox animus, sibi fidens, Deo parum fidens. Hinc scatet ambitio, studium pecuniæ, vindictæ libido, simultas, livor, bella, seditiones, impietates in Deum; quibus rebus quid esse potest tumultuosius, aut quid turbulentius? Quod si vultis semel ab omnibus malis liberari, fontem illorum tollite, accipite doctrinam meam, imitemini vitam meam. *Discite ex me quod mitis sum, & corde minime elato.* Quid possim, miraculis declaravi, & tamen nec opes, nec honorem affecto, neque quicquam omnino ambio eorum, quæ apud mundum magna ac præclara videntur. Neminem quamvis humilem aut peccatorem fastidio. Non regero convitia, non reprecor male precantibus, non referio ferientem. Totus ex Patris nutu pendeo. Ille pœnas exiget ab improbis: ille præmia reponet benefactis: illi cedo totam gloriam: illi committo omnem sollicitudinem. Ego simpliciter illius voluntati per omnia morem gerens, quod in me est, studeo benemereri de omnibus, nocere nemini. Hoc solum si à me didiceritis, sentietis confidere miseros istos tumultus, quibus nunc sine fine jactamini, parietisque quietem & tranquillitatem animis vestris, quæ vos etiam in mediis malorum circumfrementium procellis comitabitur. Mitis ac mansuetus animus, fons est omnis tranquillitatis humanæ. Tantum fidentes colla submittite. [30] Non est quod metuatis jugum meum. Durum & grave videtur incredulis, sed iis, qui toto pectore fidunt bonitati divinæ, qui conceperunt ignem caritatis Eu-

angelicæ, molle & commodum est jugum meum, levis est sarcina mea. Siquidem illud reddit suavè certa spes præmiorum, hanc levem efficit amor ineffabilis in Deum. Quid autem non dulce amanti? si mens sibi bene conscia, & omni sollicitudine vacans, si certa fiducia de præmiis æternæ vitæ? quid exorietur, quod talem animum conturbet, aut commoveat?

Cap. XII.

Mandunt de spicis: David: manus arida: regnum Divisum: quærunt signa, forisque tui.

[1] QUODAM autem die, cum Jesus iter faceret per segetes, ac discipuli, stimulante fame præcedentes Dominum, vellerent spicas, ac manibus confricantes ederent grana, [2] Pharisæi captantes undique calumniandi materiam, dixerunt illi: Non vides quid faciant discipuli tui? violantes sabbatum: cur igitur illos non prohibes, facientes sabbato, quod facere fas non est? [3] Hic Jesus ita patrocinatus est discipulis suis, ut tamen ipsum non possent criminari, velut auctorem violandi sabbati; simulque docet constitutiones hujusmodi cessare debere, quoties necessitas, aut insignis quædam utilitas inciderit. Sabbatum enim, & jejunia, similiaque, non esse instituta in perniciem hominis, sed in salutem. Pharisæis igitur ut Legis peritis, exemplum objecit ex Lege, non cujuslibet hominis, sed ejus, quem ipsi habebant in primis probatum & inculpatum: Quid, inquit, calumniamini discipulos meos, quod re parabali succurrunt fami? [4] An non legistis, David sanctissimum, necessitate adactum, majus quiddam ausum esse, qui cum fugiens Saulem venisset in urbem Nobe, comedit panes sacros, quos propositionis vocant, nec ipse tantum, sed & comites ipsius ac famuli? Nefas est ex his panibus cuiquam vesci præterquam Sacerdotibus ac Levitis: sed cum fame periclitaretur, nec Sacerdos veritus est hos illi prodere, nec David veritus veluti profanos attingere, vescique. Si probatis quod fecit Abimelech Sacerdos; si non damnatis quod fecit Propheta David, cur meos ob rem multo leviorem calumniamini? Quantulum enim est hoc operis, spicas obvias vellere, & granis confrictu palmarum erutis vesci? [5] Quid quod ipsa Lex alicubi jubet violari sabbatum? Siquidem Sacerdotes in Templo, dum in sabbato jugulant pecudes, & lanienam quandam exercent, dum congerunt struem lignorum, dum incendunt, dum detrahunt pellem, dum secant, dum coquunt, nonne profanant sabbatum? Lex non sinit quicquam operis fieri, & has operas tam sordidas, Sacerdotes sacri, in loco sacro exercent in sabbato. [6] Hæc scitis fieri, & probatis hoc nomine, quod ad usum Templi faciant. Si tanta est auctoritas Templi, ut quod operis illi impenditur, non violet sabbatum, illud dico vobis, hic esse majorem Templo. Huic qui ministrant eos magis oportebat esse excusatos à violati sabbati crimine. Si non profanant sabbatum, qui laborant in sacrificiis Mosaicis, multo magis excusandi sunt, qui serviunt Euangelio, qua non alia victima Deo gratior. Qui sabbatum instituit, idem potest & sabbatum tollere, & qui sabbatum instituit, hominis gratia instituit, non contra sabbati causa condidit hominem. Æquum est igitur, ut observatio sabbati cedat hominum utilitati, non ut homo sabbati causa pereat. Si tantum tribuitur sacrificio, ut qui illi servit, impune violet sabbatum, cur non & illum habetis excusatum, qui necessario beneficio sublevat proximum in sabbato? [7,8] Quandoquidem hoc sacrificium Deus sibi fatetur esse pluris, quam si quis immolet pecudem. Ait enim per Oseam Prophetam: *Misericordiam volo & non sacrificium, & scientiam Dei plus quam holocaustum.* Vos Legis peritiam profitemini, & tamen hoc in Lege scriptum est, quod si vere intelligeretis, nunquam ob

27 *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.*

28 *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.*

29 *Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris.*

30 *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.*

1 *In illo tempore abiit Jesus per sata sabbato: discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas, & manducare.*

2 *Pharisæi autem videntes, dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere sabbatis.*

3 *At ille dixit eis: Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, & qui cum eo erant:*

4 *Quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus?*

5 *Aut non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt?*

6 *Dico autem vobis, quia templo major est hic.*

7 *Si autem scivetis quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium: numquam condemnassetis innocentes.*

8 *Dominus enim est filius hominis etiam sabbati.*

rem levem, & nulli noxiam, culpassetis inculpabiles. Sunt enim quædam instituta, non quod per se bona sint aut mala, sed quod aliquo modo conducant ad pietatem, nec tam præstant sanctimoniam, quam significant; quod genus sunt, cibi genus, vestis color, aut forma, materiave, jejunium, festi dies. Harum rerum non oportet adeo superstitiose tenaces esse, ut ob has quis vel omittat, quæ per se semperque bona sunt, aut faciat quæ per se semperque sunt mala. Adulterium, homicidium, obtrectatio, livor, nullo non die mala sunt, ac nefaria. Et tamen qui Pharisaica religione sunt, minus abhorrent ab his, quam à violando sabbato. Subvenire proximo egenti, nullo non die pium & sanctum est, & tamen Pharisæi sabbati servandi prætextu patiebantur affligi proximum. Hanc superstitionem perniciosissimam Jesus Christus studuit penitus ex animis eorum eximere.

9 Et cum inde transisset, venit in synagogam eorum.

9 Proinde quo magis perspicuo exemplo idem inculcaret animis omnium, digressus hoc loco, reversus est in Synagogam eorum, habiturus eos testes, quos sciebat huic morbo potissimum obnoxios. 10 Et

10 Et ecce homo manum habens áridam, & interrogabant eum, dicentes: Si licet sabbatis curare? ut accusarent eum.

ecce statim illic sese offert occasio miraculi, aderat enim in turba quidam dextram habens mancam & aridam. Porro Pharisæi venantes honestam ansam accusandi Jesum, observabant eum, an sanaturus esset hominem in sabbato, qui paulo ante fuerat Apostolis patrocinatus in crimine sabbati violati. Jesus autem volens omnibus palam facere, calumniam illorum non ex religione proficisci, sed ex invidia, jussit hominem, cui manus erat manca, prodire in medium, quo vitium esset omnibus conspicuum, & vel misericordia commoverentur erga calamitosum, qui membrum, omnium maxime necessarium pauperi, mortuum & inutile circumferebat. At priusquam sanaret hominem, non inscius, quid cogitarent Pharisæi, percunctatus est eos, dicens: Utrum fas est sabbatis sanare hominem? Et utrum tolerabilius est apud vos benefacere homini, an male, servare hominem, an perdere? Perdit enim qui cum servare possit, non servat. At illi simul obticuerunt, ne vel crudeles viderentur populo, si nefas esse pronunciassent, homini calamitoso subvenire sabbatis, vel ansam perderent accusandi, si respondissent licere.

11 Ipse autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, & si ceciderit hæc sabbatis in foveam, nonne tenebit & levabit eam?

11 Tacentibus autem illis, Jesus ipse collato exemplo solvebat nodum quæstionis: Quis, inquit, inter vos reperietur tam religiosus observator sabbati, ut si contingat unam ex ovibus suis sabbato delapsam in foveam periclitari, non protinus admoveat illi manum ut extrahat eam? 12 Si tantum apud vos valet avaritia, ut malitis violare sabbatum, quam unam pecudem interire rebus vestris, quanto magis hoc debet impetrare caritas, ut proximum, qui longe melior est ove, sublevetis die sabbati? Palam est igitur, etiam vobis judicibus, fas esse beneficio juvare proximum sabbato. 13 Cæterum cum Jesus ne his quidem verbis sentiret illorum invidiam mitescere, nec hominis miserandi conspectu, nec ratione tam evidenti commoveri, circumferens oculos suos, indignabundus & indolescens de tanta cæcitate cordis illorum, versus ad eum, qui manum habebat aridam & contractam: Protende, inquit, manum tuam, simulque cum dicto, protendit manum sanam & agilem, non minus quam erat altera. 14 Hoc tam insigni facto in rabiem acti Pharisæi, cum viderent hanc ansam sibi ereptam accusandi Jesum, digressi à Synagoga, relictaque turba, quam intelligebant esse propensiore studio in Jesum, cum Herodianis, qui & ipsi commercium habebant cum discipulis Joannis, subinvidentibus gloriæ Jesu, clam iniere consilium, qua via Jesum tollerent è medio. Jam aderat homicidii voluntas, nec quicquam deerat præter occasionem idoneam. 15 Jesus autem non ignarus, quid molirentur, subduxit sese ab eo loco, ne furentibus ansam aliquam dedisse videretur ad extrema veniendi. Poterat illos odiose retundere, poterat miraculis obruere, poterat & perdere, sed ostendere volens Euangelicam mansuetudinem, cessit illorum furori, si forte mitescerent aut resipiscerent; & hactenus illis cessit, ut nihilo secius aliis in locis, turbis confertis sese comitantibus, impartiret doctrinam cœlestem, & quotquot offerebantur ægroti, aut alioqui calamitosi, sanaret. Nondum enim venerat tempus illius, nondum satis erat proditum Euangelium. Cessit igitur, non uti sibi consuleret, sed ut illis subtraheret occasionem impii facinoris, simulque moneret Euangelicam Philosophiam non terroribus, non convitiis, aut contentionibus esse defendendam adversus rebelles, sed mansuetudine. 16 Præcepit igitur turbis assectantibus, ne se facerent palam, & latius increbrescente rumore, Pharisæi magis ac magis accenderentur. 17 Neque enim hoc casu factum est, sed ita futurum jam olim prædictum erat per Prophetam Esaiam. Apud quem Pater Filii sui victoriam mansuetudine partam, ac salutem Euangelicam, ob satis omnibus spectatam Judæorum pertinaciam ad gentes delatam describit his verbis: 18 *Ecce*, inquit, *Filius meus, quem præ cæteris elegi, ecce dilectus meus in quo sibi complacuit anima mea, impartiam illi Spiritum meum* mansuetum ac lenem, & hujus instinctu *judicium annunciabit*, non solum Israelitico populo, verum etiam *omnibus gentibus*. 19 Non hoc aget per tumultum, aut vim: *Non enim litigabit, neque vociferabitur* adversus contentiosos. *Neque quisquam audiet vocem illius in plateis*, quod solent, qui lingua belligerantur. 20 Dabit locum invincibili malitiæ, sed omnes conabitur ad salutem adducere. Nec malis dabit occasionem immedicabilis exitii, sed servabit omnes si qua forte se vertant ad meliora. Non adspernabitur imbecilles, non adspernabitur infirmos. In quibus erit aliquid bonæ spei reliquum, hos fovebit potius quam opprimet. *Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non exstinguet, donec* progressu temporis *per se vincat veritas*, eoque sua culpa prorumperit vesania impiorum, ut omnes intelligant illos merito repulsos & abjectos. 21 Tunc Gentes amplectentur illius doctrinam à Judæis spretam, & in eo collocabunt spem suam, cui Judæi fidere recusarunt.

16 Et præcepit eis ne manifestum eum facerent.

17 Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam, dicentem.

18 Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit anima mea. Ponam spiritum meum super eum, & judicium gentibus nuntiabit. Es. 42.

19 Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus:

20 Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium:

21 Et in nomine ejus Gentes sperabunt.

22 Evenit interim ut inter multos, quos sanabat, offerrent Jesu quendam obnoxium noxio Dæmonio, quod misero simul oculos & linguam ademerat. Jesus imperavit, ut abiret Dæmonium, abiit, & illico totus restitutus est ille ter miser, sic ut videret & loqueretur. 23 Ad rem tam arduam stupescebat multitudo, jamque suspicantes illum esse Messiam, loquebantur inter sese: Num hic est ille filius David, quem promittunt Prophetæ? 24 Hanc populi vocem cum audissent Pharisæi, Jesum quidem ipsum non aggrediuntur, à quo semper discedebant inferiores, sed multitudinis animos conantur ab illius admiratione divertere: Non potest, inquiunt, hic esse filius ille David, quemadmodum vos suspicamini, siquidem ille veniet suffultus potestate divina. Hic non ejicit Dæmones præsidio Dei, cum sit impius, & sabbatorum violator, vorax, ac vinosus, & sodalis publicanorum, sed præsidio Beelzebub principis Dæmoniorum. 25 Jesus autem tametsi vocem illorum non audierat, tamen sciens, quid & cogitarent, & apud alios loquerentur, conversus ad Pharisæos, sic temperat responsum suum, ut illorum insanum convitium manifestissima ratione refellat, nec tamen in illos regerat contumeliam, sed potius amanter invitat ad salutem amplectendam: *Omne regnum*, inquit, *intestino dissidio divisum, intereat, oportet. Et omnis domus intestina discordia secum pugnans, concidat oportet.* 26 *Quod si Satanas Satanam*, & Dæmon Dæmonem expellit, *quomodo durabit regnum illius?* Quomodo autem consentaneum est, ut cum omnes Dæmones sint hostes hominum, nec aliud sitiant, quam illo-

22 Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus, & mutus, & curavit eum ita ut loqueretur, & videret.

23 Et stupebant omnes turbæ, & dicebant: Numquid hic est filius David?

24 Pharisæi autem audientes, dixerunt: Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.

25 Jesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum divisum contra se, desolabitur: & omnis civitas, vel domus divisa contra se, non stabit.

26 Et si Satanas Satanam ejicit, adversus se

divisus est: quomodo ergo stabit regnum ejus?

illorum exitium, quorum saluti misere invident, nunc adeo faveant eorum saluti, ut hac de causa Dæmon pugnet cum Dæmone? [27] *Jam si ego virtute præsidioque Beelzebub ejicio Dæmonia*, isti mei discipuli *filii vestri*, quos agnoscitis, *cujus præsidio Dæmones ejiciunt?* Ejiciunt enim & illi, nec illos interim calumniamini, me unum calumniamini. Et tamen illi ut ejiciant, à me potestatem habent. Itaque fieri non potest, ut illi in virtute Dei profligent Dæmonia, ego præsidio Beelzebub; cum isti per meum nomen id faciant. Et ideo possunt homines idiotæ tanta, quia simpliciter credunt me virtute Dei profligare Dæmonia. [28] Proinde horum pia credulitas vestram damnabit incredulitatem, qui calumniari mavultis, cum liceat imitari. Quod si res ipsa clamitat, me non præsidio Dæmonis, sed virtute Dei, pellere Dæmones, dubitare non debetis amplius, quin advenerit ille filius David, & regnum Dei, cum videatis ad invocationem mei nominis factam ab iis, qui profitentur Euangelium, evanescere vires adversariorum. [29] Ut igitur Dæmonum inter ipsos est concordia ad perdendum omnes, ita mihi, qui in hoc veni, ut servem omnes, cum illorum cohorte nulla est concordia, sed capitale dissidium. Hactenus Beelzebub tyrannidem exercuit in homines peccatis obnoxios, malisque cupiditatibus addictos: ego sublatis hominum peccatis Beelzebub principem cum suo satellitio protero, & quos ille per injustitiam possidebat, per innocentiam Deo vindico. Viribus, non pacto res geritur. Sentiunt illi & fatentur adesse potestatem, cui cogantur cedere. Alioqui qui fieri potest, ut aliquis ingrediatur aream viri potentis, ac supellectilem illius diripiat, nisi prius potentem dominum superatum conjecerit in vincula? Tum vero coercito eo, qui poterat obsistere, populabitur domum universam, ac velut prædam auferet. Mundus domus est Beelzebub. In hoc, quoniam totus serviebat ambitioni, luxui, libidini, avaritiæ, iræ, livori, cæterisque cupiditatibus noxiis, per quas ille potens est, regnum quoddam sibi vindicabat. Ego ut vir fortior ingressus sum illius regnum, eoque superato, quod ille injuste possidebat, vero principi assero. Nihil igitur inter nos convenit. Diversi Principes sunt, diversa regna, nullo fœdere concilianda. [30] Qui vult inseri regno Dei, à regno Beelzebub se subducat oportet, cumque illo belligeretur in castris meis. Nemo potest cum Deo pacem habere, nisi bellum habeat cum Diabolo. Ego Dei partes sequor, non Beelzebub.

27 Et si ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt.

30 Qui non est mecum, contra me est: & qui non congregat mecum, spargit.

Proinde qui non est in castris meis, is hostis & adversarius est meus. Et qui me non adjuvat in colligendo, is adversatur dispergendo. Videte ut meliori parti vos adjungatis; consultius est in regno Dei salutem perennem assequi, quam in regno Diaboli mortem æternam accersere. [31] Desinite servire peccatis, & nullum jus in vos habebit Diabolus. Ab illo transfugas recipiet Deus in regni sui consortium, nec pœnitentibus ac resipiscentibus imputabit vitæ superioris commissa, quamlibet enormia. Tantum ne quis excæcatus invidia, malitiaque perversus, adversus suam ipsius conscientiam adversetur gloriæ Dei, & cum oculis cernat virtutem divinam manifestis signis & prodigiis sese mundo prodere, tribuat ea spiritui Beelzebub. Proinde illud affirmo vobis, quicquid commissum fuerit facto dictove, condonabitur hominibus, modo resipiscant. Facile condonat Deus, quod aliquo pacto veniale facit humanæ naturæ infirmitas. Cæterum si quis convitium dixerit in Spiritum Dei, cujus manifestam vim vidit ex ipsis factis, is vix inveniet veniam. [32] Et quisquis convitium dixerit in Filium hominis, quem ob infirmitatem carnis contemnit, condonabitur illi, quod error & ignorantia mixta facinori, excludit perversam ac destinatam malitiam. At qui convitium dixerit in Spiritum Sanctum, vix nanciscetur veniam, vel in hoc seculo, vel in futuro. Hoc autem dixit Jesus deterrens Pharisæos ab obstinata perversitate, quod cum cernerent & intelligerent ea, quæ gerebat, non posse geri, nisi per Spiritum ac virtutem Dei, tamen invidia moti repugnabant gloriæ Dei, & illius miracula maluerunt adscribere Beelzebub, cujus spiritum dicebant in Christo vim suam exserere. [33] Cum, inquit, juxta communem etiam sensum è fructu dignoscatur arbor, cur vos arborem calumniamini, cum fructum non approbare non possitis? Miracula, quæ facio, sublevant miserias hominum, neminem lædunt, nec adhibentur ad inanem ostentationem, aut quæstum, sed ad beneficentiam & opitulationem. Hoc esse bonum nemo potest infitias ire, gratis benemereri de afflictis. Cur igitur, quod per se bonum est, dicitis à Beelzebub proficisci, qui vestro quoque judicio totus malus est? Si vultis latere cæcitatem animi vestri, consistentia loquamini oportet, nunc ne cohærent quidem juxta communem hominum sensum quæ dicitis. Aut igitur facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, & fructum ejus malum. Aut fateamini me Spiritu bono agi, qui fatemini opera mea esse bona. Aut opera dicite mala, ut probabile fiat quod dicitis, me spiritum habere mali Beelzebub. Quod si facta mea talia sunt, ut non possitis non fateri bona, nolite quæ bona sunt, auctori malo tribuere. [34] Progenies viperarum, ex malis majoribus orti mali, ex vobis ipsis conjecturam facite. Nonne vos quales estis, talia loquimini, & opera vestra declarant, quem habeatis spiritum? Invidentes gloriæ Dei, calumniamini Spiritum illius: unde fructus isti tam pestilentes, nisi ex mala arbore? Ut enim fieri non potest, ut arbor agrestis, fructus edat mites, ut arbor venenati succi, poma ferat salubria: ita quî vos potestis bene loqui, cum sitis mali? Ut enim ex succo radicis, fructus trahit saporem, ita ex eo quod reconditum est in corde, nascitur oratio. [35] Ut bonus homo de bono thesauro cordis profert bona: ita malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala. Quorum cor opplevit pietas, opplevit caritas, verba loquuntur resipientia quod est in corde. Quorum cor opplevit invidia, superbia, & avaritia, talem edunt orationem, quæ reddat ore cordis affectum. [36] Non solum è factis, verum etiam ex verbis apud Deum æstimabuntur homines. Mala cogitatio soli cogitanti pestifera est, at oratio mala, cordis venenum transfundit in multos. Coercenda est itaque lingua, non solum à blasphemiis insanis, à convitiis & jurgiis, ab obtrectationibus & turpiloquio, sed ab omnibus prorsus quæ nullam adferunt utilitatem honestam. Imo dico vobis, non solum pro turpiloquio, sed etiam pro quovis verbo supervacaneo, frivolo, & inutili, quod dixerint homines, reddituri sunt rationem in die judicii. [37] Etenim illic verba quoque pro factis imputabuntur: ex verbis tuis aut justus pronunciaberis, si bona prodierint ex bono corde, aut ut injustus condemnaberis, si mala ex malo corde prodierint. Et hic agnoscite perfectam justitiam regni cœlorum, superantem Legis Mosaicæ justitiam. Siquidem illa modo punit manifestam blasphemiam in Deum: hic punietur & convitium in proximum, nec solum pernicioſum dictum, verum etiam otiosum & inane: Onus enim arboris est non fructus, qui nulli est usui, & hoc ipso noxius est, quia sine fructu audientis, tempus & aures occupat, cum in hoc data sit lingua, ut ea profimus nobis & proximo, utque hoc organo celebremus gloriam Dei.

31 Et qui-cumque dixerit verbum contra filium hominis, remitte-tur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.

33 Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem malam, & fructum ejus malum: siquidem ex fructu arbor agnoscitur.

34 Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur.

35 Bonus homo de bono thesauro profert bona: & malus homo de malo thesauro profert mala.

36 Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.

37 Ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.

[38] His auditis Scribæ quidam & Pharisæi, dissimulato animi furore, blandioribus verbis aggrediuntur Jesum, veluti jam illi crediturî, si in gratiam ipsorum miraculum aliquod ederet, ipsis, seque dignum, qui sibi vindicaret Spiritum Dei, & qui sem-

38 Tunc responderunt ei quidam de Scribis & Pharisæis,

semper haberet in ore Patrem cœleſtem. Magiſter, inquiunt, nos qui plebeji non ſumus, ſed eruditi, cupimus ex te videre ſignum aliquod eximium è cœlo proficiſcens, quod te declaret Deo carum eſſe, teque quod facis, illius virtute facere. 39 At Jeſus ſciens ſubdolam illorum cogitationem, & obſtinatam malitiam, qui non in aliud poſcerent ſignum, niſi ut hinc quoque novam calumniandi ſumerent occaſionem, præſertim cum facilius ſit calumniari, quæ de cœlo oſtenduntur, quam ea, quæ coram cernuntur oculis, audiuntur auribus, tanguntur manibus: non ferens tantam perverſitatem, reſpondit velut averſus ab illis, & apud ſemet indignans: O nationem, inquit, malam & adulterinam; quæ ſe gloriatur habere patrem Deum, quæ ſe jactat de progenitore Abraham, cum eos potius referat, qui derelicto Deo coluerunt Vitulum aureum, qui ſeditionem moverunt adverſus Moyſen, qui obmurmuraverunt in deſerto, qui Prophetas occiderunt, cum ſe declaret patrem habere Beelzebub, cujus ſpiritu plena, rebellat adverſus Spiritum Dei. Sed non dabitur ei ſignum de cœlo, quod calumnietur, & quo eſt indigna, cum tota terræ ſit affixa, ſed aliquando dabitur ei ſignum è terra, quo convincatur, & ſi converti nolit, pereat. Admiratur Jonæ Prophetæ miraculum, qui abſorptus à bellua maris, poſt triduum redditus eſt vivus. Hoc & illis ſat erit ſigni, ſi quem ſua malitia occiderunt, videant virtute divina reviviſcere. 40 Hoc miraculum illis propediem exhibebitur calumniaturis. Quemadmodum enim Jonas ultro ſe in mortem tradidit, & exceptus eſt à bellua marina, fuitque in ventre illius tribus diebus & tribus noctibus, mox deſperatus ab omnibus, auxilio Dei redditus eſt vivus: ita Filius hominis triduo ac trinoctio futurus eſt mortuus in corde terræ. Hoc ænigmate Jeſus indicabat mortem ac ſepulturam ſuam, ac mox reſurrectionem à mortuis. 41 Ac ſubjecit, quod Ninivitis fuit Jonas, hoc ego ſum vobis. Ille denunciavit illis imminere vindictam divinam & excidium urbis, ni reſipiſcerent, ego idem vobis omnibus denuncio. Sed Ninivitæ, quos præ vobis ut Ethnicos & idololatras contemnitis, ſurgent in judicio divino, voſque declarabunt merito damnatos, ſi ad ipſos conferamini. Siquidem illi quanquam erant ſceleroſi, tamen ad Prophetæ minas expavefacti dejecerunt ſeſe ad pœnitentiam. Et ecce hic eſt Jona major, qui vobis fruſtra prædicat. Ninivitæ gens erat à Dei cultu aliena, Jonas ignotus & humilis ad eos venit. Nullus illum commendarat, aut adventum illius prædixerat, nulla edebat miracula, neminem beneficio ſibi conciliabat, nihil magni promittebat. Tantum comminabatur exitium, neque diutius quam triduo prædicabat. Ego promiſſus Prophetarum oraculis, toties commendatus teſtimonio Joannis, teſtimonio Patris, popularis veſter, & ex iiſdem ortus majoribus, quibus vos gloriamini: tanto jam tempore doceo vos, tot miraculis teſtificor non eſſe vanam doctrinam, tam multos gratuitis beneficiis meis adjuvi, & non intono ſævas minas, ſed ultro polliceor remiſſionem omnium peccatorum, offero regni cœleſtis æternam felicitatem, & dicor habere ſpiritum Beelzebub, appetor capitalibus inſidiis, tantum abeſt ut flectamini ad pœnitentiam. 42 Quin & Regina Saba exorietur in judicio, in probrum & condemnationem hujus generationis, quod ad rumorem è longinquo allatum, relicto regno patriaque ſua, tam longo itinere profecta ſit ad Regem Solomonem, non metu aliquo commota, ſed tantum aviditate ſapientiæ. Nec adiit ſolum, ſed & ingentia munera ſecum attulit. Et ecce hoc in loco eſt qui Solomone ſit major. Quid enim ſimile geſſit Solomon, qualia me videtis gerentem, aut quid ſimile docuit Solomon? Et ultro ad vos deferentem Euangelicam doctrinam, per quam ſervemini, omni contumelia-

dicentes: Magiſter, volumus à te ſignum videre.

39 Qui reſpondens ait illis: Generatio mala & adultera ſignum quærit; & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ Prophetæ.

40 Sicut enim fuit Jonas in ventri ceti tribus diebus, & tribus noctibus; ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.

41 Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ: Et ecce plus quam Jonas hic.

42 Regina Auſtri ſurget in judicio cum generatione iſta, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, & ecce plus quam Salomon hic.

rum genere afficitis, atrociora etiam inſuper molientes in beneficum. Sed quo majoribus oſtentis ac beneficiis provocati eſtis ad pœnitentiam, hoc atrocior vos manet pœna, niſi mature reſipueritis.

43 Porro quid eſſet illis eventurum, & in quantam cæcitatem deventura eſſet gens Iſraelitica, & quibus calamitatibus afficienda à Principibus Romanis, & quomodo per orbem exſulatura, rejecta, contemptaque ab omnibus nationibus, Jeſus ænigmate quodam indicare maluit, quam explicare. Adhibet autem ſimilitudinem hominis Dæmonio malo obnoxii, qui poſtquam ſemel liberatus & ſuæ menti redditus, poſtea * ſua culpa Dæmone reverſo, longe gravius laborat, quam prius laborabat. *Cum Spiritus*, inquit, *immundus exierit ab homine*, exſul hoſpitio veteri, *obambulat per loca arentia* ſteriliaque, *quærens ubi requieſcat, nec invenit.* 44 *Tunc ait ſecum, revertar in domum meam unde exivi. Ubi venit, offendit eam ornatam, purgatamque, ſed vacuam hoſpite.* 45 Tunc videns eſſe locum, nec ab alio quoquam occupatam, non contentus ipſe remigrare ſolus, *adſciſcit ſeptem alios ſpiritus deteriores ſe, ſimulque ingreſſi domum habitant ibi. Fitque ut homo gravius diſcrucietur quam antea diſcruciabatur. Sic eveniet huic nationi peſſimæ.* Hac imagine Jeſus notabat pertinacem malitiam Iſraeliticæ gentis, ſubinde relabentis ad ſuos mores. Serviebat olim vitiis & cupiditatibus Dæmoniacis. Per Legem ac Prophetas utcunque liberata eſt, ſed ſubinde rediens ad ingenium. Redibat ad idola, ſacrificabat in lucis, occidebat Prophetas. Emendabatur afflictionibus, per Pharaonem in Ægypto, per Nabuchodonoſor in Babylone, aliiſque variis calamitatibus. Tandem à Filio Dei tot modis provocata, non ſolum renovavit, verum etiam multis partibus ſuperavit omnem impietatem majorum ſuorum, non ſolum omni genere contumeliarum afficiens innoxium † ob beneficium, verum etiam ad crucem adigens falſis criminibus. Unde prodigioſa quædam cæcitas & ſeptuplo miſerabilior, quam fuerit majorum, cepit animos illorum, & ob id exitium illos manet longe atrocius, quam hactenus paſſi ſunt.

46 Cum hæc loqueretur populo, venit mater Jeſu comitata conſobrinis aliquot illius, qui cupiebant illum convenire. 47 Cum autem non poſſent adire illum, ob turbam confertam, & obſidentem fores domus, voce quaſi per manus tradita, quidam interpellans ſermonem Jeſu renuntiavit illi adeſſe pro foribus matrem & fratres ipſius, qui poſtularent ejus colloquium: 48 Jeſus autem offenſus hac importunitate, ſimulque docere volens, minimum eſſe tribuendum talibus affectibus, quoties negotium agitur Euangelicum, pluris autem faciendam cognationem animorum, quam corporum, quæ virtute, non ſanguinis propinquitate conciliatur, quæque longe patet latius, reſpondit interpellanti: *Quænam eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* Cœleſti negotio occupatus, non agnoſco matrem, aut fratres carnis affinitate conjunctos, forſitan animis alienos. 49 Ac porrecta manu in diſcipulos ſuos, qui juxta ſedentes, avide tacitique combibebant doctrinam ſalutiferam: Si vere, inquit, cognatos noſſe vultis, eoſque qui mihi ſunt cariſſimi, hi ſunt mater mea, ſorores meæ, fratres mei. Nullum hîc ſexus aut ætatis diſcrimen, nulla propinquitatis ratio. 50 Quicunque paret voluntati Patris mei, qui eſt in cœlis, is mihi mater eſt, is ſoror eſt, is frater eſt. Spirituum affinitatem magnifico, non corporum. Hanc ſibi quiſque parare poteſt. Ut quiſque illius voluntati maxime obtemperat, ita mihi conjunctiſſimus eſt & cariſſimus.

* Alia Editio, *ſuo vitio Dæmone recepto.*
† Eadem habet, *ac beneficum.*

43 Cum autem immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit.

44 Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, ſcopis mundatam, & ornatam.

45 Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & intrantes habitant ibi. Et fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus. Sic erit & generationi huic peſſimæ.

46 Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus & fratres ſtabant foris, quærentes loqui ei.

47 Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant quærentes te.

48 At ipſe reſpondens dicenti ſibi, ait: Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?

49 Et extendens manum in diſcipulos ſuos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei.

50 Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt; ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XIII.

Nobile ſemen: ager: zizania: grana ſinapis: Fermentum: gazæ: gemma: ſagena: ſtupor.

1 In illo die exiens Jeſus de domo, ſedebat ſecus mare.

2 Et congregatæ ſunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam aſcendens ſederet: & omnis turba ſtabat in littore:

3 Et locutus eſt eis multa in parabolis, dicens: Ecce exiit qui ſeminat, ſeminare.

4 Et dum ſeminat, quædam ceciderunt ſecus viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt ea:

5 Alia autem ceciderunt in petroſa, ubi non habebant terram multam: & continuo exorta ſunt, quia non habebant altitudinem terræ.

6 Sole autem orto æſtuaverunt: & quia non habebant radicem, aruerunt.

7 Alia autem ceciderunt in ſpinas: & creverunt ſpinæ, & ſuffocaverunt ea.

8 Alia autem ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum, aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud trigeſimum.

9 Qui habet aures audiendi audiat.

10 Et accedentes diſcipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis?

11 Qui reſpondens ait illis: Quia vobis datum eſt noſſe myſteria regni cælorum: illis autem non eſt datum.

1 EODEM tempore cum Jeſus cerneret locum non eſſe tantæ multitudinis capacem, egreſſus domo conceſſit ad lacum. Quo cum veniſſet, ſedit in ripa, docens populum infatiabiliter inhiantem doctrinæ ipſius. 2 Porro cum videret multitudinem adeo condenſari, ut premerent ipſum, quo liberior eſſet à turba, ingreſſus eſt navim, atque ex ea velut è ſuggeſto loquutus eſt multitudini ſtanti in littore. Sic enim commodius à multis, & videri poterat, & audiri, quod arena littoris paulatim inſurgens, & ipſa littoris ora ſpeciem quandam præberet amphitheatri. 3 Quoniam autem in ea multitudine non erat eadem mens omnibus, multa propoſuit eis per ſimilitudinum involucra; ſive quod hoc orationis genus familiare eſt Prophetis; ſive quod accommodatiſſimum eſt ad docendum, & ad flectendos animos populi, quod collatio ſumta à rebus, omnium etiam idiotarum ſenſibus notiſſimis, ſtatim permoveat unum quemlibet; ſive quod hac illecebra, & jucundius irrepunt in animos hominum quæ dicuntur, & hærent tenacius; ſive quod hæc admonitio nullum traducens, ſed tacite per imaginem taxans cujuſque conſcientiam, minus offendere ſolet.

4 Primum autem omnium parabolam propoſuit, ſubindicans multos quidem undique confluere ad prædicationem Euangelii, ſed tamen non in omnibus gigni fructum; id accidere, non docentis culpa, ſed audientium vitio. Nec parem gigni fructum in iis, qui audirent, ſed ut quiſque adferret animum à mundanis curis & cupiditatibus vacuum, ita ſermonis auditi maximum eſſe fructum. Hortatus igitur ut auſcultarent, parabolam talem propoſuit: Egreſſus eſt, inquit, quidam ſeminator in agrum, ut ſeminaret ſemen ſuum, & dum late ſpargit, grana quædam ceciderunt juxta viam. Ea quoniam manebant nuda, advolarunt aves & comederunt. 5 Alia rurſus inciderunt in loca petricoſa & aſpera; quæ cum obſiſtentibus ſaxis, non tegerentur profunda terra, nec potuerunt altius agere radices, 6 mox ad teporem Solis ante tempus enata ſunt in herbam, propterea quod non eſſet multum terræ, quæ ſervaret condita in tempus ſuum, nec radix profunda, quæ ſuggereret humorem. 7 Rurſus alia ceciderunt in terram ſpinoſam, atque increſcentibus ſpinis, ſuffocata ſunt, nec potuerunt in liberiorem auram emergere. 8 Alia porro ceciderunt in terram bonam ac frugiferam, & feliciter enata produxerunt fructum, non parem quidem omnia, ſed pro ſoli bonitate; alia centuplum, alia ſexagecuplum, alia trigecuplum, ſic ut ex alio grano naſceretur ſpica ferens grana centum, ex alio quæ ſexaginta, ex alio quæ triginta. Hæc locutus Jeſus tum quidem non explicuit involucrum ænigmatis, ſed ſuo cuique animo reliquit conjectandum. 9 Tantum adhortatus eſt, ut quibus eſſent aures idoneæ non oſcitanter audirent eam parabolam.

10 Sed alio tempore, cum diſcipuli nacti eſſent Jeſum ſolitarium adierunt eum, rogaruntque, quare populo per ſimilitudinum ænigmata loqueretur. 11 Quibus hunc in modum reſpondit Jeſus: Quia ſe nondum ſatis idoneos præbent, quibus aperiatur veritas, qua non ſolum non fiunt meliores quidam admixti turbæ, verum etiam irritantur, ut fiant ſceleratiores. Propterea quales illi adferunt animos ad audiendum, tales illis propono ſermones: Illi quæ ſunt manifeſtiſſima nolunt intelligere, ego tenebris involvo ſermonem, ut vel ſic provocem ad diſcendi veſtigandique ſtudium. Vos autem, qui quod datur ſimpliciter avideque accipitis, digni eſtis, quibus ſecretiora quædam Euangelicæ Philoſophiæ commu-

A nicentur. 12 Siquidem habenti dabitur, ut abundet; cæterum nihil habenti, adeo nihil addetur, ut eo quoque, quod habere videbatur, ſit ſpoliandus. In aliis facultatibus, crudele eſt ſpoliare egentem; hic quoniam inopia naſcitur ex egeni vitio, juſtum eſt auferre, quod habet ingratus. Nos gratis offerimus aliqua rudimenta cœleſtis Philoſophiæ, nimirum pro capacitate ſimplicitateque animorum, veluti ſemina quædam jacientes. Ea ſi quis avidis animis imbiberit, nimirum provocat nos ut plura illi credamus. Contra qui quod gratis datum adſpernatur ac rejicit, ſibique vertit in occaſionem majoris malitiæ, nonne dignus eſt, ut eo, quod indignus habebat, ſpolietur? 13 Hac de cauſa loquor illis per involucra
B parabolarum, utpote veritatem apertam, aut nullo fructu, aut ſuo etiam malo audituris. Fit enim illorum perverſitate, ut cum oculos habeant, ac manifeſta ſigna cernant, tamen excæcati invidia, quod cernunt non videant; cumque habeant aures, & audiant veritatem irrefutabilem, tamen audientes non audiant, neque quod audiunt intelligant, etiamſi intelligant. 14 Nimirum in iſtis completur, quod olim prædixit Eſaias: *Auribus audietis, & non intelligetis, & oculis cernetis, nec tamen videbitis.* 15 *Incraſſatum eſt enim cor populi hujus, & auribus obſurdauerunt, & oculos ſuos occluſerunt, ne quando videant*
C *oculis, & auribus audiant, cordeque intelligant, tandemque convertantur ad me, & ſanem illos.* 16 Sunt iſti quidem igitur infelices, ſed miſerandi non ſunt, quanquam miſerrimi, qui ſcientes ac volentes ſibi accerſunt exitium, & rejiciunt ſalutem. *Contra veſtri oculi beati, quia vident* quæ facimus; *veſtræ aures beatæ, quia audiunt* quæ loquimur; beata corda, quia intelligunt voluntatem Patris mei. 17 Non eſt vulgaris iſta felicitas, nimirum *multi Prophetæ, multique juſti ſancti optarunt videre quæ vos videtis, nec videre contigit, audire quæ auditis, nec datum eſt*
D *audire.* Atque illi quidem utcunque veluti per ſomnium præſagiebant futurum, quod vos coram cernitis & auditis. 18 Quandoquidem igitur hoc prometeretur veſtra ſimplicitas aviditaſque cognoſcendi, vos audite, quid ſibi velit parabola, quam propoſui de ſeminatore jaciente ſemen ſuum. 19 Tria ſunt hominum genera, in quibus ſemen Euangelici ſermonis, aut nullum edit fructum, aut non perficit quod exortum eſt. Ac primum quidem eſt omnium ſterilifſimum. Hi ſunt qui leviter & oſcitanter audiunt verba doctrinæ cœleſtis, nec dimittunt in animum ſuum, nec cogitatione infigunt, ut illic radices agat: ſed animum habentes nullo ſtudio curave ſeptum ac munitum, nullis decretis armatum adverſus inſultus inanium cogitationum, ad quamlibet occaſionem ſinunt proteri, conculcarique, quod ſeminatum
E eſt. Id ſentiens ille malus, qui inſidiatur, & invidet exordiis melioribus, protinus immittit in animum curas aliquas volaticas, quæ perdant ſemen priuſquam herbeſcat, aut radices agat, ut nihilo meliores ſint, quam ſi non audiſſent. Hos deſignat imago ſeminis, quod cecidit juxta publicam viam, qua commeant & homines, & beſtiæ, hoc eſt, curæ quælibet, affectus cognatorum & affinium, cura publici Magiſtratus, amores, odia, ſuſpiciones, aliaque id genus. Hæc ſermonem Euangelicum pene prius expellunt ex animo, quam receptus ſit. 20 Rur-
F ſum eſt alius, qui ſermonem Euangelicum veluti ſemen accipit auribus, atque avide dimittit in animum ſuum, ſecum meditans ad illius regulam inſtituere vitam; ſed quoniam non penitus infigit animi medullis, ſed hominum more temporario quodam affectu leviter agit quod agit, tantiſper fovet ſemen acceptum, donec in herbam exeat, ac ſpem quandam præbeat Euangelicæ pietatis, abſtinens à magnis vitiis, ac virtutibus mediocribus eniteſcens. 21 Verum ſi

12 Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo.

13 Ideò in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt.

14 Et adimpletur in eis prophetia Iſaiæ dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis.

15 Incraſſatum eſt enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt: ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & ſanem eos.

16 Veſtri autem beati oculi quia vident, & aures veſtræ quia audiunt.

17 Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ & juſti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt.

18 Vos ergo audite parabolam ſeminantis.

19 Omnis qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, & rapit quod ſeminatum eſt in corde ejus: hic eſt qui ſecus viam ſeminatus eſt.

20 Qui autem ſuper petroſa ſeminatus eſt, hic eſt, qui verbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud: 21 Non habet autem in ſe radicem, ſed eſt

temporalis: facta autem tribulatione & persecutione propter verbum, continuo scandalizatur.

22 Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum audit, & sollicitudo sæculi istius, & fallacia divitiarum, suffocat verbum, & sine fructu efficitur.

23 Qui vero in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero trigesimum.

24 Aliam parabolam proposuit illis, dicens: Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminavit bonum semen agro suo.

25 Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & superseminavit zizania in medio tritici, & abiit.

26 Cum autem crevisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania.

27 Accedentes autem servi patris familias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania?

28 Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei, Vis, imus, & colligimus ea? 29 Et ait: Non: ne forte colligentes zizania eradicetis simul cum eis & triticum. 30 Sinite utraque crescere usque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.

si qua fuerit orta procella persecutionum, & ob Euangelii professionem intentetur exsilium, carcer, supplicia, mors, aliaque, quæ firmum & inconcussum animi robur desiderant, tum velut ad æstum Solis vehementem, exarescunt ac deficiunt. Hujus typum habebat terra petricosa, semen accipiens quidem ac proferens in herbam, sed adversus Solis æstum humore non valens tueri, cum per petras non liceat altius tendere radices. 22 Rursus est alius, qui & avide audit sermonem Euangelicum, & satis alte demittit in animum suum, diuque retinet; sed perplexis hujus mundi curis, præsertim divitiarum, irretitus animus, veluti spinis quibusdam densissimis obrutus, non potest quod amat libere sequi. Has spinas inter se cohærentes, sibi invicem implexas, quoniam non patitur demeti, perit fructus jacti seminis. Hunc indicabat imago seminis excepti solo spinis ac vepribus obsito. 23 Porro semen exceptum terræ bona, signat illos, qui & audiunt sermonem Euangelicum, quique secum repetunt, & infigunt cogitationi, quique sic transfundunt in affectus animi sui, ut nec morte velint ab eo deficere, quique semet explicant ab affectibus & sordidis curis divitiarum, quæ non sinunt animum esse liberum, sed totos se præbent auræ cœlesti. Hujusmodi mentibus non est infrugiferum semen Euangelicæ doctrinæ, sed quemadmodum idem triticum non in quovis solo fert fructum parem, sed pro felicitate terræ minore aut majore fœnore provenit, ita pro pio studio captuque eorum, qui sermonem audiunt, fructus uberior pietatis provenit. Hac parabola docuit nos Jesus, quo studio sit accipiendus sermo doctrinæ cœlestis, si cupiamus ex eo fructum exoriri. Hæc seorsum discipulis suis interpretatus est Jesus.

24 Sed ut redeamus ad seriem sermonis superioris, proposuit & aliam parabolam Dominus Jesus, ut ostenderet & aliam pestem esse cavendam, si quis velit triticum purum ac sincerum reponere in horreum: nam reliqua quidem mala tantum lædere semen recens jactum, aut herbescens, hoc jam enatam & adultam segetem corrumpere. Ea pestis est, cum Satanas, qui nec volaticis & oscitantibus cogitationibus, nec persecutionum tumultibus, nec curis opum, honorum, similiumque rerum, quibus humana vita distinetur, potuit obruere semen Euangelicæ doctrinæ, per Pseudapostolos, ac impios Episcopos, Hæreticosque, cœlestem doctrinam ad suas cupiditates malas, interpretatione subdola detorquentes, ac vera falsis, sincera vitiosis admiscentes, conatur inficere. Parabola sic habet: *Regnum*, inquit, *cœlorum simile est homini patrifamilias, qui* cum bonus esset, *bonum semen seminarat in agro suo.* 25 *Ceterum dormitantibus famulis, clam venit inimicus quidam*, qui male volebat illi patrifamilias: *Is* quoniam non potuit noctu tollere semen, quod jam terra conditum erat in tuto, dolo molitur lædere, *zizaniorum inutile semen inspergit*, & admiscet seminato tritico. *Atque hoc * pacto abiit*, hunc dolum primum nemo sensit. 26 *Cum vero jam semen emersisset in herbam*, & culmi spicis essent onusti, *tunc demum simul enata zizania*, prodita dissimilitudine, *cœperunt apparere.* 27 *Porro servi demirantes, unde id accidisset, adierunt patrem familias: Domine, inquiunt, nonne tu bonum semen seminabas in arvo tuo? Unde igitur admixta zizania?* 28 *Dominus autem* suspicans auctorem noxæ: *Inimicus, inquit, homo hoc fecit*, qui mihi tam male vult, ut etiam nullo suo bono me gaudeat lædere: *Tum servi: Vis ne igitur eamus & colligamus zizania*, segetemque purgemus? 29 *Ait dominus, nequaquam; ne forte imprudentes, dum evellitis zizania, simul eradicetis & vicinum triticum.* 30 *Sinite triticum simul & zizania crescere, usque ad tempus messis. Tum hoc negotii dabo messoribus, ut prius quam demetant, sublegant prius admixta zizania, eaque separatim compingant in fasciculos ad ignis alimoniam. Ac deinde triticum purum recondant in horreum meum.*

* Alia Editio, *facto*.

31 Aliam parabolam proposuit eis dicens: Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo: 32 Quod minimum quidem est omnibus seminibus: cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, & fit arbor, ita ut volucres cæli veniant, & habitent in ramis ejus. 33 Aliam parabolam locutus est eis. Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farina satis tribus, donec fermentatum est totum. 34 Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas: & sine parabolis non loquebatur eis: 35 Ut impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi. 36 Tunc, dimissis turbis, venit in domum: & accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. 37 Qui respondens ait illis: Qui seminat bonum semen, est

31 Rursum Jesus significare volens per similitudinem, Euangelicam Philosophiam, primum in specie contemtam & humilem, per ignominiam crucis, per paucos idiotas, quasi plantatam, vi veritatis sic paulatim invaliturum, ut totum orbem occuparet, nullumque genus hominum non complecteretur, ænigma proposuit hujusmodi: *Regnum*, inquit, *cœlorum simile est grano sinapis, quod homo quidam acceptum, seminavit in agro suo.* 32 *Quod quidem per se minimum est inter omnia legumina. Cæterum ubi fuerit enatum, magnitudine superat omne genus olerum, & adsurgit ad justam magnitudinem arboris, adeo ut volucres nidulentur in ramis ejus.* 33 Iterum rem eandem Jesus inculcavit eis, subsignificans, quo pacto vis Euangelicæ doctrinæ, clanculum irrepens, & per pauculos Apostolos admixta, totum orbem transformatura foret in suam naturam, & cum maxime videtur absorpta exstinctaque, tum maxime exserit vim suam: *Regnum*, inquit, *cœlorum simile est fermento, quod* exiguum *mulier abdidit in farinæ tribus mensuris*, atque illic reliquit, *donec exigua massa totam illam farinæ vim paulatim afficeret, &* in suam traheret naturam. 34 *Hæc omnia Jesus parabolarum involucris disserut populo, neque quicquam tum illis locutus est absque parabola*, quo simul & animos illorum obscuritate sermonis, ad discendi studium excitaret, nec ansam tamen daret occasionem venantibus calumniandi. 35 Atque hoc quoque prædixerat olim propheticum oraculum: *Aperiam*, inquit, *in parabolis os meum, eructabo quæ hactenus abstrusa fuerant à mundo condito.*

36 Tunc Jesus, dimissa turba, domum se contulit; nec illa secuta est, cum nec intelligeret quid sibi vellet, nec ansa præberetur calumniandi. Porro cum solus esset domi, adierunt illum discipuli familiares, rogantes, ut explanaret ipsis parabolam de zizaniis tritico permixtis. Nam explicata parabola de semine varie excepto, per se satis addivinabant, quid sibi vellet sinapis granum, aut fermentum abditum. 37 Jesus nihil gravatus enarravit dilucide: Bonus, inquit, ille paterfamilias, qui seminavit bonum semen, est Pater cœlestis: 38 ager, in quo seminavit, est mundus totus, non solum Judæa. Porro triticum, quod enatum est bonum, ex bono semine, sunt ii, qui ex institutione Euangelica sese dignos præbent regno cœlorum, professioni suæ vita factisque respondentes. His admixta ex malo semine, mala zizania, sunt improbi, qui non sincere profitentur Euangelicam doctrinam. 39 Inimicus autem ille, qui nocte clam admiscuit suum semen, unde nascitur perversa doctrina, est Diabolus. Servi qui volunt ante tempus colligere zizania, sunt ii, qui Pseudapostolos & Hæresiarchas gladiis ac mortibus existimant è medio tollendos, cum paterfamilias nolit eos exstingui, sed tolerari, si forte resipiscant, & è zizaniis vertantur in triticum. 40 Quod si non resipiscant, serventur suo Judici, cui pœnas dabunt aliquando. Tempus messis est consummatio seculi. Messores Angeli sunt. Interim igitur mali bonis admixti ferendi sunt, quando minore pernicie tolerantur, quam tollerentur. 41 Porro cum venerit extremum illud tempus, cum separabuntur boni à malis, cum cuique pro factis sua dabuntur præmia, tunc Filius hominis, omnium judex, mittet Angelos suos, qui

Filius hominis. 38 Ager autem, est mundus. Bonum vero semen, hi sunt filii regni. Zizania autem, filii sunt nequam. 39 Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus. Messis vero, consummatio sæculi est. Messores autem, angeli sunt. 40 Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur: sic erit in consummatione sæculi. 41 Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem;

Digitized by Google

qui repurgent regnum ipsius, neque quicquam offendiculi sinet illic residere, quandoquidem jam nec boni malis prodesse poterunt, nec mali sinentur amplius bonis negotium facessere. 42 Sed quicunque viventes inter bonos *maluerint illis esse molesti, quam eorum consuetudine fieri meliores, separatos ab aliis congregabit, ac tradet illos incendio gehennæ. Ibi pro momentaneis falsisque voluptatibus suppliciis nunquam finiendis afficientur, submoti ex area Ecclesiæ, & conjecti in specum tartareum, hoc est, in regnum patris sui: ubi sera jam & inutilis pœnitentia fletum, ejulatum, ac dentium stridorem extorquebit à miseris. 43 Porro qui ex bono semine prognati, perseverarunt ad finem usque, quanquam hîc interim humiles videntur, & ab improbis affliguntur, tunc depositа omni mortalitatis humilitate, fulgebunt ut Sol in regno patris ipsorum. Hæc quoniam utrinque maxima sunt, non sunt oscitanter audienda. Ad omnium vel felicitatem perennem, vel exitium perenne pertinent. Proinde quisquis habet aurem non surdam & obturatam hujus mundi cupiditatibus, audiat, ut fugiat æterna supplicia, & vitam assequatur immortalem.

44 Ad hæc quo magis accenderet animos suorum ad sitim Euangelicæ pietatis, adhibet & alias duas similitudines, quibus docet Euangelii professionem non esse rem leviter aut vulgari studio expetendam, sed omnibus omissis, hoc unum summo studio conandum, omniumque bonorum jactura summum illud bonum esse comparandum. Quod quanquam non sit cuivis obvium, tamen semel repertum, summam habet felicitatem; & quanquam interim latet apud homines, nec ostentat sese, tamen is qui possidet, tacitus apud se plaudit sibi, securus exspectans illum diem, quo felicitas, quæ nunc in obscuro est, post proferetur in apertum: *Regnum*, inquit, *cœlorum, simile est thesauro defosso in agro, quem si quis forte nactus fuerit non jactat apud alios*, ne quis sibi præripiat, *sed in sinu gaudens, sibique gratulans abit* ad ejus fundi dominum, *& divenditis omnibus suis possessionibus*, conflataque quanta potest pecunia, *mercatur agrum illum*, in quo novit latere rarum thesaurum, sibique videtur felix, qui nudatus multis mediocribus possessionibus, unico, sed insigni, licet ignoto sit fundo ditatus. 45 *Rursum simile*, inquit, *est regnum cœlorum homini negotiatori, qui delectabatur bonis margaritis.* 46 *Cum autem nactus esset unam insigniter bonam, illico divenditis possessionibus omnibus, mercatus est eam.* Nec sibi visus est factus pauperior, quod jam nihil haberet pristinarum opum. Imo tum demum opulentus sibi videbatur, qui sibi conscius esset, quod secreto possideret margaritum, quod quamlibet exiguum, tamen omnium illarum possessionum pretium superaret. 47 His adjecit & aliam parabolam, non absimilem illi de triticо & zizaniis, adhortans suos, quos ex piscatoribus fecerat Apostolos, hoc est, piscatores hominum, ut studerent quam plurimis attrahendis ad professionem Euangelicam, nec statim abjicerent ac perderent malos bonis admixtos, sed eos, si tentatis omnibus nollent resipiscere, servarent suo judici puniendos. *Rursum*, inquit, *simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, quæ* late sparsa, *omne genus piscium involvit*, & complectitur: 48 *Quam cum jam senserint impletam, tum ad littus pertrahunt, jamque sedentes in sicco, bonos pisces seligunt ac recondunt in vasa, malos & inutiles abjiciunt.* 49 *Itidem fiet in consummatione mundi. Exibunt Angeli*, dispecturi quid trahat rete Euangelicum. Nec sinent amplius malos bonis admixtos intra eandem sagenam, sed ex meritis, non ex professione, quemque existimabunt. 50 *Malos semovebunt à consortio bonorum*, atque hos quidem recondent Domino suo, *illos abjicient in fornacem ardentem, ibi erit* cruciatus intolerabilis, qualem solet testari *ploratus ac stridor dentium.* 51 Hæc dicta Jesus, quo magis infigeret animis suorum, rogabat num hæc omnia satis intellexissent: cum respondissent sese intellexisse, 52 subjecit & aliam parabolam, qua submonebat eos, hæc & hujusmodi multa discenda, & in memoriæ penuario reponenda, quo mox ad omnem occasionem possent deprimere, sive præmiis alliciendus esset auditor, sive suppliciorum metu territandus. Nam pectus doctoris Euangelici, oportere quendam esse mundum ac thesaurum, divitem & opulentum, unde nunc ex Veteris Testamenti libris, nunc ex Euangelica Philosophia facile depromant varia, prout auditorum utilitas exegerit. Nec enim semper eadem dicenda, nec eodem modo, nec omnibus rebus omnes commoveri. Opus est igitur divite quodam thesauro, omni doctrinarum genere instructo. Parabola sic habet. Habent, inquit, Scribæ Judæorum, quod ex libris consulti respondeant. Sed quisquis vult esse Scriba doctus in regno cœlorum, ei non est satis proferre vetera, nisi proferat & nova; similis opulento cuidam patrifamilias, qui nihil non habeat in thesauro, sive quis nova desideret, sive quis vetera malit, ut omnibus satisfaciat.

53 Hisce tam variis parabolis, cum Jesus satis instruxisset, & populum & discipulos suos, ut subinde mutato loco latius spargeretur Euangelica doctrina, abiit in patriam suam, hoc est Nazareth. 54 Ubi non auspicatus est prædicationem, ne quid tribuere videretur humano affectui, nec tamen præteritam voluit, ut doceret omnibus esse benefaciendum. Ingressus igitur illorum conciliabula, cœpit eos docere, quemadmodum alios docuerat. Hic obfuit Euangelico negotio, quod tamen prodesse debuerat, nisi vulgus hominum notis ac familiaribus invidere mallet, quam favere, cum exotica stulte miretur: hoc ipso præclarum esse judicans aliquid, quod è longinquo venerit. Cum igitur hîc agnosceretur Jesus à nonnullis, qui noverant humilitatem familiæ, ac parentum tenuitatem, simulque artem, qua Joseph, vulgo creditus pater, uxorem ac privignum suum alebat, cujus artis sciebant & Jesum fuisse, nec unquam accepissent illum literis institutum fuisse, ita murmurant inter sese: *Unde isti tam insignis sapientia, aut unde vis edendi miracula?* 55 *Nonne hic est*, Jesus ille faber, *Joseph fabri filius? nonne mater ejus* paupercula est & humilis apud nos, quæ *dicitur Maria? Nonne consobrini illius* apud nos sunt, *Jacobus, Joseph, Simon, & Judas?* 56 Nonne quotquot habet proxime cognatos, omnes hîc degunt apud nos? Unde igitur iste subito factus alius ad nos redit, docens ac miraculis pollens? An credit sese nobis ignotum esse? 57 Ita Jesu cognatio fortunæque humilitas fuit illis offendiculo, nihil adhuc nisi plebejum & humanum de illo suspicantibus, & ob pristinam vitæ humilitatem novæ claritudini subinvidentibus. Jesus autem taxans illorum crassum ac nimis populare judicium, qui hominem non ex ipsius virtutibus, sed ex fortunis generisque splendore æstimarent, ait illis: *Non est Propheta usquam contemtior, quam in sua patria, propriaque familia, & inter cognatos suos.* 58 Cumque alibi promtam fidem reperisset, multisque miraculis floruisset, hîc nulla potuit edere, nisi quod impositis manibus paucos sanavit ægrotos; non quod esset illius contracta potestas, aut mutata voluntas, sed quod obsisteret illorum incredulitas. Quemadmodum enim medicus non potest benefacere ægroto, qui rejicit pharmacum; non quod ars medici sit inefficax, sed quod in culpa sit ægrotus, ita quoniam fides est cui dantur miracula, incredulitas obstat, quo minus possit ea promere, cui virtus alioqui non deest, nisi præpediretur aliena culpa. Itaque tantam malitiam illis exprobrans dicebat: Non novum hoc est, quod mihi nunc accidit. Accidit idem olim sanctissimis Prophetis, Eliæ & Elisæo, quorum sepulchra nunc co-

42 *Et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, & stridor dentium.*

43 *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat.*

44 *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro: quem qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum.*

45 *Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.*

46 *Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.*

47 *Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti.*

48 *Quam, cum impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.*

49 *Sic erit in consummatione sæculi: exibunt angeli, & separabunt malos de medio justorum,*

50 *Et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium.*

51 *Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam.*

52 *Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova & vetera.*

53 *Et factum est, cum consummasset Jesus parabolas istas, transiit inde.*

54 *Et veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita ut mirarentur, & dicerent: Unde huic sapientia hæc, & virtutes?*

55 *Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus, Jacobus, & Joseph, & Simon, & Judas?*

56 *Et sorores ejus, nonne omnes apud nos sunt? Unde ergo huic omnia ista?*

57 *Et scandalizabantur in eo. Jesus autem dixit eis: Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua.*

58 *Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum.*

liis. Nam cum non pluisset annis tribus ac mensibus sex, & ob id ingens fames regionem illam omnem occupasset, Elias, fame periclitans, ad nullam viduam jussus est ire, cum plurimas haberet Judæa, nisi ad alienigenam illam Sareptanam, in regione Sidoniorum. Apud hanc unam receptus, fidem invenit, & miraculum edidit. Porro vivente Eliseo, complures erant leprosi in gente Israelitica, nec ullus tamen ab hoc sanatus est, sed solus Naaman Syrus, cujus fides à Propheta miraculum velut extorsit.

Cap. XIV.

Occumbit Baptista: duo pisces: mare Christus Calcat: & ægrotos fimbria tacta juvat.

1 In illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam Jesu:

1 Interim Herodes Tetrarcha Galilææ, filius ejus, qui pueros Bethlehemiticos trucidarat, audierat rumorem de doctrina, deque miraculis ac prodigiis Jesu. De quo cum variarent opiniones multitudinis, aliis dicentibus eum esse Eliam, aliis Hieremiam, aliis alium quempiam è priscis Prophetis, nec deessent, qui prædicarent eum esse Joannem, qui vitæ redditus, jam factus esset potentior, Herodes irridens illos dicebat: Joannem ego decollavi, & quomodo vos arbitramini illum vivere; & non solum vivere, verum etiam miraculis pollere? 2 Mox ubi de tam crebris, tamque insignibus prodigiis factus esset à multis certior, ut jam rumor non posset videri vanus, dixit famulis suis: Hic, de quo tam mira narrant, non est Jesus, qui jam pridem periit interfectus à patre in turba puerorum Bethlehemiticorum, sed est Joannes, qui surrexit à mortuis, & ideo jam factus divinior, claresci miraculis. 3 Siquidem Herodes manus injecerat in Joannem Baptistam, & conjecerat illum in carcerem, quanquam virum haberet in pretio, nec pauca gereret ex illius consilio. Sed hic favor tyranni versus est in odium, ob incestam mulierculam, cujus plus apud Regem valuit, turpi obsequio conciliata gratia, quam Joannis auctoritas. Siquidem Herodiadem Philippi fratris sui uxorem, unde & filiam sustulerat, vivo fratre in illius odium sibi adjunxerat. 4 Joannes libere admonuit Regem, nefarium esse connubium, cum & viveret frater, & supereset ex eo filia. Porro Lex Mosaica jubebat, ut fratris defuncti uxorem duceret frater, si contigisset illum decedere absque liberis. 5 Herodes hoc insanius amans mulierem, quo minus licebat amare, vehementer offensus est hac libertate, adeo ut fuerit illum interfecturus, ni metuisset tumultum populi, apud quem noverat Joannem esse vehementer gratiosum, quod & baptizasset plurimos, & complures haberet discipulos, & à plerisque crederetur esse Messias. Nemo certe non existimabat illum esse virum prophetici spiritus ac sanctimoniæ singularis. 6 Sed hunc metum post excussit luxus, & insanus erga puellam neptem favor: cum enim juxta morem Ethnicorum celebraret diem suum natalem, in quo nihil voluptatum genialium non adhibebatur, Herodiadis filia puella, lasciva gesticulatione saltavit ad mensam regiam; adeoque placuit Herodi, qui jam vino incaluerat, 7 ut dejeraret se nihil non daturum puellæ petenti, etiamsi dimidium regni sui postulasset. 8 Puella ne perderet tantam occasionem, & mox hac regii pectoris abuteretur libidine, consuluit matrem, quid esset petendum. Illa verita ne quando Joanni reconciliatus Regis animus, dirimeret incestas nuptias, suasit filiæ ne quid peteret, nisi ut absque mora sibi daretur in disco caput Joannis Baptistæ. Puella ex matris scelleratæ consilio prodiit in convivium, & exspectantibus omnibus, quidnam esset optatura, petiit illico sibi dari caput Joannis in disco, velut hunc missum pluris facturæ matre quam dimidium regni. 9 Hoc præter omnem spem audito Rex vultu mœrorem simulat, ac jurisjurandi religione præcexit immanitatem, præsertim quod tot convivis testibus interposuisset: itaque ne levis aut perjurus videretur, jussit fieri quod optarat puella. 10 Illico spiculatores missi in carcerem, amputatum est caput innocentissimi viri, 11 allatum est in disco, datum est puellæ, puella tradidit matri, quæ totius hujus fabulæ fuerat architectrix. Atque his auspiciis dedicatus est ille felix natalis Herodis. Hoc præmium datum est ad honesta vocanti. Hoc spectaculo pasti sunt oculi convivarum, quos Rex sua mensa dignos judicarat. Caput igitur Joannis cessit incestæ. 12 Porro corpus asportarunt discipuli Joannis, ac sepelierunt illud.

13 Hoc tam immane facinus cum renuntiantibus Joannis discipulis cognovisset Jesus, (nam velut homo passus est sibi narrari quasi nesciret, cum præsciisset, etiam antequam fieret) secessit in navim, ut semotus à turba, migraret in locum aliquem desertum; speciem quidem præbens humani timoris, sed re vera subtrahens occasionem scelerato Regi, ne homicidium homicidio jungeret; præsertim cum Jesu tempus nondum adesset, simulque docens nos aliquando Principum furori cedendum esse, ne benefactis irritati, & lædant innoxios, & ipsi reddantur sceleratiores. Vitare licet impios, ad facinus paratos, quo prodesse liceat bonis. Atque hic quidem secessus, quorundam eximiam fidem declaravit. Etenim simul atque auditum est Jesum vitatis civitatibus in desertis agere, ob metum, ut putabant, Herodis, ipsi relictis civitatibus adibant eremum, & recondentem sese in abditis secessibus, quoniam navibus, aut vehiculis ob impedita loca pervenire non poterant, pedestres sunt insecuti, nec itineris difficultate, nec inediæ periculo deterriti. Adeo jam doctrinam Euangelicam cœperant esurire. Id ubi sensisset Jesus, prodit è latebris suis, & occurrit avidis, qui se subduxerat impiis. 14 Porro cum videret eo quoque confluxisse frequentem hominum multitudinem, qui secum adduxerant multos variis morbis obnoxios, misericordia commotus est, & ex itineris difficultate perspectam habens fidem illorum, ultro sanavit quotquot habebant ægrotos. Tantus autem fuerat ardor multitudinis, ut cum ægrotos pueros ac mulieres plurimas secum adducerent in locum desertum, tamen nihil commeatus secum ferrent. 15 Itaque cum jam appeteret nox, & stomachus stimularetur fame, discipuli tot conspectis miraculis, nondum satis perfecte sentientes de Jesu, (sic enim visum est sapientiæ divinæ, paulatim illos ad perfectionem fingere, quo firmior esset rerum gestarum fides, simulque ipsos doceret, quibus rationibus aliorum infirmitati mederentur) admonent præceptorem suum, instare noctem, turbam esse ingentem, jamque plusquam tempestivum esse capere cibum; dimitteret eos, ut dilapsi in vicos finitimos, sibi quisque cibos emerent. 16 Jesus autem quo miraculum fieret evidentius, respondit: *Nihil est necesse ut quoquam eant. Quin ipsi potius date illis quod edant.* 17 Porro discipuli, velut obliti omnium quæ viderant, ne ad hanc quidem vocem expergefacti, crasse quidem responderunt; sed ut illorum imbecillitas illustraret miraculi magnitudinem: Nos, inquiunt, his tam multis dabimus cœnam? Cum simus numero tredecim, ipsi perparcum habemus commeatum, videlicet nihil aliud, quam panes hordeaceos quinque, & pisces duos. Ut hanc cœnam non fastidiant, quomodo sufficiet illis, quod vix sufficiet nobis paucis? 18 Tum Jesus jussit hoc quicquid esset ad se adferri. Discipuli simpliciter obtemperantes, neque respondentes, nos igitur enecas fame, si hoc pusillum, quod habemus, das istis, attulerunt universum commeatum. 19 Hic Jesus exhibiturus convivium Euangelicum, in quo ut oportet abesse luxum omnem, ita decet æqualitatem esse omnium, jussit ut discumberent omnes in gramine, sic ut quinquageni simul accumberent, quo magis evidens esset numerus convi-

2 Et ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista: ipse surrexit a mortuis, & ideo virtutes operantur in eo.

3 Herodes enim tenuit Joannem, & alligavit eum: & posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui.

4 Dicebat enim illi Joannes: Non licet tibi habere eam.

5 Et volens illum occidere, timuit populum: quia sicut prophetam eum habebant.

6 Die autem natalis Herodis saltavit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi.

7 Unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo.

8 At illa præmonita à matre sua, Da mihi, inquit, hic in disco caput Joannis Baptistæ.

9 Et contristatus est rex: propter juramentum autem, & eos qui pariter recumbebant, jussit dari.

10 Misitque & decollavit Joannem in carcere.

11 Et allatum est caput ejus in disco, & datum est puellæ, & attulit matri suæ.

12 Et accedentes discipuli ejus, tulerunt corpus ejus & sepelierunt illud: & venientes nuntiaverunt Jesu.

13 Quod cum audisset Jesus, secessit inde in navicula in locum desertum seorsum: & cum audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de civitatibus.

14 Et exiens vidit turbam multam, & misertus est eis, & curavit languidos eorum.

15 Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus, & hora jam præteriit: dimitte turbas, ut euntes in castella, emant sibi escas.

16 Jesus autem dixit eis: Non habent necesse ire: date illis vos manducare.

17 Respondentes ei: Non habemus hic nisi quinque panes, & duos pisces.

18 Qui ait eis: Afferte mihi illos huc.

19 Et cum jussisset turbam discumbere super fenum, acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, aspi-

Digitized by Google

ciens in cælum benedixit, & fregit, & dedit discipulis panes, discipuli autem turbis.

vivarum : simulque morem imitatus illorum, qui pluribus exhibituri convivium aut sportulam, in classes dividunt multitudinem, ne cui aut desit aliquid, aut supersit. Quo facto Jesus tum demum futurus convivator, & corpora quoque pascens, qui pascendis animis venerat, ut re quoque ipsa doceret discipulos suos, nusquam omnino pabulum defuturum his, qui negotio Euangelico intenti, negligerent rem penuariam, quinque panes hordeaceos, & duos pisces sumsit in manus suas ; primum ostendens omnibus, quo victu oporteat esse contentos legatos Apostolicos, deinde ponens ob oculos sinceram multitudinis fiduciam, quæ cum videret quantulum esset commeatus, nec ignoraret quot essent hominum millia, tamen jussa discumbere, discubuit. Jesus itaque convivator, manibus tenens panes & obsonium, sustulit oculos in cœlum, indicans à Patre cœlesti proficisci, quicquid opus est humanis usibus, ejusque benignitate laudata, fregit panes simul & pisces. Atque ita tradidit discipulis suis, ut apponerent multitudini, velut ænigmate quodam admonens, quales oporteret esse doctores, qui pascunt sermone Dei simplicium animos. Ut enim Christus suspiciens in cœlum indicavit, se nihil docere, quod non manaret à Patre cœlesti, ita viri Apostolici, quoties viderent populum simplici fiducia, pendere ab ore ipsorum, nihil eis promerent, quod non accepissent à Christo, nec illis proponerent varias cupedias ex officinis Philosophiæ mundanæ, nec è suis affectibus depromerent humana dogmata, sed simplicem & Euangelicam doctrinam illis distribuerent, quemadmodum accepissent à præceptore suo, nec aliter scinderent, quam ille manibus suis fregisset. Siquidem ex hujusmodi demum apparatu, & plurimi reficiuntur, & gloria redit ad Christum, non ad distribuentem. [20] Quæris exitum convivii ? Discipuli nihil hæsitantes distribuebant, illi nihil addubitantes comederunt omnes, non ad luxum, sed ad saturitatem. Et adeo nihil defuit numeroso convivio, ut peracta cœna, collecta fragmenta implerint cophinos duodecim. [21] Porro numerus hominum erat quinque millium, exceptis mulieribus & parvulis.

20 Et manducaverunt omnes, & saturati sunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos.

21 Manducantium autem fuit numerus, quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & parvulis.

[22] His rebus peractis, Jesus docere cupiens, ubi satis factum est necessitati ventris, non ad lasciviam, aut somnum, sed ad precationem esse fugiendum, precationi vero solitudinem maxime competere, compulit discipulos suos (ægre enim à dilecto Domino distrahebantur) abire ad Lacum, & priores transmittere, se dimissa turba secuturum. At illi quanquam inviti divellebantur, tamen non obmurmurant, non excusant imminentem noctem, non rogant quando ipse secuturus sit, sed simpliciter jussis obtemperant. [23] Illis itaque digressis, Jesus dimissa turba, cui modis omnibus satis fecerat, conscendit in montem, ut illic oraret solus. Sic enim docuerat orare suos. In montis itaque cacumine, bonam noctis partem solus agebat Jesus. [24] Atque interim absente Domino discipuli, navigantes periclitantur in undis. Siquidem illis ingressis lacum, statim obortus est ventus adversus, ac navis intumescentibus fluctibus, non sine periculo jactabatur. Nox conduplicabat metum. Quid facerent ? Urgebat periculum, nec aderat cujus implorarent opem. In hoc periculo totam fere noctem Jesus suos reliquit, ut paulatim duraret eos adversus omnes formidines, doceretque nunquam defuturam opem divinam periclitantibus, etiamsi paulo serius obtingat. [25] Quarta igitur demum vigilia noctis, pene desperantibus illis, ac jamjam despondentibus animum, venit Jesus non cymba vectus, sed ambulans super aquas. [26] Illi cum per tenebras vidissent ambulantem aliquem, nec satis agnoscerent Jesum, magis etiam horruerunt, dicebantque inter se, spectrum esse, quod viderent, non hominem. Vulgus autem nautarum putat

22 His rebus peractis, Jesus docere cupiens, ubi satis factum est necessitati ventris, non ad lasciviam, aut somnum, sed ad precationem esse fugiendum, precationi vero solitudinem maxime competere, compulit discipulos suos (ægre enim à dilecto Domino distrahebantur) abire ad Lacum, & priores transmittere, se dimissa turba secuturum. At illi quanquam inviti divellebantur, tamen non obmurmurant, non excusant imminentem noctem, non rogant quando ipse secuturus sit, sed simpliciter jussis obtemperant. 23 Illis itaque digressis, Jesus dimissa turba, cui modis omnibus satis fecerat, conscendit in montem, ut illic oraret solus. Sic enim docuerat orare suos. In montis itaque cacumine, bonam noctis partem solus agebat Jesus. 24 Atque interim absente Domino discipuli, navigantes periclitantur in undis. Siquidem illis ingressis lacum, statim obortus est ventus adversus, ac navis intumescentibus fluctibus, non sine periculo jactabatur. Nox conduplicabat metum. Quid facerent ? Urgebat periculum, nec aderat cujus implorarent opem. In hoc periculo totam fere noctem Jesus suos reliquit, ut paulatim duraret eos adversus omnes formidines, doceretque nunquam defuturam opem divinam periclitantibus, etiamsi paulo serius obtingat. 25 Quarta igitur demum vigilia noctis, pene desperantibus illis, ac jamjam despondentibus animum, venit Jesus non cymba vectus, sed ambulans super aquas. 26 Illi cum per tenebras vidissent ambulantem aliquem, nec satis agnoscerent Jesum, magis etiam horruerunt, dicebantque inter se, spectrum esse, quod viderent, non hominem. Vulgus autem nautarum putat

22 Et statim compulit Jesus discipulos ascendere in naviculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.

23 Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi.

24 Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus : erat enim contrarius ventus.

25 Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans super mare.

26 Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes : Quia phantasma est. Et præ timore clamaverunt.

A hujusmodi visa præsens exitium portendere navigantibus. Tantus igitur terror illos invasit, ut velut impotentes sui facti, præ formidine exclamaverint. [27] Jesus autem non passus est illos diutius periclitari, sed illico locutus est eis, ut quem per caliginem videre non poterant, indicio vocis agnoscerent. Animo bono sitis, inquit, ego sum, nolite timere. Ad hanc vocem illico redditus est illis animus. [28] At Petrus, qui semper singulari quodam amore flagrabat erga Jesum, nihil omnino credens difficile, quod ille juberet : *Domine*, inquit, *si tu es, jube me venire ad te super aquas.* Non enim mirabatur illum ambulare, sed sibi quoque licere putabat, illo volente. B [29] At *Jesus* modis omnibus fingens ac formans illius imbecillitatem, ad robur perfectæ fidei : *Veni*, *inquit.* Ad hanc vocem nihil cunctatus *Petrus*, *dejecit se è navicula, cœpitque properare ad Jesum, ambulans & ipse super aquas.* Et quandiu nihil vacillabat illius fides, subserviebat illi liquidum elementum. [30] Cæterum ubi dimotis paulisper oculis à Jesu, cœpit circumspicere ventorum vehementiam, undarum tumultum, suamque imbecillitatem, rursus extimuit : cœpit subsidere, periclitarique ne submergeretur. Metus à ventorum vehementia nascebatur, periculum à metu, metus à diffidentia. Ac rursum periculi C magnitudo resuscitavit igniculum fidei. Jamque pene undis obrutus clamavit : *Domine*, *serva me pereuntem.* [31] *At Jesus* admonens suum discipulum, periculum, quod metuebat, non esse ab undis, aut ventis quæ prius subserviebant, sed ab imbecillitate fiduciæ, *porrecta manu corripuit*, *ac sublevavit illum*, *dicens : O parum adhuc mihi fidens*, *quare vacillabas ?* Non enim satis est habere fidem vehementem ac temporariam, sed oportet habere perpetuam ac constantem : neque dispicere quantum sit periculi, aut quid tuæ vires possint ferre, sed quid ego possim fidenti præstare. [32] *Mox igitur ut ingressus est navim*, *venti conquieverunt.* [33] *Caterum qui erant in* D *navi*, conspecto tam admirabili prodigio, sentientes in illo quiddam homine majus esse, *prociderunt ad pedes illius*, *& adoraverunt eum dicentes : Vere Filius Dei es.* [34] Cumque perveniissent ad littus, abiit in regionem Genezareth, ubi prius multa prodiderat miracula. [35] Hi posteaquam agnoverunt eum prius visum, rursus adesse, miserunt qui per omnem illam regionem divulgarent adesse Jesum, ut adducerent si quos haberent ægrotos. Jam enim ex superioribus miraculis fides illorum sumserat incrementum. [36] Igitur undique confluentes, offerunt Jesu, quotquot erant morbis obnoxii, rogantes illum ut liceret vel fimbriam vestis ipsius contingere, si molestum esset E contingere singulos aut alloqui. Tantum erat fidei robur. Nec fefellit eos sua fiducia, quotquot attigerant sanati sunt.

27 Statimque Jesus locutus est eis, dicens : Habete fiduciam : ego sum, nolite timere.

28 Respondens autem Petrus dixit : Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas.

29 At ipse ait : Veni. Et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam ut veniret ad Jesum.

30 Videns vero ventum validum, timuit : & cum cœpisset mergi, clamavit dicens : Domine, salvum me fac.

31 Et continuo Jesus extendens manum, apprehendit eum : & ait illi : Modicæ fidei, quare dubitasti ?

32 Et cum ascendissent in naviculam, cessavit ventus.

33 Qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt eum, dicentes : Vere Filius Dei es.

34 Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesar.

35 Et cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, & obtulerunt ei omnes male habentes,

36 Et rogabant eum ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. Et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt.

CAP. XV.

Percellit Scribas : ex corde malum : Cananæa : Mox septem panes bis duo mille replent.

HAEC quo majore cum gloria Dei gerebantur, hoc magis urebantur invidia Pharisæi, videntes hisce rebus suam obscurari gloriam, qua se hactenus venditarant apud homines. Venabantur undique calumniam, sed quo magis impetunt Jesum, hoc magis traducunt suam cæcitatem, adeo manifestam, F ut populus etiam perspiceret. Aliquot igitur Pharisæi Hierosolymitæ (nam illic erant arrogantissimi) simul adeunt Jesum, quo numerus fidem adstrueret calumniæ. [2] Porro quum Moses vetuisset, verbis Legis quicquam adimi, aut addi, Pharisæi, quo viderentur ipsi legum non interpretes modo, verum etiam conditores, frivola quædam adjecerant. Quod genus sunt illa : Ne quis cibum capiat manibus impuris : impuras autem appellabant illotas, quasi manus cibum aut hominem contaminaret, aut quasi liquor aquæ sordes abstergeret animi. Item ne quis à

1 Tunc accesserunt ad eum ab Hierosolymis Scribæ, & Pharisæi, dicentes :

2 Quare

Digitized by Google

discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lavant manus suas cum panem manducant.

foro reversus, & in promiscua turba versatus, cibum capiat, nisi prius abluto corpore: perinde quasi contactus hominum inquinaret hominem; aut quasi purus sit, qui lotus sit. Rursus, ut subinde lavarentur urcei, pocula, æramenta, sellæ, lecticæ, reliquaque supellex, cujus usus erat quotidianus. His atque hujusmodi multis supervacaneis ac frivolis onerabant simplicem plebem; quibus tantum tribui postulabant, ut harum præceptiuncularum gratia nonnunquam ea negligerent, quæ præceperat Deus. Ergo quum non haberent quod impingerent discipulis Jesu, transgressionem Legis Mosaicæ, præceptorem suggillant, quod pateretur discipulos negligere constitutiunculas humanas; non quod eas contemnerent, quanquam merito contemnendas, sed quod rebus feriis intenti, nonnunquam illa pro nihilo ducerent. Conveniunt igitur Jesum & ajunt: *Quare discipuli tui non servant instituta majorum* suorum? *nec enim lavant manus sumpturi cibum.* [3] Christus non ferens tam malitiosam de re nihili criminationem, percutit illos atrociore recriminatione. Imo qua fronte vos, qui hæc levia calumniamini, tanti facitis humanas constitutiunculas, quæ nihil adferunt, nisi molestam superstitionem, & ob eas violatis vel maximum Dei præceptum: [4] Siquidem Deus naturæ legem corroborans, serio jussit, ut quisque patrem ac matrem honoraret, ac subsidio sublevaret, longævitatem ac felicitatem hujus vitæ pollicens hoc facienti, mortem comminans secus agenti. [5] Vos autem consulentes avaritiæ vestræ, quo, quod sublevandis parentibus erat impendendum, vertatis in lucrum vestrum, docetis homines sanctius ac melius esse locupletare donariis Templum, quam opitulari parentibus egenis, ac technam commonstratis, qua parentibus opem flagitantibus illudant filii: nimirum ut ita loquantur patri aut matri, munus, quod offero Templo, tibi collatum puta. Siquidem quod Deo offertur summo parenti, recte collocatum est; ac filii pietas proderit & parentibus. [6] Atque hac arte sub prætextu falsæ pietatis, contra præceptum Dei, deseritur pater, ut melius habeant Sacerdotes. Res ad vos redit; ad parentes sublevandos, præter verba nihil redit. Et impium factum pietatis imagine prætexitis. [7] Quid autem arrogantius, quam vestras constitutiones anteponere jussis Dei, & harum prætextu sanctissimum Dei præceptum abrogare? Iniquum erat istiusmodi constitutiunculis onerare populum plus satis oneratum Legis onere. Sed impietatis est non ferendæ, vestris commentis antiquare Legem divinam, cum ipsa natura congruentem. Ista nimirum est vestra ista fucata religio, quæ nihil est minus, quam quod videtur. *Hypocritæ, non immerito de vobis vaticinatus est Esaias, dicens:* [8] *Populus hic labiis me honorat, cor autem illorum procul abest à me.* [9] *Sed frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum.*

Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?

Nam Deus dixit:

4 Honora patrem, & matrem; & Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.

5 Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri, vel matri, Munus quodcunque est ex me, tibi proderit:

6 Et non honorificabit patrem suum, aut matrem suam: & irritum fecisti mandatum Dei propter traditionem vestram.

7 Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens:

8 Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est à me.

9 Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.

[10] His dictis Jesus velut aversus à Pharisæis, nihil aliud aucupantibus, quam ansam calumniandi, jussit turbas propius accedere, dicens: *Audite & intelligite*, quam sint frivola, quæ vobis præscribunt Pharisæi, de minimis anxii, maxima negligentes. [11] Isti præposteró judicio summam pietatis collocant in rebus externis, velut in delectu ciborum, & ea quæ sunt animi negligunt. Cyathos horrent illotos, & animos impuros negligunt: manus & cutem subinde lavant, animum patiuntur omnibus vitiis inquinari. *Quod intrat in os, non reddit hominem impurum: sed quod egreditur ex ore, reddit hominem impurum.* Non enim refert, quo cibo vescaris, sed quo animo. [12] His verbis quum videretur Jesus justam ansam dedisse Pharisæis calumniandi, quod tolleret ciborum delectum, quem Lex divina præscripsit: qua quidem in re non dissentiebant à Pharisæis discipuli, facinus nefarium existimantes, cibis vesci communibus, quod quidem Christus nondum damnabat: tamen indicat illa non ex natura sua, sed ex incidentibus causis vel bona vel mala fieri: & ob id minoris esse facienda, quam ea quæ semper & sua natura pia sunt aut impia: jamque tempus adesse, ut id genus Legis præcepta, quæ ad tempus aliquod sint instituta, nec tam adferant sanctimoniam, quam significent, jam incipiant obscurari, mox ad coruscantem Euangelii lucem prorsus interitura. Hoc nondum intelligentes discipuli adeunt Dominum, ac privatim admonent de periculo: Scis Pharisæos isto sermone tuo de cibo non polluente quenquam offensos esse, tametsi dissimulant?

[13] At Jesus docere volens aliquando offendiculum improborum, ex rebus nihili sumtum, fortiter esse cum suis auctoribus contemnendum: præsertim quum illis obsecundando, nihil aliud proficias, quam quod alis illorum malitiam; non sine pernicie simplicium, qui fidentes observatiunculis hujusmodi, negligunt interim veræ pietatis studium: hunc in modum respondit discipulis suis, qui & ipsi nonnihil erant offensi: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, radicitus evelletur:* peribit omnis institutio, quam homines ad suum quæstum & gloriam ex sese, non ad veram pietatem commenti sunt. Ista terram sapiunt, & carnalia sunt, pro tempore data coercendæ crassorum hominum licentiæ. Lex Euangelica spiritualis est ac cœlestis: nec in istis rebus visibilibus sita est, sed in affectibus animi. Horum igitur prima debet esse cura. Siquidem absque his nec illa quicquam prosunt, nisi ad inanem ostentationem. [14] Hanc igitur Philosophiam cœlestem posteaquam cœpistis profiteri, nihil vobis est rei cum fucatis Pharisæis, qui talibus observatiunculis promittunt absolutam sanctimoniam, in quibus aut nihil est aut quam minimum pietatis. Jactant sese doctores ac duces ad veram religionem, quum ipsi nesciant quibus in rebus sit sita vera religio. Itaque *cæci sunt, cæcorum duces. Porro si cæcus cæco vię dux fuerit, quid futurum, nisi ut ambo simul incidant in foveam?* Nesciunt quid doceant, & stultos crassosque discipulos sibi adjungunt. Valeant igitur stulti Pharisæi, cum suis stultis & ineptis constitutiunculis. Vobis ea curæ sint, quæ vere purum & impurum reddunt hominem, hoc est, quæ polluunt aut purgant animum magis quam corpus. [15] Ad hæc Petrus ob penitus à majoribus haustam superstitionem nondum sibi persuadens absque periculo posse negligi constitutiones ejusmodi, non ausus amplius refragari sermonibus Jesu, blande rogat, ut quod involute dixerat apud populum, de iis quæ intrant & exeunt os, dignetur explanare. [16] Jesus objurgatiuncula volens acuere studium suorum, quos oportebat jam in conjectandis parabolis esse peritiores, & ex aliis alia divinare: *Adhuc*, inquit, *& vos caretis intelligentia?* [17] *Nec intelligitis, quod cibus*, qui manibus sive lotis sive illotis sumtus *intrat in os, demittitur in stomachum, deinde* quod crassius est, per alvum *in secessum rejicitur?* Corporalia sunt hæc, nec afficiunt nisi corpus. Animum nec juvant, nec lædunt, nisi si quis abutatur. Ut autem abutaris, non ciborum fit vitio, sed abutentis. [18] Cæterum quæ progrediuntur ex ore, sunt ea quæ loquuntur homines. Oratio nascitur non ex ventre, sed ex corde. Porro quod est in corde hominis, id aut vere purum est, aut vere impurum est. [19] Illic enim fontem suum habent noxiæ cogitationes, quibus fratri struunt insidias, homicidia, adulteria, stupra, furta, fraudes, doli, livor, arrogantia, lites, falsa testimonia, blasphemiæ. [20] Hæc etiamsi non prodeant per os, tamen impurum reddunt hominem, & abominandum in oculis Dei. Si prorumpunt, velut è putri cloaca pestilens halitus, ut declarant hominem esse impurum, ita contagio afflatuque suo etiam alios inquinant. Porro sive lotis manibus cibum capias, sive non lotis, modo ad usum naturæ sumas, non red-

13 At ille respondens ait: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.

14 Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.

15 Respondens autem Petrus dixit ei: Edissere nobis parabolam istam.

16 At ille dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis?

17 Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur.

18 Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem:

19 De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.

20 Hæc sunt, quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.

reddit hominem immundum. Nec potus ex illoto calice ſumtus inquinat hominem: modo modice ſumas ad uſum, non ad luxum. Itidem inſidere illotæ ſellæ, non conſpurcat animum hominis, uti nec lota ſella puritatem addit ſedenti. Has igitur frivolas ineptias cum ſuperſtitioſe doceant ac ſervent Phariſæi, tamen non exhorrent ea, quibus vere inquinatur animus. Moliuntur inſidias benemerenti, ſubornant falſa teſtimonia, obtrectant famæ proximi ſui: & ita ſuæ conſulunt gloriæ, ut invideant gloriæ Dei, calumniantes opera, quæ illius Spiritu geruntur, & attribuentes Beelzebub. Hæc erant illis abominanda, ſi vere puri videri vellent. Quod autem hoc eſt præpoſterum ſanctimoniæ genus, lotas habere manus, & mentem ſimul ac linguam habere tot ſceleribus inquinatam?

21 Et egreſſus inde Jeſus, ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis.

[21] Hæc locutus Jeſus, reliquit eam regionem, & conceſſit in fines Tyri ac Sidonis, velut ipſo facto vaticinans Judæos ob ſuperſtitionem ſuæ Legis expulſuros Euangelicam doctrinam, quam gentes eſſent per fidei ſinceritatem ſibi vindicaturæ. Siquidem Tyrus & Sidon ab idololatris incolebantur. Huc ita profectus eſt Jeſus, non ut prædicaret, quemadmodum fecerat in Judæa, nondum enim illud tempus advenerat, ſed ut lateret. Nam domum ingreſſus eſt latere cupiens, ſed fama latentem prodidit. Hoc datum eſt invincibili Judæorum malitiæ, ne queri poſſent ſibi prælatas nationes impias & profanas. Itaque miraculum, quod illic geſſit, non affectatum, ſed caſu oblatum ac propemodum extortum videri voluit.

22 Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamavit, dicens ei: Miſerere mei Domine fili David: filia mea male à dæmonio vexatur.

[22] Igitur ubi rumor late ſparſiſſet adeſſe Jeſum, cujus fama paulatim gliſcens, Judææ terminos exierat, mulier quædam Chananæa, è finibus ſuis egreſſa, non eſt auſa propius accedere ad Jeſum, ne impura purum contaminare videretur; ſed procul clamore miſerabili compellat: *Miſerere mei fili David:* narrans ſibi filiam eſſe domi, miſere vexatam à Dæmonio. [23] Hic Jeſus ille miſericors & exorabilis, qui ſolet omnibus obvius eſſe & expoſitus, quo ſimul & mulieris conſtantiſſimam fidem omnibus patefaceret, & Judæis ſuam pertinaciſſimam incredulitatem exprobraret, ſimulque doceret nos quantum valeant apud Deum improbæ preces, ex humili corde profuſæ; adeo contemſit ſupplicem, ac vociferantem præ dolore animi, ut nec reſponſo dignaretur: videlicet Judaicam quandam arrogantiam ſpecie exprimens, quod Judæi Chananæos veteres hoſtes, & idolorum cultores, habeant abominandos, ſeque contaminari putent, ſi vel colloquium cum illis miſceant. Et in hoc affectu tum temporis adhuc erant Apoſtoli. Non deſtitit mulier, quamvis repulſa. Dolor & fides illam reddebat improbam. Sequitur à tergo, vociferatur lamentabili voce: *Miſerere mei Domine, fili David.* Diſcipuli nondum intelligentes quid ageretur, pudore commoti, potiuſquam miſericordia, ob improbum clamorem alienigenæ mulieris, interpellant Jeſum, rogantes non ut miſereretur calamitoſæ, ſed ut improbam ablegaret aliquo reſponſo. [24] Jeſus itaque reſponſum addit, repulſa priore durius, quo magis ac magis admirabilem redderet barbaræ mulierculæ conſtantiam ac modeſtiam: & hujus exemplo Judæis ſuam exprobraret arrogantiam: *Non ſum*, inquit, *miſſus, niſi ad oves perditas domus Iſraelitica.* Nam hoc quoque titulo ſibi mire plaudebant Judæi, quod genus eſſent Iſraelis. [25] Mulier adeo non eſt defatigata tot repulſis, ut auſa ſit propius etiam accedere ad Jeſum, *& accidens ad genua, Domine*, inquit, *opitulare.* Non refellebat, quod dixerat Jeſus, ſed precibus iteratis conabatur obtundere. Non obtexit jus, nihil aliud flagitat quam miſericordiam. [26] Nec his contentus Jeſus, pergit adhuc tentare mulieris modeſtam improbitatem: *Non decet*, inquit, *ſumere panem filiorum, & projicere canibus: panem* appellans fructum Euangelicum, qui fide conſtat: *filios* Judæos, qui patre Deo gloriabantur: *canes* alienigenas, à religione, cultuque Dei alienos. Quis Judæorum hujuſmodi convitio non fuiſſet irritatus? [27] At mulier, nec recuſat canis cognomen, nec Judæis invidet honorificum titulum filiorum: ſed dominos etiam eos appellans, quos Jeſus vocarat filios, amplectitur reſponſum in ſpecie contumelioſum, & ex ipſo, quo videbatur omnino repulſa, arripit anſam, ne poſſit repelli. Non inficior, inquit, Iſraelitas eſſe filios, nos eſſe canes: & ideo non ſum omnino repellenda. Non illis præripio ſuum panem delicatum, quo veſcuntur accumbentes in menſa patris: hoc tantum peto, quod domini non ſolent negare canibus. Dives eſt menſa talium, mihi ſatis eſt, ſi contingant micæ, quæ decidunt de menſis illorum. [28] *Tunc Jeſus*, admiratus tam infatigabilem conſtantiam alienigenæ, veluti victus *dixit: O mulier, non poſſum amplius repugnare tuis precibus, magna eſt fides tua*, qua me cogis. *Fiat itaque tibi ſicut vis.* Ac mox hoc ipſo in tempore compertum eſt filiam fuiſſe à Dæmonio liberatam.

27 At illa dixit: Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.

28 Tunc reſpondens Jeſus, ait illi: O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis. Et ſanata eſt filia ejus ex illa hora.

[29] Hoc unum miraculum cum Jeſus ad ſuam gentem provocandam in confinio Sidoniorum ac Tyriorum, veluti coactus edidiſſet, in Judæam ſeſe recepit, ut declararet, quanto propenſior eſſet in ſuos, quam in alienigenas, ſi modo beneficiis vinci potuiſſent. Venit autem ad Lacum, qui dicitur Mare Galilææ, atque illic conſcenſo monte, ſedebat, ut ſeceſſu locique difficultate paulatim ad firmitudinem eveheret fidem ſuorum. [30] Mox confluebant ad illum multi greges hominum, adducentes ſecum mutos, cæcos, claudos, debiles, alioſque diverſis morbis obnoxios: quorum tam ingens erat multitudo, ut eos abjicerent ad pedes Jeſu. [31] Ille vel ex itineris difficultate, ſatis perſpecta fide illorum, ſanavit omnes: tanta celeritate, tam multos, ut multitudo, quæ venerat, vehementer obſtupeſceret, quum videret ſubito recepiſſe viſum, qui modo fuerant cæci: loqui, qui fuerant muti: ambulare recte, qui fuerant claudi: integris eſſe membris, qui fuerant debiles. Et glorificabant Deum Iſraelitici populi, qui tantis beneficiis dignaretur gentem ſuam. Hæc populi gratitudo fecit, ut ultro beneficium beneficio cumularet.

29 Et cum transiſſet inde Jeſus, venit ſecus Mare Galilææ: & aſcendens in montem, ſedebat ibi.

30 Et acceſſerunt ad eum turbæ multæ habentes ſecum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos:

31 Ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes: & magnificabant Deum Iſrael.

[32] Quum enim ſciret Jeſus multitudinem tertium jam diem hærere ſibi; tantus erat ardor erga Jeſum; & ſi quid attuliſſent ſecum viatici, id jam dudum eſſe conſumtum; & multos periclitari fame; ad hæc, iter eſſe longum, nec vicos ullos aut oppida eſſe in propinquo, convocat ad ſe diſcipulos ſuos, & ait: *Miſeret me multitudinis. Jam enim triduum eſt, quod hic mihi adhærent in deſerto, nec habent quod edant: nec eos volo dimittere jejunos, ne deficiant in via* prolixiore, quam ut à jejunis peragi poſſit. His dictis ſubmonebat diſcipulos ſuos ſuperioris miraculi, quo paverat aliquot hominum millia. [33] At illi rudes adhuc, & obliti priorum, quaſi juſſi paſcere tantam hominum turbam, ſolliciti perplexique reſpondent: *Unde igitur nobis tantam vim panum comparemus, ut ſufficiat tam numeroſæ multitudini?* Hæc ſimplicitas & oblivio diſcipulorum miraculi magnitudinem illuſtravit. Deſperantibus igitur illis, Chriſtus peragit miraculi negotium. [34] Rogat eos, quot haberent panes. *Reſpondent: ſeptem, cum pancis piſciculis.* [35] *Et continuo jubet eos diſcumbere in terra.* [36] *Ac ſumens in manus panes ſeptem cum obſonio: poſteaquam ſublatis in cœlum oculis gratias egiſſet Patri, fregit, tradiditque diſcipulis ſuis, illi diſtribuerunt populo.* [37] *Comederunt omnes uſque ad ſaturitatem:* & in tantum non defuit quicquam,

32 Jeſus autem, convocatis diſcipulis ſuis, dixit: Miſereor turbæ, quia triduo jam perſeverant mecum, & non habent quod manducent: & dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via.

33 Et dicunt ei diſcipuli: Unde ergo nobis in deſerto panes tantos, ut ſaturemus turbam tantam?

34 Et ait illis Jeſus: Quot habetis panes? At illi dixerunt: Septem, & paucos piſciculos.

24 Ipſe autem reſpondens ait: Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael.

25 At illa venit, & adoravit eum, dicens: Domine, adjuva me.

26 Qui reſpondens ait: Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.

35 Et præcepit turbæ, ut diſcumberent ſuper terram. 36 Et accipiens ſeptem panes & piſces, & gratias agens, fregit, & dedit diſcipulis ſuis, & diſcipuli dederunt populo. 37 Et comederunt omnes, & ſaturati ſunt. Et quod ſuperfuit de fragmentis, tulerunt ſeptem ſportas plenas.

Digitized by Google

quam, ut ex collectis his, quæ superfuerant, implerentur corbes septem. [38] *Erant autem qui comederant numero quater mille, præter pueros ac mulieres.* [39] Jesus autem tot tam insignibus editis miraculis in monte, ne plus satis accenderet populum in admirationem sui, præsertim cum hæc corporalia beneficia non in aliud adhibebantur, quam ut Euangelicæ doctrinæ, qua sanantur & pascuntur animi, conciliarent auctoritatem, *dimissa turba, navigio profectus est in terram Magedan.*

38 *Erant autem qui manducaverunt, quatuor millia hominum, extra parvulos & mulieres.*

39 *Et, dimissa turba, ascendit in naviculam: & venit in fines Magedan.*

Cap. XVI.

Quærunt signa: vetatque zymen: confessio Petri: Prædicit mortem: se pius ipse neget.

[1] Hic agentem adeunt rursum Pharisæi quidam & Sadducæi, secta quidem dissidentes, sed ad insidias struendas Jesu, concordes. Ac subdole rogant illum, ut signum aliquod ederet è cœlo: quasi posthac illi credituri sint, si id feciſſet; cum nihil aliud captarent quam occasionem calumniandi. [2] Jesus autem cum animadverteret eos, post tot edita miracula, adhuc in sua perseverare malitia, ingemuit spiritu, & ait: Hypocritæ, aliud ore promentes, aliud in corde celantes: in rebus levioribus nostis, observato cœlo, prædicere, quod tempus postridie sit futurum. Etenim cum videtis Solem occidentem, dicitis: Cras erit serenitas: rutilat enim cœlum. [3] Rursum ubi mane videtis Solem orientem, illico pronuntiatis, eo die futuram tempestatem, quod rubeat triste cœlum. Ex habitu faciesque cœli conspecta nostis divinare, an tempus idoneum sit futurum, itineri, navigationi, sementi, messive, aut aliis rebus ad corporis usum pertinentibus: & in noscendo tempore, quod adfert salutem animarum, tam estis stupidi & oscitantes? Tenetis Scripturas, videtis quæ gerantur, conspicitis innovari mundum: & nondum intelligitis adesse tempus illud à Prophetis prædictum, totque seculis exspectatum? Ex uno signo pronuntiatis futuram serenitatem, aut tempestatem: ex tot signis, quæ quotidie videtis, non intelligitis id quod adest? [4] Si prodigiis meliores reddi potuissetis, jampridem credderetis mihi. Nunc signum flagitatis, quo reddamini deteriores. O nationem pravam & adulterinam, longeque degenerantem à majoribus suis, quorum titulis se venditat. Ostentum subdole quærit è cœlo, quod calumnietur: sed hoc olim illi dabitur quod horreat, non quod carpat. Interim non dabitur illi portentum nisi è terra, quod frustrabitur omnes illorum conatus, cum viderint redivivum, quem putabant exstinctum ac sepultum. Prodigiosum illis videtur, quod accidit Jonæ Prophetæ. Dabitur illis simile prodigium, sed admirabilius. Hoc ænigmate significabat Dominus Jesus, se prius occidendum ac sepeliendum ab illis, quem illi nihil aliud existimabant quam hominem, ac mox divina virtute revicturum.

[5] His igitur cum sua cæcitate relictis, Jesus navigio transmisit Lacum: ac discipuli per oblivionem non prospexerant sibi de panibus priusquam navim conscenderent. Nam unicum duntaxat habebant panem in navi. [6] Jesus igitur ut vellicaret illis memoriam: *Cavete, inquit, etiam atque etiam à fermento Pharisæorum ac Sadducæorum:* videlicet obscure taxans Judaicam illorum superstitionem, quod magnum quiddam esse putabant, his aut illis vesci cibis, cum ante docti fuissent, his, quæ intrant in os, non inquinari hominem. [7] Hoc dicto discipuli, quanquam quid sibi vellet non intelligentes, tamen admoniti sunt, quod obliti fuissent navi imponere commeatum. [8] Hac igitur de re sollicitos Jesus objurgat, incusans illorum tarditatem: qui toties docti dictis simul ac factis, penitus ex animo profligandam de victu sollicitudinem, adhuc rerum hujusmodi curâ distinerentur: O parum mihi fidentes,

1 *Et accesserunt ad eum Pharisæi & Sadducæi tentantes: & rogaverunt eum ut signum de cælo ostenderet eis.*

2 *At ille respondens, ait illis: Facto vespere dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim cælum.*

3 *Et mane: Hodie tempestas, rutilat enim triste cælum.*

4 *Faciem ergo cæli dijudicare nostis: signa autem temporum non potestis scire? Generatio mala & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Et relictis illis, abiit.*

5 *Et cum venissent discipuli ejus trans fretum, obliti sunt panes accipere.*

6 *Qui dixit illis: Intuemini, & cavete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum.*

7 *At illi cogitabant intra se dicentes: Quia panes non accepimus.*

8 *Sciens autem Jesus, dixit: Quid cogitatis inter vos modicæ fidei, quia panes non habetis?*

inquit, cur hæc cura torquet animum vestrum, quod panem obliti sitis, quasi quicquam nobis defuturum sit, etiamsi vos non prospexeritis? An non docui, primum omnium quærendum regnum Dei, hæc ultro adjicienda? An non bis jam vidistis, tantæ multitudini non defuisse cibum? [9] Tot modis docti monitique nondum intelligitis, nondum meministis? Adhuc cor habetis hujusmodi curis obcæcatum: & Pharisæorum more, quod cernitis oculis, non videtis: quod auditis auribus, perinde est quasi non audiatis? An excidit, quod nuper vobis, non solum testibus, verum etiam ministris gestum est: cum quinque panibus hordeaceis ac duobus piscibus saturarentur quinque hominum millia? Quum esset tantus convivarum numerus, cum esset tam parcus apparatus, quot cophinos implestis ex ejus convivii reliquiis? respondent illi, Duodecim. [10] Ac rursum cum vobis distribuentibus septem panibus, & paucis piscibus expleti fuissent quatuor hominum millia, quot cophinos implestis è reliquiis? Respondent, Septem. [11] Cur nondum, inquit, agnoscitis genus sermonis mei, quem ad curam rerum corporalium trahitis: quum is prospiciat animis magis, quam corporibus? Jam ex vobis oportuit conjectasse, quid sibi vellet ænigma quod dicebam, cavendum à fermento Pharisæorum ac Sadducæorum. Jam docueram nihil referre, quo cibo vescamur: jam multis modis inculcaram, his qui rem tractant Euangelicam hujusmodi sordidas curas prorsus abjiciendas. [12] Hac objurgatiuncula discipuli facti attentiores, intellexerunt quod Jesus sensisset diligenter cavendum à doctrina Pharisæorum, quæ nihil habeat sincerum, sed ambitione, avaritia, livore, cæterisque vitiis esset corrupta, quum Euangelica doctrina nihil hujusmodi sapiat. Illorum enim doctrina magis infici hominem quam pasci: & ob id diligenter esse cavendum, quod falsa specie pietatis solent incautos fallere, quum sit merum veræ pietatis venenum.

[13] Hic ubi Jesus venisset in regionem Cæsareæ civitatis, quam Philippus Tetrarcha in honorem Cæsaris sic appellavit, fratrem Herodem imitatus, qui ei cui prius fuit nomen turris Stratonis, vertit nomen, & appellavit Cæsaream: voluit periculum facere, quantum profeciſſent discipuli, ex tot sermonibus auditis, ex tot miraculis conspectis: & an aliquid sublimius de ipso sentirent, quam vulgus. Percontatur igitur illos, dicens: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* [14] *Ajunt, Alii Joannem Baptistam:* Sic enim suspicati sunt Herodiani: *alii Eliam,* quod is raptus esset, & ideo nunc susperarentur apparere juxta prophetiam Malachiæ: *alii Hieremiam,* quod is typum gereret Christi, quodque de illo dictum esset: *Ecce constitui te hodie super gentes & reges, ut evellas, & dissipes, & plantes,* quæ vere erant in Christo complenda. [15] His auditis Jesus, ut certiorem aliquam ac sublimiorem eliceret professionem: *Vos, inquit,* quos oportet me rectius nosse, *quem me esse dicitis?* [16] Hîc *Simon Petrus,* ut erat amantissimus Jesu, tanquam futurus ordinis Apostolici princeps, omnium nomine *respondit: Tu es ille Christus, filius Dei vivi,* non suspicionem proferens, sed certa & indubitata sententia profitens, illum esse Messiam à Prophetis promissum, singulari quodam more Filium Dei. [17] Hac tam alacri, tamque solida professione delectatus Jesus: *Beatus es,* inquit, *Simon fili Joannis.* Istam vocem non tibi suppeditavit affectus humanus, sed Pater cœlestis, afflatu secreto suggessit animo. Nullus enim digne sentit de Filio, nisi Patris instinctu, qui solus novit Filium. [18] Atque ego vicissim, ne gratis me tam magnifico testimonio ornaris, illud affirmo, te vere Petrum esse, hoc est, solidum lapidem: non huc aut illuc vacillantem variis opinionibus vulgi, & huic saxo tuæ professionis, superstruam ecclesiam meam: hoc est, do-

9 *Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, & quot cophinos sumpsistis?*

10 *Neque septem panum in quattuor millia hominum, & quot sportas sumpsistis?*

11 *Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis: Cavete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum?*

12 *Tunc intellexerunt; quia non dixerit cavendum à fermento panum, sed à doctrina Pharisæorum, & Sadducæorum.*

13 *Venit autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi: & interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis?*

14 *At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis.*

15 *Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis?*

16 *Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, filius Dei vivi.*

17 *Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es Simon Barjona: quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.*

18 *Et ego dico tibi, quia tu es*

Digitized by Google

Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.

domum & palatium meum, quam ita communiam innixam immobili fundamento, ut nullæ vires regni tartarei valeant illam expugnare. Multis machinis vos impetet Satanas; concitabit in vos impiorum Spirituum cohortem, sed meo præsidio stabit ædificium meum inexpugnabile, tantum maneat ista solida professio: [19] Regnum cœleste est Ecclesia: regnum Diaboli est mundus. Ab hoc non est quod quisquam sibi metuat, modo Petrus sit, hoc est, tui similis. Atque hujus regni cœlestis claves tibi sum traditurus. Convenit enim ut illic primus sit auctoritate, qui primus est fidei professione & caritate. Et est quidem interim istud regnum cœlorum in terris, sed commercium habens cum cœlo, unde pendet. Proinde qui peccatis adhuc obstrictus est, ad regnum pertinet inferorum, nec potest ingredi in regnum cœlorum. Ingredietur autem si apud te professus quod tu profiteris, per baptismum solvatur à peccatis: atque ita te duce, teque fores referante, ingredietur regnum cœlorum. Hæc mea peculiaris est potestas, condonare peccata: sed hanc potestatem tibi quadantenus impartiam, ut quod tu meis clavibus acceptis solveris super terram apud homines, solutum sit & in cœlis apud Deum. Contra quod tu in terris alligaris, alligatum sit & in cœlis. Comprobabit enim Deus tuum judicium, ab ipsius Spiritu profectum. [20] Hæc loquutus Jesus, præcepit discipulis suis, ut hanc magnificam de se opinionem adhuc apud se servarent, neque cuiquam cæterorum aperirent, quod ipse esset Messias. Prius enim erat peragendum sacrificium crucis, & declaranda naturæ humanæ veritas: deinde per resurrectionem, & Spiritum Sanctum declaranda Divinitas. Quanquam enim Petri vox collaudata est à Christo, veluti jam proficientium, & paulatim emergentium ad perfectiora, tamen adhuc somniabant regnum quoddam non omnino dissimile mundano. Et ob hæc Jesus obscure, quasique per ænigma Petro jus clavium pollicitus est, non continuo tradidit. Nondum enim erat idoneus qui uteretur, haud dum satis edoctus magisterio Spiritus cœlestis. Atque ideo Jesus revocat eos ad mysterium crucis, ac mortis suæ, quo regnum illud erat parandum, devicto Diabolo, & abolitis peccatis, quo minus animis perturbarentur, quum hæc viderent accidere, quæ sciebant paulo post esse ventura. Maluerant illi gloriari in potente illo ac sublimi Filio Dei vivi: sed in hoc nemo vere potest gloriari, nisi qui non fuerit offensus ejusdem humilitate.

19 Et tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.

20 Tunc præcepit discipulis suis, ut nemini dicerent quia ipse esset Jesus Christus.

21 Exinde cœpit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam, & multa pati à senioribus, & Scribis, & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.

[21] Cœpit igitur Jesus suos ad hanc tempestatem, quæ imminebat, præparare, indicans eis sibi prius eundum esse Hierosolymam, seque multis malis affligendum à Scribis ac Pharisæis, atque etiam à primariis Sacerdotibus: denique & occidendum esse, sed tertio die revicturum. [22] Hunc sermonem quum discipuli carnales adhuc non satis intelligerent, quod hæc judicarent indigna eo, qui tot miraculis declarasset se Filium Dei: non ausi sunt tamen interrogare Dominum, quid sibi vellet mori, & resurgere. Petrus itaque, quem præcipuus quidam amor erga præceptorem semper fecit cæteris audaciorem, abducit eum à reliquis Apostolis quasi familiarius aliquid dicturus: & increpans illum, atque abominans mortis & afflictionum mentionem: *Propitius*, inquit, *esto tibi, Domine: non contingent ista tibi.* Siquidem in te situm est ut non eveniant. Quanquam enim Petrus afflatu Patris, magis quam suo sensu pronuntiaverit eum Filium Dei vivi, procul aberat tamen ab intellectu illius arcani, quod Jesus sua morte redemturus esset genus humanum: & resurrectione declaraturus orbi potentiam divinæ virtutis. [23] Hunc igitur affectum ut in suis corrigeret Jesus, conversus est, & intuitus discipulos suos, quos sciebat similiter affectos esse, tametsi solus Petrus ausus fuerat increpare Dominum, ait Petro: *Abi post me*

22 Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum dicens: Absit à te, Domine: non erit tibi hoc.

23 Qui conversus, dixit Petro: Vade post me satana, Satana. Desine adversari voluntati Patris mei: tuum est sequi me, non præire. Nunc obsistis, impedire studens, quod ob salutem humani generis, & Pater vult fieri, & me facere decet. Cupis esse socius regni, & obsistis ad crucem ultro properanti, quo regnum hoc asseram Patri. Qua me videtis ire, hac est vobis quoque tendendum ad regnum cœlorum. Tu vero nondum sapis ea quæ sunt Dei, sed humanis affectibus ductus repugnas voluntati divinæ. Ne obsta igitur inutilis monitor, sed à tergo sequens, discipulum age potius quam magistrum.

scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.

[24] His dictis ubi Jesus retudisset intempestivam Petri improbitatem, conversus ad omnes discipulos, cœpit pluribus verbis explanare, quid esset quod dixerat Petro, Vade post me: Quisquis vult, inquit, esse meus discipulus, & particeps esse regni cœlorum, sequatur mea vestigia: ac sicut videt me contemtis omnibus hujus mundi bonis, etiam vitam meam ultro impendere saluti hominum & gloriæ Patris, ita ille affectus omnes humanos abdicet oportet, paratus ad omne mortis genus Euangelii causa, tollensque & ipse crucem suam, me ad crucem euntem sequatur. [25] Sic pati, beari est; sic affici ignominia, gloriosum est; sic occidi, est lucrifacere vitam. Scio nihil esse vita carius: sed sic cuique sua perdenda est vita, si velit eam servare; perditurus nisi perdiderit. Lucro suo perdit, qui perdit ob Euangelium: vere perdit, qui deserto Euangelio, consulit vitæ temporariæ, & dispendium facit æternæ vitæ. [26] Nemo tam stultus est, ut vitæ corporalis hujus ac brevis jactura, velit universum hunc mundum lucrifacere. Quorsum enim opes, si interim perit ipse possessor? Ita dementis est tanti facere affectus suos, opes, aut etiam corpus ipsum, mox & alioqui perituros, etiamsi nemo occidat, ut hominum gratia æternæ vitæ faciat dispendium: quam qui non habet, frustra habet cætera. Nihil igitur cuiquam tam carum esse debet, cujus lucrum animæ suæ dispendio velit commutare. Nam cæterarum rerum jactura potest utcunque sarciri, animæ dispendium est irrecuperabile. [27] Qui perdit vitam suam mea causa, non perdit, sed mihi fœnerat, recepturus cum lucro, cum apparuerit majestas regni mei. Neque enim est cur animo dejiciamini, quod ostenderim ob Euangelium multa toleranda tristia. Habitura sunt hæc brevi finem, & ignominiam temporariam sequetur æterna gloria. Siquidem Filius hominis, quem videbitis conculcatum ab omnibus, & habitum pro vermiculo, aliquando venturus est alia specie, demonstraturus omnibus majestatem & gloriam Patris, stipantibus eum satellitibus suis Angelis. Tunc qui hic judicatus erat, & condemnatus ignominiosa morte, judicem aget omnium & vivorum & mortuorum, redditurus cuique præmium pro factis suis. Tunc morti addicentur æternæ, qui hic vitam pluris fecerint, quam me: & vita donabuntur immortali, qui mea causa vitam corporis ad tempus contemserint. Nunc certaminis tempus est, erit olim præmiorum. [28] Atque hæc quidem felicitas tum absolvetur, cum visum erit Patri. Neque enim vestrum est nosse tempus. Et tamen interim dabitur hujus gloriæ gustus aliquis. Siquidem illud habete pro certo. Sunt hic quidam adstantes, qui non gustabunt mortem, priusquam videant Filium hominis, ostendentem majestatem regni sui, quatenus oculis corporeis cerni potest. Certe videbunt ante mortem regnum Dei promere virtutem suam, jamque paulatim vincere potentiam hujus mundi universam.

24 Tunc Jesus dixit discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

25 Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

26 Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?

27 Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis: & tunc reddet unicuique secundum opera ejus.

28 Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.

CAP. XVII.

Rex clarus paret: sanare haud discipulus quit: Ingens vis fidei: datque didrachma Deus.

1 Et post dies sex assumit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excelsum seorsum:

[1] POST dies sex Jesus volens aliquo pacto velut per somnium exhibere suis eam speciem, qua olim ven-

venturus est judex orbis, tres è numero discipulorum selegit, Petrum, Jacobum, & Joannem hujus fratrem: atque his subductis in montem vehementer excelsum, procul ab hominum conspectu, transfiguratus est coram illis. [2] Refulsit autem facies ejus in morem Solis, ac vestimenta niveo quodam candore relucebant, qualem nullus fullo super terram potest dare. [3] Simulque apparuit illis Moses & Elias, colloquentes cum eo de gloria mortis, quam esset subiturus Hierosolymæ. Hoc ita visum est Christo, ut his auctoribus, quos plurimi faciebant omnes Judæi, confirmarentur Apostoli, neque suspicarentur eum velle Legem abolere, cum adstaret illi Moses, neque Prophetas, cum adesset Elias: nec mortem ut ignominiosam abominarentur, quam tanti viri ut gloriosam prædicabant. [4] Hæc visa sunt Apostolis, veluti recens experrectis à somno; nam oculi gravabantur: non enim capiebat mortalis infirmitas, visionis magnitudinem. Expavefactis igitur & attonitis tam incredibili spectaculo discipulis, Petrus nondum satis sui compos, sed totus raptus voluptate ac majestate spectaculi, quæ procul abesse videbatur à mentione mortis: *Domine*, inquit, *exstruamus hic tria tabernacula: tibi unum, alterum Mosi, tertium Eliæ.* Hoc visum est Petro consultius, quam Hierosolymis occidi. [5] Nondum sermonem finierat Petrus, ecce nubes lucida obumbravit Apostolos, ne sublimitate spectaculi absorberentur. Et ecce vox Patris de nube sonuit, iisdem verbis testificans de Filio, quibus testimonium illi præbuerat apud Jordanem baptizato: *Hic est Filius meus unice carus, in quo sibi complacet animus meus, ipsum audite.* [6] Hanc vocem divinæ majestatis plenam, nec ferendam humanis auribus, cum audissent discipuli, procidentes in facies suas, majorem in morem extimuerunt. Metuebant enim vitæ suæ, quod didicissent Deum ita locutum: *Non videbit me homo & vivet.* At Jesus recepta priore specie contigit eos manibus, ne suspicarentur esse spectrum, ac voce consueta notaque consolatus est illos, dicens: *Surgite, neque metuite quicquam.* [8] Porro cum receptis animis attollerent oculos suos, neminem viderunt illic, præter solum Jesum, talem qualis venerat in montem.

[9] Quum autem descenderent de monte, priusquam redirent ad reliquum discipulorum cœtum, præcepit illis, ne cuiquam narrarent de his, quæ viderant, donec Filius hominis resurrexisset à mortuis: nam ante id temporis sermonem & fructu suo cariturum, & fide. Ac discipuli quidem continuerunt apud se, conferentes inter sese, quid sibi vellet hoc, quod dixerat Jesus, postquam resurrexerit à mortuis. Adeo cor habebant obvolutum, ut ea vox toties audita non descenderet in pectus illorum. [10] Sed scrupulus quidam ceperat animos illorum, ex eo quod Eliam conspexerant assistentem Jesu, hunc inter eundum proponunt illi. Quid est igitur, inquiunt, quod Scribæ docentes adventum Messiæ, dicere soleant ex auctoritate Malachiæ, quod priusquam veniat Messias, venturus sit Elias Thesbites. At is non præcessit adventum tuum, sed hodie demum visus est in monte. [11] Quibus Jesus respondens ait: Elias quidem venturus est, quemadmodum dixit Malachias: & juxta prophetiam præcurret adventum meum, ac restituet omnia, conversis ad Euangelium Judaicæ gentis reliquiis, ne condemnetur tota natio. Verum is adventus erit olim, quum rursus adero cum majestate Patris, redditurus unicuique pro suis factis præmia. [12] Quanquam & hunc meum adventum præcessit Elias quidam, quem æque atque me contemserunt, & fecerunt in illum non pro meritis ipsius, sed quicquid ipsis collibitum est. Neque mitius ab illis tractabitur Filius hominis. [13] Tunc intellexerunt discipuli quod Joannem Baptistam diceret Eliam ob vitæ similitudinem, & in carpendis Regibus libertatem.

[14] Cæterum ubi jam iret Jesus ad discipulos suos, vidit ingentem hominum multitudinem circum illos, ac Scribas disputantes cum illis. Populus autem admiratus quo abisset Jesus, accurrit & salutavit eum. Ille rogat quid esset, quod inter sese disputarent. [15] Tum quidam è turba respondit: Magister, adduxeram ad te filium meum, qui misere vexatur ab immundo Spiritu: qui quoties illum corripit, allidit puer in terram, alias in ignem, nonnunquam in aquam impellitur, spumat, stridet dentibus, & contabescit. [16] Et quoniam tui non erat copia, rogavi discipulos tuos, ut ejicerent Dæmonium, nec potuerunt. [17] At Jesus ut omnium incredulitati mederetur, velut indignabundus exclamat: O natio incredula, quam diu frustra versabor apud vos, quandiu feram mores vestros intractabiles? Tot miraculis editis nihil proficio, simulque jussit puerum adduci, quo miraculum redderet omnibus magis conspicuum & insigne. Qui cum adductus esset, & à Jesu conspectus, protinus ibi in oculis omnium corripuit eum Spiritus, & elisus in terram volutabatur, spumans, miserabile spectaculum. Tum Jesus, quo magis etiam illustraret magnitudinem mali, percunctatus est patrem, quantum esset temporis, quod hujusmodi malo vexari cœpisset. Pater respondens: Ab infantia, inquit, nec sine vitæ periculo. Nam frequenter illum egit, nunc in ignem, nunc in aquam, ut perderet. Scio morbum atrocem esse, attamen si quid potes opitulare, misertus nostri. Jesus audito, si quid potes, subtaxans imbecillitatem fidei, quasi morbus ullus esset potentior virtute divina, ait illi: Noli quærere quid ego possim efficere, sed vide num tu possis credere. Etenim si plene confidas, nihil est tam difficile, quod non possit contingere fidenti. Ad hanc vocem pater fiducia concepta, speque certiore, profusis lachrymis exclamans respondit: Credo Domine, sed etiam si quid deest fiduciæ meæ, supple de tua bonitate, & adjuva incredulitatem meam. [18] Interim cum Jesus conspiceret concurrentem populi multitudinem ad spectaculum avidam videndi, num succederet Jesu quod discipulis non successerat, comminatus est Spiritui immundo, dicens: Surde & mute Spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & ne posthac repetas eum. At Spiritus cum ejulatu recessit à puero, sed prius adeo vehementer discerpto, vexatoque, ut mortuo similis jaceret, multique confirmarent esse mortuum. Adeo tenax erat mali vis. At Jesus correpta manu pueri, erexit illum in pedes, & ille surrexit. Ut ægre credebat pater, ita ægre sanatus est filius. [19] Interea mœror quidam occupavit discipulorum animos, metuentes ne qua culpa sua perdidissent potestatem edendi miracula, quum antea gloriati fuissent etiam Dæmones sibi esse dicto audientes, apud multitudinem quidem pudore silent: cæterum ubi Jesus esset ingressus domum, adeunt magistrum & interrogant eum: Quare nos non potuimus hoc Dæmonium ejicere, quum potestas hæc abs te nobis semel sit tradita? [20] Jesus ut suorum etiam fiduciam confirmaret, quam oportebat esse tantam, ut nonnunquam & alienæ diffidentiæ posset esse præsidio, ait: Imbecillitas fidei vestræ partim fuit in causa. Nam & morbi vis erat atrox, & patris erat vacillans fides; nec vestra tam erat pollens, ut par esse posset utrique difficultati. Est enim nonnihil diluta humanis affectibus, & inanis gloriæ fermento vitiata. Quod si habueritis fidem similem grano sinapis, quod cum sit contemtum ac minutum, tamen attritum exserit acrimoniam naturæ suæ, & humo conditum emergit in arborem spatiosam, nihil esset tam arduum, quod non illico dicto conficeretur. Etiam si

2 *Et transfiguratus est ante eos, Et resplenduit facies ejus sicut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.*

3 *Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes.*

4 *Respondens autem Petrus dixit ad Jesum: Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum.*

5 *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.*

6 *Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde.*

7 *Et accessit Jesus, & tetigit eos: dixitque eis: Surgite, & nolite timere.*

8 *Levantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Jesum.*

9 *Et descendentibus illis de monte, præcipit eis Jesus, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.*

10 *Et interrogaverunt eum discipuli, dicentes: Quid ergo Scribæ dicunt quod Eliam oporteat primum venire?* 11 *At ille respondens, ait eis: Elias quidem venturus est, & restituet omnia.* 12 *Dico autem vobis, quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcunque voluerunt. Sic & Filius hominis passurus est ab eis.*

13 *Tunc intellexerunt discipuli, quia de Joanne Baptista dixisset eis.*

14 *Et cum venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum, dicens:*

15 *Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, & male patitur: nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam.*

16 *Et obtuli eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum.*

17 *Respondens Jesus, ait: O generatio incredula, & perversa, quousque ero vobiscum? usque quo patiar vos? Afferte huc illum ad me.*

18 *Et increpavit illum Jesus, & exiit ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora.*

19 *Tunc accesserunt discipuli ad Jesum secreto, & dixerunt: Quare nos non potuimus ejicere illum?*

20 *Dixit illis Jesus: Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.*

Hoc autem genus non ejicitur nisi per orationem, & jejunium.

si diceretis monti, move te istinc, ac demigra in alium locum, facturus est absque mora, quod jussus est facere. Cæterum hoc genus Dæmoniorum, quo puer ille tenebatur, non ejicitur, nisi fides precatione & jejunio confirmetur. Tenax erat mali vis, & jam multo tempore versum erat in naturam. Adversus hujusmodi vitia pugnandum est jejuniis, quæ corpus attenuatum spiritui subjiciunt, & deprecatione, quæ divinum impetrat subsidium. Hoc sermone docuit Jesus atrocia diuque consueta animi vitia, remediis gravioribus oportere propelli.

21 Conversantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Jesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum: 22 Et occident eum, & tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer.

21 Cæterum cum jam ageret in Galilæa Jesus, quo magis præmuniret animos discipulorum suorum, ne supra modum conturbarentur morte sua, rursus iterat & inculcat eis, quod Filius hominis tradendus esset in manus hominum, 22 quodque foret ab illis occidendus, quodque tertio die resurrecturus à mortuis. Hic sermo majorem in modum discruciabat animos discipulorum, qui sic adamabant Dominum suum, licet affectu quodam adhuc carnali, ut aures illorum nullam paterentur mortis mentionem. Nondum enim intelligere poterant, quod Moses & Elias Jesu mortem, gloriam appellarant: quodque mors illa salutem esset paritura toti mundo. Quanquam autem ut ad mentionem mortis contristabantur, ita ad resurrectionis mentionem debebant exhilarari: tamen in tantum abhorrebat animus à commemoratione supplicii, ut plane non caperent quid esset mori; ac mox tertio die revivisce re. Existimabant enim melius esse omnino non mori, quando id sibi præstare poterat, qui poterat à morte revivisce re.

23 Et cum venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma?

24 Ait: Etiam. Et cum intrasset in domum, prævenit eum Jesus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? à filiis suis, an ab alienis?

25 Et ille dixit? Ab alienis. Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii.

26 Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore ejus, invenies statera: illum sumens, da eis pro me, & te.

23 Ubi vero venisset ad urbem Capernaum, qui Cæsaris nomine tributa exigebant, veriti compellare Jesum, ob auctoritatem, quam sibi jam miraculis compararat, adiere Petrum, quem videbant illi fere proximum: *Magister, inquiunt, vester num solvit didrachma?* 24 Petrus cum pecuniam non haberet, nec vellet offendere tributorum exactores, respondit illum solvere: nam hactenus hujusmodi tributa solverat etiam Jesus. Cumque jam domum essent ingressi, nam illic domicilium habebat Jesus, Petrus anxius habebat in animo loqui Jesu de solvendo tributo: promiserat enim, nec habebat quod daret. Tum Jesus non inscius quid in animo volveret Petrus, prævenit illius interrogationem: *Simon*, inquit, *quid tibi videtur? Reges à quibus solent accipere tributum, aut censum, à filiis ne, an ab alienis?* 25 *Ab alienis, inquit Petrus. Tum Jesus ergo inquit, filii sunt immunes*, obscure subindicans se terræ, marisque, & omnium rerum Dominum, nulli mortali Principi debere tributum, aut censum, nec suos discipulos, ut filios regni teneri: sed tamen docere volens in hujusmodi rebus, quæ nihil faciunt adversus pietatem, nonnunquam obsequendum huic hominum generi, ne provocati graviora peccent, subjecit: 26 *Attamen, inquit, ne simus illis offendiculo, abi ad mare, & eum piscem, qui primus ad te prodierit, tolle. Aperto ore ejus invenies staterem*, hoc est drachmas quatuor. *Eum tolle, & da illis pro me & pro te.* Hoc facto Jesus simul ostendit & suam potentiam, qua nulli subjiciebatur: & modestiam, qua cedi volebat his, quos ob rem vilem & adspernandam non expedit irritari. Etenim qui sic dare potest, major est, quam qui debeat: & tamen cum dat quod non debet, docet aliquoties esse præstabilius de jure tuo decedere, quam cum improbis de jure contendere, præsertim in hisce rebus, quæ facultates atterunt, non lædunt autem pietatem. Habet & mundus ordinem suum, quem per occasionem Euangelicæ libertatis non oportet omnino confundi.

CAP. XVIII.

Si magnus vis esse: infans sis: scandala tolle:
Perdita ovis: fratrem corripe: sis miserans.

1 In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, major est in regno cælorum?

2 Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum,

3 Et dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.

4 Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cælorum.

5 Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.

6 Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.

7 Væ mundo à scandalis. Necesse est enim ut veniant scandala: verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit.

8 Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te; abscide eum, & projice abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.

9 Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum,

1 His ita gestis subiit Apostolorum animos humanus quidam affectus, ac stimulus livoris & ambitionis. Audierant de regno cœlorum: viderant tres Apostolos seorsum abductos in montem: audierant Petro traditas claves regni cœlorum, eique dictum: *Beatus es Simon Barjona, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:* conspiciebant illum familiarius, quædam & audacius colloqui cum Domino: ac modo viderant illum cæteris Apostolis prælatum in solvendo tributo, quodamque modo æquatum Christo. Itaque Petro subinvidebant, cui videbatur principatus regni cœlorum destinatus, quum esset ille natu minor. Adeunt igitur Jesum, & rogant quis esset futurus primas in regno cœlorum. Adhuc enim somniabant tales quasdam dignitates, quales videmus in Principum aulis. 2 At Jesus ut penitus eximeret hunc affectum ex animis eorum, puerum quendam ad se vocatum statuit in medio discipulorum, parvulum, & adhuc alienum ab omnibus affectibus ambitionis & invidiæ, simplicem, purum, soloque naturæ ductu viventem. 3 Illud, inquit, habetote certum, nisi quis totus fuerit immutatus, ac prorsus abjecerit omnes affectus istiusmodi, transformatusque fuerit in habitum & simplicitatem hujus pueri, ne recipietur quidem in regnum cœlorum; tantum abest ut ambienda sit eminentia. 4 Proinde qui se dejecerit, ut efficiatur huic parvulo similis, hoc ipso maximus erit, quod sit minimus in regno cœlorum. Etenim qui modestia minimus est, is virtute est maximus. Principes amant sui similes, & apud hos majore in pretio est, qui cæteris submotis semet anteponit. Ego mei similibus delector. 5 In aulis hujus mundi, Princeps ad sui contumeliam pertinere putat, si quis quem è summatibus afficerit contumelia: & in se collatum officium interpretatur, quod in illos fuerit collocatum. At hominum vere simplicium & humilium tanta est apud me gratia, ut qui unum quemvis ex his receperit, mea causa, mihi velim imputari perinde quasi me receperit. 6 Contra qui læserit unum quemlibet ex illis pusillis, aut offenderit, qui mihi fidunt, totique pendent ex me, pœnas daturus est atrociores, quam si saxo molari collo illius alligato demergatur in profundum maris. Quid enim sceleratius, quam eos offendere, qui nulli male volunt, qui nulli invident, nulli se præferunt, qui omnes amant ex æquo? 7 Sed heu male erit mundo ob scandala, offendiculaque similium parvulorum. Hominum perversitas in causa est, ut fieri non possit, quin accidant offendicula. Erunt qui livore odioque commoti, persequantur benemerentes, maledicant bene precantibus, occidant salutem æternam afferentes. Atque hæc quidem offendicula cedent in bonum eorum qui patientur, imo in bonum totius mundi. Sed tamen male erit illi, cujus vitio natum fuerit offendiculum. Proinde qui cupiunt ingredi regnum cœlorum, diligenter vitent offendicula pusillorum, sed potius aliis alii vicissim sint adjumento. 8 Neque satis est cavere, ne quis alteri sit offendiculo, verum etiam ne quis ipse sibi accersat offendiculum. Tum enim vere sunt offendicula, quum sibi quis est offendiculo. Nullus igitur affectus cuiquam adeo carus sit, quin amputetur illico, si fuerit offendiculo properanti ad regnum cœlorum: adeo ut si manus tua, aut pes tuus, videlicet membrum in primis necessarium, tibi sit offendiculo, resecandus sit, & abjiciendus. Utilius enim est tibi, ut ad vitam æternam recipiaris mutilus, aut claudus, quam ut integris manibus aut pedibus, totus conjiciaris in ignem æternum. 9 Oculus membrum est non solum necessarium ad usus, verum etiam gratissimum homini. Et tamen si hic forte ti-

Digitized by Google

& projice abs te: bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

bi fuerit offendiculo, erue, & abjice. Magis expedit tibi ut luscus admittaris in vitam æternam, quam ut utroque oculo incolumi, totus præcipiteris in gehennæ incendium. Atque hæc dicens, Jesus non sensit aliquod corporis membrum amputandum, sed affectus omnes amputandos, qui nos avocant à cura salutis æternæ. Nam amicus quo carere vix possis, veluti manus est homini. Pater, cui inniteris, pes est: uxor aut filius, quem tenere deamas, oculus est.

10 Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.

[10] Ut igitur nihil tam pretiosum, tamque magnificum esse debet homini, quo debeat avocari à regno cœlorum: ita nemo quamvis pauper, obscurus, & humilis, est contemnendus, sed adjuvandus potius, ut proficiat ad meliora. Habetis exemplum. Videte igitur, ne quem contemnatis ex hujusmodi pusillis. Quamvis abjecti sint apud mundum, tamen apud Deum magna est illorum ratio. Nam illud pro certo dico vobis: Angeli, qui tanquam ministri curam habent illorum, assidue contemplantur faciem Patris, qui est in cœlis. Hinc æstimare licet, quanti sint apud Deum, quum illis tales addiderit custodes ac pædagogos. Rudes quidem sunt, labi possunt, falli possunt, sed simplicitas subsidio digna est, non supplicio.

11 Venit enim Filius hominis salvare quod perierat.

[11] Nam ideo Filius hominis venit in terras, non ut perderet quenquam, sed ut quod in ipso est, servaret omnes: sed multi servari nolunt, & persequuntur servare volentem. Hi sunt quos mundus ut magnos suspicit. Auctoritate præeminent, opibus pollent, eruditione præcellunt, ut videtur, admirabili quodam falsæ sanctimoniæ præstigio commendantur. Hos non oportet quidem ultro provocare, sed contemnendi sunt fortiter, si metuentes suæ potentiæ, potentiam opprimunt Dei: Si suæ gloriæ consulentes invident gloriæ Euangelii: Si suo quæstui servientes, obstant commodis omnium: Si dum suam jactant inanem eruditionem, vitiant doctrinam Euangelicam: Si sub prætextu falsæ religionis, exstinctum eunt veram religionem: Si beneficiis efferantur. Isti sibi imputent oportet suum exitium.

12 Quid vobis videtur? si fuerint alicui centum oves, & erraverit una ex eis: nonne relinquit nonagintanovem in montibus, & vadit quærere eam quæ erravit?

[12] Cæterum nobis hoc esse studio debet, ne quem perire sinamus è pusillis & infirmis, qui sic errant ut sint sanabiles, ovibus similiores quam lupis. Ex vestro sensu conjecturam facite, quantopere sit hoc studio Patri, qui natura bonus est, ne quis hominum pereat: quos ideo condidit, ut essent beati. Etenim si quis sit verus ac fidus pastor, dominus ovium centum, atque ex tanto numero perierit una, nonne relictis nonaginta novem in montibus, abit quæsiturus eam quæ aberravit à grege? Tantoque desiderio maceratur unius amissæ, ut reliquum gregem totum exponat periculo.

13 Et si contigerit ut inveniat eam: Amen dico vobis, quia gaudet super eam magis quam super nonagintanovem, quæ non erraverunt.

[13] Quod si contigerit, ut illam inveniat, pro certo dico vobis, quod magis gaudebit ob unam receptam, quam de cæteris omnibus, quæ non perierant.

14 Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis.

[14] Proinde si sic est affectus homo pastor erga gregem suum, quem possidet tantum, non etiam condidit, quanto magis hæc est voluntas Patris mei, qui est in cœlis, ne quis pereat ex his pusillis quos condidit: quos sic habet curæ, ut Angelos suos horum custodiæ præfecerit, quibus ad salutem revocandis Filium suum unicum impendit? Absint igitur à vestro contubernio offendicula, quæ pacem dirimunt fraternam, sed adsit mutua caritas, qua viciſſim alii aliorum erratis amanter medeamini, si quæ inciderint.

15 Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum. si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.

[15] Porro medicandi modus hic erit: Si quid admiserit in te frater tuus, quod sit animadversione dignum, ne statim prosilias ad vindictam, nove rursus silentio tuo sinas illum perire, dum veluti vinolentus affectibus suis peccat impune: sed primum experire remedio quam maxime blando, quod ne pudoris quidem incommodo fratrem adspergat. Adito illum solus solum, & nullis arbitris rem inter vos transigito. Si nondum agnoscit culpam, argue illum, & ob oculos pone, quantum aberrarit ab officio fraternæ caritatis. Talis autem sit admonitio, ut declaret te nihil aliud quærere, quam ipsius salutem, & amicitiæ pristinæ sarturam. Quod si ille tam est insanabilis, ut ad hanc secretam admonitionem respiscat, non est quod ulciscaris, aut quod illum traducas: tibi satis est, quod lucrifeceris fratrem tuum. Interim & tuo lucro consuluisti. Periturus enim erat tibi amicus, peritura erat Deo anima.

16 Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.

[16] Quod si gravior est morbus, quam ut hoc leviſſimo remedio sanari queat, non est prorsus abjicienda spes, nec statim ad extrema remedia veniendum. Sed si tibi soli non præbuerit aurem, rursus adito hominem, adhibito uno aut altero, sive ut pudore mediocri corrigatur, qui non progrediatur usque ad infamiam, sive ut testimonio duorum aut trium possit revinci.

17 Quod si non audierit eos: dic ecclesiæ. si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.

[17] Quod si tam est intractabilis, ut nec pudore, nec metu judicii commoveatur, rem defer ad congregationem, ut vel multitudinis consensu, vel eorum auctoritate, qui multitudini præsunt, emendetur. Quod si usque adeo est insanabilis, ut nec secreta fraternaque correptione, nec duorum aut trium conscientia consensuque, nec prolati criminis pudore, nec primorum auctoritate corrigatur, illum suo morbo relinquito. Amputetur à familiari consortio, nec alio loco habeatur, quam si sit Ethnicus, aut publicanus. Sit hæc inter vos atrociſſima pœna, quæ tamen non in aliud adhibetur, nisi ut aut pudore respiscat frater, dum se videt ab omnibus vitari, aut certe ne gregi admixtus alios inficiat suo contagio.

18 Amen dico vobis: quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.

[18] Nec est quod aliquis dicat mihi, diluta & imbecilla sunt regni tui judicia, imo severiſſima sunt, si quis contemnet obstinate. Nam humanæ leges, quum atrox facinus puniunt capite, nihil aliud quam corpus interimunt, & nonnunquam occidunt quem Deus non condemnat, & occidunt tantum, non emendant, posteaquam non superest qui possit emendari. At ista condemnatio quanquam lente procedit ad supplicium, tamen hoc nomine est severiſſima, quod damnatum, nisi respiscat, manet æterna pœna, quam nulla ratione poterit effugere. Quem Cæsar damnat, nonnunquam absolvit Deus: & quem absolvit Princeps, aliquoties damnat Deus. Ille, quem absolvit, relinquit hominum consortio, quo faciat & alios sui similes: & quem occidit, tollit ex hominum consortio; non solum non sanans, verum etiam efficiens ne sit qui sanari possit. Hæc sunt humana judicia necessaria magis quam laudanda. At vestra sententia sic submovet hominem insanabilem, ut non possit sinceros inficere, & tamen sit qui possit respiscere: propterea quod vestræ potestatis sit, servare, non perdere. Nec tamen impune peccabunt, quibus per vos licet vivere. Manet illos æternum supplicium, judice Deo, cujus sententia vestram sententiam approbabit, ni respuerit damnatus. Etenim qui non quærit ultionem, sed correctionem fratris, qui paratus est admissam in se injuriam remittere, qui sollicitus est de salute fratris, qui ad ægrotum ipse læsus ultro venit, ut illi medeatur: qui semel atque iterum repulsus, tamen non desistit à medicando: qui non fidit suo judicio, sed unum atque alterum adhibet, non ad vindictam, sed ad medelam: hujus sententiam, quoniam proficiscitur ab animo Euangelico, Deus approbabit, nec unquam rescindet, nisi damnatus damnarit quod admisit. Quanquam igitur vestrum judicium non habet in specie severitatem eam, quam habent tribunalia Principum, tamen est magis formidandum, quam illorum sententia, qua sæpenumero percutiuntur optimi, & absolvuntur scelleratiſſimi. A Deo damnari, formidabile est. Et ab illo damnatur quisquis à vobis sincero animo consentientibus damnatur. Quod enim judicatis spiritu Dei, non vestrum est judicium, sed per vos illius. Quod si damnaveritis aliquem humano spiritu, jam est judicium humanum, non Dei: & is qui vestra sen-

Digitized by Google

sententia fuerit ejectus à vestro consortio, non protinus est alienus à consortio cœli. Vis igitur vestræ auctoritatis in affectibus est, quos solus Deus intuetur. Hæ nimirum sunt claves, quas Petro me profitenti daturus sum: quibus quod ligatum fuerit in terris, ligatum erit & in cœlis: & quod solutum fuerit in terris, solutum erit & in cœlis. Ea potestas tametsi primoribus maxime competet, tamen omnibus à me dabitur, si modo consensus accesserit: non humanus, sed in meo nomine. [19,20] Quin & amplius dicam vobis, non solum valebit consensus vester in condonandis aut damnandis commissis, si vos inter vos, & si mecum consentiatis: verum etiam si vel duo quilibet reperiantur in terris, qui vere concordes meo spiritu, hoc est, non commoti affectu humano, sed concorditer amantes ea quæ Dei sunt: ii quæcunque petierint, impetrabunt à Patre meo, qui est in cœlis. Adeo Pater amat Euangelicam sanctamque concordiam. Quum igitur tantum valeatis apud eum Principem, qui potest omnia, non erit quod vos pœniteat vestræ potestatis, etiamsi apud homines, imbecilles & impotentes videamini. A Cæsare non protinus impetratur, quod petitur, nec ille quicquid rogatur præstare valet. Nec enim ille posset vel febrim depellere, vel muto linguam reddere. Nihil autem tam est arduum aut incredibile, quod Pater meus non sit vobis præstaturus, si concorditer ab ipso petieritis.

19 *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est.*

20 *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

[21] Hæc quum diligenter auscultasset Petrus, existimans ad se potissimum pertinere, quod de potestate damnandi & absolvendi differuerat Jesus, scrupulum aliquem conceperat in animo, propterea quod Jesus dicens post tertiam correptionem *sit tibi velut ethnicus & publicanus*, visus est certum numerum præscribere: quem qui transgressus esset, etiamsi resipisceret, qui peccarat, non esset recipiendus in gratiam. Hac igitur de re exactius docendus adiit Jesum: Domine, inquit, quoties condonabo fratri, si in me peccaverit, & post quotam culpam repelletur à venia? Num post septimam? Hunc numerum proponebat Petrus, velut abunde magnum, quum Jesus tertiæ duntaxat correptionis meminisset. [22] Tunc Jesus ostendens in his, quæ committuntur in nos, oportere nos esse facillimos ad veniam: Non dico, inquit, ignoscendum usque ad offensam septimam, sed usque ad septuagesies septimam, indicans nullum esse præscribendum numerum ignoscentiæ Christianæ: sed quotiescunque resipuerit, qui peccavit, toties ex animo condonandam esse culpam: penitus eximens ex animo Christiano omnem ulciscendi libidinem. [23] Atque id ne quis existimaret esse durum & iniquum, Jesus adhibita similitudine docet esse æquissimum. Nam hanc non tam esse clementiam, quam pensationem. Etenim quum nos aliquando vicissim peccemus in proximum: sed multo tum crebrius, tum gravius in Deum, in quem quoties delinquimus, hoc gravius peccamus, quo major est is, in quem peccamus, quoque majora ab illo beneficia cepimus, indigni simus qui veniam impetremus, vel à proximo, vel à Deo, qui vel millies peccanti condonat, si modo resipiscat, si fratri tanto levius peccanti gravemur offensam remittere: præsertim cum Deus hac lege nobis ignoscat commissa nostra, ut illius exemplo provocati, faciles & exorabiles simus in proximum. Ideo, inquit, regnum cœlorum simile est homini prædiviti ac potenti, cui quum esset ingens familia, visum est inire rationem cum servis suis. [24] Et cum cœpisset subducere rationem, repertus est quidam, qui debebat illi decem millia talentorum. [25] Porro cum summa major esset, quam ut debitor esset solvendo, Dominus jussit & ipsum, & uxorem, & liberos, & quicquid habebat rerum venundari: ut ex conflato pretio satisfieret creditori. [26] Servus autem ille supplex accidens ad genua Domini: Quæso, inquit, ut mihi

21 *Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? usque septies?*

22 *Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.*

23 *Ideo assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.*

24 *Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta.*

25 *Cum autem non haberet unde redderet, jussit eum dominus ejus venundari, & uxorem ejus, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi.*

26 *Procidens autem servus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.*

A spatium aliquod concedas, & progressu temporis omnia tibi resolvam. [27] Porro Dominus misertus servi supplicis ac provoluti, plus indulsit quam ille petierat. Non solum enim illum non produxit in forum, verum etiam condonavit illi totam summam. [28] Porro servus ille jam liber quum esset digressus à conspectu Domini sui, forte fortuna obvium habuit quendam è numero conservorum suorum, qui debebat illi pauxillulum pecuniæ, nempe denarios centum: hic oblitus Dominicæ erga se clementiæ, protinus injecta manu trahere cœpit miserum, dicens: Solve quod debes. [29] Ille conservus ad conservi
B genua procidens, totidem verbis obsecrabat eum, quot ille Dominum: Patienter age mecum, & omnia resolvam tibi. [30] At creditor inexorabilis, repulit supplicem, & pertraxit in carcerem, donec reddidisset quod debebat. [31] Porro cæteri conservi, qui viderant miram clementiam Domini in servum, ubi vidissent tantam crudelitatem conservi in conser-
C vum, dolore gravi commoti, rem omnem denarrant Domino. [32] Ibi Dominus accensus ira, revocavit ad se servum, cui condonarat omnia: Serve, inquit, male, nonne ego Dominus tantam summam tibi condonavi; non ob aliud, nisi quod supplex rogares me? [33] Non igitur par erat, ut tu conservus conservo paululum pecuniæ condonares; & sup-
D plicis misereris, quemadmodum ego tui misertus eram? Certe mea in te tam recens lenitas te docere debuit lenitatem in conservum. [34] Jamque Dominus implacabiliter iratus, tradidit eum tortoribus servandum in carcere, donec resolveret totam summam prius condonatam. [35] Ad hanc imaginem vobiscum aget Pater vester cœlestis. Illi nemo vestrum non debet plura, in quem nemo non frequenter delinquit. Peccant & homines in homines, sed longe leviora. Quod nisi quisque fratri suo remiserit leviores offensas in se commissas, & remiserit ex animo: Pater non solum non condonabit vobis in se
E commissa graviora, verum etiam quæ condonarat, revocabit.

27 *Misertus autem dominus servi illius dimisit eum, & debitum dimisit ei.*

28 *Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios: & tenens suffocabat eum, dicens, Redde quod debes.*

29 *Et procidens conservus ejus, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.*

30 *Ille autem noluit: sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum.*

31 *Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valde: & venerunt, & narraverunt domino suo omnia quæ facta fuerant.*

CAP. XIX.

Tum divortium & Eunuchi: adducuntque puellos: Jova bonus: vendas: divitiæque nocent.

HIS sermonibus ubi Jesus ad beneficentiam erga simplices, ad lenitatem erga delinquentes instruxisset suos, relicta Galilæa recepit se in fines Judææ, trans Jordanem, velut occurrens ad futuram mortem, quam clanculum moliebantur Pharisæi. [2] Atque eo quoque sequuti sunt numerosi greges hominum, deportantes secum varios ægrotos:
F & sanavit eos illic. [3] Ac rursus visis tot prodigiis, & studio multitudinis erga Jesum, recruduit Pharisæorum invidia. Qui callide & insidiose adorti sunt illum, occasione captata ex sermone, quo prius docuerat, non esse repudiandam uxorem. Proponunt igitur cornutum problema: num fas esset, quacunque de causa repudiare uxorem. Qui si respondisset esse fas, secum pugnare videretur, quum docuisset non licere repudium: si negasset, videretur adversari Legi Mosaicæ, quæ permittit quavis de causa dare repudii libellum, ac dimittere. [4] At Jesus ita temperat responsum, ut nec Mosi lædat auctoritatem, nec suum dogma recantet, & Pharisæis Legis peritis auctoritate Legis os obturet: An non legistis, inquit, quod quum Deus conderet hominum genus, sic instituit primum conjugium, ut unus uni indissolubili copula jungeretur? Ex eadem enim massa finxit masculum & fœminam, ut horum complexu

32 *Tunc vocavit illum dominus suus: & ait illi: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me:*

33 *Nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum?*

34 *Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.*

35 *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

1 *Et factum est, cum consummasset Jesus sermones istos, migravit à Galilæa, & venit in fines Judææ trans Jordanem,* 2 *Et secutæ sunt eum turbæ multæ, & curavit eos ibi.* 3 *Et accesserunt ad eum Pharisæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam, quacumque ex causa?* 4 *Qui respondens, ait eis: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos?* & *dixit*

Digitized by Google

propagaretur humanum genus. [5] Ac mox copulam divulsam exprimens mariti & uxoris, adjecit, non Moses, sed ipse conditor Deus: Hujus mutuæ caritatis gratia deseret homo patrem ac matrem, & adglutinabitur uxori suæ. Tamque erit arcta conjunctio, ut è duobus quodammodo fiat unus homo, qui prius fuerant duo. [6] Itaque semel matrimonio juncti, jam non sunt duo, sed unum corpus: ut tam præter naturam sit uxorem à viro divellere, quam membrum à corpore rescindere. Quod igitur Deus tam arcto vinculo semel connexuit, ne separet homo. [7] Hîc Pharisæi jam ansam datam arbitrantes, qua Jesum prehenderent, Si Deus, inquiunt, hoc voluit quod interpretaris, cur igitur Moses fecit jus maritis, qualibet de causa abjicere uxorem, modo dent illi libellum repudii? Qua fronte ausus est permittere, quod Deus fieri noluit. [8] Respondit Jesus: Non hoc vobis permisit, quod rectum esset natura, sed sciens duritiam cordis vestri, levius malum indulsit, ne gravius à vobis committeretur. Neque enim is probat divortium, qui hoc maluit admitti, quam homicidium. Nec hoc efficit libellus repudii, ut rectum sit repudium: sed testis est tuæ duritiæ, qui quamlibet levi de causa expellas conjugem, & illi prospicit de novo marito, tibi jus adimens, ne revoces repudiatam. Verum ab initio, quum nondum increvisset hominum malitia, nec adhuc tot vitiis esset infecta natura mortalium, quoniam non erat tam atrox odium, ut veneficia timerentur, aut homicidia, non erat repudii licentia: neque nunc relaxabitur idem jus, posteaquam Euangelica doctrina renovat ac perficit naturæ sinceritatem. Moses idem optabat, quod ego doceo: sed mores vestri nimium ad homicidium propensi deterrebant illum, ne auderet hoc à vobis exigere. [9] Ego qui non irrito Legem, sed absolutiorem reddo, plane dico vobis nefas esse, & præter mentem Dei, & præter voluntatem Mosi, quod vulgo facitis, quavis de causa repudiantes uxores vestras. Nec enim ideo rectum est quod facitis, quia facitis impune. Multa sunt apud Deum flagitiosa, quæ legibus humanis non puniuntur: Proinde scitote, quod quisquis ob quamlibet causam abjecerit uxorem, & alteram duxerit, ut adulterium committit ipse, ita uxori præbet adulterii causam: nisi forte quam repudiat, adulterio commeruit repudium. Nam quæ alteri viro sui fecit copiam, jam uxor esse desiit, & matrimonii jus ademit sibi, divisa carne, quam Deus unam & indivisam esse voluit. Sed qui talibus de causis repudiarit uxorem, qualibus vos subinde repudiatis, si se jungat alteri, non matrimonium est, sed adulterium. Et qui sic repudiatam duxerit, non uxorem suam ducit, sed alienam: & ideo non contrahit matrimonium, sed committit adulterium. Sed horum malorum summa recidit in caput repudiatoris. Primum enim præfractus est & immitis, qui vitium uxoris nec ferre potuerit, nec voluerit mederi. Deinde domo depulsæ, quæ sine marito non potest vivere, causam præbet adulterii committendi. [10] His auditis, discipuli ajunt Jesu: Si hæc est conditio maritorum, ut ab uxore, si displiceat, non possint absolvi, præstat abstinere à matrimonio. Dura siquidem servitus est domi ferre morosam, rixosam, temulentam, aut alio simili vitio molestam mulierem. [11] Jesus non improbat quidem responsum discipulorum, quos propter Euangelii prædicationem cupiebat esse liberos à matrimonii servitute: verum subindicat, non esse tutum vitare matrimonium: nisi si quis ita firmo sit animo, ut possit in totum temperare à coitu. Perpaucos autem esse qui possint: propterea quod hic affectus corporis sic omnium est communis, ut non alius sit violentior, aut invincibilior. Quanquam igitur liberius est non alligari matrimonio, tamen tutius est intra conjugii cancellos contineri, quam vago concubitu polluì. Jesus igitur subindicans quid esset optimum, & huc invitans præmio libertatis, non audet tamen exigere, quod quodammodo vires excedit humanas. *Non omnes*, inquit, *capaces sunt hujus sermonis, sed hi duntaxat, quibus hoc datum est* divinitus: quos tantus habet ardor Euangelicæ sanctimoniæ, ut hunc etiam affectum sponte volentesque negligant. Nec enim alioqui laudem habet, quamvis castus cœlibatus, nisi fuerit susceptus studio pietatis Euangelicæ. [12] Sunt enim Eunuchorum tria genera. Unum eorum, qui sic nascuntur, qui vitio naturæ frigidioris abhorrent à re uxoria, aut alio quopiam occulto naturæ affectu. Alterum eorum, quos exsecuerunt homines. Horum castitas nullam meretur laudem, quod à necessitate proficiscatur, non à studio virtutis. Sed habet Euangelium & suos Eunuchos plane beatos, qui neque natura spadones sunt, neque ab hominibus exsecti, sed ipsi seipsos castrarunt propter regnum cœlorum: non amputato corporis membro, sed ob amorem Euangelii, devicto affectu rei uxoriæ. Videtis palmam in medio positam, certet qui volet, quique suis fidit viribus, auferat brabium qui potest: fortiter, & ultro certantibus, non deerit favor agonothetæ.

[13] Quoniam de puritate virginea fuerat sermo, deque sublimitate virtutis heroicæ, quæ paucis contingat, tanquam per occasionem offertur exemplum simul & absolutæ puritatis & summæ modestiæ: sine qua virginitas nihil promeretur laudis. Aderant parentes, qui cupiebant infantes suos offerre Jesu, ut eis manus imponeret, & pro ipsis deprecaretur: existimantes fore, ut quemadmodum viderant illius contactu fugere morbos, ita Jesu contactus servaret eos à morbis, ruinis, Dæmonio, cæterisque malis, quibus ætas illa sæpenumero perit. At discipuli, qui quanquam toties audissent de summa modestia, nondum tamen penitus exsuerant humanos affectus: existimantes indignum magnitudine Domini sui, infantium ac matrum improbitate detineri, lassarique, prohibebant accedere cupientes. [14] Hoc animadvertens Jesus, quo magis ac magis infigeret animis suorum Euangelicam modestiam, quæ nullum quantumvis humilem fastidit: Sinite, inquit, ut pueri ad me perferantur; neque prohibete, quo minus me adeant. Etenim qui horum sunt similes, mihi gratissimi sunt, quos tametsi mundus habet despicabiles, ego tamen non alios dignor regno cœlorum. Quod his præstat natura, hoc in vobis præstet pietas oportet, si velitis admitti in regnum cœlorum. [15] Adducti sunt igitur parvuli ad Jesum, & ille imposuit illis manus, sacri corporis contactu virtutem occultam infundens puellis, ob simplicem parentum fidem.

[16] Quo facto discessit illinc, re ipsa docens satis faciendum quidem esse pusillis, sed nequaquam illis hærendum, quin magis properandum ad perfectiora. Et ecce pueris relictis, succedit adolescens qui de perfectione loquitur. At Jesus quemadmodum in parvulis proposuerat discipulis suis imaginem simplicitatis ac modestiæ: ita in adolescente studioso quidem perfectæ pietatis, sed divitiis onusto, ponit obocu-los, quam difficile sit, eos, qui divitiis serviunt, emiti ad perfectionem Euangelicæ pietatis: quantoque sint expeditiores ad Euangelicum negotium, qui nihil, aut quam minimum hujus mundi possident: quanquam paupertas, & opulentia, non tam in possessionibus est sita, quam in affectibus. Erat adolescens animo religioso præditus: sed quoniam è Christo audierat nescio quæ nova præcepta, adiit Jesum, & accidens ad genua ipsius, rogat eum, dicens: *Magister bone, quid boni faciam ut vitam assequar æternam?* Adolescens *bonum* appellabat Jesum, blandimento captans illius benevolentiam: quum tamen nihil aliud esse suspicaretur illum, quam purum hominem, quanquam cæteris præeminentem. Deinde quum

5 *Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.*

6 *Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

7 *Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, & dimittere?*

8 *Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic.*

9 *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.*

10 *Dicunt ei discipuli ejus: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.*

11 *Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.*

12 *Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat.*

13 *Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret. Discipuli autem increpabant eos.*

14 *Jesus vero ait eis: Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum cœlorum.*

15 *Et cum imposuisset eis manus, abiit inde.*

16 *Et ecce unus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam?*

Digitized by Google

quum de bono percunctatur, non de quovis bono sentit, sed de insigni quopiam bono, quod promereatur vitam æternam. Atqui nullus mortalium absolute bonus est: nec ullum est opus hominis, quod ita bonum fit, ut mereatur præmium æternæ vitæ. [17] Jesus igitur excitans adolescentem, ut magnificentius de ipso sentiat, & avocet à fiducia operum suorum, ac vitæ spem potius collocet in beneficentia gratuita Dei, qui natura bonus, & gratis beneficus in omnes, respondit in hunc modum: *Quid me bonum appellas, aut quid me percunctaris de bono? Sed tamen si cupis admitti ad vitam æternam, serva præcepta.* [18] Quumque adolescens rogasset, quænam essent illa præcepta: siquidem audierat illum docentem, præcepta Legis Mosaicæ non esse satis ad consequendum regnum cœlorum: Jesus ut omnibus eximeret Legis fiduciam, respondit: *Non occides, non committes adulterium: non facies furtum: non dices falsum testimonium:* [19] *Honora patrem tuum & matrem: & diliges proximum tuum sicut teipsum.* [20] Tum exhilaratus adolescens: *Hæc*, inquit, *omnia, servavi à puericia mea. Quid igitur præterea mihi deest?* Exspectabat ut Jesus responderet illi, nihil deesse. [21] Sed Dominus ostendens quantum interfit inter justitiam Judaicam & Evangelicam, inter bonum Judæum, & bonum Christianum: *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade, ac divenditis omnibus qua possides, distribue pecuniam pauperibus:* non perdes opes tuas, quamvis in multos dissipatas. Sic dissipare recondere est. Nam pro terrenis opibus habebis meliorem thesaurum in cœlis. Hoc ubi feceris, jam expeditus, ac nudus veni me nudum sequuturus. Quum ait Jesus, *Si vis*, ostendit negotium arduum esse: sed adjecit præmium, *Habebis thesaurum in cœlis.* Mox ad studium perfectæ pietatis hortatur, *Veni sequere me.* [22] Hunc sermonem quum audisset adolescens, abiit animo dejecto mœstoque, quod dominus esset multarum possessionum, quas durum existimabat sibi mel universas relinquere. Avebat adipisci vitam æternam, ambiebat perfectionis honorem: sed hunc affectum veluti bonum semen obruebant spinæ divitiarum. Itaque mœstus abiit domum, nequaquam intelligens Jesum damnare non divitias, sed affectum & amorem, curasque divitiarum, quibus vix possunt non esse obnoxii, qui eas possident. Neque enim semper voluit eas relinqui, sed tamen semper contemni: relinqui etiam, si quando nos avocent ab Euangelica pietate.

[23] Adolescente digresso, Jesus conversus ad discipulos suos, (nam illis hoc spectaculum ediderat, ne quando pœniteret paupertatis suæ, aut tenerentur amore pecuniæ) *Quam*, inquit, *difficile est, divitem ingredi regnum cœlorum.* Significans ægre convenire studium opulentiæ, & studium Euangelicæ Philosophiæ: quod hoc totum requirit hominem, illud fere maximam hominis partem sibi vindicet. [24] Atque ut magis exaggeraret rei difficultatem, discipulis admirantibus adjecit: *Quin & amplius dico vobis: Facilius est ut camelus transeat per foramen acus, quam ut dives ingrediatur regnum cœlorum.* Siquidem humilis & angusta est porta, nec recipit camelos opum sarcinis onustos. Sic enim notavit divites avaros, quibus divitiæ magis sunt oneri quam usui: ut quas aliis bajulant potius quam sibi. Hic sermo quia non satis intelligebatur ab Apostolis, injecit & illorum animis mœstitudinem quandam, quod dolerent tot homines divitiarum gratia secludendos à regno cœlorum. [25] Cum igitur vehementer admirarentur discipuli, quid sibi vellet hoc quod dixerat Jesus de camelo & foramine acus: rogant illum; si sic habet res, quis igitur poterit salvus fieri? Quotus enim quisque est mortalium, qui aut abjicere possit divitias quas habet, aut non optare si non habet? [26] At Jesus intuitus illos quo leniret conceptum animo mœrorem, ostendit nonnullam esse spem divitibus quoque perveniendi in regnum cœlorum. Apud homines, inquit, hoc impossibile est, non minus quam ut camelus eat per foramen acus: sed apud Deum nihil est impossibile. Solus ille mutat animos divitum, ut alacres etiam vel abjiciant quod possident, vel possideant, tanquam communes, non proprias, semper parati relinquere, si quando id postulet Euangelii negotium. Cur enim ægre contemnant opes, qui non gravantur & vitam impendere. [27] Hic sermo, quem adolescenti dixerat Jesus, *Vende qua possides, & sequere me*, nonnihil bonæ spei conciliavit Petro, qui quanquam dives non fuisset, tamen hoc ipsum quod habebat alacer reliquit, navim & retia, ac Dominum fuerat sequutus. *Domine*, inquit, ecce nos fecimus quod ab adolescente flagitabas: *reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid igitur erit nobis præmii?* [28] At Jesus ostendere studens hanc eximiam laudem non solum patere divitibus, verum etiam tenuibus, qui quicquid hoc est, quod possident, libenter habent pro derelicto ob Euangelium, quum hæc virtus magis æstimetur ab affectu relinquentis, quam à modo rei relictæ: non rejecit orationem Petri, quam pro re magnificentiorem: sed docens, pro vilibus illis promto animo relictis, non vile præmium esse reponendum, ait: Illud confirmo vobis, quod vos, qui præter scapham & retia, mea causa nihil reliquistis, sed tamen hoc animo, ut opes quantumvis magnas mea causa fueritis relicturi, & nudi nudum estis hactenus sequuti, si perseveraveritis, in futuro seculo, quum revixerint mortui, dabiturque cuique pro suis meritis præmium, jamque Filius hominis, depositа quam nunc videtis humilitate, consederit in sede majestatis suæ: vos quoque piscatores, tum consortes honoris, qui nunc estis consortes afflictionum, sedebitis in duodecim sedilibus, & judicabitis duodecim tribus Israeliticas: quod ex eadem stirpe progeniti, ejusdem Legis periti, iisdem miraculis ac beneficiis provocati, tamen nulla ratione perduci potuerint, ut crederent, quum vos humiles & idiotæ statim ad simplicem vocis jussum, etiam illa reliqueritis, quibus vitam sustentabatis. [29] Neque vobis solum hoc præmii continget, verum etiam quisquis hominum ob mei nominis professionem reliquerit domum, fratres aut sorores, patrem aut matrem, uxorem aut filios, agros aut aliam quamcunque possessionem, adeo non perdet quod mea causa reliquit, ut magno potius lucro sit fœneraturus. Siquidem & in hoc seculo pro relictis centuplum accipiet, & in resurrectione vitam æternam possidebit. Nam pro relictis caducis ac vilibus possessionibus, & hic interim possessurus est pretiosum illud margaritum Euangelicæ mentis, nullis hujus mundi mercibus æstimandum: pro una domo relicta, toto orbe plurimas domos vobis aperiet Euangelii doctrina. Pro unico fundo plurimi fundi servient vestris usibus; pro unico patre aut matre tot habebitis, quot senes aut anus converteritis ad professionem Euangelicam. Tot habituri fratres, sorores ac filios filiasque, quot æquales aut minores vestra prædicatione perduxeritis ad vitam æternam. Hi passim & ultro suppeditabunt, si quid opus fuerit, longeque vincent eorum affectus, quos nobis sola sanguinis propinquitas conjunxit. Arctior est enim Euangelicæ societatis cognatio, quam carnis affinitas: & vehementius amat, quem conciliavit pietas, quam quem adjunxit nativitas. Huic satis amplo præmio adjicietur & illud omnium longe maximum, ut pro rebus mox perituris vitam æternam possideatis. Non hæc dico, quod Euangelica professio doceat esse spernendos eos, quos nobis natura conjunxit: sed hujusmodi affectus negligendos, quoties avocant nos ab æternæ salutis negotio. [30] Hæc tanta felicitas omnibus ex æquo proposita est. Non est discrimen fortunæ, conditionis, ætatis,

17 *Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Unus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

18 *Dicit illi: Quæ? Jesus autem dixit: Non homicidium facies: Non adulterabis: Non facies furtum: Non falsum testimonium dices:*

19 *Honora patrem tuum, & matrem tuam: & Diliges proximum tuum sicut teipsum.*

20 *Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodivi à juventute mea, quid adhuc mihi deest?*

21 *Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, vade, vende qua habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni, sequere me.*

22 *Cum audisset autem adolescens verbum, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones.*

23 *Jesus autem dixit discipulis suis: Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum.*

24 *Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum.*

25 *Audito autem hoc, discipuli mirabantur valde, dicentes: Quis ergo poterit salvus esse?*

26 *Aspiciens autem Jesus, dixit illis: Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt.*

27 *Tunc respondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?*

28 *Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.*

29 *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

30 *Multi autem erunt primi novissimi, & novissimi primi.*

tis, aut perſonæ. Sed in hac æſtimatione, quæ fiet ab æquo judice Deo, multi tenebunt poſtremas, qui nunc videntur tenere primas. Contra multi qui nunc humiles, nihilique videntur hominibus, illic erunt primi. Præferetur meretrix Scribæ, publicanus Phariſæo, Ethnicus Judæo, pauper diviti, agricola Regi: & qui videbantur eſſe proximi regno cœlorum, poſtremi ingredientur: & qui procul abeſſe videbantur, priores introibunt. Ethnici fide antevertent, Synagoga propter incredulitatem ſubmovebitur.

CAP. XX.

Vinea cœleſtis: Zebedæi filii: Jeſu Baptiſmus: culpat faſtum, oculoſque aperit.

1 Simile eſt regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam.

2 Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam.

3 Et egreſſus circa horam tertiam, vidit alios ſtantes in foro otioſos,

4 Et dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod juſtum fuerit dabo vobis.

5 Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa ſextam & nonam horam: & fecit ſimiliter.

6 Circa undecimam vero exiit, & invenit alios ſtantes, & dicit illis: Quid hic ſtatis tota die otioſi?

7 Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam.

8 Cum ſero autem factum eſſet, dicit dominus vineæ procuratori ſuo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à noviſſimis uſque ad primos.

9 Cum veniſſent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt ſingulos denarios.

10 Venientes autem & primi, arbitrati ſunt quod plus eſſent accepturi: acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios.

11 Et accipientes murmurabant adverſus patremfamilias,

12 Dicentes: Hi noviſſimi una hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portavimus pondus diei, & æſtus.

13 At ille reſpondens uni eorum, dixit: Amice non facio tibi injuriam: nonne ex denario convenisti mecum?

QUONIAM autem ænigma videbatur quod propoſuerat de primis & noviſſimis, explanat parabola, quod dixerat; qua declarat diverſis ætatibus homines fuiſſe vocatos ad cultum juſtitiæ, omnibus tamen juſtitiæ cultoribus idem eſſe præmium æternæ ſalutis: modo vocati gnaviter laborarint in vinea juſtitiæ. Neque enim minus habent qui vocati ſunt tempore Chriſti, quam qui tempore Abrahæ, aut Moſi, aut David. Neque minus habent qui ſenes trahuntur ad cultum Euangelii, quam qui pueri aut juvenes. Omnibus idem datur denarius æternæ vitæ. Et tamen qui ſerius venerunt, hoc videntur honoratiores, quod Domini liberalitas eos æquat his, qui prius venerant. Judæi prius vocati ſunt, ſed tamen gentes poſt vocatæ, non ſolum æquatæ ſunt illis, verum etiam antepoſitæ Judæis incredulis. Parabola ſic habet: *Simile*, inquit, *eſt regnum cœlorum homini patrifamilias, qui ſummo diluculo prodiit in publicum, ut conduceret operarios in vineam ſuam. Et nactus aliquot, pactus cum eis, ut ſinguli ſingulos acciperent denarios pro opera diurna, miſit illos in vineam ſuam. Rurſus exiit circa horam tertiam, quumque vidiſſet quoſdam in foro ſtantes otioſos, dixit illis: Ite & vos in vineam meam: & quod juſtum fuerit reddam vobis. Rurſum exiit circa horam ſextam, atque iterum ad horam nonam, & idem fecit, quod fecerat hora prima ac tertia. Rurſum ad horam undecimam, vergente jam die, egreſſus, reperit & alios quoſdam in foro, quibus dixit: Quid hic ſtatis totum diem otioſi? Ajunt: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam. Porro ſub noctem Dominus vineæ mandat procuratori ſuo: Voca operarios omnes, ac ſolve illis mercedem: ſic, ut à noviſſimis incipiens, pervenias uſque ad primos.* Vocati ſunt igitur omnium primi, qui poſtremi venerant, hoc eſt, ad horam undecimam, minimumque diei laborarant in vinea, & datus eſt ſingulis denarius. Hoc quum intellexiſſent hi, qui ſummo diluculo fuerant vocati, exiſtimabant ſe, quia tanto priores veſperant in vineam, pro temporis portione mercedem ampliorem accepturos. Sed datus eſt & horum cuique denarius. Itaque quum ſibi viderent æquatos in præmio, qui non fuerant pares in temporis ſpatio, abeuntes murmurant adverſus dominum vineæ, dicentes: Hi, qui venerunt ad horam undecimam, non laborarunt niſi unam horam, & illos in præmio nobis æquas, qui & totum diem perduravimus in labore, & æſtum meridianum pertulerimus, quum iſti venerint ſub veſperam refrigerato jam æſtu. At paterfamilias uni cuidam illorum, pro omnibus reſpondit: Amice, cur invides aliis benignitatem meam? Mea in alios gratuita liberalitas te non lædit. Nullam enim injuriam facio tibi. Nonne ſic pactus ſum tecum, ut pro opera diurna, denarium acciperes? Præſtitiſti operam, habes mercedem pactam, nihil tibi rei mecum eſt amplius. Tolle quod tibi debetur, & abi. Mercenarius huc conductus es, ut præſtares operam, non ut mihi præſcriberes quid faciam. Sic mihi viſum eſt, ut huic qui poſtremus venit tantum mercedis dem quantum tibi. De tuo nihil decedit, ſi quid huic additur ex mea liberalitate. An mihi liberum per te non erit, de meo quod volo facere? An ideo oculus tuus livore torquetur, quia me vides benignum in eos, in quos lubitum eſt? Hanc ſimilitudinem adduxit Jeſus, volens illorum animis infigere, quod Deus natura beneficus in omnes, variis modis ac variis ætatibus, non ceſſat invitare mortales omnes ad cultum veræ pietatis. In qua qui ſe gnaviter exercuerint, iis præmium eſſe vitam æternam, à qua nemo ſecluditur, qui modo vocatus audiat. Hoc præmium ut non debetur omnino meritis noſtris, ſed potius beneficentiæ divinæ, tamen non contingit citra conatum noſtrum. Quanquam hoc quoque debemus vocanti, quod ad cultum pietatis accedimus, quod in eo perſeveramus uſque ad diei veſperam. Nam qui vocati recuſant ire in vineam, fruſtrantur ipſi ſe ſuo præmio. Quanquam autem inter ſanctos nec eſt livor, nec murmuratio adverſus Deum, tamen hujuſmodi dictis expreſſit ſummum honorem, qui noviſſimis eſt habitus, ut in præmio locum primum ſortirentur. Quæ dignitas tam inſignis eſt, ut merito quis poſſit invidere. Quanquam & boni Judæi primum murmurabant adverſus gentes, quod ex majoribus idololatris orti, à Lege Moſaica prorſus alieni, denique incircumciſi, ſubito pares haberentur ipſis in Euangelii gratia, & ad eandem ſalutem admitterentur, nullo legis onere gravati: quum ipſi diu verſati in obſervationibus Moſaicis, nihilo potiores eſſent, quam Ethnici, modo à vita prorſus impia, ad Euangelii profeſſionem admiſſi. Plus igitur gentibus condonatum eſt, ſed non ideo Judæis eſt quod cum Deo expoſtulent, quum liceat & ipſis ad eam felicitatem pertingere. Quod ſi malint invidere, quam imitari, ſibi imputent, quod ob incredulitatem rejiciuntur, gentibus ob fidei promtitudinem aſſequentibus, quod illi ſibi ſolis deberi credebant. Statim igitur properet, quiſquis vocatus fuerit: alioqui fruſtra fuerit vocatus, niſi det operam, ut ſit etiam electus. Ac nulli non vocantur, ſed pauci merentur ut ſint inter electos. Proinde Jeſus parabolam hac clauſula finiit, qua fuerat exorſus: *Sic erunt noviſſimi, qui primi fuerant, & primi, qui noviſſimi. Nam multi quidem ſunt vocati, pauci vero electi.*

14 Tolle quod tuum eſt, & vade: volo autem & huic noviſſimo dare ſicut & tibi.

15 Aut non licet mihi quod volo, facere? an oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?

16 Sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi: multi enim ſunt vocati, pauci vero electi.

17 Et aſcendens Jeſus Jeroſolymam, aſſumpſit duodecim diſcipulos ſecreto, & ait illis:

18 Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & Filius hominis tradetur principibus ſacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte,

Poſt hæc Jeſus aliquandiu verſatus in Galilæa, cœpit propius ad mortis ſuæ locum accedere, Hieroſolymam proficiſcens. Quumque jam diſcipulos ſuos multis modis inſtruxiſſet, de contemnendis divitiis, de negligendis parentibus, & cognatis, de caſtitate, de ſingulari modeſtia, de præmiis quæ manerent illos etiam in hac vita, ſeducit Apoſtolos ſuos duodecim ſecreto, velut hos ſelectos duxiſſet & idoneos, quibus crederetur myſterium crucis, quod turba nondum potuiſſet capere. Quanquam & populo prædixit mortem ſuam, quum loqueretur de Jona, & templo ſolvendo, eodemque in triduo inſtaurando: ſed ita prædixit, ut non ante intelligerent quid eſſet dictum, quam poſteaquam viderent factum. Diſcipulis velut firmioribus jam ſemel atque iterum aperuerat arcanum ſuæ crucis, abſque involucro loquens. Sed quoniam facile obliviſcuntur homines, quod non libenter audiunt, nec facile demittunt in pectus, à quo abhorret animus, Dominus Jeſus quo ſuos confirmaret ad tempeſtatem imminentem, clarius etiam ac diſtinctius aperit illis non ſolum inſtare mortem, verum ludibria & afflictionem, quæ ſæpenumero ſunt ipſa morte graviora.

Digitized by Google

ra. Ecce, inquit, adimus Hierosolymam, & Filius hominis prodetur primariis Sacerdotibus, ac Scribis, qui jam dudum illi struunt insidias. [19] Neque conquiescent illum criminari, donec adigant ad condemnationem capitalem, & tradent eum Gentibus ut illudant illi, ut flagellent, ut conspuant & in crucem suffigant, atque ille mortuus ac sepultus, tertia die resurget.

19 *Et tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget.*

[20] Interea filii Zebedæi, Jacobus & Joannes, quoniam audierant Petro tributas claves regni cœlorum, audierant de honore duodecim sellarum, rudes adhuc & humana quædam somniantes, quum existimarent statim à resurrectione venturum hoc regnum, & hos honores, quia dixerat, tertio die resurget, quo sibi quoque præcellentem aliquam dignitatem impetrent, subornant matrem, quæ pro filiis interpellet Jesum. [21] Quæ quum adorasset eum, obtestans, ne sibi negaret quod peteret, rogata quid vellet, ait: *Jube, ut sedeant hi duo filii mei, alter ad dexteram tibi, alter ad lævam, in regno tuo.* [22] Jesus conversus ad filios, à quibus sciebat matrem esse subornatam, respondit illis: *Nescitis quid petatis.* Delectat vos mentio regni, quod ipsum longe aliud est, quam somniatis, sed in præsentia magis agendum est de afflictione, deque cruce, qua est iter ad regnum. Præpropere postulatis brabium, cum prius certandum sit. Jam aperui quid mihi sit ferendum. [23] *Potestis ne bibere de poculo, de quo ego bibiturus sum? Potestis ne tingi tinctura, qua ego tingendus sum?* Illi nondum gnari virium suarum, sed præ aviditate quod petebant impetrandi, temere verius quam forte respondent: *possumus.* At Jesus accepit quidem, quod se dicerent esse promtos ad imitationem suæ crucis, sed de præmio, quoniam non intelligebant quid peterent, quoniam non erat illius temporis, negat hoc esse suum dare ipsis, sed eam dignitatem non obventuram nisi iis, quibus hoc datum esset à Patre, ut insigni virtute primum locum mererentur, videlicet ut omnibus adderet stimulos ad summa contendendi: *Calicem quidem, inquit, meum bibetis, caterum ut sedeatis, alter ad dexteram mihi, alter ad lævam, non est meum dare* his aut illis, *sed hæc iis continget, quibus datum fuerit à Patre meo.* Ut quisque certaverit, ita feret præmium. [24] Hæc quum ex intervallo audissent cæteri decem, indignati sunt duobus fratribus, quod immodicam dignitatem sibi postulassent. Nondum acceperant Spiritum Sanctum: adhuc humanis quibusdam ducebantur affectibus, ambientes, & invicem subinvidentes. Atque his affectibus Jesus diu passus est suos esse obnoxios, quo penitus eos eximeret ex animis omnium, qui in Apostolorum vices essent successuri. Putabant autem & gaudebant ideo postulationem Joannis & Jacobi fuisse rejectam à Domino, non quod carnalia quædam somniarent, quum ageretur de regno spirituali: sed quod honorem petissent meritis suis majorem, quem alii sibi potius deberi putabant. [25] Jesus igitur sicut retudit ambitionem stulte postulantium, quod nescirent quale esset quod postulabant: ita livorem & indignationem cæterorum repressit, ex eodem ambitionis fonte scatentem, aperiens longe diversam esse rationem regni mundani & regni Euangelici. Illic enim qui minor est premi tyrannide potentioris: hic primatum nihil aliud esse quam summum studium benefaciendi omnibus. Ibi ut quisque superbissimus est, ita videri maximum: hic nullum esse submissiorem animo quam qui maxime meretur esse primus. Hanc doctrinam ut omnium animis infigeret, vocavit & cæteros Apostolos ad se: *Scitis*, inquit, *quod qui principatum gerunt inter gentes, dominatum ac tyrannidem exercent in illos quibus imperant: & qui primates sunt, potestatem suam exercent in sibi subjectos.* Nam populi malo, suæ consulunt auctoritati, eaque curant non quæ conducant multitudini, sed quæ faciant ad strepitum fortunæ gloriæque suæ. [26] *At non convenit itidem fieri inter vos, sed quicunque voluerit inter vos gerere principatum, sit omnium minister*, non sibi gerens honorem, sed populo, cui præsidet. [27] *Et qui voluerit inter vos habere primum locum, sit omnium servus atque infimus.* Nec enim in aliud sumit sibi primum locum, nisi ut omnium commodis inserviat, nihil inde venans, nec honoris, nec compendii. [28] Quod si vobis durum videtur, me videte. Quum enim Dominus sim ac magister vester, & (ut vere profitemini) Filius Dei, tamen non arrogo mihi dignitatem, nec mea potestate abutor in commodum meum: sed ideo veni, ut omnium commodis subserviam, adeo ut nec vitam graver impendere, quo jactura unius animæ multas redimam. Inter hos igitur qui sunt hoc affectu, nec est cur quisquam ambiat honorem, nec est cur quisquam invideat alteri dignitatem. Quis enim illi invideat, qui nihil aliud studet, quam alteri prodesse, vel vitæ suæ dispendio? His etiamsi defertur honor, hunc non arrogant sibi, sed Deo transcribunt.

26 *Non ita erit inter vos: sed quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister:*

27 *Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.*

28 *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.*

[29] Quum autem una cum discipulis exiret Hiericho, sequuta est illum ingens hominum turba. [30] Et ecce juxta viam sedebant duo cæci: qui cum ex strepitu sensissent immensam esse multitudinem, & percunctati quidnam esset, cognovissent adesse Jesum, qui illac faceret iter: cum illum videre non possent, nec si vidissent, adire liceret præ turba, magna voce compellarunt Jesum, dicentes: *Domine miserere nostri Jesu fili David.* Dissimulavit clamorem illorum Jesus, quo magis esset omnibus perspicua fides & ardor illorum. [31] Turba videns Jesum ad clamorem nihil respondere, ac suspicans hoc illi molestum esse, quod duo cæci mendici publici sic ooclamarent auribus ipsius, increpabat eos, jussitque tacere. At illi constanti fiducia erga Jesum, quem audierant esse beneficum in omnes, clarius etiam vociferabantur, ingeminantes: *Domine miserere nostri fili David.* [32] Jesus igitur ubi satis spectatam reddidisset omnibus illorum fidem, nosque illorum exemplo docuisset, ferventer & constanter pulsandas aures Dei, si quid velimus impetrare, constitit, quandoquidem illi sequi non poterant, nisi clamore tantum, jussitque illos venire ad se. Ad vocem veniunt. Rogat eos Jesus, quid sibi vellent tanto clamore, quidque sibi vellent ab ipso præstari. Non ignorabat Jesus quid optarent, sed vitium, quo tenebantur, voluit omnibus esse notum ipsorum confessione, quo certior esset miraculi fides. [33] Domine, inquiunt, volumus ut per te aperiantur oculi nostri. Hæc cum magno dicunt affectu, declarant sibi molestissimam esse cæcitatem. Et luci proximus est, quem vehementer tædet suæ cæcitatis. [34] Tum Jesus vultu quoque ipso & oculis præ se ferens affectum misericordiæ, quo decet unumquemque virum Euangelicum indolescere malis alienis, tetigit oculos eorum. Moxque apertis oculis viderunt, simulque cum cæteris sequuti sunt Jesum. Ita sanat animum, cupiditatibus mundanis excæcatum, suo contactu Jesus, & in hoc datur lumen, ut illius sequamur vestigia.

29 *Et egredientibus illis ab Jericho, secuta est eum turba multa:*

30 *Et ecce duo cæci sedentes secus viam audierunt quia Jesus transiret: & clamaverunt, dicentes: Domine miserere nostri, fili David.*

31 *Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miserere nostri, fili David.*

32 *Et stetit Jesus, & vocavit eos, & ait: Quid vultis ut faciam vobis?*

33 *Dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi nostri.*

34 *Misertus autem eorum Jesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt, & secuti sunt eum.*

25 *Jesus autem vocavit eos ad se, & ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum: & qui majores sunt, potestatem exercent in eos.*

23 *Ait illis: Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.*

24 *Et audientes decem, indignati sunt de duabus fratribus.*

CAP. XXI.

Adventus Christi: vendentes: arida ficus: Hæredem occidunt: anguli & ipse lapis.

[1] JESVS igitur progrediens Hierosolymam, hoc sedulo agebat cum discipulis, ut animis illorum infigeret se scientem ac volentem ire in mortem, neque quenquam nociturum ipsi fuisse, si voluisset resistere. Ideo toties inculcarat sibi eundum Hierosolymam, & illic oppetendam mortem. Quod enim aliquoties visus est se subducere periculo, non erat formidinis, sed erat servantis se tempori præfinito à Patre. Quod cum id temporis adesset, non solum non latitat, sed ultro se ingerit, & ita se ingerit, ut

1 *Et cum appropinquassent Jerosolymis, & venissent Bethphage ad Montem oliveti: tunc Jesus misit duos discipulos.*

Digitized by Google

ut novitate pompæ totius urbis animos in se concitaret. Nec cessat interim à miraculis, nec cessat à veritate prædicanda: quin & liberius insectatur vitam Pharisæorum, & negotiatores ejicit è Templo, quibus rebus sciebat omnium illorum animos vehementius irritandos. Quos quia benefactis provocavit in se, non illos fecit innoxios, sed facultatem dedit, ut quod volebant facere, possent etiam. Ergo jam vicinus urbi Hierosolymorum, venit in montem olivarum, ubi visum est instruere novam adventus sui pompam, qua fastum hujus mundi quodammodo derisit, & discipulis adhuc infirmis, aliquod solatium præbuit hoc spectaculo, quo moderatius ferrent Domini sui mortem. [2] Ex hoc igitur monte legavit duos è discipulis, dicens: *Ite*, inquit, *in oppidulum, quod vobis est ex adverso: & statim ingressi, reperietis illic asinam alligatam, & pullum cum ea*, cui nullus adhuc hominum insedit: *solvite utrumque, & adducite huc ad me.* [3] *Et si quis aliquid dixerit vobis*, rogans, cur solvitis, quo, cuive adducitis, *nihil aliud respondete, quam Domino his opus esse. Ad hanc vocem statim illi sinent abduci.* [4] Hæc partim ideo facta sunt, ut intelligerent illi nihil esse incognitum, & habere potestatem imperandi quibuscunque vellet, & quicquid vellet, si voluisset uti viribus suis: partim ut Judæi vel hoc argumento agnoscerent illum esse Messiam, quod viderent hunc novum ingressum olim à Zacharia Propheta fuisse prædictum. Sic enim ille vaticinatus est: [5] *Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus & humilis, insidens asinæ, & pullo filio subjugalis.* [6] *Abiere discipuli, compereruntque quicquid ipsis prædixerat Jesus.* Statim ad mentionem Domini, dimissa sunt jumenta, cum nec Dominus adesset, nec discipuli quicquam auctoritatis præ se ferrent. Non noverant quidem, sed tamen senserunt illum Dominum omnium hoc jubere. [7] Discipuli quo commodius sederet Dominus, instraverunt pallia sua, atque ita collocarunt eum in tergo pulli, qui typum habebat Ethnicæ nationis, immundæ, & omnibus malis cupiditatibus turpiter servientis, quæ contecta virtutibus Apostolicis, & recepto in tergum Domino Jesu, desiit esse immunda, desiit servire pristinis vitiis, facta jumentum ejus, qui purgat & sanctificat omnia. Asina mater est pulli, quia salus ex Judæis: sed hæc erat alligata litteræ Legis, erat nuda virtutibus Euangelicis, sed jussu Domini solvuntur utrique, & Apostolicis vestibus operiuntur. Hæc nondum intelligebant Apostoli, sed tamen hoc jam designabatur post intelligendum. [8] Ubi vero Jesus jam venisset ad radicem montis, ingens hominum multitudo progressa est illi obviam, ex Hierosolymis. Tantus autem erat turbæ quoque favor, ut plerique vestibus suis viam consternerent, nonnulli ramos, ex arboribus resectos, sternerent in via. [9] Porro catervæ, quæ præcedebant & quæ sequebantur, adgratulantes acclamabant illud è vaticinio Psalmi: *Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis.* Alii clamabant: *Benedictum quod venit regnum patris nostri David.* Alii: *Benedictus qui venit Rex Israel*, laudabantque Deum pro miraculis, quæ viderant edita per Jesum. Hoc honoris Dominus Jesus, qui semper humilis vixerat, sibi passus est exhiberi, quo declararet sibi non defuturam fuisse gloriam hujus mundi, nisi maluisset eam adspernari, quam amplecti. Quo turpius videretur, hoc affectari ab iis qui se discipulos illius profitentur, quod ille sprevit, qui solus promeruit. Decuit tamen honos hic adventum ejus, qui morte sua redemturus erat orbem universum.

[10] Hac igitur nova pompa *cum Jesus ingressus esset Hierosolymam*, insolito spectaculo *commota est universa civitas, dicens: Quis est hic?* [11] *Turbæ*, quæ illum comitabantur, *respondebant: Hic est Jesus Prophetæ, natus in Nazareth civitate Galilææ.* Hoc illis visum est præclarum elogium, quum procul abesset ab illius magnitudine. Nihil enim populus adhuc de illo suspicari poterat supra hominem. Et ita consulto Christus temperaverat vitam suam, ne palam proderet divinam naturam, quam frustra persuasisset, si vidissent illum postea subire mortem. [12] Hoc igitur strepitu Jesus ingressus est Templum, atque ibi mox regnum quoddam agere cœpit. Quum enim videret in Templo, mercatus ac fori speciem; alios vendentes, alios ementes, assidentes nummularios, Jesus indignitate rei commotus, juxta illud Prophetæ, Zelus domus tuæ comedit me, facto è funiculis flagello, expulit omnes ementes ac vendentes è Templo una cum suis mercibus. Mensas nummulariorum evertit, & æs in terram effudit, sellas vendentium columbas disjecit; indignationis suæ justam causam ex Esaia proferens, qui ait sub persona Dei: [13] *Domus mea, domus precationis vocabitur: vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Hoc facto longe aliud significabat Jesus: nec enim illum tantopere commovebat Templum illud mercimoniis boum, ovium, hircorum, & columbarum profanatum, sed ostendere voluit, avaritiam & quæstum fore capitalem pestem Ecclesiæ suæ, quam Templum illud, cujus religio mox erat abolenda, figurabat. Tum enim Templum, quod immolandis Deo victimis spiritualibus consecratum est, vertitur in speluncam latronum, quando sub prætextu religionis ac sacerdotii spoliatur populus. Nihil autem illic sincerum ac sanctum esse potest, ubi regnat pecuniæ studium. Atque hoc malum jam fit intolerabile, quando sub tecto Templi committitur: quando rapina tegitur religionis umbra. In nullum hominum genus acrius sæviit Jesus, sed hos ipse sibi servavit ejiciendos, cum videbitur. [14] Tum accesserunt ad Jesum in Templo cæci & claudi, quos Lex arcebat ab ingressu Templi; sed Jesu templum omnes recipit qui properant ad sanitatem. Venerunt enim cæci, ut visu recepto viderent Jesum, quem audiebant sic prædicari. Veniebant claudi, ut illius vestigia sequentes, pervenirent in regnum cœlorum. Quotquot igitur adibant illum, sanabat. [15] His rebus, quibus oportebat illos tandem resipiscere, magis etiam exarserunt invidia primores Sacerdotum & Scribæ, quum viderent tantis studiis undique applaudentem populum, & præsentem vim in sanandis claudis & cæcis, auctoritatem in ejiciendis mercimoniis, nemine auso resistere, pueros etiam in Templo clamantes: *Hosanna filio David.* [16] Hæc indigne ferentes submonuerunt Jesum, ut eum clamorem compesceret, alioqui fore, ut videretur agnoscere tantum honoris, quo judicabant illum indignum: quum magis ipsorum fuerit, ipsum magnificentius prædicare, qui natu grandes ac Legis & oraculorum periti, ex conspectis tot miraculis intelligere poterant hunc esse Messiam, quem tot seculis exspectaverant. Nunc pueri naturæ instinctu, vel potius afflatu Numinis, hoc sonabant quod intelligere per ætatem non poterant. Proinde cæci invidia, & ira temulenti dicunt illi: *Audis quid isti dicunt?* At Jesus Scripturæ testimonio illis os obturaturus: *Nunquam*, inquit, *legistis: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?* Vultis igitur ut his occludam ora, quæ Deus ad laudandam gloriam suam aperuit? Dico vobis, adeo Deus non patietur per vestram invidiam sileri laudes suas, ut si isti tacerent, lapides ipsi sint clamaturi, quibus vos estis duriores. [17] His igitur cum suo livore relictis abiit Jesus, & egressus urbem Hierosolymorum petiit Bethaniam. Atque ibi commoratus est.

[18] *Mane cum rediret in civitatem inter eundum cœpit esurire.* [19] *Quumque vidisset arborem ficum proximam via, accurrit ad eam, quasi sperans cibum. Quum autem venisset ad eam, nihil invenit in ea præter*

2 *Dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est, & statim invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: solvite, & adducite mihi:*

3 *Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet: & confestim dimittet eos.*

4 *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem:*

5 *Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subjugalis.*

6 *Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Jesus.*

7 *Et adduxerunt asinam, & pullum: & imposuerunt super eos vestimenta sua: & eum desuper sedere fecerunt.*

8 *Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via: alii autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via:*

9 *Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna filio David: benedictus, qui venit in nomine Domini: hosanna in altissimis.*

10 *Et cum intrasset Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens: Quis est hic?*

11 *Populi autem dicebant: Hic est Jesus propheta à Nazareth Galilææ.*

12 *Et intravit Jesus in templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes & ementes in templo; & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit:*

13 *Et dicit eis: Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.*

14 *Et accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo: & sanavit eos.*

15 *Videntes autem principes sacerdotum, & Scribæ, mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hosanna filio David: indignati sunt,*

16 *Et dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Jesus autem dixit eis: Utique: numquam legistis: Quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?*

17 *Et relictis illis, abiit foras extra Civitatem in Bethaniam: ibique mansit.*

18 *Mane autem revertens in Civitatem, esuriit.*

19 *Et videns ficiarborem unam secus viam, venit ad eam: & nihil invenit in ea nisi folia tantum, & ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiter-*

Digitized by Google

num. Et arefacta est continuo ficulnea.

20 Et videntes discipuli, mirati sunt, dicentes: Quomodo continuo aruit?

21 Respondens autem Jesus, ait eis: Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis, Tolle, & jacta te in mare, fiet.

22 Et omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis.

23 Et cum venisset in templum, accesserunt ad eum docentem, principes sacerdotum, & seniores populi, dicentes: In qua potestate hæc facis? Et quis tibi dedit hanc potestatem?

24 Respondens Jesus dixit eis: Interrogabo vos & ego unum sermonem: quem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua potestate hæc facio.

25 Baptismus Joannis unde erat? è cælo, an ex hominibus? At illi cogitabant inter se, dicentes.

26 Si dixerimus, è cælo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus, timemus turbam: omnes enim habebant Joannem sicut prophetam.

27 Et respondentes Jesu, dixerunt: Nescimus. Ait illis & ipse: Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio. 28 Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie, operare in vinea mea. 29 Ille autem respondens, ait: Nolo. Postea autem, pœnitentia motus, abiit. 30 Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: Eo domine, & non ivit. 31 Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis Jesus: Amen dico

ter folia. Itaque velut indignans, quod spe delusus esset, *exsecratus est eam, dicens: Ne quis posthac ex te fructum videat in æternum.* 20 *Quum autem eadem redirent discipuli, videntes ficum, cui imprecatus fuerat Jesus, jam foliis positis exaruisse, admirati sunt, dicuntque ei: Ecce ficus, quam exsecratus es, jam exaruit.* Atque ob hoc ipsum Jesus id erat passus fieri, ut discipulis etiam atque etiam inculcaret fidem, quæ nisi accederet, sciret mortem quoque suam infrugiferam fore mortalibus. Sitiebat enim majorem in modum salutem humani generis, & jam mortis tempus adesse cupiebat. Sed quum in Judæis inveniret speciem religionis, fidei fructum, quem unice esuriebat, non inveniebat. 21 Discipulis igitur admirantibus de ficu subito arefacta, respondit hunc in modum: Quid hoc admiramini, quod non est magnum, exarescere arborem? Fidei vis majora potest. *Quam si fortem & constantem habueritis, non solum facietis quod vidistis accidisse ficui, verum etiam si dixeritis huic monti, submove te de loco, & abi in mare, illico fiet quod jusseritis.* 22 *Et omnino quicquid petieritis in precationibus vestris, modo adsit fiducia, impetrabitis.*

23 *Quum autem Jesus templum ingressus doceret populum*, non ferentes eum illic in suo regno regnare impune, *primores Sacerdotum & quidam ex populi senioribus adeunt illum, & ajunt: Quanam auctoritate facis ista? Aut quis tibi tradidit istam potestatem?* Quum enim nullus hominum illi tradidisset eam auctoritatem, supererat ut aut diceret sibi à Deo traditam, aut à Beelzebub. Si dixisset à Deo, verum quidem dixisset, sed nihil aliud quam eos irritasset. Non enim ideo rogant ut credant, quod ex ipsa re poterant perspicere, sed ut calumnientur. 24 Jesus igitur hujus rei non ignarus, quæstionem quæstione, veluti clavum clavo repulit. *Percunctabor, inquit, & ego vos quiddam, ad quod si mihi responderitis, tum respondebo quæstioni vestræ.* 25 *Auctoritas, qua baptizavit Joannes, unde venerat illi, è cælo, an ex hominibus?* 26 At illi deliberabant apud se, quid essent responsuri. Videbant enim quæstionem esse bicornem, ut in alterum cornu necesse esset incidere. *Cogitabant autem, si dixerimus è cælo, continuo dicet nobis: Quare igitur non credidistis illi*, siquidem ille prædicavit regnum Dei, & de me testimonium perhibuit. *Sin dixerimus ex hominibus, metuenda est populi seditio, quod omnes persuasum habeant Joannem fuisse prophetam.* 27 *Itaque* ne caperentur, *responderunt se nescire. Tum Jesus: Nec ego, inquit, dico vobis, unde mihi sit hæc auctoritas.* 28 At quoniam simplex ac manifesta percunctatio non potuit elicere confessionem veri, proponit Jesus aliam sub ænigmate, ut imprudentes contra se ferrent sententiam: *Quid*, inquit, *vobis videtur* de eo, quod nunc propositurus sum? *Cuidam erant duo filii. Is accedens ad alterum, dixit: Fili, abi, & hodie operare in vinea mea. Ille proterve respondit, nolo.* 29 *Sed idem mox pœnitentia tactus, abiit in vineam.* 30 *Pater itidem accedens ad alterum, ait: Abi, & hodie labora in vinea mea. Ille promte respondet: En abeo Domine, nec abiit tamen.* 31 *Ex his igitur duobus uter videtur satisfeciisse voluntati paternæ? Illi* non intelligentes, quorsum hæc tenderent, *responderunt: Prior* ille, qui mox resipiscens abiit in vineam. *Tum Jesus* in ipsos retorquens parabolam: *Profecto vere dico vobis, quod publicani & meretrices præcedunt vos in regnum Dei.* Illi prius rebelles Deo impia vita, tamen illico tacti pœnitentia, obtemperarunt Euangelicæ doctrinæ. Vos, qui titulo ac professione estis

A populus Dei, quique & olim dixistis, & hodie dicitis, omnia quæcunque dixerit Dominus faciemus, quique semper habetis in ore præcepta Dei, & Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini, tot modis provocati, non potestis ad pœnitentiam permoveri. 32 Venit enim Joannes ostendens vobis viam justitiæ & iram divinam imminere, securim admotam arboris radicibus, ni statim resipischeretis. Vidistis publicanos & meretrices, homines vestro judicio deploratos, obtemperarunt illi. Vos nec singulari Joannis sanctimonia, nec illius salubri B doctrina, nec minis, nec exemplo publicanorum ac meretricum provocari potuistis ad pœnitentiam. Ita fit, ut illi fide præripiant vobis regnum Dei, vos frustra Deum ore profitentes, ob incredulitatem animi vestri excludamini.

33 Addidit alteram parabolam, æque obscuram, qua tacite recenset, & ob oculos ponit insignem illorum ingratitudinem, qui tot Dei beneficiis provocati, non solum non resipuerint, verum etiam Prophetas alios post alios, qui missi fuerant, ut ad illorum prædicationem aliquando resipiscerent, crudeliter trucidarunt. Nec hoc contenti, ipsum denique Dei Filium essent trucidaturi, idque ejectum è vinea, locum obiter indicans ubi erat crucifigendus. C Quo sermone declarat, & illorum invincibilem malitiam indignam esse venia, cum nihil esset omissum, quod illos ad meliorem mentem posset revocare: & se nihil ab illis passurum, quod non præscierit. Parabola sic habebat: *Erat*, inquit, *quidam paterfamilias, qui plantavit vineam, ei circumdedit sepem, & fodit in ea lacum* excipiendo musto è botris expresso, *& exstruxit in ea turrim* ad vineæ custodiam, *atque* ita pulchre instructam *locavit agricolis*, ut bona fide colerent, reddituri fructus Domino. *Hoc facto, profectus est peregre.* 34 *Caterum cum appeteret tempus colligendi fructus, misit servos suos, ut ab illis acciperent fructus.* 35 *At agricolæ* non solum D non dederunt fructus debitos, verum etiam *servis injecerunt manus, & alios pulsarunt, alios occiderunt, alios lapidarunt.* 36 *Hoc cognito, paterfamilias* non statim vocavit eos ad supplicium, sed exspectans ut resipiscerent, *misit ad illos majorem numerum servorum, quam antea miserat:* sperans fore ut multitudine coerciti, facerent officium suum. *At illi nihilo mitius tractaverunt hos quoque quam illos priores tractaverant.* 37 Tulit & hoc facinus paterfamilias, *ac postremo*, quo vinceret eos lenitate sua, *misit ad illos filium suum, dicens* apud se: Quanquam sævierunt in servos meos, tamen *reverebuntur saltem filium meum*, cum eum viderint adesse. 38 *At agricolæ*, quo E magis provocabantur ad resipiscentiam, hoc magis irritabantur ad sævitiam. *Quum* enim *vidissent filium*, adeo non sunt illum reveriti, ut mox inierint consilium de occidendo eo, *dicentes: Hic est hæres, venite, occidamus eum, & occupabimus hæreditatem illius.* 39 *Moxque injecerunt illi manus, & protractum extra vineam occiderunt.* 40 *Cum igitur*, inquit, *venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?* 41 *Respondent Pharisæi: Malos male perdet, & vineam suam locabit aliis, qui bona fide reddant locatori fructum temporibus suis.* Sic illi decepti ænigmate ore proprio sese condemnant, pronuntiantes sese ob in- F vincibilem animi pravitatem dignos esse supplicio, & merito gentes esse recipiendas ad Euangelii gratiam, meliore fide culturas vineam quam illi coluissent.

42 Sub hæc Jesus subindicans, se quidem illorum perversitate damnatum ac rejectum, moriturum ignominiosa morte, cæterum resurrectione per vir-

vobis, quia publicani, & meretrices præcedent vos in regnum Dei.

32 *Venit enim ad vos Joannes in via justitiæ, & non credidistis ei: publicani autem, & meretrices crediderunt ei: vos autem videntes nec pœnitentiam habuistis postea, ut crederetis ei.*

33 *Aliam parabolam audite: Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregre profectus est.*

34 *Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus.*

35 *Et agricolæ, apprehensis servis ejus, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt.*

36 *Iterum misit alios servos plures prioribus, & fecerunt illis similiter.*

37 *Novissime autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum.*

38 *Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hereditatem ejus.*

39 *Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam, & occiderunt.* 40 *Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?* 41 *Ajunt illi: Malos male perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* 42 *Dicit illis Jesus: Numquam legistis in Scripturis: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris?*

Digitized by Google

43 *Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.*

44 *Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum.*

45 *Et cum audissent principes sacerdotum & Pharisæi parabolas ejus, cognoverunt quod de ipsis diceret.*

46 *Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas: quoniam sicut prophetam eum habebant.*

tutem Patris illustrandum per universum orbem, tantaque soliditate futurum, ut quisquis in ipsum impegerit, sibi sit exitium accersiturus: ad hoc indicandum quo minus offendat, adducit prophetiam è Psalmo: *Nunquam ne*, inquiens, *legistis in Scripturis: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est hoc, & est mirabile in oculis nostris.* Significans eos ædificare synagogam, sed ejecto Christo, sine quo nullum esset firmum ædificium, sed tamen illum rejectum ab ipsis lapidem magno in pretio futurum in Ecclesia gentium. 43 Eoque subjecit Jesus: *Ideo dico vobis, auferetur à vobis regnum Dei*, quod oblatum spernitis, *& dabitur alteri genti, quæ dignos Euangelio fructus adferat.* 44 Atque ut hic lapis salutem adferet iis qui obediunt Euangelio, ita per incredulitatem repugnantibus adferet exitium. *Quisquis enim impegerit in lapidem hunc, confringetur. Rursus in quem ille inciderit, conteretur.* 45 Tandem ex hujus sermonis clausula intellexerunt primores Sacerdotum & Scribæ, quod superiores etiam parabolas, quibus decepti pronuntiaverunt adversus se sententiam, in ipsos dixisset. 46 Eoque exarserat eorum vesania, ut jam fuerint illi injecturi manus, ni metuissent populum, quod à plerisque magni fieret Jesus, ac Prophetæ loco haberetur.

CAP. XXII.

Ben Regis sponsus: census: septemque mariti: Præceptum summum: gnatus heruspque David.

1 *Et respondens Jesus, dixit iterum in parabolis eis, dicens:*

2 *Simile factum est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.*

3 *Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire.*

4 *Iterum misit alios servos, dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata: venite ad nuptias.*

5 *Illi autem neglexerunt: & abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam:*

6 *Reliqui vero tenuerunt servos ejus, & contumeliis affectos occiderunt.*

7 *Rex autem cum audisset, iratus est: & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & civitatem illorum succendit.*

8 *Tunc ait servis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni.*

9 *Ite ergo ad exitus viarum, & quoscunque inveneritis, vocate ad nuptias.*

10 *Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, malos & bonos: & impletæ sunt nuptiæ discumbentium.*

11 *Intravit autem rex ut videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.*

12 *Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.*

13 *Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.*

14 *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.*

15 *Tunc abeuntes Pharisæi, consilium inierunt ut callide eum in sermone.*

16 *Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis dicentes: Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum:*

1 PORRO rursus aliam adjicit similitudinem, quo magis infigat animis illorum obstinata malitia fieri, quod rejiciantur ab Euangelica salute: quodque gentes sint occupaturæ, quo illi se reddidissent indignos. Nullum enim excludi à regno Dei, sed hoc honoris habitum esse genti Judaicæ, quod primum omnium est vocata, & vocata blande, non ad tristia aut abjecta, sed ad nuptias, hoc est, honorem, delitias, ac libertatem Euangelii. Nec solum fuisse invitatos per Prophetas, Joannem, & ipsum Christum, verum etiam post mortem per Apostolos esse vocandos: nec prius Euangelii præcones deflexuros ad gentes, quam apud suos diu pro suo officio multis ludibriis ac pœnis fuerint affecti: ut nulli queant imputare, quod postea tot calamitatibus puniantur, qui toties oblatam Dei benevolentiam spreverint. 2 Similitudo sic habet: Regnum, inquit, cœlorum per vos simile factum est cuidam Regi, qui filio suo nuptiale convivium exhibiturus, 3 emisit servum suum, qui multos invitaret ad nuptias filii sui. At illi semel vocati, noluerunt venire. 4 Tum Rex misit complures servos, qui diligentius etiam illos invitarent, ut properarent ad nuptias jam paratas, quique suis verbis dicerent illis: Ecce prandium apparatum est, tauri mei & altilia mea occisa sunt, cæteraque omnia parata sunt. Nihil supereſt nisi ut veniatis, ne ista sint frustra parata. 5 At illi rursum neglexerunt invitantem. Et quum instarent invitatores, alius aliud excusabat: hic sibi visendam villam, quam nuper emisset: ille sibi boves inspiciundos, quos esset mercatus: alius sibi nuper ductam uxorem, à qua divelli non sustineret. Atque hi tantum sibi dementes erant, qui tam felici convivio prætulerint curas quasdam rerum fluxarum, viles ac sordidas. 6 Sed alii crudelitatem addiderunt ingratitudini: servos enim Regios, qui semel atque iterum invitabant ad tantum honoris, multis affectos contumeliis, tandem etiam occiderunt. 7 Id factum ubi Rex audisset, vehementer est indignatus: videlicet lenitate spreta sese vertente in furorem: missisque satellitibus suis, perdidit homicidas illos: nec hoc contentus, civitatem illorum succendit igni. Hæc autem dixit Jesus, tecte illis prædicens excidium urbis Hierosolymitanæ, moxque innuit, undique vocandas ad Euangelium gentes, utpote Judæis meliores. 8 Tunc inquit servis suis: Nuptiæ sunt paratæ: sed quoniam qui vocati sunt, declararunt se indignos hoc convivio, quod ipsis tamen potissimum apparaveram: 9 discurrite quoquoversum, per compita & trivia, citraque delectum, quoscunque repereritis, dignos, indignos, debiles, mancos, cæcos, claudos, vocate ad nuptias, donec domus mea impleatur. 10 Egressi servi, congregarunt promiscuam multitudinem, undiquaque collectam, & impletum est convivium discumbentibus. Post hæc Jesus quoniam superius ostenderat graves pœnas daturos esse Judæos, qui toties vocantes Apostolos afflixerint, ac demum occiderint: subindicat & illos manere grave supplicium, qui semel professi vitam Euangelicam, redirent ad pristinæ vitæ sordes. 11 Ingressus est, inquit, Rex ut videret discumbentes convivas: ac inter cæteros vidit ibi quendam non indutum veste nuptiali: 12 Amice, inquit, quomodo huc intrasti, quum non habeas vestem nuptialem? At ille confusus obmutuit. 13 Tunc Rex præcepit ministris, ut illum vinctis manibus ac pedibus, procul à convivio submotum conjicerent in densissimas tenebras, ubi fletus est, & stridor dentium: dignitate videlicet, luceque convivii, in carcerem abjectissimum, & voluptate summa in summum cruciatum commutata. 14 Porro quum plurimi sint vocati, pauci tamen sunt electi. Ultro vocantur omnes, sed electi non sunt, nisi qui vocati parent, quique usque in finem respondent divinæ erga se beneficentiæ, in pietatis Euangelicæ studio perseverantes.

15 His parabolis ubi se sentirent perstringi, adeo non sunt compuncti ad pœnitentiam, ut nihil jam aliud cogitarent animis, quam de occidendo Jesu. Tantum malum est livor & ambitio. Aderat illis homicidii voluntas, sed deerat oportunitas. Non metuebant Deum talium facinorum ultorem, sed metuerunt populum. Visum est igitur illis ingredi diversa via, sicque rem cuniculis agere, ut invidia facti in Cæsarem ac Cæsaris præfectos derivaretur. Igitur in præsentia quidem ira dissimulata abeunt: cæterum communicato inter ipsos consilio, placuit ut Jesus per subornatos proposita quæstione, ex responso caperetur, fieretque obnoxius Principibus: ut per illos veluti majestatis reus, ac seditionis auctor occideretur, causa nihil ad Pharisæos attinente. Commentum autem erat hujusmodi. Quum Judæa jam cœpisset esse tributaria Romanis, præfectus est ab Augusto censui colligendo Rex Herodes Antipatri filius. Atque hac de re non erat omnium eadem sententia. Quibusdam enim indignum videbatur, populum Deo sacrum, pendere tributum Principibus idololatris. Atque hac in sententia erant, qui Pharisæis adhærebant. Rursus erant qui Cæsari faventes, dicerent oportere solvi tributum: & hujus opinionis defensores, Herodiani dicti sunt, quod Herodes tributi colligendi præfectus esset. Exstiterant autem paulo ante duo quidam, Theudas & Judas, qui dum palam defenderent, Judæos populum Deo dicatum, non debere tributum cuiquam profano Principi, velut seditiosi, supplicio sunt affecti. Sperabant autem Pharisæi, ut Christus religioni favens magis quam Cæsari profano & impio, solita libertate pronuntiaret adversus Herodianos, non esse pendendum tributum Cæsari, moxque per illos deferretur Herodi, daturus pœnas, quas ante Theudas & Judas dederant. Quod si pronuntiasset esse reddendum tributum, jam calumniarentur illum adulari Principibus impiis, minus faventem religioni divinæ. 16 Subornant igitur aliquot è suis discipulis, qui præsentibus Herodianis, ac frequente hominum multitudine, ne res careret testibus, fucate blanda oratione illum in nassam illiciant. Tanta erat cæcitas, ut toties re frustra tentata, non conquiescerent. Nec pudet inconstantiæ, qua nunc Magistrum appellant, quum antea calumniati sint illum spi-

Digitized by Google

spiritum habere Beelzebub. Et libertatem illius collaudant, ne vereatur Herodianos offendere: Magister, inquiunt, novimus te veracem esse, nec assentari cuiquam, nec mentiri quicquam: sed magna cum libertate doces, quod Deo placitum est, non quod hominibus videtur. Non enim vereris quenquam mortalium, nec est apud te respectus personarum. [17] Dic igitur nobis quid tibi videatur: fas est ut Judæorum populus, divinæ religioni deditus, pendat censum Cæsari, an non? Et dabimus posthac, an non dabimus? [18] Jesus autem ut ostenderet se non fallere illorum insidiosam blandiloquentiam, ita temperavit responsum admirabili sua sapientia, ut neutri factioni se redderet obnoxium; sed utramque moneret, quod magis ad illorum salutem attineret: nimirum ut Deo Principi summo solverent censum pietatis. Quid me, inquit, tentatis hypocritæ? [19] Ostendite mihi numisma census. Conabantur enim Jesum illaqueare verbis ipsius. Ille vicissim eos illaqueat, ex ipsorum responsis. Obtulerunt igitur denarium, qui Cæsaris habebat imaginem, ac titulum. [20] Utque declararet se non in hoc venisse, ut leges ferret hisce de rebus, quæ nihil attinebant ad pietatem, quæque pro tempore aut recte fieri possent, aut secus, nummo conspecto, quasi parum agnosceret ejusmodi litteras atque imagines, qui cœlestia tractabat, rogavit, cujus esset inscriptio, & cujus imago. [21] Responsum est: Cæsaris. Tum Jesus: Reddite igitur, inquit, Cæsari, si qua sunt Cæsaris: sed imprimis reddite Deo, quæ sunt Dei: significans nihil officere pietati, si quis Deo dicatus, det profano Principi tributum, etiamsi non debeat, malens obsequi, quam provocare: præsertim in ea re, quæ pauperiorem reddit, non impium. Alioqui si exigat, quod nos reddat impios, non jam Cæsaris tributum est, sed Diaboli. [22] Hoc audito responso, admirati sunt: primum quod intelligerent illum non latuisse dolosum commentum: deinde prudentiam admirabilem, cui frustra tenderet insidias humana versutia. Mirati sunt quidem, sed non sunt immutati. Et relicto eo, desiere provocare, quem vincere non poterant, sed non desierunt odisse, quem amare debebant.

[23] Pharisæis igitur & Herodianis digressis, adoriuntur eum Sadducæi. Ea factio est apud Judæos crassior & indoctior, dissentiens in hoc à Pharisæis, quod negant esse resurrectionem: adeo, ut nec Angelos esse credant, nec animas exstare semotas à corpore: nihil esse putantes, quod non videtur. Hi quum audissent Christum crebro meminisse vitæ æternæ, & futuri seculi, ac resurrectionis justorum: adoriuntur illum, experimentum facturi, utrum cum Pharisæis sentiret, an sibi contraria doceret: ut vel carperent illum, si secum pugnaret, vel irriderent, si cum Pharisæis sentiret. [24] Objiciunt igitur hujusmodi problema: *Magister*, inquiunt, *Moses hanc legem edidit: Si quis uxore ducta decesserit absque liberis, ut defuncti frater ducat à fratre relictam viduam, & cum ea congressus suscitet posteritatem fratri defuncto.* [25] *Fuerunt autem apud nos fratres septem, quorum primus uxore ducta, defunctus est absque liberis.* [26] *Hanc duxit proximus frater, qui & ipse decessit absque liberis. Similiter accidit & tertio, & quarto, usque ad septimum, omnes decesserunt absque liberis.* [27] *Tandem mortua est & mulier*, quæ fuerat septem fratribus nupta. [28] *Itaque in resurrectione quis omnium habebit hanc uxorem?* neque enim potest esse communis omnium: *& omnes ex æquo duxerunt.* [29] Ad hanc interrogationem, quoniam plus habebat ignorantiæ, quam malitiæ, Jesus dignatus est respondere. Etenim qui per inscitiam errat, dignus est qui doceatur. Cæterum qui mera malitia scisciantur, indigni sunt responso: Erratis, inquit, qui Scripturas legitis quidem, at non intelligitis: & nihil imaginantes supra res corporeas, quas videtis, nescitis virtutem Dei, qui mirabilior est in his quæ non videntur. [30] Hîc ubi vices sunt nascentium ac morientium, conjugium adhibetur ad propagationem humani generis. Cæterum ubi jam erit absorpta mortalitas, & homines erunt spirituales, quod futurum est in resurrectione, quæ nos reddet, eosdem quidem, sed immutatos: neque ducet quisquam uxorem, neque nubet ulla. Nihil enim illic opus est coitu, ubi mors non erit. Cæterum qui peculiariter ad resurrectionem justorum pertinent, sic vivunt absque nuptiis, quemadmodum vivunt Angeli Dei in cœlo: jam hîc pro sua virili meditantes, quod in resurrectione sunt futuri. Malunt enim animas Deo gignere quam corpora mundo. [31] Post hæc tacite notans hanc tam absurdam quæstionem esse natam ex falsa persuasione, qua credebant nullam esse resurrectionem, non dedignatur & hanc opinionem ex animis illorum revellere, docens & hoc ex Mosi libris colligi, cujus auctoritate fuerant aggressi Jesum. Cur autem perperam sentitis, inquit, de resurrectione mortuorum, quasi non & hanc palam docuerit Moses, cujus scripta crasse parumque attente legitis? An non legistis quid apud hunc loquatur Deus? [32] *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob.* Hi si toti perissent morte corporum, non diceret se esse Deum illorum, sed fuisse. Quod si est Deus illorum, utique vivunt illorum animæ, vivunt & ipsi toti quodammodo spe resurrectionis futuræ. Deus est vita, nec est Deus mortuorum, qui jam esse desierunt, sed vivorum. Ita docuit illos esse quidem resurrectionem, sed non esse talem qualem imaginabantur esse, cum proponerent stultam de septem fratribus quæstionem. [33] Populus autem cum vidisset omnibus obturari os prudentibus responsis, admirabantur ejus efficacem & expromtam doctrinam.

[34] Non displicuit Pharisæis, quod os obstruxisset Sadducæis, præsertim in argumento, in quo velut ex diametro inter sese dissident. [35] Ergo cum viderent illos obmutuisse, exprobrata etiam inscitia Scripturarum, rursum veluti recepto spiritu sese Pharisæi conglomerant, ac unum quendam Legis peritum subornant, qui docta videlicet quæstione Christum adoriretur, quo vel illum argueret inscitiæ, vel ipse laudem eruditionis auferret: [36] *Magister*, inquit, *quod est præcipuum ac maximum præceptum in Lege?* [37] Jesus ostendere volens illos, qui Legis professione sese venditabant, longissime abesse à maximi præcepti observatione, qui toti flagrarent livore & odio proximi, cæterisque vitiis, quæ nihil habent affine cum sincera caritate: nec quenquam amare Deum, qui in proximum sit iniquus, respondit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua:* [38] *Hoc est primum & maximum præceptum.* [39] Quod tamen nemo vere servat, nisi servet & secundum, illi simile. Siquidem alterum ex altero pendet: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* [40] Siquidem quicquid in tota Lege præcipitur, quicquid docent Prophetæ, hoc totum in his duobus præceptis comprehenditur. Quisquis enim Deum toto pectore diligit, nihil negliget, quod ille præcepit: & qui proximum diligit tanquam seipsum, is nec furabitur, nec adulterium committet, nec falsum dicet testimonium, nec concupiscet rem alienam: in summa nihil alteri faciet, quod sibi fieri nolit. Tum Pharisæus ex tentatore jam propemodum factus discipulus, subjecit: *Vere ac recte dixisti Magister, quod unus sit Deus, quodque non sit alius præter eum, quodque hic solus supra cuncta totis cum viribus diligendus*, quodque omnes affectus nostri sint in unum illum transferendi, *quodque diligere proximum perinde atque seipsum majus sit omnibus holocau-*

17 *Dic ergo nobis quid tibi videtur, licet censum dare Cæsari, an non?*
18 *Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ?*
19 *Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium.*
20 *Et ait illis Jesus: Cujus est imago hæc, & superscriptio?*
21 *Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.*
22 *Et audientes mirati sunt, & relicto eo abierunt.*
23 *In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem: & interrogaverunt eum.*
24 *Dicentes: Magister, Moyses dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, & suscitet semen fratri suo.*
25 *Erant autem apud nos septem fratres: & primus, uxore ducta, defunctus est: & non habens semen, reliquit uxorem suam fratri suo.*
26 *Similiter secundus, & tertius, usque ad septimum.*
27 *Novissime autem omnium & mulier defuncta est.*
28 *In resurrectione ergo cujus erit de septem uxor? omnes enim habuerunt eam.*
29 *Respondens autem Jesus, ait illis: Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.*
30 *In resurrectione enim, neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut angeli Dei in cœlo.*
31 *De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis.*
32 *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium.*
33 *Et audientes turbæ, mirabantur in doctrina ejus.*
34 *Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum.*
35 *Et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum.*
36 *Magister, quod est mandatum magnum in Lege?*
37 *Ait illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.*
38 *Hoc est maximum, & primum mandatum.*
39 *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum.*
40 *In his duobus mandatis universa lex pendet, & prophetæ.*

tomatis & sacrificiis. Jesus videns quod prudenter respondisset, neque pergeret insidiari, ait illi: *Haud procul abes a regno Dei.* Intelligebat enim Pharisæus quid esset optimum, tantum hoc deerat, ut affectu sequeretur, quod intellectu tenebat. Atque interim tacite mordet conscientiam quorundam Pharisæorum, qui Jesu moliebantur insidias capitales. Eoque quum illi tantum interrogassent de summo mandato, cujus observationem sibi falso arrogabant, ultro adjecit & secundum de diligendo proximo. Nondum enim suspicabantur Christum esse Deum: certe proximum, ac bene meritum negare non poterant, in quem tamen machinabantur, quod nemo sibi vellet accidere.

41 Congregatis autem Pharisæis interrogavit eos Jesus.

42 Dicens: Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei: David.

43 Ait illi: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens:

44 Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?

45 Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?

46 Et nemo poterat ei respondere verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

41 Ubi vero jam major Pharisæorum frequentia convenisset, Jesus tot quæstionibus ab illis tentatus, proposuit & illis vicissim quæstionem, obscure quidem, & per ænigma subindicans, quod post Apostolis explicandum reliquit suo tempore, sibi non solum esse naturam humanam, quam videbant, & in quam essent sævituri, verum etiam divinam, quam utcunque ex ipsis factis poterant conjectare, nisi livor, odium, ambitio, avaritia, cæteraque vitia, animos eorum excæcassent. 42 Rogat igitur simul collectos, quid illis videretur de Messia, cujus filius esset, hoc est, è cujus stirpe progenitus aut progignendus? Respondent incunctanter, *David.* 43 Tum Jesus: Quid igitur sibi vult, quod David in Psalmo mystico, Spiritu cœlesti afflatus, vocat eum Dominum, quum sit filius? ita enim scriptum est: 44 *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec reddam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* 45 Quî consistit, ut si filius est David, pater filium appellet Dominum. 46 Nec erat quisquam illorum qui posset hunc dissolvere nodum, propterea quod de divina Messiæ natura nihil adhuc suspicari poterant. Siquidem Christus ut secundum corpus humanum erat filius David: ita secundum divinam naturam Dominus erat omnium, non modo David. Neque quisquam posthac ausus est illum adoriri quæstionibus, quum viderent insidias, in illum intentas, in suum ipsorum caput recidere.

CAP. XXIII.

Commissa his cathedra est Mosis: sed væ tibi Scriba, Messia pullus Jerusalem esse negas.

1 Tunc Jesus locutus est ad turbas, & ad discipulos suos.

2 Dicens: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi.

3 Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, servate, & facite: secundum opera verò eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt.

4 Alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere.

1 QVVM igitur toties illis obstruxisset os, teste multitudine, ne prorsus illorum auctoritas concideret apud populum, cui doctores præsidebant, audiendos quidem docet, at non imitandos. Quanquam enim maxime convenit, ut qui doctoris munus suscipit, integritate vitæ fidem & pondus conciliet suæ doctrinæ, tamen non expedit omnino contemnere salutiferam alioqui doctrinam, ob doctoris improbam vitam. Reverentia, quam illorum mores non promerentur, danda est auctori, cujus præcepta recitant. Neque enim polluitur lex Dei, si per os improbi doctoris proferatur. Ipsi quidem inutilis est, sed accipienti prodest. Aversus igitur à Pharisæis Jesus, in quibus nullam videbat esse spem vitæ emendatioris, turbis ac discipulis loquitur hunc in modum: 2 Ipsi Scribæ & Pharisæi se vobis produnt, quam sint animis corruptis, quam invidi, quam avari, quam inanis gloriæ cupidi. Sed tamen ob muneris auctoritatem audiendi sunt. Occupant cathedram Mosi, cujus Legem docent: 3 quæ docent sancta sunt: docent enim aliena, cæterum vita longe lateque dissidet à doctrina. Proinde quæ vobis præscribunt ex auctoritate Mosi, servate & facite: sed tamen interim cavete, ne ad vitam illorum mores vestros componatis. Si viverent quemadmodum docent, totos oporteret imitari. Nunc quæ docent, ipsi non præstant. 4 Ab aliis pluſquam totam Legem severissime exigunt, ipsi sibi indulgent. In alios austeri, in se leniſſimi. Colligant enim fasciculos præceptorum graves & importabiles, & imponunt humeris alienis, quos ipsi ne digito quidem dignantur attingere. Onerant enim Legem, per se satis onerosam, suis constitutiunculis, quo sibi concilient opinionem eruditionis & sanctimoniæ. 5 Quod si qua præstant juxta Legis præscriptum, non id faciunt ex animo, sed ad laudem auramque popularem. Histriones sunt, & ceu personati falsa religionis imagine, fabulam agunt, ut spectentur ab hominibus. At legem non servat, nisi qui hoc præstat quod voluit Legislator: is autem potissimum requirit sincerum animum. Isti vero quicquid faciunt, faciunt ad aucupandam inanem apud plebeculam opinionem sanctimoniæ. Nam quum Deus post præcepta Legis edita subjecerit: *Ligabis ea in manu tua, & erunt immota ante oculos tuos:* nimirum illud sentiens, non oportere unquam obliviſci præceptorum Dei, sed ad horum regulam componendas esse omnes vitæ actiones: isti quum prorsus negligant observare jussa divina, tamen specie falsa se jactant apud populum. Obambulant lata phylacteria circumferentes, incedunt latis ac magnificis fimbriis, in his præcepta Legis ostentant inscripta, cum in vita nusquam appareant. At hæc animis inscribi oportuit, vita decebat exprimi. Sic placerent oculis Dei, cui uni vita nostra ceu fabula quæpiam agitur. 6 Sed hoc spectatore contemto, vilissimam laudem affectant apud imperitam multitudinem. Et cum ubique deceat doctorem moribus, dictis, atque ipso etiam vultu, præ se ferre virtutem eximiam, isti nusquam aliud agunt, quam quod est inanissimum, ac vix etiam viro dignum. Si quo vocantur ad cœnam, illic pueriliter ambitiosi sibi placent, quod ipsis locus tribuitur honoratior: in synagogis & publicis conventibus amant primæ sedis honorem. 7 Quum versantur in foro, gaudent honorifice salutari. Cristas erigunt, quoties à populo audiunt magnificum illum titulum, *Rabbi*, quasi aut soli sint honore digni, aut soli sapiant: quum hoc ipso minimi sint apud Deum, quod sibi videntur maximi: & hoc ipso maxime desipiant, quod sibi videntur plurimum sapere. Soli Deo debetur honos, qui solus vere magnus est & honorandus: soli Deo debetur laus sapientiæ, soli auctoritas. Harum rerum si quid est in hominibus, umbra quædam duntaxat est, si ad Dei magnitudinem conferatur, & hoc ipsum à Dei largitate profectum est. Proinde si quid honoris tribuunt homines hominibus ob Dei dotes, quas in illis esse suspicantur, non debet sibi vindicare cui tribuitur, sed totum ei transscribere, unde totum & gratis habet, si quid habet boni.

5 Omnia verò opera sua faciunt ut videantur ab hominibus: dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias.

6 Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis,

7 Et salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.

8 Vos autem mei discipuli nolim istorum esse similes: quin potius memores exempli doctrinæque meæ, fugite cognomen arrogans sapientiæ, neque vobis ipsis placeatis, si quis appellet *Rabbinos*, hoc est, Magistros nostros. Unus est enim in quem vere nomen hoc competit, hunc Magistrum habetis communem. Vos autem ad illum collati, nihil aliud estis, quam condiscipuli ac fratres invicem: inter quos mutua caritas omnia reddit paria. Nec decet ut quisquam semet anteponat alteri: sed longe diversum certamen est, nimirum ut alius alii cedat honorem, & alius alium officio præveniat. 9 Itaque nec Magistrum quenquam appelletis in terris, quando quicquid habetis salutiferæ doctrinæ, id totum debetis Deo. Ex hoc docet, quisquis recte docet. Illius afflatu proficit, quisquis vere proficit. 10 Nec posthac Patris honorificum vocabulum homini tribuatis in terris, semel professi Patrem cœlestem, cui vere debetis & vitam, & quicquid habetis, & unde pendetis toti: ne quis igitur honorem, soli Deo debitum, sibi vindicet. Nemo homini tribuat, quod soli debetur Deo. In hunc unum omnis laus, honor, & gratiarum actio est transferenda. Si quis bene docet, laudetur in eo sapientia Dei, quæ se per illum ex-

8 Vos autem nolite vocari Rabbi: unus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis.

9 Et patrem nolite vocare vobis super terram: unus est enim pater vester, qui in cœlis est.

10 Nec vocemini magistri: quia Magister vester unus est, Christus.

Digitized by Google

exferit communicatque. Si quis cura sollicitudineque patrem agit, laudetur in eo bonitas Dei, quæ per illum vobis prospicit. Neque vero hæc dixit Dominus Jesus, quod impium sit præceptorem præceptoris appellare vocabulo, aut parentem parentis nomine salutare: sed hoc sermone prorsus evellere studet ex animis suorum Pharisaicam ambitionem, qui quod erat Dei sibi vindicabant, & honorem exigebant à populo pro doctrina non sua, sed Dei: quasi ipsi essent auctores, ac non potius ministri: tum plebis vel simplicitatem, vel adulationem notat, quæ laudibus immodicis illos vehebat, quasi hominibus plus deberent quam Deo. [11] Quoniam autem intellexit, ex hujusmodi ambitione nasci pestes & exitia congregationum, ideo sermonem hac clausula absolvit: *Qui inter vos maximus est, is erit vester minister.* Quod enim habet, aliunde accepit, & gratis accepit: & in hoc accepit, ut aliis impartiret. Itaque quo major est dotibus divinis, non hoc erit arrogantior, sed sollicitior, ut communicet: hoc submissior, ne semel perdat arrogantia, quod divina benignitas largita est. In auctorem Deum gloriam omnem transfert, sibi præter humilis ministri seductatem nihil vindicans. [12] Is vere magnus est, qui sibi minimus est. Atque is jam incipit esse minimus apud Deum, qui suo judicio magnus est. Quod si quis sese jactet & efferat de gratuitis donis Dei, spoliatus his, quibus se facit indignum, ex maximo fit minimus. Contra qui se dejecerit, agnoscens & exaggerans imbecillitatem suam, ac dotes Dei, quibus magnus est, aut dissimulans, aut in fratrum utilitatem expromens: is quoniam sua modestia provocat liberalitatem divinam, auctis dotibus ex magno fit major.

[13] Post hæc Jesus versus ad Scribas & Pharisæos, palam ac magna libertate invehitur in malitiam eorum, minitans illis ultionem divinam, quo vel pudore resipiscant, vel metu suppliciorum vertantur ad meliora, & omissa simulatione sanctimoniæ incipiant esse pietatis Euangelicæ cultores. Væ vobis, inquit, Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui quum profiteamini Legis peritiam, & ob hoc quodammodo teneatis claves regni cœlorum, non solum ipsi non intratis, sed aliis intrare volentibus, quibus debueratis aperire fores, occluditis eas, & obsistitis ultro paratis, quos cessantes debueratis excitare. Quum enim conspiciatis jam adesse lucem Euangelicam, tamen vestræ gloriæ, vestrique lucri gratia, populum adhuc in umbris Legis detinetis, excludentes à veritate. [14] Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui sub prætextu religionis, devoratis domos viduarum, quibus imponitis falsa specie sanctimoniæ. Simulatis enim longas precationes in publico, quum interim animus nihil aliud spectet, quam prædam à stultis mulierculis, quæ vos credunt interim cum Deo colloqui. [15] Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, propterea quod obambulatis per terras ac maria, ut è gentibus unum aliquem pelliceatis ad Legis professionem. Qui cum attractus fuerit spe discendæ religionis, superstitiosa vestra doctrina, perversisque moribus talem redditis, ut non solum non fiat purus Dei cultor, & hæres regni cœlorum, sed scelleratior etiam Judæus, quam fuerat Ethnicus, & magis etiam obnoxius gehennæ, quam vos estis. Fit enim fere ut discipuli malos præceptores vincant etiam plerunque. [16] Væ vobis cæci duces, qui professi doctores, ipsi nescitis quid doceatis, nimirum aberrantes à scopo Legis: nec alio torquentes omnia, quam ad quæstum vestrum. Dicitis enim, *Quicunque juraverit per Templum Domini, non tenetur jurejurando, sed qui juraverit per aurum, quod est in Templo, is demum tenetur jurejurando*, præposteto judicio pluris facientes, non ea quæ per se sanctiora sunt, sed quæ vestræ avaritiæ gratiora. [17] Alioqui respondete mihi, *stulti & cæci, utrum est sanctius, aurum*, quod ornandi gratia additum est Templo, quodque vertitur in lucrum vestrum, inque vestri luxus materiam, *an Templum ipsum, cujus sanctimonia facit, ut aurum* etiam alibi profanum, illic *sanctum habeatur?* [18] Item dicitis, *Qui juraverit per altare, non tenetur religione, caterum qui juraverit per donum, quod impositum est altari, tenetur jurejurando.* [19] *O cæci* doctores, *utrum enim pluris fieri debet, donum an altare, quod sanctificat ipsum donum?* Neque enim aliunde sanctum est donum, nisi quod sacro altari est impositum. Et hic præposteto judicio vultis donaria videri sanctiora altari, quod ea cedunt in usus vestros, quum Templum & altare exstructa sint in cultum & gloriam Dei, quæ vobis curæ non est. [20] His vestris commentatiunculis quid aliud quam subvertitis Legem Dei, quæ prohibet omne perjurium? Etenim quemadmodum interpretatione subvertitis præceptum de honorandis parentibus, ita hic docetis pejerare. Perfectum erat omnino non jurare, sed tamen quisquis jurat per rem quamcunque, quæ sacra habetur apud eum cui jurat, perjurus est, nisi præstiterit quod juravit. *Quisquis jurat per altare, jurat & per ea, quæ sunt in altari.* [21] *Ita quisquis juraverit per Templum, jurat & per Deum Templi inhabitatorem.* [22] *Quisquis jurat per cœlum, jurat per thronum Dei, & per consequens per eum qui sedet in illo.* Quisquis jurat per caput alterius, jurat per rem Deo sacram, cujus is qui jurat, nullam habeat potestatem.

[23] Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui in his, quæ ad quæstum vestrum pertinent, minimum autem habent momenti ad veram pietatem, etiam minutissima exigitis: in decimis extorquendis adeo superstitiosi, ut è vilissimis etiam oleribus, menta, ruta, anetho, & cumino, decimas colligatis. Atque interim ea, quæ maximi momenti sunt, & unde pendet vera justitia, pro nihilo ducitis, judicium, misericordiam & fidem: Judicium, ne quem afficiatis injuria; Eleemosynam, ut subveniatis oppresso & egenti; Fidem, ne quem fallatis perjurio. Hæc ita Lex exigit, ut in primis velit curari, quum illa veluti minimi momenti horum gratia adjecerit. Hæc igitur in primis erant serio curanda, si minuta illa non videbantur omittenda. Si cuncta servaretis ad unguem, videri poterat religio: nunc quum omissis his, sine quibus nulla constat justitia, curetis ea quæ leviissima sunt, hypocrisis est, non religio, imo religionis pernicies. Siquidem antequam institurentur decimæ, tmaen integritas, beneficentia, & fides exigebatur, & ad justitiæ laudem pertinebant. [24] O duces cæcos, qui præpostere religiosi culicem excolatis, quum camelum deglutiatis, in minimo superstitiosi, in maximo negligentes. [25] Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, propterea quod præpostere munditiem curatis. Crebris enim lotionibus purgatis calices, & patinas, & candelabra, quæ quoniam extraria sunt, non inquinant animum hominis: & id quod intus est, negligitis illotum, nimirum animum vestrum. Non enim inquinat hominis animum, si quis bibat ex illoto calice, sed si quis bibat vinum fraude partum: si quis ad luxum bibat, non ad necessitatem. Identidem abluitis corpus, atque ea quæ corporis sunt, & animum non purgatis, rapina, libidine, cæterisque veris sordibus impurum & inquinatum. [26] Pharisæe, te, inquam, appello, Pharisæe cæce, qui te titulo cultuque jactas magistrum populi, cæce, prius hoc cura, quod unum ad rem pertinebat. Si placet vera mundities, munda prius quod est internum, & tum, si videtur, munda quæ sunt externa, corpus, vestem, urceos, calices, patinas, sellas, reliquamque supellectilem. Alioqui in his ostentare munditiem, neglectis his, quæ sola nos reddunt apud Deum mundos aut immundos, non mundities est, sed hypocrisis, ac vere immunditiei pernicies. His enim vestris constitutiun-

11 *Qui major est vestrum, erit minister vester.*

12 *Qui autem se exaltaverit, humiliabitur: & qui se humiliaverit, exaltabitur.*

13 *Væ autem vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia claditis regnum cælorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.*

14 *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis judicium.*

15 *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos.*

16 *Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicunque juraverit per templum, nihil est: qui autem juraverit in auro templi, debet.*

17 *Stulti, & cæci: Quid enim majus est, aurum, an templum, quod sanctificat aurum?*

18 *Et quicunque juraverit in altari, nihil est: quicunque autem juraverit in dono, quod est super illud, debet.*

19 *Cæci: Quid enim majus est, donum, an altare, quod sanctificat donum?*

20 *Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, & in omnibus quæ super illud sunt.*

21 *Et quicunque juraverit in templo, jurat in illo, & in eo qui habitat in ipso.*

22 *Et qui jurat in cælo, jurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum.*

23 *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: qui decimatis mentham, & anethum, & cuminum, & reliquistis quæ graviora sunt legis; judicium, & misericordiam, & fidem, hæc oportuit facere, & illa non omittere.*

24 *Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.*

25 *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis: intus autem pleni estis rapina, & immunditia.*

26 *Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis & paropsidis, ut fiat id quod deforis est, mundum.*

Digitized by Google

culis corrumpitis animos ſimplicium, ut hujuſmodi munditiis freti, negligant ea, quæ vel ſola fuerant curanda. [27] Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui tantum abeſtis à vera munditie, ut magis ſimiles ſitis ſepulchris dealbatis, candidoque tectorio foris falſam munditiam præ ſe ferentibus, quum intus plena ſint oſſibus cadaverum, omnique ſpurcitie. [28] Sic & vos prolixis precibus, latis phylacteriis, ſpatioſis fimbriis, pallore & jejunio, ſimilibusque fucis, foris videmini religioſi & integri, quum animus undique ſcateat ſimulatione, omnique genere vitiorum madeat.

[29] Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, propterea quod ad falſam oſtentationem ſanctimoniæ, magnifice exſtruitis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta juſtorum, quos veſtri majores occiderunt: & ſimulantes vos favere virtuti interfectorum, ac deteſtari crudelitatem eorum, à quibus ſunt occiſi, dicitis: [30] Si vixiſſemus ætate majorum noſtrorum, nequaquam conſenſuri fueramus in necem innocentium, quum nunc atrociora moliamini adverſus eum, qui Prophetas antecellit: & olim eſtis molituri adverſus eos, qui vobis æternæ ſalutis viam aperient. [31] Hoc animo quum ſitis, nimirum declaratis vos germanos eſſe filios eorum, qui Prophetas, à quibus libere monebantur, occiderunt: nihilo meliores illis futuri, ſi vos contigiſſet illorum ætate vivere. [32] Agedum, reſpondete majoribus veſtris: & quod deeſt illorum extremæ crudelitati, vos, ne quid deſit, implete. Illi Prophetas occiderunt, vos eum quem prædixerunt Prophetæ. [33] O ſerpentes, viperarum progenies, homicidarum filii homicidæ, quum tam invincibili malitia ſitis, quum nullis neque beneficiis, neque miraculis, neque blandis ſermonibus, neque auſteris, neque pollicitis, neque minis poſſitis corrigi: ut interim effugiatis judicium hominum, quomodo effugietis judicium gehennæ? [34] Id vobis hoc magis exaggeratis, quod nec majorum exſecrabili facinore deterremini ab occidendi libidine. Tot Prophetæ miſſi ſunt, quorum multos interemiſtis. Tandem ipſe veni, in quem ſcitis quid moliamini. Nec hoc contentus, quo magis ſit omnibus evidens vos atrociſſima condemnatione digniſſimos eſſe, ecce ego rurſus mittam ad vos alios Prophetas, Sapientes & Scribas, qui ſumma lenitate vos revocent ab iſta crudelitate, ad mentem meliorem: nec imputabuntur ſuperiorum temporum parricidia, ſi ad horum prædicationem egeritis pœnitentiam. Verùm, nec his parcetis, ſed ex his alios gladio necabitis, alios lapidibus obruetis, alios crucifigetis, alios flagellabitis in ſynagogis veſtris: & adeo non recipietis eos, ut perſequuturi ſitis è civitate in civitatem, donec illos inſanabili veſtra malitia compellatis ire ad gentes. [35] Quibus rebus adeo provocabitis iram Dei in vos, ut quicquid homicidiorum patratum eſt à majoribus veſtris, à primo parricidio, quo Cain occidit Abel fratrem ſuum, uſque ad cædem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidiſtis inter Templum & Altare, nec loci religione deterriti ab homicidio, horum pœna dilata refundatur in caput veſtrum, qui majorum omnium crudelitatem non ſolum retuliſtis, verum etiam viciſtis. [36] Veſtra igitur calamitas tam erit inſignis, ut totus mundus intellecturus ſit, quanta fuerit crudelitas hujus nationis in optimum quemque virum: quamque pertinax rebellio adverſus Deum, tanta lenitate tam diu tolerantem, tanta beneficentia toties invitantem ad meliora.

[37] His dictis clementiſſimus Dominus Jeſus, qui pro ſua bonitate nolebat quenquam omnino perire, conſiderans miſerabile, quod imminebat, excidium urbis Hieroſolymitanæ, (nam illius oculis erant omnia præſentia) ſimulque inexpugnabilem illorum pervicaciam, qua divinam lenitatem verſuri erant in furorem, oratione lamentabili deplorat Judaicæ gentis vaſtationem, ſubindicans ſecundum adventum ſuum: ſed Judæis tum demum ſero reſipiſcentibus, & Chriſtum, quem nunc negant, agnoſcentibus: quum magis in rem illorum fuerit, nunc confiteri Servatorem ſuum, à Deo miſſum, atque idem ex animo canere, quod indignabantur à pueris decantari: *Benedictus qui venit in nomine Domini. Hieruſalem*, inquit, *Hieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui miſſi ſunt ad te, quoties conatus ſum congregare filios tuos, quemadmodum ſollicita gallina metuens pullis ſuis, congregat eos, fovetque ſub alis ſuis, & noluiſti.* A me nihil omiſſum eſt quo ſervareris, ſed contra nihil abs te prætermiſſum eſt, quo tibi perniciem accerſeres, ſalutem excluderes. At cui ſemel data eſt arbitrii libertas, invitus ſervari non poteſt.. Oportebat meæ voluntati, veſtram reſpondere voluntatem. Ecce nunc imminet vobis miſeranda calamitas. [38] *Relinquetur vobis habitatio veſtra deſerta.* Relinquemini cæcitati veſtræ, donec aliquando vel tantis docti malis reſipiſcatis. [39] *Dico enim vobis, poſthac non videbitis me, quouſque* venerit illud tempus, quo me videntes oculis fidei *dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini*, quem nunc calumniamini veniſſe in nomine Beelzebub.

CAP. XXIV.

Dejicient templum: ſeductio: bella: tenebræ: Ficus: ſecla Noæ: fur famulnſque vigil.

[1] VT autem Jeſus & imagine quadam repræſentaret Templum & omnem Judaicæ Legis religionem brevi abolendam, egreſſus è Templo cœpit abire. Diſcipuli vero, quoniam audierant nonnullam vaſtitatis mentionem, oſtendunt Domino Templi molem, opere tam admirabili, ut indignum videretur, tum adeo firma ſtructura, ut non videretur poſſe dirui. [2] Jeſus autem reſpondit: Videtis, inquit, hæc omnia? Illud habetote pro certo, nihil eſt omnium horum tam munitum, aut pulchrum, aut ſanctum, quod non ſit demoliendum, adeoque diſſipandum, ut nec lapis ullus lapidi cohæreat. [3] His dictis Jeſus abiit in montem, qui dicitur Oliveti. Hîc quum ſederet Templum habens in proſpectu, adeunt eum ſeorſum diſcipuli quatuor, quos primos omnium vocaverat, Petrus, Jacobus, Joannes, Andreas, cogniturі certius aliquid de tempore tantæ calamitatis venturæ. Suſpicabantur enim mox à vaſtatione civitatis Hieroſolymitanæ, Templique demolitione, rurſus adventurum Chriſtum cum majeſtate. Chriſtus autem quo redderet ſuos vigilantiores, ita temperat ſermonem, ut nolit eos ſcire tempus extremi adventus, & tamen commemorandis malis efficiat illos ſollicitos, & ad malorum incurſionem paratos. Dicunt igitur diſcipuli: *Dic nobis quando iſta*, quæ prædicis, *futura ſunt? Et quo ſigno poterimus noſſe tuum adventum, ſeculique finem imminere.* [4] At Jeſus ad id quod rogabant non reſpondens, ad illa magis deflectit, quæ pararent animos illorum ad perpetuam vigilantiam Euangelii: Sum omnino venturus, inquit, ſed videte ne quis mentitus adventum meum vos fallat. [5] Siquidem multi venturi ſunt, qui ſibi vindicabunt nomen meum, & dicent ſe eſſe Chriſtum, & invenient ſtulte credulos quos fallant. [6] Tumultus rerum omnium ſpeciem præbebit jam inſtantis mundi finis. Audietis enim bella, varioſque bellorum rumores, rebus ipſis, ut fit, atrociores. Verum ne protinus iſta dejiciant animos veſtros, ut exiſtimetis inſtare tempus illud extremum. Oportet quidem hanc rerum perturbationem exoriri, ſed non illico finis erit malorum. Latius vagabitur hæc tempeſtas. [7] Non enim Hieroſolyma tantum vaſtabitur, ſed totus orbis

---

27 *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ: quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ aforis parent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia.*

28 *Sic & vos aforis quidem paretis hominibus juſti: intus autem pleni eſtis hypocriſi, & iniquitate.*

29 *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulchra prophetarum, & ornatis monumenta juſtorum.*

30 *Et dicitis: Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocii eorum in ſanguine prophetarum.*

31 *Itaque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia filii eſtis eorum, qui prophetas occiderunt.*

32 *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum.*

33 *Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ?*

34 *Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris, & perſequemini de civitate in civitatem:*

35 *Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel juſti uſque ad ſanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare.* 36 *Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem iſtam.* 37 *Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?*

38 *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.*

39 *Dico enim vobis; non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.*

1 *Et egreſſus Jeſus de templo, ibat. Et acceſſerunt diſcipuli ejus, ut oſtenderent ei ædificationes templi.*

2 *Ipſe autem reſpondens dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hîc lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.*

3 *Sedente autem eo ſuper Montem oliveti, acceſſerunt ad eum diſcipuli ſecreto, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt? & quod ſignum adventus tui, & conſummationis ſæculi?*

4 *Et reſpondens Jeſus, dixit eis: Videte ne quis vos ſeducat.*

5 *Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus: & multos ſeducent.*

6 *Audituri enim eſtis prælia, & opiniones prælio rum. Videte ne turbemini, oportet enim hæc fieri, ſed nondum eſt finis.*

7 *Conſurget enim gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt peſtilentiæ, & fames, & terræmotus per loca.*

Digitized by Google

bis bellis ac cædibus miſcebitur. Inſurget gens adverſus gentem, & regnum cum regno conflictabitur, maximamque malorum partem homines ab hominibus patientur. Quin & Deus ultor addet ſua flagella, peſtilentiam, famem, variiſque in locis terræ motus. [8] Ne hæc quidem arguent mundi finem, ſed tantum præludia ſunt mali, velut parturientis extremam illam mundi perituri tempeſtatem.

[9] Nec vos interim eritis ab hujuſmodi malis immunes. Siquidem in hoc rerum tumultu, pertrahent vos in varias afflictiones: denique & occident: atque interim eritis odio, non Judæis ſolum, ſed omnibus gentibus: non ob malefacta veſtra, ſed ob id quod profitemini nomen meum. [10] Interim multi malis offenſi, ſuppliciiſque victi deſciſcent à profeſſione mei nominis, aliuſque alium prodet, cognatus cognatum, amicus amicum, ſeque mutuis odiis proſequentur, quos natura caritatis vinculis copularat. [11] Quin & aliud gravius malorum genus erit. Exorientur pſeudoprophetæ, falſique doctores, qui ſimulantes ſeſe prædicare Euangelium meum, ſuæ gloriæ, ſui quæſtus, ſuique ventris agent negotium: proque meo ſpiritu, Satanæ ſpiritum inſerent diſcipulis, pro regno cœlorum, regnum hujus mundi docebunt. Horum technis illaqueabuntur etiam hi, quos tormenta ſuperare non poterant. [12] Nullus eſt enim capitalior hoſtis, quam domeſticus ac fucatus amicus. In his malis nec à fratribus atque amicis multum exſpectabitur ſolatii. Siquidem exundante multitudine vitiorum, multorum caritas refrigeſcet. [13] Vobis tamen nihil erit periculi, modo conſtanti fortique animo perſeveretis uſque ad finem. Nulla malorum vis quenquam poterit perdere, niſi quem animus rectus defecerit. Nec vos perire patiar, nec Euangelium opprimi. Imo his tumultibus magis ac magis invaleſcet Euangelii robur: nec aliud poterit in vos malorum procella, niſi quod pietatem veſtram reddet ſpectatiorem. [14] Non enim venturus eſt mundi finis, prius quam hoc Euangelium regni cœlorum per omnia regna mundi prædicetur, omneſque nationes occuparit, ne qui parere noluerint, prætexere queant ignorantiam.

[15] Hoc ubi factum erit, tum veniet mundi conſummatio: cujus ſi ſignum quæritis, accipite. Quum videritis idolum abominabile, quod conabitur funditus ſubvertere religionem Euangelicam, de quo vobis olim vaticinatus eſt Daniel, dicens: *Et in dimidio hebdomadis auferetur ſacrificium & libamina: & in Templo abominatio deſolationum erit uſque ad conſummationem temporis.* Hoc, inquam, idolum abominandum quum videritis collocatum in Templo, hoc eſt, in arce ſanctitatis, qui Prophetæ vaticinium legit, intelligat. Sermo myſticus eſt, & ſpiritualem requirit lectorem. [16] Cum igitur hæc tempeſtas ingruerit, qui ſunt in civitatibus Judææ relictis oppidis fugiant in montes: [17] & qui in tectis ſunt ædium, deſiliant, nec deſcendant, ut quicquam rerum ſecum tollant ex ædibus: [18] & quos illud tempus deprehenderit in agro, ne recurrant in domum, ut veſtem auferant. Non enim tum vacabit rebus conſulere. Magnum eſt ſi celeri fuga vitæ conſulatur. Nam illa recuperari poſſunt, vita ſemel amiſſa ſarciri non poteſt. [19] Proinde male erit prægnantibus, & mamma nutrientibus in diebus illis. Neque enim gravidæ poterunt onus ventris abjicere, ut expeditæ fugiant: neque lactantes ſic poſſunt abjicere liberos, quos tenerius quam ſeipſas amant, quemadmodum pecuniam aut veſtem abjiciunt. [20] Vobis autem, quos neque domus, neque poſſeſſiones, neque liberi remorabuntur, tantum orandum eſt, ne vobis incidat, ut fugiendum ſit hyeme aut ſabbato. Nam & celeriter erit fugiendum & procul. Cæterum hyems ob rigorem & lucis brevitatem incommoda eſt peregrinantibus: & ſabbato Legis obſtat religio, quo minus procul aufugiatis. [21] Erit enim tunc afflictio vehemens, qualis à condito mundo ad hunc uſque diem nunquam fuit, neque poſt futura eſt. [22] Quod ſi calamitas ut erit vehemens, ita foret & diuturna, nullus hominum ſupereſſet incolumis. Merebatur quidem illorum malitia internecionem, ſed propter electos quamlibet paucos, dies illi breviabuntur.

[23] In hac confuſione rerum quum exſpectabitur adventus meus, cavendum eſt ne quis decipiatur arte impoſtorum: [24] exorientur enim multi Pſeudochriſti, qui ſe jactabunt eſſe Chriſtum, quum non ſint, imo quum ſint adverſarii mei: qui ſe dicent eſſe Prophetas, quum non ſint, ſed potius magiſtri errorum. Hi non ſolum erunt inſtructi dolis, falſaque ſpecie ſanctimoniæ, verum etiam prodigiis ac magicis oſtentis imitabuntur meam potentiam: adeoque multis ac miris præſtigiis ſibi vindicabunt perſonam meam, ut electi quoque, ſi fieri poſſit, in errorem ſint adducendi. [25] Vos igitur moniti cavete, nam in hoc prædixi ut caveatis. [26] Tum igitur ſi dixerint, Ecce Chriſtus eſt in deſerto, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite introire: ecce hîc aut illic, nolite credere. [27] Non erit talis adventus qualem hunc vidiſtis, lentus & humilis, ſed ſubitus ac majeſtatis fulgore totum orbem ſubito complectens. Sicut enim fulgur emicans ab Oriente raptim penetrat uſque ad Occidentem, ſic erit adventus Filii hominis. [28] Nec eſt quod metuatis ne non ſitis mecum in tanta rerum confuſione. Ubicunque fuerit corpus, eo congregabuntur & aquilæ. Non deerunt capiti ſua membra. [29] Calamitatis autem magnitudinem ſentient & corpora cœleſtia. Nam & Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lucem ſuam, nimirum obſcurato Sole, unde lumen habet mutuum. Stellæ de cœlo decident, atque ipſæ virtutes cœlorum concutientur, veluti de ruina periclitantes. [30] Tunc inter denſiſſimas tenebras coruſcabit è cœlo ſignum Filii hominis, ſignum, inquam, quo devicit Satanam, & omnem illius tyrannidem protrivit: ſignum, quo ſe fruſtra viciſſe gloriabatur. Quo conſpecto percutient ſua pectora nationes totius terræ, quum viderint Judæi quem compunxerunt, quum viderint gentes majeſtatem crucis, quam irriſerant. Videbunt enim Filium hominis, quem nunc humilem deſpiciunt, in ſublimi venientem in nubibus cœli, cum ingentibus copiis Angelorum, ſumma cum majeſtate & gloria. [31] Tum emittet Angelos ſuos, qui vocali tuba congregent omnes electos ejus, à quatuor ventis, à ſummis verticibus cœlorum, uſque ad extremos terminos illorum.

[32] Sed quo tempore hæc ſint futura, non eſt meum exacte præfinire. Sed tamen ex malis, quæ commemoravi, velut ex procœmiis poteritis conjicere, tempus illud haud procul abeſſe. Quemadmodum ficus indiciis quibuſdam prædicit inſtare ætatem, videlicet quum ad Favonii flatum, jam tenereſcente ramo, protrudit gemmas, ac folia quodammodo parturit: [33] Ita & vos quum videritis hæc omnia quæ prædixi, ſcitote quod adventus Filii Dei eſt in foribus. [34] Illud affirmo, non præteribit hæc generatio, quin omnia, quæ prædicta ſunt, eveniant. [35] Cœlum & terra peribunt citius, quam mea verba ſint irrita. Vobis igitur ſatis eſt ſigna noſſe, quæ diem adventus mei portendant, ne vos incautos opprimat. [36] Cæterum exacte diem illum aut horam, qua Filius ſit adventurus, non eſt veſtrum inquirere, quando nec Angelis cœlo-

8 *Hæc autem omnia initia ſunt dolorum.*
9 *Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.*
10 *Et tunc ſcandalizabuntur multi, & invicem tradent, & odio habebunt invicem.*
11 *Et multi pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos.*
12 *Et quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.*
13 *Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.*
14 *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in univerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus: & tunc veniet conſummatio.*
15 *Cum ergo videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt a Daniele propheta, ſtantem in loco ſancto: qui legit, intelligat:*
16 *Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes:*
17 *Et qui in tecto, non deſcendat tollere aliquid de domo ſua:*
18 *Et qui in agro, non revertatur tollere tunicam ſuam.*
19 *Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.*
20 *Orate autem ut non fiat fuga veſtra in hieme, vel ſabbato.*
21 *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi uſque modo, neque fiet.*
22 *Et niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro: ſed propter electos breviabuntur dies illi.*
23 *Tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hîc eſt Chriſtus, aut illic: nolite credere.*
24 *Surgent enim pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ: & dabunt ſigna magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi.*
25 *Ecce prædixi vobis.*
26 *Si ergo dixerint vobis, Ecce in deſerto eſt, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere.*
27 *Sicut enim fulgor exit ab Oriente, & paret uſque in Occidentem: ita erit & adventus Filii hominis.*
28 *Ubicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.*
29 *Statim autem poſt tribulationem dierum illorum, ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commovebuntur:*
30 *Et tunc parebit ſignum Filii hominis in cælo: & tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & majeſtate.*
31 *Et mittet angelos ſuos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à ſummis cælorum uſque ad terminos eorum.*
32 *Ab arbore autem fici diſcite parabolam: cum jam ramus ejus tener fuerit, & folia nata, ſcitis quia prope eſt æſtas:*
33 *Ita & vos cum videritis hæc omnia, ſcitote quia prope eſt in januis.*
34 *Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant.*
35 *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.*
36 *De die autem illa & hora nemo ſcit, neque angeli cælorum, niſi ſolus Pater.*

Digitized by Google

lorum hæc ſcire datum eſt, atque adeo nec Filius hominis novit. Hoc ſibi ſoli ſervavit Pater. [37] Et ſic expedit vobis, quo ſemper ſitis parati. Dies ille ſubito veniet, & inexſpectatus aliis. [38] Quemadmodum temporibus Noe, quum annis aliquot eſſet eis prædictum diluvium, tamen arbitrantes nequaquam venturum, edebant, bibebant, elocabant ſponſas, & ducebant uxores uſque ad extremum diem, quo Noe ingreſſus eſt Arcam, [39] neque crediderunt fore diluvium donec viderent jam adeſſe diluvium, quo perierunt univerſi, qui noluerunt exemplo Noe parare ſeſe adverſus eum diem. [40] Quemadmodum autem tum pauci aſſumti in Arcam ſervati ſunt, cæteri foris relicti perierunt, ita tum ſubito dividentur perituri à ſervandis. Erunt duo laborantes in eodem agro, ſocii mercedis & operæ, quorum hic aſſumetur, alter relinquetur. [41] Erunt duæ molentes eadem in mola, quarum una aſſumetur, altera relinquetur. Quin & è duobus, quos idem lectus jungebat, unus aſſumetur, alter relinquetur. Non enim opus, aut locus, aut vitæ genus beabit hominem, ſed affectus. [42] Proinde quandoquidem hæc abſque dubio ſunt eventura, nec poteſt ſciri certum quo die ventura ſint, ſemper vigilate, ne vos ille dies opprimat imparatos. [43] Si vigilant homines ne pereat pecunia, quanto magis vobis vigilandum eſt ne pereat anima. Quis eſt enim paterfamilias tam ſupinus, qui ſi ſciat furem nocturnum irrepturum in ædes ſuas, ſterteret totam noctem ac pateretur domum ſuam perfodi. [44] Vobis igitur eſt omni vita vigilandum, quia certi eſtis præter exſpectationem venturum diem illum. Sic enim vivendum eſt, ut quandocunque venerit ille dies, reperiat vos in officio, ut ſtatim ad præmium poſſitis aſſumi. [45] An non idem facturus ſit ſervus prudens ac fidelis, quem Dominus peregre profecturus, præfecit ſuæ familiæ, ut cæteris familiaribus præberet cibum ſuo tempore? Non illi præſcribit Dominus, quando ſit domum rediturus, ne poſſit in officio ceſſare: [46] ſed quandocunque redierit Dominus, nonne beatus erit ille ſervus, ſi offenderit eum fungentem officio ſuo? [47] Pro certo dico vobis, quod expertus illius fidem, audebit illi majora credere, præficietque omnibus bonis ſuis. [48] Contra, ſi malus ſervus & infidelis dixerit in corde ſuo: Diutius abeſt Dominus, & fortaſſe nunquam eſt rediturus: [49] atque hac ſpe cœperit percutere conſervos ſuos, & neglecta familia, bibat & edat cum temulentis, [50] quam is eſt futurus infelix, cum Dominus venerit, die quo non exſpectabat, & hora qua non ſuſpicabatur eum redituruum. [51] Non enim ſolum ſubmovebitur ab officio ſuo, verum etiam Dominus diſſecabit eum medium, & portionem illius adjunget hypocritis, qui titulum habent Euangelicæ functionis, cum factis ipſis pugnent cum Euangelio. Illic pro male dulcibus voluptatibus, quibus ebrius non obſervarat adventum Domini, intolerabili cruciatu punietur, riſu verſo in fletum, & cantilenis in ſtridorem dentium.

CAP. XXV.

Ecce fides lucet prudentum: lucra talenti: Gloria judicii: hic Ite Venite ſonat.

ATQVE ut penitus infigeret animis ſuorum Jeſus, non eſſe ceſſandum aut dormitandum in hac vita, ſed aſſiduo cultu pietatis, & officiis in proximum, parandum viaticum in vitam futuram; nam in reſurrectione, ſero nos quæſituros, niſi dum tempus erat paraverimus, adjecit parabolam de decem virginibus, quæ ſumtis lampadibus ſuis, exierunt obviam ſponſo. [2],[3] Sed ex iis quinque erant fatuæ, quæ ſibi de oleo non proſpexerant, in ſponſi adventum ſuffecturo: quod ſibi perſuaſerant non ita ſubito proditurum ſponſum, quin ſpatium daretur alicunde comparandi olei. [4] Prudentes vero ſcientes incertum eſſe tempus, quando proditurus eſſet ſponſus, ne poſſent imparatæ opprimi, ſimul cum lampadibus & oleum ſecum extulerunt in vaſculis, unde deficientes lampades inſtaurarent. [5] Quum igitur in longum differret exitum ſuum ſponſus, dormitare cœperunt virgines omnes, ac tandem obdormierunt. [6] Nocte vero intempeſta, ſubito clamor coortus eſt famulorum evocantium ad occurſum: Ecce ſponſus adeſt, prodite obviam illi. [7] Tunc expergefactæ virgines omnes, adornabant lampades ſuas. [8] Porro fatuæ, quum viderent ſubito abeundum medio noctis, nec haberent oleum, jam deficientibus lampadibus, rogaverunt prudentes virgines, ut ſibi de ſuo oleo nonnihil impartirent. [9] At illæ reſponderunt: Veremur, ne quod habemus non ſit futurum ſatis nobis & vobis. Abite potius ad eos qui vendunt oleum, & ab illis emite vobis. [10] Atque interea dum irent emtum, venit ſponſus: & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, moxque clauſa eſt janua. [11] Tandem veniunt & fatuæ virgines, pulſantque fores ac dicunt: Domine, Domine, aperi nobis. [12] Quibus ſponſus reſpondit: Profecto non novi vos. [13] Vos igitur ad exemplum prudentium virginum, ſervi fidelis, ac providi patrisfamilias, vigilate, & in tempore vobis parate bonorum operum commeatum, quia neſcitis diem & horam illius adventus: qui cum ſubito exſtiterit, jam non erit amplius tempus benefaciendi: ſed cuique ferendum erit præmium pro retro geſtis.

[14] Addidit Jeſus & aliam parabolam, exſtimulans diſcipulos ſuos ad perpetuum ſtudium bonorum operum, ne committerent ut doctrinam ac dotes ab ipſo acceptas, ſua negligentia ſinerent eſſe ſteriles, ſed ſtudio curaque ſua verterent in utilitatem proximi, ſeſeque præberent idoneos majoribus donis: qui quod pro ſuo modulo captuque accepiſſent, collocaſſent in lucrum Domini ſui, qui gaudet tali fœnore diteſcere. Quidam, inquit, homo peregre proficiſcens, vocavit ſervos ſuos, quibus tradidit bona ſua: non ut ſibi profunderent, ſed ut inde Domino ſuo lucrum referrent, unde ſortem acceperant. [15] Et huic quidem dedit talentum unum, illi duo, rurſus alii quinque, prout quemque judicabat idoneum. Quo facto ſtatim ingreſſus eſt iter. [16] Is igitur, cui credita fuerant talenta quinque, non ceſſavit, ſed ſtatim abiit, & ad uſuram muntuavit acceptam pecuniam: idque toties, ut tandem uſura ſortem æquaret, & ex quinque talentis fierent decem. [17] Ad eundem modum, cui duo credita fuerant talenta, ſic uſus eſt illis, ut uſura ſortem æquarit. [18] Porro, cui traditum erat unicum talentum, per ignaviam abiit, & talentum acceptum defodit in terram, ſat eſſe judicans, ſi Domino ſuo ſortem reſtitueret. [19] Poſt diutinam igitur peregrinationem Dominus rediit, & exegit à ſervis ſuis, dati & expenſi rationem. [20] Et accedens qui quinque talenta acceperat, ex uſura retulit & alia quinque, rationem ita reddens: Domine, ſortem dederas quinque talentorum, ecce tantundem ex his lucratus ſum. [21] Dominus collaudans ſervi

37 *Sicut autem in diebus Noe, ita erit & adventus Filii hominis.*
38 *Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, uſque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam,*
39 *Et non cognoverunt donec venit diluvium, & tulit omnes: ita erit & adventus Filii hominis.*
40 *Tunc duo erunt in agro: unus aſſumetur, & unus relinquetur.*
41 *Duæ molentes in mola: una aſſumetur, & una relinquetur.*
42 *Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit.*
43 *Illud autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias qua hora fur venturus eſſet, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam.*
44 *Ideo & vos eſtote parati: quia qua neſcitis hora Filius hominis venturus eſt.*
45 *Quis, putas, eſt fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit dominus ſuus ſuper familiam ſuam, ut det illis cibum in tempore?*
46 *Beatus ille ſervus, quem cum venerit dominus ejus, invenerit ſic facientem.*
47 *Amen dico vobis, quoniam ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.* 48 *Si autem dixerit malus ſervus ille in corde ſuo: Moram facit dominus meus venire.* 49 *Et cœperit percutere conſervos ſuos, manducet autem & bibat cum ebriosis:* 50 *Venet dominus ſervi illius in die qua non ſperat, & hora qua ignorat:* 51 *Et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis: illic erit fletus, & ſtridor dentium.* 1 *Tunc ſimile erit regnum cælorum decem virginibus: quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obviam ſponſo & ſponſæ.*

2 *Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes:*
3 *Sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non ſumſerunt oleum ſecum:*
4 *Prudentes vero acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus.*
5 *Moram autem faciente ſponſo, dormitaverunt omnes & dormierunt.*
6 *Media autem nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exite obviam ei.*
7 *Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & ornaverunt lampades ſuas.*
8 *Fatuæ autem ſapientibus dixerunt: Date nobis de oleo veſtro: quia lampades noſtræ extinguuntur.*
9 *Reſponderunt prudentes, dicentes: Ne forte non ſufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis.*
10 *Dum autem irent emere, venit ſponſus: & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt janua.*
11 *Noviſſime vero veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis.*

bis. 12 *At ille reſpondens ait: Amen dico vobis, neſcio vos.* 13 *Vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam.* 14 *Sicut enim homo peregre proficiſcens, vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis bona ſua.* 15 *Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique ſecundum propriam virtutem, & profectus eſt ſtatim.* 16 *Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus eſt in eis, & lucratus eſt alia quinque.* 17 *Similiter & qui duo acceperat, lucratus eſt alia duo.* 18 *Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abſcondit pecuniam domini ſui.* 19 *Poſt multum vero temporis venit dominus ſervorum illorum, & poſuit rationem cum eis.* 20 *Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum.* 21 *Ait illi dominus ejus: Euge ſerve bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium domini tui.*

Digitized by Google

servi induſtriam, ait: Euge ſerve bone ac fidelis, quoniam in paulo pecuniæ te comperi fidelem, plura credam tuæ fidei: intra in gaudium Domini tui. 22 Poſt hunc acceſſit & is, cui duo talenta credidérat Dominus, & juſſus reddere rationem, ait: Domine, ſortem duorum talentorum credideras, ecce tantundem adjeci ex uſura. 23 Dominus & hujus induſtriam collaudans, ait: Euge ſerve bone ac fidelis, quoniam in exiguo mihi perſpecta eſt fides tua, poſthac majora tuæ concredam fidei: intra in gaudium Domini tui. 24 Tandem acceſſit & is, qui talentum acceptum defoderat in terra, ac juſſus rationem reddere, non ſolum non agnoſcit culpam inertiæ, verum etiam Dominum inſimulans auſteritatis, & avaritiæ immodicæ, crimen officii negleĉti conduplicat. Domine, inquit, ſciebam quod eſſes homo auſterus, inde meſſem colligis, ubi non feceras ſementem: & inde congregas lucrum, ubi non ſparſeras ſumtum. 25 Proinde metuens, ne ſi ſors aliquo caſu periſſet, ſævires in me, abii defodique talentum tuum in terra. Hoc malui quam dum uſuram capto, periclitari de ſorte. Ecce habes quod tuum eſt. Si non mereor laudem ob lucrum additum, certe ſors curavi ut eſſet in tuto. 26 Hunc ſermonem Dominus in ipſius caput retorquens, ait: Serve male & piger: noveras, ut ais, me lucri eſſe avidum: colligere meſſem illinc, ubi non feceram ſementem: & congregare proventum illinc, ubi non feceram ſumtum. 27 Tanto magis oportuit te committere pecuniam meam numulariis, & ego qui lucrum venor illic, ubi non feci ſumtum, utique venturus eram, ac meam pecuniam exacturus cum uſura: hoc eſt, inde meſſurus, ubi ſeminaveram. Mea erat ſors, non tua, induſtriam tuam ſervus debebas Domino. 28 Tum verſus ad alios ſervos, dixit: Auferte ab hoc inutili ſervo talentum, & date ei qui habet decem talenta. 29 Admirantibus ſervis, quod ei juberet addi qui jam abundabat, ait Dominus: ita fiet in hoc opum genere. Quiſquis habet, dignus eſt qui plus accipiat, ut exuberet: cæterum qui per ignaviam nihil ſibi paravit lucri, etiam hoc, quod habere videbatur, quoniam indignus eſt, ſpoliabitur. 30 Porro ſervum illum inutilem ſubmovete ab oculis meis, & abjicite in tenebras externas. Ibi pro gaudio Domini ſui, quod promereri noluit, cruciabitur fletu & ſtridore dentium.

31 Hujuſmodi parabolis Dominus Jeſus diſcipulos ſuos, & præmiorum magnitudine, & ſuppliciorum metu exſtimulavit ad ſtudium Euangelicæ pietatis, & ad bene merendum de proximo: atque à ceſſatione & malefaciendi licentia deterruit. Sed idem multo dilucidius fecit extrema narratione: qua & majeſtatem adventus ſui, & ſegregationem bonorum à malis, qui nunc in Eccleſia permixti vivunt: & utriuſque partis diverſa merita diverſaque item præmia, breviter totam judicii ſupremi imaginem ſubjicit oculis, non ignarus inſtare diem mortis ſuæ, quo tot ſermonibus inſtructi, non omnino dejicerent animos ob ignominioſam mortem crucis, ſed præſentem afflictionem venturæ felicitatis, præſentem ignominiam futuræ gloriæ contemplatione conſolarentur. Neque molirentur, aut optarent ultionem improbis, quos in illo judicio ſcirent pro ſuis meritis æterno ſupplicio plectendos. Quum autem venerit, inquit, Filius hominis, quem propediem videbitis humillimum & abjectiſſimum, cum majeſtate ſua ſtipantibus illum omnium Angelorum agminibus: tunc uti judex omnium ſedebit in ſede majeſtatis ſuæ, & in conſpectum illius convocabuntur omnes totius orbis nationes. Nullus enim hominum quamlibet exceſſus aut humilis poterit illud judicium effugere. 32 Id non humanis conjecturis, ſed exacto Dei judicio peragetur, cujus oculis omnia ſunt conſpicua. Ac primum ſeparabit bonos à malis, quemadmodum paſtor, gregem ſuum dinumeraturus, ſeparat oves ab hœdis. 33 Et oves quidem, hoc eſt, innoxios ac beneficos ſtatuet ad dextram: hœdos, hoc eſt, nocentes ac maleficos ad ſiniſtram. 34 Itaque univerſo mortalium genere in duos ordines diſtributo, tamquam juſtus judex utriſque rationem proferet ſui judicii: ut boni cognoſcant, quibus officiis promeruerint tantam felicitatem, & mali audiant, quibus culpis commeruerint æterna ſupplicia. Ac dextrum quidem ordinem placido lætoque vultu ſalutans: Venite, inquiet, amici mei, quos mundus quidem deſpicatos & exſecrabiles habuit, ſed Pater meus pro honoratis & laudabilibus habet. Nunc pro malis, quæ mea cauſa perpeſſi eſtis, accipite hæreditatem regni cœleſtis, quod vobis divino conſilio paratum fuit à Deo, omnium rerum præſcio, ante conditum mundum. 35 Hoc tanto præmio compenſare viſum eſt officia caritatis erga me veſtræ, ne vobis periſſe putetis. Siquidem olim quum eſurirem, vos mihi dediſtis cibum: quum ſitirem, dediſtis potum: quum hoſpes eſſem tectoque egerem, vos me collegiſtis in domos veſtras. 36 Quum nudus eſſem, operuiſtis me: quum ægrotarem, inviſiſtis me: quum eſſem in carcere, vos conſolandi gratia veniſtis ad me: impertiſtis mihi veſtra qualiacunque, ego vobis nunc viciſſim communico totum regnum, quod mihi eſt cum Patre commune. 37 Hæc quum audierint juſti, qui ſic exercent opera pietatis, ut quodam modo ſe feciſſe neſciant, reſpondebunt ei, dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, & pavimus: quando ſitientem, & dedimus potum? 38 Quando te vidimus hoſpitem, & collegimus ſub tectum: aut quando nudum teximus: 39 Quando viſimus ægrotum: quando carcere clauſum adivimus? 40 Tum Rex palam confitebitur ſibi velle imputari, quicquid unicuilibet fuerit impenſum ex his, quos mundus quidem ob inopiam & humilitatem habuit deſpicatiſſimos, ipſe tamen adeo non habuit pro contemtis, ut fraterni cognominis honore dignetur: Pro certo, inquiet, dico vobis, tametſi ego nullius egebam ſubſidio, qui Dominus ſum rerum omnium, tamen quandiu iſta mei reſpectu feciſtis unicuipiam ex hiſce minimis fratribus meis, mihi feciſtis. 41 Tum horribili vultu verſus ad eos, qui ſtabunt ad lævam, ſententiam proferet formidabilem: Diſcedite à me quibus mundus applauſit, cæterum Patri meo mihique exſecrabiles, ite in nunquam exſtinguendum incendium, quod paratum erat ab orbe condito Diabolo & Angelis ejus, quibus adhærere maluiſtis quam mihi. 42 Etenim quum eſurirem, non dediſtis mihi cibum: quum ſitirem, non dediſtis mihi potum: 43 Vagus eram ac tecto egens, nec collegiſtis me. Nudus eram, nec operuiſtis me: ægrotus eram & in carcere, nec inviſiſtis me. 44 Tum & hi totidem verbis reſpondebunt judici, quibus reſponderant juſti: Domine, quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut ægrotum, aut in carcere, & non miniſtravimus tibi? 45 Tunc Rex reſpondebit & illis: Quicquid horum officiorum negatum eſt unicuipiam ex hiſce minimis juxta mundum, ſed tamen fratribus meis, mihi negatum eſſe duco. In his egebam, in his refocillari volui. 46 Hac prolata ſententia, à qua nulla eſt appellatio, ibunt qui à ſiniſtris ſunt in ignem æternum, juſti autem in vitam æternam.

22 Acceſſit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidiſti mihi, ecce alia duo lucratus ſum. 23 Ait illi dominus ejus: Euge ſerve bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium domini tui. 24 Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait: Domine, ſcio quia homo durus es, metis ubi non ſeminaſti, & congregas ubi non ſparſiſti. 25 Et timens abii, & abſcondi talentum tuum in terra: ecce habes quod tuum eſt. 26 Reſpondens autem dominus ejus, dixit ei: Serve male, & piger, ſciebas quia meto ubi non ſemino, & congrego ubi non ſparſi: 27 Oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, & veniens ego recepiſſem utique quod meum eſt cum uſura. 28 Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta. 29 Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. 30 Et inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & ſtridor dentium. 31 Cum autem venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ: 32 Et congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hœdis: 33 Et ſtatuet oves quidem à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris. 34 Tunc dicet rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. 35 Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me: 36 Nudus, & cooperuiſtis me: infirmus, & viſitaſtis me: in carcere eram, & veniſtis ad me. 37 Tunc reſpondebunt ei juſti, dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, & pavimus te: ſitientem, & dedimus tibi potum? 38 Quando autem te vidimus hoſpitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te? 39 Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? 40 Et reſpondens rex, dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. 41 Tunc dicet & his, qui à ſiniſtris erunt: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus. 42 Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitivi, & non dediſtis mihi potum: 43 Hoſpes eram, & non collegiſtis me: nudus, & non cooperuiſtis me: infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me. 44 Tunc reſpondebunt ei & ipſi, dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non miniſtravimus tibi? 45 Tunc reſpondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quandiu non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis. 46 Et ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.

CAP. XXVI.

Funditur unguentum: fit paſcha: hortus: cadit auris: Inſimulans teſtes: ſcommata: Petre negas.

1 Et factum eſt: eum conſummaſſet Jeſus ſermones hos omnes, dixit diſcipulis ſuis:

1 QVVM itaque Jeſus finiſſet hujuſmodi ſermones, quibus tot modis confirmarat animos ſuorum adverſus afflictiones imminentes, ne plane dejicerentur, quum mox viderent Dominum ſuum rapi ad ignominioſum ſupplicium, tandem palam auſus eſt illis aperire diem ac modum mortis ſuæ: cujus mentionem inculcat animis diſcipulorum; ne quum eam viderent, velut ad rem prorſus inexſpectatam ſic expaveſcerent, ut penitus deſponderent animum: præſertim quum intelligerent Jeſum ultro veniſſe ad mortem, quam alioqui licuiſſet effugere: neque prius occidi potuiſſe quam adeſſet ille dies, quem ipſe ſuæ morti præfinierat. Is autem erat dies Paſchæ, qui magna religione celebrabatur apud Hebræos, anniverſariam memoriam ſibi renovantes ejus diei, quo quondam apud Ægyptios agni ſanguine poſtibus illito liberati ſunt ab Angelo interfectore, & incolumes mare rubrum tranſierunt. In hujus rei memoriam quotannis immolabant agnum anniculum immaculatum, eumque ab Angeli tranſitu, marique feliciter tranſito, vocabant *phaſe*. Cæterum hæc erat imago Jeſu Chriſti, totum orbem à peccati tyrannide ſuo ſacroſancto ſanguine redemturi, qui ſolus omnium à peccatorum maculis fuit immunis. 2 Hujuſce rei diſcipulos ſubmonens Jeſus, ait: Scitis poſt biduum immolandum eſſe Paſcha, atque eo die filius hominis tradetur ad crucifigendum. 3 Cum igitur immineret dies ille ſacer ac lætus, cui celebrando conveniebat piis operibus præparari, congregati ſunt principes Sacerdotum & Seniores populi: quorum auctoritate decuerat populi furorem cohiberi, ſi quis exſtitiſſet. Congregati ſunt autem in atrium principis Sacerdotum, qui dicebatur Cajaphas. Nam hi potiſſimum conſpirarunt in Jeſum, quod metuerent, ne ſi ille eſſet incolumis, ſibi ſuus periret quæſtus & auctoritas. 4 Illic igitur impio conſilio decretum eſt, ut non palam ac vi, ſed dolo Jeſu manus injicerent & occiderent. 5 Ergo quum de homicidio conveniret inter male concordes proceres, conſultatum eſt de tempore. Quanquam enim vehementer ſitiebant ſanguinem innoxium, livore & odio rabidi, tamen viſum eſt in aliud tempus differre cædem, quod immineret in proximo dies ille præcipue ſacer ac feſtus Judæis. Verebantur enim, ne ſi illum aggreſſi fuiſſent eo die, quo populus ſolet frequentiſſime convenire, tumultus aliquis exoriretur, propterea quod non pauci eſſent in populo, qui miraculis conſpectis, & audita doctrina mirabili, & animadverſa morum incredibili manſuetudine, magnifice de illo ſentirent. Metuebant plebem, qui non metuebant Deum: nec verebantur homicidio polluere diem feſtum, qui non auſi fuiſſent veſci panibus fermentatis. Hoc conſilium illis Satanas ſuggeſſit, cupiens occultare victimam illam, orbi ſalutem allaturam. Sed aliter viſum eſt conſilio divino. Neque enim decuit eam hoſtiam furtim abjici, quam Pater voluit non pro Judaicæ gentis tantum, ſed pro totius etiam mundi ſalute immolari.

2 Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & Filius hominis tradetur ut crucifigatur.

3 Tunc congregati ſunt principes ſacerdotum, & ſeniores populi, in atrium principis ſacerdotum, qui dicebatur Caiphas

4 Et conſilium fecerunt ut Jeſum dolo tenerent, & occiderent.

5 Dicebant autem: Non in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo.

6 Quum autem Jeſus eſſet in Bethania in domo Simonis leproſi,

7 Acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum unguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis.

8 Videntes autem diſcipuli, indignati ſunt dicentes: Ut quid perditio hæc?

9 Potuit enim iſtud venumdari multo, & dari pauperibus.

6 Quum igitur Jeſus eſſet in Bethania, vicinus Hieroſolymis ubi erat crucifigendus, & accumberet in domo Simonis cujuſdam cognomento leproſi, 7 adiit eum mulier quædam habens alabaſtrum unguenti pretioſi, fractaque alabaſtro, unguentum effudit in caput ejus. 8 Diſcipuli quum viderent rem tanti pretii ſemel effuſam, obmurmurant indignantes. Sciebant enim Jeſum hujuſmodi deliciis nequaquam uti ſolitum, & magis ex animo illius futurum fuiſſe, ſi mulier alabaſtrum integram tradidiſſet, ut unguenti divenditi pretio ſublevarentur inopes: Quorſum, inquiunt, tam pretioſæ rei jactura? 9 Poterat enim vendi magno, ac pretium dari pauperibus.

A Hæc diſcipuli, non intelligentes quo conſilio paſſus ſit hoc Jeſus. Neque enim hujuſmodi deliciis capiebatur, ſed hoc honore decorari voluit mortem ſuam, quam nulla neceſſitate, ſed ſponte pro totius mundi ſalute paſſurus erat. Quum enim per omnem vitam humillime ſe geſſerit, mortem tamen, qua devicturus erat Diabolum, aliqua magnificentia cohoneſtavit. Eoque ſemel cum triumphali pompa vectus eſt Hieroſolymam: & tum ſepulturæ ſuæ honorem velut anticipans, unguento perfuſus eſt: & mortuus in ſepulchro novo, exciſo lapide, recondi voluit: & ſindone munda involvi, & nobilis viri B cura ſepeliri. Solent autem divitum & honoratiorum cadavera unguentis pretioſis oblini, ſive honoris gratia, ſive quo tueantur corpus adverſus putrefactionem. Quoniam autem ſciebat ſe prius revicturum quam hoc honoris exhiberent amici, ante mortem ſepulturæ pompam exhiberi paſſus eſt: videlicet ut multis modis mortis ſuæ mentionem ſuorum animis infigeret, & horrorem ejus mitigaret honore. 10 Quum igitur diſcipuli, rerum harum ignari, de ſumtu murmurarent, cohibuit eos Jeſus, dicens: Cur eſtis huic mulieri moleſti? pium officium mihi morituro præſtitit. Non decet ut hunc honorem ultimum mihi invideatis. 11 Pauperes vulgares C ſemper habetis vobiſcum, quibus licebit benefacere, me non ſemper habebitis. 12 Non periit hoc unguentum, ſed mulier hæc ceu præſagiens me brevi moriturum, prævenit officio ſepulturam meam: & vivo infundit, quod mortuo ſolet infundi. 13 Nolite itaque hujus obtrectare pietati: quæ adeo grata eſt Deo, ut poſteaquam Euangelium mortis meæ prædicabitur per univerſum mundum, ſimul & hujus mulieris futura ſit mentio, quæ pio ſanctoque officio meam prævenerit ſepulturam.

10 Sciens autem Jeſus, ait illis: Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonum operata eſt in me.

11 Nam ſemper pauperes habetis vobiſcum: me autem non ſemper habetis.

12 Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit.

14 Hæc oratio quum repreſſiſſet aliorum indignationem, qui ſimpliciter errabant, ignari myſterii, tamen Judam Iſcariotem nequaquam placabat, qui D falſo prætexuerat curam pauperum, quum illi magis eſſet cordi lucrum. Nam is geſtabat loculos, ſuffurari ſolitus nonnihil ex his, quæ pauperibus diſtribuenda dabantur à munificis amicis Jeſu. Hinc ille ſibi paulatim cenſum augebat. Quum igitur eſſet totus addictus teterrimo avaritiæ morbo, quod ſibi in unguento periſſe credebat, id ex Domini pretio penſare volens, adiit principes Sacerdotum ac Magiſtratus, quos ſciebat certis animis conſpiraſſe in necem Jeſu: neque quicquam eſſe in mora, niſi ut ſine tumultu caperetur. Ad id efficiendum nemo magis idoneus quam aliquis ex eorum numero, qui E proxime familiaritate Domino jungebantur, quos non fallebat quo ſe ſolitus eſſet conferre Jeſus. Habebat enim ſeceſſus ſuos ad precandum. Et inventus eſt in illo ſelectiſſimo choro duodecim, quos ſibi Chriſtus omnium primos adſciverat, cui carius eſſet impium lucrum quam Dominus tam mitis ac beneficus. Tanta peſtis eſt avaritia, ſi cujus animum penitus occuparit. Voluit autem Jeſus hac imagine ſignificare futuros, qui ſermonem Euangelicum proderent, ſtudio pecuniæ corrupti: & hoc facinus maxime profecturum ab his, qui quum ſint eccleſiaſticæ religionis proceres, conſcii videntur arcanorum Domini ſui: cui ſic ſunt familiares, ut ejus doctri- F nam perperam interpretando prodant impiis ac profanis Magiſtratibus, nihil aliud captantibus quam exitium Euangelicæ veritatis. 15 Aditis igitur Magiſtratibus dixit: Quid dabitis mihi mercedis, ſi vobis eum in manus tradidero? Atque illi pacti ſunt cum eo triginta denariis. Tantula mercede ad facinus immaniſſimum conduci poterat, tamque vili æſtimatus eſt pretioſus ille ſanguis, qui ſufficiebat univerſo mortalium generi redimendo. 16 Avidus igitur & inhians promiſſæ pecuniæ Judas ſtatim ex eo tempore captabat oportunitatem prodendi Jeſum.

14 Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iſcariotes, ad principes ſacerdotum:

15 Et ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos.

16 Et exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet.

17 Quum

Digitized by Google

17 *Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?*

[17] Quum igitur adesset primus dies è septem, quibus solenne erat Judæis abstinere à pane fermentato, etiam post esum Agni paschalis, adeunt Jesum discipuli, dicentes: Domine, quo loco vis paremus tibi convivium ad celebrandum pascha? Tanta erat inopia, ut nec ipse, nec discipuli domicilium haberent proprium, quo se reciperent. [18] At Jesus ut ostenderet totum negotium esse mysticum, nec casu geri, nec necessitate, sed omnia ex præscientia consilioque divino, respondit illis: Ite in civitatem, ac mox ingressis occurret homo quidam bajulans hydriam aquæ: eum sequemini, & quocunque fuerit ingressus, ingrediemini, dicetisque patrifamilias: Magister dicit: Tempus meum instat, apud te celebro pascha cum discipulis meis. Is vobis ostendet cœnaculum ingens & adornatum, ibi parate pascha. [19] Abierunt discipuli, & compererunt omnia, quæ prædixerat illis Jesus, ac loco, quo jusserat, appararunt illi convivium. [20] Sub vesperam autem eo se contulit Jesus, & cœnaturus accubuit cum duodecim discipulis suis. [21] Jamque cœnantibus illis ait Jesus: Unus vestrum me proditurus est. Hoc dixit, ut declararet se nihil omnino latere, simulque ut tacta conscientia proditoris resipisceret ad pœnitentiam. [22] Hoc audito sermone, mœror ingens cepit animos omnium. Sibi quisque suspectus erat ac diffidebat, conscius imbecillitatis humanæ. Cupientes igitur hac mœstitudine liberari, rogare cœperunt singuli: Num ego sum Domine? [23] Tum Jesus ut cæteros, mœrore propemodum exanimatos, aliquo pacto confirmaret, acriusque feriret Judæ conscientiam, si forte posset ad pœnitudinem commoveri, signo certiore designavit auctorem ejus facinoris, simulque commonefecit arctissimæ familiaritatis, quæ debuerat illum à tam væsano scelere revocare: Qui manum, inquit, intinxit mecum in catino, & non mensæ solum, sed & catini sodalis est, hic est me proditurus, proque familiaritatis officio plus quam hostilia redditurus, cum panis & salis communio soleat etiam ignotos amicitiæ fœdere jungere. [24] Atque hæc quidem ut acciderent Filio hominis, sic olim erat præfinitum à Patre, sic prædictum à Prophetis. Sed tamen væ homini illi, cujus scelere Filius hominis proditur. Abutitur quidem illius impietate sapientia divina ad salutem humani generis: sed non ideo minus nocens ille, qui sua malitia ad hoc facinus perductus est, quum à me nihil sit omissum, quod illius animo mederi potuisset. Itaque manet illum pro facto tam impio, pœna crudelissima, nisi resipiscat, ut præstiterit illi non omnino fuisse natum. [25] Hac oratione, quæ vel pudore sanare poterat improbum, vel pœna deterrere impium, adeo non est correctus Judas, ut impudentiam etiam addens sceleri, quasi nullius mali sibi conscius, rogaverit Dominum: Num ego sum is, Rabbi? Nec hic suæ lenitatis oblitus Jesus, respondit: Tu dixisti: indicans eum esse magis quam explicans: ac suspicionem simulat, dissimulans scientiam.

[26] In hac igitur extrema cœna, quam Jesus egit cum discipulis suis ante mortem suam, instituit sacrosanctum illud symbolum mortis suæ: ut subinde renovatum inter eos esset perpetuum monumentum immensæ caritatis ipsius, qua non dubitavit vitam suam impendere redimendo mortalium generi: ne quando posset elabi ex animis nostris divini illius sacrificii memoria, qua purissimus Agnus, novum ac verum Pascha, semetipsum immolavit in ara pro nobis Deo Patri, quem suo sanguine nobis ex irato propitium reddidit, pro nostris commissis ipse dependens pœnas, quæ nostris sceleribus debebantur. Hoc autem symbolum arcanum duabus rebus consecravit, quibus inter homines olim solet amicitia conciliari: ut ea caritas, qua Christus seipsum impendit suis, nos quoque coleremus: qui frequenter & ipsi ex eodem pane comedimus, deque eodem poculo bibimus: simulque spirituali quadam imagine referens ritus Mosaicæ Legis, juxta quam nulla fiebat expiatio è peccatis, nisi per sanguinem hostiæ: præterea significans sese novum fœdus Euangelicæ professionis hujusmodi mysterio consecrare. Moses enim quum recitasset volumen, quo continebantur præcepta legalia, populusque respondisset: Omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes: ex victimis, quas mactarat, parte sanguinis cratere hausta, adspersit populum, dicens: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super omnibus sermonibus his. Atque hæc quidem omnia figuris quibusdam & umbris designarant hanc sacrosanctam hostiam, qua Dominus Jesus suum corpus sponte tradens in mortem, & sanguinem suum effundens, expiaturus erat totius mundi peccata, cunctos homines gratuito reconcilians Deo, quicunque fœdus hoc novi Testamenti profiterentur. Eam victimam, hoc fœdus signis quibusdam mysticis commendari voluit animis suorum discipulorum, antequam immolaretur: ut intelligerent suam mortem non esse vulgarem, nec otiosam, sed efficacem victimam ad expianda peccata, non solum Judæorum, sed omnium gentium ac seculorum. Cæterum quoniam mors Christi non erat iteranda, ne quando tantum beneficium elabi posset ex animis hominum, neve sacrosancti fœderis semel initi, cum salutis suæ auctore possent oblivisci, instituit, ut crebra communione sacri panis & calicis, memoria renovaretur inter Euangelicæ Legis professores. Atque hoc signum inter suos milites sacrosanctum esse voluit, adeoque venerandum, ut quemadmodum multum divinæ gratiæ adderetur iis, qui pure digneque sumerent corpus & sanguinem Domini: ita qui sumerent indigne, sibi gravem damnationem accerserent. Accepit igitur Jesus panem in manus suas, quumque Deo laudis sacrificium obtulisset, fregit ac distribuit discipulis suis, dicens: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum.* [27] Deinde accepit & poculum in manus, quumque gratias egisset Patri, præbibit ac porrexit illis, dicens: *Bibite ex hoc poculo omnes.* [28] *Hic est enim sanguis meus, novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hoc quotiescunque facietis, facite in memoriam mei. Quoties enim edetis ex hoc pane, & ex hoc poculo bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec adveniat*, non jam servator, sed judex. Interim non erit exspectanda alia hostia pro peccatis, quandoquidem hæc una sufficit, pro abolendis peccatis totius mundi. [29] Dico autem vobis, non edam posthac ex hoc pane, donec edero vobiscum completum in regno Patris mei, nec amplius bibam ex hoc fructu vitis, donec bibero vobiscum novum in regno Patris mei. Nec Judam proditorem ab hoc sacro symbolo semovit clementissimus Dominus, ut hac tanta lenitate corrigeretur. Sed quoniam ille fœderis signum accepit, quum proditionem haberet in animo, discessit impurior quam venerat. [30] Quumque cecinissent Hymnum in laudem Dei, surrexerunt & abierunt in montem Oliveti, quem locum sciebat esse notissimum proditori, ne videretur latitare velle, veluti mortis metuens: sed ultro se subducit in locum solitarium, ut, quod illi captabant, absque populi tumultu capi posset.

[31] Ibi rursus prædicit discipulis fore, ut mox graviter turbarentur, viso Domini supplicio: sed ne penitus abjiciant animum, consolatur eos prophetia, & mox futura resurrectione, simul tempus, locumque vicinum designans, ubi rursus ipsum essent conspecturi: *Omnes*, inquit, *vos turbabimini hac nocte mea causa*: sic enim Deus Pater prædixit per os Zachariæ Prophetæ: *Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis.* [32] Sed non est quod desperetis, mors animos vestros conturbabit, sed mox consolabitur resurrectio. Resurgam enim tertio die, & *ubi resurrexero, præcedam vos in Galilæam.*

18 *At Jesus dixit: Ite in civitatem ad quemdam, & dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.*

19 *Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha.*

20 *Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis.*

21 *Et edentibus illis, dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est.*

22 *Et contristati valde, cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum Domine?*

23 *At ipse respondens, ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.*

24 *Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo: væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.*

25 *Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum Rabbi? Ait illi: Tu dixisti.*

26 *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis; & ait: Accipite, & comedite: hoc est corpus meum.*

27 *Et accipiens calicem gratias egit: & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes.*

28 *Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

29 *Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.*

30 *Et hymno dicto, exierunt in Montem oliveti.*

31 *Tunc dicit illis Jesus: Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis.*

32 *Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam.*

Digitized by Google

surrexero precedam vos in Galilæam. Ibi me vobis conspiciendum offeram. In hanc perturbationem Jesus passus est omnes suos incidere, quo factis ipsis doceret eos, quanta sit imbecillitas humanæ naturæ, quam sit stultum hominem sibi fidere, quo, sui facto periculo, discerent & aliorum infirmitatem sublevare. 33 Petrus itaque non satis sibi notus, fortitudine quadam humana ac temporaria negat futurum, quod Christus ex prophetia futurum prædixerat, quodque majoris erat temeritatis, unum se cæteris omnibus anteponit: *Etsi omnes*, inquit, *perturbati fuerint tua causa, ego tamen non perturbabor.* 34 Ad quem Jesus: Quid ais Petre, tu solus omnium non perturbaberis? Imo *illud pro certo dico tibi, priusquam gallus hac nocte bis cantet, ter me abnegabis.* 35 Ac ne sic quidem Petrus agnoscens imbecillitatem suam, pertinaciter respondit: *Etiamsi mihi tecum moriendum fuerit, non te abnegabo.* At Petri temeritatem imitati sunt & reliqui Apostoli, Christum & ipsi abnegaturi, si similis illos arctasset necessitas, quæ Petrum.

36 Tum Jesus sciens instare tempus, quo ventura esset tempestas suprema, abduxit discipulos suos undecim (nam Judas exierat à cœna) in villam quæ dicitur Gethsemani. Hîc juffit octo subsidere, qui tamen ægre divellebantur à magistro, quem amabant vehementer quidem, sed tamen affectu adhuc humano: *Commoremini*, inquit, *hoc loco, donec secedam in locum solitum, & orem illic.* 37 Non ausus est enim hos velut imbecilliores agonis sui testes facere, ne deficerent animis, sed tres duntaxat secum assumit, Petrum ac duos filios Zebedæi: ut quos in monte spectatores adhibuerat suæ majestatis, nunc testes haberet extremæ imbecillitatis humanæ: simulque doceret, ut quoties ingruit hujusmodi malorum tempestas atrocior quam ut humanæ vires ferre possint, prorsus diffisi nobis, totos nos divino præsidio committamus. Est autem mortis horror, si quando corripuit hominem, vel ipsa morte acerbior. Hic igitur tum cœpit invadere Jesum, sensitque mirum animi dolorem ac mœrorem. 38 Nec enim animi cruciatum obscurum esse voluit suis amicis selectis, quo plane viderent illum esse vere hominem, corporis pariter atque animi affectionibus obnoxium: *Mœsta*, inquit, *est anima mea usque ad mortem. Subsistite hîc & vigilate mecum*, tempus enim hoc non somnum postulat, sed vigilantem & intentam deprecationem. 39 *Progressus igitur pusillum Jesus* à tribus discipulis, *prono capite faciem deflexit in terram, atque* ita prostratus *Patrem deprecatus est, dicens: Pater mi, si fieri potest, transfer hoc* mortis *poculum à me*, nam sentio corporis affectum vehementer abhorrentem à morte. *Veruntamen fiat, non quod ego volo*, juxta corporis imbecillitatem, *sed quod tu vis* ad salutem humani generis. 40 *Hæc precatus rediit ad discipulos suos, ac reperit eos dormientes: dicitque Petro: Siccine*, qui modo jactabas te moriturum mecum, *non potuisti vel unam horam vigilare mecum?* 41 Ego pro vobis vigilo & oro. Vos una mecum *vigilate & orate* Patrem, *ne incidatis in tentationem*, & superemini. Non nisi vigilantibus contingit victoria. *Spiritus quidem promtus est, sed caro est infirma.* Hæc igitur ne spiritum obruat, vigilandum est, & spiritus auxilio divino fulciendus. 42 Sic excitatis suis, *rursus abiit Jesus, atque iterum totidem verbis oravit Patrem: Pater mi, si fieri non potest, ut poculum hoc transeat à me, nisi bibero ex eo, fiat voluntas tua.* 43 *Deinde denuo reversus est ad discipulos suos, ac rursus eos reperit dormientes. Erant enim oculi eorum vehementer gravati*, mœrore conduplicante somnolentiam. 44 Itaque relictis illis, tertio abiit solus oraturus pro suis, quandoquidem illos carnis imbecillitas obruebat. Ac tertio precatus est eodem sermone, quo nos doceret pertinaciter ac vehementer orandum, quoties imminet procella tentationis: tum enim adsunt Angeli, & robur addunt spiritui. 45 Mox rediit ad discipulos, & exprobravit illis intempestivam somnolentiam, quum tempus summam exigeret vigilantiam. Jam * inquiens adest tempestas, quæ vos imparatos & ideo impares reperiet. Jam, inquit, dormite & quiescite. En adest hora, qua Filius hominis innocens tradetur in manus impiorum. 46 Surgite igitur, eamus obviam venienti malo. Ecce in proximo est qui me prodit.

47 Nondum finierat hunc sermonem Jesus, & ecce Judas Iscariotes, unus è numero duodecim, venit, dudum Jesum ducem sequens, nunc factus sceleratæ turmæ dux sceleratior. Sequebatur enim illum ingens turba satellitum, cum gladiis & fustibus, quos in hoc miserant principes Sacerdotum ac Seniores populi, ut absque tumultu populi caperetur Jesus. Quanquam enim decreverant facinus hoc in aliud tempus proferre, tamen oblata proditoris oportunitate, mutavere sententiam. Eoque Judas & noctem delegerat, & locum in quo solitus erat cum paucis orare. 48 Denique ne vel in persona errarent, proditor docuerat illos, quo signo Jesum agnoscerent: *Cuicunque*, inquit, *dedero osculum, ille est, injicite illi manus.* 49 Præcessit igitur Judas Iscariotes, ac veluti salutandi causa adiit Jesum, dicens: *Ave Rabbi, simulque dedit osculum*, quod olim honoris & officii gratia fieri consuevit à salutantibus. 50 Jesus autem quo perfectum ubique mansuetudinis exemplar præberet suis, nec impium discipulum ab osculo repulit, nec exprobravit illi suam væsaniam, sed blando dicto tetigit illius conscientiam, dicens: *Amice, cujus rei gratia venisti?* sic enim acceserat cum osculo, quasi novæ rei quippiam dicturus. Ad hoc signum accurrit turba, & manus injecerunt in Jesum, ac tenuerunt eum. 51 Ad hunc tumultum vehementer commoti sunt discipulorum animi, quos ideo Jesus passus est in hunc affectum prolabi, ut omnem ulciscendi defendendique sui cupiditatem penitus ex animis eorum revelleret. Ac Petrus quidem, vel quia cæteris ubique fervention, vel quia magnifica quædam de se pollicitus fuerat, ne Domino suo deesse videretur, educto gladio percussit Malchum servum Cajaphæ, & amputavit auriculam ejus dexteram, sic ictum moderante Jesu, ut & leve vulnus esset, & id quicquid erat mox farserit, restituta auricula. Cæterum Petrus pio quodam erga Dominum amore erraverat, & hunc errorem propemodum ex verbis Jesu non intellectis hauserat. Jusserat enim eos divendita tunica emere gladios: quumque respondissent adesse gladios duos, ajebat, suffi-cit. At illi putantes de ferreo gladio loqui, quum Jesus de gladio spirituali sentiret, à cœna gladios secum extulerant, defensuri Dominum suum, si res ita tulisset, aut si ille jussisset. 52 Ut igitur hunc affectum penitus revelleret ex animis omnium discipulorum, acriter objurgavit Petrum: *Repone*, inquit, *gladium in locum suum. Qui gladio rem gerunt, gladio pereunt*, ultionis talione reciprocante in caput ipsorum. 53 Nobis non est opus isthac defensione, qui tolerando melius vincimus quam occidendo. Alioqui an mihi putas defutura præsidia, si placeret ista defensio? *An non possem rogare Patrem meum, & is mihi pro* duodecim discipulis, *mitteret auxilio duodecim legiones Angelorum?* 54 Sed ita visum est Patri, ita prædictum est à Prophetis. Neque quicquam horum casu fortuitove geritur. 55 Tum Jesus con-

33 *Respondens autem Petrus, ait illi: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor.*

34 *Ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis.*

35 *Ait illi Petrus: Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.*

36 *Tunc venit Jesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani, & dixit discipulis suis: Sedete hic, donec vadam illuc, & orem.*

37 *Et assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari & mœstus esse.*

38 *Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hic, & vigilate mecum.*

39 *Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans, & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste. verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.*

40 *Et venit ad discipulos suos, & invenit eos dormientes, & dicit Petro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum?*

41 *Vigilate, & orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* 42 *Iterum secundo abiit, & oravit, dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* 43 *Et venit iterum, & invenit eos dormientes: erant enim oculi eorum gravati.* 44 *Et relictis illis, iterum abiit, & oravit tertio, eumdem sermonem dicens.*

45 *Tunc venit ad discipulos suos, & dicit illis: Dormite jam, & requiescite: ecce appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum.*

46 *Surgite eamus: ecce appropinquavit qui me tradet.*

47 *Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim venit, & cum eo turba multa, cum gladiis & fustibus, missi à principibus sacerdotum, & senioribus populi.*

48 *Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.*

49 *Et confestim accedens ad Jesum, dixit: Ave Rabbi. Et osculatus est eum.*

50 *Dixitque illi Jesus: Amice, ad quid venisti? Tunc accesserunt, & manus injecerunt in Jesum, & tenuerunt eum.*

51 *Et ecce unus ex his qui erant cum Jesu, extendens manum, exemit gladium suum, & percutiens servum principis sacerdotum amputavit auriculam ejus.*

52 *Tunc ait ille Jesus: Converte gladium tuum in locum suum. omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.*

53 *An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum?* 54 *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?* 55 *In illa hora dixit Jesus turbis: Tamquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me: quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis.*

* Alia Editio, *enim.*

Digitized by Google

converſus ad turbam dixit: nunc armati gladiis & fuſtibus prodiſtis ad comprehendendum me. Atqui quum quotidie federem apud vos in Templo docens & ſanans ægrotos, non mihi injiciebatis manus. Nunc nocte intempeſta, ſilentem quæritis in receſſu. [56] Sed hæc omnia fiunt, non veſtra violentia, ſed diſpenſatione conſilii divini, de quo jam olim vaticinatæ ſunt Scripturæ Prophetarum. Hoc audito, diſcipuli videntes nullam eſſe ſpem, Jeſu ſeſe offerente ad necem, deſerto Domino fugerunt.

[57] *Illi vero* nec † commemoratione doctrinæ beneficentiæque Jeſu deliniti, *captum adduxerunt ad domum Cajaphæ principis Sacerdotum, quo Scribæ & Seniores convenerant.* [58] Petrus autem ſolus, nam cæteri diſcipuli metu territi alius alio fugerant, tametſi non ſucceſſerat pugna, tamen non poterat omnino abjicere curam Domini, quem vehementer amabat: nec rurſus audebat adeſſe: ſequitur tamen, utcunque procul, ac tandem per tenebras ingreſſus eſt ignotus in atrium Cajaphæ. Mox ingreſſus intro, ſedebat admixtus miniſtris, ad prunas calefaciens ſe, ut quando non poterat defendere Jeſum, ſaltem videret quis eſſet exitus judicii. Siquidem adhuc nonnulla ſpes alebat animum Petri. [59] Porro principes Sacerdotum totumque concilium, quo ſpeciem aliquam legitimi judicii prætexerent, ſubornare ſtudebant falſos teſtes adverſus Jeſum, cujus tanta erat innocentia, ut hoc quoque difficile fuerit, ſic de illo mentiri, ut aliquam veri faciem haberet mendacium. [60] Quumque multi prodiſſent falſi teſtes, ſed quorum ipſa ſe teſtimonia refellerent, adeo male compoſita, ut nec apud illos judices, & apud talem coronam haberentur idonea: *tandem prodeunt duo falſi teſtes,* [61] *qui dixerunt: Hic dixit: poſſum deſtruere Templum Dei, & poſt triduum inſtaurare illud.* Hujus mendacii occaſionem ſumſerant ex verbis Chriſti, qui dixerat: *Solvite Templum hoc, & in triduo ſuſcitabo illud:* nimirum ſignificans ſe quidem ab illis occidendum, ſed intra triduum revicturum. Ea verba non intellecta, depravabant etiam teſtes, quo res eſſet odioſior. Non enim dixit, *poſſum deſtruere*, ſed *ſolvite vos:* nec dixerat, *readificabo*, ſed *ſuſcitabo*, alludens ad corpus exanimandum & revicturum. [62] Hoc igitur teſtimonium, quoniam aliquid ponderis habere videbatur, nec reperiebatur aliud magis idoneum, ſurrexit princeps Sacerdotum, & judicis æqui ſimulans imaginem, quaſi Jeſu facturus poteſtatem defendendi ſui, dixit: *Nihil reſpondes ad hæc teſtimonia, qua feruntur adverſus te?* [63] *Jeſus autem obticuit*, ſciens quicquid dicturus eſſet, rapiendum in calumniam. Tum princeps Sacerdotum cupiens extorquere nonnihil unde condemnaretur Jeſus, jam enim illius væſaniæ longa erat omnis mora, ait illi: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, an tu ſis Chriſtus Filius Dei.* Erat hoc inſidioſum problema Pontificis impii. Si negaſſet ſe Filium Dei, exclamaſſet, cur igitur tibi ſumis quod non es? Si affirmaſſet, calumniaturus erat blaſphemiam. Si obticuiſſet adjuratus, viſus fuiſſet contemnere Deum, & auctoritatem ſummi Sacerdotis. Qualis autem erat qui adjurabat? Sceleſtus Pontifex, qui honorem annuum pecunia mercatus fuerat ab Herode: & per Deum adjurat, qui Filium Dei oppugnabat. [64] Jeſus tamen veluti deferens honori quem gerebat, rogatus an eſſet Chriſtus Filius Dei, reſpondit: *Tu dixiſti*, ſic confitens eſſe ſe quod erat, ut tamen vitarit arrogantiæ notam. Et adjecit, quod impium Pontificem ab inſtituto facinore debuerat revocare: *Attamen*, inquiens, *illud dico vobis, poſthac videbitis Filium hominis aſſidentem dextrum virtuti Dei, cumque majeſtate venientem in nubibus cæli.* Subindicabat ſe tum humilem & ab impiis condemnatum, olim venturum cum poteſtate divina, judicem totius mundi. [65] Hoc ſermone magis etiam irritatus princeps Sacerdotum, quo ficto religionis ſtudio, Chriſti crimen faceret atrocius, diſcidit veſtimenta ſua, & ait: *Loquutus eſt blaſphemiam.* Uſurpat ſibi divinos honores, cum ſit homo. *Quid præterea teſtibus opus eſt? Ecce nunc audiſtis blaſphemiam* manifeſtariam. *Quid vobis videtur?* [66] *Illi reſpondentes: Commeruit mortem.* [67] Tunc velut in jure damnatum ſævire cœperunt ludibriis, quorum nihil non manſuetiſſime paſſus eſt Jeſus, ut abſolutum exemplum tolerantiæ ſuis exhiberet. *Exſpuebant in faciem ejus, & velata facie ejus, impingebant illi colaphos. Rurſus alii palmas incutiebant in faciem ejus, dicentes:* [68] *Vaticinare nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit.* His contumeliis exprobrabant ei, quod Meſſias haberi voluiſſet, quod Prophetæ titulo fuiſſet à populo honoratus.

[69] *Interea Petrus ſedebat foris in atrio*, procul contemplans triſte ſpectaculum, & operiens exitum rei, nec audens accedere propius, ne à miniſtris agnoſceretur. *Et adiit eum ancilla quapiam*, noſcitans illum, *& ait: Tu quoque fuiſti aſſectator iſtius Galilæi.* [70] Hîc *Petrus* ad ancillæ vocem exanimatus, & oblitus illius magnificæ vocis, qua dixerat Chriſto, *Etſi oportuerit me mori tecum, non te negabo, coram omnibus abnegavit Dominum ſuum, dicens: Neſcio quid dicas.* Et continuo gallus cantavit. [71] Quum autem parat exire, *in ipſis foribus vidit illum altera ancilla, qua* prodens illum miniſtris *adſtantibus, ait: & hic erat cum Jeſu Nazareno.* [72] *Et rurſus abnegavit, adjurans ſe non noviſſe hominem.* [73] *Ac paulo poſt quidam ex his qui adſtabant, agnoſcentes Petrum, dicebant: profectò & tu ex hoc numero es. Siquidem* non facies ſolum, ſed & *ſermo tuus te prodit*, quod Galilæus ſis. [74] *Tunc* magis etiam expavefactus *Petrus, cœpit* non ſolum abjurare Jeſum, ſed & *exſecrationibus devovere ſeipſum, ſi noviſſet hominem. Et continuo gallus iterum cantavit.* Poſt hæc intuitus eſt illum Jeſus, & oculis illi loquens admonuit. [75] *Tunc* demum *Petrus* ad ſe reverſus, *recordatus eſt quod ipſe prædixerat Jeſus*, jactanti fortitudinem ſuam, *priuſquam gallus bis canet, ter me negabis.* Quoniam autem expavefactus metu peccarat imbecillitate humana, non deſtinata malitia, meruit miſericordiam. Paſſus eſt hoc Chriſtus in ſuo Apoſtolo ſelecto, ne quis quamvis graviter lapſus deſperaret de venia, modo reſipiſcat, & animi maculam lachrimis abluat. Petrus enim, qui ſibi velut exciderat, ad intuitum Jeſu ſtatim reſipuit. *Et egreſſus foras, flevit amare.*

CAP. XXVII.

Gutture Juda luit: Barabas: ſors: nox: probra: ſigna: Donatum corpus: milite cincta petra.

[1] His igitur impiis & crudelibus factis ea nox pervigilata eſt religionis antiſtitibus. Porro quum appeteret dies, rurſus inierunt conſilium principes Sacerdotum & Seniores populi adverſus Jeſum, ut eum morti traderent. [2] Vinctum itaque tradiderunt Pontio Pilato præſidi, ut in damnatum animadverteret. [3] Hîc Judas, qui prodiderat eum, videns quod jam damnatus eſſet, & ad extrema pertenderent, actus pœnitentia, retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum & Senioribus populi, [4] dicens: Peccavi qui prodiderim ſanguinem innoxium. Hujus certe confeſſio debuerat commovere principum animos. Fatetur avaritiæ morbo factum, & innocentem fatetur, quem prodidit. [5] At illi prorſus efferati, nec aliud quam innoxium ſanguinem ſitientes, reſponderunt: Quid noſtra refert, an

56 *Hoc autem totum factum eſt, ut adimplerentur Scripturæ prophetarum. Tunc diſcipuli omnes relicto eo, fugerunt.*

57 *At illi tenentes Jeſum, duxerunt ad Caiphan principem ſacerdotum, ubi Scribæ & ſeniores congregati erant.*

58 *Petrus autem ſequebatur eum à longe, uſque in atrium principis ſacerdotum. Et ingreſſus intro, ſedebat cum miniſtris, ut videret finem.*

59 *Principes autem ſacerdotum, & totum concilium, quærebant falſum teſtimonium contra Jeſum, ut eum morti traderent.*

60 *Et non invenerunt, cum multi falſi teſtes acceſſiſſent. Noviſſimè autem venerunt duo falſi teſtes,*

61 *Et dixerunt: Hic dixit: Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud.*

62 *Et ſurgens princeps ſacerdotum, ait illi: Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti adverſum te teſtificantur?*

63 *Jeſus autem tacebat. Et princeps ſacerdotum ait illi: Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis ſi tu es Chriſtus filius Dei.*

64 *Dicit illi Jeſus: Tu dixiſti. verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.*

65 *Tunc princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens: Blaſphemavit: quid adhuc egemus teſtibus? Ecce nunc audiſtis blaſphemiam:*

66 *Quid vobis videtur? At illi reſpondentes dixerunt: Reus eſt mortis.*

67 *Tunc expuerunt in faciem ejus, & colaphos eum cecciderunt, alii autem palmas in faciem ejus dederunt.*

68 *Dicentes: Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit?*

69 *Petrus vero ſedebat foris in atrio: Et acceſſit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cum Jeſu Galilæo eras.*

70 *At ille negavit coram omnibus, dicens: Neſcio quid dicis.*

71 *Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi: Et hic erat cum Jeſu Nazareno.*

72 *Et iterum negavit cum juramento: Quia non novi hominem.*

73 *Et poſt puſillum accedentes qui ſtabant, dixerunt Petro: Vere & tu ex illis es: nam & loquela tua manifeſtum te facit.*

74 *Tunc cœpit deteſtari & jurare quia non noviſſet hominem. Et continuo gallus cantavit.* 75 *Et recordatus eſt Petrus verbi Jeſu, quod dixerat: Priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egreſſus foras, flevit amare.* 1 *Mane autem facto, conſilium inierunt omnes principes ſacerdotum & ſeniores populi adverſus Jeſum, ut eum morti traderent.* 2 *Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præſidi.* 3 *Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus eſſet; pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum, & ſenioribus.* 4 *Dicens: Peccavi, tradens ſanguinem juſtum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris.* 5 *Et projectis argenteis in templo,*

† Alia Editio, *memoria.*

receſſu: & abiens laqueo ſe ſuſpendit.

an nocentem prodideris, an innocentem? Tu videris. Judas jam lucri pœnitens, cupiebat pacta reſcindere, ſed illorum crudelitas nullo modo potuit miteſcere. Judas igitur abjectis ad pedes illorum argenteis, receſſit, & impium ſcelus graviore ſcelere cumulavit. Agnovit magnitudinem ſceleris ſui, ſed non agnovit magnitudinem miſericordiæ divinæ. Flevit Petrus amare, & miſericordiam conſequutus eſt. Flevit & Judas, ſed abjecto magis animo quam converſo, & ideo digreſſus ſuſpendit ſe laqueo, & crepuit medius, & effuſa ſunt viſcera ejus. [6] Hinc rurſus conſultatio inter principes Sacerdotum, qui quo notior eſſet omnibus ipſorum immanitas, nihil abſque communi conſilio peragebant. Deliberant in quem uſum eſſent collocandi triginta argentei, quos Judas ad pedes illorum abjecerat. Et præpoſtere religioſi, quum illis nulla eſſet religio occidere innoxium, & ſic de ipſis meritum: Non eſt fas, inquiunt, pecuniam hanc referre in corbonam, hoc eſt, in donaria Templi, quibus multum religionis tribui volebant. Eſt enim pretium ſanguinis. Non oportet autem Templi ſanctimoniam ſanguine pollui. Atque interim produnt ſceleratam conſcientiam ſuam, confitentes innoxium, cujus proditionem emerant. [7] Itaque ne non eſſet ſcelus omnium commune, coacto concilio, mercati ſunt ea pecunia agrum figuli cujuſdam: videlicet in pios uſus, ut illic ſepelirentur peregrini, veluti ſcelus, quod erat in manibus, hoc officio penſaturi. [8] Et tamen hac via peſſime conſuluerunt ſuæ famæ. Nec enim alio pacto poterant magis traducere ſuam impietatem. Siquidem res adeo venit in fabulam vulgi, ut hodie quoque ager ille Syris dicatur *Acheldema*, hoc eſt, *ager ſanguinis*. [9] Nec hoc fortuito factum eſt, ſiquidem hoc fore prædixerat Hieremias: *Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quod appretiaverunt à filiis Iſrael:* [10] *Et dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus.*

[11] Quum igitur Jeſus ſtaret ante Præſidem, veluti reus, inſtanter accuſabant eum de multis, ſilentes interim de blaſphemia, de religione Templi violata, deque adventu filii hominis, quibus rebus ſciebant Pilatum alienum ab hujuſmodi ſuperſtitione leviter commovendum eſſe, ingerunt alia ficta crimina, quæ Præſidis animum in Jeſum poſſent accendere. Hunc, inquiunt, comprehendimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dari Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe. Pilatus audita mentione Regis, quoniam hoc ad Cæſarem pertinere videbatur, rogavit Jeſum, Tune es Rex Judæorum? Jeſus ne nihil reſpondendo ſuperbus videretur, ait: Tu dicis. Non omnino negans ſe Regem, ſed tamen addens regnum ſuum ſpirituale eſſe, non mundanum, ut hoc nihil ad Cæſarem aut Herodem pertineret. [12] Rurſum quum inſtarent accuſatores, Pilatus cupiens ex ipſo elicere quo liberaretur: [13] Non audis, inquit, quam atrocia crimina impingunt iſti? [14] Jeſus autem ad hæc nihil omnino reſpondit, ita ut vehementer admiraretur Præſes, hominem innoxium, in periculo capitis, tanta manſuetudine obticeſcere. Pilatus ex ipſo vultu habituque Jeſu perſpiciens illum procul abeſſe à ſuſpicione affectati regni, ait ad principes Sacerdotum & horum comites: Non reperio quicquam noxiæ capitalis in hoc homine. At illi tanto magis invaleſcebant, dicentes: Seditioſus eſt, commovit populum doctrina ſua, obambulans per univerſam Judæam, exorſus à Galilæa, ad hunc uſque locum. Pilatus intelligens innoxium eſſe Jeſum, ſed Sacerdotes & Scribas invidia ſtimulatos moliri quod moliebantur, ideoque captans occaſionem abſolvendi Jeſum, aut certe à ſuo tribunali ablegandi, cum audiſſet nomen Galilææ, rogabat cujas eſſet Jeſus: cumque cognoviſſet, quod oriundus ex ea parte Galilææ, cui imperabat Herodes, remiſit eum ad Herodem, qui tum forte Hieroſolymis erat. Herodes autem conſpecto Jeſu, vehementer gaviſus eſt; multum enim temporis erat, quod tenebatur cupiditate videndi Jeſu, propterea quod fama prodigioſa quædam de illo ſparſerat. Itaque ſperabat fore, ut apud ſe quoque miraculum aliquod ederet. Cumque multis de rebus percunctaretur illum Herodes, Jeſus nihil reſpondit, qui non in hoc venerat, ut Principum curioſitatem delectaret, ſed ut hominum ſaluti conſuleret. Cumque & apud hunc multis nominibus accuſaretur, neque quicquam reſponderet, ſprevit illum Herodes cum ſua cohorte: ac ludibrii cauſa veſte alba indutum, remiſit ad Pilatum. Atque hac occaſione facti ſunt amici Pilatus & Herodes, quum antea diſſidium fuiſſet inter eos.

[15] Pilatus itaque convocatis principibus Sacerdotum, Magiſtratibus ac plebe, teſtatus eſt ſe nihil comperiſſe in Jeſu criminum, quæ illi multa objiciebant: quin & Herodem velut inſontem dimiſiſſe, non facturum, ſi cui capitali crimini judicaſſet obnoxium. Ut autem placaret invidiam Judæorum: Emendatum, inquit, illum dimittam. Cumque nihil his verbis proficeretur, quærit aliam anſam liberandi Jeſum. Mos erat apud Judæos, ut in die feſto, religionis gratia, Præſes dimitteret eis unum aliquem ex iis, qui ſervabantur in vinculis. [16] Habebat autem tum in vinculis inſignem quendam ac famoſum latronem, cui nomen Barrabas, quod nomen ſciebat inviſum populo. [17],[18] Convocatis igitur ad ſe Judæis, rogabat, utrum vellent ſibi condonari, Barrabam, an Jeſum, ſperans fore, ut præ tam infami notæque violentiæ latrone mallent abſolvi Jeſum. [19] At iterum ſedente pro tribunali Præſide, mittit ad eum uxor, qui diceret illi ſuo nomine, ne ſe contaminaret ſanguine hominis innoxii: ſe enim viſis horribilibus ea nocte fuiſſe Jeſu cauſa vexatam. Nec hoc temere accidit, ſed diſpenſatione divina, ne quis eſſet, unde non haberet teſtimonium innocentiæ ſuæ Jeſus. Illud enim magnopere referebat, ut conſtaret omnibus, mortem eam nobis redimendis fuiſſe gratis impenſam. [20] Cumque populus nutaret, utrum mallent ſibi donari, ſuaſu Sacerdotum & Seniorum factum eſt, ut ſibi poſcerent Barrabam, & hujus loco Jeſus occideretur. Tale eſt judicium, & hæc eſt gratitudo populi: hæc eſt ſimulata Sacerdotum ac majorum religio. Religio erat illis ingredi prætorium Pilati, quo puri comederent agnum paſchalem: & religio non erat innoxium, tot virtutibus ac beneficiis ſpectatum, tanta veſania ad mortem adigere. [21] *Pilatus itaque rurſum propoſuit, utrum vellent dimitti, Barrabam, an Jeſum. Illi acclamabant, Barrabam.* [22] *Rurſum Pilatus: Quid igitur faciam de Jeſu, qui dicitur Chriſtus?* Sperans fore, ut mitiore *quadam pœna forent contenti. [23] *At illi magno vocum conſenſu acclamarunt, crucifigatur.* Erat hoc ſupplicii genus ut atrox, ita cum primis infame. *Rurſum Pilatus: Crucifigam innoxium? Quid commeruit?* Nihil in eo comperio dignum ſupplicio capitis. Caſtigatum itaque dimittam illum. His verbis magis etiam accendebatur inſania populi vociferantis: Tolle, tolle, crucifige hominem. [24] *Pilatus animadvertens, quod* tentatis omnibus *nihil proficeret, ſed magis excitaretur populi tumultus*, prius abſolvit Jeſum quam damnaret. Siquidem *præſente populo ſumta aqua lavit manus ſuas, dicens: Innoxius ego ſum à ſanguine juſti hujus*, vos eſtis mortis auctores, non ego, in veſtrum caput recidet ultio ſanguinis innoxii. [25] Nec hac voce deterriti ſunt infelices Judæi, ſed ſimul univerſus populus exclamavit: *Veniat ſanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros.* Sibi ac poſteris ſuis imprecati ſunt exitium. Sed Chriſtus clementior in illos, quam eſſent in ſeſe, nemi-

* Altera Editio, *quapiam.*

nem

6 *Principes autem ſacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam: quia pretium ſanguinis eſt.*

7 *Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum.*

8 *Propter hoc vocatus eſt ager ille, Hacheldama, hoc eſt, ager ſanguinis, uſque in hodiernum diem.*

9 *Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Jeremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt à filiis Iſrael:*

10 *Et dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus.*

11 *Jeſus autem ſtetit ante præſidem, & interrogavit eum præſes, dicens: Tu es Rex Judæorum? Dicit illi Jeſus: Tu dicis.*

12 *Et cum accuſaretur à principibus ſacerdotum, & ſenioribus, nihil reſpondit.*

13 *Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta adverſum te dicunt teſtimonia?*

14 *Et non reſpondit ei ad ullum verbum: ita ut miraretur præſes vehementer.*

15 *Per diem autem ſollemnem conſueverat præſes populo dimittere unum vinctum, quem voluiſſent.*

16 *Habebat autem tunc vinctum inſignem, qui dicebatur Barabbas.*

17 *Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Jeſum, qui dicitur Chriſtus?*

18 *Sciebat enim quod per invidiam tradidiſſent eum.*

19 *Sedente autem illo pro tribunali, miſit ad eum uxor ejus, dicens: Nihil tibi, & juſto illi. multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum.*

20 *Principes autem ſacerdotum, & ſeniores perſuaſerunt populis ut peterent Barabbam, Jeſum vero perderent.*

21 *Reſpondens autem præſes, ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimittit? At illi dixerunt: Barabbam.*

22 *Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Jeſu, qui dicitur Chriſtus?*

23 *Dicunt omnes: Crucifigatur. At ille præſes: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant dicentes: Crucifigatur.*

24 *Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret: acceptа aqua, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus: vos videritis.*

25 *Et reſpondens univerſus populus, dixit: Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros.*

Digitized by Google

nem repulit à venia, modo resipiscoeret. Complures enim post adoraverunt crucem Christi, qui tunc in turba clamaverant: Tolle, tolle, crucifige. [26] Pilatus itaque victus illorum pertinaci vesania, condonavit illis Barrabam, auctorem seditionis & homicidam: & omnium judicio damnatum, etiam ante judicium, Jesum autem, ex more Romano flagris cæsum, tradidit ut crucifigeretur.

[27] Tunc milites Præsidis, cum accepissent Jesum in prætorio, congregaverunt ad eum universam cohortem, ut ex innoxii ludibriis crudelissimam caperent voluptatem, partim ingenio suo obsequentes, partim à Judæis instigati. [28] Quoniam autem audierunt quod se Regem faceret Judæorum; velut exprobraturi homini tam contemto superbiam affectati regni, spoliatum vestibus suis, induunt chlamydem coccineam, videlicet pallium Regale. [29] Deinde diadematis loco coronam imponunt capiti è spinis contextam. Sceptri loco, arundinem dant illi in dextram. Jamque veluti consalutantes novum Regem, flexis genibus coram eo, illudebant, dicentes: *Ave Rex Judæorum.* [30] Nec his contenti contumeliis, exspuerunt in eum: & arundine, quam sceptri vice dederant, percutiunt spinis coronatum caput ejus. Cumque nihil contumeliæ omitterent, ille summa mansuetudine passus est omnia, quo suis ederet absolutum exemplar tolerantiæ. [31] Postcaquam igitur milites omni ludibriorum genere satiassent animos & oculos cohortis, rursus detrahunt illi chlamydem, & induerunt eum vestimentis propriis, quo magis agnosceretur ab omnibus. Educunt igitur Jesum è prætorio bajulantem crucem suam. [32] Atque inter eundum repererunt Simonem quendam Cyrenæum, quem compulerunt bajulare crucem Jesu. [33] Et venerunt in locum ubi crucifigendus erat, qui Syris dicitur *Golgotha*, id est, *Calvariæ locus*, quod funestus esset ossibus & calvariis interfectorum. [34] Hic ne qua pars esset corporis à cruciatu libera, aut ne quid omitteretur ludibrii, porrexerunt illi poculum ad bibendum, aceto ac felle temperatum, ut impleretur quod scriptum est in vaticinio: *Dederunt in escam meam fel, & in siti potaverunt me aceto.* Ubi vero gustasset Jesus, noluit bibere. [35] Cæterum postcaquam crucifixissent eum, partiti sunt inter se vestimenta Jesu. Cæterum pro tunica, quæ sic erat contexta, ut diffui non posset, sortiti sunt: ut perficeretur quod dixerat prophetia: *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* [36] Et assidentes cruci servabant eum, ne quis tolleret eum. [37] Quin & titulus ludibrii causa impositus est cruci: *Hic est Jesus Rex Judæorum*, qui tamen ipse honorificentior erat quam ut ferre possent Judæi. Siquidem apud Pilatum egerant, ut is titulus corrigeretur, nec poneretur *Rex Judæorum*, sed *hic fecit se Regem Judæorum.* Atque hac una in re passi sunt Pilatum vincere. [38] Quin & hoc curatum est à Judæis, ut simul cum eo crucifigerentur duo latrones, sic ut Jesus medius, à dextris haberet unum, ad lævam alterum: ut omnibus & ipse vanus & impostor haberetur, & illorum similis, quibus erat adjunctus. [39] His tantis malis nondum erat saturata Judæorum crudelitas. Insultant crucifixo, ac prætereuntes convitia jaciebant in eum, motis capitibus subsannantes eum, ac dicentes. [40] *Vah, tu ille, qui demoliris Templum Dei, & in triduo rursus instauras.* Pollicebaris aliis salutem, *nunc salvum fac temetipsum.* Jactabas te Filium Dei, *nunc igitur descende de cruce.* [41] Similiter & principes Sacerdotum una cum Scribis & Senioribus populi, convitiis insultabant illi: [42] *Aliis salutem contulit, nunc sibi ipsi non potest esse saluti. Si Rex Israel est*, ut videri voluit, declaret nunc quid possit, *descendat de cruce, & credemus ei:* [43] *Confidit in Deo*, quem jactabat patrem suum, *liberet eum nunc, si diligit eum.* [44] Atque ut omni ex parte convitiis incesseretur innocentissimus Jesus, latrones quoque supplicii socii similia quædam exprobrabant illi. Quæ omnia pertinaci patientia toleravit Jesus, ut perageret salutiferum illud pro omnibus sacrificium. Continuit virtutem divinam, & humanam naturam totam omnibus cruciatibus exposuit. Et adeo non regessit, aut ultus est tam atrocem maledicentiam, etiam morienti irrogatam, & ipsa cruce acerbiorem, ut Patrem interim deprecatus sit pro militibus ac Judæis insultantibus, & alterum è latronibus resipiscentem receperit in paradisum suum.

[45] Sol ipse sensit innoxii supplicium, & hujus facinoris tam impii non sustinuit esse spectator. Obduxit atra nube faciem suam, & totam eam regionem caligo quædam obtexit, ab hora sexta usque ad horam nonam. Nec interim discuti potuit caligo Judaicarum mentium. [46] *Porro circiter horam nonam, Jesus clamat voce magna dicens* illud è Psalmo, ELI ELI LAMA SABACTHANI, *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* [47] Quidam autem adstantes & audientes procul Eli, ac suspicantes eum implorare auxilium Eliæ, dicunt: Eliam vocat iste. Videamus an veniat invocatus, & opituletur illi. Tum Jesus ut ostenderet veram esse mortem, quam pro omnibus oppetebat, clamavit, *sitio.* Solet enim sitis vulnera & sanguinis profusionem comitari, quæ nonnunquam est illis supplicium morte atrocius. [48] Et accurrens quidam spongiam imbutam aceto impositam summæ arundini admovit ori pendentis. [49] Vehementer sitiebat Jesus salutem hominum, sed Judæi præter fel & acetum nihil offerunt. [50] * Itaque post gustatum acetum dixit, *Consummatum est*, significans nihil esse prætermissum, quod ad ejus sacrificii ritum pertineret. Moxque ut declararet sese sponte ponere animam suam, ubi spiritum suum Patri commendasset, emissa magna voce, & inclinato capite mortuus est.

[51] Ac protinus omnia testata sunt mortem efficacem Domini Jesu. Siquidem velum Templi, quod separabat sancta à reliqua parte Templi, ultro scissum est in duas partes, indicans Mosaicæ Legis umbras posthac evanituras ad coruscantem Euangelii Lucem: ad hæc terra concussa est, & petræ scissæ sunt, Judæis exprobrantes cordis invincibilem duritiem. [52] Monumenta aperta sunt, multaque corpora sanctorum, qui mortui fuerant, revixerunt: [53] & egressi è monumentis post Christi resurrectionem venerunt in sanctam civitatem Hierusalem, & apparuerunt multis, præcones ac socii resurrectionis Jesu. [54] Porro Centurio & hujus comites, qui aderant ut servarent Jesum, sentientes terræmotum, tenebras, petras scissas, cæteraque prodigia, vehementer timuerunt, dicentes: *Vere Filius Dei erat iste.* [55] Aderant autem illic & fœminæ complures, procul spectantes quæ gerebantur, quæ sequutæ fuerant Jesum à Galilæa subministrantes illi necessaria, [56] inter quas erat Maria Magdalene, & Maria mater Jacobi & Joseph, item mater filiorum Zebedæi, cumque his aliæ complures.

[57] Quum autem immineret nox, dives quidam De-

* Alia Editio, *Itaque rursus abstinuit, dicens.*

26 *Tunc dimisit illis Barabbam: Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur.*

27 *Tunc milites præsidis suscipientes Jesum in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem:*

28 *Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei,*

29 *Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, & arundinem in dextera ejus. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave rex Judæorum.*

30 *Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus.*

31 *Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis ejus, & duxerunt eum ut crucifigerent.*

32 *Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus.*

33 *Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus.*

34 *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cum gustasset, noluit bibere.*

35 *Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes: ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* 36 *Et sedentes servabant eum.* 37 *Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam: HIC EST JESUS REX JUDÆORUM.* 38 *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones; unus à dextris, & unus à sinistris.* 39 *Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua,* 40 *& dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud ædificas: salva temetipsum: si Filius Dei es, descende de cruce.* 41 *Similiter & principes sacerdotum illudentes cum Scribis & senioribus dicebant.*

42 *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei:*

43 *Confidit in Deo; liberet nunc, si vult, eum: dixit enim: Quia filius Dei sum.*

44 *Idipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.*

45 *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam.*

46 *Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens: Eli, Eli, lamma sabacthani? hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*

47 *Quidam autem illic stantes, & audientes, dicebant: Eliam vocat iste.*

48 *Et continuo currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere.*

49 *Cæteri vero dicebant: Sine videamus an veniat Elias liberans eum.*

50 *Jesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum.*

51 *Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo usque deorsum. Et terra mota est, & petræ scissæ sunt,* 52 *Et monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* 53 *Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis.* 54 *Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terræ motu & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iste.* 55 *Erant autem ibi mulieres multæ à longe, quæ secutæ erant Jesum à Galilæa, ministrantes ei:* 56 *Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi & Joseph mater, & mater filiorum Zebedæi.* 57 *Cum autem sero factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Joseph, qui &*

Digitized by Google

Decurio Arimathiensis nomine Joseph, qui & ipse fuerat discipulus Jesu, [58] adiit præsidem petens sibi donari corpus Jesu. Pilatus admiratus si jam esset mortuus, vir florenti ætate, & cujus crura non fuissent fracta, simul atque ex Centurione certo cognovit esse mortuum, jussit illi donari corpus exanime. [59] Ille acceptum involvit sindoni mundæ, [60] ac reposuit illud in monumento novo, quod exciderat in solido saxo. Et advoluto saxo ingenti ad ostium monumenti, abiit. Et hoc actum consilio divino, ne sævirent in cadaver, aut ne quis suffosso sepulchro posset furtim tollere. [61] Ac cæteris quidem digressis, perseverarunt illic duæ, Maria Magdalene & altera quædam, sedentes è regione sepulchri, & annotantes locum ubi reconderent corpus, quo suo tempore præstarent officium unctionis, & harum vigilantem sedulitatem in hoc excitarat Dominus, quo certior esset resurrectionis fides. [62] *Postridie vero Parasceves, rursum principes Sacerdotum & Pharisæi convenium ad Pilatum*, confirmaturi resurrectionis veritatem, dum eam conantur impedire, *dicuntque Præsidi:* [63] *Domine, recordamur quod impostor ille, dum adhuc viveret, dixerit se post triduum resurrecturum.* [64] *Jube igitur custodiri sepulchrum usque in tertium diem, ne veniant discipuli ejus, & suffurentur corpus ejus, plebique persuadeant eum resurrexisse. Quod si fiat, nihil promoverimus, sed erit error posterior pejor priore.* [65] *Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite custodite sicut nostis.* [66] *Illi vero* dum resurrecturo conantur exitum occludere, auxerunt miraculum & fidem resurrectionis, *adhibitis custodiis munierunt sepulchrum, lapide quoque, qui claudebat os sepulchri, obsignato*, ne quid fraudis esse possit vel in custodibus.

Cap. XXVIII.

Hic Jesum in tumulo quarunt: Jesum inde tuentur: Corruptus miles: Vis mihi cuncta data.

[1] Quum autem adesset vespera sabbati prioris, cujus finem excipiebat diluculum diei sequentis, qui primus erat hebdomadæ succesſuræ, Maria Magdalena, & illa altera Maria nocte paratis aromatibus, mane rursum adierunt sepulchrum, ut viderent quid esset actum, & ungerent corpus Jesu. [2] Et factus est terræ motus ingens. Quumque mulieres inter se consultarent, quomodo possent amoliri lapidem ab ore monumenti, (erat enim major quam ut fœmineis viribus posset amoveri) ecce Angelus Domini descendit de cœlo, amovitque saxum ab ostio monumenti, ac deinde insedit illi. [3] Erat autem facies Angeli similis fulguri, ac vestimenta ejus niveo candore lucentia. [4] Ad hujus adspectum expavefacti sunt custodes sepulchri, adeoque exanimati, ut mortuis similes stupefacti jacerent. [5] Angelus autem consolatus est mulieres, dicens: Isti merito exanimantur ad gloriam resurrectionis, qui perseverant in incredulitate sua. Cæterum nolite timere vos, scio enim quod Jesum quæritis, qui crucifixus fuit. [6] Jam reliquit sepulchrum, ac præstitit quod se facturum promiserat, hoc est, tertii diei diluculum. Itaque resurrexit. Venite, videte locum, qui corpore vacuus, corporis adhuc habet vestigium: habet & corporis exuvias, lintea quibus fuit involutus. Hæc vobis fidem facient, si mihi parum creditis. [7] Sed propere abite & annuntiate hæc, quæ vidistis, reliquis discipulis, morte Domini sui mœstis, quod resurrexit. Quem si videre cupitis, ecce præcedet vos in Galilæam, quemadmodum ante mortem pollicitus fuerat. Ibi licebit eum adspicere vivum, quem luxistis mortuum. Ecce prædixi vobis.

[8] Et inspecto monumento vacuo, quod occlusum compererant, celeriter regressæ sunt, partim pavidæ ob magnitudinem miraculi, partim ingenti gaudio correptæ, ob desiderium ac spem videndi Dominum redivivum, curruntque ut hoc gaudium communicent discipulis Jesu. [9] Atque inter eundum, obvius fit illis Jesus, quo certiora nuntiare possent. Quibus pavidis ut animum redderet, dixit: Avete. Illæ viso & agnito Domino, adierunt: & amplexæ pedes, adoraverunt eum. [10] Rursum Jesus, ut illis omnem pavorem adimeret, quo rectius perciperent, quæ essent dicenda, ait: Nolite timere. Ite nuntiate fratribus meis, quæ vidistis, ac jubete eos proficisci in Galilæam, ibi me videbunt.

[11] Quæ cum abissent, quo resurrectionis fides etiam inimicorum testimonio confirmaretur, quidam è custodibus, relicto sepulchro, abierunt Hierosolymam, ac renuntiaverunt principibus Sacerdotum quæ gesta fuerant, quemadmodum clauso & obsignato sepulchro non esset repertum corpus. Et quemadmodum Angelus mirabili specie submoverit saxum, deque terræmotu, & quemadmodum metu fuissent exanimati. Et quemadmodum audierint Angelum cum mulieribus colloquentem. [12] Hæc ubi audissent à custodibus Sacerdotes, inito rursus consilio cum Senioribus, cum res esset manifestior quam ut posset dubitari, mendacium ab illis pecunia redimunt, quemadmodum ante proditoris operam pecunia redemerant: nisi quod majore summa redimunt operam mentientium, quam prodentis. [13] Tacete, inquiunt, quæ vidistis, sed in vulgus spargite, quod discipuli ejus noctu venerint, & suffurati sint eum vobis dormientibus. [14] Quod si hoc commentum fuerit delatum ad Præsidem vestrum, nos illi persuadebimus, vosque liberabimus omni periculo negotii. [15] Milites igitur accepta pecunia fecerunt quemadmodum fuerant edocti, & invenit commentum tam frivolum in populo fidem. Nam rumor hic in hodiernum usque diem divulgatus est apud Judæos incredulos.

[16] Porro discipuli undecim moniti à mulieribus, profecti in Galilæam, conscenderunt montem, quem illis designarat Jesus. Illic sese conspiciendum præbuit. [17] Viderunt & agnoverunt eundem Dominum suum, & adoraverunt veluti jam sublimem ac cœlestem. Nonnulli tamen adhuc dubitabant, donec plurimis ac certissimis argumentis, & illis fides facta est. Quanquam & illorum dubitatio profecit ad fidei nostræ certitudinem. [18] Accedens igitur propius ad illos Jesus, non solum cominus se conspiciendum & contrectandum præbuit, verum etiam voce nota consuetaque loquutus est eis: declarans sese morte sua consecutum regnum & auctoritatem in cœlo pariter atque in terra. In cœlo, ubi semper regnarat cum Patre: in terra, ubi posthac regnaturus esset, non præsidiis tyrannicis, sed per fidem credentium, atque hujus Euangelici regni functionem impartiturus & discipulis, suis vestigiis ingressuris, mandans eis officium Euangelii prædicandi, non solum apud Judæos, sed apud universas gentes, auctoritatem baptizandi, & per Spiritum Sanctum condonandi peccata omnibus, qui sincero pectore profiterentur Euangelicam vitam, & hos erudiendi, formandique, non juxta Legem Mosaicam, neque constitutiones Pharisaicas, sed juxta præcepta ipsius, donec adolescerent usque ad perfectionem Euangelicæ Philosophiæ. Ac ne quid diffiderent, quod non jam cum eis assidue versaturus esset, promittit nec illorum sodalitium unquam interiturum, nec se suis unquam defuturum, sed Spiritu virtute-

que

[58] *Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus.*

[59] *Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda.*

[60] *Et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra. Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit.*

[61] *Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, sedentes contra sepulchrum.*

[62] *Altera autem die, quæ est post Parasceven, convenerunt principes sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum,*

[63] *Dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam.*

[64] *Jube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium: ne forte veniant discipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mortuis: & erit novissimus error pejor priore.*

[65] *Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis.* [66] *Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem, cum custodibus.* [1] *Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria, videre sepulchrum.* [2] *Et ecce terræmotus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo: & accedens revolvit lapidem, & sedebat super eum:* [3] *Erat autem aspectus ejus sicut fulgur: & vestimentum ejus sicut nix.* [4] *Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui.* [5] *Respondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim, quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis:* [6] *Non est hîc: surrexit enim, sicut dixit: venite, & videte locum ubi positus erat Dominus.* [7] *Et cito euntes dicite discipulis ejus quia surrexit; & ecce præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis: ecce prædixi vobis.*

[8] *Et exierunt cito de monumento cum timore & gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus.*

[9] *Et ecce Jesus occurrit illis, dicens: Avete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.*

[10] *Tunc ait illis Jesus: Nolite timere: ite, nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.*

[11] *Quæ cum abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, & nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant.*

[12] *Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus,*

[13] *Dicentes: Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt, & furati sunt eum, nobis dormientibus.*

[14] *Et si hoc auditum fuerit à præside, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus.*

[15] *At illi, accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Judæos, usque in hodiernum diem.*

[16] *Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem, ubi constituerat illis Jesus.*

[17] *Et videntes eum adoraverunt: quidam autem dubitaverunt.* [18] *Et accedens Jesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.*

Digitized by Google

que ſemper ſuis fore præſentem, uſque ad hujus mundi finem extremum: *Data eſt*, inquit, *mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Vidiſtis per imbecillitatem carnis eſurientem, ſitientem, laſſeſcentem, egenum, contemtum, captum, vinctum, conſputum, damnatum, cæſum, crucifixum, omni contumeliarum genere coopertum, & quodammodo infra infimos dejectum homines. Hæc omnia quoniam volens ac ſponte toleravi pro ſalute mortalium, Pater me ſuſcitavit à morte, & immortalitatis gloria donatum evexit ad regni ſui conſortium, meæque poteſtati ac ditioni ſubjecit omnia, quæ cœlo terraque continentur. Non habetis auctorem, cui debeatis diffidere, non habetis Dominum pœnitendum. Ut pro omnium ſalute ſum mortuus, ita nulla eſt natio gentium, quæ mei juris non ſit. [19] Veſtræ partes erunt mihi vindicare, quod in vobis eſt, omne hominum genus. Vindicabitis autem non armis bellove, ſed iiſdem rationibus, quibus ego mihi jus hoc peperi, doctrina ſacra, vita Euangelio digna, beneficentia gratuita, tolerantia malorum. Ite igitur tanquam bonæ fidei legati, ac me auctore freti docete, primum quidem Judæos, mox finitimos, deinde cunctas totius orbis nationes: docete quid de me credere, quid ex me ſperare debeant. Primum ut agnoſcant Patrem cœleſtem rerum omnium viſibilium & inviſibilium conditorem, moderatorem & inſtauratorem. Cujus potentiæ nemo reſiſtere poteſt, quum ſit omnipotens: cujus ſcientiam nemo fallit, quum nihil non videat: cujus judicium nullus effugiet: à quo ceu fonte manat, quicquid bonæ rei eſt uſquam: cui debetur omnis honos, laus, & gratiarum actio. Agnoſcant & Filium illius Jeſum, per quem æterno ſuo & inſcrutabili conſilio, ſtatuit hominum genus liberare à peccati mortiſque tyrannide, & per Euangelicam doctrinam aperire viam ad æternam felicitatem. Qui hac de cauſa ex illius voluntate deſcendit in terras, natus eſt homo verus è virgine Maria, diuque verſatus homo inter homines, docuit cœleſtem Philoſophiam, quæ ſola beatos reddit. Et innocens pro totius mundi peccatis afflictus eſt, & in cruce mortuus; conditus ſepulchro, reſurrexit tertia die, juxta vaticinia Prophetarum. Hinc dies complures verſatus cum ſuis, ac certis argumentis declarata reſurrectionis veritate, rurſus adſcendit in cœlum: ubi veluti conſors regni, gloriæque paternæ, dexter aſſidet Patri omnipotenti: olim denuo venturus in mundum, non humilis, ut ante, ſed cum majeſtate divina: non ſervator, ſed judex, & eorum quos ille dies reperiet in vivis, & eorum quos jam mortuos Angelica tuba ſubito revocabit ad vitam: ut illius inevitabili judicio quiſque mercedem recipiat ſuis factis dignam. Agnoſcant & Spiritum Sanctum, quem vobis jam ex parte impartii, copioſius impartiturus, ubi me recepero in cœlum: cujus arcanus afflatus conſolabitur, docebit, & corroborabit animos mihi fidentium, & infuſus per animos omnium mutua caritate conglutinabit & confœderabit, quotquot Euangelicam fidem ex animo fuerint profeſſi, quacunque ex gente ſint oriundi. Et ſi quis quid deliquerit per humanam imbecillitatem, veniam ſuorum peccatorum conſequetur, modo ne ſe ſeparet à fœdere contabernioque ſanctorum. Et quicunque ad hoc fœdus ſeſe adjunxerit, illi gratis condonabuntur omnia ſuperioris vitæ peccata.

19 Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

Denique ne quis in hac vita putet expetenda benefactorum præmia, aut ultionem moliatur adverſus maleficos, ſciant hoc olim in ipſis futurum, quod in me factum videtis. Reviviſcent mortui, & ſuo quæque anima corpori reſtituetur. Quod ſimul atque factum erit, quicunque pertinebunt ad hanc ſanctam ſodalitatem, mihique conſtanter adhæſerint, mecum ad vitam æternam transferentur, ut participes ſint felicitatis, qui ſocii & æmuli fuerunt afflictionum. Hæc ubi illos docueritis, ſi crediderint quæ docuiſtis, ſi pœnituerit vitæ prioris, ſi parati fuerint amplecti doctrinam Euangelicam, tum tingite illos aqua, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut hoc ſacro ſymbolo confidant ſeſe liberatos ab omnium peccatorum ſuorum ſordibus gratuito beneficio mortis meæ, jamque cooptatos in numerum filiorum Dei. Nemo circumcidatur, nemo baptizetur in nomine Moſi, aut cujuſquam hominis. Agnoſcant omnes, cui debeant ſalutem ſuam, unde pendere totos oporteat. Nec onerentur Moſaicis aut humanis ceremoniis. Sufficiat hoc ſymbolum omnibus ad Euangelii profeſſionem tranſeuntibus, quod ubivis facile eſt parabile. [20] Cæterum ne quis ſatis eſſe putet ad ſalutem, ſemel eſſe tinctum ac profeſſum Euangelicam fidem, rurſus docendi ſunt, quibus modis tueri poſſint innocentiam, quibus rationibus progredi queant ad perfectionem Euangelicæ pietatis. A me nihil omiſſum eſt, quod pertineat ad parandam ſalutem æternam. Nec Spiritus ille cœleſtis, quem accipietis, patietur vos obliviſci quod à me didiciſtis. Quicquid igitur ego præcepi vobis, id illis ſervandum tradite. Non autem præſcripſi vobis Moſaicæ Legis ceremonias, quas jam velut umbras ad lucem Euangelicæ veritatis evaneſcere oportet, non Phariſaicas conſtitutiunculas, ſed ea quæ ſola præſtant veram innocentiam ac pietatem, quæque ſola vos Deo caros reddant, vereque felices. Hæc igitur docete nomen meum profeſſos, non oratione tantum, ſed & vita, quemadmodum ego quicquid docui, factis præſtiti. Dum hæc agitis, dumque mortales cœlo aſſeritis, coorietur in vos mundus, ſicut in me coortus eſt. Non enim convenit Spiritui meo cum ſpiritu hujus mundi, meaque doctrina tota pugnat cum affectibus eorum, qui diligunt ea, quæ ſunt hujus mundi. Hi magnis tumultibus coorientur in vos, verum, non eſt cur diffidatis, quamlibet humiles, quamlibet idiotæ, quamlibet imbecilles, quamlibet pauci. Ego vici mundum, & vos meo præſidio meoque exemplo vincetis. Mea virtute non veſtra ſuperabitis, quicquid hic mundus habet formidabile. Quanquam autem corpus hoc ſubducturus ſum in cœlum, quod ſic expediat vobis, tamen nunquam vos deſtituam. Nam poſteaquam in corpore deſiero eſſe vobiſcum, tum efficacius adero Spiritu meo. Adero autem uſque ad mundi finem. Porro quando ſit futurus mundi finis, nec refert, nec expedit vos ſcire. Interim agite quod vobis mandatum eſt, ſemper in illum diem parati. Qui quandocunque venerit, tum vos quoque depoſita mortalitate, toti mecum eritis, conſortes regni paterni, cujus nullus erit finis.

20 Docentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi.

PARAPHRASEOS IN EVANGELIVM MATTHAEI

FINIS.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO DOMINO D.

MATTHAEO CARDINALI SEDVNENSI

DESIDERIVS ERASMVS ROTERODAMVS

S. D.

TANDEM *ausus sum me committere itineri* Germanico, *quum tota via undique militibus esset operta. Adeo multos contemnebam, quos paucos metuissem. Misere cupiebam adesse Novo Testamento jam tertio renascenti.* Græcus *ille malebat ter in acie stans Martis aleam experiri, quam semel parere. At quanto nos infeliciores, quibus idem fœtus toties est parturiendus. Ceterum quum Asina per medios ignes suis pullis succurrere tradatur, non mirum si nos per tot pericula subinde transcurramus ad fœtus nostros. Sed parum abfuit, quin frustra periculosum ac molestum iter susceperimus, mox enim ad nidorem hypocaustorum ægrotare cœpimus, vixque recreatos morbus sic repetiit, ut non abessemus à periculo vitæ. Sed interea tamen semianimes Paraphrasin in Euangelium* Matthæi *absolvimus: quam operam & ego tibi* Bruxellæ *receperam, & tu,* Mediolanum *proficiscens,* Germaniæ *meo nomine promiseras. Neque nescit tua celsitudo, quam illa sit improba flagitatrix. Eadem igitur opera tuam simul & meam fidem liberare studui. Valetudini congruebat argumentum, in quo vel emori pium sit & optabile. Sumus utrique in negotio, nescio quam simili, certe toti. Utinam utrique succedat quod agit, imo utinam in* Christi *gloriam æque cedat quod agimus omnes. Nescio quod sydus infaustum, quisve genius malus hos tantos tumultus excitat inter mortales. Nec satis est sic bellis intestinis, regna, civitates, summos orbis Monarchas, inter se collidi, nisi studia litterarum, nisi religio fideque* Christiana *tam periculosis dissidiis concuterentur. Equidem si tantis malis nullum adhibere remedium possim, certe me duce aut auctore nullus erit factiosus. Video seculum hoc esse malum ac periculosum. Quid moliantur quidam, aut quid parturiat mundus, nescio. Ego quod semper feci, non desinam favere gloriæ* Christi. *Homunculus sum misellus, qui minus possim quam nihil, tamen voluptati est mihi, reflorescere, ac velut ἀναζωπυρεῖσθαι doctrinam Euangelicam. Quam quidem ad rem utinam liceat tantundem adferre momenti, quantum cupimus. Certe sedulo bonaque fide conamur. Hic animus sibi conscius est, & testem habet* Christum, *quod nec opes ambit, quarum nunquam fuit avidus: nec honores, à quibus semper abhorruit: voluptates multo minus, quæ nec ætatem hanc deceant, si libeat frui, & brevi mihi sciam esse relinquendas: Illud mihi potius studio est, commeatum aliquem parare, quo instructus hinc feliciter emigrem ad* Christum, *cui nostra desudant studia. Utinam pariter succedat hic conatus noster, ac successit in Epistolis Apostolicis. Jam enim passim teruntur manibus etiam Laicorum. Atque utinam per istas negotiorum procellas amplitudini tuæ liceat hoc agere, quod solum erat agendum. Et tamen, quantum licet, scio te favere negotio Christi, proinde non dubito quin faveas &* Erasmo. *Opus dicavimus optimo Principi* Carolo, *partim quod divinarem, ut est pietate singulari, hoc illius majestati fore gratissimum: partim ut tam favorabili titulo plurium animis commendaretur. De* Leone *nostro cœptus est hic spargi rumor, quem magnopere cupiam esse vanum. Nihil illius ingenio mitius, unice favebat honestis litteris. In me peculiari quodam animi favore propensus erat, sed mortalis erat. Si visum est Deo pastorem suum ad solidiorem felicitatem evocare, precor, ut nobis contingat aliquis tui simillimus, si quis tamen tui similior esse potest, quam es ipse tui. R. D. T. diu florentem & incolumem servet Dominus Jesus.* Basileæ 14. *Decembris, Anno* 1521.

VERSVS MEMORIALES
EVANGELII MATTHAEI.

ABRAE stirps: Bethlem patria est: Christusque lavatus:
Dæmon tentat atrox: Explicat inde Mosen.
Fac bene; forma precum: Grandis trabs: Hinc vaga cymba.
I paralytice ait: Καὶ δέκα πέμψε δύω.
Legat baptistes: Mandunt far: Nobile semen:
Obtruncant Janum: Prava hominum placita.
Quærunt signa: Refulsit clarus: Scandala vita:
Turba pusilla veni: Vinea sancta Dei.
Advenit hic: Bene de censu: Culpat Pharisæos:
De duris signis: Ecce suprema dies.
Forma sacræ cœnæ: Gelidum saxum: Hinc redivivus.
Matthæus bis dat membra decem quatuor.

VERSVS MEMORIALES CONTINENTES
SERIEM ET NVMERVM CAPITVM
LIBRORVM NOVI TESTAMENTI.

MATTHAEVS septena quater: *Marcusque* bis octo:
Sena quater *Lucas: Virgo* ter ἑπτὰ tenet:
Actus dant septena quater: sed *Roma* bis octo:
Prima tot *ad Bimarem: Posterior* tredecim:
Sex *Galatis: Epheso* totidem: sed deinde *Philippis*
Quattuor, & totidem scripta *Colossiacis.*
Thessalonica prius quinque: at tria *postea* cepit:
Bis tria *Timotheus: dein* duo bis numerat.
Sunt tria scripta *Tito: Philemon* accipit unum:
Hebræi tredecim: quinque *Petre; hinc* tria habes:
Johannes quinque; & *post* unum; *tertio* & unum:
Quinque *Jacob*, unum *Judæ* fidelis habet:
Undecies binis *Joannes ultima* scribit
Tempora. Sic Fœdus clauditur omne Novum.

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTIANISSIMO GALLIARVM REGI FRANCISCO, EJVS NOMINIS PRIMO,

ERASMUS ROTERODAMUS

S. D.

QVo minus ad hunc usque diem tam propenso tuæ Majestatis in me favore sim usus, *Francisce* Rex *Christianissime*, neque per me stetit, neque per te: sed quum aliæ causæ complures hactenus obstiterunt, tum præcipue temporum horum tumultus hanc mihi felicitatem inviderunt. Semper enim exspectabam, ut in tam diutinis bellorum tempestatibus alicunde nobis affulgeret aliqua pacis serenitas. Nec unquam tamen arbitratus sum me vel pilo minus obnoxium esse tuæ benignitati, quam si jam accepissem, quicquid ea detulit. Atque etiamnum bona spes est, brevi futurum, ut hunc in te animum certioribus argumentis declarare liceat. Interim dum remoratur opportunitas, visum est hujus pollicitationis velut arrhabonem ad te mittere, Paraphrasin in Euangelium *Marci*. Ad hoc consilii propensum, ac velut ultro currentem, incitabat & ipsa rei congruentia. Quum enim *Matthæum Carolo* Principi meo dedicassem: *Joannem*, quem illico post *Matthæum* sum interpretatus, *Ferdinando Caroli* germano: *Lucam*, quem tertio loco sum aggressus, *Anglorum* Regi: videbatur *Marcus* tibi relictus, ut quatuor Euangelia quatuor orbis præcipuis Monarchis consecrarentur. Atque utinam quam congruenter nomina vestra jungit Codex Euangelicus, tam concorditer pectora vestra conglutinet spiritus Euangelicus. Sunt qui *Romano* Pontifici tribuant ditionem etiam apud inferos, sunt qui tribuant imperium in Angelos, quam auctoritatem illi tantum abest ut invideamus, ut optemus etiam ampliorem: sed utinam hanc sibi potestatem illius salutarem sentiat orbis in concilianda retinendaque Regum concordia, qui tam diu summa rei *Christianæ* pernicie non minus fœdis, quam feralibus bellis inter ipsos conflictantur. Et interim exsecramur ac devovemus *Turcas*. Quod autem spectaculum gratius exhiberi poterat *Turcis*, aut si qui sunt qui pejus volunt nomini *Christiano*, quam tres longe florentissimos totius *Europæ* Monarchas exitialibus dissidiis inter sese committi? Vix mihi persuadeo, quenquam esse tam truculentum *Turcam*, qui plus malorum imprecetur *Christianis*, quam ipsi viciſſim infligunt sibi. Neque quisquam interim exoritur pacificator, qui tam impios rerum motus auctoritate sua componat, quum non desint qui instigent: quique oleum, quod ajunt, adjiciant camino. Non est meum ullius partis causam meo præjudicio vel gravare, vel sublevare. Scio suam cuique causam videri justissimam, & fateor in hujusmodi judiciis plus favoris tribui solere ei, qui depellit illatam injuriam, quam qui infert. Sed tamen magnopere cupiam, ut omnes *Christiani* Principes illud apud sese veris rationibus expendant, quam ingens lucrum fecerit, quisquis maluit pacem iniquam amplecti, quam bellum æquissimum persequi. Quid hac nostra vita fragilius, quid brevius, quid calamitosius? Omitto tot morborum genera, tot injurias, tot casus, tot fatales calamitates, pestilentias, fulmina, terræmotus, incendia, exundationes, reliquasque calamitates, quarum neque modus est, neque numerus. Nam inter omnia mala, quibus discruciatur vita mortalium, nihil bello sceleratius, nihil nocentius, quod atrocius exitium infert moribus hominum, quam facultatibus aut corporibus. Minus damni dat qui vitam aufert, quam qui bonam mentem. Nec ideo minus est detestabile bellum, quod maxima pars malorum redundat in capita tenuium & humilium, velut agricolarum, opificum ac viatorum. Nihilo minus sanguinis Dominus omnium *Jesus Christus* effudit pro redimendis illis quamlibet contemtis, quam pro summis Monarchis. Quumque venietur ad *Christi* tribunal, quo brevi sistendi sunt omnes quantumvis potentes hujus mundi satrapæ, non minus exacte rationem exiget judex ille severus pro pauperculis illis, quam pro satrapis ac magnatibus. Itaque qui putant esse levem jacturam, quum expilantur, affliguntur, ejiciuntur, exuruntur, opprimuntur, occiduntur tenues & humiles, *Jesum Christum*, qui est sapientia Patris, stultitiæ condemnant, qui pro talibus servandis pretiosum sanguinem suum effuderit.

Proinde nullum ego genus hominum arbitror exitialius, quam qui Monarchis suggerunt bellorum semina; quorum animi quo sunt excelsiores, hoc facilius his imponitur. Atque inter regias virtutes cum primis numeratur animi sublimitas. Prædicata est hæc olim in *Julio Cæsare*, prædicatur & hodie magno consensu gentium in *Francisco*. Porro nullum certius argumentum animi vere sublimis, quam injurias posse negligere. Laudata est veterum ducum virtus, qui de imperio certabant, non de vita, sed in Ethnicis & ab Ethnicis. *Christiano* Principi glorioſius est, aliquo ditionis dispendio pacem ac Reipublicæ tranquillitatem redimere, quam pretiosos & opimos referre triumphos tantis hominum malis emtos. Proinde qui dilatandi imperii studium injecerunt Monarcharum animis, quid aliud quam perennem bellorum fontem repererunt? Neque minorem perniciem invehunt rebus mortalium, qui Principum animis suggerunt iræ materiam, ac persuadent esse regiæ fortitudinis, dictum aliquod, quod fortasse falso delatum est, aut atrocius delatum quam dictum est, armis ac bello vindicare. Quanto fortius est publicæ tranquillitatis respectu convitium negligere? quod si lædit, privatim lædit: imo ne lædit quidem, si fuerit neglectum. Atque in aliis quidem rebus fortasse licet utcunque cessare Regibus: si tamen usquam cessare licet, qui tam multis vigilant. Cæterum in bellis suscipiendis, quoniam ingentium malorum inducunt diluvium, oportet omnibus oculis advigilare, ne quid temere statuatur.

Non hæc dico, Rex *Christianissime*, quo Principibus gladium è manibus excutiam. Est fortasse boni Principis, aliquando bellum gerere, sed tum denique posteaquam omnibus frustra tentatis huc adigit extrema necessitas. Dominus *Jesus Petro* gladium ademit, Principibus non ademit. *Paulus* eorum auctoritatem etiam comprobat, præcipiens, ut qui *Romæ Christum* essent professi, Principum licet Ethnicorum auctoritatem adeo non contemnerent, ut illis veluti Dei ministris, nec vectigal, nec tributum, nec honorem detrahi velit. An adimit gladium, qui dicit: *Non enim sine causa gladium portat*? Nec aliud docet *Petrus* ordinis Apostolici princeps: *Subditi*, inquit, *estote cuivis humanæ creaturæ propter Dominum, sive Regi tanquam præcellenti, sive præsidibus tanquam ab eo missis, ad ultionem quidem nocentium, laudem vero rectè agentium. Petro* nihil esse voluit armorum, præter gladium Euangelicum, qui est sermo cœlestis, *qui*, ut docet *Paulus* ad *Hebræos*, *vividus est, & efficax ac penetrantior quovis gladio utrinque incidente, ac pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus*. Etenim qui jubet recondi gladium, nec aufert, plus facit, quam si auferat. Cur

Digitized by Google

enim jubet recondi? nimirum ne bellet paſtor Euangelicus. Cur autem deponi nec jubet, nec vetat? nimirum ut intelligamus, ne tum quidem eſſe parandam ultionem, quum vires ſuppetunt ad vindicandam injuriam. Habent igitur Euangelici paſtores gladium Euangelicum à *Chriſto* traditum, quo jugulant vitia, quo reſecant humanas cupiditates. Habent Reges gladium ſuum ab eodem permiſſum, ad terrendos malos, & honorandos bonos. Non ademtus eſt gladius, ſed præſcriptus eſt uſus: habent ad publicæ tranquillitatis defenſionem, non ad ambitionis præſidium. Duplex eſt gladii genus, duplex eſt regni genus. Habent & Sacerdotes ſuum gladium, habent ſuum regnum. Proque diadematibus & galeis habent mitras, pro ſceptro pedum: habent loricam, baltheum: denique totam panopliam, quam illis non uno in loco ſtrenuus ille bellator *Paulus* deſcribit. Reges Euangelici paſtores dicuntur, ſed & profani Reges *Homero* dicuntur paſtores populi. Idem agunt utrique, tametſi diverſa functio eſt, quemadmodum in fabulis iiſdem alias alii partes agunt. Quod ſi ſuum utrique gladium ſemper haberent expeditum, hoc eſt, poteſtate tradita, ſicut oportet, uterentur, non toties, opinor, *Chriſtiani*, qui vocamur potius quam ſumus, in fratrum viſcera gladium impium ſtringeremus.

Porro dum utrique ſuo munere neglecto, quod eſt alienum affectant, neutri ſatis tuentur neque dignitatem ſuam, neque tranquillitatem. Quando Rex plus habet Regiæ majeſtatis, quam quum in judiciis ſedens dictat jus, coercet injurias, dirimit lites, ſublevat oppreſſos: aut quum in conſiliis ſedens, proſpicit Reipublicæ commodis? Cæterum Epiſcopus quando plus habet ſuæ dignitatis, quam quum è ſuggeſto docet Euangelicam Philoſophiam? Tum enim vere in ſuo ſolio eſt Rex Euangelicus. Quam vero *Neroni* fuit indecorum in theatro certare cum phoniſcis & citharœdis, aut in circo cum aurigis: tam indecorum eſt Regi in humilibus ac ſordidis negotiis verſari, quæ pertinent ad privatos affectus ipſius, & officiunt incolumitati Reip. Rurſum quam indecorum eſſet, ſi Philoſophus cum pallio & barba fabulam ſaltaret in proſcenio, aut in arena falcem teneret ac rete, gladiatoriam canens cantionem: Non te peto, piſcem peto, quid me fugis, galle? tam indecorum eſt Euangelicum Regem belligerari aut nundinari, ne quid dicam inhoneſtius. Cur nunc invenitur Epiſcopus, qui ſibi pulchrius ducit, trecentos equites baliſtis, lanceis, ac bombardis inſtructos ſecum ducere, quam piis & eruditis Diaconis comitatum ſacros libros ſecum circumferre? Cur earum rerum oſtentatione ſibi magni videntur, quarum contemtu magni fuerunt illi, in quorum locum ſucceſſerunt? Cur illis dulcius ſonant tubæ & cornua, quam ſacra lectio? Age, quid ſi Rex pro diademate & trabea ſibi imponat mitram & infulam, contra pro mitra & infula ſibi diadema & trabeam ſumat Epiſcopus, nonne portenti ſimile videbitur? Adeo movent inverſa inſignia, cur non magis movet inverſa functio? Jam ſi quid privatim facit vel Rex, vel Epiſcopus, non alio ſpectare debet, quam ad ſalutem populi. Aut enim monet errantes, aut corrigit lapſos, aut conſolatur dejectos, aut comprimit elatos, aut exſtimulat ceſſantes, aut reconciliat diſſidentes. Hæc eſt functio Regum, ſed præcipue Euangelicorum, quos non decet ambire regnum hujus mundi.

Quoniam autem *Jeſus Chriſtus* utrunque genus in ſe complexus eſt, tametſi regnum Eccleſiaſticum tantum expreſſit in terris, utriſque conandum eſt, ut pro ſua quiſque portione Principem ſuum æmuletur. Ille ſe totum impendit ſuis. Et qua fronte quiſquam ſibi vivit, qui ſe Chriſti vicarium prædicat? Ille per omnem vitam nihil aliud quam ſervatorem, quam conſolatorem, quam beneficum egit. Sive verſabatur in Templo, ſive in ſynagogis, ſive in publico faciebat iter, ſive in privato verſabatur domi, ſive navigabat, ſive in deſertis agebat: docebat multitudinem, ſanabat ægrotos, mundabat leproſos, reſtituebat paralyticos, mancos & cæcos: profligabat Dæmones noxios, excitabat mortuos, liberabat periclitantes, ſaturabat famelicos, refellebat Phariſæos, patrocinabatur diſcipulis, & unguenti prodigæ peccatrici: conſolabatur *Cananæam* peccatricem, & adulteram deprehenſam. Repete totam vitam *Jeſu*, nulli mortalium quicquam immiſit mali, quum ipſe tot malis afficeretur, & in promtu eſſet ulciſci ſi libuiſſet. Ubique ſervatorem agebat, ubique beneficum. *Malcho* reſtituit auriculam, quam *Petrus* amputarat. Ne tantulo quidem damno voluit vindicari incolumitatem ſuam. *Herodem* ac *Pilatum* redegit in concordiam. In cruce pendens ſervavit alterum è latronibus. Mortuus Centurionem pertraxit ad *Chriſtianam* profeſſionem. Hoc erat vere Regem agere, prodeſſe omnibus, nocere nemini.

Ad hujus exemplum oportet omnes Principes, quatenus licet, accedere. Te vero, Rex *Franciſce*, peculiariter etiam ad hoc excitare debet *Chriſtianiſſimi* cognomen, ut *Chriſtum* Principem pro viribus referas. Cæterum quid frontis habent iſti, qui quum ſe *Chriſti* vicarios appellari gaudeant, immenſa ſanguinis humani jactura poſtulent defendi, non dico vitam aut dignitatem ſuam, ſed avaritiam ac faſtum? Atque hæc ſcribo, Rex inclyte, non ut Epiſcopos ullos notem aut taxem: atque utinam nulli exoriantur, in quos iſta merito dici poſſint: ſed ut indicem, quibus in rebus ſita ſit vera Regum & Epiſcoporum dignitas: ut utrique felices vivant, dum ſuam utrique dignitatem agnoſcunt ac tuentur. Longius autem abſunt ab officio ſuo paſtores Euangelici, qui quum Reges inter ſe tumultuantes debuerint in concordiam redigere, ultro faces ad bellorum incendia ſuggerunt. Atqui ſi uſquam erat tempus bono paſtori vitæ ſuæ jactura gregi conſulere, ſi uſquam ſummus ille paſtor, cujus vices gerunt, erat referendus, hic potiſſimum erat officio locus, ubi tantum mare ſcelerum ac malorum inundat in orbem. Ex tanta multitudine Abbatum, Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Cardinalium, cur nemo prodit, qui vel capitis ſui periculo tantos rerum motus componat? Quam feliciter moritur, qui ſua morte tot millium vitæ conſuluit.

Nihil monomachiis & gladiatoria laniena crudelius aut immanius. Et tamen hoc ſpectaculo tam inſane delectata eſt antiquitas, ut turpiſſimum exemplum, ab Ethnicis relictum, diu reſederit etiam apud *Chriſtianos*, præſertim in urbe *Roma*, quæ nondum dediſcere potuit veterem Paganiſmum. Sed monomachiarum abolitionem, ut refert Hiſtoria, quam *Tripartitam* vocant, debemus *Telemacho* cuidam, ex eorum numero, qui olim ob vitæ *Chriſtiane* ſimplicitatem, ac ſtudium ſolitudinis, fugamque contaminatæ multitudinis, vulgo *Monachi* vocabantur. Is hac gratia relicto Oriente *Romam* venerat, atque in theatrum ingreſſus, ubi vidit prodire duos armatos, & utrunque in alterius necem tendere, proſiliit, ſeſeque medium inter furentes injecit, clamans: *Quid facitis fratres, cur in mutuum exitium ferarum more ruitis?* Quid multa? Dum vir ille pius ſtudet utriuſque vitæ conſulere, vitam amiſit ipſe à populo lapidatus. Tanti faciebat inſana multitudo crudelem oculorum voluptatem. Quid conſequutum eſt? Imperator *Honorius*, hac re cognita, juſſit aboleri morem exhibendi paria gladiatorum. Nunc mihi cogita, quam fœdus fuerit ille ludus, & quot hominum millia per hunc infeliciter perierint: & intelliges, quantum mundus debeat unius hominis morti. Atque ob hoc factum merito relatus eſt in numerum Divorum *Telemachus*. Quanto autem juſtius hoc honoris deberetur ei, qui tantos orbis Monarchas inter ſe conflictantes dirimeret? Neque enim gravis eſt jactura, ſi gladiator occidat gladiatorem, & ſceleroſus ſceleroſo viciſſim præſtet carnificem. Et tamen ut ſummo totius orbis

Digitized by Google

bis malo colliduntur inter ſeſe Principes, ita minore periculo poſſunt dirimi, quam ille diremit gladiatores. Primum *Chriſtiani* ſunt, quoque ſunt animis generoſioribus, hoc ſunt tractabiliores, ſi quis Epiſcopus, aut alioquin auctoritate præditus Euangelica, ſinceris rationibus cum illis agat.

Quod ſi quis forſitan inciderit in Principem inexorabilem ac violentum: extremum denique malorum, quod vel ſæviſſimus poſſit inferre, mors eſt. Et ubi, quæſo, præſtabunt exemplum Apoſtolici ſpiritus, qui in Apoſtolorum vices ſucceſſerunt, ſi hîc non præſtant? Dicet aliquis: Quid profecero ſi morior, nec impetro quod ſtudeo? Non committet *Chriſtus* agonothetes, ut huic athletæ pereat ſuum præmium. Tametſi mors frequenter impetrat, quod vita non potuit. Eſt enim efficax piorum hominum occubitus. Non hîc repetam exempla priſcorum, quæ ſunt innumera. Apud *Anglos* divus *Thomas*, Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, leviore de cauſa libertatem Euangelicam exercuit adverſus Regem, cui pridem ſervierat, cujuſque favore ceu longi ſervitii mercedem acceperat eam dignitatem. Non agebatur de reconciliandis inter ipſos Principibus. Quanquam illud ſeculum nec habebat ullos Principes, quorum ditio tam late pateret, quam horum, qui nunc tot annis inter ſeſe conflictantes, cæteros etiam minores in belli contagium pertrahunt. Et tantum agebatur de ſeceſſu quodam, magis apto homini pio, quam Regi. Loco nomen eſt *Ortfordia*. Ne me quidem admodum cepiſſet hic locus, prius quam R. D. *Guilhelmus Waramus*, Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, ac totius *Anglia* primas, vir multis nominibus dignus, qui in laudatiſſimi viri dignitatem ſuccederet, ibi ſic ædificarat, ut magis videatur novam ſtructuram excitaſſe, quam inſtauraſſe veterem. Adeo nihil reliquit veteris ædificii, præter aulæ cujuſdam ac Templi parietes. Itaque quum levioribus de rebus eſſet contentio, quum nihil non molitus eſſet vir ille pius, nihil tamen impetravit vivus. Cæterum mors illius tantam auctoritatem conciliavit ordini Sacerdotum apud eam gentem, tantas opes aggeſſit, ut nunc ob hæc gravi laborent invidia. *Joannes* ob linguæ libertatem decollatus eſt: ſed non omnes ſunt *Herodes*, nec omnes habent *Herodiadem*. *Ambroſius*, Epiſcopus *Mediolanenſis*, auſus eſt *Theodoſium* Cæſarem ob crudelem ac præcipitatam in *Theſſalonicenſes* ſententiam à Templi limine ſecludere, poſtque ſævas objurgationes, poſt indictam ſatisfactionem in pœnitentium claſſem relegare. Ac tanti Principis majeſtas ceſſit auctoritati Præſulis. Tentavit idem *Babylas*, *Antiochenus* Epiſcopus, adverſus Regem innocentis homicidio pollutum. Et interfectus eſt, ſed mortuus formidabilis eſſe cœpit non ſolum Ethnico Cæſari, verum etiam Dæmonibus, qui tum adhuc pro Diis colebantur.

Ego vero ſic mihi, Rex optime, de *Caroli* Cæſaris, de tuo, de Regis *Anglia* ingenio perſuadeo, ut non dubitem vos omnes ſalubribus conſiliis obtemperaturos fuiſſe jampridem, ſi quis monitor, modeſte liber, & libere modeſtus exſtitiſſet. Atque interim ingens ubique copia eſt iſtorum, qui Principum animos inſtigent ad bellandum: nimirum hi, quorum commodis expedit res humanas eſſe perturbatas. Alius ſuggerit, Ille te contemnit, ille hoc in te jecit ſcomma; alius, Hanc partem ſi adjeceris ditioni tuæ, facile quum voles adjicies & illam. O conſultor inconſulte, cur ſuggeris quouſque poſſint proferri ditionis limites potius quam in mentem revocas, quam anguſtis terminis olim ditio, quæ nunc eſt, circumſcribebatur? Quin admones, quibus modis quod adeſt queat adminiſtrari recte, potius quam proferri? Proferendi limites nullus eſt finis. Ac vero verius eſt, quod ſcripſit *Seneca*: *Multi imperatores fines aliis abſtulerunt, ſibi nemo conſtituit.* Cæterum in bene adminiſtrando vera Principum laus eſt. *Alexander* Magnus, ubi ventum eſſet ad Oceanum, deſideravit alterum orbem: videlicet illius ambitioni mundus hic erat anguſtus. *Hercules* ultra *Gades* non eſt progreſſus. Nunc ambitioni noſtræ nullæ ſunt *Gades*, nullus Oceanus. Verum adverſus iſtorum peſtiferas voces oportet animos *Chriſtianorum* Principum *Chriſti* decretis, velut antidotis, diligenter eſſe præmunitos, atque ad Euangelicam regulam, velut ad ſcopum, omnia dirigere conſilia.

Quæres forſitan, cur tibi occupatiſſimo tam prolixam occinam cantionem. Imo cunctis optarem hanc cantilenam eſſe decantatam, nec ob aliud, niſi quod me diſcruciat publica mundi calamitas: quodque vehementer cupiam, res *Chriſtianas* ubique tranquilliores eſſe, ſed præcipue *Gallias*, qua ditione neſcio an hactenus ulla fuerit vel ſanctior, vel florentior. Quod ſi tumultus hujuſmodi rarius exſiſterent, veluti diluvia, terræ motus, aut bulimiæ, res eſſet tolerabilior. Nunc ſine fine talibus diſſidiis concutitur mundus. Ac medici quidem corporum in novis morbis exortis ſagaciter inquirunt mali cauſas, quibus deprehenſis, non ita magno negotio medentur. Nec hoc contenti, rationes excogitant, quibus fiat, ne peſtis eadem ſubinde recrudeſcat. Cur in tantis totieſque recurrentibus malis non ſcrutantur homines prudentia ac rerum uſu pollentes, quibus ex fontibus hi tumultus ſubinde ſcateant in orbem, ut inciſis radicibus liceat tantis mederi malis? Cur in rebus multo levioribus tam ſumus perſpicaces, in re longe omnium graviſſima cæcutientes? Mihi videtur maxima bellorum pars ex inanibus aliquot vocabulis, velut in alimoniam humanæ gloriæ excogitatis, oriri: quaſi parum fuerit ambitionis inter mortales, niſi novis titulis aleremus hoc malum, ex ſeſe nimium gliſcens in nobis. His atque hujuſmodi bellorum radicibus excisis, non fuerit difficile leges pacis inter *Chriſtianos* Principes ſancire, quæ prohiberent hos tumultus identidem repullulaſcere. Hac via fieret, ut & Principum opes creſcerent, videlicet per amicitiam jam factæ communes, & ſub florentiſſimis Monarchis populus *Chriſtianus* amabili rerum tranquillitate frueretur. Sic faveret nobis ille verus totius orbis Monarcha, Dominus *Jeſus*, reſque noſtras bene fortunaret. Sic eſſemus *Chriſtiani* nominis hoſtibus formidabiles, adverſus quos nunc ægre tuemur noſtra: tantum abeſt, ut illos longius ſubmoveamus. Quanquam ego malim & illos corrigi, quam ſubmoveri. Sed quî corrigamus alios, ſi nosipſi ſumus illis pene dixerim corruptiores? Non enim jam æſtimo *Chriſtianos* ex articulis, quos ore profitemur, ex moribus æſtimo. Ubicunque regnat ambitio, divitiarum amor, ſuperbia, ira, vindicta, nocendi libido, interpretor abeſſe fidem Euangelicam.

Porro quum hæc lues corripuerit etiam illos, quorum præcipuæ partes erant rebus collapſis conſulere, bonam tamen quampiam ſpem mihi præbet, quod videam ſacras Literas, ſed præcipue Novum Teſtamentum, ſic teri manibus omnium, etiam idiotarum: ut hi, qui divinorum Voluminum ſcientiam profitentur, non raro ſint impares in congreſſu. Mihi vero vel illud argumento eſt, à plurimis legi Novi Teſtamenti libros, quod quum tot Voluminum millia ſingulis annis in publicum emittant Typographi, tamen tot officinæ non ſufficiunt emtorum aviditati. Vendibilis hodie merx eſt, quicquid molitur aliquis in Euangelium. Non poterit hoc pharmacum tam efficax ſemel hauſtum, non exferere vim ſuam. Itaque mihi nunc mundus non aliter affectus videtur, quam ſolet corpus hominis gravibus morbis obnoxium, devorato elleboro, aut alio quopiam præſenti pharmaco. Totum enim conturbatur & concutitur, ſæpe morituro ſimillimum. Atque utinam hoc veratrum Euangelicum, poſteaquam ſemel colluſtravit ac penetravit omnes animi noſtri venas, ſic erumpat, ut ejectis malorum ſeminibus, ſanos ac puros nos reſtituat *Jeſu Chriſto*, poſtque tantos rerum tumultus, ac morbum orbis pene deploratum, lætam & optabilem tranquillitatem reducat omnibus. Magis autem ſperarim hæc publica bonorum omnium vota non irrita fore, ſi primates orbis, veluti fidi medici, ſic laboranti

Digitized by Google

mundo curent adeſſe, hoc eſt, ſi Monarchæ, de quorum arbitrio nunc potiſſimum pendent res mortalium, meminerint ſeſe brevi (quid enim in hac vita longum eſt) *Chriſto* ſummo Principi rationem adminiſtratæ ditionis eſſe reddituros. Rurſum ſi Epiſcopi, Theologi, & Monachi meminerint ſeſe non ſucceſſiſſe in locum *Annæ* & *Cajaphæ*, aut Scribarum & Phariſæorum, qui dum ſuum regnum impie tuebantur, Euangelii regnum conabantur opprimere: dum ſuam aſſerebant gloriam, *Chriſti* gloriam ſtudebant ſepelire: dumque ſuam juſtitiam nitebantur approbare, Deum faciebant injuſtum: ſed potius in locum Apoſtolorum, qui ſanguinis etiam ſui jactura gaudebant aſſerere *Chriſti* regnum, gloriam ac juſtitiam. Semel paſſus eſt *Chriſtus*, revixit nunquam moriturus. Sed eadem, quæ paſſus eſt, denuo patitur, quoties damnatur, conſpuitur, cæditur, crucifigitur, & ſepelitur Euangelica veritas. Denique ſibi putat infligi, quicquid malorum infligitur membris ipſius.

Hæc & liberius fortaſſis & prolixius à me dicta ſunt, Rex *Chriſtianiſſime*, quam par erat: verum amoris magnitudo fecit, ut & loquacior eſſem & confidentior. Omnibus *Chriſtianis* bene volo *Chriſtianus*. Cæterum erga tuam Majeſtatem ac florentiſſimum *Galliarum* regnum ſingulari quodam ducor ſtudio. Precor autem ut *Jeſus*, immortalis totius orbis Monarcha, cui divinitus data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, Spiritum ſuum impartiat tum populis, tum Principibus: his quidem, ut omnes inter ſeſe ſub communi Principe *Jeſu* concorditer, ac perinde feliciter vivant: illis vero, ut ſub ſanctiſſimis ac florentiſſimis Monarchis rebus pacatis fruantur: itaque demum fiat, ut Euangelica pietas inter nos bene conſtituta quam latiſſime propagetur, non invadendis aut diripiendis aliorum regionibus, (ſic enim pauperiores redduntur, non meliores) ſed Euangelica Philoſophia ſinceriter per viros Euangelico ſpiritu præditos ubique prædicanda, atque ita vivendo, ut noſtræ pietatis fragrantia plurimos alliciat ad ejuſdem inſtituti profeſſionem. Sic nata eſt, ſic crevit, ſic late prolata eſt, ſic conſtabilita eſt Euangelica ditio: diverſis autem rationibus ſic nunc in anguſtum contractam, ac propemodum exploſam videmus, ſi totius orbis vaſtitatem conſideres. Iiſdem itaque præſidiis oportet reſtituere collapſam, dilatare contractam, conſtabilire vacillantem, quibus primum & nata eſt, & aucta, & confirmata. Hæc affectu puro ſcribo, *Franciſce* Rex *Chriſtianiſſime*, neque perſtringens quenquam, quum omnibus bene velim: neque blandiens cuiquam, quum à nullo quicquam ambiam. Bene vale. Anno 1533. 1. Decembris.

VITA SANCTI MARCI
PER DIVVM HIERONYMVM.

MARCVS *diſcipulus & interpres* Petri, *juxta quod* Petrum *referentem audierat, rogatus* Romæ *à fratribus, breve ſcripſit Euangelium. Quod cum* Petrus *audiſſet, probavit, & Eccleſia legendum ſua auctoritate edidit: ſicut* Clemens *in ſexto* ὑποτυπώσεων *libro ſcribit. Et* Papias Hierapolitanus *Epiſcopus meminit hujus* Marci: *&* Petrus *in Epiſtola prima, ſub nomine* Babylonis *figuraliter* Romam *ſignificans:* Salutat vos quæ in *Babylone* cum electa, & *Marcus* filius meus. *Aſſumto itaque Euangelio, quod ipſe confecerat, perrexit* Ægyptum, *& primus* Alexandriæ Chriſtum *annuntians, conſtituit Eccleſiam, tanta doctrinæ & vita continentia, ut omnes ſectatores* Chriſti *ad exemplum ſui cogeret. Denique* Philo, *diſertiſſimus* Judæorum, *videns* Alexandriæ *primum Eccleſiam adhuc* Judaizantem, *quaſi in laudem gentis ſuæ librum ſuper eorum converſatione ſcripſit, & quomodo* Lucas *narrat*, Hieroſolymæ *credentes omnia habuiſſe communia: ſic ille quod* Alexandriæ *ſub* Marco *fieri doctore cernebat, memoriæ tradidit. Mortuus eſt autem octavo* Neronis *anno, & ſepultus* Alexandriæ *ſuccedente ſibi* Aniano.

VITA SANCTI MARCI
EX EVSEBIO.

ITAQVE *quum* Romanæ *urbi clarum verbi Dei lumen fuiſſet exortum*, Simonis *quidem tenebræ cum ſuo auctore reſtincta ſunt, ſermo autem veritatis & lucis, qui per* Petrum *prædicabatur, univerſorum mentes placido illuſtravit auditu, ita ut quotidie audientibus eum, nulla unquam ſatietas fieret. Unde neque auditio *ejus ſola ſuffecit: ſed* Marcum *diſcipulum ejus omnibus precibus exorant, uti ea, quæ ille verbo prædicabat, ad perpetuam eorum commonitionem habendam, ſcriptura traderet, quo domi foriſque in hujuſcemodi verbi meditationibus permanerent. Nec prius ab obſecrando deſiſtunt, quam qua oraverant, impetrarent. Et hæc fuit cauſa ſcribendi, quod ſecundum* Marcum *dicitur Euangelium.* Petrus *vero ut per Spiritum Sanctum religioſo ſe ſpoliatum comperit furto, delectatus eſt, fidem eorum per hæc devotionemque conſiderans: factumque confirmavit, & in perpetuum legendam ſcripturam Eccleſiis tradidit.* Clemens *in ſexto Diſpoſitionum libro, hæc ita geſta eſſe deſcribit. Cuique ſimile dat teſtimonium etiam* Hierapolites *Epiſcopus nomine* Papias, *qui & hoc dicit, quod* Petrus *in prima Epiſtola ſua, quam de urbe* Roma *ſcripſit, meminerit* Marci, *in qua tropice Romam* Babylonem *nominarit, cum dicit:* Salutat vos ea quæ in *Babylone* eſt electa Eccleſia, & *Marcus* filius meus.

Hunc autem Marcum *tradunt primum ad Ægyptum perrexiſſe, atque inibi Euangelium, quod ipſe conſcripſerat, prædicaſſe, & ipſum primum eccleſiam apud* Alexandriam *conſtituiſſe. Tanta autem refertur multitudo credentium virorum ac mulierum primo ingreſſu, exemplo ſobrietatis ejus & continentiæ congregata, ut etiam converſatio eorum, qui per ipſum crediderant, & vita totius abſtinentiæ ac frugi eorum, ſobriaque convivia, librorum memoriæ mandarentur à viro diſertiſſimo* Philone, *quem ſermo tenet temporibus* Claudii *Imperatoris* Romam *veniſſe, &* Petrum *Apoſtolum vidiſſe, atque ejus adhæſiſſe colloquiis, verbum Dei prædicantis. Quod valde eſt veriſimile: quia & ſcripturam iſtam, quam diximus, poſterioribus ab eo temporibus conſtat eſſe compoſitam. In qua evidentiſſime omnia Eccleſiæ inſtituta complectitur, qua & tunc tradita ſunt, & in hodiernum ſervantur à nobis. Sed & abſtinentium vitas, eorum duntaxat, qui nunc in eccleſiis vel monaſteriis degunt, deſcribit ad liquidum. Unde plane manifeſtiſſime proditur, non ſolum ſciens quæ noſtra ſunt, ſed & amplectens: quippe qui divinis laudibus extulit ſui temporis Apoſtolicos viros, ex* Hebræorum (*quantum intelligi datur*) *præcipue genere credentes: quoniam quidem conſtat, quod hi, qui ſub Apoſtolis ex* Iſraelitis *credebant*, Judaicis *adhuc inſtitutionibus & Legis obſervationibus inhærebant.*

* Alia editio, *eis.*

IN

Digitized by Google

IN EVANGELIVM MARCI PARAPHRASIS,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

CAPVT I.

Abluitur Dominus: tentatur: quattuor addit: Damonium expellit cum febre, cumque lepra.

1 *Initium Euangelii Jesu Christi, Filii Dei.*

1 CVNCTIS mortalibus insitum est, ut felicitatem expetant. Hanc multi mundana quadam sapientia præpollentes, alii proditis legibus, alii traditis præceptis recte vivendi, hactenus polliciti sunt. Sed quoniam homines erant, non valuerunt præstare, quod pollicebantur. Nec enim noverant, quænam esset vera hominis felicitas, aut quibus in rebus sita. Proinde factum est, ut pro vera felicitate fallacem quandam felicitatis imaginem sint amplexi, & errorem suum in alios transfuderint, falsi simul & fallentes. Attulerunt igitur & legum conditores & Philosophi quoddam Euangelium suum, sed partim vanum & fallax, partim dilutum & inefficax. Certius autem ac solidius Euangelium proditum est à Mose & Prophetis, sed uni duntaxat genti, proque temporis ratione figuris & umbris involutum, præparans tantum ad cognitionem veritatis, nec satis efficax ad præstandam perfectam salutem, sed ad hanc tamen gradibus aliquot provehens, videlicet divina sapientia naturam ipsam referente, quæ nos à rerum visibilium cognitione, veluti manu ducit ad cognitionem invisibilium. Et tamen horum Euangelium plus habet terroris, quam lætæ promissionis: magisque prodidit malitiam hominum, quam diluit: ac Dei potentiam magis ingessit animis hominum, quam clementiam ac bonitatem commendavit, terrorem incutiens potius, quam amorem inserens. Quid enim supererat, nisi posteaquam per Legem didicerant se peccatis obnoxios, nec posse ab his temperare, simulque scirent Dei, severi vindicis, judicium neminem posse effugere, nisi ut trepidarent, horrerent, ac desperarent? Quis autem amare potest quem horret? Porro terror divinæ justitiæ, quanquam est nonnunquam initium salutis, quemadmodum amarum pharmacum, totum hominis corpus concutiens, initium est sanitatis, tamen non absolvit hominis felicitatem. Gratia & beneficentia conciliat amorem. Amor erga Deum reddit felicem. Posteaquam igitur universus mundus utcunque præparatus esset oraculis Prophetarum, ac Mosi præceptis simul & figuris, his novissimis temporibus proditum est illud vere lætum, & omnibus amplectendum Euangelium, quod non Judæis modo, verum etiam universis mundi nationibus ultro defert abolitionem omnium peccatorum: & ne quis dubitet de fide promissi, Deus est auctor, non homo quispiam. Nec hujus legatus est Moses, aut Prophetarum aliquis, sed ipse Filius Dei Jesus Christus, qui nostræ salutis causa profectus è cœlis, nostram carnem mortalem induit, ut innocens per crucem ac mortem suam, innocentiam ac vitam gratis conferret omnibus; qui credentes ipsius promissis, spem omnem in eo collocarent. Deus enim natura clemens ac beneficus, voluit hoc pacto declarare summam & inæstimabilem benignitatem suam erga genus humanum, qua major nec possit optari, nec debeat exspectari. Honoratiorem legatum mittere non potuit, quam Filium suum unigenitum: majorem benignitatem expromere non potuit, quam ut per solam fidem, B omnibus omnia peccata, quamlibet multa, quamlibet atrocia condonaret gratis: ac per spiritum suum eos, qui ante erant servi Diaboli, adoptaret in consortium Filii sui, per quem nobis donavit omnia, quæ in cœlis & quæ in terris. Hoc nuntio quoniam nihil potuit esse lætius, optimo jure dicitur Euangelium, ne rursus timeatis jugum Legis Mosaicæ.

2 Porro Euangelicam historiam quidam altius repetere maluerunt, videlicet à nativitate Jesu Christi: mihi compendii studio satis visum est exordiri à prædicatione Joannis Baptistæ. Is enim non fortuito, sed divina dispensatione, ut lucifer Solem, ita Christi prædicationem antecessit, Judæorum animos excitaturus in exspectationem mox venturi Messiæ: digitoque demonstraturus venientem, quem C Prophetæ tot retro seculis venturum prædixerant. Nam Prophetæ, qui vaticinati sunt de venturo Christo, iidem vaticinati sunt de Joanne Christi anteambulone. Sic enim apud fatidicum Malachiam Deus Pater loquitur Filio suo: Ecce mitto peculiarem & electum nuntium meum ante conspectum tuum, qui tibi mox venturo ad prædicandi Euangelii munus præparaturus est viam.

2 *Sicut scriptum est in Isaia propheta: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.*

3 Similiter ait Esaias, Joannis prædicationem designans: *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Sic nimirum ante medici adventum admonetur ægrotus, ut agnoscens morbum, medicum venientem reverenter excipiat, D seseque illi morigerum ac dicto audientem præbeat.

3 *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.*

4 Quum igitur instaret tempus, ut Jesus Christus Dei Filius, qui eatenus nondum innotuerat mundo, auspicaretur hoc munus, cujus gratia missus erat è cœlis in terras: Joannes, juxta Prophetarum oracula, præcursorem agebat, aqua tingens in deserto: non quod ipse ablueret peccata, sed quod suo baptismo invitaret ad pœnitentiam vitæ superioris, ut morbum suum agnoscentes, desiderarent ejus adventum, qui solus baptizat Spiritu & igni: per fiduciam in ipsum semel tollens omnia peccata, atque ex sese velut è fonte, cœlestem inserens gratiam animis hominum: gratis liberans ab injustitia, gratis E conferens justitiam: gratuito liberans à morte, gratuito donans vitam æternam. Hæc Dei benignitas quo major est, hoc gravioribus suppliciis punientur, qui eam oblatam fuerint adspernati. Id ne fieret, præcessit Joannes, qui suo carnali baptismo præpararet omnes ad spirituale baptisma Christi: qui adhortans, ac metu territans, adduceret eos ad resipiscentiam & odium vitæ prioris: qui præmoneret in proximo esse Messiam, ac regnum Dei. Non erat ille lux, quæ illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum, sed erat nuntius lucis mox exorituræ: non erat ille medicus, qui tolleret peccata, daretque sanitatem, verum ingesta cunctis periculi magnitudine, horrorem incussit animis omnium: F ac prædicans in proximo esse, qui solus liberaret à peccatis, excitavit omnium mentes ad desiderium salutis æternæ. Non erat ille sponsus, sed anteambulo sponsi, qui cunctos expergefaceret, ut venienti occurrerent. Non erat ille verbum Dei, sed vox prænuntia verbi mox proferendi. Lex Mosi terrorem habebat, adeo ut filii Israel non ferrent vocem Dei loquentis ad ipsos. Joannes confinium Legis & gratiæ, veluti mixtus ex utroque, hoc habebat vetustæ Legis, quod exitium minitabatur omnibus,

4 *Fuit Joannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.*

ni

ni mature resipiscerent: hoc habebat novæ Legis, quod non vocabat ad victimas aut holocautomata: non ad vota seu jejunia, sed ad baptismum ac pœnitudinem vitæ prioris: quodque nuntiabat jam adesse clementissimum illum Messiam, qui gratis omnibus condonaret omnia peccata, fiduciam omnem in ipso collocantibus. Lex prior prodita est in deserto: indidem profertur & novæ Legis exordium. Omnia relinquat oportet, qui velit esse dignus Euangelica gratia, quæ compendio largitur omnia. In urbibus sunt opes, deliciæ, voluptates, ambitio, fastus. Sed præ cæteris Hierosolyma habebat Templum, quo superbiebat: habebat carnales victimas, quibus fidebat: habebat festos dies, sabbatismos, delectum ciborum, aliasque ceremonias, in quibus collocabat justitiam: habebat Sacerdotum supercilium, Pharisæorum hypocrisin. Verum ab omnium harum rerum fiducia semet excutiat oportet, quisquis ambit baptismum Euangelicum. Relinquenda Judæa tota cum sua Hierosolyma, cum suo Templo, cum suis victimis, cum suo Sacerdotio, cum suo Pharisaismo, emigrandum in desertum, ubi lætissimum accipias nuntium mox venturi Servatoris.

5 Et egrediebatur ad eum omnis Judæa regio, & Jerosolymitæ universi, & baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua.

5 Nec frustra fuit clamor Joannis: siquidem ad hujus prædicationem territi complures, relictis sedibus suis, properabant ad Jordanem: non tantum ex omni Judææ regione, verum etiam ex ipsis Hierosolymis. Confluebat autem promiscua turba militum, publicanorum, aliquot etiam Pharisæi. Quotquot autem veniebant, citra personæ delectum recipiebantur à Joanne, docebantur: ac sibi displicentes, confitentesque peccata sua, baptizabat; velut imagine quadam præludens ad ordinem Euangelicum. Primum enim munus est docere. Ex doctrina dum catechumenus incipit & suam turpitudinem agnoscere & Dei bonitatem, totus sibi displicet: atque intelligens nulla alia in re paratam salutis spem, ad Dei gratuitam beneficentiam confugit. Magnus ad sanitatem gradus est, hominem agnoscere morbum suum: ingens ad lucem profectus est, agnoscere tenebras suas. Multum promovit ad vitæ puritatem, qui suam horret impuritatem. Joannis prædicatio adumbrat catechismum Euangelicum: Joannis baptisma repræsentat baptismum Christi. Joannis in quibuslibet recipiendis facilitas loquitur, ut quemadmodum omnes egent gratia Euangelica, ita neminem ab ea submovendum, cujuscunque gentis aut ordinis sit. Habebant Pharisæi lotiones suas: abluebant manus sumturi cibum: abluebant corpus è foro domum reversi: subinde lavabant pocula, patinas, sellas, lectos, reliquamque domus supellectilem, quasi vel in hujusmodi rebus sita sit puritas, quam amat in nobis Deus, aut quasi Pharisæorum aquula possit hominem in oculis Dei puriorem reddere. Non reddunt puriorem tales baptismi, sed arrogantiorem. Felices, qui relictis Mosaicis ac Pharisaicis lotionibus, properant ad lavacra Jordanis. Jordanis enim sonat Hebræis, *fluvium judicii*. Non judicatur à Domino, qui seipsum judicat. Hic est ille purificator fluvius, scatens è duobus fontibus, agnitione propriæ injustitiæ, & recordatione bonitatis divinæ. Hic est ille baptismus pœnitentiæ, flumen lachrymarum, ex intimis cordis venis aquas emittens amaras, sed acrimonia nitri abstergens omnes animæ maculas. Habent & Pharisæi suam confessionem, sed arrogantem, *Jejuno bis in sabbato: decimas omnium bonorum do pauperibus: & non sum sicut cæteri homines.* Judæi aliena peccata confitentur, non sua. Porro qui se præparant ad baptismum Euangelicum, nec sua benefacta norunt, nec aliena mala commemorant, sed sua quisque peccata confitentur. Propria benefacta commemorare, arrogantiæ est: aliena mala referre, livoris est & † malevolentiæ. Propriam malitiam agnoscere, est Dei bonitatem glorificare.

† Alia Editio, *maledicentiæ.*

6 Joannes autem, qui sic priorem Christi adventum prævenit, quemadmodum Elias postremum adventum præventurus est, juxta vaticinium Malachiæ, quo magis Eliam referret, vivebat in deserto, fugitans undique contaminatam hominum consuetudinem; vestiebatur non sericis aut laneis, sed veste contexta ex pilis camelorum, lumbos habens zona pellicea cinctos & adstrictos, ante proditum Euangelium, Euangelicum quiddam exprimens: neque non respondebat victus loco & cultui. Victus erat parabilis, & quem ipse locus ultro suppeditabat, locustæ & mel sylvestre: & hic præstitit plus præco Christi, quam Lex Mosaica requirebat. Siquidem illa distinxit animantium genera: hic in totum ab esu quadrupedum, volucrum & piscium abstinebat injussus. Illa prohibet uti veste è lana linoque contexta: hic sibi & lini & lanæ usum interdixit. Talis nimirum vita decebat pœnitentiæ præconem: qui tametsi sanctificatus est in utero matris, tamen austeram vitam agebat, ne parum haberet ponderis prædicatio, si mores doctrinæ non respondissent.

6 Et erat Joannes vestitus pilis camelı, & zona pellicea circa lumbos ejus, & locustas & mel silvestre edebat. Et prædicabat dicens:

7 Atque his rebus tantam & auctoritatem & gloriam sibi pepererat apud Judæos, ut plerique suspicarentur eum esse Messiam. Ille vero tametsi vir esset Deo gratissimus, plurimisque divinis dotibus præditus, tamen intelligens quantum scelus esset, hominem sibi vindicare gloriam Dei, aut hominem in homine salutis præsidium collocare, palam apud omnes prædicabat, dicens: Non sum is, quem vos me esse suspicamini. Humilis ac diluta est mea doctrina, meus baptismus inefficax est. Ipse nihil aliud sum quam homo vobis similis, conceptus in peccatis: nec aliud sum, quam nuntius ejus, qui mox venturus est, ut omnibus conferat salutem. Tempore quidem me posterior est, & juxta humanam æstimationem minus habet auctoritatis: sed adeo me præcellit virtute cœlesti, ut ego, quem vos suspicitis, non sim dignus, qui illi infimi mancipii ministerium exhibeam: ac procumbens humi, solvam corrigiam calceamentorum ejus.

7 Venit fortior me post me: cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus.

8 Ille vobis est suspiciendus, ille studiis omnibus expetendus. Ego prædico terrena, ille docebit cœlestia. Ego hactenus baptizavi vos juxta corpus aqua, præparans animos vestros ad pœnitentiam. Ille ubi prodierit, baptizabit vos Spiritu Sancto, cujus occulta vis sanctificat omnia. Etenim quemadmodum nullus hominum ex sese habet justitiam, ita nulli potest conferre. Major homine sit oportet, qui hoc præstet, quod est solius Dei. Agnoscite discrimen inter indignum famulum & Dominum, inter ministrum & auctorem, inter præconem & Regem.

8 Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto.

9 Posteaquam Joannes hujusmodi verbis animos multorum excitasset ad * exspectationem venturi Messiæ, commodum ac suo tempore prodiit Jesus, relicta Nazareth viculo Galilææ, ubi quod esset educatus, ac diu versatus, etiam natus existimabatur. Hæc videlicet est natura rerum Euangelicarum, ex minimis initiis paulatim ad summa proficere: quum contra mundi Satanæque molimina, à magnificis initiis exorta, subito ad ima præcipitentur. Sic Lucifer, dum constituit sedem in Aquilone, meditans æqualitatem cum altissimo, repente præceps datus est in tartara. Sic Adam, dum hujus instinctu affectat æqualitatem cum Deo, è paradiso exactus est. Hic igitur si cogites Jesu magnitudinem, magis admiraberis modestiam. Prodiit ab humili viculo, à Galilæa contemtissima Judaicæ gentis regione. Prodiit autem humilis nullo comitatu, ut quivis è plebe, inter peccatores, milites, meretrices, & publicanos: ad baptismum pœnitentiæ venit, ille purificans omnia. Non erat illi satis circumcisum fuisse juxta Legis præscriptum, purificatum fuisse juxta Mosi traditionem, Joannis quoque baptismum ambiit; nos interim erudiens ac docens, ei, qui se paret ad Euangelici doctoris munus, nihil omittendum, quod pertineat

9 Et factum est: in diebus illis venit Jesus à Nazareth Galilææ: & baptizatus est à Joanne in Jordane.

* Alia Editio, *perfectionem.*

ad

Digitized by Google

ad aliquem gradum pietatis: nihil non fugiendum, quod offendiculum præbeat infirmis. Docuit hoc Joannes, non esse conciliandam auctoritatem doctori, splendore vestium, aut strepitu vitæ, sed integritate morum. Sed perfectius & à Judaismo longius erat, quod exhibuit Christus, qui cultu victuque nihil differens à cæteris, tamen innocentia, mansuetudine, beneficentia in omnes, Joannis auctoritatem obscuravit. Perfectius enim est, quod præstat Euangelii gratia, quam quod Legis austeritas. Totum autem Domini Jesu consilium in hoc fuit, ut ipsum mundus agnosceret unicum esse salutis auctorem, ut nobis Euangelicæ veræque pietatis formam exprimeret, & de præteritis Prophetarum ac Mosi fidem confirmaret: ac de futuris velut arrhabone dato, certam faceret exspectationem. Libentius enim illi credimus, de quo magnifice sentimus, & in quem multorum testimonia consentiunt. Procuratum est igitur divino consilio, ut undiquaque testimonium ferret Dominus Jesus, totius Legis, Prophetarum omnium, Angelorum, Pastorum, Magorum, Scribarum, Simeonis & Annæ, Joannis Baptistæ, Patris, Spiritus Sancti, denique Pilati & Dæmonum, miraculis etiam ipsis Filium Dei clamantibus. Multa vero gessit, non quod ipse talibus egeret, sed ut nobis in seipso vitæ formam exprimeret: videlicet jejunans, tentatus, orans frequenter, ad baptismum veniens, obediens parentibus, patienter tolerans injurias, postremo ad crucem veniens. Multa præstitit, quæ fuerunt Prophetarum oraculis prædicta, ne quid addubitarent de Promissis in posterum exhibendis: veluti quum in baptismo columbam accipit vertici insidentem: quum resurgit à morte. Venit igitur ad Joannem veluti pœnitens, ambiit baptismum, & impetravit. Baptizatus est in Jordane, in quo baptizabantur & coriarii, & publicani, & milites, quo non aliud hominum genus inquinatius. Non erubescit hîc Principum hujus mundi superbia, quæ nihil vult habere cum populo commune. Nemo Regum, nemo Sacerdotum venit ad baptismum: & si libuisset baptizari, vix aureo gemmeove labro dignarentur baptizari. Ille fons omnis puritatis, ille Rex Regum & Dominus dominantium, non fastidivit commune cum populo lavacrum: sed quisquis sese dejicit apud homines, is attollitur apud Deum.

10 Et statim ascendens de aqua, vidit cœlos apertos, & Spiritum tamquam columbam descendentem, & manentem in ipso.

10 Ut unus quilibet è populo baptizatus est Jesus, sed Pater cœlestis insigni & inaudito signo secrevit eum à reliquis. Etenim simul atque Jesus relicto Jordane, quem sui sacri corporis contactu consecrarat, sese recepisset in terram: dum intentus est precationi, Joannes vidit diffindi cœlos, atque inde Spiritum Sanctum devolare in sacrum verticem Domini, atque inibi commorari. Adæ superbia paradisum nobis clauserat, Christi modestia pro paradiso cœlum nobis aperuit. Visibile signum exhibitum est oculis, sed quo doceremur, quales animos amaret Spiritus ille cœlestis, & quales redderet. Satanæ mundique spiritus reddit & amat animos elatos, tumidos, feroces: at Spiritus ille cœlestis amat modestos, mites ac tranquillos. Nihil enim columba simplicius, aut à pugna raptuque alienius. Expressum est in Domino corporali typo, quid fiat spiritualiter in omnibus, qui sincera fide suscipiunt baptismum Euangelicum. Corpus aqua tingitur, sed mens invisibili gratia perungitur. Porro quod in vertice Domini columba permansit, designabat: cæteris quidem piis, pro modo fidei dari Spiritum Sanctum, prout rerum præsens usus postularit: cæterum in Jesu perennis erat fons omnis gratiæ cœlestis. Neque enim columba tum deferebat ad illum novam gratiam, sed plenitudinem in eo gratiæ declarabat: & unde nobis omnis gratia manaret, ostendit. Hoc tam evidenti signo, quod acceperat à Patre, confirmatus Joannes, non dubitavit illum pronuntiare Filium Dei.

11 Et vox facta est de cœlis: Tu es filius meus dilectus, in te complacui.

11 Grave erat apud Judæos Joannis de Christo testimonium: sed longe gravius testimonium ipsius Patris, cujus vox è cœlis insonuit, dicens: *Tu es ille Filius meus unice carus, in quo sibi placet animus meus.* Gaudium enim patris, filius sapiens.

12 Et statim Spiritus expulit eum in desertum.

12 Non est ignavus aut languidus Spiritus ille cœlestis, igneus est; ac statim vim suam exserit, ubi semel corripuerit animum hominis: segnis ac lentus est spiritus humanus, neque quicquam cogitat, nisi terrena & humilia. Cæterum in quibus jam mortificatus est spiritus carnis, & aguntur Spiritu Dei, mox ad fortia sublimiaque grassantur, ad certamen cum immundo Spiritu, quem non dubitant in se provocare: nimirum freti præsidio Spiritus cœlestis, qui fortior est omnibus qui repugnant Euangelio. Jesus igitur in se exprimens, quid à nobis fieri vellet, statim à baptismo Spiritus vigore actus est in desertum.

13 Et erat in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: & tentabatur à Satana: eratque cum bestiis, & angeli ministrabant illi.

13 Illic commoratus est quadraginta dies, ac noctes totidem, perseverans in precationibus ac jejunio: atque interim tentabatur à Satana, quem fractum, nobis devincendum tradidit, viam etiam vincendi commonstrans. Vincitur enim Spiritu Christi, vincitur assiduis precationibus, vincitur perpetua vitæ sobrietate, vincitur armis Scripturæ divinæ. Interim abstinebat omni solatio mortalium, vivens inter bestias. Nihil erat illi periculi à turba hominum, sed commonstravit novo militi necessariam esse fugam promiscuæ multitudinis, donec domita carne, ac devicto Satana, meditatione divinæ Legis, ac puris deprecationibus spiritus robur justum collegerit. Nonnullis enim tutius est versari inter bestias cum Christo, quam inter homines bestiis nocentiores. Versabatur Dominus inter bestias, sed destituto ministerio hominum, aderant Angeli, & ministrabant ei. Qui rejiciunt omnes hujus mundi voluptates, his adsunt solatia cœlestia. Nobis baptizatus est Christus, nobis deprecatus est, nobis testimonio Spiritus & Patris insignitus est, nobis secessit, nobis jejunavit, nobis tentatus est, nobis vicit. Hîc mihi considera, Christiane miles, tuæ perfectionis ordinem. Catechismus inducit odium vitæ prioris, ac spem purgationis. His ducibus curris ad Jordanem, illic per fidem in Christum deponis maculas omnium criminum. Mox ad preces tuas & Ecclesiæ, datur è cœlis novus spiritus: per eum adscisceris in numerum filiorum Dei, nimirum insitus corpori Jesu Christi, qui est caput Ecclesiæ. Interim non oportet militem esse securum. Dedisti nomen Christo imperatori, renuntiasti Diabolo: accepisti auctoramentum ac donativum, velut arrhabonem tui salarii, Spiritum Sanctum, ad palmam oportet contendere. Ea non contingit oscitanti, arma capessas oportet, ne te hostis, qui nusquam non insidiatur, incautum atque inermem opprimat. Oppugnabit illico mundus, oppugnabit Satanas, oppugnabit te caro tua: semper pugnandum est, ut semper vincas. Neque enim prius erit finis pugnæ, quam vitæ: sed tamen quo sæpius hostem tuum viceris, hoc & ille discedet à conflictu debilior, & tu robustior.

14 Postquam autem traditus est Joannes, venit Jesus in Galilæam, prædicans Euangelium regni Dei,

14 Hîc ubi gnaviter te gesseris, tum demum ad Euangelii prædicandi munus accingere, si modo huc te propellit Spiritus Dei. Dominus Jesus idoneus erat Euangelicæ prædicationi, quo non aliud munus perfectius, etiam tum, quum admodum esset puer, sed nobis exemplar in se paravit, non esse statim ac temere ad tam sacram functionem prorumpendum. Habebat Lex Mosi tempus suum: erat tempus, quo paulatim exoriente luce veritatis Euangelicæ, Legis umbras oporteret evanescere: & proferente se spiritus vigore, caro cederet. Quemadmodum autem in transformationibus rerum naturalium, quo commodior fit transmutatio, miscetur aliquid in medio, quod affinitatem habeat cum utroque. Joannes inter Legem Mosi carnalem, & Legem Euangelicam spi-

Digitized by Google

ritualem medius intervenit, quo facilius homines à carne ad spiritum transfigurarentur. Neque enim subito è terra fit aer, sed intercedit aqua media, quæ paulatim extenuatur in liquidius elementum. Itaque quamdiu florebat Joannis prædicatio, qui ex parte Legis personam sustinebat, (nam & Lex aliquo modo perducit ad Christum) Dominus Jesus, ne cui videretur æmulationem cum Joanne suscipere, aut ne Legem, quam venerat absoluturus, abrogare videretur: nec palam prædicabat, nec miraculis, nisi paucis, virtutem suam exserebat: nec discipulos colligebat, quin potius semet ut Joannis discipulum *agebat: nos docens, non posse quenquam recte magistrum agere, nisi qui se prius obsequentem discipulum præbuisset. Cæterum posteaquam ob linguæ libertatem Joannes esset conjectus in carcerem, Christus illi veluti successit. Prius enim esse convenit, quod est carnale, posterius, quod est spirituale. Antecedit quod imperfectum est, succedit quod est perfectum. Gratia naturam imitatur. Frumentum prius in herba est, quam in spica: & infantiæ succedit ætas robustior. Tendunt ad suum finem Legis ceremoniæ, quæ tamen Christum utcunque delinearant: emicat Euangelica lux, cujus unicus auctor est Jesus Christus. Is primum prodit in Galilæa: nam à parte Judææ contemtissima placuit auspicari lucis hujus exortum. Non merebatur hoc honoris superba Hierosolyma: quæ quum esset cæca, sibi videbatur oculata, & ob hoc ipsum magis insanabilis. Cæterum in hisce rebus, haudquaquam fortuito gestis, subest arcana quædam rerum gerendarum significatio. Quid enim nobis designat Joannes inclusus carceri? Nimirum obscurandam esse Legem Mosaicam, ad exortum clarissimæ lucis Euangelicæ. Quid Joannes alligatus? Nempe adstringendum esse, quod erat carnale Legis, & Euangelica gratia laxandam esse libertatem. Quid Joannes decollatus? Videlicet jam adesse verum caput totius Ecclesiæ, ex omnibus orbis nationibus congregandæ. Quid autem Jesus prædicans in Galilæa regnum Dei? Haud dubie præludit Euangelii gratiam ab impie religiosis Judæis, qui vetus illud caput, quod per Euangelium erat recisum, amplectebantur, & Christum totius etiam Legis caput adspernabantur, ad gentes demigraturam. Nam Galilæa Syris transmigrationem sonat. Antea latebat gratia, regnabant ceremoniæ: nunc illis submotis, prodit in publicum Jesus, efficax Euangelicæ gratiæ tum auctor, tum præco. Itaque juxta sensum mysticum, quicunque volunt audire Christum prædicantem, à pristinis ritibus & cupiditatibus demigrent oportet, ut novæ cœlestisque doctrinæ possint esse capaces. Abjiciat Judæus sanctimoniæ persuasionem: abjiciat Pharisæus supercilium ex operum fiducia sumtum: abjiciant Pontifices Templi & victimarum gloriam: abjiciant Philosophi humanæ sapientiæ inania præsidia: abjiciant Reges ac tyranni stultissimam confidentiam, quam in suis opibus ponunt: abjiciant omnes gentes impios ritus, turpes cupiditates, & audiant novum prædicatorem Jesum, non humana docentem, sed cœlestia. Loquitur ex æquo omnibus, audiant pariter omnes. Est autem operæ pretium considerare, quibus modis auspicetur doctrinam suam. Hujus mundi Philosophi primum ea objiciunt auditoribus, non quæ sunt utilissima, sed quæ ipsis concilient admirationem non vulgaris sapientiæ: cum primis illud captantes ad gloriam, ut ab aliis magni nominis doctoribus dissentiant. Dominus Jesus, nec Legis auctoritatem voluit antiquare, sed non intellectam interpretatur: & perficit potius, quam destruit: nec Joannis doctrinam, licet imperfectam, refellit: sed ab iisdem exordiis auspicatus est suam prædicationem, quibus ille cœperat. Diceres esse Joannis discipulum, qui erat magister & auctor omnium.

*Alia Editio, *gerebat.*

A

B

C

D

E

F

[15] Quid autem prædicat? quid clamat sermo Patris æterni? Lege naturæ, quam Deus inscripserat cordibus omnium mortalium, abusi sunt. Philosophorum sapientia reddidit mundum stultiorem quam fuerat. Gentium religio hactenus summa fuit impietas. Lex Mosi suis umbris, victimis ac terroribus fecit hypocritas. Lex figuris suis innuit, Prophetæ suis oraculis prædixerunt venturum, qui perfectam salutem offerret omnibus gentibus. Ad hanc promissionem quoniam diu dilata est, mundus velut obsurduerat: sed non est oblitus Dominus promissi sui. Tempus, quod ille huic negotio præfinierat, jam expletum est, non est quod posthac exspectetis figuras alias, aut ænigmata Legis: non est quod exspetis novos Prophetas, ecce jam adest regnum Dei. Pro umbris emicabit veritas: pro carne succedet spiritus: pro ceremoniis corporalibus regnabit vera pietas: pro regno Satanæ proferet se regnum Dei. Non est quod cunctemini: non est quod quisquam ad suæ justitiæ præsidia respectet. Ad Mosaicæ Legis æstimationem fortassis aliqui justi sunt apud homines: ad Euangelicæ Legis exactionem peccatores sunt omnes homines; nec est tamen quod desperetis: agnoscite morbum, & accipite remedium, tantum pœniteat vos vitæ superioris, & credite Euangelio. Offertur lætus & optabilis nuntius, gratuita condonatio omnium peccatorum. Nihil opus est holocautomatis, tantum agnoscite vestram injustitiam, & confidite Dei justitiæ, qui quod per Euangelium pollicetur, haud dubie præstaturus est. Promerebitur promissum, quisquis crediderit promittenti.

[16] Hujusmodi sermonibus quum Dominus Jesus excitasset animos Judæorum ad Philosophiam Euangelicam, cœpit & ipse Joannis exemplo discipulos aliquot colligere, sed paucos, eosque rudes & humiles: ut per hos conversis totius orbis nationibus vere constaret, regnum esse Dei, non mundi. Proinde quum die quodam faceret iter juxta Lacum Galilææ; vidit Jesus Simonem & Andream fratrem ejus opera communi laborantes, ut retia laxarent in Lacum: erant enim piscatores, & hac arte sibi victum parabant. Humilitas artis faciebat ad gloriam: concordia fratrum denotabat Ecclesiæ consensum. Piscatura typum habebat Euangelici muneris, quod per sermonem Dei, mortales immersos ignorantiæ tenebris ac sordidis hujus mundi curis extrahit ad lucem veritatis, ac cœlestium rerum amorem.

[17] Hos igitur piscantes, primum piscatus est Jesus: Venite, inquit, ac me sequimini: efficiam enim ut incipiatis esse piscatores hominum.

[18] Ad hanc vocem duo fratres nihil cunctati, relictis ut erant retibus, secuti sunt Dominum Jesum. Nam Jesu vox cœleste habebat incantamentum.

[19] Atque hinc progressus pusillum Dominus, conspexit alios duos, Jacobum Zebedæi filium, & Joannem fratrem ejus: qui & ipsi reconcinnabant retia sua in navi, adornantes piscationem. Et hos alibi intentos, subito interpellans Jesus, vocavit: jussitque ut sese sequerentur.

[20] Ut autem agnoscas juvenes Euangelicæ fiduciæ, nihil morati, relicto etiam patre Zebedæo una cum mercenariis in navi, repente secuti sunt vocantem. Ab his initiis Dominus Jesus collegit principes ecclesiæ suæ, fastiditis interim cum suo fastu Sacerdotibus ac Pharisæis Hierosolymitis.

[21] Ejusmodi sodalitio comitatus Jesus venit Capernaum: ea civitas erat ut opibus florens, ita superba simul & impia. Hic statim aggressus est Euangelistæ munus. Nam sabbato ingressus synagogam, publicitus docebat Judæos: non inania Pharisæorum commenta, sed veram Legis mentem explicans, quæ spiritualis erat, non carnalis.

[22] Sensit illico populus novum doctorem, ac novum doctrinæ genus. Hominem videbant humilem, raro contemtoque sodalitio stipatum, sed admiraban-

15 *Et dicens: Quoniam impletum est tempus, & appropinquavit regnum Dei, pœnitemini, & credite Euangelio.*

16 *Et præteriens secus mare Galilææ, vidit Simonem, & Andream fratrem ejus, mittentes retia in mare (erant enim piscatores)*

17 *Et dixit eis Jesus: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.*

18 *Et protinus relictis retibus, secuti sunt eum.*

19 *Et progressus inde pusillum, vidit Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, & ipsos componentes retia in navi*

20 *Et statim vocavit illos. Et relicto patre suo Zebedæo in navi cum mercenariis, secuti sunt eum.*

21 *Et ingrediuntur Capharnaum: & statim sabbatis ingressus in synagogam, docebat eos.*

22 *Et stupebant super doctrina ejus: erat enim docens eos, quasi potestatem habens, & non sicut Scribæ.*

Digitized by Google

bantur sermonem, vim quandam divinam spirantem. Neque enim Scribarum in morem docebat frigidas constitutiunculas, & aniles fabulas de genealogiis, sed dictis aderat auctoritas, ac sermoni veraci fidem adstruebat miraculorum magnitudo. Friget quicquid humanum est, quoties divina virtus exserit suam potentiam: & ecce protinus adest edendi miraculi occasio.

23 Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo: & exclamavit,

23 Erat in ea congregatione quidam obnoxius impuro Dæmoni. Non tulit Spiritum cœlestem in Christo loquentem Spiritus impius: cœpit enim obstrepere doctrinæ cœlesti, vociferans, ac dicens:

24 Dicens: Quid nobis & tibi Jesu Nazarene: venisti perdere nos? scio qui sis, Sanctus Dei.

24 *Quid tibi nobiscum est rei Jesu Nazarene? An venisti perditurus nos ante diem? Novi qui sis. Nimirum sanctus* ille olim promissus à Propheta Daniele, quem Deus præ cæteris unice sanctificavit.

25 Et comminatus est ei Jesus, dicens: Obmutesce, & exi de homine.

25 Dominus autem, sive quia nondum venerat tempus, ut palam profiteretur quis esset, sive quia non placebat vera quidem illa, sed metu extorta professio, & ab impio profecta Spiritu, qui quum ex se sit mendax, & fallere gaudeat genus humanum, nec vera loquens, erat audiendus apud populum, ne quis illi post credat mentienti, increpuit illum, dicens: *Obmutesce & exi ab homine*, sic melius prædicabis qui sim.

26 Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna exiit ab eo.

26 Nec mora, Spiritus impurus ad vocem jubentis Domini reliquit hominem, sed dilanians eum, atque ingenti clamore vociferans: ut palam esset, illum non suapte sponte, sed virtute divina coactum, profugere. Atque hîc exhibita est imago hominis occupati Spiritu Satanæ. An non pessimo Dæmonio obnoxius est, quem totum possidet ambitio, avaritia, livor, odium, libido, cæteræque cupiditates impiæ? Hujusmodi qui sunt, non ferunt sermonem Euangelicum, sed vociferantur: Quid tibi nobiscum est Jesu? Venisti ut perderes nos? Etenim quos possidet hujus mundi Spiritus, perdi se credunt, quoties coguntur in ea relinquere, in quibus sibi falsam constituere felicitatem.

27 Et mirati sunt omnes, ita ut conquirerent inter se dicentes: Quidnam est hoc? quænam doctrina hæc nova? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, & obediunt ei.

27 Itaque conturbantur ac discerpuntur, dum hinc ad honesta vocat metus æterni supplicii, hinc amplectitur ac retrahit male dulcium malorum consuetudo. Sed nullum est Dæmonii genus tam pertinax, quod ad Jesu jussum non aufugiat. Majus autem miraculum est, ex ambitioso modestum, ex feroci tolerantem, ex libidinoso castum, ex rapaci liberalem reddere, quam corpus hominis ab impio Spiritu liberare. Sed illud magis admirantur homines, non quia sit mirabilius, sed quia cernatur oculis corporeis. Itaque jussu simplici profligatum impurum Spiritum, vehementer tum admirati sunt Judæi, adeo ut inter sese conquirerent, dicentes, Quid hoc est novæ rei? Nihil tale legimus unquam à Prophetis esse factum, ut simplici verbo propellerent Dæmonia. Aut quænam est hæc doctrina nova, quam tanta virtus comitatur? Prædicat regnum Dei, & profert virtutem Dei, Satanæ vires conterens. Neque enim magicis precibus, aut prolixa ad Deum flagitatione, aut alioqui magno negotio profligat impios Spiritus: sed ceu Dominus ac victor illorum, nudo verbo imperat illis, & volentes nolentes obediunt ei.

28 Et processit rumor ejus statim in omnem regionem Galilææ.

28 Ex hoc admirabili facto fama Jesu dimanavit per universam regionem Galilææ.

29 Et protinus egredientes de synagoga, venerunt in domum Simonis & Andreæ, cum Jacobo & Joanne.

29 Ut autem liqueret, in eo fontem esse divinæ virtutis, quæ non possit exhauriri, miracula miraculis succedunt. Mox enim ut egressi sunt è Synagoga, venerunt in ædes Simonis & Andreæ, eodem comitantibus Jacobo & Joanne.

30 Decumbebat autem socrus Simonis febricitans: & statim dicunt ei de illa.

30 Porro socrus Simonis decumbebat, graviter laborans febri:

31 Et accedens elevavit eam, apprehensa manu ejus: & continuo dimisit eam febris, & ministrabat eis.

31 Ejus rei simul atque commonefecissent Jesum, accedit ad lectum, & apprehensa manu mulieris, erexit eam: ac protinus reliquit eam febris. Nec minus perfecta fuit, quam subita sanitas: nam subito redierat & vigor mulieri, sic ut obiens solita munia, ministraret Jesu cum discipulis suis. Periculose decumbit, quisquis carnalium voluptatum amore æstuat, quisquis per luxum vitam ignavam trahit. Mulier decumbit, & olim prima mulier pomi illecebra capta, cœpit hac febri laborare. Caro nostra, quæ concupiscit adversus spiritum, Eva nostra est. Sed felices, quos attactu sui Spiritus ad cœlestium rerum amorem subrigit Jesus: ut qui prius serviebat otio, luxui, aut immunditiæ, subito vigore recepto, mutatus serviat castitati, puritati, ac sobrietati. Nam his epulis delectatur ac reficitur Jesus. Jam imaginare domum Simonis esse Ecclesiam, in qua non convenit esse spiritu languidos, sed Euangelico vigore ferventes: & tamen hîc nonnunquam decumbit socrus Petri, hoc est, Synagoga. Ad Synagogam enim pertinet is, cujus corrupto palato adhuc sapit frigida littera: cui sapit aqua sensus Pharisaici, nec sapit vinum Euangelici spiritus. Qui simul erant in domo, rogaverunt Dominum Jesum, ut jacentem erigeret. Rogemus & nos, qui sumus in Ecclesia, ut dignetur & hos meticulosos, literæ affixos, coremoniis addictos, corruptoque judicio ea vehementer expetentes, quæ sunt noxia, contra ab his abhorrentes, quæ sola sunt expetenda, porrecta dextera, ad libertatem Euangelicam erigere: quæ non in hoc valet, ut licentius peccemus, sed ut alacres ac volentes obeamus munia caritatis Euangelicæ, & Jesum in suis membris refocillemus.

32 Vespere autem facto cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes, & dæmoniis habentes:

32 Nullo non tempore paratus est Dominus ad sanitatem animi conferendam, si quis interpellet: amat ille vel intempestivos & importunos interpellatores: Jam erat multa vespera, Solque occiderat, ut improbum videri posset, medicum id temporis interpellare: sed vicit sanitatis desiderium pudorem. Adduxerant plurimos omni morborum genere correptos, atque inter hos etiam impuris Spiritibus obnoxios.

33 Et erat omnis civitas congregata ad januam.

33 Ad hoc spectaculum confluxerat ad januam domus tota civitas Capernaum.

34 Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus, & dæmonia multa ejiciebat, & non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum.

34 Jesus autem nihil causatus, sanabat plurimos, qui variis morbis tenebantur: ac Dæmonia multa ejiciebat. Celer & expeditus erat medicus, qui dicto pelleret morbum. Porro Dæmonia vociferantia ipsum esse Christum, coercuit: respuens testimonium ab hostibus, & cum quibus noluit suis esse quicquam commercii. A pueris Hebræorum, à piscatoribus prædicari sustinuit, à Dæmonibus nullum recipit testimonium, tametsi verum. Lædit enim veritatem improbus auctor: & nocentius mendax est, qui veritate sibi fidem conciliavit. Atque ea quidem res tum gesta est, juxta historiam. Cæterum videmus & hodie plurimos confluentes ad domum Simonis Petri, quam diximus habere figuram Ecclesiæ: nam Capernaum totius mundi gerit imaginem. Occasus Solis Christi mortem adumbrat: janua domus est baptismus, quem ambit pœnitentia vitæ prioris, & fiducia sanitatis ab Jesu impetrandæ. Ægroti fores obsident: publicani & peccatores ambiunt recipi in Ecclesiæ consortium. Non promererentur autem sanitatem, nisi crederent Jesum & posse & velle conferre salutem. Infrequens erat Ecclesiæ contubernium vivo Christo, qui lux erat mundi: sed eo mortuo, magna vis hominum ex universis mundi regionibus cœpit affluere.

35 Et diluculo valde surgens, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat.

35 His ita gestis, Dominus Jesus, qui non in hoc proprie venerat, ut mederetur morbis corporum, quos ipse suis nonnunquam immittit, ut valeant animo: quum videret multitudinem magna aviditate quærere sanitatem corporis, quæ non pari studio inhiaret doctrinæ cœlesti, qua sanantur animorum morbi, postridie velut otii desiderio fefellit turbam, admodum diluculo surgens: ac relicta Capernaum, abiens in locum desertum, illic orabat: Patri gratias agens pro beneficiis, quæ per ipsum humano generi largiri decrevisset. Atque hîc interim nobis

Digitized by Google

non ſimplex paratur exemplum, poſt collatam in alios beneficentiam oportere ſecedere, ne præmium ab his, quibus benefecimus, videamur exſpectare. Deinde nonnunquam ad tempus intermittendam ſalutiferam doctrinam, quo magis irritemus appetentiam animorum. Poſtremo crebris ſeceſſibus, qui rerum cœleſtium contemplationi dantur, non voluptati, ſpiritum eſſe vegetandum, quo ad juvandos infirmos redeat alacrior. Seceſſit autem in deſertum, non quiſquis commutavit locum, ſed qui animum à curis hujus vitæ ad cœleſtium rerum contemplationem ſevocavit.

36 *Et proſecutus eſt eum Simon, & qui cum illo erant.*

36 Simon Petrus reliquique diſcipuli, ubi ſenſerunt clam abiiſſe Jeſum, perſequuti ſunt illum, donec invenirent ubinam eſſet: non enim decet veros Jeſu diſcipulos unquam abeſſe à Domino ſuo, quem oportet in omnibus æmulari. Interim & turba, quæ mane confluxerat ad oſtium domus, ubi didiciſſet Jeſum abiiſſe, conſequuta eſt illum in deſertum.

37 *Et cum invenisſent eum, dixerunt ei: Quia omnes quærunt te.*

37 Multi ſequuntur Jeſum, ſoli diſcipuli inveniunt, & inventum aliis commonſtrant. Nuntiant itaque Domino, adeſſe magnam vim Capernaitarum, qui quærerent ipſum.

38 *Et ait illis: Eamus in proximos vicos, & civitates, ut & ibi prædicem: ad hoc enim veni.*

38 Ad quos Dominus: Satis eſt in præſentia hæc fundamenta jacta eſſe apud Capernaitas, cæterum tempus eſt, ut proficiſcamur & in propinqua oppidula, vicoſque, ut & illic prædicem regnum Dei. Non enim in hoc veni, ut uni prædicem civitati, ſed ut omnibus annuntiem ſalutem.

39 *Et erat prædicans in ſynagogis eorum, & in omni Galilæa, & dæmonia ejiciens.*

39 Peragrabat itaque Dominus Jeſus oppida vicoſque totius Galilææ, prædicans in Synagogis eorum, morbos depellens, ac Dæmonia ejiciens, ut apud rudem populum potentibus factis fidem adderet doctrinæ ſuæ.

40 *Et venit ad eum leproſus deprecans eum: & genuflexo dixit ei: Si vis, potes me mundare.*

40 Accidit autem, ut die quodam, poſteaquam Jeſus in monte quodam multa præclara docuiſſet populum de perfectione profeſſionis Euangelicæ: deſcendenti occurreret quidam lepra, morbo abominabili pariter & inſanabili, infectus, in quo corporeis oculis exhiberetur imago eorum, quæ inviſibiliter geſſerat in animis auditorum. Oderat morbum ſuum leproſus, ac ſummam de Jeſu conceperat fiduciam. Agnoſcis reſipiſcentem peccatorem ſanitati proximum. Non veritus eſt turbam, cui ſe ſciebat eſſe abominandum: tantum Jeſu bonitatem habebat præ oculis. Ad hunc igitur accurrit: accidit ad genua. Quid hîc faceret ſuperbus Phariſæus? Clamaret: Submovete deteſtabilem, ne vel oculos noſtros inficiat: & lavacrum poſceret, quo hominis afflatum ablueret. Hoc faceret Phariſæus, anima contaminatior, quam quivis leproſus corpore. Quid autem mitiſſimus Dominus, qui ſolus erat purus ab omni macula? Non propellit à conſpectu, non ſubmovet à genibus. Non ignorabat quid peteret, ſed inſignem hominis fiduciam voluit omnibus eſſe exemplo. Qui libidine, qui avaritia, qui odio, qui invidentia, cæteriſque fœdis cupiditatibus tenentur, exſecrabili lepra ſunt oppleti. Qui tales ſunt, audiant vocem leproſi, ut imitentur: *Si vis*, inquit, *potes me mundare*. Agnoſcit morbum, de potentia bonitateque Domini non dubitat. De ſe, an dignus ſit tanto beneficio, judicium defert Domino: gratias acturus, ſi conſequatur quod petit, non murmuraturus ſi non impetret. Diceret enim: poteſt ille lepram pellere, qui præter omne morborum genus etiam Dæmonia ejicit: & vult, qui paſſim omnibus miſeris opitulatur: ſed mea tanta eſt indignitas, ut ſolus non promerear quod impetrant omnes.

41 *Jeſus autem miſertus ejus, extendit manum ſuam: & tangens eum, ait illi: Volo: mundus eſto.*

41 Hæc tanta fiducia, cum ſumma modeſtia conjuncta, impetravit miſericordiam Jeſu. Nam affectum quendam miſericordiæ ipſo etiam vultu præ ſe ferens, ut nos doceret, quales oporteat eſſe erga peccatores, manu porrecta contigit leproſum, ac verbis ab ipſo præſcriptis mundavit hominem. Dixerat ille: *Si vis, potes me mundare.* Jeſus ait: *Volo, mundus eſto.* Non eſt multiloqua ſincera fides: neque gravatim præſtat beneficium Euangelica caritas. *li: Volo: Mundare.*

42 *Et cum dixiſſet, ſtatim diſceſſit ab eo lepra, & mundatus eſt.*

42 Vix ea dixerat, *mundus eſto*, diſceſſit ab homine totus morbus, ſic, ut nulla mali veſtigia relinqueret. Lex Moſi prohibet leproſum contingere, neque caret ſalutari doctrina ſenſus ſpiritualis. Abſtinendum à conſortio inquinatorum, ne contagium mali tranſeat ad nos. Sed Dominus Jeſus lege ſuperior eſt: neque contactu poteſt inquinari, qui quicquid contingit, reddit purum. Contigit leproſum manu, & illico ſanavit corpus ejus. Oremus, ut ſuo ſermone contingat animos noſtros, ut purificet eorum immunditiam. Quiſquis es ſcortator, adulter, aliiſque morbis impure, accurre & tu ad Jeſum: nam is occurrit tibi, deſcendens è ſua ſublimitate: & tuæ conſcius turpitudinis advolvere pedibus illius, procumbe in faciem tuam. Clama ad illum, ſed clama cum ſumma pectoris fiducia: Domine ſi vis, potes me mundare. Mox audies à miſericorde: Volo, mundus eſto.

43 *Et comminatus eſt ei, ſtatimque ejecit illum:*

43 His ita geſtis, Dominus non paſſus eſt hominem ſeſe conſectari, ſed coegit diſcedere, interminatus, ne quid hujus rei apud quenquam efferret.

44 *Et dixit ei: Vide nemini dixeris: ſed vade, oſtende te principi ſacerdotum, & offer pro emundatione tua, quæ præcepit Moyſes in teſtimonium illis.*

44 Quin potius abi, inquit, & oſtende te Sacerdoti: cujus judicio juxta Legis ritus leproſus es judicatus: & ſi te pronuntiaverit vere purum à lepra, offer id, quod Moſes præcepit offerri ab iis, quibus contigiſſet à lepra liberari. Sic majore fide prædicabis Dei in te beneficium, quam ſi ſtatim clamites apud omnes, te mundum eſſe à lepra. Nam hac ratione conſtabit ipſis etiam Phariſæis, mea beneficia calumniantibus, te fuiſſe vere leproſum, & præter medicorum aut Legis ſubſidium, ſolo contactu ſimplicique verbo fuiſſe mundatum: & intelligent adeſſe quendam ipſorum Sacerdotio majorem, qui nullo negotio lepram quamvis exſecrabilem tollat, quum ipſi magno negotio de lepra judicent.

45 *Ille egreſſus cœpit prædicare, & diffamare ſermonem, ita ut jam non poſſet manifeſte introire in civitatem, ſed foris in deſertis locis eſſet, & conveniebant ad eum undique.*

45 Abiit pro leproſo purus, adiit Sacerdotem, inſpectus eſt, judicatus eſt purus ab omni lepra: moxque factum ipſum non tacuit, ſed divulgavit paſſim, & hoc & alia multa de Jeſu prædicans. Dicet hîc quiſpiam: Cur in altero præſtitit quod erat juſſus, in altero neglexit Domini præceptum? Quoniam alterum pertinebat ad confirmandam miraculi certitudinem, ut Sacerdos ignarus, à quo ſanatus eſſet, pronuntiaret de perfecta ſanitate per Jeſum reſtituta, qui fortaſſe calumniaturus fuiſſet Jeſu beneficium, ſi priuſquam pronuntiaret, auctor beneficii fuiſſet cognitus. Sed confirmato per Sacerdotis ſententiam miraculo, ad Dei gloriam pertinebat divulgare quod factum erat. Cur igitur Jeſus juſſit fileri, quod voluit divulgari? Nimirum ut nos admoneret, ex benefactis noſtris, quæ Deus operatur per nos, non eſſe quærendam gloriam apud homines, quod ea ſpecioſior ſequatur fugitantem. Magni animi eſt, ſic dare beneficium, ut ab eo, cui das, nolis tibi gratias agi, contentus juviſſe proximum. Cæterum hoc majore ſtudio prædicare debet apud omnes, qui beneficio adjutus eſt. Chriſto nihil erat ab inani gloria periculi: ſed nobis, quibus hinc plurimum eſt diſcriminis, exemplum hoc parabatur. Neque vir ille contemſit Chriſti juſſa, ſed immenſa lætitia de ſanitate reddita, & impotens quidam amor erga ſalutis auctorem, non patiebatur illum filere. Fit autem fere, ut majore cum fide narremus, quæ malueramus filere, niſi res ipſa cogeret efferre quod eſt in animo. Quid autem eſt conſequutum ex hujus hominis prædicatione? Tanta de Domino Jeſu nata eſt omnium opinio, ut jam ob turbam affluentium non poſſet palam ingredi civitatem, quemadmodum conſueverat: ſed cogeretur, vitatis urbibus, in deſertis locis verſari. Qui præſtigiis ac magicis miraculis ſibi famam & quæſtum aucupantur, civitates quam maxime frequen-

tes

Digitized by Google

tes expetunt. Jesus autem subinde fugitans hominum frequentiam, docet quid nobis agendum sit. Qui pollet miraculis Euangelicis, non tam quærit numerosum theatrum quam ardens. In civitatibus multi affluebant, tantum ut oculos novitate spectaculi pascerent. In deserta loca nemo sequitur Jesum, nisi vehementi quodam illius desiderio flagret. Qui relictis urbium deliciis, per aspera & invia sequitur Jesum, is magno cum fructu suo sequitur. Etenim qui vere illum amat, per omnia sequitur quem amat, per ignominiam, per famem, per direptiones facultatum, per exsilia, per carceres, per cruciatus, per mortes. Horum imaginem sustinebant illi, qui ex omnibus Galilææ regionibus concurrebant ad Jesum in desertis locis latitantem.

Cap. II.

Blasphemum reputant: sequitur Matthæus: utrisque Rumpuntur: pellit spica revulsa famem.

1 *Et iterum intravit Capharnaum post dies,*

VERAM virtutem, quocunque fugias, sua sequitur gloria, non aliter quam umbra corpus. Non enim potest sui dissimilis esse, qui vere bonus est; & quemadmodum quocunque sese transfert corpus Solis, ibi lumen est, ita quoquo locorum fugitat vera pietas, ibi celebritas est. Jam enim desertum desiit esse desertum, postcaquam eo se contulerat Dominus Jesus, vera lux hujus mundi. Et tamen qui præditus est Euangelica virtute, non desinit, quod quidem in ipso est, fugitare theatrum populare: nimirum intelligens, quam periculosa pestis sit, famæ sitis: sed invitum subinde eodem revocat juvandi beneque merendi studium. Itaque fit, ut dum vir bonus aliunde alio propellitur, ad plures dimanet ipsius beneficentia. Jesus itaque nobis formam exhibens, & fugitandæ gloriæ, & perpetuo benemerendi de proximis, post dies aliquot repetiit Capernaum, unde multitudinis importunitate videbatur propulsus, quæ nocturnis etiam horis fores domus, in qua diversabatur, obsederat. Quemadmodum enim Bethlehem cunis suis nobilitavit, Nazareth educatione celebrem fecit, Ægyptum fuga sua felicem reddidit: ita Capernaum frequenti commoratione, atque inibi proditis subinde miraculis, velut adoptavit in patriam. Huc autem veluti furtim reversus est, prius abdens sese in domum, quam adventus ipsius innotesceret vulgo. Verum ut non potest latere Sol, ita non potest esse clam Dominus Jesus. Rumor, ut fit, à paucis exortus, jam per omnem civitatem sparserat, Jesum esse in ædibus.

2 *Et auditum est quod in domo esset, & convenerunt multi, ita ut non caperet neque ad januam, & loquebatur eis verbum.*

2 Nec mora, tanta vis hominum eo confluxit, ut non solum tota domus impleretur, verum nec vestibulum, eaque loca quæ sunt ostio vicina, caperent multitudinem. Beata domus, in quam immigravit Jesus, & à qua nunquam recedit: Ea est Ecclesia. Nam Capernaum totius orbis, quacunque gentes incolunt, gerit imaginem. Nimirum Hierosolymis ejiciebatur è Templo Jesus: apud gentes regnum cœlorum vim patitur, & vi quadam irrumpit promiscua multitudo. Obsident fores catechumeni, magno desiderio ambientes, ut admittantur in domum Domini, esurientes & sitientes justitiam regni cœlorum. Jesus autem ab hac domo neminem excludit, neque pauperem, neque divitem, neque sanum, neque ægrotum, modo vehementer exoptet audire Jesum. Dominus igitur docens nos, ubique primam habendam esse rationem animorum, posteriorem corporum, in primis impartiebat eis sermonem Euangelicum, quo sanantur animorum morbi. Proinde recte faciunt, qui daturi mendicis eleemosynam, prius eis admonitiunculam aliquam impartiunt, quæ reddat animos illorum meliores, mox stipem largiuntur. Nam vulgus hominum præposteros rerum judicio, vehementiori studio fertur ad ea, quæ corpori conducunt, quam quæ ad animi salutem pertinent. Dominus autem exemplo suo commonstravit nobis, quæ potior est hominis pars, ejus priorem oportere curam esse: prius docens, mox sanans ægrotos.

3 *Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur.*

3 Porro quum adhuc doceret Jesus & animis curandis operam daret: adveniunt quidam adducentes secum paralyticum, totius corporis nervis ita morbo solutis, ut affixus lectulo, à quatuor bajulis deportaretur. Habes simulachrum mentis terrenis cupiditatibus sic effœminatæ dissolutæque, ut ad nulla pietatis officia sese possit erigere: sed humilibus ac sordidis curis affixa, nihil sublime aut cœleste cogitat.

4 *Et cum non possent offerre eum illi præ turba, nudaverunt tectum ubi erat: & patefacientes submiserunt grabatum, in quo paralyticus jacebat.*

4 Porro quum obstante conferta multitudine, quæ fores ac vestibulum obsederat, non possent eum deferre in conspectum Jesu: farcinam suam sustulerunt in tectum, eo detractis tegulis patefacto, demissis funibus, pensilem hominem una cum lecto deposuerunt ad pedes Jesu, nihil addubitantes, quin misericors Dominus opitulaturus esset misero: simulatque suis illis oculis conspicatus esset paralyticum, vivi cadaveris ritu solutis membris decumbentem in lecto. Viderat & ante Jesus miserum, nec ignorabat fiduciam eorum, qui hominem adduxerant. Poterat non interrupto sermone per quemlibet illis denuntiare: Surgat ille paralyticus, ac subito sanus, lectulum suum domum reportet: verum, oculis omnium exhibere voluit miserabile spectaculum, simulque declarare, quantam vim habeat apud Deum sincera in ipsum fiducia. Morbus erat insanabilis, jamque inveteratus: aditus importunus: & tamen certam spem illis porrigebat Domini bonitas, cum pari potentia conjuncta. Jesus igitur perspecta illorum insigni fiducia, tanto magis est misertus hominis, quanto magis vidit illum gravius animo laborare, quam corpore. Nemini non miserandus videbatur, qui careret omnium membrorum usu, sed longe miserabilior erat animus vitiis obnoxius. Nihil exspectabatur, nisi ut corporis integritas restitueretur misero, quod ipsum erat humanis viribus majus.

5 *Cum autem vidisset Jesus fidem illorum, ait paralytico: Fili, dimittuntur tibi peccata tua.*

5 At Jesus delectatus tam insigni fiducia, totum hominem sanare volens, versus ad paralyticum: *Fili*, inquit, *remittuntur tibi peccata.*

6 *Erant autem illic quidam de Scribis sedentes, & cogitantes in cordibus suis:*

6 Erant in eo conventu Scribæ quidam, quos eruditio sacrarum Litterarum nihilo reddebat meliores, sed potius ad calumniandum propensiores. Et Prophetarum ac Mosi libris didicerant, solius esse Dei, condonare peccata. Sacerdos enim non remittebat peccata, sed interccssorem agebat apud Deum pro peccatis alienis, non sine victima.

7 *Quid hic sic loquitur? blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?*

7 Id quum non ignorarent Scribæ, sic tacite cogitabant in cordibus suis: Quam hic novam vocem profert, quam nec Moses, nec Aaron, neque * quispiam veterum Prophetarum ausus est proloqui? Remittuntur tibi peccata. Nimirum iste sibi vindicans auctoritatem divinam, contumeliosus est in Deum. Quædam peccata Lex jubet puniri morte, quædam holocaustis, aliisque sacrificiis expiantur Sacerdotis interventu: hic nihil moratus ejusmodi ritus, semel omnium criminum summam verbo condonat. Non est hominis quod sibi sumit: solus Deus potest præstare quod hic pollicetur. Nimirum offendebat illos infirmitas humani corporis, quod videbant, eoque nihil supra hominem de Jesu poterant suspicari. Neque vero magnificentius de eo sentiebat populus, cui tamen hoc adferebat simplicitas, ut minus esset ad calumniandum propensus.

8 *Quo statim cognito Jesus spiritu suo, quia sic cogitarent intra se, dicit illis: Quid talia cogitatis in cordibus vestris?*

8 Eas cogitationes hujus mundi spiritus suggerebat animis Scribarum, qui Legis Mosaicæ litteram mordicus tenentes, à spiritu Legis erant alieni, & hoc magis erant indociles, quod sibi docti viderentur: ut hîc quoque locum habeat, quod videmus in pictoribus & cantoribus evenire, qui minore mercede docent prorsus artis rudem, quam qui ab alio præceptore male sit institutus: propterea quod in

* Alia Editio, *quisquam.*

Digitized by Google

rudi ſimplex ſit capiundus labor : in male docto ut prior ita moleſtior ſit dedocendi labor, quam docendi. Atque has impias cogitationes prudentia quadam humana premebant apud ſeſe, metuentes populum, apud quem ſeſe venditabant.

9 Quid eſt facilius, dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata; an dicere: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula?

9 Jeſus autem, qui ſuam divinitatem factis teſtari maluit, quam oratione prædicare, ut oſtenderet Scribis, nihil eſſe tam abditum in cordibus hominum quamlibet aſtutorum, quod ipſius fugeret ſpiritum omnia ſcrutantem, & omnia perſpicientem: verſus ad eos, perinde quaſi proloquuti fuiſſent, quod animo cogitarant, ait illis : Cur iſtas cogitationes calumnioſas verſatis in animis veſtris? Cur ex hujus corporis infirmitate me judicatis potius, quam ex factis ipſis?

10 Ut autem ſciatis quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, (ait paralytico)

10 Quin potius ex his, quæ cernitis oculis, quæque non poteſtis inficiari, ea colligitis eſſe vera, quæ non poſſunt oculis cerni? Offendit vos hæc vox, Remittuntur tibi peccata: & putatis irritam, quia non videtis efficaciam, quæ ſeſe exſerit in animo. Vos autem quum habeatis oculos corporis ſanos, mentis oculos habetis vitiatos. Quid ſi depromam huic ſimilem vocem, cujus efficacia ſe probet oculis veſtris, an non æquum eſt, ut ex eo quod cernitis, credatis etiam id quod non cernitis? Nihil eſt apud homines facilius, quam dicere : difficillimum autem præſtare quod dixeris. Apud Deum autem eadem eſt facilitas & dicendi & perficiendi. Hanc poteſtatem ſi hactenus Dominus non dedit homini, non eſt tamen illi ademta facultas dandi, cui velit. Et per Prophetas olim pollicitus eſt ſe miſſurum Meſſiam ſuum, qui auferret morbos populi Iſraelitici, & peccata aboleret. Itaque nolite ſpectare corpuſculum hoc, veſtris corporibus ſimile, neque veſtem hanc nullis phylacteriis aut fimbriis pictis inſignem, neque vocem hanc à cæterorum hominum voce nihil diſſonantem. Ex re ſumite judicium. Cuivis in promtu eſt dicere peccatis obnoxio, Condonantur tibi peccata; atque æque proclive eſt dicere paralytico morbo obſtricto, *Surge, tolle lectulum tuum & ambula.* Audiſtis unam vocem, & calumniamini, audite nunc alteram, quam calumniari non poteritis, ubi videritis palam rem dicto eſſe comitem. Id faciam, non ut jactem poteſtatem meam, ſed ut intelligatis Filio hominis, qui vobis nunc humilis videtur & imbecillis, à Deo traditam eſſe poteſtatem verbo remittendi peccata, quam veſtri Sacerdotes nunquam habuerunt: idque non ſolum in Judæa, ſed in terris etiam omnibus : ut quicquid ille remiſerit in terris, remiſſum ſit in cœlis : quicquid non relaxaverit in terris, idem maneat adſtrictum in cœlis. Non eſt quod calumniemini, ſed eſt quod vobis gratulemini, ſi Deus ſuam erga vos benignitatem auxit. Si dicitis hoc non poſſe Deum, majeſtatem illius læditis, ſi non velle, bonitatem offenditis, ſi non facere, quum pollicitus ſit, mendacem facitis : ſi in his quæ ſunt animi non creditis, cum in his, quæ palam cernitis oculis corporis, tergiverſari non poſſitis, perverſam & obſtinatam veſtram malitiam declaratis.

11 Tibi dico: Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.

11 Hæc loquutus Jeſus, atque illis attentis, quid eſſet facturus, verſus ad paralyticum, ait: *Tibi dico ſurge, tolle grabatum tuum, & abi in domum tuam.*

12 Et ſtatim ſurrexit ille: & ſublato grabato, abiit coram omnibus, ita ut mirarentur omnes, & honorificarent Deum, dicentes: Quia numquam ſic vidimus.

12 Ac vix editum ſermonem manifeſta præſentaneaque vis conſequuta eſt; non enim paralyticus paulatim ac tandem ægreque cœpit ſeſe movere, ſed ad Jeſu vocem alacer erexit ſeſe, quaſi nunquam ſenſiſſet ullam paralyſin, ac ſublato in humeros lectulo per confertam hominum multitudinem egreſſus eſt, novum & antehac inviſum omnibus ſpectaculum exhibens : ut qui paulo ante velut exanime quoddam cadaver à quatuor bajulis affixus lecto deportabatur, nunc geſtiens & alacer, tantæ etiam ſarcinæ geſtandæ ſolus ſufficeret. Datus eſt locus exeunti, qui negatus eſt advenienti. Sic enim expediebat utrunque, ut venienti obſiſtens turba, fiduciæ magnitudinem omnibus faceret manifeſtam: & datus per mediam multitudinem exeunti locus, miraculi ſpectaculum omnium oculis ſubjiceret. Viderunt hæc Scribæ, ac non ſolum correcti non ſunt, verum etiam magis incanduit illorum invidentia. Cæteri vero, quotquot aderant, inſolito miraculo ſtupefacti, glorificaverunt Deum : qui talem poteſtatem dediſſet homini, ut ſimplici verbo & peccata condonaret, & morbum inſanabilem adimeret: ingenue confitentes, inter omnia quæ narrarentur à ſanctis ſuperioribus peracta, aut quæ ſuo ſeculo vidiſſent à ſanctis viris fieri, nihil huic facto ſimile exſtitiſſe.

Jam vero ſi ad Sculptorum aut Pictorum opera nonnunquam reſiſtimus, ſingulas artificii partes contemplantes, ſemperque novi quippiam animadvertentes, quod prius oculos ſuffugerat, equidem arbitror non abs re fore, ſi ad hoc tam inſigne ſpectaculum aliquantiſper commoremur, pia curioſitate colluſtrantes ſingula : quandoquidem quicquid geſſit in terris Dominus, in hoc geſſit, ut in his philoſophantes, nobis decerperemus, quod ad pie vivendum conducit. Id majore cum fructu fiet, ſi primum conſideremus, quod foris exhibitum eſt oculis corporeis, mox, quid in animis gerendum, hac imagine nobis eſt ſignificatum. Primum igitur conſideremus morbi vim ac magnitudinem, quem Dominus Jeſus verbo depulit. Siquidem paralyſis humore noxio nervos corporis, qui motus ſunt organa, occupat, ac torpefacit : ſic ut qui laborat hoc malo, membra corporis non ad uſum, ſed ad ſarcinam moleſtam habeat, ut propemodum vivum cadaver eſſe videatur; non in aliud ſpirans, niſi in pœnam ſuam. Hoc malum fere aut ſubito tollit hominem; aut, ſi id non fit, crudelius etiam lenta morte conſumit. Eſt autem de numero eorum, à quibus medicorum ars, velut ab immedicabili malo, libenter abſtinet; aut ſi tentet vincere, diu fruſtra luctata, tandem diſcedat inferior; præſertim ſi non unam aut alteram corporis partem, ſed univerſum corpus occuparit. Porro quam fuerit hujus hominis deploratum malum, lectulus indicat, cui affixus, non aliter quam exanime cadaver, à quatuor bajulis geſtabatur; quin frequenter & linguæ uſum eripit, ac mentis vigorem hebetat. Quod huic quoque videtur accidiſſe, qui nihil rogarit Dominum, quum tanto malo premeretur. Quis autem tam durus eſt, cui tale ſpectaculum non moveret miſericordiam? Quis non feliciorem judicaret exſtinctum, quam ſic ſpirantem? At nunc mihi pauliſper adhibe ſpirituales oculos, & conſidera, quanto ſit infelicior animi paralyſis, cujus omnes vires ſic occuparunt rerum fluxarum frigidiſſimæ curæ, ut totus ad omnia pietatis officia torpeat, ut nec manus habeat ad ſubveniendum inopiæ pauperum, nec pedes, quibus adeat Jeſum, nec linguam, qua Servatoris opem imploret; ſed velut juſtitiæ mortuus, cupiditatum ceu bajulorum arbitrio huc & illuc circumferatur. Quid faciat infelix animus, qui luxu, qui voluptate, qui ſtudio gloriæ & pecuniæ totus ſolutus & enervatus, ex ſeſe nullum habet robur à ſordidis curis ſubrigendi ſeſe ad amorem rerum cœleſtium? Totus affixus eſt infelici grabato cupiditatum carnis, in quibus conquieſcit. Nulla certe poteſtas hominum poteſt huic opitulari; ſolus Jeſus poteſt omnem morbi vim omnipotenti juſſu propellere. Hic igitur medicus adeundus eſt, cui nullum malum eſt immedicabile, ſed adeundus eſt cum ingenti fiducia, quæ tantum valet apud Dominum Jeſum, ut huic paralytico præſidio fuerit etiam aliena fiducia. Nihil illi quidem orant verbis, ſed tamen re magnopere flagitant. Eſt autem efficax in primis apud Chriſtum flagitatrix fiducia, quando videmus etiam juxta humanos affectus magnam ſollicitudinem injici mentibus noſtris,

Digitized by Google

ſtris, ubi ſentimus aliquem toto pectore de nobis pendentem, ſibique certam ſpem in nobis collocaſſe. Deus autem à peccatoribus nec holocautomata requirit, nec donaria. Tantum agnoſce morbum, & confide de medico: quanquam ut hoc ipſum poſſis, nemo largitur, niſi Deus. Is enim ubi pro ſua bonitate decrevit ſanare paralyticum animum, immittit illi mirabile quoddam ſui ipſius tædium, ſic, ut ſemet oderit, ac vitæ etiam tædeat. Contuetur in quibus tenebris, in quibus flagitiis verſatus ſit, horretque ſeipſum, plane deſperaturus, niſi qui immiſit acetum doloris, adderet oleum bonæ ſpei. Juſtitia Dei perturbat animum ſibi male conſcium, minitatur vindictam ſceleribus debitam, intentat gehennam: ſed à deſperatione revocat conſiderata Dei bonitas; qui non quærit mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat. Dominus Jeſus, qui naturam reſtituit, qui Moſi Legem non ſolvit, ſed abſolvit, ad communem etiam vulgi ſenſum ſeſe accommodavit. Si potio, per fidum medicum adminiſtrata, vehementer concitat totum corpus, præſertim in morbo capitali, quo major eſt perturbatio, hoc magis ſperatur ſanitas: ita quo propior eſt deſperationi peccator reſipiſcens, hoc ſaluti vicinior eſt, medico Jeſu. Jam mihi conſidera pudentem impudentiam. Eſt enim juxta vulgi quoque ſermonem, pudor inutilis viro, quem urget neceſſitas. Pudor autem pudorem pellit, non aliter quam clavus clavum. Inutilis autem pudor eſt, celare morbum. Hunc pudorem extundit morbi tædium, ac ſalutis impetrandæ concepta ſpes: jamque non pudet fateri morbum, quia pudet ægrotare. Quis hominum in gravi corporis morbo meminit pudoris? Nonne ſecretiſſima etiam corporis membra nudant, ac medico tractanda permittunt? Nec aliter affectus eſt, qui fœdum animi morbum cœpit agnoſcere Quid enim improbius, quam conſcendere tectum alienæ domus, dejicere tegulas, aperire feneſtram, ſordidum & abominandum ſpectaculum ex alto ingerere oculis omnium? Quid hic dicturus erat ſupercilioſus Phariſæus? Nimirum clamaſſet, indignum facinus; magniſque convitiis inceſſiviſſet illorum improbitatem, qui contra jus publicum, perfoſſo tecto, irrumperent in privatum alienum, ac funeſto ſpectaculo ſimul & ſermonem ſacrum interrumperent, & oculos auditorum contaminarent. Juberet abigi cadaveroſum paralyticum, ſeque totum aqua prolueret. At his, quibus offendendus erat oſtentator Moſaicæ juſtitiæ, quoniam arguebant inſignem erga ſe fiduciam, Dominus Jeſus delectatus eſt, adeo, ut nec exſpectatis precibus calamitoſum hominem ſanitate donaret. Ac primum adimit animi morbos, quæ ſunt peccata: mox paralyſi levat corpus: quod quemadmodum nonnulla vitia ex corpore ſumtis initiis permanant ad animum, ita non raro fit, ut ex animo natum morbum corpus contrahat: veluti quum libido ex carnis humoribus orta conſpurcat animum: atque inde rurſus in corpus reciprocat malum, paralyſin gignens, aut morbum comitialem. Aut quum livor ex animi vitio ſumens originem, corpus etiam tabefacit. Solus autem ſanare poteſt utramque hominis partem, qui utramque condidit. Conſiderandum eſt & illud, quanta fuerit largitas Jeſu in condonandis peccatis. Quum enim ait, condonantur tibi peccata, relaxat univerſa. Nec ulla meritorum præteritorum mentio, nec ulla ſacrificiorum aut ſatisfactionis exactio: tantum fiduciæ fit mentio. Satis eſt, veniſſe ad pedes Jeſu. Satis ſacrificavit, qui ſe illi cum plena fiducia oſtendit: nullum illi gratius holocautoma. Totus ſibi diſplicebat ille paralyticus, & male ſibi conſcius, & miſerabili corporis morbo oppreſſus. Tota ſpes erat in potenti bonitate Jeſu: ille totum reſtituit, quia ſe totum Jeſu medico commiſit. Non reputabat, quam eſſet immedicabilis morbus: tantum cogitabat, quam potens, quam bonus

A eſſet medicus, cui ſeſe concredebat. Quæ ſpes autem iſtis, qui morbo ſuo blandiuntur, qui fugiunt oculos medici, imo qui medicum oderunt & averſantur? Si te pudet apud medicum hominem, aut ſi quid diffidis, qui fortaſſis cognitum morbum exprobraturus ſit potius, quam ſublevaturus, noli celare morbum tuum apud Chriſtum, qui neminem traducit, ſanat omnes, & ſanat gratis: ut tibi quoque contingat, quod contigit paralytico. Quid is fecit? Suſtulit in humeros grabatum ſuum, verſa rerum vice: nimirum imperans cupiditatibus, quibus antea ſervierat: hoc eſt enim geſtare crucem, hoc eſt
B crucifigere carnem cum vitiis & concupiſcentiis. Jam nihil eſt opus quatuor bajulis. Suis pedibus ambulat, quocunque agit illum Chriſti ſpiritus: nec alio vadit, quam quo juſſus eſt. Quid enim eſt ambulare, niſi virtutum profectibus ſemper ad meliora progredi? Quid eſt redire in domum unde venerat, niſi agnoſcere qualis illinc exierit, & cujus beneficio ſubito mutatus, eo redierit? Nam Phariſæorum eſt, habitare in plateis, foris & conciliabulis. Domi ſuæ habitat, qui ſe novit quam nihil ſit: & quicquid habet virtutum, id totum adſcribit gratuitæ benignitati Servatoris. Jam te dimittam ab hoc
C ſpectaculo, ſi perſonas hujus ſcenæ demonſtraro. Paralyticum & hujus bajulos fiducia reddit impudentes, & impetrant quod deſiderant. Jeſus delectatus eorum fiducia, etiam non rogatus ultro duplicat beneficium. Populus ſimplex & illiteratus, nihil dijudicans in eo, quem credebat eſſe hominem, tantum admiratur virtutem divinam: ſoli Scribæ taciti apud ſeſe murmurant. Fugiamus exemplum Scribarum: qui dum ſuæ ſtudent gloriæ, Jeſu gloriam conantur obſcurare. Simus è ſimplici turba, glorificantes Deum: non ſolum, ſi quando nobis ſua clementia adimit morbos animi, verum etiam quum alios videmus ejuſdem benignitate à priſtinis vitiis reſipiſcere.

D 13 Hoc inſigni miraculo geſto Capernaum, quo pluribus prodeſſet, rurſus commutavit locum, ac ſeſe contulit ad Lacum. Non ſe ſubduxit hominum ſaluti, ſed fugiens inſanabiles Scribas, piorum hominum deſiderium abitu ſuo provocavit. Siquidem ad Lacum quoque magna vis hominum confluebat: docens nos, omnibus relictis, Jeſum eſſe ſequendum quocunque ſe contulerit. Nuſquam enim non ſervator eſt, ſive urbes incolat, ſive vicos & oppida peragret, ſive verſetur in deſertis, ſive conſcendat montes, ſive deſcendat in campeſtria, ſive Lacus adeat. Videns itaque numeroſam hominum multitudinem confluxiſſe, nec ignorans* quamobrem eo concurriſſet, docebat illos in littore.

13 *Et egreſſus eſt rurſus ad mare: & omnis turba veniebat ad eum, & docebat eos.*

E 14 Quumque faceret iter in littore, præteribat teloneum quoddam, in quo ſedere ſolent, qui à præternavigantibus vectigal exigunt. In eo vidit Matthæum quendam, qui idem dictus eſt Levi, Alphæi filium; ſedentem ad teloneum. Erat enim publicanus. Id hominum genus quanquam ubique populo eſt inviſum, tamen apud Judæos peculiariter habebantur abominabiles. Redimunt enim iniqua ſumma munus à Principe, eoque fere, quo plus lucri faciant, inclementer extorquent ab omnibus, odioſeque negotium faceſſunt nautis ac viatoribus, quibus nonnunquam & aliunde ſatis eſt incommodi. Erant autem apud Judæos plurimi, qui negabant Judæos, populum Deo ſacrum, pendere tributum oportere Cæſari profano Principi, & idolorum cultori. Hinc factum eſt, ut publicanos, qui Cæſaris negotium ad quæſtum uſurarium agebant, vehementer exſecrarentur. Dominus autem, qui prius exprobraverat Scribis ſuam incredulitatem, obmurmurantibus miraculo, quum turba ſimplex Deum glorificaret, rurſus oſtendere † voluit, nullos longius abeſſe à vera religione, quam qui ſibi videbantur eximie re-

14 *Et cum præteriret, vidit Levi Alphæi ſedentem ad teloneum, & ait illi: Sequere me. Et ſurgens ſecutus eſt eum.*

F

* Alia Editio, *ignarus*. † Altera, *volens*.

Digitized by Google

religioſi, Matthæum avocavit à teloneo, juſſitque ut ipſum comitaretur. Ille ſubito mutatus, relicta ſella quæſtuaria, ſequutus eſt pauperem Jeſum, ut Euangelicis opibus diteſceret. Hoc factum non omnes perinde mirabantur, tamen erat multo prodigioſius eo, quod paulo ante demirati fuerant in ſanato paralytico. Nam illud mihi cogita, quanta paralyſi laboret, cujus animus affixus eſt ſtudio pecuniæ: nec obſcurum eſt quam ſint perplexæ publicanorum rationes. Et tamen hic ſubito factus alius, mirabilius exſiliit à teloneo ſuo, & omnibus relictis ſequutus eſt Jeſum, quam paralyticus ille exſiliens è grabato ſuo, domum abiit. Phariſæus audit Jeſum multa diſſerentem, videt miracula patrantem, & diffidit ac obmurmurat. Publicanus, qui nihil tale audierat aut viderat, ſimplici dicto Jeſu obtemperat.

15 Et factum eſt, cum accumberet in domo illius, multi publicani & peccatores ſimul diſcumbebant cum Jeſu, & diſcipulis ejus: erant enim multi, qui & ſequebantur eum.

15 Et ecce rurſus occaſio, qua magis illuſtretur & Phariſæorum iniquitas, & Jeſu benignitas. Matthæus enim jam certus Jeſu diſcipulus, quo pluribus illum commendaret, ſuique ordinis nuper ſodales ad Euangelicum quæſtum adduceret, rogare Dominum auſus eſt, ut domi ipſius vellet eſſe conviva. Obtemperavit Jeſus roganti, quandoquidem ille obtemperarat vocanti. Matthæus, rem magnam impetraſſe ſe ratus, apparat convivium ſplendidum ac magnificum, quod multis eſſet ſuffecturum, videlicet diſcipulis, quos jam aliquot collegerat Dominus: ac præter hos non paucis aliis, qui tum Jeſum comitabantur, & ad convivium eunti fuerunt umbræ: multiſque publicanis, ac peccatoribus etiam, quos ob priſtinam notitiam ac familiaritatem eodem vocaverat Matthæus, non erubeſcens, quales aliquando ſodales habuiſſet, qui tum ad aliud ſodalitium tranſiſſet: ſperabat enim fore, ut quemadmodum ipſe vocatus fuiſſet à Domino, itidem & plures, quos habuerat infamis quæſtus ac vitiorum ſocios, Euangelicæ Philoſophiæ, quæ largitur opes cœleſtes, haberet condiſcipulos. Hanc ſpem illi præbebat perſpecta Jeſu ſingularis in omnes clementia.

16 Et Scribæ & Phariſæi videntes quia manducaret cum publicanis & peccatoribus, dicebat diſcipulis ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit Magiſter veſter?

16 Decebat autem amplum eſſe convivium, quod Eccleſiæ ex gentibus colligendæ gerebat imaginem. Parca ſunt enim & anguſta Judæorum convivia, qui carnem Legis ſequuntur, quum Spiritus ſeſe latiſſime diffundat, omneque hominum genus recipiat. Libertatem amant omnes, clementia opus eſt omnibus. Juſtitia paucorum eſt: hanc quum non haberent, ſibi vindicabant Phariſæi. Qui quum conſpicarentur Jeſum cum publicanis & peccatoribus agentem convivium, quos ipſi veluti ſancti, nec alloquio dignarentur, adeunt illius diſcipulos, rudes adhuc, & qui facile viderentur abduci poſſe à præceptore, hos captant venenato ſuſurro: Quamobrem, inquiunt, magiſter veſter, quem vos deſerto Joanne ut ſanctiorem ſequimini, cum peccatoribus edit ac bibit, quum menſæ communio ſummum ſit familiaritatis indicium? An non legit quod ſcriptum eſt: *Cum ſancto ſanctus eris, & cum perverſo perverteris?* An non cogitat, quod hac conſuetudine addit animos peccatoribus, qui vitati, fortaſſe reſipiſcerent?

17 Hoc audito Jeſus ait illis: Non neceſſe habent ſani medico, ſed qui male habent: non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores.

17 Ad hæc quum diſcipulis, adhuc rudibus, non eſſet in promtu quod reſponderent, ſed tantum ſimplici fiducia pendebant à Domino, Jeſus, quem nec voces clancularіæ, nec cogitationes occultæ Phariſæorum latebant, pro diſcipulis reſpondit: Quid obmurmuratis Phariſæi, quod cum his, quos vos pro impiis & abominandis ducitis, agitem convivia potius, quam cum Sacerdotibus, Scribis & Phariſæis? Laudantur medici, qui ſani quum vocantur, adeunt ægrotos: & ego culpor quod eos adeam, qui morbum agnoſcunt animi ſui, & medicum deſiderant? Qui proſpera valetudine ſunt, non expoſtulant cum medico, dicentes: Cur inviſis illos & illos, nos non inviſis? Etenim qui valent, nihil opus habent medico: at medicorum ars his debet eſſe parata, qui male habent. Hi, qui morbum ſuum agnoſcunt, gaudent adeſſe medicum. Vidiſtis enim in paralytico mihi traditam eſſe poteſtatem tollendi peccata. Vos qui vobis videmini ſani, vindicantes vobis juſtitiam, non habetis quod expoſtuletis cum medico, ſi vos non adeat. Ideo miſſus ſum in mundum, ut tollam peccata mundi. Quicunque morbum agnoſcit, ac medici deſiderat opem, huic non deero. Porro qui ſibi videtur vacare culpa, ſi recte ſentit, non eget ope noſtra: ſin laborat falſa perſuaſione, aut ſi ſibi male conſcius, tamen diſſimulat morbum ſuum: hunc, quoniam inſanabilis eſt, fruſtra adiret medicus. Quis enim curet invitum? Proinde injuria reprehenditur medicus ſi id facit, quod profitetur ars: ſed inſignis eſt inhumanitas eorum, qui cum ſani ſint, medici præſentiam invident ægrotis. Nec hoc, quod facio vobis; qui Legis ſcientiam profitemini, novum videri debet. Sic enim legitis: *Miſericordiam volo potius, quam ſacrificium.* Hæc Deus per Prophetam loquutus eſt, ſignificans abolendam carnalem Legis juſtitiam, quæ conſtat abſtinentia manifeſtorum flagitiorum, & obſervatione ceremoniarum. Qui non committit homicidium, qui non furatur, qui non mœchatur, qui quieſcit ſabbatis, qui jejunat ſtatis diebus, qui lavat, qui ſacrificat, juſtus eſt apud homines. At Deus aliam juſtitiam requirit, quæ conſtat gratuita beneficentia in proximum, ignoſcentia ac lenitate. Quantum vero abſunt ab hac laude, qui non ſolum non opitulantur proximo ſuo, verum etiam invident & obſtrepunt, ſi quis opem ferat egentibus. Talem autem vobis Deus promiſit Meſſiam, non qui ſacrificiis, phylacteriis, jejuniis, ac prolixis precationibus ſuperaret Phariſæos, his rebus ſeſe populo venditantes: ſed qui beneficus in omnes, lux eſſet errantibus, ſublevator oppreſſis, conſolator afflictis, medicus contritis corde: quique eos, qui longe videbantur abeſſe à Deo, Deo jungeret: qui vero Deo videbantur eſſe proximi, hos declararet procul abeſſe à vera pietate. Hoc ſermone Dominus Jeſus ſimul & os obturavit Phariſæis, & diſcipulos docuit, quales ſeſe præſtare deberent erga peccatores.

18 Et erant diſcipuli Joannis & Phariſæi jejunantes: & veniunt, & dicunt illi: Quare diſcipuli Joannis & Phariſæorum jejunant, tui autem diſcipuli non jejunant?

18 Multum debemus Phariſæorum malitiæ, quæ ſubinde Dominum provocat ad explicandam Euangelicam doctrinam. Ecce rurſus adeunt Jeſum aliquot diſcipuli Joannis, juncti calumniatoribus Phariſæis. Nam & illos livor quidam humanus arripuerat, quod Jeſus Joannis famam videretur obſcurare, quum Joannis vita, & inſtitutio videretur eſſe ſeverior, quam Jeſu: qui diſcipulorum etiam numero fuerat ſuperior. Adeunt itaque Jeſum, & calumniam objiciunt quæſtionem: *Quare*, inquiunt, *diſcipuli Joannis & Phariſæorum jejunant frequenter, tui autem diſcipuli non jejunant?*

19 Et ait illis Jeſus: Numquid poſſunt filii nuptiarum, quamdiu ſponſus cum illis eſt, jejunare? Quanto tempore habent ſecum ſponſum, non poſſunt jejunare.

19 Ad hanc quæſtionem, quoniam ipſum petebat, non diſcipulos, Dominus Jeſus clementius reſpondit, quam paulo ante fecerat diſcipulis ſuis patrocinans: nos interim docens, Euangelicam caritatem, quæ lenis eſt in malis ſibi proprie inflictis, diligentiorem eſſe in propellendis malis alienis. Oportet enim Epiſcopum Euangelicum in injuriis, ipſius capiti ingeſtis, tolerantem ac lenem eſſe, cæterum magno ſtudio ſuccurrere gregi periclitanti. Ait itaque Jeſus: Vos qui ſedulo audiſtis Joannem Baptiſtam, meminiſſe debetis, quod ille me prædicarit eſſe ſponſum, ſe vero ſponſi amicum. Par eſt autem abeſſe triſtitiam omnem, ubi adeſt ſponſus. Moſes ſervus eſt, non ſponſus. Illi congruebant jejunia, quæ triſtitiam habent, & hilaritatem obnubilant. Recte jejunant, qui manent in ſynagoga, ancilla, non ſponſa. Non enim verſantur in cubiculo ſponſi. Cæterum liberi qui verſantur in thalamo nuptiali, quam diu ſponſum ipſum habent præſentem, non poſſunt jejunare, quod gaudii magnitudo non ſinat eos meminiſſe triſtium. Qui metu pœnæ ſuum facit officium, a-

la-

Digitized by Google

lacer esse non potest. Porro filii, qui spiritum liberalem hauserunt, intelligentes se caros & curæ esse sponso, non anguntur sollicitudine, ne peccent in his, quæ ad tempus præscripta sunt ingenio servili præditis, in lotionibus, in sabbatismis, in delectu ciborum, in vestitu, in diebus festis, in sacrificiis. Confidunt enim potentiæ & bonitati sponsi, qui sine his omnibus potest absolutam conferre justitiam. Fiducia spiritualis tollit sollicitudinem carnalem. Caritas omnia condulcans addit alacritatem. Habet sponsus cibum suum, à quo sodales ipsius non possunt abstinere. Cibus animi est sermo cœlestis, cibus animi caro est ipsius sponsi: potus animi sanguis est ejusdem. Hoc cibo semper satiari cupiunt, qui mihi propius adhærent: hoc potu cupiunt semper inebriari qui versantur in thalamo sponsi. Cæterum ut cibus corporis non confert justitiam, ita nec jejunium: ac sæpe fit, ut vescens justior sit jejunante. Tristia sunt jejunia, quæ præscribit Lex, & ob hoc minus grata Deo, qui diligit hilarem datorem. Hilaris autem esse non potest, qui metuit, qui trepidat. Cæterum qui sciens sese in hisce rebus esse liberum, & ex caritate sua sponte jejunat, is lætus & alacer jejunat, non quia sic præscriptum est, sed quia sic hortatur caritas. Quum ad hanc firmitatem, ad quam nunc formantur, mei discipuli profecerint, plus impetrabit ab eis caritas, quam nunc extorquet à vobis Legis aut Joannis præscriptio. Nondum autem ad hoc roboris pervenerunt. Adhuc teneri sunt: obstat enim illis hujus corporis præsentia.

20 Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus: & tunc jejunabunt in illis diebus.

20 Venient autem dies, quum corporalis sponsi præsentia tolletur ab illis: tunc facti firmiores, hausto cœlitus Spiritu, non solum jejunabunt, idque sua sponte, verum etiam fortiora magisque mascula præstabunt volentes & alacres. Hæc doctrina quoniam spiritualis est, non capitur ab his qui in Pharisaicis ceremoniis inveteraverint. Et idcirco mihi simplices ac rudes delegi juvenes, lusurus operam, si spiritualem ac cœlestem doctrinam credam animis, carnalium rerum superstitione vehementer occupatis.

21 Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri: alioquin aufert supplementum novum à veteri, & major scissura fit.

21 Vetera veteribus, nova novis congruunt. Quæ si misceas, non solum inanem sumis operam, verum etiam eos, quos in melius mutare coneris, reddis deteriores. Præstat enim in veteri superstitione perseverare, quam ademto metu peccandi, dum ad libertatem spiritus studes adducere, ad peccandi licentiam invitare. Quemadmodum enim plus habet negotii, qui docet imbutum hac falsa persuasione, quod artem calleat, quam qui prorsus artis ignarum: ita difficillimum est eos ad Euangelicam justitiam instituere, qui ob carnales observatiunculas sibi persuaserunt, quod absolutam justitiam sunt consequuti. Hinc nimirum est, quod piscatores, publicanos, peccatores, meretrices & Ethnicos magis dociles comperio Philosophiæ spiritualis, quam Scribas, Pharisæos ac Sacerdotes, qui in humanis ceremoniis perfectam statuunt pietatem. Joannes ut medius inter veterem ac novam Legem, tentavit miscere doctrinæ geminum genus. Neque enim ausus est vividam hanc Philosophiam infirmis animis committere. Infirmum est autem quicquid humanum, quicquid carnale est. Quod divinum, quod spirituale, quod cœleste, id vividum est ac validum. Proinde meis discipulis, quos in hoc delegi rudes, ut eos ad hanc masculam ac robustam Philosophiam instituam, nihil istarum rerum præscribo: His vescere, ab his abstine, nunc quiesce, nunc labora, sic vestire, hoc ne contingas, illud ne contrectes: ne semper maneant imbecilles, si me præceptore semel didicerint hujusmodi rebus corporalibus fidere. Inutilis est mixtura rerum sibi non congruentium. Nullus enim sic desipit, ut si vestem veterem farcire cupiat, assuat fragmentum panni novi. Cur ita? Nempe quia videt futurum, ut si id faciat, & novi panni jactu-

A ram faciat, & vetustæ vestis plagam reddat majorem. Siquidem offensus insigni dissimilitudine panni assuti, & vestis male sartæ, continuo detrahit quod assuerat: itaque ruptura vestis antiquæ turpius hiat quam antea.

22 Et nemo mittit vinum novum in utres veteres: alioquin dirumpet vinum utres, & vinum effundetur, & utres peribunt, sed vinum novum in utres novos mitti debet.

22 Neque quisquam tam stultus est, ut vinum novum credat utribus antiquis. Quamobrem? Quia videt fore duplicem jacturam. Nam mustum ob vehementiam spirituum efferveſcens, disrumpit utres ob vetustatem imbecilles, itaque simul pereunt & utres & vinum. Quid porro facit, ut & vino consulat & utribus? Vinum mustum condit in utres novos. Ita quorum animus assuevit vappæ Pharisaica-
B rum observationum, non ferunt mustum cœlestis ac spiritualis doctrinæ, sed abhorrent & aversantur, ac deterioris vini gustum, cui assueverunt, requirunt.

23 Et factum est iterum cum Dominus sabbatis ambularet per sata, & discipuli ejus cœperunt progredi, & vellere spicas.

23 Hunc Jesu sermonem non esse vanum, ipsi Pharisæi crebro suis factis docuerunt: cum enim accidisset die quodam, ut discipuli facerent iter per segetem, idque die sabbati, quo religiosum erat Judæis aliquid operis agere, præibant discipuli, Jesus vero sequebatur. Quum autem stimularet illos fames, cœperunt vellere spicas, manuumque confrictu exclusis granis vesci.

24 Pharisæi autem dicebant ei: Ecce, quid faciunt sabbatis quod non licet?

24 Audi nunc veteres utres offensos novo musto
C libertatis Euangelicæ, ac sabbatismi vappam requirentes. Siquidem Pharisæi, qui ceu vehementer justi comitabantur Jesum, conspicientes quod faciebant discipuli, Dominum in discipulis calumniantur: nam quemadmodum discipulorum probitas commendat præceptorem, ita malefacta solent his imputari qui instituerunt. Admonent igitur Dominum, & indicant discipulos, perinde quasi rem nefariam agentes, quod violarent sabbatum: ut aut illos coerceret, & probaret Pharisaicam superstitionem: aut si id non faceret, haberent de quo ipsi calumniam struerent.

25 Et ait illis: Numquam legistis quid fecerit David, quando necessitatem habuit, & esurivit ipse, & qui cum eo erant?

25 Dominus autem sic patrocinatus est suis discipulis, ut Legis Mosaicæ peritos ex ipsa Lege refel-
D leret, pro sua mansuetudine docens, qui reprehendi merebantur. Qua fronte, inquit, defertis meos discipulos, quod coacti fame, spicas aliquot forte obvias decerpunt, quo vitæ suæ consulant, quum ipsa Lex, cujus vos esse doctores profitemini, commemoret, David in simili necessitate deprehensum, fecisse quiddam, in quo magis etiam videtur violata Legis religio.

26 Quomodo introivit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum, & panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare, nisi sacerdotibus, & dedit eis qui cum eo erant?

26 Siquidem fame periclitans confugit in domum Deï, nec veritus est homo profanus ab Abiathar, qui tum primas tenebat inter Sacerdotes, postulare sibi dari panes illos unice sacros, quos propositionis vocant, quibus nefas erat omnibus vesci præter Sa-
E cerdotes, idque tantisper, dum intra Templi septa versantes sacris operarentur. Non ignorabat Abiathar quid Lex præscripsisset, nec tamen veritus est David atque ejus comitibus tradere panes sacros in loco sacro edendos. Hoc si nescitis esse scriptum, aut si non meministis, qua fronte profitemini Legis scientiam? Si scitis ac meministis, cur in simili causa Abiathar ac David absolvitis, atque etiam probatis, meos ut nefarii sceleris reos defertis? Si tum necessitati proximi cessit Legis rigor, quum maxime regnaret Lex, quo magis nunc æquum est cedere Legis ceremonias, quoties caritas hortatur proximo subveniendum esse? Quin & illud præcepit
F Lex, diligendum esse proximum pari amore, quo se quisque complectitur. Hoc præceptum quum sit in tota Lege præcipuum ac maximum, cur præpostero judicio ob ea, quæ leviora sunt nec perpetua, violatis id quod & summum est, & perpetuum? Fuit olim tempus, quo nulla esset sabbati religio. Et futurum est, ut vere piis quivis dies sit æque sacer. Nunquam autem nec fuit, nec erit tempus, quo non fuerit, aut futurum sit sanctum, opem ferre egenti proximo. Lex vetat occidi: occidit au-

Digitized by Google

tem qui quum ſervare poſſit, non ſuccurrit. Ea perpetua lex eſt. Vetat eadem quieſci ſabbato. Quam vero præpoſtera religio, ſi quis dum timet violare ſabbati otium, ſinat interire fratrem ſuum, quum aſinum delapſum in foveam educat ſabbato, nihil deterritus ſeptimi diei religione?

27 Et dicebat eis: Sabbatum propter hominem factum eſt, & non homo propter ſabbatum.

[27] His atque hujuſmodi dilucidis rationibus quum Jeſus docuiſſet, quam eſſent perverſe religioſi, adjecit catholicam ſententiam: *Sabbatum*, inquit, *hominum cauſa eſt inſtitutum, non homines conditi ſunt propter ſabbatum.* Filius autem hominis venit, non ut perderet homines, ſed ut ſervaret: itaque poteſtatem habet etiam abrogandi ſabbatum, quoties id poſtulat hominum ſalus. Quod de ſabbato dixi, de ſimilibus conſtitutionibus omnibus ſentiendum eſt. Ad tempus inſtitutæ ſunt, ut rebellis populus paulatim aſſueſceret obedire præceptis Dei, ut per figuras corporales, veluti manu ducerentur ad intellectum rerum ſpiritualium. Piè violat ſabbatum, qui vacuus à tumultu malarum cupiditatum, juvandi proximi ſtudio violat ſabbatum. Pia res eſt jejunium, ſed fit impia, ſi quod ad ſalutem hominis eſt inſtitutum, vertitur in perniciem & corporis & animi. Res eſt religioſa votum, ſed fit irreligioſa, quoties hujus ſervandi ſuperſtitione revocatur aliquis ab his, quæ propius ſpectant ad veram pietatem. Sancte facit qui donum offert ad altare, ſed profanum eſt donum quod offertur, irreconciliato proximo. Ita recte negligitur color aut forma veſtis, quoties id commodum eſt homini: neque enim homo veſtis cauſa factus eſt, ſed hominis gratia reperta veſtis. Itidem cibus hominis cauſa paratur, non homo cibi cauſa conditus eſt. Proinde quovis cibi genere veſci fas eſt, quoties id poſtulat hominis neceſſitas. Siquidem hæc omnia corporalia, in quibus vos abſolutam juſtitiam conſtituitis, templum, victimæ, cibus, veſtis, dies feſti, jejunia, vota, donaria, irreligioſe ſervantur, ſi ob hæc læditur ſalus proximi. Religioſiſſime vero ſervantur, ſi ob proximi caritatem neglectis his quæ ſunt carnalia, intus in animo ſervatur id, quod corporalium rerum umbris eſt deſignatum.

28 Itaque Dominus eſt filius hominis, etiam ſabbati.

[28] Hujuſmodi conſtitutionum Moſes adminiſtrator fuit, non auctor: ſervus, non dominus. His qui adhærent animo ſervili magna ſuperſtitione ſervant ea quæ ſunt carnis. Cæterum qui adhærent Filio hominis, qui totius Legis eſt Dominus, eaque docet obſervanda juxta ſpiritum, quæ carnalibus illis ſimulachris figurabantur, liberi ſunt ab ejuſmodi Judæorum ceremoniis.

CAP. III.

Cura manus: fuga ſpirituum: cognomina bis ſex? Regnum diviſum non ſtat: adeſtque parens.

1 Et introivit iterum in ſynagogam; & erat ibi homo habens manum aridam.

[1] ET in agro quidem per viam Dominus Jeſus hujuſmodi ſermonibus & Phariſæorum retudit calumniam, & diſcipulis innocentibus eſt patrocinatus. Sed ut plane diſceremus nihil eſſe calumnioſius falſa religionis perſuaſione, quum Jeſus ingreſſus eſſet Synagogam, illic ex more docturus populum, obtulit ſeſe rurſus & Domino benefaciendi, & Phariſæis calumniandi occaſio. Aderat enim illic in turba quidam, miſerum omnibus ſpectaculum exhibens, manum habens arefactam ac mancam, membrum mortuum & inutile circumferens, hoc etiam miſerabilior, quod opera manuum ſolitus eſſet alere tum ſeſe, tum familiam tenuem & inopem.

2 Et obſervabant eum, ſi ſabbatis curaret, ut accuſarent illum.

[2] Et ô malitiam Phariſæorum, oculatam ad calumniandum benefacta Chriſti, cæcam ad intelligendum doctrinam cœleſtem. Ex his, quæ cernebant oculis corporeis, videbant humanam naturam, ex his, quæ gerebantur, non perſpiciebant virtutem divinam. Vident hominem miſerabilem, & norant Jeſum miſericordem, & illico conjectant quid eſſet conſequuturum. Jamque calumniam adornant non in diſcipulos, quemadmodum prius de ſpicis revulſis, ſed ipſi Domino, qui diſcipulis fuerat patronus: obſervant igitur natura propenſum ad opitulandum miſeris; an auderet etiam Synagoga teſte, die ſabbati ſanare hominem, ut ſi id faceret, accuſarent eum violati ſabbati, quum facti teſtem haberent multitudinem.

3 Et ait homini habenti manum aridam: Surge in medium.

[3] Nihil quidem orabat miſer ille, verum, hoc ipſum erat rogare miſerabili, venire in conſpectum miſericordis Jeſu. Dominus autem, quo redderet omnes attentos edendo ſpectaculo, evocavit hominem, cui manus erat manca. Surge, inquit, & conſiſte in medio multitudinis. Surrexit ille bona quadam concepta ſpe.

4 Et dicit eis: Licet ſabbatis bene facere, an male? animam ſalvam facere, an perdere? At illi tacebant.

[4] Tum Jeſus verſus ad Phariſæos, quorum cogitationes non ignorabat, dixit illis: Quid cenſetis vos, qui Legis cognitionem profitemini? Quibus rebus violatur ſabbatum, benefaciendo, an malefaciendo: ſervando vitam hominis, an perdendo? Non fallebat illos, quo tenderet hæc cornuta percunctatio. Si reſpondiſſent, ſatius eſſe ob religionem ſabbati pati perire proximum, quam neglecta ſuperſtitione ſuccurrere periclitanti: non tuliſſet populus abſurdum reſponſum, & à ſenſu naturæ communi abhorrens. Sin reſpondiſſent licere, ſibi ademiſſent jus calumniandi. Itaque viſum eſt obticeſcere. Et tamen interim produnt multitudini malitioſam verſutiam ſuam, quod provocati interrogatione ad reſipiſcentiam, obſtinate perſiſterent in ſtudio calumniandi. Porro quo facilior eſſet reſponſio, propoſuit à ſimili quæſtionem; num quis inter illos eſſet tam religioſus obſervator ſabbati, ut ovem ſabbato delapſam in foveam perire ſineret, nec auderet educere. Nullus autem erat in ea turba, qui non intelligeret, quanto ſit hominis ſalus magis curanda, quam ovis. Occidit autem, quiſquis perire ſinit quod ſervare poteſt.

5 Et circumſpiciens eos cum ira, contriſtatus ſuper cæcitate cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit, & reſtituta eſt manus illi.

[5] Dominus igitur, quum exſpectato reſponſo videret omnes Phariſæos non ignoratione veri, ſed obſtinata malitia, velut conjuratos obmuteſcere, circumtulit oculos in illos, ipſo vultu præ ſe ferens, quanta cum ira, quantoque dolore ferret illorum inſanabilem malitiam: qui, quum ſeſe profiterentur duces cæcorum, ipſi cor haberent terrenis cupiditatibus excæcatum, ut clariſſimam veritatis lucem volentes non cernerent. Nulla enim cæcitas immedicabilior, quam quum quis ſciens ac volens cæcus eſt. Videbant mutam pecudem, ne periret, extrahi poſſe è puteo non violato ſabbato, & videre nolebant homini licere ſabbatis conſulere. Itaque clementiſſimus Dominus, quo nos doceret, ob deploratam malorum perverſitatem non eſſe abſtinendum à juvandis proximis, contemtis Phariſæis, vertit ſeſe ad hominem, ac populo ad rei eventum inhiante, dixit illi: *Extende manum tuam.* Vix ea vox audita eſt, extendit manum, ſubito mutatam, nec aliter omnibus officiis ſuis fungentem, quam fecerat altera, quæ nunquam manca fuerat.

6 Exeuntes autem Phariſæi, ſtatim cum Herodianis conſilium faciebant adverſus eum, quomodo eum perderent.

[6] Quem illæ rationes non abduxiſſent ab errore? Quem tam evidens miraculum non excitaſſet ad glorificandum Deum? At Phariſæi fermento invidiæ infecti, his omnibus ad ſceleratiora etiam conſilia provocantur. Hæc nimirum ſunt illa ſemper præpoſtera Phariſæorum judicia. Pluris faciunt pecudem quam hominem, veſtem quam corpus, cibum quam vitam, corpus quam animum, humana quam divina, carnem quam ſpiritum, homines quam Deum. Adeo nihil eſt perverſa religione peſtilentius. Apud homines prodigioſæ virtutis eſt, ſimplici dicto reſtituere mancam manum homini, ſed multo majoris & virtutis & beneficii eſt, reſtituere mancas ac præmortuas animi vires. Quam miſere mancam habet manum, quam mortuam, quam ab omni miſericordiæ ſenſu vacuam: qui cum videt proximum ſuum egentem, nec ſtipem porrigit: qui errantem non docet: qui oppreſſum non ſublevat, qui ceſſantem non excitat? Tales erant Phariſæi, qui maluerunt invidere Domino, quam ſanitati per eum reſtitui. Hu-

Digitized by Google

Hujuſmodi debiles habet Synagoga. Cæterum Eccleſia Chriſti neque ſurdos, neque mutos, neque cæcos, neque debiles, neque claudos recipit. Quiſquis eſt obnoxius malis, veniat in conſpectum Jeſu, & ſanabitur. Afflabit ille nobis Spiritum ſuum, & quod mancum erat, animabitur. Qui ſeſe Domino ſimplici fiducia credunt, ſani domum redeunt. Qui ſuæ confidunt juſtitiæ, ex alienis benefactis reddun-tur deteriores. Qui Phariſaico ſpiritu tument, nulli bene volunt, niſi ſibi ipſis. Qui Jeſu Spiritum hauſerunt, nihil aliud conantur, quam omnibus benefacere. Siquidem ſimulatque Phariſæi Synagogam ingreſſi ſunt, tametſi non audebant mutire apud populum, adſcitis etiam Herodianis, quo firmior eſſet conſpiratio (nam nulli magis hanc noverunt artem) clancullariis conſiliis inter ſeſe agitabant, quomodo Jeſum exſtinguerent, quem ut videbant potentibus factis longe ſuperiorem, ita nec dictis refelli poſſe ſentiebant. Non conveniebat inter Phariſæos & Herodianos, & ad perdendum ſalutis auctorem conſentiebant. O ſceleratam concordiam, ô cæcitatem vere deplorandam. Quid proficient cuniculi fraudis humanæ adverſus eum quem nihil latet?

7 Jeſus autem cum diſcipulis ſuis receſſit ad mare: & multa turba à Galilæa & Judæa ſecuta eſt eum,

7 Dominus autem nos exemplo ſuo docens, nonnunquam ad tempus cedendum immedicabili malorum pervicaciæ, ne provocati reddantur ſceleratiores, ſubduxit ſeſe ab eo loco, & rurſus receſſit ad Lacum. Jeſu receſſus non eſt Euangelii diſpendium, ſed incrementum: niſi enim propuliſſent illum Phariſæi, non veniſſet ad gentium multitudinem. Poſteaquam igitur Jeſus reliquerat invidam & anguſtam Synagogam, ſeſeque recepiſſet ad Lacum, undique confluxit ad eum numeroſa vis hominum, non ſolum à Galilæa, verum etiam à Judæa, atque ab ipſis etiam Hieroſolymis:

8 Et ab Hieroſolymis, & ab Idumæa, & trans Jordanem: & qui circa Tyrum & Sidonem, multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerunt ad eum.

8 Tum ab Idumæa, éque regionibus ultra Jordanem ſitis, ad hæc è locis Tyro Sidonique finitimis. Præluditur enim ad congregandam gentium Eccleſiam, quando Synagoga per incredulitatem repellebat Euangelium Dei. Ex omnibus his locis concurrerat ingens hominum multitudo, qui excitati rumore, qui late ſparſus erat de miranda doctrina, deque potentibus factis Jeſu, ſeſe ad Lacum effuderant. Dominus autem benignus ac dives in omnes, nemi-nem nec à doctrina ſua, nec à ſanitatis beneficio ſubmovebat.

9 Et dixit diſcipulis ſuis ut navicula ſibi deſerviret propter turbam, ne comprimerent eum.

9 Tantus autem erat ardor multitudinis ob aviditatem ſanitatis, ut alius alium protruderet, ac vi irrumperent ad Jeſum, ut eum vel contingerent, quando ſolo etiam veſtis contactu pellebantur morbi.

10 Multos enim ſanabat, ita ut irruerent in eum ut illum tangerent quotquot habebant plagas.

10 Nec ullum erat vel hominum vel morborum diſcrimen apud potentem juxta ac benignum medicum. Quicunque quibuſcunque malis tenebantur, protinus liberabantur, modo contigiſſet adire Jeſum. Atque id etiam hodie videmus juxta ſpiritum fieri. Ex totius orbis nationibus quam multi, quibus vitiis obnoxii confugiunt ad Jeſum, & fiduciæ contactu ſanantur?

11 Et ſpiritus immundi, cum illum videbant, procidebant ei, & clamabant dicentes:

11 Quin & Spiritus immundi, viſo Jeſu, non ferebant illius præſentaneam virtutem: ſed accidentes ad genua illius, exclamabant, dicentes:

12 Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis ne manifeſtarent illum.

12 *Tu es ille Filius Dei.* Jeſus autem non ferens ab impiis Spiritibus prædicari, interminatur illis ut taceant, nec ipſum prodant ante tempus. Per humiles ac tenues mundo voluit innoteſcere, quibus dixit: Qui vos audit, me audit. Spiritibus autem impiis ne tum quidem fidem haberi vult, quum vera dicunt. Nec enim hoc negotium fortuito gerebatur, ſed divino conſilio gradibus quibuſdam & profectibus temperabantur omnia ad noſtram ſalutem. Jeſus igitur quum à turba comprimeretur, mandavit diſcipulis, ut ſibi pararent naviculam, quo tutus eſſet ab incondita ac tumultuoſa multitudine: quæ magis ſitiebat corporum ſalutem, quam animarum: & comprimit potius, quam tangit Jeſum. Qui confitentes morbum ſuum, cum ſincera fiducia adeunt illum, tangunt & ſanantur: qui vero mundanis cupiditatibus adhuc obnoxii tumultuantes irruunt, moleſti ſunt. Proinde diſcipuli, qui norant familiariter cum Domino verſari, parant illi navim purioris Eccleſiæ. Jeſus autem magis delectatur paucis puris ac placidis, quam multitudine turbulenta. Sed tamen ita ſubducit ſeſe, ut nihilo ſecius è navi doceat multitudinem. Quum vides Jeſum è navicula docentem, cogita Epiſcopum concionantem promiſcuæ multitudini, quæ catechumenos, energumenos, & Judæos & Ethnicos complectitur. Beati qui ſpiritualiter tangunt Chriſtum. Non tangunt autem, niſi qui prius ab eo tacti fuerint. Sanantur enim ab omnibus vitiis, quoſcunque ille contigerit: jam enim ex tumultuoſis facti tranquilli, recipientur in navim Eccleſiæ, ut perpetua Jeſu conſuetudine fruantur, ſemperque illius menſæ aſſideant. Navicula, in qua Jeſus eſt, anguſta eſt impuris, ampliſſima purgatis. Rejecerat Dominus prædicationem Dæmonum, effugerat impuram ac tumultuantem turbam, & tamen hæc arguebant adeſſe regnum Dei, in quod irrumpere conabantur digni & indigni. Proinde ſibi parat duces aliquot, qui in vindicando regno cœlorum eſſent adjutores: quique tot nationibus, mox ex toto terrarum orbe ad Euangelicam Philoſophiam confluxuris, ſufficerent. Sic enim conſueverunt hujus mundi Monarchæ certos præfectos ſibi deligere, per quos imperium ſuum & aſſerant, & amplient, & adminiſtrent ac tueantur. Hos oportet egregie fidos eſſe, cordatos & induſtrios; in primis autem gnaros regiæ voluntatis.

13 Et aſcendens in montem vocavit ad ſe quos voluit ipſe: & venerunt ad eum.

13 Jeſus itaque, qui ſeſe frequenter demiſerat ad promiſcuam multitudinem, ut multos ad ſe alliceret, facto docens idem eſſe faciendum Euangelicis doctoribus, jam ad ſublimitatem Euangelicæ perfectionis evocans, conſcendit montem. Et accerſivit ad ſe non quoſvis è multitudine, ſed quos ipſe voluit, quoſque ad hoc munus delegerat. Non enim vocavit opulentos, non Satrapas, non Sacerdotes, Phariſæos aut Scribas, ſed tenues, humiles & idiotas. Siquidem hi demum erant idonei, qui Jeſum ſequuti montem conſcenderent: unde quicquid hic mundus habet admirandum deſpicitur; unde velut è propinquo vox auditur Patris cœleſtis, & unde ſpectatur immortalitatis gloria. Parent qui vocati ſunt, & veniunt ad Jeſum ſublimem. Nullus enim hunc montem poteſt conſcendere, niſi vocante Jeſu. Nam ipſe mons eſt, nec ad ipſum quiſquam venit, niſi tractus ab eo.

14 Et fecit ut eſſent duodecim cum illo: & ut mitteret eos prædicare.

14 Hic Rex ille Regum, ac Dominus dominantium, duodecim præfectos ſelegit, qui veluti fidi ſatellites nunquam ab ipſius latere diſcederent: ut ubi res Euangelica poſtularet, mitteret eos, veluti legatos à latere prædicaturos quæ à Rege ſuo didiciſſent, ac divulgaturos per univerſum terrarum orbem Edicta ſui Principis.

15 Et dedit illis poteſtatem curandi infirmitates, & ejiciendi dæmonia.

15 Quoniam autem ignobiles erant piſcatores, idiotæ, tenues, nihil regale præ ſe ferentes, quum polliceretur regnum Dei, ne contemneretur illorum auctoritas, addidit poteſtatem, quam nulli hujus mundi Monarchæ ſuis legatis dare poſſunt: nimirum ut in nomine Jeſu omne morborum genus ſanarent, utque etiam impuros Spiritus profligarent.

16 Et impoſuit Simoni nomen Petrus:

16 Horum primus erat Simon, cui nomen verterat *Cephas*, hoc eſt, Petrus, ſive ſaxum: ut ex ipſo nomine diſceremus, Euangelicæ Philoſophiæ caput eſſe fidei immobilem conſtantiam.

17 Et Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem Jacobi, & impoſuit eis nomina Boanerges, quod eſt, Filii tonitrui,

17 Secundus Jacobus Zebedæi filius una cum fratre ſuo Joanne: his impoſuerat nomina, ut dicerentur *Boanerges*, quod Syris ſonat filios tonitrui, videlicet ipſo nominis præſagio declarante, hos olim ex Euangelico monte emiſſuros in univerſum terrarum orbem Euangelicæ prædicationis tonitruum, quod omnium animos commoveret, & erigeret ad ſtu-

Digitized by Google

dium rerum cœleſtium. Siquidem ut tonitru ſonat è ſublimi, ita prædicator Euangelicus nihil humile, nihil carnale ſonat, ſed cœleſtia omnia. Pœnitentiam agite, inſtat regnum cœlorum: tonitru eſt. Ad hanc enim vocem corripit unumquemque timor fulminis, ſed ſuccedit imber: Credite Euangelio, & ſalvi eritis.

18 *Et Andream, & Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomam, & Jacobum Alphæi, & Thaddæum, & Simonem Chananæum,*

[18] Quartus erat Andreas, frater Petri. Quintus Philippus. Sextus Bartholomæus. Septimus Matthæus. Octavus Thomas, cui cognomentum erat Didymus. Nonus Jacobus Alphæi filius. Decimus Thaddæus. Undecimus Simon Cananæus.

19 *Et Judam Iſcariotem, qui & tradidit illum.*

[19] Duodecimus Judas Iſcariotes, qui prodidit Dominum. Per hos paucos obſcuros, illiteratos, imbecilles viſum eſt Domino totum innovare mundum, ne quam laudis partem in cœleſti negotio ſibi vindicaret humana vel ſapientia vel potentia.

20 *Et veniunt ad domum, & convenit iterum turba, ita ut non poſſent neque panem manducare.*

[20] His rebus in monte peractis, ut nos doceremur in deligendis Euangelici ſermonis diſpenſatoribus, non eſſe vocandos in conſilium humiles ac privatos affectus, deſcendit Jeſus cum electis ſuis proceribus, & pariter veniunt in domum, nimirum jam familiares ac domeſtici Dei. Hæc forma nobis expreſſa eſt, ut de ſublimitate ſua doctores non graventur ſeſe ad humilitatem infirmiorum demittere, quo plurimos Domino ſuo lucrifaciant. Sequamur & nos Jeſum in domum hoc animo, ut perſpiciamus quid ſit exſpectandum, & ad quæ præparandus ſit animus his, qui ſuſcipiunt negotium ſincere prædicandi Euangelium cœleſte. In montem non conſcenderat turba. Eſt enim hoc eorum, quos ad id ſelegerat Dominus. Verum ubi deſcenſum eſt ad humiliora, rurſum confluit promiſcua turba: tanta importunitate inſtans, ut audirent Jeſum, & à morbis liberarentur, ut Apoſtolis non fuerit otium vel cibi ſumendi. Nihil hoc ſpectaculo gratius eſſe poteſt Euangelicis doctoribus, quam quum populus, diſcendi avidus, negotium faceſſit Sacerdotibus, quum ingens catechumenorum multitudo Eccleſiæ fores obſidet, quum promiſcuæ multitudini anguſtæ ſunt Baſilicæ, concionantibus Epiſcopis.

21 *Et cum audiſſent ſui, exierunt tenere eum: dicebant enim: Quoniam in furorem verſus eſt.*

[21] Hæc omnia, quæ gerebantur, ubi rumor pertuliſſet ad cognatos Jeſu, quibus erat nota carnis infirmitas, quum de divina potentia nihil ſuſpicari poſſent homines craſſi, Jeſum cum humili ſordidoque ſodalitio ſurſum deorſum vagari, trahere poſt ſe catervas hominum, nova quædam & inaudita docere, profligare morbos, ejicere Dæmones, furori tribuebant, quod offenſi corporis imbecillitate, non poterant adſcribere divinæ potentiæ. Norant matrem & patrem, norant domum & omnem familiam, norant ipſum in cæteris nihil à reliquis differentem: & intelligebant, quæ nuntiabantur ſupra modum humanarum eſſe virium. Itaque quoniam erant cognati, juxta leges humanas, putabant eſſe ſui officii, ut mentis impotem, & à Spiritu quopiam arreptum, vinculis coercerent. *Dicebant enim: In furorem verſus eſt.* Etenim qui contemtis rebus terrenis omnibus, atque ipſa etiam vita, cœleſtem Philoſophiam toto pectore amplectuntur, inſani videntur his, quibus nihil ſapit niſi terrenum & caducum. Qui patrimonium profundit in uſus pauperum, inſanit ei, qui vitæ præſidium in divitiis collocavit. Qui ob Euangelium volens ſemet in exſilium, paupertatem, carceres, cruciatus, ac mortem immittit ſpe felicitatis æternæ, furit ei, qui poſt hanc vitam non credit eſſe vitam feliciorem piis. Qui ſpernit Principum ac populi honores, ut gloriam aſſequatur apud Deum, inſanit his, qui vere inſaniunt, largitionibus, fraudibus, per fas nefaſque regnum ac dignitates mox eripiendas ambientes. Et hoc tam impium judicium à ſuis propinquis tulit Dominus, ne quid offendantur ipſius diſcipuli, ſi ſimilia contingat audire à ſuis: ſed manifeſtius impii Phariſæi, qui teſtes fuerant tantorum miraculorum. Nam propinqui vulgari craſſitudine peccabant potius quam impietate.

22 *Et ſcribæ, qui ab Jeroſolymis deſcenderant, dicebant: Quoniam Beelzebub habet, & quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia.*

[22] Cæterum Phariſæi qui venerant ab Hieroſolymis, quos oportebat ob Prophetarum cognitionem ex hujuſmodi factis intelligere, jam adeſſe quod illi promiſerant: & ob religionis excellentiam, qua ſibi placebant, venerari divinam potentiam, quam omnes ſibi ſalutiferam experiebantur, blaſphemis vocibus inceſſunt Jeſum, dicentes: Sunt hæc quidem humanis viribus majora quæ facit: verum non iſta facit virtute Dei, ſed potentem aliquem & inſignem habet Dæmonem, cujus præſidio prodit hæc miracula. Habet enim Spiritum Beelzebub, qui princeps eſt omnium Dæmoniorum, & hujus auxilio profligat Dæmonia minus pollentia viribus.

23 *Et convocatis eis, in parabolis dicebat illis: Quomodo poteſt ſatanas ſatanam ejicere?*

[23] Hanc impudentem & cæcam blaſphemiam, quoniam non tam impetebat Jeſum, quem nihil aliud quam hominem eſſe credebant, quam ipſum Deum, cujus gloriæ invidentes, miracula, quæ illius virtute gerebantur, adſcribebant impuro Dæmonio, Dominus accurate refellit, adhibitis etiam parabolis, quorem omnium ſenſibus redderet evidentem. Quum totum, inquit, regnum Dæmonum ſit adverſum regno Dei, quî fit ut Satanas Satanam ejiciat? Niſi forte ipſi inter ſeſe bello inteſtino tumultuantur, quaſi ſub eodem principe militantes, ſeſe viciſſim depellant è præſidio.

24 *Et ſi regnum in ſe dividatur, non poteſt regnum illud ſtare.*

[24] Quod ſi regnum inter homines, ſi factionibus inteſtinis diviſum fuerit, ruinæ proximum eſt, propterea quod ut concordia cuſtos eſt optima regni, ita diſcordia nihil non quamlibet firmum ac munitum demolitur, quomodo conſiſtet regnum Beelzebub, ſi Dæmon ejiciat Dæmonem?

25 *Et ſi domus ſuper ſemetipſam diſpertiatur, non poteſt domus illa ſtare.*

[25] Quid de regno loquor? Adeo nihil eſt ſtabile, ubi regnat ſeditio, ut ne privata quidem domus diu poſſit conſiſtere, ſi mutuis odiis inter ſeſe diſſideant inhabitantes.

26 *Et ſi ſatanas conſurrexerit in ſemetipſum, diſpertitus eſt, & non poterit ſtare, ſed finem habet.*

[26] Si igitur ope Beelzebub ejicio Dæmonia, quemadmodum vos falſo calumniamini, certum argumentum eſt, illius regnum brevi caſurum. Ac deſtructo Dæmonum regno, quid ſupereſt, niſi ut exſiſtat regnum Dei? Sin id quod eſt veriſſimum, virtute Dei profligo Dæmones, Deo hoſtes, & humano generi inimicos, profecto palam eſt jam adeſſe regnum Dei, cujus potentiæ Dæmones coguntur cedere. Non enim cedunt volentes, nec ex pacto.

27 *Nemo poteſt vaſa fortis ingreſſus in domum diripere, niſi prius fortem alliget, & tunc domum ejus diripiet.*

[27] Nullum eſſe poteſt fœdus inter Deum & Dæmones. Bellum eſt irreconciliabile: veluti quum bellum incidit inter duos egregie fortes, & implacabili odio inter ſeſe diſſidentes, neuter ab altero patitur ſe capi, niſi vi belloque ſubactus. Quis enim fortis & animoſus dux patiatur hoſtem ſuum irrumpere in domum ſuam, quam habet egregie munitam, niſi vi domum expugnet adverſarius, & victum conjiciat in vincula? Hoc facto, diripiet domum illius, ac prædam abducet. Quod ſi videtis clamantes & ejulantes exigi Dæmones, ſi videtis multos relictis peccatis, quibus Diabolo ſerviebant, ſeſe recipere in libertatem innocentiæ, cur Dei victoris gloriam transfertis in victum Beelzebub? An Beelzebub hoſtis humani generis nunc mutatus conſulit hominum ſaluti?

28 *Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, & blaſphemiæ quibus blaſphemaverint:*

[28] An non iſta manifeſta eſt in Deum blaſphemia? Illud pro certo habete: Nullum eſt blaſphemiæ genus, quod non poſſit impetrare veniam apud Deum, propterea quod in aliis vel error vel imbecillitas humanæ naturæ veniæ relinquit locum.

29 *Qui autem blaſphemaverit in Spiritum ſanctum, non habebit remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti.*

[29] Cæterum qui contumelia affecerit Spiritum Sanctum, non impetrabit veniam in æternum. Dicit autem blaſphemiam in Spiritum Sanctum, qui per invidiam obſtinatus, opera, quæ videt non poſſe geri niſi per Spiritum Dei, tribuit Spiritui Beelzebub. Error & ignorantia meretur veniam, deſtinata malitia adverſus bonitatem Dei, provocantis ad ſalutem, quomodo veniam impetrabit? Blaſphemiam, quæ committitur in Filium hominis, excuſabit cor-

Digitized by Google

corporis imbecillitas. Cæterum virtutem Dei, in ipsis operibus relucentem ad salutem humani generis, transscribere Beelzebub hosti Dei, blasphemiæ genus est inexpiabile. Hæc illis loquutus est Jesus, vindicans Patri suam gloriam, ac suam interim negligens. Innuebat autem, excusabilius peccare, qui de ipso male sentirent, quemadmodum cognati, dicentes: In furorem versus est, & apparabant vincula: quam Pharisæos, qui opera, quæ nullo modo calumniari poterant, quin essent Deo digna, velut insanabili malitia tribuebant Spiritui Beelzebub. Nondum intelligebant in Christo divinam naturam. Neque enim Christus illud adhuc aperte prædicari volebat: certe per homines puros Deus suo Spiritu frequenter edidit miracula, cupiens per hæc glorificari apud homines. Ea si quis non per errorem, sed per malitiam tribuat Spiritui Beelzebub, hujus est deplorata perversitas. Proinde poterant excusari, si dixissent Christum esse nihil aliud quam hominem, non esse Regem, non esse Messiam. Cæterum opera calumniantes, Deum ipsum & Spiritum ejus lædebant, cum per homines quoscunque Spiritus Dei possit operari.

30 Quoniam dicebant: Spiritum immundum habet.

30 Nunc quum tot miracula mirabiliter vidissent edita, quum viderent à populo glorificari Deum, quum viderent tot homines sanari, tot liberari à Spiritibus immundis, tot à scelerata vita converti ad studium pietatis Euangelicæ, idque opera Jesu Christi, tamen dicebant pertinaciter: Dæmonium habet, non Spiritum Dei.

31 Et veniunt mater ejus & fratres: & foris stantes miserunt ad eum vocantes eum,

31 Quum his aliisque multis sermonibus Dominus Jesus vindicasset gloriam Patri cœlesti adversus impiam Pharisæorum calumniam, ac Judæis exprobrasset obstinatam & invincibilem incredulitatem, quum per solam fidem omnia peccata relaxentur, interim supervenit occasio, per quam Euangelicæ virtutis gloriam vindicaret etiam ab humanis affectibus, quibus aliis in rebus laudi ducitur multum tribuere. Advenerunt enim cognati Jesu, comitantes matrem ipsius, quibus quum ob turbæ densitatem non pateret ingressus, constitere foris; ac vox, ceu per manus tradita, pervenit ad eos, qui sedebant circa Jesum.

32 Et sedebat circa eum turba: & dicunt ei: Ecce mater tua & fratres tui foris quærunt te.

32 Hi referunt adesse matrem ipsius ac fratres, cupientes cum eo colloqui. Erant autem & inter propinquos cognatos, quorum alii parum magnifice sentiebant de Jesu, nonnulli etiam insaniam suspicabantur, & tamen existimabant ob sanguinis propinquitatem hoc sibi juris esse, ut illum quovis etiam tempore ad colloquium evocare possent.

33 Et respondens eis, ait: Quæ est mater mea, & fratres mei?

33 Dominus autem, quo nos doceret negotium Euangelicum, quod Spiritu Patris gerebatur ad hominum salutem ac Dei gloriam, non oportere ullis humanis affectibus interpellari, velut indignatus respondit: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres* ac propinqui *mei?* In hoc negotio non agnosco cognationem carnis. Habet Euangelium suam cognationem spiritualem, quæ multo arctioribus vinculis adstringit animos, quam illa jungit corpora.

34 Et circumspiciens eos, qui in circuitu ejus sedebant, ait: Ecce mater mea, & fratres mei.

34 Quumque circumtulisset oculos ad discipulos, qui proxime circumsedebant docentem, addidit: *Ecce hi sunt fratres mei, & mater mea.* Ut per Euangelium nova nativitas est, ita nova est cognatio.

35 Quicunque enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & soror mea, & mater est.

35 Quisquis enim crediderit Euangelio, & in hoc paruerit voluntati Patris mei cœlestis, hic, etiamsi sit non solum à propinquitate domestica, verum etiam à tota gente alienissimus, frater meus, hic soror mea, hic mater mea est. Siquidem hæc cognatio non æstimatur gradibus sanguinis, sed spiritus. Non agnosco cognationem cujusquam, nisi per fidem renascatur ex Patre cœlesti, jamque ut filius germanus Patri cœlesti ad æterna vocanti obtemperet. Ut quisque hoc perfectissime præstiterit, ita mihi habebitur proxime cognatus.

CAP. IV.

Dat semen fructum: patescient omnia: crescit
Sponte seges: minimum semen: & unda silet.

1 DOMVM igitur hanc, quæ Synagogæ typum habet, in qua blasphemis vocibus incessitur à Pharisæis, in qua interpellatur importunitate cognatorum, reliquit Jesus, ac rursus se contulit ad Lacum, veluti gentium amplitudinem desiderans. Subinde pellitur à Judæis, subinde præludit Euangelio ad gentes demigraturo. Etenim cum in domo, hoc est, in Judæa versaretur, pauci adhærent Jesu, quos fratres, sorores ac matres appellat: multi obmurmurant, multi convitiantur, plurimi insidiantur, ac proxime cognati docentem interpellant. Non amat tales domos Jesus, amat multitudinem non sibi placentem, quemadmodum faciebant Pharisæi, non obtrectantem, quemadmodum faciebant cognati, qui crassi carnali sapientia, cœlestem sapientiam interpretabantur insaniam: non affectibus humanis cœleste studium interpellantem, quemadmodum mater & propinqui. Amat multitudinem avidam sermonis Euangelici, & ex hujus fiducia totam pendentem. Itaque cum Dominus Jesus venisset ad Lacum, ibique doceret, ut ante fecerat, rursus ingens hominum turba eo confluxit, adeo ut ob tumultum turbæ sese protrudentis, cogeretur scapham conscendere, unde velut è suggesto docebat multitudinem in littore velut in amphitheatro condensatam. Disce, doctor Euangelice, quid sibi velit hæc imago. Sic fuge promiscuam ac tumultuosam turbam, ut tamen ab officio docendi ne cesses. Ubi periculum est, ne te negotiorum tumultus obruat, ut jam docere non possis, recipe te in naviculam Euangelicam, quæ nescit tumultus terrenos, hinc quietus docebis multitudinem infirmam ac rudem. Ne procul à littore recesseris, esto vicinus ripæ, quoad licet te populi captui attemperans: nondum enim potest te sequi.

1 Et iterum cœpit docere ad mare: & congregata est ad eum turba multa, ita ut navim ascendens sederet in mari, & omnis turba circa mare super terram erat;

2 Primum doctrina rudibus animis attemperanda est, donec profecerint. Quid enim Jesus è scapha sua docebat, nisi rudem ac promiscuam hominum turbam? Proponebat eis parabolas, hoc est, rerum omnibus notissimarum similitudines. Est enim hoc simplicissimum docendi genus, ac rudibus maxime accommodum. Videtur enim prima specie puerile ac ridiculum hujus mundi sapientibus. Sed hoc docendi genus placuit æternæ sapientiæ. Philosophi magna arte contortis syllogismis tenebras offundebant auditoribus. Rhetores admirabili dicendi copia vim admovebant animis hominum. Pharisæi retrusa quædam & à populari captu procul semota congerebant. Cæterum hoc doctrinæ genus simplicissimum & ab omni ostentatione scenica alienum sibi delegit Jesus, ut tota gloria mundi per Euangelium imovati esset virtutis divinæ. Multis itaque parabolis excitavit animos illorum, ut simplici credulitate purisque mentibus acciperent sermonem Euangelicum, unde salutis nostræ principium proficiscitur.

2 Et docebat eos in parabolis multa, & dicebat illis in doctrina sua.

3 Id quoniam oportebat omnium animis esse infixum, priusquam exordiretur, jussit illos attentos esse: Audite, inquit, si quis habet aures, quibus audiat. Fabula est, non parabola, nisi quis attentus audiat. Neque cuivis sunt aures, quibus audiat parabolas Euangelicas, subtiliter simplices, sapienter stultas, obscure dilucidas. Sub vili enim ac ridiculo tectorio celant sapientiam cœlestem. Neque Jesu satis erat, si arrexissent aures, spectatores etiam esse voluit eorum, quæ dicerentur. Beati vero, qui ad Jesu sermonem & aures habent purgatas, & oculos sinceros.

3 Audite, ecce exiit seminans ad seminandum.

4 Ecce, inquit, egressus est in agrum seminator quidam ad seminandum semen suum, quod habebat eximium: dumque copiosi proventus avidus, nusquam non spargit semen, evenit ut aliud inciderit juxta publicam viam agro proximam. Id quoniam

4 Et dum seminat, aliud cecidit circa viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt illud.

Digitized by Google

ob viæ duritiam remansit in summa terra, protinus advolarunt aves, & collectum devorarunt.

5 *Aliud vero cecidit super petrosa, ubi non habuit terram multam: & statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terræ:*

5 Rursus aliud incidit in terram petricosam, quæ quoniam exiguo pulvere tegebat latentia saxa, semen ante tempus exsiliit in herbam, videlicet eliciente tepore cœli.

6 *Et quando exortus est sol, exaestuavit: & eo quod non habebat radicem, exaruit.*

6 Mox autem, ut incanduit Solis fervor, æstu affectum est, quod erat præcociter enatum, & quoniam obsistentibus saxis non habebat radices, quæ ex altiore terra suggererent humorem adversus ardorem Solis, exaruit, prius quam assurgeret in aristam.

7 *Et aliud cecidit in spinas: & ascenderunt spinæ, & suffocaverunt illud, & fructum non dedit.*

7 Rursus aliud incidit in terram fertilem quidem ipsam, sed vepribus ac spinis obsitam. Porro quum spinæ succrescentes in latum ac longum condensarent sese, factum est ut herba tenera enata, prius quam emergeret in lucem, suffocaretur, non humoris inopia, sed auræ. Proinde nec hinc ullus fructus rediit ad seminatorem.

8 *Et aliud cecidit in terram bonam: & dabat fructum ascendentem, & crescentem; & afferebat unum triginta, unum sexaginta, & unum centum.*

8 Verum, non erat omnino irritus seminantis labor: nam fuit semen, quod incideret in terram bonam. Hinc enata est herba, quæ succrevit & adolevit usque ad maturitatem. Nec ullum granum caruit suo fructu, tametsi dispari fœnore. Siquidem aristæ nonnullæ ex uno grano reddidere triginta, aliæ sexaginta, nonnullæ centum.

9 *Et dicebat: Qui habet aures audiendi, audiat.*

9 Hæc loquutus Dominus, ne quod dictum esset elaberetur, sed apud se quisque scrutaretur, quid sibi vellet hæc parabola, subjecit: *Qui habet aures ad audiendum, audiat:* nimirum indicans non omnes audisse, quod audierant.

10 *Et cum esset singularis, interrogaverunt eum hi qui cum eo erant duodecim, parabolam.*

10 Porro quum ne duodecim quidem illi, quos Dominus selegerat, rudes adhuc, satis intelligerent, quid sentiret hæc similitudo, non ausi sunt palam interrogare: sed nacti solitudinem, ausi sunt rogare Jesum, ut sibi parabolæ secretum exponere dignaretur.

11 *Et dicebat eis: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: illis autem, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt:*

11 Tum Jesus admonens nos, non omnibus omnia proferenda, sed pro ratione temporum, proque captu auditorum dispensandam esse doctrinam Euangelicam, ait discipulis suis: Principes hujus mundi paucis communicant arcana sua, iisque selectis & exploratis, quibus tuto possint sua credere consilia, populum vero celant, si quid habent arcani. Vobis autem è vulgo mihi selectis, datum est nosse mysterium regni cœlorum, qui mecum domesticam agitis consuetudinem. Cæterum plebejis, & ab aulica familiaritate seclusis omnia fiunt per parabolas, sive quid loquar eis, sive quid faciam.

12 *Ut videntes videant, & non videant: & audientes audiant, & non intelligant: ne quando convertantur, & dimittantur eis peccata.*

12 Non enim habent aures idoneas, nec oculos idoneos. Quod audiunt non credunt, quod vident calumniantur. Itaque fit in istis, quod Propheta dixit futurum, ut quum maxime videant, tamen non videant: & quum maxime audiant, tamen non audiant, quia non intelligunt. Non intelligit autem, qui non credit. Porro non remittuntur peccata, nisi credentibus, Euangelio gratuito peccata condonari. Itaque ipsorum incredulitate fit, ut non convertantur ad Deum, quoniam ipsi semet avertunt à Deo, nec liberantur à peccatis, quia pharmacum respuunt, quo sanantur peccata. Hoc sermone Jesus notavit eos, quos modo designarat per terram variis de causis sterilem.

13 *Et ait illis: Nescitis parabolam hanc? & quomodo omnes parabolas cognoscetis?*

13 Ut autem discipulos redderet dociliores, subincrepat illorum tarditatem. Nondum conjicitis, inquit, quid sibi velit hæc parabola, quæ facilis est conjectu? Et quomodo reliquas parabolas omnes conjectabitis, quum nihil dicam aut faciam, quod non occultioris alicujus rei significationem habeat?

14 *Qui seminat, verbum seminat.*

14 Exponam hanc, ut assuescatis & ipsi in cæteris scrutari retrusioris sensus arcanum. Ager est mundus, qui plurimos habet inidoneos Euangelicæ doctrinæ. Seminator est Filius hominis, qui è cœlo descendit in terras. Semen est sermo Euangelicus, per quem mortalibus annuntiatur voluntas Dei.

A Voluntas autem hæc est, ut omnes suis viribus diffisi, toto pectore fidant promissis Euangelicis, videlicet per fidem omnibus omnia condonari peccata, si post cognitam veritatem sese convertant ad studium veræ pietatis.

15 *Hi autem sunt, qui circa viam, ubi seminatur verbum, & cum audierint, confestim venit satanas, & aufert verbum, quod seminatum est in cordibus eorum.*

15 Semen igitur, quod dicebam incidisse juxta viam, notat illos, qui leviter, & velut aliud agentes, audiunt sermonem Euangelicum, perinde quasi audirent humanam quampiam fabulam. Nec ulli minori fructu audiunt. Mox enim ut audierunt, advolat Satanas, & aliis cogitationibus immissis in animum, eximit semen, priusquam inhæserit animo, ut nec meminerint quid audierint.

B 16 Jam semen exceptum in terram petricosam, notat istos, qui satis avide percipiunt sermonem Euangelicum, ac devorant cum gaudio, sentientes esse veracem ac salutarem.

16 *Et hi sunt similiter, qui super petrosa seminantur: qui cum audierint verbum, statim cum gaudio accipiunt illud:*

17 Cæterum quoniam non alta cogitatione recondunt in pectus suum, nimirum obstantibus aliis affectibus, qui animum occupant, nec volunt cedere sermoni divino, non perseverant in eo, quod alacriter cœperant, nec ullum fructum Euangelicæ pietatis edunt, sed temporarium duntaxat, propterea quod radicibus careant. Itaque fit, ut rebus secundis credant Euangelio, ac velut herba prognata

C spem bonam de se præbeant, cæterum simul atque ingruerit adversitas ac tempestas ob Euangelii professionem oborta, protinus offensi deficiunt ab instituto.

17 *Et non habent radicem in se, sed temporales sunt: deinde orta tribulatione & persecutione propter verbum, confestim scandalizantur.*

18 Semen autem, quod incidit in solum spinosum, designat eos, qui sermonem quidem Euangelicum diligenter audiunt ac meminerunt,

19 Sed fallacium divitiarum amor, aliarumque rerum falsa boni specie blandientium cupiditates irruentes in animum, & in dies, ut fit, accrescentes, tandem obruunt semen, ne possit ad frugem emergere.

18 *Et alii sunt qui in spinis seminantur: hi sunt, qui verbum audiunt,*

20 Denique semen, quod incidit in terram bonam,

D signat eos, qui attenti audiunt sermonem Euangelicum, audito credunt, ac trajiciunt in intimos sinus cordis sui, donec emergat in fructum Euangelio dignum, vario quidem discrimine pro soli varietate, proque cœlestis auræ temperatura, ut hic adferat fructum mediocrem, ille copiosiorem, alius copiosissimum, veluti si unum granum producat triginta, aliud sexaginta, tertium centum. Qui copiosum producit fructum, est cur Deo gratias agat, non est cur sibi placeat: qui mediocrem, non est cur feliciori invideat. Deus enim qui nulli est obnoxius, aut debitor, pro sua benignitate partitur cuique suas dotes, prout ipsi visum est. Quicquid provenit, illi debetur, qui primus jecit semen, & per quem augescit quicquid

E provenit. Cupio autem hac semente totius orbis segetem undique occupari, quum tempus advenerit, & hanc doctrinam, quam nunc vobis paucis clanculum impartio, quam latissime per vos propagari, ut & vos exhibeatis imaginem terræ bonæ, si quod accepistis, in quam plurimos transfundatis. Nullus enim hoc fructus est Deo gratior. Cavendum est igitur vobis, ne semen animis vestris creditum, oblivione negligentiave vestra pereat, sed diligenter recondendum in animo, ut suo tempore prorumpat, fructumque copiosissimum adferat.

19 *Et arumnæ sæculi, & deceptio divitiarum, & circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, & sine fructu efficitur.*

20 *Et hi sunt, qui super terram bonam seminati sunt, qui audiunt verbum, & suscipiunt & fructificant, unum triginta, unum sexaginta, & unum centum.*

F 21 Hæc admonitio quo altius insideret Apostolorum pectoribus, addidit parabolam Jesus: Nolite putare, me, quod nunc secreto vobis committo, perpetuo celatum esse velle. *Num quis accendit lucernam, ut accensam subter modium, aut subter lectum recondat? An potius, ut impositæ candelabro luceat omnibus,* qui versantur in domo? Sermo Euangelicus semen est, quod ideo vobis concreditur, ut multo cum fœnore proveniat. Lux est, per me in vobis accensa, ut vestro ministerio discutiat tenebras totius mundi.

21 *Et dicebat illis: Numquid venit lucerna ut sub modio ponatur, aut sub lecto? nonne ut super candelabrum ponatur?*

22 Nunc quidem multa celamus multitudinem, quo-

22 *Non est enim aliquid absconditum, quod*

Digitized by Google

non manifestetur: nec factum est occultum, sed ut in palam veniat.

quoniam nondum est capax, & si esset, nondum advenit tempus: verum, ubi tempus advenerit, nihil est inter nos tam absconsum, quod tum non sit patefaciendum: neque quicquam tam arcanum, quod non sit palam omnibus prædicandum. Non enim oportebit ullis rebus ab Euangelii propagatione deterreri, sed omnibus posthabitis, hoc unum erit nocte ac die agendum. Væ enim illi qui semen bonum sibi concreditum non propagarit, qui lucem sibi traditam absconderit.

23 Si quis habet aures audiendi, audiat.

23 Proinde si cui vestrum sunt aures ad audiendum, hunc sermonem audiat, & auditi meminerit.

24 Et dicebat illis: Videte quid audiatis. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, & adjicietur vobis.

24 Rursus, ne quod dixerat excideret, adjicit Jesus: Videte quid audiatis, & curate ne frustra audieritis: non enim auditis humanas fabulas, sed cœlestem doctrinam, per universum orbem vestra opera diffundendam. Quod accepistis, bona fide tradite, ne quid diversum ab eo, quod accepistis, doceatis. Magno vestro fructu hæc auditis, si tenebitis, & gnaviter aliis communicabitis, quæ auditis. Magno periculo vestro auditis, si vel metu humano perculsi, vel hujus mundi commodis deliniti, suppresseritis quod accepistis. Nolite esse parci, aut ignavi dispensatores doctrinæ, quam vobis impartio: largiter effundite, quandoquidem vestra benignitas non diminuet, sed augebit quod habetis. Pecuniæ thesaurus exhauritur benignitate, hic thesaurus cœlestis quo benignius impartietis, hoc magis cumulabitur. Neque ut pauperior est qui largitur opes suas egentibus, ita indoctior est qui doctrinam Euangelicam quam plurimis communicat: verum ut qui prælucet multis, non ideo minus ipse lucis habet: ita qui doctrina Euangelica viam aperit omnibus ad cognitionem veritatis, non solum non facit jacturam ejus lucis, quam habet, verum etiam copiosiore donatur lumine, quo pluribus queat prodesse.

25 Qui enim habet, dabitur illi: & qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo.

25 Quod habetis non vestrum est, sed ejus qui dispensandum credidit. Id si larga mensura dispensabitis aliis, qui dedit sortem, larga item mensura adjiciet incrementum. Amat Deus profundi dotes suas, & præter humanarum opum consuetudinem magis ditescit, qui profusior fuerit. Sic enim promeretur, ut qui multum dedit, adjiciat plurimum, propterea quod perspiciat, id quod datum est, in multorum effundi utilitatem. Ergo qui habet effundat largiter, ut abundet. Nemo recte donat divitias abundanti, sed egenti dant, qui vere liberales sunt. Hic contra fit: Qui habet, nec habet sibi tantum, sed aliis impartit quod habet, ei tanquam bonæ fidei dispensatori adjicietur, ut abundet. Qui vero non habet, non habet autem qui thesaurum defossum apud se servat, non solum non erit ditior, verum etiam hoc ipsum, quod uni sibi videbatur habere, tolletur ab eo. Nec vero illud vos reddat in dispensandis fidei dotibus segniores, si hominum ingratitudo vestro studio non respondeat. Salva erit vobis vestra merces apud Deum, qui quo quisque plus laboravit in Euangelio propagando, hoc copiosius resolvet præmium in futuro seculo. Quanquam nec interea prorsus vestro præmio fraudabimini, in dies magis ditescentes opibus Euangelicis.

26 Et dicebat: Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo jaciat sementem in terram.

26 Adjecit Dominus & aliam parabolam, qua doceret suos, nihil ipsis aliud curandum, nisi ut totis viribus studerent Euangelio per universum orbem profundendo, tempus messis olim venturum, quum ipsi Domino videretur: Sic, inquit, habet sese regnum Euangelicum, quasi si quis interdiu jaciat sementem in terram.

27 Et dormiat, & exurgat nocte & die, & semen germinet, & increscat dum nescit ille.

27 Mox ubi semen creditum est arvo, veluti securus obdormiscit qui jecit, eoque dormiente, nihilo secius interim semen tacitis incrementis, absque cujusquam opera, noctu pariter atque interdiu provenit: jamque seges enascitur & assurgit, nimirum ultro properans ad frugem vi quadam occulta naturæ.

28 Habet autem natura gradus suos, quos citra cultoris operam servat, posteaquam semel jactum est semen. Primum enim ubi in terra semen computruit, exsilit in herbam. Ea prima spes proventus. Deinde ubi culmus erexit sese, adnascitur spica, sed inanis. Tandem spicæ folliculi plenis tritici granis implentur. Atque hæc secretis profectibus ita procurat natura, ut proficere non sentias, profeciisse sentias.

28 Ultro enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.

29 Ergo ubi seges maturuit, qui jecit semen statim mittit falcem, ut demetat quod natum est, quoniam intelligit adesse tempus messis. Hujus ænigmatis involucro Dominus tecte docuit suos totius Euangelii exordium, progressum & consummationem, quarum primam & postremam partem ipse palam visibili corpore peracturus esset: medium, hoc est, progressum, invisibili Spiritus Sancti gratia administraret. Siquidem ipse princeps, per universam Judæam sparsit sementem Euangelicam. Mox eo peracto obdormiit, moriens primum, deinde resurgens in quietem æternam. Atque hactenus germinat semen Euangelicum, illo, qui primus jecit, velut dormiente, ac secretis auctibus increscit nocte simul ac die, hoc est, in prosperis pariter atque adversis, per omnem occasionem, & promoventium, & reluctantium. Non enim potest non provenire, quod ille jecit, cujus voluntati nemo resistit. Porro quum nihil illum lateat, tamen permittens mundum adversus Euangelium tumultuari, permittens Apostolos suos affligi & occidi, videtur incredulis nescire quid agatur, & quodammodo dormire, quum invisibili Spiritus sui virtute magis etiam nunc operetur omnia in omnibus. Nec rediturus est mundo conspicuus, nisi quum Euangelico negotio ad eam mensuram progresso, quam ipse præfinivit & novit solus, rursus adveniet omnibus conspicuus ea specie, qua ascendit in cœlum, separaturus pios ab impiis, ac pios, veluti probum frumentum, in æternæ quietis horreum reconditurus. Videmus autem ex quam parvis initiis exortum est Euangelii regnum, si rem æstimes juxta mundi speciem. Hæc erat velut herba provenientis Euangelici seminis, quod Pharisæi, Scribæ, Sacerdotes, Seniores, Præfecti, Principes, Reges, Philosophi certatim conabantur obruere ne proveniret. His frustra reluctantibus, occupare cœpit totum orbem, nec desinet succrescere usque ad consummationem mundi, donec maturuerit universa seges. Tum mittetur falx inevitabilis judicii, quæ succisis omnibus, zizania tradat igni, purum ac putum triticum seponat in tutum. Hæc parabola, quanquam peculiariter pertinet ad Jesum Euangelici regni principem, provectorem, & consummatorem, tamen attingit & Apostolos & Apostolorum successores, quibus hoc unum vult esse studio, ut quam latissime disseminetur Euangelicus sermo. Etenim usque ad mundi finem sementis tempus est. Nam & hi velut adjutores Jesu Christi, seminatores sunt, nisi quod jaciant semen non suum, sed ipsis à Christo traditum. Id quoniam est cœleste, non potest opprimi. Habebant & Pharisæi semen suum, habebant & Philosophi semen suum. Hæc ne favente quidem mundo potuerunt succrescere, dum interim cœlestis doctrinæ sementis, mundo totis præsidiis suis oppugnante, in dies magis ac magis invalescat. Itaque suo quodam modo seminant & Apostoli, in hoc ipsum missi, qui subinde mutantes sedem, tantum hoc agunt, ut quam latissime diffundatur Euangelium. Proventum ipsis dormientibus donat Deus. Id semen in singulis, etiam Christianis, suam habet herbam, suam spicam, suam messem. Catechumeni rudis est seges: nuper per baptismum in Christum renati; herba est, innocentiæ virore lætam spem de se præbens. Ubi jam excelsiores facti adoleverint Euangelicæ pietatis profectu, spicas habent: ubi pro suo quisque modo maturuerit, falce suc-

Digitized by Google

succiditur. Falx autem mors est, post quam triticum neque crescit, neque decrescit, neque deterius fit, neque melius. Horreum est vita cœlestis.

30 *Et dicebat: Cui assimilabimus regnum Dei? aut cui parabolæ comparabimus illud?*

30 Quin & alia parabola Dominus Jesus expressit imaginem Euangelici successus, ut qui tum non intelligebant quod dicebatur, post ex eventu rei cognoscerent, hæc non fortuito nec humano consilio geri, sed providentia consilii divini. Quo magis autem redderet auditores attentos, velut hæsitans, cui rei potissimum posset conferre regnum cœlorum, dixit: Cui rei dicemus esse simile regnum cœlorum? aut quam adhibebimus collationem, per quam illius naturam ac vim explicemus his, qui nihil sapiunt, nisi quod oculis vident?

31 *Sicut granum sinapis, quod cum seminatum fuerit in terra, minus est omnibus seminibus, quæ sunt in terra:*

31 Simile est, inquit, grano sinapis, quod dum seminatur minus est omnibus seminibus olerum, quæ seminantur in terra, ut si magnitudinem spectes, aut speciem, non exspectes alicujus magnæ rei proventum.

32 *Et cum seminatum fuerit, ascendit, & fit majus omnibus oleribus, & facit ramos magnos, ita ut possint sub umbra ejus aves cæli habitare.*

32 Cæterum ubi fuerit enatum, ac sese semel exseruerit à terra, meditatur arborem, à stirpe durescens, & late fundens ramos suos supra mensuram omnium olerum, adeo ut avibus etiam præbeat umbram, ac nidulandi locum.

33 *Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire:*

33 His atque id genus aliis multis parabolis Dominus Jesus rudi crassoque populo proponebat imaginem futuri successus Euangelici, sermonem suum ad illorum captum attemperans.

34 *Sine parabola autem non loquebatur eis: seorsum autem discipulis suis disserebat omnia.*

34 Nihil autem illis tum loquebatur, nisi per involucra parabolarum, quod nondum essent nudi sermonis capaces. Etenim si dixisset, se brevi à Judæis occidendum, sed mox revicturum, gloriamque suam per universum orbem sparsurum, sic ut qui tum omnium infimus videbatur, intelligeretur totius mundi princeps: ut nulli mortalium quantumvis sublimi, quies aut tutum receptaculum esset futurum, nisi sub ipsius ramos confugeret: nemo sermonem neque tulisset, neque credidisset. Et tamen expediebat illos hæc veluti per somnium meminisse, ut post ex ipsa re agnoscerent, quid sibi voluissent parabolæ. Apostolis autem secreto colloquio declarabat, quis esset arcanus sensus parabolarum omnium, quas dixerat. Sic ille dies consumtus est.

35 *Et ait illis in illa die, cum sero esset factum: Transeamus contra.*

35 Ubi vero jam appeteret nox, præcipit discipulis, ut trajiceretur in adversam ripam. Quoniam initium increscentis Euangelii fiducia est erga Christum, & per Christum erga Deum: Dominus intelligens, nec discipulos suos adhuc rudes & imbecilles fidere iis quæ docuerat, multis modis hoc agit, ut fiduciam hanc in illis gignat & confirmet. Potissimum autem robusta & immobili fiducia erga Christum est opus, quoties ingruit nox, hoc est, tempestas rerum adversarum.

36 *Et dimittentes turbam, assumunt eum ita ut erat in navi: & aliæ naves erant cum illo.*

36 Obtemperant itaque discipuli, ac dimissa turba, quæ consequi non poterat, Jesum ipsa navi, in qua tum erat docens, cœperunt in ulteriorem ripam transvehere, comitantibus & aliis aliquot scaphis. Transvehunt Jesum Apostoli, quoties aliunde alio provehunt sermonem Euangelicum.

37 *Et facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis.*

37 Id agentibus sciebat multos gravesque tumultus olim excitandos ab his, qui magis diligunt ea quæ sunt hujus mundi, quam ea quæ sunt salutis æternæ. Adversus hos igitur ut confirmaret suos, doceretque nullam tempestatem quamvis atrocem metuendam esse iis, qui toto pectore fiduciam habent in Domino Jesu, passus est periclitari discipulos usque ad desperationem. Posteaquam enim jam procul abnavigassent à terra, subito oborta est vehemens ventorum procella, adeo ut excitatis undis, ventorum vis fluctus impelleret in navim, jamque periculum esset ne vi aquarum impleta subsideret.

38 *Et erat ipse in puppi super cervical dormiens: &*

38 Interea Jesus in navi dormiebat, capite innitens suppositio cervicali. Non erat ille somnus simulatus. Vere dormiebat, laboribus ac vigiliis fatigatus, nimirum corpus humanum gerens, omnibus his affectionibus obnoxium, quibus nostra sunt obnoxia. Verum, ille non ignorabat quid esset eventurum. Noverat tempestatem exorituram. Sciebat Apostolos motu * territos ipsum excitaturos. Non poterat illos efficacius docere, nihil esse metuendum his qui fidunt Jesu. Vellicant igitur dormientem, & expergefacto dicunt: Magister, itane tu nobis pereuntibus dormis securus? nec tua referre putas si mergamur? Fiduciæ argumentum erat, quod ingruente periculo confugiunt ad Jesum, sed imperfectæ fiduciæ erat, quod credebant se parum tutos dormiente Domino.

excitant eum, & dicunt illi: Magister, non ad te pertinet, quia perimus?

39 *Et exsurgens comminatus est vento, & dixit mari: Tace, obmutesce. Et cessavit ventus: & facta est tranquillitas magna.*

39 Jesus autem expergefactus, ut ipsa re declararet sese Dominum esse elementorum omnium, increpavit ventum, jussitque conquiescere: deinde loquutus est mari: Sileto, obticescito. Agnoverunt conditoris sui vocem duo nulli hominum obtemperantia elementa. Mox conquievit ventus, subsedere fluctus, & facta est tranquillitas magna.

40 *Et ait illis: Quid timidi estis? necdum habetis fidem? Et timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum: Quis, putas, est iste, quia & ventus & mare obediunt ei?*

40 Deinde Dominus versus ad suos, increpat incredulitatem illorum: Quid, inquit, ita timetis? Nondum, tot conspectis miraculis, habetis in me fiduciam? Porro discipuli, cæterique, qui erant in navi, conspecta prodigii novitate, ut mare mutum elementum & indomitum, ut venti violentum item elementum repente ad increpantis vocem conquiescerent, intelligentes rem esse supra conditionem humanam, dicebant inter sese: Quis est hic, cui non solum morbi ac Dæmones obtemperant, verum etiam muta elementa obediunt jussis illius?

Filius hominis, juxta cupiditates hominum, non habebat in hoc mundo, ubi reclinaret caput suum: nam & in cruce moriens, quum non haberet in quod reclinaret caput suum, demisso capite exspiravit. Cæterum hic non solum quievit, verum etiam subjecto pulvillo quievit, & statim oborta est procella; ut sciremus quantum discriminis immineat Ecclesiæ, quoties in nobis dormit Jesus. Dormit autem, quoties pastores, deliniti commodis hujus mundi, profundo somno consopiti sunt, adeo ut quantumvis vellices, quantumvis inclames, non queant expergisci. Quam alte dormiunt Episcopi, qui voluptatibus dediti, qui regnandi libidine temulenti, qui nummis congerendis affixi, nec gregis commissi curam ullam agunt, nec suæ salutis meminerunt, neque tantulum communi periculo commoventur, ut expergefacti secum cogitent: Quid facio demens? Grex Domini mihi concreditus est pascendus. Ac propediem veniendum erit ad tribunal æterni Judicis, qui pro his ovibus, quas meæ commisit fidei, pretiosum sanguinem suum fudit. Quid illi responsurus sum? Debebam exemplo vitæ inculpatæ prælucere meis ad salutem æternam, & perdita vita dux fui ad gehennam. Debebam eos pascere doctrina Euangelica, non pavi, sed deglubui, sed spoliavi, sed mactavi. Pro patre tyrannum egi, pro Episcopo lupum ac prædonem. Atque interim sursum deorsum miscet tempestas omnia. Jesus autem, qui verus est pastor Ecclesiarum, dormit, dissimulans ac permittens oboriri procellam, sed ita dormit, ut ad clamorem suorum protinus expergefiat. Una est navis, in qua Christus juxta corpus vehitur, sed hæc plures habet comites. Una est Ecclesia catholica, rursus multæ sunt Ecclesiæ. In omnibus æque Christus est, & omnes adhærentes eidem capiti, una est Ecclesia. Nulla navis mergitur, quæ sequitur Christum: quantumvis jactentur fluctibus, quantumvis periclitentur, incolumes perveniunt ad portum. Sed hoc interim nos docet tempestas & nox, in nostris viribus nihil esse nobis præsidii, totam salutis spem in uno Christo sitam esse, si quis illi toto fidat pectore. Frequenter & privatim in suo cuique pectore tempestates hujusmodi concitat Satanas. Sed posteaquam nox erroribus occupat animum nostrum, posteaquam deficit lux fidei, posteaquam vigor Euangelici spiritus

* Altera Editio, *metu*.

vel-

Digitized by Google

veluti conſopitus dormit, tum oborti venti malarum cupiditatum, animi tranquillitatem perturbant: periclitatur ipſa mens, nihil eſt præſidii in remigio, nihil in velis: certum exitium urget, niſi precibus ardentibus & improbis excitetur Chriſtus. Si non ſtatim audit inclamatus, ne ceſſa, ſed ſtimula, vellica, donec expergefiat. Per hunc illico redibit tranquillitas.

CAP. V.

Egreditur legio: natitat grex: rheuma cruoris Ceſſat: primatis filia viva ſedet.

1 *Et venerunt trans fretum maris in regionem Geraſenorum.*

1 QVEMADMODVM autem hæc tempeſtas docuit, omnes tumultus Chriſti præſidio fortiter eſſe ferendos, quos hic mundus adverſus Euangelium eſſet excitaturus, & aliquando Chriſti juſſu vertendos in ſummam tranquillitatem: ita mox ſucceſſit imago, quæ ſignificaret, alicubi fore barbaras & immanes nationes, quæ doctrinam Euangelicam primum averſarentur ob ingenii feritatem: futurum tamen, ut hæ quoque progreſſu manſueſcerent, ac ſuave Domini jugum jam cognitum acciperent. Ergo ſedata procella Principum adverſus Euangelium ferocientium, Jeſus cum ſuis comitibus appulit in diverſum littus. Ea regio dicta eſt Geraſenorum ab urbe celebri Geraſa: quæ eſt Arabiæ, contigua monti Galaad in Tribu Manaſſe, haud procul diſſita à Lacu dicto Tiberiadis. Jam enim Dominus Jeſus præludit ad efferatam quarundam gentium barbariem, de quibus dubites, an hominis vocabulum mereantur. Et tamen nulla tam effera feritas eſt, de qua ſit deſperandum.

2 *Et exeunti ei de navi, ſtatim occurrit de monumentis homo in ſpiritu immundo,*

2 In hanc igitur regionem ubi Jeſus navi egreſſus veniſſet, ſtatim occurrit imago, quæ mores & ingenium gentis exprimeret. Prorupit enim ad ſenſum advenientis Domini homo quidam obnoxius impuriſſimo ſæviſſimoque Dæmoni.

3 *Qui domicilium habebat in monumentis, & neque catenis jam quiſquam poterat eum ligare:*

3 Is fugitans hominum frequentiam, vitam agebat in deſertis locis, latitans in monumentis defunctorum, quæ juxta viam erant.

4 *Quoniam ſæpe compedibus & catenis vinctus, diruperat catenas, & compedes comminuiſſet, & nemo poterat eum domare.*

4 Neque quiſquam tentabat eum amplius alligare, propterea quod ſæpe antea vinctus diſrupiſſet catenas, & compedes comminuiſſet. Nec ulla vis poterat eum domare, quo minus libere ferretur impotens ſui, quocunque raperet Dæmon.

5 *Et ſemper die ac nocte in monumentis & in montibus erat, clamans, & concidens ſe lapidibus.*

5 Itaque ſolutus noctes ac dies vagabatur per ſepulchra mortuorum, perque montes invios, vociferans & concidens ſeipſum lapidibus. Hoc ſpectaculum, ſi cui videtur, ut eſt, miſerabile & horrendum, cogitet, quanto miſerabilius ſit ſpectaculum ſub oculis Dei, homo qui præter hominis nomen nihil jam habet hominis: luxu perditus, in ſcorta furens, in aleam inſaniens, temulentia veſanus, rixoſus, prædator, pulſator, violentus, nullis nec Dei nec hominum legibus coercendus: nec pudore, nec reverentia, nec metu cohibendus: audens quicquid animo collubitum fuerit, qui exiguo ſtipendio conducitur ad quodvis bellum, ad jugulandos homines ignotos, nihilque commeritos: ad incendendos vicos & urbes, ad diripienda templa, ad ſubruenda ſacra profanaque omnia. Adde his perjuria, blaſphemias, & inceſtus, huic hominum generi familiaria crimina: adde proditiones & veneficia, ac magicas artes, & videbis quanto levius furebat ille Dæmoniacus, quam hic perditus.

6 *Videns autem Jeſum à longe, cucurrit, & adoravit eum:*

6 Sed quid? An de hujuſmodi deſperandum eſt? Nequaquam, ſi modo contingat videre Jeſum. Fide is conſpicitur. Quum enim miſer ille ad ſtrepitum hoſpitum proceſſiſſet è latebris ſuis, impetum facturus in eos, quemadmodum conſueverat: mox ut eminus vidit Jeſum, vi cœleſti attractus, ſubitoque mutatus, accurrit ad illum, & adoravit eum.

7 *Et clamans voce magna dixit: Quid mihi, & tibi, Jeſu fili Dei altiſſimi? adjuro te per Deum, ne me torqueas.*

7 Moxque Dæmon per os hominis cœpit ingenti voce clamare: *Quid tibi rei mecum eſt Jeſu, Fili Dei altiſſimi? Obteſtor te per Deum, ne me torqueas.*

8 *Dicebat enim illi:*

8 Etenim Jeſu vox illi tormentum erat Dæmoni, quia dixerat: *Impure Spiritus exi ab homine.* Tanta erat Dæmonis malitia, ut graviſſimus eſſet ipſi cruciatus, ſi jam non liceret cruciare miſerum hominem. Sentiebat autem Jeſu vocem efficacem & omnipotentem, cui volens nolens parere cogeretur. Jam mihi confer, an non ſimilis ſit affectus in hominibus, qui jam ad extremum malitiæ devenerunt, quibus voluptati eſt, aliis vel ſuo etiam malo malefacere: & ſi coerceantur à licentia facinorum, vehementer animo diſcrucientur.

Exi ſpiritus immunde ab homine.

9 *Et interrogabat eum: Quod tibi nomen eſt? Et dicit ei: Legio mihi nomen eſt, quia multi ſumus.*

9 Jeſus autem interrogabat Spiritum impurum, quod haberet nomen. Is reſpondit: *Legio mihi nomen eſt, propterea quod multi ſumus.* Agnoſcis vocabulum militare, ſpurcam colluviem multorum in perniciem hominum conjuratorum: verum nulla vis multitudinis valet adverſus potentiam Jeſu. Tam facile profligat legionem, quam unicum.

10 *Et deprecabatur eum multum, ne ſe expelleret extra regionem.*

10 Tum dux ille, qui pro omnibus loquebatur, magnopere deprecabatur Jeſum, quem agnoſcebat victorem, ne ſe ejiceret ex ea regione. O perverſam Dæmonis malitiam. Non deprecatur veniam: non aliud beneficium petit, ut ipſi ſit melius: pro beneficio ducit, ſi liceat illic vivere, ubi plurima ſit nocendi occaſio. Quaſi ſcelerata militum manus, urgente majore principis potentia, & à præſidio jubente diſcedere, roget: Non petimus ſalarium, tantum liceat nobis vagari per agros, ac noſtro periculo latrocinari.

11 *Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus, paſcens.*

11 Quum ad hanc petitionem non reſponderet Jeſus, erat in propinquo juxta montem numeroſus grex porcorum, paſcens in agris. Agnoſcis animal veris Judæis abominabile, gentibus idololatris gratiſſimum.

12 *Et deprecabantur eum ſpiritus, dicentes: Mitte nos in porcos ut in eos introeamus.*

12 Orant igitur Dæmones ut ſaltem in porcos liceat immigrare: & ſi non licet, inquiunt, perdere hominem, quem tu nobis eripis, liceat malitiam noſtram aliquo pacto ſaturare immundi animantis interitu.

13 *Et conceſſit eis ſtatim Jeſus: Et exeuntes ſpiritus immundi introierunt in porcos: & magno impetu grex præcipitatus eſt in mare ad duo millia, & ſuffocati ſunt in mari.*

13 Id facile permiſit eis Jeſus, cui non erat curæ porcorum ſalus, ſed hominum: docens, vel ob unius hominis ſalutem, cæterarum rerum quamvis gravem jacturam eſſe negligendam. Legio vero Dæmonum impurorum relinquens hominem, Chriſti ſpiritu purgandum, immigravit in gregem porcorum, qui mox magno impetu per præcipitium montis ferebantur in ſtagnum, ibique ſuffocati perierunt. Erant autem ferme duo millia. Caveant homines, ne porcorum ſimiles inveniantur. In tales enim animos gaudent immigrare Dæmones.

14 *Qui autem paſcebant eos, fugerunt, & nuntiaverunt in civitatem, & in agros. Et egreſſi ſunt videre quid eſſet factum:*

14 Porro ſubulci, conſpecto prodigioſo facto nihil opitulati ſunt porcis, ſed metu territi fugerunt in vicinam civitatem, atque in villas proximas: & quod vidiſſent, omnibus renuntiarunt. Bonus ille paſtor ovium ſuccurrit periclitanti gregi. Cæterum ubi deplorati perditique gregis paſtores ſunt ſimiles, & internecione perit grex, & paſtores territi nihil aliud quam fugiunt. Ad hunc nuntium paſſim ex urbe atque agris procurrunt, avidi videndi oculis, quod auribus acceperant. Nam incredibile videbatur, quod audierant à ſubulcis.

15 *Et veniunt ad Jeſum: & vident illum, qui à dæmonio vexabatur, ſedentem, veſtitum, & ſana mente, & timuerunt.*

15 Veniunt igitur uſque ad Jeſum, & conſpiciunt illum, quem omnes noverant prius à ſæviſſimo Dæmonio fuiſſe agitatum, ac præ furoris impotentia ſolitum omnes catenas & compedes dirumpere, veſtes dilacerare, ſeipſum ſaxis concidere, prætereuntes impetere, veſanis vociferationibus omnia complere: nunc ſedere ad pedes Jeſu quietum, veſtitum, ac ſanæ mentis.

16 *Et narraverunt illu, qui viderant, qualiter factum eſſet ei qui dæmonium habuerat, & de porcis.*

16 Porro qui ſpectaculo adfuerant, rurſus ab initio narrabant illis, qui procurrerunt, omnem rei geſtæ hiſtoriam, de legione ejecta, de porcis demerſis in Lacum.

17 *Et rogare cœperunt eum ut diſcederet de finibus eorum.*

17 Itaque quum jam ex re diligenter perveſtigata, fides eſſet facta, quod narrabatur non eſſe vanum, metu perculſi cœprunt rogare Jeſum, ut ex ipſo-

rum finibus decederet. Gens impia & crassa non noverat totum Jesum : potentiam viderat, at non animadvertebat in homine restituto bonitatem, ac magis eorum animos commovebat jactura porcorum, quam salus hominis. Metuebant bubus, asinis, & porcis suis, solliciti de ventre, securi de animo. Est tamen aliquod salutis initium, utcunque timere Dei potentiam.

18 Cumque ascenderet navim, cœpit illum deprecari, qui à dæmonio vexatus fuerat, ut esset cum illo:

18 Dominus facto docens, non esse rosas Euangelici sermonis objiciendas porcis, reversus est ad littus, ac navem conscendit. Interea qui fuerat à * Dæmonio liberatus, videns auctorem suæ sanitatis abire, cœperat illum rogare, ut sibi liceret in illius esse comitatu.

19 Et non admisit eum, sed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, & misertus sit tui.

19 Dominus autem maluit illum habere præconem quam comitem, quod id magis expediret multorum saluti: *Abi potius*, inquit, *in domum tuam, & ad cognatos notosque tuos, & apud illos prædica, quanta beneficia Deus in te contulerit: & quomodo misertus sit tui*, quum esses omnibus miserabilis, sed ab omnibus deploratus. Ea regio decem civitates complectebatur, unde & Decapolis dicta.

20 Et abiit, & cœpit prædicare in Decapoli, quanta sibi fecisset Jesus: & omnes mirabantur.

20 Abiit homo Jesu jussis obtemperans, ac per omnes eas civitates prædicabat, & qualis fuisset, & qualis esset beneficio Jesu factus. Porro narratio fidem apud omnes invenit, quod plerisque illius regionis hominibus antea notus fuisset, & nunc palam præ se ferret, integram mentis sanitatem à Jesu sese consequutum. Non puduit illum pristinæ calamitatis, dum illustrat gloriam Dei. Audi hæc, idololatra, scortator, aleator, comessator, profusor, raptor, prædo, incendiarie, bellator, venefice, sicarie, ne spem abjicias, tantum accurre ad Jesum. Noli æstimare multitudinem ac magnitudinem criminum tuorum, tantum cogita, Jesum esse, qui servandis hominibus venerit, qui nutu potest omnia. Ubi te legio Dæmonum reliquerit, ubi sanæ mentis factus fueris, prædica apud tuos potissimum, Dei in te misericordiam. Ne te pudeat vitæ prioris. Faciet & illud ad illustrandam Jesu misericordiam, si quam plurimis innotuerit, quam ante fueris abominandus. Agnosce & confitere qualis fueris: & quod nunc alius subito factus es, ne tribuas meritis tuis, sed gratuitæ Dei misericordiæ, qui miseretur, quorumcumque vult ipse: nulli debitor, neque obnoxius.

21 Et cum transcendisset Jesus in navi rursum trans fretum, convenit turba multa ad eum, & erat circa mare.

21 Hoc veluti semine jacto apud Gerasenos, Dominus Jesus rursus transmisit Lacum. Subinde mutatus locus facit ad Euangelii profectum: & varietas miraculorum admonet, Euangelicum doctorem per omnem occasionem adniti debere, ut quoscunque potest ad salutem pertrahat. Quum igitur redditus esset diverso littori, rursum eodem confluxit ingens hominum multitudo. Etenim quemadmodum magnes ferrum ad sese trahit, ita beneficentia cunctos allicit.

22 Et venit quidam de archisynagogis nomine Jairus: & videns eum, procidit ad pedes ejus,

22 Quum igitur versaretur juxta Lacum, adiit illum quidam ex primoribus Synagogæ, cui nomen erat Jairus. Is excitus fama Jesu, cum reliqua multitudine eo venerat. Erat enim quod animum illius vehementer angeret, & in quo Jesu præsentiam desideraret.

23 Et deprecabatur eum multum, dicens: Quoniam filia mea in extremis est. Veni, impone manum super eam, ut salva sit, & vivat.

23 Cum igitur vidisset eum revectum in littus, gavisus est: &, ut sunt humiles, qui quid valde desiderant, quanquam Archisynagogus, hoc est, inter supercilioſos primas, accidit ad pedes Jesu, ac deprecatus est eum, dicens· Domine, filia mea duodecim annos nata, in qua præcipuum senectutis meæ solatium posui, in summo vitæ periculo est, jam animam agens. Veni, impone illi manum tuam, ut tuo contactu salva sit & vivat.

24 Et abiit cum illo, & sequebatur eum turba multa, & comprimebant eum.

24 Jesus ex hujus oratione satis intelligens, quam nondum esset solida fiducia, qui extremi periculi meminisset, quasi non potuisset & mortuam excitare, qui præsentiam ac manus etiam contactum requirat, quasi non posset & absens & nutu sanare quos vellet Jesus, promittit se venturum, & festinantem sequitur, formam interim exhibens, quam oporteat pastorem omnibus, & Græcis & barbaris, claris & obscuris, pauperibus ac divitibus, doctis & indoctis expositum esse, ad animæ salutem procurandam.

25 Et mulier, quæ erat in profluvio sanguinis annis duodecim,

25 Atque inter eundum offertur occasio, per quam Archisynagogi corrigat imperfectam fiduciam: idque exemplo mulierculæ, quæ quo minus noverat ex Legis cognitione Christum, hoc excusabilior fuisset diffidentia. Etenim Jesum euntem ad ædes Archisynagogi densissima hominum turba comitabatur: partim quia non poterat divelli à Jesu, partim quo spectatores fierent rei gerendæ, & rogantis nobilitas acuebat spectandi desiderium.

Itaque dum quisque vult esse proximus Jesu, affligebatur à turba premente. In hac erat mulier, quæ fœdum ac pudendum juxta & immedicabilem morbum habebat jam annis duodecim; nempe sanguinis profluvium.

26 Et fuerat multa perpessa à compluribus medicis: & erogaverat omnia sua, nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat,

26 Hoc etiam infelicior, quod dum in medicis magnifice pollicentibus spem salutis constituit, & ab uno frustra ad alium certiora pollicentem confugit, rursus ab hoc ad alium, semperque blanda spe lactatur, omnes facultates suas in eos impenderat, & adeo nihil opis attulerat medicorum ars, ut mulier etiam deterius haberet, quam si medicis non fuisset usa, qui nihil non pollicentes, & officioſe vexantes miseram, veteri malo exasperato, novum addiderant, profluvio sanguinis paupertatem. Tale nimirum est vulgus profitentium humanam medicinam. Sed plerunque fit, ut salus sit non sperare salutem. Posteaquam cœpit diffidere medicis, & illi tum demum pronuntiassent nullam esse spem, posteaquam intelligerent nihil esse quod daretur, cœpit esse saluti vicinior. Deus enim nulli libentius opitulatur, quam quem humana destituere præsidia.

27 Cum audisset de Jesu, venit in turba retro, & tetigit vestimentum ejus:

27 Audierat mulier tantum de Jesu, & illico concepta admirabili de illo fiducia, miscet sese confertæ multitudini. Sexus pudor ac morbi fœditas obstabat, quo minus faceret, quod fecerat Archisynagogus: sed accessit à tergo, atque tandem eluctata per collidentium sese globos hominum, contigit vestem Jesu.

28 Dicebat enim: Quia si vel vestimentum ejus tetigero, salva ero.

28 Tantam enim spem de illo conceperat, ut diceret apud sese: *Si liceat vel fimbriam vestis ejus attingere, liberabor à morbo.* Destituta à medicis, à quibus fuerat magna mercede vexata, repererat alium medicum, qui gratis & subito *confert plenam salutem.

29 Et confestim siccatus est fons sanguinis ejus: & sensit corpore quia sanata esset à plaga.

29 Nec fefellit mulierem sua fiducia, simul ut tetigerat vestem Domini, sistebatur sanguinis profluvium, subito correcto liquore, qui velut è perenni fonte solitus est emanare. Quin & ipsa sensit toto corpore rediisse vigorem, quem habuerat antequam hoc morbo cœpisset laborare. Qui luxui, qui voluptatibus, qui delitiis hujus mundi evirati sunt, non alio confugiant quam ad Jesum. Si fidant Philosophis, si Legum peritis, si magicis artibus, si ceremoniis Pharisaicis, ubi in his & ætatem, & ingenii vires consumserint, nihil aliud quam morbum auxerint, & paupertatem lucrifecerint, nisi forte †levior est paupertas, ætatis & ingenii jactura.

30 Et statim Jesus in semetipso cognoscens virtutem, quæ exierat de illo, conversus ad turbam, ajebat: Quis tetigit vestimenta mea?

30 Gaudebat mulier, hoc beneficium veluti suffurata à Christo, quem ut hominem sperabat falli posse: aut si non falleretur, sperabat pro sua bonitate pudori sexus indulturum. Dominus autem magis consulens gloriæ Dei, multorumque saluti, quam unius mulieris pudori, non ignarus se fuisse contactum, neque non sentiens sanitatis beneficium ex eo contactu perveniſſe ad mulierem, versus ad multitudinem à tergo prementem, ait: *Quis attigit vestimenta mea?*

31 Et dicebant ei discipuli sui: Vides turbam comprimentem te, & dicis: Quis me tetigit?

31 Porro discipuli nihil suspicantes ejus quod acciderat, respondent Domino: *Vides turbam undique prementem te, & rogas quis te contigerit?* Qui legunt

Eu-

* Alia Editio, *Domino.*

* Alia Editio, *conferret.* † Eadem, *levis.*

Digitized by Google

Euangelium, contingunt Chriſtum: qui conſecrant, aut ſumunt corpus ſacrum, contingunt Chriſtum: at non ſanantur omnes, qui contingunt. Sola mulier, quæ cum ingenti fiducia contigerat, ſanata eſt.

32 Et circumſpiciebat videre eam, quæ hoc fecerat.

32 Jeſus autem pro ſuo beneficio nihil aliud præmii flagitat, niſi confeſſionem mali, & agnitionem clementiæ divinæ. Itaque quum mulier pudore obticeſceret, ſperans ſe poſſe latere, Jeſus circumferebat oculos in turbam, quaſi noſcitare ſtudens mulierem, quæ ſe contigiſſet. Hic circumſpectus erat civiliter exigentis accepti beneficii confeſſionem. Nolebat eam prodere, ne videretur exprobrare beneficium. Mulier pudore fœmineo ſilebat, non ingratitudinis vitio. Adhibitus eſt ſtimulus, qui pudorem inutilem excuteret, ſalubrem eliceret confeſſionem. Quid enim non poteſt intuitus Jeſu? Sic intuitus eſt Petrum, & reſipuit.

33 Mulier vero timens & tremens, ſciens quod factum eſſet in ſe, venit & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem.

33 Mulier autem ſibi conſcia, qualis veniſſet ad Jeſum, & quid ab eo beneficii adepta eſſet, non àuſa eſt diſſimulare. Sed excuſſa muliebri verecundia, prodiit in conſpectum Jeſu, timens ac tremens: metuebat enim objurgationem improbitatis ſuæ: accidit ad genua, & rem ut habebat omnibus audientibus enarrabat, nihil diſſimulans, nihil fucis obnubilans de morbo diuturno, de medicorum arte fruſtrata, de furtivo veſtis contactu, de concepta fiducia. Hujuſmodi confeſſionem amat Dominus Jeſus, quæ facit ut & peccator agnoſcat ſeipſum, & ſanitatis reſtitutæ gloriam omnem Deo tribuat, & multos ad ſimilem fiduciam excitet: admonens ab uno Jeſu proficiſci gratuitam ſalutem, nec referre quot aut qualibus vitiis laboraveris, ſed quantum de Domini vel potentia vel bonitate confiſus ſis. Si clancularius eſt morbus animi, tamen confitere Jeſu, qui non prodit, qui non exprobrat, ſed ſanat. Si palam eſt, confitere palam, ut quemadmodum exemplo tuo multos ad peccandum pellexeras, ita converſus multos item excites ad meliorem frugem. Excutiendus eſt pudor, qui & Deo ſuam invidet gloriam, & proximo ſalutem. Gaudebis excuſſiſſe, poſteaquam ſenſeris ex confeſſione conſcientiæ majorem tranquillitatem, velut audieris à Domino Jeſu, quod audiit mulier. Quid autem audiit?

34 Ille autem dixit ei: Filia, fides tua te ſalvam fecit: vade in pace, & eſto ſana à plaga tua.

34 Filia, tua de me fiducia reſtituit te ſanitati, quam medicorum ars dare non potuit. Abi læto tranquilloque animo, volo beneficium hoc tibi perpetuum eſſe. Videsne, audisne hæc, Archiſynagoge? Tibi enim tuique ſimilibus agitur hæc fabula. Mulier immedicabili morbo laborabat: profecerat in pejus: ob inſignem de Jeſu fiduciam ſolo veſtis contactu ſanata eſt, & tu ceu medicum domum accerſis, jubes imponat manum, & celeritatem exigis.

35 Adhuc eo loquente, veniunt ab archiſynagogo, dicentes: Quia filia tua mortua eſt: quid ultra vexas Magiſtrum?

35 Dum mulieri reſpondet Jeſus, ſuperveniunt nuntii ab Archiſynagogi domo, dicentes. *Filia tua defuncta eſt. Quid pergis fruſtra vexare Magiſtrum?* His dictis Archiſynagogus, qui prius ancipitem ac multo metu mixtam ſpem habebat, veluti deſperans, non audet amplius rogare Dominum. Nuntii jubent deſperare. Mortua eſt. Sic plerique homines ſolent, de his qui in facinus aliquod ingens prolapſi ſunt, velut in adulterium, inceſtum, aut furtum, aut homicidium: Conclamatum eſt, nulla ſalutis ſpes eſt.

36 Jeſus autem audito verbo, quod dicebatur, ait archiſynagogo: Noli timere: tantummodo crede.

Jeſus autem non patitur quenquam in deſperationem venire, niſi qui recuſat fidere. Judæorum eſt deſperare: Chriſtianus, cui nota eſt Domini bonitas par ejus poteſtati, nunquam deſperat.

36 Collabentem itaque ſpem Archiſynagogi blando alloquio ſublevat: Noli metuere, etiamſi mortua eſt; tantummodo confide. Non refert quantum ſit malum puellæ, ſed quam firma ſit tua fiducia.

37 Et non admiſit quemquam ſe ſequi, niſi Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem Jacobi.

37 Hæc loquutus, venit ad ædes Archiſynagogi, ingreſſus eſt: ſed foris relicta promiſcua multitudine, ne diſcipulis quidem admiſſis, præter Simonem Petrum, Jacobum & Joannem fratrem Jacobi.

38 Et veniunt in domum archiſynagogi, & vidit tumultum, & flentes, & ejulantes multum.

38 His comitantibus ingreſſus eſt domum Archiſynagogi. Illic comperit ambitioſum funeris ſtrepitum, multitudinem cognatorum & cognatarum miſerabili lamentatione deplorantem mortem præmaturam puellæ. Solet enim vulgus hominum acerbius ferre mortem juvenum quam ſenum, quum nihil ſit optabilius, quam tum emori, quum dulciſſimum eſt vivere, prius quam animus multis hujus vitæ malis contaminatus eſt. Non enim refert quam diu vixeris, ſed quam bene. Jeſus itaque docens, non eſſe deploranda funera inanibus næniis, compeſcit tumultum lugentium.

39 Et ingreſſus, ait illis: Quid turbamini, & ploratis? puella non eſt mortua, ſed dormit.

39 *Quid*, inquit, *ita tumultu completis domum & ploratis? Puella non eſt mortua, ſed dormit.* Nimirum Domino dormiebat, qui verbo poterat expergefacere multo facilius, quam homo hominem excitat à ſomno. Et omnino ſomnus imago quædam ac meditatio mortis eſt. Somnus enim conſopit animi vires, ac ſenſum adimit: qui ſi perpetuus eſſet, vera mors eſſet. Cæterum qui adſtiterant puellæ morienti, non intelligentes quid ſibi vellet hic Jeſu ſermo, deridebant eum, qui crederet eam adhuc vivere, quam conſtabat exſpiraſſe.

40 Et irridebant eum. Ipſe vero, ejectis omnibus, aſſumit patrem & matrem puellæ, & qui ſecum erant, & ingreditur ubi puella erat jacens.

40 Hos omnes abigit Jeſus, qui tumultuoſo ploratu, ſed inani, complebant domum: & non ſolum nihil adferebant ſalutis exſtinctæ, verum etiam & dolorem parentum exacerbabant, & Jeſum ſalutis auctorem irridebant. Nihil opus tali turba, ubi peccato mortuus animus ad innocentiæ vitam eſt revocandus. Fecit hoc tum Jeſus in ædibus privatis & alienis.

Quid autem faceret, ſi videret quorundam uſque ad inſaniam ambitioſa funera? Conducuntur qui ficte plorent, qui cieant ejulatus, qui lanient capillos, nonnunquam appoſititios, qui percutiant pectus, qui vulnerent genas, qui verba jactent plus quam inſana, ac diffidentiæ plena. Admovent cadaveri lac, ut proliciant oberrantem animam. Inclamant nomine iterum atque iterum: Redi, Philippe, revertere, Philippe, redde te nobis, Philippe. Objurgant exanime cadaver: Cur tuos deſeruiſti? Cur nos luctu voluiſti occidere? Nihil tibi deerat ad ſuaviter vivendum, non opes, non generis claritas, non honores, non forma, non ætas. O te crudelem, ô nos miſeros! Jam adde tubas, ſurdo canentes: adde cantores, qui lugubres næniis fruſtra canant mortuo non ſentienti: qui vivis dolorem non eximant, ſed augeant. Adde longas daduchorum ſeries, ad hæc ordines pullatorum. Quidam etiam equos pullatos in hanc pompam inducunt, qui geſtent inſignia defuncti, & cervice tibiis alligata, prono capite videantur quaſi requirere dominum ſuum, qui deſcenderit ad inferos. Ne commemorem epulas & ſacra parentalia, ſuperbas ſumptuoſaſque monumentorum ſtructuras, quaſi parum fuerit ambitionis & luxus in vita, niſi tales ſe declarent & mortui. Hæc quum Ethnicis etiam paulo cordatioribus videantur inſana, quanto longius oportet abeſſe à Chriſtianorum moribus, qui omnes obdormiſcunt potius quam moriuntur, ad tubam Angelicam experrecturi in noviſſimo die.

41 Et tenens manum puellæ, ait illi: Talitha cumi, quod eſt interpretatum: Puella (tibi dico) ſurge.

41 Ergo ut ad narrationis ordinem redeam, ejectis his omnibus, Jeſus, adhibitis utriſque puellæ parentibus, ingreſſus eſt conclave, ubi corpus jacebat exanime. Hos enim voluit eſſe miraculi teſtes. Hîc Dominus arrepta puellæ manu, ait illi, velut excitaturus à ſomno: *Thalita cumi:* quod Syrorum lingua ſonat, *Heus puella, ſurge.* Qui profundo ſomno premuntur, nonnunquam expergefieri non poſſunt, etiamſi ſemel atque iterum inclames ac vellices: nec ſtatim vigilant excitati, ſed diu ſemiſomnes, oſcitantes diſtendunt brachia, nutant capite, nonnunquam & mento pulſant pectus, & niſi inſtes relabuntur in ſomnum.

42 Et confeſtim ſurrexit puella, & ambulabat: erat autem annorum duodecim: & obſtupuerunt ſtupore magno.

42 Hæc mortua confeſtim ad vocem vocantis Jeſu ſurrexit, & ambulavit: non ſolum rediviva, ſed

Digitized by Google

& alacris. Agnovit enim animula, quæ pulsa morbo corpus reliquerat, vocem conditoris sui, & nihil cunctata reversa est in domicilium unde demigrarat. Quo mors fuerat flebilior ob teneram puellæ ætatem, (neque enim major erat duodecim annis) hoc uberius erat gaudium de resuscitata. Hujus spectaculi novitas ingenti stupore affecit patrem ac matrem puellæ. Jesus autem nec præmium ab illis exigens, nec gratiarum actionem, tantum mandat illis, ut quo certior esset reddita mortuæ vita, darent illi cibum. Nam edere non solum vitæ, verum etiam prosperæ valetudinis indicium est.

43 Et præcepit illis vehementer ut nemo id sciret: & dixit dari illi manducare.

43 Præcipit & illud, ne quod paucis testibus ac privatim gestum esset, efferrent in vulgus: sive quod malebat id, quod acciderat, per alios, quos ejecerat, evulgari, quam per Archisynagogum, qui majore invidia, sed minore fide præco fuisset dominici beneficii: sive quod præcipiens sileri, quod sciebat eos non tacituros, nos docere voluit in omnibus benefactis fugiendam esse gloriam humanam.

Quod si quis penitus introspiciat, quid arcanæ doctrinæ lateat in hoc miraculo, quandoquidem facta quoque Jesu parabolæ sunt: Puella duodecim annos nata, ac vix dum pubescens exanimata designat hominem, qui primum, ac per imbecillitatem prolapsus sit in crimen occultum, & ob hoc, quoniam nondum perfricuit faciem, qui commisit, nondum assuetudine collegit habitum, pudore facile sanari possit. In hujusmodi decet pastores, Jesu civilitatem imitari, qui domi paucis adhibitis arbitris non magno negotio puellam erexit. Sic enim lapsis sufficit privata objurgatio, ne prolato in publicum crimine, vel pudorem exsuant, vel immodica tristitia absorbeantur. Primus lapsus si per imbecillitatem accidat, facillime corrigitur. Difficilior est ejus curatio, cujus malitia jam in publicum emanavit, difficillima qui longa peccandi consuetudine callum duxit. Et ideo puellam in privatis ædibus, paucis admissis, verbo erigit. Cæterum adolescens, qui per bajulos efferebatur, majusculo negotio revocatur ad vitam. Plorat mater una cum turba comitante. Effertur adolescens. Primum audit mater, noli flere. Deinde contacto loculo sistuntur bajuli, mox inclamatur adolescens: Heus tibi dico, surge. Ille primum erigit sese ac residet in loculo, post incipit loqui. Tandem exsiliens redditur matri. Cæterum Lazari monumentum, quasi nesciat, jubet sibi commonstrari, semel atque iterum solvitur Jesus in lachrymas, ac turbatus infremit spiritu, jubetur tolli lapis, valida voce evocatur, mortuus prodit, sed vinctus. Tandem solvitur, & cibum capit. Christo quidem nihilo difficilius erat suscitare quatriduanum cadaver, quam modo exanimatum, qui in supremo die per Angeli vocem mortalium omnium corpora, ante tot annorum millia sepulta, revocaturus est ad vitam; sed hac imagine nos docere voluit, quam ægre resipiscunt, qui diu vitiis assueverunt: non ut de his desperemus, sed ut maturius studeamus resipiscere, majorique studio adnitamur, ut tales quoque redeant ad bonam mentem. Quin & illud annotatu dignum arbitror, quod quum Jesus à Gerasseno Dæmoniaco prædicari voluerit, Archysinagogo silentium præcepit. Siquidem invida Synagoga conata est obruere gloriam Domini Jesu, quæ post etiam cæsis Apostolis denuntiavit ne nominis Jesu facerent mentionem. Verum, nihil profecit horum invidentia. Quo magis illi contenderunt salutiferum Jesu nomen opprimere, hoc latius prædicatur inter gentes. Silent Sacerdotes, reclamant Pharisæi, convitiantur Scribæ, deridet Herodes, sed laudant idololatræ, raptores, incesti, adulteri, per Euangelii gratiam à pristinis vitiis, velut à sævissimis Dæmoniis, subito liberati.

CAP. VI.

Pabrigena: emittit binos: Baptista necatur: Pascit: calcat aquas: languida membra valent.

1 Et egressus inde, abiit in patriam suam; & sequebantur eum discipuli sui:

1 QUOCUNQUE locorum, quacunque occasione sese confert, aut recipit Dominus Jesus, ubique sui similis est, salutem adfert, ut interim comites discipulos admoneat, nusquam esse cessandum ab Euangelico negotio, sed semper hoc per omnem occasionem agendum, ut ex malis reddamus bonos, ex bonis meliores, sive domi contingat vivere, sive peregre, sive in publico, sive in privato. Quin & in navibus, in vehiculis, in familiaribus colloquiis, in conviviis, denique & in jocis ac lusibus, qui vere præditus est Euangelica bonitate, semper aliquos dimittit meliores. Jesus igitur, qui Gerasenos adire tentarat, ne videretur in alienos propensior quam in suos, relictis locis Lacui vicinis, recepit sese in patriam suam. Nam hunc nominis honorem promeruit Nazareth, quod illic Dominus fuerit enutritus, diuque versatus. Comitati sunt illum discipuli, jam assectatores perpetui.

2 Et facto sabbato cœpit in Synagoga docere: & multi audientes admirabantur in doctrina ejus, dicentes: Unde huic hæc omnia? & quæ est sapientia, quæ data est illi; & virtutes tales, quæ per manus ejus efficiuntur?

2 Porro quum advenisset dies sabbati, quo ex laudatissimo more Judæi consueverunt convenire, non ut ineptis spectaculis, aut inanibus fabulis, aut profanis lusibus, aut supervacaneis cantiunculis sacrum tempus fallerent, hoc est, perderent, sed religiosa confabulatione Legem Domini vel discerent, vel docerent: ingressus est & Jesus, exemplum hoc suis commendaturus, ut omnes intelligerent, quam indecorum nobis esset futurum, quum Judæis tanto studio fuerit, carnalem Legem nec absolutam, nec perpetuo duraturam, & à Mose proditam perdiscere, si non pari vel attentiore cura Philosophiam Euangelicam, ab ipso Dei Filio traditam, studeamus cognoscere. Quum igitur doceret in Synagoga Jesus, apud multos hoc ipsum elevavit illius auctoritatem, quod juxta carnem notus esset. Noverant tenues parentes, & humilem domum unde prodierat: de Patre cœlesti, deque domo æterna, unde nostra causa descenderat, ne per somnium quidem aliquid suspicabantur. Noverant artem paternam, qua Joseph familiam alebat, quam primis annis & ipse Jesus exercuerat. Erat autem faber lignarius, opificio videlicet congruente ei, per quem Pater cœlestis mundum hunc universum fuerat olim fabricatus. Per fabrum conditum est genus humanum, per fabrum decuit & restitui. Proinde quibus notus erat Jesus, qui usque ad annum ferme trigesimum vixerat apud suos, nihil præ se ferens Pharisaicæ doctrinæ, quum audirent eum magna cum auctoritate docentem, quæ nunquam audierant à doctissimis Pharisæis, vehementer admirati sunt, dicentes inter sese: Unde hic subito factus est alius? *Unde huic hæc omnia? Et quod est hoc novum sapientiæ genus, quæ data est illi? Et unde tam præsens vis in edendis miraculis*, quantam nec in ullo Prophetarum audivimus fuisse? Quum paucis mensibus abfuerit, quomodo repente mutatus nobis rediit?

3 Nonne hic est faber, filius Mariæ, frater Jacobi, & Joseph, & Judæ, & Simonis? nonne & sorores ejus hic nobiscum sunt? & scandalizabantur in illo.

3 An non hic est Jesus ille, faber, & fabri Joseph Mariæque tenuis & humilis mulierculæ filius? Nonne & hunc novimus, & totam illius cognationem? An non hîc apud nos vivunt, illi proxima cognatione juncti, fratres & sorores? Itaque subinvidebant Jesu, nuper humili cognito, nunc repente sublimi.

4 Et dicebat illis Jesus: Quia non est propheta sine honore nisi in patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua.

4 Siquidem scandalo fuit illis, nimium nota carnis imbecillitas. Id quum intellexisset Dominus Jesus, ait: *Nusquam Propheta contemtior est, quam in patria sua, & inter affines suos, ac domesticos.* Male convenit spirituali negotio cum carnis affectibus. Nec omnino decet Prophetam vere Euangelicum, qui docet hujus mundi contemtum, qui promittit gaudia cœlestis patriæ, qui docet renascendum esse per baptismum in Christo Jesu, qui docet mortificanda membra, quæ sunt super terram, ut spiritu viva-

Digitized by Google

vivamus in cœlis: hîc noſſe patriam, domum, notos aut cognatos, aut amicos: nec mirum, ſi terreni cives non agnoſcunt alterius patriæ jam factum municipem.

5 Et non poterat ibi virtutem ullam facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curavit: & Et mirabatur propter incredulitatem eorum, & circuibat caſtella in circuitu docens.

5 Itaque Jeſus, quum eſſet omnipotens, & cuperet ſervare quam plurimos, non potuit illic apud ſuos edere multa miracula, nimirum obſtante notorum & cognatorum incredulitate. Quum enim apud alios genus omne morborum à plurimis facile profligaſſet, Dæmonia ejeciſſet, leproſos ſanaſſet, hîc paucos duntaxat ægrotos reſtituit, idque manibus impoſitis.

6 Jeſus igitur velut admirans ſuorum tantam incredulitatem, diſceſſit illinc, obambulans per vicos undique vicinos, ubique ſpargens ſemen Euangelicum: Hoc facto ſubmonebantur diſcipuli, ne in Euangelico negotio fiderent affectibus humanis: nam quod Jeſu venit uſu in patria ipſius, hoc illis erat eventurum in Judæa: ſed eo ſe conferrent, ubicunque viderent ſpem copioſi proventus. Illic autem eſt fructus uberrimus Euangelicæ prædicationis, ubicunque prona eſt credulitas. Ea nec eſt inter cognatos, nec inter Phariſæos, nec apud Reges. Contemnunt cognati, Phariſæi invident, Reges irrident ſtultitiam crucis.

7 Et vocavit duodecim: & cœpit eos mittere binos, & dabat illis poteſtatem ſpirituum immundorum.

7 Jam autem tempus erat, ut Apoſtoli, quos Euangelicæ functioni deſtinarat, jamque aliquandiu aſſidui comites fuerant Jeſu, præluderent ſuo muneri, ducique ſuo ſpecimen aliquod darent induſtriæ fideique ſuæ. Accerſit igitur ad ſe duodecim illos, quos ad hoc munus ut præſtantiſſimos ſelegerat, ſimulque collectos omnes eodem inſtruit ſermone, ne quid inter ſeſe diſcreparent ab eodem præceptore miſſi, & iiſdem mandatis adſtricti. Quoque major eſſet fructus, emiſit illos binos: per jugum admonens nos fraternæ caritatis, ſine qua nullus eſt Euangelii fructus: ac veluti præfectis quibuſdam, ſuam cuique pari provinciam deſignabat. Nam id expediebat propagando regno Euangelico. Emiſit autem inermes ac nudos, ne quid hîc in cœleſti negotio ſibi vindicarent mundana præſidia. Porro ne levis eſſet piſcatorum & idiotarum auctoritas, addidit illis, quod hujus mundi Monarchæ ſuis legatis ac præfectis dare non poſſunt. Tradidit enim illis poteſtatem tollendi morbos, ejiciendi Dæmones. Quid ſimile poteſt Cæſar? Vim auri, copias, ſecures, machinas dare poteſt, quibus abundat ipſe: cæterum nullus Cæſaris præfectus tantam habet potentiam, ut vel oculis lippis, invocato Cæſaris nomine, mederi queat. Et hanc ipſam poteſtatem ſic impartiit ſuis, ut ea gratis opitularentur omnibus, quibus eſſet opus.

8 Et præcepit eis ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum, non peram, non panem, neque in zona æs, 9 Sed calceatos ſandaliis, & ne induerentur duabus tunicis.

8 Jam quo forent expeditiores ad munus, quod ſtrenuum minimeque ceſſantem adminiſtratorem flagitat, præcepit eis, ne quid impedimentorum, commeatus, aut armorum, ſecum deferrent in hac profectione, præter virgam tantùm: non peram reponendo commeatui: ac ne panem quidem, qui vel ſine pera circumferri poteſt: neque zonas ære onuſtas:

9 Neque tibias munirent ocreis, ſed duntaxat ſandaliis plantas pedum adverſus ſaxorum aut veprium injuriam defenderent; ſimplicique veſte contenti eſſent. Hæc inſtructio Jeſu eo tendebat, ut rudibus adhuc diſcipulis craſſa quadam ratione inculcaret, eum, qui ſuſcipit functionem Euangelicam, oportere vacuum & expeditum eſſe ab omni ſollicitudine rerum corporalium, ne quid interveniat, quod profectum doctrinæ cœleſtis remoretur. Ut negotium erat longe diverſum à negotiis hujus mundi, ita legationis eſt nova ſpecies. Accipiunt doctrinæ formam, ne quid audeant docere quod à præceptore traditum non eſſet. Habebant hoc cum humanis legationibus commune, in quibus capitale eſt præterire præſcriptum mandatorum. Ab uno mittuntur omnes pari poteſtate, ne qua naſceretur inter eos æmulatio. Bini mittuntur, ut fraternæ concordiæ meminiſſent; & frater fratrem ſublevaret. Ad diverſa mittuntur loca, quo latius pateret Euangelii fructus. Additur poteſtas medendi morbis, ſed in nomine Jeſu, ut quemadmodum alienam doctrinam ſuſceperant bona fide diſpenſandam, ita ſcirent eſſe Domini virtutem, non ipſorum, qua morbos propellerent. Vetuit ne peram circumferrent, ne panem, ne pecuniam, ne binas tunicas, ut tota fiducia penderent à promiſſione præceptoris ſui, hujus præſidio confiderent ſe tutos fore adverſus omnem violentiam adverſariorum, hujus providentia ſcirent ſibi nihil defuturum, quod ad temporariam corporis neceſſitatem attineret. Porro quum voluptati nihil ſit ſatis, neceſſitati naturæ minimo ſatis fit. Nec enim Dominus hoc animo loquutus eſt iſta, quaſi fas non eſſet unquam futurum, eos, qui tractant rem Euangelicam, aliquid neceſſariæ ſarcinulæ aut pecuniæ ſecum ferre, quum id non vereantur & hodie facere Apoſtoli. Imo fortaſſis plus laudis mereatur, ſi quis ſuo ſumtu doceret Euangelium. Sed hoc genus hyperbolis voluit ſuis craſſis adhuc & rudibus penitus eximere ſollicitudinem earum rerum, quæ ſolent remorari animum, cœleſte quippiam molientem. Alioqui ſciebat illis in mentem venturum: Mittis nos ad regiones ignotas, exponis nos nudos & inermes variis periculis. Sed quis paſcet, ſi fames: quis defendet, ſi qua vis: quis veſtiet, ſi rigor inciderit? Vis nos docere gratis, & vis ſanare gratis. At multis rebus eget, qui vivit peregre. Hanc ſollicitudinem anxiam & ſordidam, quoniam plerunque ex diffidentia naſcitur, Jeſus ſtuduit ex animis ſuorum revellere, ut talis negotii magnitudine indignam. Porro ſermonis tropus ad hoc valet, ut altius inſideat animis rudibus, quod traditur. Neque enim peccaret, ſi doctor Euangelicus apud Getas uteretur calceis, aut duabus tunicis: aut ſi ad Libycas arenas, aut inhoſpitalem gentem profecturus, commeatus atque etiam pecuniæ nonnihil ſecum ferret. Sed quicquid remoratur Euangelii profectum, rejiciendum eſt. Jam mihi cogita, quanta ſarcina gravati proficiſcantur ad Euangelicum negotium, qui regales opes circumferunt, qui dignitates, qui voluptates hujus mundi, qui vindicandi libidinem, ſi quid occurrat moleſti, ſecum portant. In animo ſarcina eſt potius quam in peris aut veſtibus. Has ſarcinas omnes qui non abjecerit, non eſt idoneus legatus Jeſu Chriſti. Itidem tropus eſt in his, quæ permittit: permittit enim virgam & ſandalium: leviſſimum enim calceamenti genus eſt ſandalium, & ſic pedes defendit ab injuria, ut non impediat celeritatem. Idem itaque monet, qui permittit ſandalia, & qui vetat uti calceis: prohibet enim ceſſationem, & hortatur ad celeritatem. Rurſus idem monet, qui permittit virgam, & qui adimit baculum. Etenim virga ſublevat ambulantem, nec remoratur iter, ſed promovet. Baculus autem ut onerat, ita adverſus vim geſtari ſolet. Itaque qui concedit virgam, ac præterea nihil, & qui interdicit baculum, vult Euangelicum præconem non alio præſidio ſecurum eſſe adverſus malorum inſultus, quam præſidio Chriſti. Virga viatori convenit, baculus pugnaci. Porro qui tractat rem Euangelicam, ſemper progredi debet ad perfectiora, ab ulciſcendi ſtudio debet quam longiſſime abeſſe.

10 Et dicebat eis: Quocumque introieritis in domum, illic manete donec exeatis inde:

10 Hac igitur ſollicitudine revulſa ex animis Apoſtolorum, pergit illis commonſtrare rationem, qua futurum eſſet, ut nihil eſſet neceſſe talium rerum cura torqueri: Ne ſitis, inquit, ſolliciti, neque de diverſorio, neque de cibo. Sed ingreſſi vicum aut civitatem, quæcunque domus vos exceperit, etiamſi ſit tenuis & humilis, illic permanete, donec alio vocante Euangelii profectu, viſum fuerit inde diſcedere. Pauci & parvo contenti, non eritis cuiquam graves hoſpites. Vix fieri poterit, ut uſquam ſit tam deplorata civitas, in qua nullus reperiatur, qui tales hoſpites non ſit cupide recepturus,

Digitized by Google

quum ſint qui medicum magno conducant, & è longinquo accerſant.

11 *Et quicumque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus veſtris in teſtimonium illis.*

11 Quod ſi domus aut civitas contigerit tam ingrata, ut vos ultro deferentes cœleſte munus, quo ſanentur & corpora & animi, non recipiant, nolite ob paucorum duritiem deſiſtere à ſuſcepto negotio, ſed ad tempus relicta ea civitate, pergite ad alias, verum exprobrata prius ſua dementia iis, qui vos noluerant recipere. Exeuntes enim in plateas, excutite pulverem, pedibus veſtris hærentem, ut meminerint & intelligant veniſſe, qui gratis ſalutem obtuliſſent, nuntiumque multo omnium lætiſſimum: nec tantum bonum ullo præmio penſari poſſe, nec invito cuiquam aut faſtidioſo mercem tam pretioſam obtrudendam eſſe: ſibi imputent exitium ſuum, qui perire maluerint, quum licuerit ſanari; vos nihil aliud venatos eſſe apud illos niſi ſalutem proximorum, ut ne pulveris quidem jactura volueritis illos afficere. Hæc ſuperbia decet meos legatos adverſus contumaces ac faſtidioſos. Unum autem illud illis abeuntes vel nolentibus ingerite, dicentes: Scitote jam adeſſe regnum Dei, ſive recipitis, ſive non recipitis: ſi recipitis, veſtro bono venit: ſin rejicitis, magno veſtro malo tamen venturum eſt.

12 *Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent:*

12 Hoc viatico inſtructi legati Jeſu, reliquerunt Dominum ſuum, ac ſicut erant juſſi, provocabant omnes ad pœnitudinem vitæ ſuperioris: jam enim adeſſe regnum Dei, quod per fidem Euangelicam adferret omnibus perfectam juſtitiam. Nam id Euangelicæ prædicationis & caput eſt & initium, credere quod audis, & fidere promiſſis. His atque hujuſmodi multis ſermonibus quum diligenter inſtruxiſſet ſuos Dominus Jeſus, profecti ſunt duodecim regni cœlorum proceres, & ſucceſſit res: denuntiabant omnibus ut pœnitentiam agerent ante actorum malorum, neque quiſquam fideret ſuis factis, ſed tantum promiſſis Euangelicis. Et invenerunt qui prædicationem pronis acciperent auribus.

13 *Et dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & ſanabant.*

13 Nec defuit miraculorum parata vis, quæ fidem conciliaret dictis hominum quamlibet humilium & ignotorum. Ungebant oleo ægrotos, & ſanabantur: jubebant in nomine Jeſu exire Spiritus noxios, & exibant. Non erat illud oleum pharmacum, (quis enim eodem pharmaco medetur morbis omnibus) ſed ſacramentum. Oleum viſibile inungebatur cuti, & ſanabatur corpus: ſed oleum Euangelicæ gratiæ per unctum noſtrum Jeſum erat inungendum animis, mox à morbis vitiorum ſanandis. Ita nec Magorum erant preces, quibus exigebant Dæmones, ſed verba erant Euangelica fide efficacia. Nimirum hæc erat vis regni cœleſtis. Quid humilius, quid contemtius Apoſtolis? Sed quo minus erat illis roboris, hoc magis liquebat virtutis eſſe divinæ quod agebatur. Nec opes habebant, nec litteras, nec magiſtratum, nec ſatellitium, nec generis claritatem, nec famam, nec auctoritatem. Nihil habebant niſi ſimplicem fiduciam erga nondum ſatis cognitum Jeſum.

14 *Et audivit rex Herodes, (manifeſtum enim factum eſt nomen ejus) & dicebat: Quia Joannes Baptiſta reſurrexit à mortuis: & propterea virtutes operantur in illo.*

14 His rebus in dies magis ac magis inclareſcebat fama Jeſu, adeo ut nomen ejus innoteſceret etiam Herodi Regi. Jeſus enim ſero innoteſcit Regibus, quibus oportuit maxime, nec ullis infelicius. Quum autem Jeſu miracula tam eſſent crebra, tamque evidentia, ut nemo poſſet cauſari commentitia: tam ſalutifera, ut nullus calumniari poſſet ea per malos Dæmones geri: quumque multi varias ſententias proferrent de Domino, tandem & ſuam depromſit Herodes: *Joannes*, inquit, *reſurrexit à mortuis, & ob hoc nunc pollet edendis miraculis.*

15 *Alii autem dicebant: Quia Elias eſt. Alii vero dicebant: Quia propheta eſt, quaſi unus ex prophetis.*

15 Rurſus alii, ſumta conjectura ex vaticinio Malachiæ, dicebant Jeſum eſſe Eliam, cujus reditus promittitur ante diem Domini magnum & horribilem. Erant qui negarent illum eſſe Eliam, cujus apud Judæos ſumma erat auctoritas, ſed unum quempiam ex mediocribus Prophetis, qui revixiſſet.

16 *Quo audito Herodes ait: Quem ego decollavi Joannem, hic à mortuis reſurrexit.*

16 Quorum ſententiis auditis, Herodes perſtitit in ſua, dicens: Imo hic eſt ipſe Joannes, quem ego decollavi. Is revixit, ac jam divus factus operatur humanis viribus ſuperiora. Nullus erat horum, qui non crederet reviviſcere corpora. Et hodie tamen multi ſunt, qui negant revixiſſe Chriſtum. Atque hîc ut intelligas quam ſint impiorum præpoſtera judicia: Joannem, qui nullis miraculis inclaruerat, credunt revixiſſe: Jeſum, cujus tot modis divina virtus declarata eſt, pertinaciſſime negant revixiſſe. Quin etiam Regum impiorum ſtoliditatem conſidera: fatetur Herodes Joannem revixiſſe, fatetur illum nunc demum plus valere quam valuerat vivus, & tamen propemodum jactat, quod illum occiderit, paratus eum & rurſum occidere, ſi licuiſſet. Tanti facinoris occaſionem audire eſt operæ pretium.

17 *Ipſe enim Herodes miſit, ac tenuit Joannem, & vinxit eum in carcere, propter Herodiadem uxorem Philippi fratris ſui, quia duxerat eam.*

17 Nam Herodes inceſtæ mulieris inſtinctu juſſit apprehendi Joannem, ac detrudi in vincula, non ob ullum crimen, ſed propter Herodiadem Aretæ Regis filiam, quæ quum prius eſſet locata Philippo Tetrarchæ Iturææ, & Trachonitidis, orta ſimultate Areta abduxit à genero, cui jam pepererat filiam, & huic Herodi fratri Philippi, ſed inimico, matrimonio junxit.

18 *Dicebat enim Joannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui.*

18 Joannes autem, quo magis Eliam referret, qui magna libertate reprehendit Achab & Jezabelem, non tulit inceſtum conjugium, dixitque Regi: *Non eſt fas te* domi *habere conjugem fratris tui*, nec ſterilis, & adhuc ſuperſtitis.

19 *Herodias autem inſidiabatur illi: & volebat occidere eum, nec poterat.*

19 Herodias autem, quæ jam exciderat à priore matrimonio, metuens ne Joannis opera ab hoc quoque excluderetur, inſidiabatur ei, captans occaſionem occidendi illum, nec ſuccedebat.

20 *Herodes enim metuebat Joannem, ſciens eum virum juſtum & ſanctum: & cuſtodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.*

20 Herodes enim, tametſi non amabat ex animo Joannem, tamen verebatur ac metuebat illum. Ea vis eſt veræ virtutis, ut etiam Regibus ſit formidabilis. Sciebat enim illum virum juſtum ac ſanctum, & obſervabat eum, multiſque in rebus illius conſiliis obtemperabat, ac libenter eum audiebat. Hæc obſtabant, quo minus impia mulier poſſet Joannem exſtinguere. Aderat malus animus, ſed deerat occaſio, quæ tantum deeſt malis ut lædant.

21 *Et cum dies opportunus accidiſſet, Herodes natalis ſui cœnam fecit principibus, & tribunis, & primis Galilææ.*

21 Dies natalitius Herodis ad impium facinus idoneus advenit. Decuit enim impii Regis natalem, ſanctiſſimi viri morte funeſtari, mediumque luxum ac delicias aulicas crudeli morte innocentis inquinari.

22 *Cumque introiſſet filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet, & placuiſſet Herodi, ſimulque recumbentibus, rex ait puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi:*

22 Quum igitur magno luxu faſtuque inſtructa cœna natalitia exhiberetur principibus, tribunis ac primatibus Galilææ, quo plures haberet ſuæ crudelitatis teſtes, ingreſſa eſt convivium puella Herodiadis ac Philippi filia, ut indecora laſcivaque ſaltatione delectaret convivas. Quo turpius ſaltabat, hoc magis placuit convivis, ac Regi jam bis inſano, ut qui præter amorem inceſtæ mulieris etiam vino incaluerat. Itaque Regali magnificentia dixit puellæ: Poſce à me quicquid voles, nihil enim fruſtra popoſceris.

23 *Et juravit illi: Quia quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei.*

23 Quoque majorem fiduciam àdderet puellæ petendi quicquid collibuiſſet, temulentum promiſſum jurejurando confirmavit: *Quicquid petieris, etiamſi dimidium regni mei petieris, dabo tibi.* O vocem ſtultiſſimo ac temulento Rege dignam.

24 *Quæ cum exiſſet, dixit matri ſuæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Joannis Baptiſtæ.*

24 At puella, quemadmodum hanc fabulam matris inſtinctu cœperat agere, (nam illa diem, locum & horam obſervarat, illa ſaltatriculam inſtruxerat) non audet illico pronuntiare quid peteret, ſed egreſſa è convivio *conſulit matrem, dicens: Jurejurando Rex confirmavit ſe daturum quicquid petiero. *Quid igitur petam?* Hîc merito locus erat hæſitandi, ne tanta periret opportunitas. At inceſta mulier nihil cunctata: neque quicquam carius habens morte ſanctiſſimi viri, reſpondit: *Pete caput Joannis Baptiſtæ.*

25 Et ô docilem ad flagitium ac morigeram filiam.

25 *Cumque introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad*

* Alia Editio, *conſuluit.*

Digitized by Google

egem, petivit dicens: Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ.

Illico reversa est in conclave. Submonuit & hoc mater ut properaret, prius quam ille fervor animi regii refrigesceret. Adit itaque Regem, & incestæ saltationis præmium poscit, dicens: unicum duntaxat missum peto: *Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ.*

26 Et contristatus est rex: propter jusjurandum, & propter simul discumbentes, voluit eam contristare:

[26] Hic mihi vide præposteram Regis impii religionem. Quum nihil sit illis familiarius, quam omnia fœderum ac religionum vincula dirumpere, hic religiosa religione stultissimi jurisjurandi constrictus est, præsertim quod tot testibus prodidisset. Itaque ne videretur parum bonæ fidei, si quod forte per Regium diadema, aut genium suum, aut saltatriculæ caput jurasset, non præstaret: neve parum humanus, vel puellam tristiorem dimisisse videretur, vel convivarum, quibus puella placuerat, hilaritatem aliqua mœroris nubecula obfuscaret: ô fidem ac religionem, ô civilitatem atque humanitatem annalibus dignam.

27 Sed misso spiculatore præcepit afferri caput ejus in disco. Et decollavit eum in carcere,

[27] Nulla mora, mittitur carnifex, adfertur sacrum caput innocentissimi viri, veluti missus quidam, in disco. Traditur puellæ, puella reddidit matri suæ, munus dimidio regni carius. Hoc tam funesto spectaculo stultus & insanus Rex gratificatus est incestæ mulierculæ, natalemque diem honestavit.

28 Et attulit caput ejus in disco: & dedit illud puellæ, & puella dedit matri suæ.

[28] Rex occidit, carnifex adfert caput, puella impetrat, ad matrem horum malorum artificem ac fontem redit ferale præmium. Et ô convivas interim tali convivatore dignos. Nullus erat Regi tam amicus, qui rem tam nefariam interpellaret. Et postea miramur, si Reges aliquando audent nefaria, quum tales habeant animos, incestis amoribus & crapulæ deditos, convictores vel timidos vel crudelitatis fautores.

29 Quo audito, discipuli ejus venerunt, & tulerunt corpus ejus: & posuerunt illud in monumento.

[29] Hujus facti rumor quum perveniisset ad discipulos Joannis, abstulerunt corpus ejus, & honorifice dederunt sepulturæ. Quanquam in his rebus latet aliquid reconditioris sensus. Joannes tametsi Legis typum gerebat, tamen ut Euangelii præcursor Euangelico præmio donatus est, nimirum gloriosa morte, sed tamen diversa à morte Domini. Siquidem huic clam amputatum est caput, jam aliquamdiu vinculis adstricto in carcere. Christus palam sublatus est in crucem. Carceris tenebræ congruunt Legis umbris ac figuris, eas oportebat cedere luci Euangelicæ jam exorienti. Et imminui conveniebat ceremonias carnales, ut augesceret spiritualis libertas: & adstringi oportebat quod erat timoris, ut latius sese panderet fiducia, & caritas Euangelica. Denique decebat amputari caput humanum, ne quod jam caput agnosceret Ecclesia, præter unum Jesum. Itaque Lex quodammodo occisa, & cum honore elata, locum dedit Domino Jesu, spiritualem Philosophiam prædicaturo. Etenim quod Euangelio fidimus, magna ex parte debemus Veteri Testamento, quod nobis tot retro seculis Jesum Christum umbris ac figuris delineavit, Prophetarum vaticiniis promisit ac depinxit.

30 Et convenientes Apostoli ad Jesum, renuntiaverunt ei omnia, quæ egerant, & docuerant.

[30] Dum hæc aguntur, redeunt à peracta legatione Apostoli, & simul sese congregant ad Jesum, totius negotii caput. Ab eo proficiscuntur omnia, ad eundem omnia referantur oportet. Ab eo mandatis acceptis discesserant concorditer, ut in illius nomine pariter agerent quicquid agerent, ad eundem concorditer redeunt, cupientes approbari quod gestum erat. Exponunt itaque totius legationis historiam, magna alacritate commemorantes singula, quæ docuerant, quæque gesserant, & quam res ex animi sententia successisset.

31 Et ait illis: Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. Erant enim qui veniebant & redibant multi: & nec spatium manducandi habebant.

[31] Dominus autem comprobata illorum sincera fide, sed coercita gloria, abduxit illos in locum solitarium, in desertum urbis Bethsaidæ, ut aliquantulum refocillarentur à tantis laboribus ac respirarent. Non datus est secessus ad voluptatibus laxandum animum, sed ad secreta precatione vegetandum renovandumque spiritus vigorem mox recursuris laboribus. Nam doctori Euangelico sane quam levis debet esse cura corporis. Porro qui fungitur Apostolico munere, quoniam cum infirmis ac firmis, cum doctis & indoctis, cum bonis ac malis rem habere cogitur, fieri non potest, quin interdum ab illa perfecta tranquillitate mentis nonnihil labefactetur. Id quoties accidit, ad secretas & intentissimas preces, ad purissimam rerum cœlestium contemplationem animus est traducendus, ut mox vegetior factus, ad juvandum proximum redeat. Siquidem ubi tum temporis offenderunt Dominum Jesum, innumera hominum turba ventitabat ad Jesum, ut æstuariæ quædam vices viderentur venientium & abeuntium, qui adeo nullam quietem permittebant Apostolis ex itinere lassis, ut ne cibi quidem sumendi daretur spatium.

32 Et ascendentes in navim, abierunt in desertum locum seorsum.

[32] Itaque dimissis turbis & conscensa navi, petierunt littus Bethsaidæ vicinum, atque inde in locum desertum sese cum Domino receperunt. Verum, nec hic contigit diu latitare. Nec enim potest abscondi lux Euangelicæ veritatis.

33 Et viderunt eos abeuntes, & cognoverunt multi: & pedestres de omnibus civitatibus concurrerunt illuc, & prævenerunt eos.

[33] Secessus hic nihil aliud, quam irritavit & acuit hominum desideria. Observatum est à quibusdam, quo se contulisset, nimirum in desertum spectans civitatem Bethsaidæ: moxque rumore sparso quod illic ageret, magna vis promiscuæ multitudinis ex omnibus vicinis oppidis eo pedestri contendit itinere, sic ut prius eo pedites pervenerint multi, quam ipse Dominus cum discipulis, etiam navigatione adjutis. Dicas adesse tempus, quo vi pararent irrumpere in regnum Dei.

34 Et exiens vidit turbam multam Jesus, & misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem, & cœpit illos docere multa.

[34] Jesus ubi sensit innumeram hominum multitudinem undique difficili ac pedestri itinere confluxisse, adeo non subduxit sese, nec abegit importunos, ut è secessu suo velut obviam prodierit: nimirum hoc interim agens, ut variis modis formaret discipulos suos, & institueret ad promtitudinem sine cessatione promovendi negotium Euangelicum. Itaque progressus clementissimus Jesus, ubi conspicatus est numerosam quidem, sed promiscuam & incompositam turbam puerorum, virorum ac mulierum, tactus est misericordia, ac sincerum animi dolorem ipsis oculis, ipso vultu, atque ipsa, quod ajunt, fronte præ se tulit, fingens ac formans affectum doctoris Euangelici. Sitiebant salutarem doctrinam. Id arguebat itineris & celeritas & difficultas. Amor pedibus alas addiderat, sed erant velut oves huc & illuc palantes ob boni pastoris inopiam. Siquidem Sacerdotes, Pharisæi & Scribæ, neglecto grege, pascebant semetipsos. Jesus itaque misertus simplicis & inconditæ multitudinis, cœpit agere fidum pastorem. Primum multo doctrinæ sacræ pabulo refecit illorum animos, mox sanabat, quos secum adduxerant, ægrotos.

35 Et cum jam hora multa fieret, accesserunt discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus hic, & jam hora præteriit:

[35] His rebus quum jam multum temporis consumtum esset, jamque res ipsa moneret, corporis quoque cibo reficiendam esse multitudinem, discipuli, præceptoris clementiam imitantes, submonent illum: Domine vides infinitam multitudinem, absque commeatu hucusque profectam. Et locus hic desertus est, jamque tempus reficiendi corpora præteriit. Obliviscuntur sui, tuis sermonibus inhiantes, nec possunt divelli.

36 Dimitte illos; ut euntes in proximas villas & vicos, emant sibi cibos, quos manducent.

[36] Itaque *dimitte illos, ut eant in proximas villas ac vicos, emantque sibi cibos, quos edant.*

37 Et respondens ait illis: Date illis vos manducare. Et dixerunt ei: Eunles emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare.

[37] Tum Jesus instituens suos, quomodo sit pascenda multitudo, respondit: Quin potius vos, qui pastores estis futuri, nunc agere pastores consuescite, ac de vestro date illis quod edant. Porro discipuli nondum intelligentes quo tenderet hic Jesu sermo, pro rudi captu suo responderunt: Rem mandas nobis impossibilem, scis enim quam tenuiter simus instructi viatico: *An ibimus & ducentis denariis ememus panes huic multitudini, adeo non sufficturos ad sa-*

Digitized by Google

ſatietatem, ut ſinguli vix paulum quiddam guſtaturi ſint?

38 *Et dicit eis: Quot panes habetis? ite, & videte. Et cum cognoviſſent, dicunt: Quinque, & duos piſces.*

38 Tum Jeſus, paulatim animos illorum miraculo præparans: *Quot*, inquit, *panes habetis?* Quum non haberent in promtu quod reſponderent: Ite, inquit, & inſpicite quam ſitis inſtructi commeatu. Inſpiciunt, & renuntiant eſſe quinque panes ac duos piſces.

39 *Et præcepit illis, ut accumbere facerent omnes ſecundum contubernia ſuper viride fœnum.*

39 Non latebat Dominum, quantum haberent, ſed voluit Apoſtolis exploratam eſſe paucitatem, quo magis agnoſcerent in miraculo virtutem divinam. Quoque magis etiam animadverterent quanta eſſet hominum multitudo, præcepit ut omnes juberent in virenti gramine diſcumbere, ſic diſtributos in ſodalitia, ut in ſingulis centum aut quinquaginta ſimul accumberent.

40 *Et diſcubuerunt in partes, per centenos & quinquagenos.*

40 Paruerunt Apoſtoli Domino, populus paruit Apoſtolis, tanta erat fiducia in paſtore Jeſu.

41 *Et acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus, intuens in cælum, benedixit, & fregit panes, & dedit diſcipulis ſuis, ut ponerent ante eos: & duos piſces diviſit omnibus.*

41 Is igitur accepit quinque panes ac duos piſces, & ex more ſublatis in cœlum oculis, gratias egit Patri, cujus beneficio ſic procederet negotium Euangelicum. Deinde fregit panes, trādiditque diſcipulis, ut apponerent multitudini. Similiter & piſces partitus in partes tradidit diſcipulis, omnibus diſtribuendos.

42 *Et manducaverunt omnes, & ſaturati ſunt.*

42 Refecti ſunt omnes ad ſaturitatem uſque:

43 *Et ſuſtulerunt reliquias, fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piſcibus.*

43 Et adeo nihil cuiquam defuit, ut peracto convivio Apoſtoli ex reliquiis, juſſu Domini collectis, impleverint cophinos duodecim.

44 *Erant autem qui manducaverunt quinque millia virorum.*

44 Porro numerus multitudinis, qui facile poterat deprehendi ex diſtributis per viridaria ſodalitiis, erant quinque virorum millia, præter pueros ac mulieres. Hoc miraculo Jeſus & Apoſtolis ſuis formam præſcripſit, pabulo ſermonis Euangelici paſcendi multitudinem, & anxiam ſollicitudinem exemit parandi commeatus. Quiſquis igitur es Epiſcopus ac paſtor gregis Dominici, noli ſic cogitare: ſum Legis divinæ profeſſor, ſum arcanorum Voluminum peritiſſimus interpres, eſt abunde quod doceam, populoque quamvis eſurienti è divite confertoque eruditionis meæ penu depromam. Inſpice potius & agnoſce quam ſit tibi domi commeatus exſilis, quem & ipſum, quantus quantus eſt, Domino debes. Verum, hoc ipſum facultatis, quod habes, offer manibus Jeſu, roga ut ille contrectet ac frangat: deinde quod ille tradidit, ſic ut tradidit appone populo tanquam Domini cibum, non tuum: & appone nihil hæſitans, nihil dijudicans, nihil tuis fidens viribus, ita demum erit Euangelicum convivium: & ſalutari pabulo per idiotam magis reficientur & explebuntur animi credentium, quam ſi Phariſæus ſuperſtitioſus, aut Philoſophus arrogans, aut Orator eloquens meditata accurataque oratione ſeſe venditaret multitudini. Porro quoniam ante juſſit illos nulla providentia commeatus accedere ad Euangelii negotium, nunc ipſa re declaravit, nihil defuturum iis, qui dum toto pectore ſunt intenti regno Dei & juſtitiæ ejus, negligunt iſta temporaria, quorum ſollicitudine vulgus hominum miſere diſcruciatur, modo adſit fiducia ſimplex erga Dominum Jeſum. Leve beneficium erat ſaturaſſe famelicos, præ his quæ quotidie præſtabat illis benigniſſimus Dominus. Longe benignius eſt paviſſe mentem, quam ventrem. Et tamen hoc quod eſt minimum, craſſum vulgus, ut eſt præpoſtero judicio, ſolet plurimi facere.

45 *Et ſtatim coegit diſcipulos ſuos aſcendere navim, ut præcederent eum trans fretum ad Bethſaidam, dum ipſe dimitteret populum.*

45 Jeſus igitur cognoſcens futurum, ut craſſa multitudo jam ſatura de regno ipſi deferendo cogitaret, compulit diſcipulos ſuos, (nam ægre divellebantur à tam amabili Domino) ut conſcenſa navi, tranſmiſſoque Lacu præcederent Bethſaidam, dum interim ipſe dimitteret multitudinem.

46 *Et cum dimiſiſſet eos, abiit in montem orare.*

46 Ea dimiſſa, furtim ſubduxit ſeſe in montem, ut ibi ſolus deprecaretur Patrem: ut quemadmodum bene cœperat negotium Euangelicum, ita progrederetur.

47 Interim appetebat nox, & diſcipuli ſine præceptore navigabant in medio Lacu. Et oborta eſt tempeſtas. Quid ni nox ſit, ubi non adeſt ille Sol & lux mundi Jeſus? Quid ni periclitetur navis, in qua non eſt Jeſus? Quid ni turbentur Apoſtoli, quum abeſt ille conſolator omnium Jeſus? Quid ni venti reflantes ſucceſſum remorentur humanæ induſtriæ, niſi promoveat Jeſus? Abeſt ille quidem nonnunquam, ſed non deſtituit ſuos in finem. Ad tempus videtur interdum deſtituere, ut exerceat rebus adverſis, ut inſtituat ad firmam de ſe fiduciam. Jam enim è monte deſcenderat, jam ſtabat in littore, ſed ſolus. Non videbatur à diſcipulis, ſed ipſe tamen videt eos. Non oportet igitur deſpondere animum in rebus quantumlibet turbatis atque commotis: hac certa fiducia concepta animo, quamvis nuſquam ſeſe oſtendat Dominus, tamen ſuis non defuturum quum tempus poſtularit.

47 *Et cum ſero eſſet, erat navis in medio mari, & ipſe ſolus in terra.*

48 *Et videns eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis) & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans ſupra mare: & volebat præterire eos.*

48 Jam enim adſtat in littore, & videt eos laborantes in remigando: nam ventus erat adverſus. Quum itaque ſic aliquandiu luctati fuiſſent adverſus undas & ventos hujus mundi, nec multum abeſſent à deſperatione, circa quartam noctis vigiliam, hoc eſt, ſub diluculum, venit ad eos Jeſus, non vectus navi, ſed placide ambulans ſuper undas, (agnovit enim elementum conditorem ſuum) ac præ ſe ferebat quaſi vellet eos præterire. Sic enim patitur aliquando ſuos hærere in malis, quaſi negligat, quum non deponat unquam curam illorum.

49 *At illi ut viderunt eum ambulantem ſupra mare, putaverunt phantaſma eſſe, & exclamaverunt.*

49 Apoſtoli quum per tenebras vidiſſent eum ambulantem ſuper aquas, obliti tot miraculorum quæ viderant, credenteſque non poſſe fieri, ut ſolidum & grave corpus hominis liquidum elementum ſuſtineret, ſuſpicati ſunt eſſe ſpectrum inane, quod oculos vana ſpecie deluderet. Igitur expavefacti, præ metu exclamarunt. Nam ſpeciem Jeſu videbant omnes, nec tamen Jeſum eſſe credebant. His formidabilis eſt Dominus, qui ultorem eſſe credunt, ſervatorem eſſe neſciunt. Nec enim agnoſci poteſt in hujus mundi tenebris, niſi ipſe ſeſe nobis inſinuet.

50 *Omnes enim viderunt eum, & conturbati ſunt. Et ſtatim locutus eſt cum eis, & dixit eis: Confidite, ego ſum, nolite timere.*

50 Non paſſus eſt igitur ſuos diutius exanimari metu, ſed protinus voce jam non ignota compellavit eos, dicens: Eſtote forti animo: ego ſum: nolite timere.

51 *Et aſcendit ad illos in navim, & ceſſavit ventus. Et plus magis intra ſe ſtupebant:*

51 Et ingreſſus navim junxit ſe diſcipulis ſuis, atque illico conſedit tempeſtas. Jam pavori ſucceſſit admiratio, quomodo corpus humanum poſſet ambulare ſuper elementum fluidum.

52 *Non enim intellexerunt de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum.*

52 Tanta erat diſcipulorum tarditas, tanta ruditas, tantaque oblivio, ut non veniret illis in mentem vel illud miraculum, quod paulo ante viderant, quinque panibus ac duobus piſcibus ſaturata tot hominum millia. Tantaque erat caligo cordis, ut pro ſtupenda re ducerent, quod Jeſus ambulaſſet ſuper undas: quum longe prodigioſius eſſet, tantulo cibo tantam ſaturare multitudinem. Hanc tarditatem Dominus in ſuis hærere permiſit, ut & ipſi conſueſcerent imbecillium ferre tarditatem, donec proficerent.

53 *Et cum transfretaſſent, venerunt in terram Geneſareth, & applicuerunt.*

53 Perventum eſt ad littus diluculo: appulerunt autem in terram, quæ dicitur Genezareth, ad portum deſtinatum.

54 *Cumque egreſſi eſſent de navi, continuo cognoverunt eum:*

54 Vix ingreſſus eſt in terram, aderant ex incolis qui agnoſcerent Jeſum. Jam enim eruperat Sol, & abierat nox, quæ occuparat diſcipulorum animos. Obſervabatur enim à multis, quocunque ſe conferret. Jam enim plurimis innotuerat etiam de facie, ſed multo latius ſeſe fama miraculorum doctrinæque ſparſerat.

55 *Et percurrentes univerſam regionem illam, cœperunt in grabatis eos, qui ſe male habebant, circumferre, ubi audiebant eum eſſe.*

55 Porro qui viderant & agnoverant, perinde quaſi velut exploratores veniſſent, continuo relicto eo percurrentes totam illam regionem, renuntiarunt adeſſe Jeſum. Ad eum rumorem plurimi cœperunt ægrotos in grabatis circumferre.

56 *Et quocunque*

56 Et quocunque ſe conferret Jeſus, ſive in villas

Digitized by Google

introibat, in vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent: & quotquot tangebant eum, salvi fiebant.

las, sive in vicos, sive in civitates, aderat importuna turba, magis sollicita de tollendis morbis corporum quam animorum, ac miseranda spectacula variis morbis laborantium exponebant in plateis, ac prætereuntem Jesum deprecabantur, ut liceret vel fimbriam vestis ejus contingere. Tantus enim erat turbæ tumultus, ut vix hoc cuivis dari posset. Neque enim hæc erat Jesu difficultas, qui nec leprosum gravatus est tangere: sed fiduciæ delectabatur exemplo, quod omnibus volebat esse commendatum. Quid ni commendatum sit? Quotquot contingebant Jesum, sanabantur, quocunque genere morbi tenebantur. Illi fidentes contingebant fimbriam vestis, quæ postea cessit his, qui crucifixerant eum, & levabantur morbis corporum: quanto magis adnitendum est omnibus, ut Jesum ipsum contingant animo, & sanentur à morbis animorum? Nihil valet contactus sine fide. Nudum Jesu corpus contrectarunt, qui impegerunt alapas, qui vinciebant, qui flagellabant, qui suffigebant in crucem: neque cuiquam horum profuit contigisse. Legis Euangelium, contingis quidem Jesum: sed legis ut refellas, aut legis oscitanter, frustra contingis Jesum. Lege sincera fiducia, mox sanaberis. Sed deprecandus est Jesus, ut liceat contingere. Fruſtra contingit, quem ille non contigit prior. Si non potes assequi reconditam illam sapientiam, quam Paulus loquitur inter perfectos, vel fimbria contacta restituet sanitati, si fides adsit integra. Nihil tale præstare possunt, quantumlibet latæ Pharisæorum fimbriæ. Nihil est in Domino Jesu tam humile, quod per fidem non præstet salutem.

Cap. VII.

Gignit mens impura malum: non sordida palma:
Mica placet catulis: recta loquela redit.

1 Et conveniunt ad eum Pharisæi, & quidam de Scribis, venientes ab Hierosolymis.

1 Atque hic fuit Euangelii successus apud simplicem & credulam turbam. Sed non idem est apud Scribas & Pharisæos, qui religionis totius ac doctrinæ arcem sibi videbantur obtinere, ac plebejos idiotas vix ducebant pro hominibus. Nam Sacerdotum vix usquam ulla mentio, nisi quum perdendus esset Jesus. Proinde quemadmodum in Comœdiis variantur Scenæ, ut ex personarum ac rerum collata diversitate, singula magis eluceſcant: sic in negotio Euangelico Dominus Jesus ita temperavit vices omnium quæ gerebantur, ut ex perspecta simplicium atque etiam Ethnicorum credulitate, liqueret omnibus, quam esset insanabilis eorum perversitas, per quos conveniebat aliorum incredulitatem corrigi. Rudibus ac plebejis ad salutem sufficit contracta vestis fimbria: Pharisæos nec intellecta Prophetarum oracula, nec audita toties Jesu doctrina cœlestis, nec tot conspecta miracula corrigunt. Commodum igitur, his rebus gestis, conveniunt eodem aliquot Pharisæi & Scribæ, venerabile nimirum ac suspiciendum genus hominum, atque hoc magis, quod venissent ex Hierosolymis, ubi fontem pietatis ac sacræ doctrinæ volebant esse: quum illic esset fons & caput omnis ambitionis, hypocriseos, & impietatis. Hi quum sibi justi doctique viderentur, non veniunt ut discant, non ut sanentur, sed ut calumnientur.

2 Et cum vidissent quosdam ex discipulis ejus, communibus manibus, id est non lotis, manducare panes, vituperaverunt.

2 Et ecce protinus parata calumniandi ansa. Eam porrigit avidis ceremoniarum superstitio, unde fere nascitur omnis inter homines calumnia. Judæi commune vocant, quicquid profanum est & impurum, nimirum abominantes omnem immunditiam, & hoc agentes, ne quid impurum usquam videantur habere. Atque hanc puritatem non animi sinceritate, quæ sola veraque puritas est apud Deum, sed corporalibus ceremoniis metiebantur. Quarum aliquot & Mosi Lex præscripserat, non ut perpetuo serioque servarentur: sed partim ut ad tempus populus rudis & intractabilis consueſceret obtemperare præceptis divinis: partim ut hujusmodi velut umbris ac rudimentis paulatim instituerentur ad ea, quæ sunt veræ pietatis in animo sitæ. Porro quidam non his contenti, quæ Lex præscripserat, innumeras constitutiones de suo adjecerant, quas Pharisæi severius exigebant à populo, quam ea quæ Deus præceperat, semper & apud omnes observanda. Et ex hujusmodi nugis vindicabant sibi laudem sanctimoniæ, populoque stultam sanctimoniæ persuasionem inducebant: quodque sceleratius est, ex his, quæ nihil faciebant ad veram pietatem, impietatis calumniam struebant proximo. Quum enim vidissent aliquot ex Jesu discipulis sumere cibum manibus illotis, hoc est, quemadmodum illi loquuntur, communibus & impuris, vituperabant illos, quasi parum religiosos, simulque præceptorem, qui suos parum sancte institueret. Nec ideo damnant, quod vel per se vitiosum esset, vel à Deo vetitum, sed quia dissidebat ab ipsorum consuetudine. Est autem hæc pessima judicandi regula, ideo damnare quippiam, quod ipse non soleas idem facere. Fit enim sæpenumero, ut quæ stultissima sunt, irrepant in publicam consuetudinem, quam non oportet facere regulam pietatis, quum ex veris ac præscripto Dei sit æstimanda puritas.

3 Pharisæi enim, & omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum:

3 Contra Scribæ ac Pharisæi, atque adeo omnes fere Judæi, stultissime judicantes, animi puritatem in rebus corporalibus esse sitam, adeo superstitiose servabant morem à majoribus, non à Deo traditum, ut etiamsi fame periclitarentur, non caperent cibum, nisi prius lotis manibus. Et si sæpius in die capiendus sit cibus, crebro lavant manus, atque ita se puros arbitrantur ad cibum accedere.

4 Et à foro nisi baptizentur, non comedunt: & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, & urceorum, & æramentorum, & lectorum:

4 Quin etiam si domum è foro redeant, velut è populi contactu contraxerint aliquid impuritatis, non capiunt cibum, nisi loti corpore toto: quum interim mentem habentes odio, livore, ambitione, avaritia, simulatione, cæterisque pestibus inquinatissimam, non cogitent de lavando. Hæc aliaque his consimilia præter Legis constitutiones tradita sunt illis à majoribus, quum Lex ipsa vetet addi demique quicquam ab his, quæ divinitus essent præscripta. Nec satis erat subinde lavare corpus, quo puriores viderentur, frequenter lavabant & urceos, & vasa ærea, & lectos denique.

5 Et interrogabant eum Pharisæi, & Scribæ: Quare discipuli tui non ambulant juxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem?

5 Nec hanc calumniandi scabiem poterant intra se premere Pharisæi, cum discipulis non expostulant, sed velut in atroci facinore Dominum ipsum adoriuntur: *Cur*, inquiunt, *discipuli tui*, qui te sequuntur, & ex tua pendent institutione, *non observant morem à majoribus institutum, sed illotis & impuris manibus capiunt cibum.*

6 At ille respondens, dixit eis: Bene prophetavit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.

6 Jesus autem nos docere volens, nullum esse pestilentius calumniandi genus, quam ubi quis sub prætextu pietatis incessit benefacta proximi, severe retundit illorum malitiam, ac simulatam justitiam: Factis, inquit, vestris declaratis, recte meritoque de vobis hypocritis vaticinatum Esaiam, qui foris speciem habetis sanctimoniæ, quum intus pleni sitis iniquitate. Apud quem hunc in modum queritur Deus: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum procul abest à me.* Et quemadmodum ipsi vivunt, sic alios instituunt. Nihil moror istam corporum & supellectilis munditiem, animi munditiem requiro.

7 In vanum autem me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum.

7 Hoc pietatis genere fucato frustra me colunt, ceu magnum quiddam ostentantes, & in quo sita sit absoluta pietas, docentes humanas constitutiunculas, quæ neminem commendant Deo, atque harum superstitione pro nihilo ducentes præcepta Dei. Quantum interest inter hominem & Deum, tantum interesse decet inter hominum constitutiones & præcepta Dei. Deus spiritus est: & quod spirituale est, perpetuum est, nec unquam oportet negligi. Quicquid corporale est, temporarium est. Si fas est negligere ceremonias à Deo præscriptas, quoties id

Digitized by Google

suadet proximi caritas: quanto minus convenit, ob humanas constitutiones violare Dei præcepta.

8 *Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptismata urceorum, & calicum, & alia similia his facitis multa.*

8 Præpostera pietas est, & irreligiosa religio, superstitiosum esse in observandis his, quæ majores vestri ex suo animo tradiderint, & ea negligere, quæ præcepit Deus. Vos in lotionibus manuum, calicum, urceorum, aliisque multis similibus rebus, præcipuam quandam pietatem collocatis, quæ vos populo commendant falsa quadam religionis imagine, & hanc fucatam laudem pluris facitis, quam auctoritatem Dei. Diligitis enim vos ipsos, nec quæritis gloriam Dei, nec salutem populi, cujus vos profitemini duces ac doctores.

9 *Et dicebat illu: Bene irritum facitis præceptum Dei, ut traditionem vestram servetis.*

9 Proinde non mirum est, si quod à Deo præceptum est, ut semper & ab omnibus servetur, abrogetis & antiquetis, quo maneat humanæ constitutionis auctoritas, quæ vobis conciliat auctoritatem & quæstum. An non palam ita facitis?

10 *Moyses enim dixit: Honora patrem tuum, & matrem tuam. Et: Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.*

10 Nonne per Mosen Deus hanc legem prodidit: *Honora patrem tuum & matrem tuam. Et qui male dixerit patri, vel matri, morte morietur.* Hoc Deus non uno in loco præcipit, sed iterum atque iterum repetit & inculcat animis omnium, ut parentes ætate defectos, aut egentes, aut alioqui necessitate quapiam oppressos, liberi pro sua virili sublevent, ac nutricationis officium rependant. Dictat idem lex naturæ, nonnullis etiam animantibus insita, veluti ciconiis.

11 *Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri, aut matri, Corban (quod est donum) quodcumque ex me, tibi profuerit:*

11 Vos autem vestris commodis consulentes, commentitia doctrina subvertitis præceptum Dei: & postulatis, ut quod Deus tantopere voluit, cedat vestræ doctrinæ fucatæ. Deus ipse clamat: Honora patrem & matrem. Vos audetis contra dicere: Ne honora patrem & matrem. Non clamatis hæc verbis, sed re facitis: quo sceleratior est vestra impietas, quam imagine pietatis obnubilatis. Etenim ut gazophylacium expleatur, unde vester alitur luxus ac fastus, technis allicitis quos potestis, ut etiam fraudatis parentibus, quorum egestatem oportebat sublevare juxta præceptum Dei, quam plurimum donariorum adferant in Templum: persuadentes, ita satisfactum esse præcepto, quasi Deo donetur quod consecratur Templo, & Deus verus sit pater omnium.

12 *Et ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo, aut matri,*

12 Itaque qui pecuniam misit in gazophylacium, huic dicitis non esse jam opus ut quicquam impartiat egentibus parentibus, quod præcepto sit factum satis: & interim superstitione deterretis parentes, ne audeant à filiis exigere, quod semel Deo dicatum videtur, ne sacrilegio sese reddant obnoxios. Atqui nec Deus eget vestra pecunia, nec ista pecunia vertitur in gloriam Dei, sed in usus vestros: & si verteretur in structuram Templi, tamen Deo nullum Templum tam sacrum est, ut ejus causa velit parentes à liberis destitui.

13 *Rescindentes verbum Dei per traditionem vestram, quam tradidistis: & similia hujusmodi multa facitis.*

13 An non, dum per hujusmodi commentitias doctrinas & filios seducitis, ne subveniant parentibus: & parentes deterretis, ne ausint contingere quod Templo dicatum est: dum vestra constabilitis, subvertitis præcepta Dei? Hoc exempli causa vobis produxi, quod non potestis inficiari. Verum non in hoc tantum peccatis, multis aliis in rebus idem facitis, quemadmodum in hoc ipso facto. Præceptum est Dei: diliges proximum tuum sicut teipsum. Et vos ob frivolas lotiones ab hominibus traditas, calumniam struitis, & mihi & meis discipulis: nimirum contemto præcepto divino.

14 *Et advocans iterum turbam, dicebat illis: Audite me omnes, & intelligite.*

14 Pharisæis hoc privato sermone coercitis verius quam sanatis, rursus advocavit multitudinem, quam volebat his de rebus admonitam esse, ne posthac Pharisaicis traditionibus avocarentur ab Euangelica sinceritate: Audite, inquit, omnes & intelligite. Vidistis intentatum impietatis crimen, propterea quod discipuli quidam mei manibus illotis panem comederint, quasi tali cibo contaminaretur apud Deum qui vescitur.

15 Puritas & impuritas hominis non est in rebus extrariis, sed internis; nec animus inquinari potest rebus corporeis. Proinde nihil quod sit extra hominem, & ingrediatur in corpus hominis, potest hominem impurum facere apud Deum: sed quæ intus sunt in homine, & ab homine exeunt, declarant impurum hominem.

15 *Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare, sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ communicant hominem.*

16 Hoc ænigmate Dominus Jesus multitudini dedit occasionem disquirendi, quid sibi vellet quod dictum esset. Quoque magis acueret studium illorum, adjecit: *Quisquis habet aures idoneas ad audiendum, audiat:* significans eam cautionem frustra cani surdis Pharisæis.

16 *Si quis habet aures audiendi, audiat.*

17 Cæterum ubi sese dimissa turba recepisset in domum, discipuli rogabant eum privatim, ut explicaret parabolam de discrimine ingredientium in hominem & egredientium ex homine.

17 *Et cum introisset in domum à turba, interrogabant eum discipuli ejus parabolam.*

18 Jesus autem ad exemplum fidi diligentisque præceptoris, prius excitata objurgatiuncula illorum attentione, docuit parabolæ mysterium: *Adeone*, inquit, *vos quoque*, quos cæteris docendis delegi, *caretis intelligentia*? Atqui ex tot parabolis, quas vobis sum interpretatus, hujus etiam sensum oportebat conjicere.

18 *Et ait illis: Sic & vos imprudentes estis? Non intelligitis, quia omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare:*

19 An non intelligitis ex his, quæ foris ingrediuntur in hominem, non posse deprehendi puritatem aut impuritatem hominis? Quod enim ingreditur per os, non transmittitur in cor, sed in stomachum, mox in ventrem: inde si quid impurum est excernitur in secessum, ut vescenti sit omnis cibus purus, natura repurgante quod impurum est.

19 *Quia non intrat in cor ejus, sed in ventrem vadit, & in secessum exit, purgans omnes escas?*

20 Verum ea quæ proficiscuntur ex intimis hominis partibus, sunt quæ faciunt ac declarant impurum hominem. In corde sedes est animi: & in animo vera puritas est aut impuritas. Non igitur statim purus est qui lavit manus, sed qui cor habet lotum ac mundum. Hinc ergo quæ prodeunt, vere declarant hominem purum aut impurum.

20 *Dicebat autem, quoniam quæ de homine exeunt, illa communicant hominem.*

21 Ex intimis enim cordis recessibus proficiscuntur cogitationes malæ, adulteria, stupra, homicidia,

21 *Abintus enim de corde hominum mala cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia,*

22 Furta, avaritiæ, fraudes, dolus, impudicitia, malus & invidus oculus, convitia, superbia, stultitia.

22 *Furta, avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitia, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia.*

23 Nihil horum invehit cibus illotis manibus sumtus, verum hæc oriuntur ex ipso homine, hoc est, ex corde: quumque prodeunt, declarant hominem vere impurum esse, qui cor habeat tot spurcitiis impuratum. Hæc si lateant in corde, tamen impurus est homo apud Deum, qui cordis intima perspicit: sin prorumpunt etiam in orationem, aut in facta, non solum testificantur impuros esse unde hæc exeunt, verum etiam frequenter & alios inquinant, dum per oculos & per aures penetrant in animos videntium aut audientium. Sit igitur vobis prima cura mundi cordis, & non referet utrum lotis an illotis manibus capiatis cibum.

23 *Omnia hæc mala abintus procedunt, & communicant hominem.*

24 His ita gestis, Jesus ipsa loci mutatione significans quam tæderet Judaici cultus, qui fere totus æstimabatur corporalibus observatiunculis, & intra Judææ per quam angustos limites constringebatur, quamque sitiret gentium latitudinem, apud quas erat adorandus in spiritu & veritate, submovet sese illinc, & profectus est in fines Tyri & Sidonis, sed veluti furtivus hospes ob invidiam Judæorum: qui quoniam Tyrios ac Sidonios habebant pro canibus & abominandis, non tulissent Jesum doctrinam Euangelicam ad illos transferre. Proinde non ibi versatus est in publico, quod solet apud Judæos: sed domum ingressus est, quasi cupiens latere, quanquam latere non potuit: adeo fama dictorum ac factorum ejus sese & ultra Judææ fines profuderat, veluti jam tum meditans in universum orbem propagari. Sic optime spargitur pietatis Euangelicæ gloria, si fugitantem ultro sequatur.

24 *Et inde surgens abiit in fines Tyri & Sidonis: & ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere.*

25 Ete-

Digitized by Google

25 *Mulier enim statim ut audivit de eo, cujus filia habebat spiritum immundum, intravit, & procidit ad pedes ejus.*

25 Etenim mulier quædam Cananæa ad rumorem de Jesu sparsum è finibus suis progressa, mox ingenti de eo concepta fiducia, properat ad Jesum, & ægre admissa procubuit ad pedes illius.

26 *Erat enim mulier Gentilis, Syrophœnissa genere. Et rogabat eum ut dæmonium ejiceret de filia ejus.*

26 Hæc non erat Judaicæ religionis, sed Ethnicæ: nec Judaicæ gentis, sed Syrophœnissa genere. Agnoscis manifestum Ecclesiæ typum, paulo post è gentibus congregandæ. Judæi Jesum ejecerunt: Syrophœnissa relictis suis sedibus obviam profecta est Jesu. Frustra venitur ad Jesum, nisi pristina vitia jam domestica reliqueris. Emigrandum est è tuis ædibus, ut venias in domum, in qua sedet Jesus. Hæc mulier habebat domi filiam, malo Dæmonio obnoxiam. Is est populus idololatriæ deditus. Rogat itaque mater Jesum, ut filiam à Dæmonio liberet. Quanto perfectior Ethnicæ mulieris fiducia, quam Archisynagogi.

27 *Qui dixit illi: Sine prius saturari filios: non est enim bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.*

27 Jesus autem quo magis redderet omnibus conspicuam mulierculæ fiduciam, velut ex affectu Judaico respondit: *Sine prius saturari filios. Non decet ut tollam panem filiorum, ac projiciam canibus.* Nam Judæi gloriantur se solos esse filios Dei. Cæterum gentes, à Judaica religione alienas, pro canibus habent. Panem autem vocat virtutem Euangelicam, quæ per cœlestem doctrinam, ac sinceram fidem sanat omnes morbos, ac profligat ab animis omne Dæmoniorum genus.

28 *At illa respondit, & dixit illi: Utique Domine, nam & catelli comedunt sub mensa de micis puerorum.*

28 Mulier autem nihil offensa convitio, quod dictum videbatur ad abigendam illam, vertit in argumentum impetrandi. Recte, inquit, dicis, Domine. Non invidemus Judæis, quod honorifice tanquam filii accumbentes ad mensam ditissimi Patris, affatim explentur sacris panibus: sed tamen conceditur canibus, ut comedant micas, quæ decidunt in terram ex mensa filiorum.

29 *Et ait illi: Propter hunc sermonem vade, exiit dæmonium à filia tua.*

29 Jesus autem veluti victus tanta mulieris fiducia, tolerantia, modestia, ac perseverantia, respondit: Isto responso extorques quod nondum erat tempus ut daretur: *Abi domum, jam filia tua liberata est à Dæmonio.*

30 *Et cum abiisset domum suam, invenit puellam jacentem supra lectum, & dæmonium exiisse.*

30 Credidit mulier, abiit alacris, & comperit esse verum, quod dixerat Jesus, puellam quiescentem in lecto, jam à vexatione Dæmonii liberam. Nimirum matris fiducia à Jesu sanitatem extorserat. Profligato malo Dæmone, consequitur animi quies. Nam innocentiæ comes est tranquillitas. Sic & hodie piorum Ecclesia Jesum adit, Jesum interpellat pro his, qui idololatria, qui ambitione, qui iracundia, qui avaritia, qui bellandi vesana libidine, velut ab impuro quodam Dæmonio agitantur. Ac Judæi quidem judicant indignum, ut qui paulo ante Dæmonum arbitrio ad omne flagitiorum genus rapiebantur, repente per Euangelii gratiam recipiantur ad dignitatem & consortium filiorum Dei: non intelligentes, hoc honoris non æstimandum propinquitate sanguinis, sed ardore constantique fiducia erga Dominum Jesum. Filiis Israel, ac posteris Abrahæ promissus erat Christus: sed Abrahæ posteri sunt, quicunque fidem imitantur Abrahæ. Filii Israel sunt, quicunque non meritorum suorum commendatione sibi postulant aperiri regnum cœlorum, sed Euangelicæ fiduciæ violentia conantur irrumpere. Hoc enim sonat Hebræis Israel, virum adversus Deum fortem. Etenim gentes, quæ prius erant omni genere malorum inquinatæ, neque quicquam habebant bonorum operum, quo sibi jus regni cœlorum vindicarent, quum per Dei justitiam excluderentur, per misericordiæ fenestram irruperunt, ac fiduciæ pertinacia, veluti telo quodam, sibi patefecerunt aditum, perfractis regni cœlorum parietibus. Nondum advenerat tempus, ut palam gentes ad regni cœlestis consortium vocarentur: sed tamen huc subinde præludit Dominus, veluti gestiens antevertere, quod summopere sitiebat.

31 *Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.*

31 Hoc igitur semine, ceu furtim jacto apud Tyrios, Sidonios & Cananæos, Dominus relegit iter, rursus proficiscens ad Lacum Galilææ, præterita Sidone, & itinere facto præter regionem Decapoleos, ubi prius sanarat Dæmoniacum.

32 *Et adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum.*

32 Huc ubi veniisset, adducunt illi miserabile spectaculum, videlicet hominem & surdum & mutum. Mutus enim sit oportet, qui natura surdus est. Sed miserabilius surdus est, cui non sunt aures idoneæ ad audiendum sermonem Dei: pejus mutus est, qui non habet linguam ad confessionem suæ turpitudinis, ac divinæ misericordiæ. Per auditum fidei, salutis est initium: per confessionem oris, salutis est perfectio. Judæi tametsi quotidie Jesum audiebant loquentem, audientes non audiebant: quoniam ad exemplum aspidis obturantis aures adversus sapientis incantatoris vocem, credere nolebant his quæ audiebant. Et ideo linguam habebant ad obtrectandum, ad salutarem fidei professionem non habebant. Quid faciet miser, qui linguam non habet, qua salutem petat à Domino: qui aures non habet, quibus percipiat vocem Jesu, etiam mortuorum excitatricem? Succurrunt misero, qui linguam & aures habebant. Adducunt illum ad Jesum. Interpellant illius clementiam, ut illi dignetur imponere manum. Sic visum est clementissimo Domino, ut aliena etiam fides opituletur peccatoribus. Adducitur ad Jesum Catechumenus, desiit malefacere, desiit male loqui: sed nondum didicit benefacere, nondum didicit confiteri bonitatem Euangelicam. Quî possit autem, nisi Jesus illi manum imponat? Frustra laborant homines, nisi Jesu secreta vis accesserit. Erat in proclivi Domino, vel simplici verbo dare sanitatem surdo & muto, sed nobis hæc rerum forma proponitur. Siquidem ut plerunque parabola est, quod loquitur Jesus; ita non raro parabola est, quod facit.

33 *Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus: & exspuens, tetigit linguam ejus:*

33 Apprehensum hominem seducit à turba. Salvus est quemcunque apprehenderit Jesus, quem ab hujus mundi tumultu semoverit. Misit digitos suos in auriculas ejus, ac saliva sua tetigit linguam illius. Jam in proximo est salus, ubi Jesus virtute sui spiritus, qui digitus est Dei, dignatur aures mentis nostræ contingere: quoties saliva cœlestis sapientiæ, quæ ipse est, ex ore Patris altissimi prodiens, dignatur animi nostri linguam contingere, ut sapiant nobis ea quæ Dei sunt. Neque enim absque hoc humore fit gustus: & humana saliva vitiata, perversum habet judicium. Hæc saliva non solum linguam solvit, verum etiam oculos aperit cæci nati, quoties admixta terræ, oculis inungitur: quum saliva Philosophorum & Pharisæorum magis exoculet. Faciunt idem quodammodo & doctores Euangelici. Apprehensos abducunt à turba, quum à lata via, per quam plurimi ambulant in exitium, revocant ad pusilli gregis consortium. Inserunt digitos in auriculas, quum avocantes à fiducia rerum fluxarum, hortantur ad doctrinam cœlestem. Sputum immittunt in linguam, ad Euangelicæ fidei professionem exhortantes: imponunt manum, quum baptizatis impartiunt Spiritum Sanctum, per quem abolentur peccata, & confertur innocentia. Verum hæc omnia frustra doctor facit foris, nisi Christus intus operetur, ac divinam virtutem emittat è cœlis.

34 *Et suspiciens in cælum, ingemuit, & ait illi: Ephphetha, quod est adaperire.*

34 Hujus rei velut imaginem quandam exhiberi volens Jesus, quum apprehendisset, quum immisisset digitos in aures, inspuisset in linguam, sustulit oculos in cœlum, & ingemuit. Gemitus hic non erat diffidentiæ, sed humanam calamitatem deplorantis. Quid enim miserabilius illis, quibus aures mentis sic occupatæ sunt cupiditatibus terrenis, ut non queant audire verbum Dei? quibus lingua sic impedita est, & infecta vitiosis affectibus, ut non sapiant cœlestia, ut muti sint ad suæ malitiæ confessionem, muti ad prædicandam Dei misericordiam? Itaque gemitus Jesu nos admonet quales fuerimus, at suspectus in cœlum adimit desperationem, indicans

Digitized by Google

cans unde sit paratum auxilium, & cui debeamus acceptum ferre: quod qui prius habebamus aures patulas ad obtrectationes, ad turpiloquia, ad ineptas fabulas, ad Pharisaicam doctrinam, ad Philosophorum dogmata, ad Satanæ suggestiones, nunc habemus patefactas ad accipiendam cœlestem doctrinam Euangelii: qui prius habebamus linguam sic infectam saliva carnis, ut nobis nauseam saperet Philosophiæ cœlestis ambrosia, sic alligatam vinculis Satanæ, ut nec sua peccata posset agnoscere, nec Dei gloriam prædicare: nunc confitemur nobis nihil aliud ex meritis nostris deberi quam gehennam: totum autem esse divinæ largitatis, quod adoptamur in nomen & hæreditatem filiorum Dei. Proinde ingemiscat & Sacerdos potius, quam sæviat in aliena peccata: doleat magis, quam irascatur: nec sibi vindicet potestatem absolvendi, sed suspiciat in cœlum, profitens ac testificans totum hoc, quod sacramentorum ritibus agitur, esse virtutis divinæ, non humanæ potestatis. Ait autem Jesus: *Ephata*, quod Hebræis sonat *adaperire*.

35 *Et statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur recte.*

35 Vocem illico sequuta vis est. Mox enim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur expedite. Aures habebant apertas, quibus quum Dominus dixisset, Venite post me, relictis omnibus sequuti sunt. Linguam habebant expeditam, qui accepto Spiritu Sancto loquuti sunt variis Linguis magnalia Dei: ac magistratui denuntianti, ne posthac prædicarent nomen Jesu, responderunt: *An oporteat magis obedire Deo quam hominibus, vos judicate.* Hæc acta sunt seorsum à turba. Non enim oportet profanam multitudinem facere testem initiationis Euangelicæ, ne rideat quod nondum credit.

36 *Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant:*

36 Jesus itaque præcepit, ne cui dicerent: non quod nollet sciri id quod gestum erat, sed quod virtutem cœlestem melius ipsa loquitur res, quam hominum prædicatio. Omnes noverant surdum & mutum. Nunc audiebat & loquebatur expedite: sic vel tacitus prædicabat beneficium Jesu. Præterea Jesus hîc hominis imaginem gerebat, ut homines erudiret. Quicquid homo facit præclari, cupiat esse tacitum, ut sileatur hominis gloria, & prædicetur gloria Dei. Periculose laudatur homo, sed merito prædicatur potestas ac bonitas Dei. Quanquam nec hominis gloria siletur, si qua tamen est hominis gloria: imo sæpenumero quo magis vitatur, hoc magis sequitur. Attamen hic debet esse affectus Euangelici viri, ut quod ad ipsum attinet, cupiat soli Deo notus esse. Atque hoc ipso dignior est, qui prædicetur apud omnes. Quisquis enim affectat gloriam apud homines, hoc ipso indignus est gloria. Proinde quod Jesus interdixit iis, qui mutum adduxerant, ne cui dicerent quod esset actum, hoc ipsum magis provocavit, ut apud omnes prædicarent: atque hoc vehementius suspiciebant magnitudinem Jesu, qui quum talia posset ac præstaret, non solum nihil exigebat præmii, verum ne gloria quidem tam insignis facti frui cupiebat. Sed ut est hominis vere beneficii, non exigere laudem pro beneficio: ita grati est hominis, hoc impensius referre gratiam, quod qui beneficium dedit, nullam exspectet gratiam.

37 *Et eo amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui.*

37 Itaque passim isti prædicabant de Jesu, dicentes: *Bene omnia fecit. Et surdis reddidit auditum, & mutis linguam.* Hæc laus in solum Deum competit. Nemo mortalium bene facit omnia. Omnia Jesu miracula, nostra erant beneficia. Quæ si juxta speciem rerum corporalium expendas, erant multo splendidiora, quam hoc quo ex surdo fecit audientem, ex muto loquentem. Sed juxta sensum spiritualem, summa felicitatis in hoc est, ut homo auribus audiat sermonem Euangelicum, & quod didicit crediditque, loquatur.

CAP. VIII.

Hic cophinos implent: dat sensim lumina cæco: Confessor Petrus: crux toleranda piis.

1 *In diebus illis iterum cum turba multa esset, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis:*

1 VARIIS autem exemplis Dominus Jesus suos discipulos hortatur ad perpetuam beneficentiam, cujus præcipua pars est, rudem populum pascere doctrina Euangelica. Proinde repetit exemplum pascendi, ne posset excidere quod sic toties esset infixum. Accidit enim quodam tempore, ut in locum desertum ingens hominum multitudo confluëret ad Jesum, deferens secum multos variis malis obnoxios. Clementissimus Dominus sanabat omnes corporum morbos, animos vero cœlesti sermone pascebat. Hac benefaciendi promtitudine adeo sibi devinciebat animos multitudinis, ut ab eo non possent divelli. Dumque totis animis intenti sunt regno Dei, non venerat in mentem prospicere de commeatu, adeo ut sanatis corporibus, pastis animis, de fame periclitarentur. Est autem & hoc ingens telum, præsertim apud multitudinem.

2 *Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent:*

2 Jesus autem ipsa re docere volens Apostolos, nihil omnino defuturum his, qui sincera fiducia adhærerent ipsi, dicit illis: *Miseret me hujus multitudinis. Nam ecce jam triduum est, quod adhærent mihi, nec habent quod edant.*

3 *Et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via: quidam enim ex eis de longe venerunt.*

3 *Quod si dimisero eos ut sunt jejunos, periculum est ne deficiant in via*, prius quam domum perveniant. *Nam quidam venerunt è longinquo.* Hac oratione Jesus excitavit suorum animos ad futurum miraculum.

4 *Et responderunt ei discipuli sui: Unde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine?*

4 Discipuli vero rudes ac rursus obliti, quemadmodum ante paviſſet numerosam multitudinem quinque panibus ac duobus piscibus, respondent hunc in modum: Unde possit aliquis tam immensam multitudinem, biduano jejunio famelicam, explere panibus hîc in solitudine, etiamsi nobis suppetat pecunia? Audis vocem oblivionis ac diffidentiæ.

5 *Et interrogavit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem.*

5 Rursum Jesus: *Quot panes habetis?* Illi inspecto commeatu, *responderunt: Septem.* Nimirum hic erat vere panis Euangelicus, triticeus, non hordeaceus, quemadmodum superiores illi, quo aluntur filii, nec projicitur canibus. Habet hordeum suam medullam, sed scabro opertam tectorio. Habet & Mosi Pentateuchus sensum spiritualem, sed figurarum involucro tectum. Crevit numerus panum, sed detractum est tectorium, quoniam aucta est gratia, & detractum est ceremoniis.

6 *Et præcepit turbæ discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens fregit: & dabat discipulis suis ut apponerent, & apposuerunt turbæ.*

6 Quum vero commeatus hic non videretur sufficturus tantæ multitudini, tamen Jesus jussit omnes discumbere super terram. Felix convivium, ubi famelica turba discumbit jussu Jesu. Id fit, quoties populus avidus sermonis Euangelici convenit in Basilicam, auditurus Jesum per os boni concionatoris loquentem. Nam multi non alio animo veniunt in sacram concionem, quam quo vulgus solet venire in theatrum, spectaturum profanam fabulam. Qui vult saturari panibus Jesu, discumbat oportet, idque super terram. Compositis affectibus huc veniendum est: non merentur hunc cibum qui supini residunt in lectis Pharisaicæ Philosophicæque doctrinæ. Quid superbis terra & cinis? Quid intumescis inani Philosophia? Quid confidis his rebus, in quibus non est salus? Agnosce teipsum, dejice te in terram, unde prodisti. Conquiescant in te cupiditates carnis, & satiaberis cibo Christi. Factum est quod admoneo. Jam discubuit in terra multitudo. Nunc mihi specta, quid agat Jesus. Accepit septem panes, & ut ostenderet à Deo proficisci, quicquid conducit ad salutem hominis, sustulit in cœlum oculos (nam ibi Pater habitat, unde jussit quotidie peti panem hunc) & gratias egit, non sibi vindicans auctoritatem ejus muneris, ne quid sibi vindicaret homo purus. Nam poterat ille sibi vindicare tanquam æqualis Patri: quanquam & juxta divinam naturam quicquid est aut habet, Patri debet: sed magis conducebat ad no-

Digitized by Google

noſtram diſciplinam exemplum, quod exhibuit. Gratiis actis fregit, fractos tradidit diſcipulis ſuis: ut ſicut acceperant, apponerent turbæ. Non eſt efficax hominis ſermo, niſi prius contrectatus Chriſti manibus. Habes eloquentiam, habes Philoſophiam, habes ingenium, habes cognitionem ſacrorum Voluminum, Legum, ac Pontificii Juris: quicquid habes, prius trade manibus Chriſti: conſeeret ille quod habes, frangat ille: jamque non velut tuum, ſed ab ipſo acceptum ac traditum, appone populo. Sunt enim qui frangant panem Scripturæ divinæ, non ut oportet, detorquentes eam ad cupiditates hominum, non ad voluntatem Jeſu. Jeſus enim ſic frangit, ut ſaturetur multitudo famelica, non ut Principum ambitioni aut avaritiæ ſerviatur. Quiſquis ad quæſtum, ad humanam gloriam, ad alias humanas cupiditates docet Euangelium, non accipit panes à Chriſto fractos. Imitemur igitur in prædicando ſermone Chriſti, Chriſti diſcipulos. Ut juſſi erant, fractos panes appoſuerunt turbæ. Dicet interim aliquis: Quid? Nihil ne obſonii? Tantum panarium eſt convivium? Non oportet multum addi panibus Euangelicis. Nihil illis efficacius, nihil ſuavius.

7 Et habebant piſciculos paucos: & ipſos benedixit, & juſſit apponi.

7 Et tamen ex benignitate convivatoris adduntur piſciculi pauci. Fortaſſis aliquid Epiſtolarum addent Apoſtoli: ſed hoc & puſillum eſt, & minimi momenti, ſi ad apparatum Euangelicum reſpicias. Datum eſt hoc additamentum quorundam faſtidio, ſed non oportet ultra requirere. Sufficere debet hoc obſonii, ne ſi quis de ſuo pergat addere quod libet, jam hominum fiat convivium, non Jeſu Chriſti. Nam Jeſus & hos piſciculos, licet paucos & puſillos, conſecravit, ac juſſit apponi: quod ni feciſſet, non erant apponendi. Noli queri de frugalitate obſonii; alioqui ſi patieris inferri Rhetorum placentas, ſi Philoſophorum magnificos miſſus, ſi Phariſæorum inſipida jura: jam periculum eſt, ne palato, tot obſoniis infecto, non ſapiat panis Euangelicus. Ut autem fatori diſcedamus ab Euangelico convivio, faciant doctores, quod fecerunt Apoſtoli: faciatque populus, quod fecit illa multitudo. Quid fecerunt Apoſtoli? Sicut acceperant à Domino, ſic apponunt turbæ, nihil hæſitantes, nihil diſputantes.

8 Et manducaverunt, & ſaturati ſunt, & ſuſtulerunt quod ſuperaverat de fragmentis, ſeptem ſportas.

8 Multitudo item quieta, nihil obmurmurans accipit, bonique conſulit quod datur. Itaque factum eſt, ut non ſolum ſaturati ſint omnes, verum etiam ſeptem ſportæ impletæ ſint fragmentis reliquiarum, quæ ſaturis ſuperfuerant.

9 Erant autem qui manducaverant, quaſi quatuor millia: & dimiſit eos.

9 Quoque magis demireris, qui comederant uſque ad ſaturitatem, erant ferme quatuor hominum millia. Nimirum hæc eſt opulentia ſermonis Euangelici. Quoties accedit ſuperbus doctor, multo diſciplinarum, multo literarum, multo legum & conſtitutionum apparatu inſtructus, ſic, ut undique exuberet: clamitans non ſuffecturum dicenti tempus, concionem non eſſe capacem rerum tam ſublimium: ſeſe obrui copia, & ancipitem fieri, unde debeat ordiri: nonne fieri videmus, ut concio diſcedat famelica? tantum abeſt, ut quicquam ſuperſit. At è Jeſu frugali parcoque convivio ſuperſunt ſportæ ſeptem. Copia enim ac dapſilitas Euangelici convivii, non eſt ſita in multitudine diſciplinarum, veluti ciborum generibus ad faſtidium uſque multis, aut in condimentis ex omnium humanarum literarum mixtura confectis, ſed in virtute ſermonis à Deo traditi, bonaque fide diſpenſati. Ita paſtos dimiſit Jeſus. Eſt & hoc aliquid, feliciter diſcedere à convivio Jeſu. Sic autem dimittuntur, qui gratias agunt: qui ipſius beneficia recondunt in animo, & concoquunt quod acceperunt: qui domum reverſi, veluti ſaginatiore corpore, factis exhibent quod didicerunt.

10 Et ſtatim aſcendens navim cum diſcipulis ſuis, venit in partes Dalmanutha.

10 His rebus ita geſtis, Jeſus confeſtim alio properat. Non eſt paſtori verſandum cum multitudine, niſi quum juvanda eſt. Sanarat ægrotos, docuerat, paverat fame periclitantes. Poſt hæc hærere, videtur exſpectantis aliquid gratiæ. Omnibus quidem modis ſublevanda eſt egeſtas multitudinis, ſive corporalis urget neceſſitas, ſive ſpiritualis: ſed ſic eſt natura populi, pro minimis beneficiis ſolet maximas agere gratias. Leviſſimi beneficii eſt, alere corpus: majus eſt, ſanare: maximum, ſacra doctrina ſanare & paſcere animum. Pro doctrina, proque ſanatis morbis nemo regnum detulit Jeſu: pro cibo detulerunt. Id ne rurſum fieret, Jeſus illico reliquit multitudinem, & conſcenſa navi cum diſcipulis, quos perpetuos comites ſibi delegerat, venit in fines Dalmanutha, ſive Magedan.

11 Et exierunt Phariſæi, & cœperunt conquirere cum eo, quærentes ab illo ſignum de cœlo tentantes eum.

11 Quoque ſæpius patefiat Phariſæorum incredulitas, & huc egreſſi ſunt, non ut ſanarentur, ſed ut calumniarentur. Invidebant enim miraculis Jeſu: invidebant & populo tot beneficiis adjuto. Cœperunt itaque diſputare cum Jeſu, quaſi miracula, quæ promebat, non gererentur virtute cœleſti, quod eſſent humilia ac plebeja. Proinde ſi vellet Phariſæos, homines longe ſupra vulgus poſitos, quaſique cœleſtes, ſibi credere, exigebant ut ſignum aliquod ederet è cœlo, quemadmodum Moſes impetravit manna è cœlo: & Elias precibus ſuis effecit, ut ignis, ſubito delapſus è cœlo, conſumeret & holocauſtum, & ligna, & aquam denique, quæ conſtiterat in lacunis juxta altare.

12 Et ingemiſcens ſpiritu, ait: Quid generatio iſta ſignum quærit? Amen dico vobis, ſi dabitur generationi iſti ſignum.

12 Dominus autem ſciens illos calumniaturos, quicquid feciſſet, (probabilius enim poterant tribuere Beelzebub, ſi quod oſtentum è ſublimi proditum fuiſſet, ubi verſantur principes tenebrarum harum; præſertim quum Magorum familiare ſit, ſubito ciere imbres, excitare tonitruum ac fulmen, movere grandinem ac tempeſtatem, quam ea, quæ oculis videbant, auribus audiebant, & manibus contrectabant) ingemuit ſpiritu, declarans ſe dolere de illorum incredulitate tam pertinaci. Ac velut indignans, apud ſeſe loquutus eſt: Quænam eſt hæc natio tam perverſa, ut tot viſis miraculis, adhuc ſignum requirat, quaſi nullum antehac viderit? Deinde verſus ad Phariſæos, ait: Illud confirmo vobis, non dabitur nunc huic nationi ſignum, quod tentandi gratia poſtulat è cœlis: ſed dabitur ſignum, quod non exſpectat, ex inferis. Id erit ſignum Jonæ. Ille quum tribus diebus abſorptus crederetur exſtinctus, præter omnium ſpem redditus eſt è ventre ceti: ſic Filius hominis ad triduum abditus in ſinu terræ, præter exſpectationem veſtram redivivus exſiliet.

13 Et dimittens eos, aſcendit iterum navim, & abiit trans freum.

13 Hunc ſermonem quum non intelligerent Phariſæi, reliquit eos veluti deploratos; ac reverſus ad navim, tranſmiſit Lacum. Ita Dominus Jeſus ſitiens humanæ ſalutis, ſubinde vertit ſolum, non victimas quærens, quarum jam olim ſatur erat, ſed fidem: eam autem ægre invenit in terris, ſed ubivis potius, quam apud Sacerdotes, Scribas, Phariſæos, ac populi primores. Adeo male convenit Euangelicæ fiduciæ cum his, qui pollent hujus mundi commodis.

14 Et obliti ſunt panes ſumere: & niſi unum panem non habebant ſecum in navi.

14 Hic inter navigandum, non veniebat in mentem diſcipulis, quod per oblivionem ſibi non proſpexiſſent de panibus. Nam unum duntaxat panem ſecum habebant in navi.

15 Et præcipiebat eis, dicens: Videte, & caveteà fermento Phariſæorum, & fermento Herodis.

15 Jeſus autem ſciens illos oblivione ſecuros eſſe, non fiducia erga ipſum, revocavit admonendo curam. Quanquam hæc ſollicitudo non tam ex diffidentia proficiſcebatur, quam ex incogitantia & oblivione humana. Intentis iis, quæ dicebat ac faciebat Jeſus, non ſuccurrebat de panibus: & nobis expediebat illos frequenter obliviſci quinque panibus ſatiatæ multitudinis, quo videlicet noſtris animis altius infigeretur, nihil defuturum his, qui ſincero corde adhærent Chriſto. Satis proſpectum eſt illi navi, quæ unicum habet panem, qui eſt Chriſtus Jeſus. Itaque voluit illorum elicere ſollicitudinem, quo mederetur, ac præcepit eis, dicens: *Videte diligenter, ut caveatis à fermento Phariſæorum, atque à fermento Herodis.*

Digitized by Google

16 *Et cogitabant ad alterutrum, dicentes: Quia panes non habemus.*

[16] Ea vox audita quidem, sed non intellecta, revocavit discipulis seram sollicitudinem providendi de commeatu. *Itaque cœperunt inter se mussitare: Panes non habemus.* Aliud enim ex alio veniebat in mentem. Audito fermento, reminiscuntur panum omissorum. Hac de re tacite mussant, quasi peccassent incogitantia, quod panes non emissent.

17 *Quo cognito, ait illis Jesus: Quid cogitatis, quia panes non habetis? nondum cognoscitis nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor vestrum?*

[17] Verum hæc oblivio grata est Jesu, quoties ardore cœlestium, obliviscimur rerum corporalium. Verebantur objurgari de negligentia, sed objurgantur de supervacanea cura. Quid, inquit Dominus, disputatis inter vos, solliciti quod non habetis panes? Tot præceptis instituti, tot exemplis edocti, toties admoniti, nondum animadvertitis, nec intelligitis?

18 *Oculos habentes non videtis? & aures habentes non auditis? Nec recordamini,*

[18] Adhuc cor habetis occæcatum: & oculos habentes, non videtis: & aures habentes, non auditis? Non saltem illud memoria tenetis, quod nuper bis exhibitum est vestris oculis?

19 *Quando quinque panes fregi in quinque millia: quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis? Dicunt ei: Duodecim.*

[19] Vidistis nuper quinque panes à me fractos, à vobis distributos, suffeciisse quinque millibus hominum usque ad saturitatem. Et quot reliquiarum sportas tum sustulistis? Ajunt: Duodecim.

20 *Quando & septem panes in quattuor millia: quot sportas fragmentorum tulistis? Et dicunt ei: Septem.*

[20] Deinde quum simili modo septem panes sufficerent quatuor millibus, quot cophinos implestis reliquiis. Dicunt: Septem.

21 *Et dicebat eis: Quomodo nondum intelligitis?*

[21] Tum Jesus: Quî fit igitur, ut toties tot modis edocti, nondum intelligatis istam de victu sollicitudinem esse supervacaneam, quodque monui de vitando fermento Pharisæorum & Herodis, non pertinere ad panes, sed ad doctrinam illorum vitandam, ne & vos seducamini, quemadmodum illi seducunt multos? Paululum fermenti totam afficit conspersionem: quod si vitiosum est, corrumpitur tota conspersio. Præ se ferunt speciem pietatis, quum plurimum absint à vera pietate: atque inter se dissident opinionibus, cum turpiter errent utrique. Siquidem Herodiani frequenter errant ob ignorationem divinæ Scripturæ, non credentes futuram corporum resurrectionem, propterea quod nihil esse credant, nisi quod vident: Pharisæi quum teneant Scripturas, excæcati malis cupiditatibus, reluctantur veræ pietati. Ab horum doctrina vobis summopere cavendum est, ne & ipsi inficiamini, & alios post inficiatis vestro contagio: sed amplectamini panem Euangelico fermento affectum, ut hunc sincerum & aliis distribuatis.

22 *Et veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum ut illum tangeret.*

[22] Interim appellunt & veniunt Bethsaidam, & ecce nusquam non parata est promendæ misericordiæ occasio. Hîc in vico quodam adducunt ad eum cæcum, rogantque ut contingeret eum. Nihil rogat cæcus, sed alienis precibus commendatur Domino. Nemo petit salutem à Domino Jesu, nisi contactus ab illo. Primus enim contactus efficit, ut homo seipsum agnoscat. Non erat iste luscioſus aut leviter cæcutiens, sed profundissima cæcitate obrutus. Qui sic cæci sunt, opus habent ut ab aliis adducantur ad Jesum, qui illis sacræ manus efficacem contactum precibus exorent.

23 *Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum: & expuens in oculos ejus impositis manibus suis, interrogavit eum si quid videret.*

[23] Jesus autem, qui nutu poterat sanare quemlibet cæcum, non statim restituit hominem, ut discipulis suis formam exhiberet, quantopere laborandum sit, priusquam ad veri cognitionem queant adduci, qui in errore jam inveteraverunt: qualis erat gentium cæcitas, quæ tot seculis simulacrorum cultum pro magna pietate fuerant amplexæ: qualis erat Judæorum, qui superstitionem à majoribus acceptam, cui tot annos assueverant, non poterant relinquere. Proinde quum talis cæcus occurrerit, quid faciendum erit Apostolico viro? Animadverte quid fecerit Jesus. Primum apprehendit cæci manum. O felicem ducem: sed quo duxit hominem? Eduxit extra vicum. Pessimum exemplar sibi proponit, qui sequitur multitudinem. Male sibi blandiuntur, qui sic dicunt: Non solus hoc facio, idem faciunt omnes: malo cum populo desipere, quam cum paucis sapere. Qui capti sunt oculis, multis periculis expositi sunt, versantes in turba: ridentur, offenduntur, impingunt, protruduntur, subinde concidunt. Primum igitur educendus est ex hominum frequentia. Tuto jam ambulat, qui talem habet ducem. Quid præterea facit Dominus? Exspuit in oculos, ac mox admovit manus: nec dum aperiuntur oculi, tam profunda erat caligo. Tum Jesus interrogat hominem, ecquid videat.

24 *Et aspiciens, ait: Video homines velut arbores ambulantes.*

[24] Ad hanc vocem ille, veluti concepta specula quadam, attollit oculos, & ait: Video homines ambulantes arboribus similes. Qui nondum plane receperunt lucem Euangelicam, quicquid vident in hoc mundo, majus esse videtur quam est ipsa re. Vident opulentum hominem, platanus esse videtur: vident magistratum aut Principem, credunt se videre malum aut cupressum: vident barbatum Stoicum, aut Pharisæum latis fimbriis ac phylacteriis insignem, ficum esse credunt. Quod si purgatis oculis, res illis ut sunt sese ostenderent, tum cernerent, quam nihil sunt illa, quæ cæcutienti videntur ingentia.

25 *Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus: & cœpit videre: & restitutus est ita ut clare videret omnia.*

[25] Sed Dominus, qui linum fumigans non exstinguit, nec cæcutientem destituit, donec perfecte cernat, rursus admovit manus oculis illius, ac mox cœpit esse perspicacior: eoque profecit, ut clare videret omnia. Beatus qui à Christo illustratus oculis cordis, clare cernit omnia: huic minima videntur, quæ mundo videntur esse maxima: huic fœda videntur, quæ mundo videntur esse pulcherrima: huic maxima videntur, quæ mundo videntur nihili. Quisquis es doctor Euangelicus, noli spernere imbecillitatem eorum, qui primum instituuntur in Euangelica Philosophia. Primum satis est educi è vico, hoc est, à pristinis malis discessisse: mox admovenda est eis Euangelica doctrina, quæ lucem det oculis: ac primum tradenda sunt rudimenta perfectionis Euangelicæ, quibus initiati baptizentur. Mox communicanda est secretior solidiorque doctrina, quæ faciet ut clare videant omnia. Hæc facient ministri Jesu Christi, sed Jesus occulta virtute dignabitur oculos cæci contingere, ut lucem recipiat.

26 *Et misit illum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam: & si in vicum introieris, nemini dixeris.*

[26] A dato beneficio Dominus jubet hominem redire in domum suam, interdicens ne cui prædicaret, quod factum erat. Quoties Dominus jubet sileri quod factum est, docet Sacerdotes, non esse quærendam apud homines gloriam, si quid recte gesserint in Euangelica functione. Porro si quando jubet prædicari, docet, eum, qui sanatus est à peccatis, & suam turpitudinem agnoscere, & Dei bonitatem efferre, cui soli debet, quod mutatus est. Porro redire in domum propriam, est post acceptam cœlestem gratiam non obliviſci, qualis antea fuerit, & quo relapsurus sit, nisi Dei beneficio conservetur. Quod si domum redeunti contingat incidere in vicum aliquem, hoc est, in profanam multitudinem, quæ citius irrisura sit, quam creditura, non sunt illic temere jactanda nostræ initiationis mysteria. Dixerat illi Jesus: Vade in domum tuam, & si in vicum introieris, ne cui dixeris. Ante sanaverat Jesus surdum & mutum. Audivit sermonem Euangelicum, & loquutus est expedite. Modo sanavit cæcum, qui quum clare videret, jubetur silere inter impuros. Nam ubi domum venerit, res ipsa loquetur apud eos, qui cæcum noverant. Est enim tempus, quo decet profiteri mysterium Euangelii: est quo satius est celare.

27 *Et egressus est Jesus, & discipuli ejus, in castella Cæsareæ Philippi: & in via interrogabat discipulos suos, dicens eis: Quem me dicunt esse homines?*

[27] Nunc quod per ænigmata corporaliter gestum est in aliis, explorat in discipulis suis, quantum ipsi profecerint juxta spiritum. Itaque relicta Bethsaida profectus est una cum discipulis in oppidulum Cæsareæ, cui cognomentum est Philippi. Inter eundum autem interrogabat discipulos suos, quid de ipso vulgus hominum sentiret: jam enim tot editis miraculis, oportebat & populum mirificam quandam

Digitized by Google

dam de Christo concepisse opinionem. Non ignorabat Jesus, quid de ipso sentiret vulgus, sed nobis declarare voluit, quæ sit Euangelica fides, quæ servat credentes, quantumque distet ab inconstanti variaque vulgi suspicione: *Quem*, inquit, *me dicunt esse homines?*

28 Qui respondentes illi, dicentes: Joannem Baptistam, alii Eliam, alii vero quasi unum de prophetis.

28 Discipuli simpliciter quod audierant, respondérunt: Alii suspicantur te esse Joannem Baptistam, qui revixerit: alii Eliam Thesbiten, cujus adventus promissus est per Malachiam Prophetam: alii rursum non Eliam, sed alium quempiam ex veteribus Prophetis, qui revixerit. Hæc sentiebant homines, qui tum magnificentissime de Jesu sentiebant: nihil enim supra hominem de eo sentire poterant homines. Magnum hominem suspicabantur, Messiam, Filium Dei, Servatorem orbis nondum credebant. Erat hoc tamen qualecunque rudimentum professionis Euangelicæ, cujus mysterium nondum erat vulgo prodendum, quo prodito, nemo poterit consequi salutem, nisi qui credat Jesum esse salutis omnis auctorem. Fons autem Euangelicæ salutis, fiducia est erga Christum Dei Filium divinitus inspirata. Hanc professionem ut ex Apostolis proliceret, ait: Vacillat, ut video, vulgus, nihil constanter de me sentiens: & tamen magnificentius de me sentiunt, quam hi, qui me nihil aliud prædicabant, quam fabri filium: quam qui dicebant me versum in furorem, & venabantur ad vincula: quam qui dicebant mihi esse spiritum Beelzebub.

29 Tunc dicit illis: Vos vero quem me esse dicitis? Respondens Petrus, ait ei: Tu es Christus.

29 Vos autem, qui me domestice nostis, qui perpetui testes fuistis omnium quæ gessi, quæque docui, quem me esse pronuntiatis? Tum Petrus Euangelicæ professionis princeps, omnium nomine respondens ait: Tu es ille Messias à Prophetis olim promissus, Filius Dei vivi, per quem unum salus est orbi promissa.

30 Et comminatus est eis, ne cui dicerent de illo.

30 Hanc professionem quum Dominus vehementer approbasset, ut divinitus inspiratam, huic beatitudinis elogium tribuisset, hanc pronuntiasset fundamentum congregationis, & civitatis Euangelicæ, quod nulla vis Satanæ possit unquam labefactare: interminatus est illis, ne quod scirent ex afflatu Patris, palam facerent ante tempus. Exspectari Messiam expediebat, ac brevi venturum credere, cæterum nondum expediebat agnosci Jesum esse Messiam. Sic enim expediebat ad institutionem nostram, ut ex humilitate nasceretur gloria.

31 Et cœpit docere eos, quoniam oportet Filium hominis pati multa, & reprobari à senioribus, & à summis sacerdotibus, & Scribis, & occidi: & post tres dies resurgere.

31 Discipuli humano affectu abhorrebant ab incommodis Domini sui, sitientes illum ab omnibus magnum haberi: sed alius ordo placuit æternæ sapientiæ. Proinde Jesus cœpit illos docere, quæ passurus esset, priusquam orbi magnitudinem suam vellet innotescere: Oportet, inquit, Filium hominis, de quo vos tam magnifice sentitis, multis ignominiis & cruciatibus affici, damnari ut nocentem à Scribis, à Sacerdotibus ac primoribus populi: denique ut maleficum morte probrosa occidi, sic, ut apud mundum nihil esse possit eo dejectius aut desperatius. Sed non est quod despondeatis animum: tenete professionem vestram constanter in animo, quam apud me professi estis. Occisus resurgam ac reviviscam tertio die. His de rebus quum Jesus aliquoties subobscure monuisset discipulos suos, nunc palam loquutus est, quum viderentur laturi, qui magnifice pronuntiassent de Domino suo. Sed non tulerunt illorum aures mentionem mortis, tametsi spes resurrectionis debebat eos consolari. Magno quodam affectu diligebant Jesum, sed humano. Nondum enim acceperant Spiritum cœlestem, qui perficeret in eis, quod erat imperfectum.

32 Et palam verbum loquebatur. Et apprehendens eum Petrus, cœpit increpare eum.

32 Itaque Petrus quum audiret tam crudelem sermonem de damnando, de affligendo, de occidendo, ausus est Jesum seducere, quasi privatim aliquid admoniturus, quod esset in rem ipsius. Hæc nimirum est humana sapientia, sæpe meditans præire divinæ. Audet etiam increpare Dominum suum, quasi non recte saperet, qui mori vellet, quum liceret effugere. Etsi credebat illum tertio die revicturum, tamen præstabilius judicabat, omnino non mori, quam à morte reviviscere.

33 Qui conversus, & videns discipulos suos, comminatus est Petro, dicens: Vade retro me satana, quoniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.

33 Hæc improbitas Petri tametsi ex ingenti quodam erga Jesum amore proficiscebatur, tamen & palam & acriter à Domino redarguitur: ut nos disceremus, in omnibus divinam sequi voluntatem, neque nostro judicio præire decretis Dei. Non enim est hominis, apprehendere Jesum & increpare ne faciat, quod decrevit facere: sed adorandus est, ut nos dignetur apprehendere, ducturus quo velit. Hoc igitur malum ut Jesus penitus revelleret ex animis omnium, primum aversus à Petro, & conversus ad discipulos suos, eosque intuitus, quos sciebat à Petro non dissentire, tametsi ille cæteris fidentior ausus est quod sentiebat proloqui, Petrum increpitorem suum vicissim increpat, dicens: Quid mihi obsistis Satana? Ea vox Syris adversarium sonat. Cur præire tentas discipulus præceptori, homo Deo? Sequere potius à tergo. Non est hoc humanum negotium, quod geritur: tuus adhuc humanus est affectus, nec sapis ea quæ Dei sunt. Si vis esse discipulus meus, imitari mortem meam decet, non impedire. Nec hoc te solum decebat, quanquam te potissimum, cæterosque selectos, verum etiam omnes qui se meos discipulos volent profiteri.

34 Et convocata turba cum discipulis suis, dixit eis: Si quis vult me sequi, deneget semetipsum: & tollat crucem suam, & sequatur me.

34 Hæc loquutus Jesus, jussit adesse multitudinem universam una cum discipulis, ne quis existimaret hunc sermonem ad illos duntaxat selectos pertinere. Jamque congregatis in unum omnibus, clara voce loquutus est Jesus: Multi me sequuntur pedibus magis quam imitatione. Nec omnes eadem adducit causa: alios allicit miraculorum novitas, alios amor sanitatis, alios doctrinæ fames. Cæterum quisquis volet esse verus assectator mei, si volet esse socius felicitatis & gloriæ, paret interim animum suum, ut sit socius afflictionum & mortis. Abneget semetipsum, nihil sibi servans in hoc mundo, sed omnia pro derelictis habens usque ad vitæ contemtum, tollatque suam quisque crucem, & sequatur me. Non pudeat discipulum sequi præceptorem: non pudeat servum sequi Dominum.

35 Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me & Euangelium, salvam faciet eam.

35 Nec alia via quisquam velit ad gloriam pervenire, quam qua me viderit pertendere: quisquis in se præsidia salutis collocarit, peribit: quisquis omnibus suis præsidiis diffisus, se totum in me conjecerit, is salvus erit. Nec enim satis est, agros, domos, parentes, uxorem ac liberos mea causa negligere, ipsa etiam vita negligenda est: cujus servandæ gratia mortales deserunt universa. Bono animo este, non perit quod mihi impenditur: imo perdendo servabitis, quod male servando vere perderetis. Per fidem Euangelicam confertur omnibus vita æterna. Proinde qui pluris facit hanc vitam, quam Euangelicam gratiam, etiamsi videtur ad tempus lucrifacere vitam, tamen re vera perdit eam. Nullus enim hic vitam suam ultra præscriptum diem valet prorogare: tametsi nec interim vere vivit, nisi qui vivit pie. Et post hanc vitam, quæ nulli non brevissima est, addicitur æternæ morti. Porro quisquis amore mei, & Euangelicæ professionis constantia, vitam suam exposuerit in discrimen mortis, per me servabit eam, alioqui vere perituram.

36 Quid enim prodest homini, si lucretur mundum totum, & detrimentum animæ suæ faciat?

36 Proinde si nihil cuiquam tam carum est, cujus jactura non libens redimat vitam corporis, sic apud se rem expendens: Quid mihi profuerit, servasse domum, agros, opes, gemmas, uxorem, liberos, si ipse pereo, nec licebit frui quod possideo? Quamvis enim hæc omnia salva sint, tamen mihi pereunt, si moriar: Quid enim potest esse tam carum, quod non contemnendum sit pro lucro vitæ *. Si quis offerat opes Midæ Crœsique, si quis formam Absalonis, si monarchiam totius mundi, si voluptatum omne

* Altera Editio *perennis* epitheton addit.

ge-

Digitized by Google

genus, dicatque: hæc accipe, & morere, nonne ſtatim recuſet conditionem delatam, dicatque: una vita carior eſt his omnibus?

37 *Aut quid dabit homo commutationis pro anima ſua?*

37 Hæc, inquam, quum apud ſe quiſque prudenter expendat, quoties periclitatur vita corporis: cur non attentius ſubducitur ratio, quoties agitur de vita illa inæſtimabili? Nunc offertur animæ vita perennis, & cum hac non commutabis brevem ac miſeram vitam corporis: præſertim quum corpus quiſque ſuum, jam feliciori vitæ redditum, ſit recepturus. Non erit omnibus ob Euangelii profeſſionem moriendum, ſed tamen in hoc omnibus debet eſſe paratus animus, ut ſi res poſtulet, vilis ſit etiam vita corporis, dum ſervetur animæ vita. Quoties ingruerit perſecutionis procella, tollenda crux erit: quanquam nec in tranquillis rebus cuiquam defutura eſt ſua crux, niſi facile eſt omnibus naturæ affectibus, omnibus hujus mundi voluptatibus & irritamentis renuntiare, caſtrare carnem, refrenare luxum, premere libidinem, domare iracundiam, condonare vindictam. Nam hæc in tranquillitate quoque cuique præſtanda ſunt, qui velit eſſe meus diſcipulus.

38 *Qui enim me confuſus fuerit, & verba mea, in generatione iſta adultera & peccatrice: & filius hominis confundetur eum, cum venerit in gloria patris ſui cum angelis ſanctis.*

38 Cæterum mundus omnibus machinis conſurget adverſus mei nominis profeſſores, intentabit probra, exſilia, carceres, tormenta, proſcriptiones, mortes. Eſt enim hæc natio prava, ſemper plures habitura malos quam bonos, inter quos ſummi criminis loco habebitur profiteri nomen meum. Quo in ſtatu, ſi quem puduerit profiteri ſe meum eſſe diſcipulum in hac natione ſcelerata & adulterina, ubi brevem afflictionem ſequitur æterna felicitas, huic Filius hominis par pari referet, ac viciſſim erubeſcet illum profiteri ſuum diſcipulum, quum rurſus adveniet, non humilis & contemtus ut nunc, ſed admirandus in gloria Patris: nec comitatus paucis ac tenuibus diſcipulis, ſed cinctus innumeris ſanctorum Angelorum turmis.

CAP. IX.

In Thabore: & quæ vis jejuni: quis prior: edit Signa malus: ne des ſcandala: quare ſalem.

1 *Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia ſunt quidam de hîc ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute.*

1 ILLIVS gloriæ non erunt conſortes, qui nunc ferre nolunt meæ crucis ignominiam. Exſpectabat Judæorum populus admirabile quoddam regnum Iſraelitici populi, quod mox exoriturum arbitrabantur, ſimulatque veniſſet Meſſias. Et ideo non poterant credere Jeſum eſſe Meſſiam, quod tam humilis, tam abjectus adveniſſet, magis autem offendebantur mentione crucis ac mortis. Non intelligebant autem duplicem Meſſiæ adventum, priorem, juxta mundum, humilem & ignominioſum, alterum majeſtatis & gloriæ plenum, qui in fine mundi futurus eſt, ut univerſum corpus ſuum, ab omnibus exemtum malis, ſibi jungat in gloria Patris: Satanam autem cum omnibus ſuis membris demergat in gehennam. Hujus autem adventus diem omnibus incertum eſſe voluit, ſed tamen in hunc voluit omnes eſſe paratos. Itaque quum eſſent in turba, qui ſic cogitarent apud ſeſe: quando veniet hoc tempus gloriæ, quod promittit: nonnulli fortaſſe non credebant unquam futurum, Jeſus hoc ſermone confirmabat illorum vacillationem. Habete pro indubitato quod dixi vobis: Filium hominis, quem nunc humilem, mox infra omnes homines abjectum conſpicietis, appariturum in majeſtate paterna cum omnibus Angelis & electis diſcipulis. Nec id tempus adeo procul abeſt. Sunt enim in hoc numero, qui priuſquam moriantur, viſuri ſunt regnum Dei jam adveniſſe cum virtute. Proinde paret ſe quiſque ut inveniatur dignus regno cœleſti. Hunc Domini ſermonem nec Apoſtoli tum temporis intelligebant, quod ſenſum haberet non ſimplicem. Nam poſt mortem, reſurrectionem, adſcenſionem Jeſu, poſtque miſſum cœlitus Spiritum Sanctum, cœperat exſerere ſe vis illa grani ſinapis, hoc eſt, Euangelicæ doctrinæ.

2 *Et poſt dies ſex aſſumit Jeſus Petrum, & Jacobum, & Joannem: & ducit illos in montem excelſum ſeorſum ſolos, & transfiguratus eſt coram ipſis.*

2 Porro ne quid addubitarent diſcipuli, quin olim præſtaturus eſſet, quod de majeſtate ſecundi adventus promiſerat, voluit illis etiam ante mortem guſtum quendam futuræ majeſtatis exhibere, quatenus natura mortalis capere poſſet. Itaque poſt ſex dies Jeſus adjungit ſibi tres è ſelectis duodecim, velut eximios, quibus hoc ſpectaculum crederet, tacituris donec tempus eſſet proferendi. Hi erant, Petrus, Jacobus & Joannes: eos ſolos abducit in montem vehementer excelſum. Procul enim oportet abeſſe ab humilium rerum ſollicitudine, quos Jeſus dignetur tali ſpectaculo. Dignatur enim & hodie quibuſdam ſelectis, ſubvectis in montem puræ contemplationis, aliquem æternæ felicitatis guſtum præbere ſecretis afflatibus. Hoc nec intelligit populus in campeſtribus verſans, & ſi quis narret, non habet fidem. Ubi ventum eſt in montis cacumen, primum vacatum eſt precationi. Hæc potiſſimum oculos cordis præparat tali ſpectaculo. Et ecce inter precandum ſubito mutata eſt Jeſu ſpecies. Facies enim, quæ prius viſa eſt nihil differre à forma vulgari, Solis in morem reſplendebat.

3 *Et veſtimenta ejus facta ſunt ſplendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere.*

3 Tum veſtes pluſquam niveo quodam candore relucebant, qualem nemo fullonum poteſt arte ſua pannis inducere.

4 *Et apparuit illis Elias cum Moyſe: & erant loquentes cum Jeſu.*

4 Nec ſolus ita viſus eſt Jeſus, ſed una viſus eſt Elias ac Moſes, colloquentes cum Jeſu. Erat hoc Moſi, colloqui cum Deo, & Elias igneo curru legitur raptus in cœlum. Nimirum horum cum Jeſu colloquium deſignabat conſenſum Legis ac Prophetarum. Lex enim Chriſtum figuris myſticis delinearat: Prophetæ ſuis vaticiniis Chriſtum talem venturum prædixerant, qualis venit Jeſus: & tamen Judæi recuſarunt credere. Argumentum colloquii erat glorioſus exceſſus, quem brevi peracturus erat in cruce Jeſus Hieroſolymis, ut hîc quoque mortis mentio, voluptatis magnitudinem, cujus nulla mens humana capax erat, temperaret.

5 *Et reſpondens Petrus, ait Jeſu: Rabbi, bonum eſt nos hic eſſe: & faciamus tria tabernacula, Tibi unum, & Moyſi unum, & Elie unum.*

5 Petrus autem raptus inenarrabili ſpectaculo, nec ſatis ſui potens, interrupit cœptum de morte colloquium, aitque: *Præceptor*, valeat Hieroſolyma, *bonum eſt nos hic eſſe. Proinde faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moſi alterum, tertium Eliæ.*

6 *Non enim ſciebat quid diceret: erant enim timore exterriti.*

6 Hæc Petri vox partim ex horrore mortis, quem penitus imbiberat, partim ex delectatione ſpectaculi, quæ illum velut ebrium reddiderat, profecta eſt. Etenim velut extra ſe raptus, neſciebat quid loqueretur. Tantus pavor obſtupefecerat animos mortalium, nondum capaces divinæ majeſtatis.

7 *Et facta eſt nubes obumbrans eos: & venit vox de nube, dicens: Hic eſt filius meus charissimus: audite illum.*

7 Itaque ne abſorberentur magnitudine ſplendoris, oborta eſt nubes, quæ obumbrans Apoſtolos, lucem intolerabilem illis temperabat. Hic majeſtatis guſtus datus eſt oculis corporeis: datum eſt aliquid & auribus. Siquidem à nube vox Patris, & ipſa majeſtatis plena, profecta eſt, dicens: *Hic eſt Filius meus cariſſimus, eum audite.* Qua fronte adhuc reclamant Judæi Chriſto, quum Moſes & Elias, quibus plurimum tribuunt, Chriſto præbuerint teſtimonium: quum Patris vox, cujus illi religioſi cultores videri volunt, totam auctoritatem in Filium unicum transtulerit? Placebat gloria, ſed ad hanc pervenire qui volet, audiat Jeſum ad crucis imitationem vocantem: Petre, noli poſthac increpare Dominum tuum, ac præire cœleſti conſilio. Audiſti Patris vocem, Huic auſcultate, qui mihi Filius eſt unice carus. Hactenus audiſtis Moſen & Prophetas de Chriſto vaticinantes, defuncti ſunt illi ſuo munere. Adeſt quem promiſerant, nec poſthac audite pollicentes futura, ſed præſentem & ex me loquentem audite: nemo loquetur certiora. Quicquid ab hujus oratione diſſonat, rejicite.

8 *Et ſtatim circumſpi-*

8 Patris audita voce, ſubito ſcena verſa, alia rerum facies rediit. Quum enim circumſpicerent, velut

Digitized by Google

cientes, neminem amplius viderunt, nisi Jesum tantum secum.

ut experrecti somno, nihil eorum viderunt, quæ viderant antea, præter solum Jesum, qui solita specie rursus aderat discipulis suis. Per nebulam duntaxat ostenderat illis magnitudinem suam, & capere non poterant. Quid facerent, si veram ipsius sublimitatem aperuisset?

9 Et descendentibus illis de monte, præcepit illis ne cuiquam quæ vidissent, narrarent: nisi cum Filius hominis à mortuis resurrexerit.

9 Jesus igitur rursus ad suorum humilitatem sese demisit, ac relicto montis fastigio, descendit ad reliquos discipulos, ac multitudinem. Interim memento, doctor Euangelice, quanto magis te decet ad imbecillium capacitatem temet submittere, qui & olim talis fueris: & si quid habes sublime, Christi est, non tuum? *In descensu vero montis*, priusquam veniretur ad cœtum hominum, Dominus *Jesus interdixit* tribus *illis* discipulis: *ne cui narrarent quod viderant, nisi posteaquam filius hominis resurrexisset à mortuis.* Alii jussi tacere, tanto magis prædicabant.

10 Et verbum continuerunt apud se, conquirentes quid esset: Cum à mortuis resurrexerit.

10 At hi tres, quoniam audierant vocem Patris, *Ipsum audite*, obtemperant, & silentio premunt quod viderant, adeo, ut nec cæteris Apostolis indicarent ante tempus præscriptum. Non intelligebant, sed tamen credebant esse causam seriam, cur Jesus id nollet ante cognitam resurrectionem efferri in vulgus. Quid enim profecissent hoc narrantes, nisi quod incredulis ludibrio essent futuri? Quis autem credidisset vere talem apparuisse Jesum, quem mox vidissent tot ignominiis affectum? ac denique morientem in cruce? Sed interim discipuli, qui post auditam Patris vocem non audebant Jesu dictis diffidere, quum non intelligerent, quid sibi vellet hæc vox: *ubi filius hominis resurrexerit à mortuis:* disputabant inter sese, suspicantes fore, ut mox à resurrectione veniret illius regni gloria, cujus jam gustum ceperant.

11 Et interrogabant eum, dicentes: Quid ergo dicunt Pharisæi & Scribæ, quia Eliam oportet venire primum?

11 Sed obstabat huic suspicioni scrupulus quidam, propterea quod Jesu mors immineret, de quo jam sæpe illos admonuerat, & tertio à morte die promiserat se revicturum. At ex vaticinio Malachiæ didicerant venturum Eliam, antequam veniret dies Domini magnus. Hunc scrupulum quum ipsi inter sese parum explicarent, interrogant Jesum: Domine, inquiunt, præstitisti quod pollicitus es, vidimus claritatem regni Dei. Itaque quum resurrexeris, talem te venturum speramus, qualis nobis es visus. Sed quid est, quod ex Malachiæ prophetia dicunt Pharisæi, non venturum illum diem, nisi prius venerit Elias Thesbites, qui præparet populum in adventum illius diei ne Dominus feriat omnes anathemate? Atqui nondum venit Elias, quem vidimus tecum in monte: neque quicquam adhuc per illum est actum. Aut igitur non statim à resurrectione tua venturum est regnum Dei: aut alius est vaticinii sensus, quam tradunt Pharisæi.

12 Qui respondens, ait illis: Elias, cum venerit primo, restituet omnia: & quo modo scriptum est in Filium hominis, ut multa patiatur & contemnatur.

12 Ad hanc discipulorum interrogationem Dominus Jesus ambigue respondit, quod nondum essent capaces totius mysterii. Siquidem abhorrentes ab his, quæ magis ad ipsos pertinebant, tantum somniabant de gloria regni, cujus gustum ceperant: non intelligentes & hoc esse regnum Dei, quum propagato Euangelio, Spiritus cœlestis subigit omnem hujus mundi Satanæque potentiam. Id jam apparere cœperat, quum claudi ambularent, cæci viderent, muti loquerentur, leprosi mundarentur, Dæmones ejicerentur. Porro quando venturum esset hoc regnum, cujus gustum modo ceperant, Dominus noluit suos scire: sed tamen quo moderatius ferrent mortem Domini sui, quem supra modum amabant, patiebatur illos ad tempus somniare, brevi venturam regni claritatem, cujus specimen erat exhibitum in monte. Itaque responsum suum temperat, ut prophetiam approbet: nec Pharisæorum interpretationem in totum damnet, sed tantum refellat impiam illorum argumentationem, qua colligebant nondum venisse regnum Dei, quod Elias ille promissus à Malachia, nondum apparuisset in mundo. Jam enim venire cœperat spirituale regnum Dei, quod superbi Pharisæi non intelligebant: jam Elias juxta sensum mysticum venerat. Ait itaque Jesus: Et quod de Elia dixit Malachias, & quod de Filio hominis prædictum est à Prophetis, haud dubie futurum est. De Elia legitis, quod præveniens diem Domini magnum & horribilem, conversurus sit corda patrum ad filios, & cor filiorum ad patres: ut minores intelligant exhibitum, quod majoribus fuerat exspectatum. Hic igitur Elias antevertens, restituit omnia, ac depravata corrigit: ne Dominus magno omnium malo veniat, si offenderit imparatos. Sed quemadmodum verax est prophetia Malachiæ de præcursore Elia, ita verax est & cæterorum prophetia: quæ prædicit futurum, ut Filius hominis, prius quam aperiat majestatem suam, multa patiatur, contemtuique & ludibrio habeatur: denique & occidatur.

13 Sed dico vobis quia & Elias venit (& fecerunt illi quæcumque voluerunt) sicut scriptum est de eo.

13 Imo quod de Elia venturo prædictum est, jam peractum est: id quod ignoratum Pharisæis, ego vobis amicis indico. Nam Elias jam venit, qui nuntiavit adesse regnum Dei, & ad vitæ superioris pœnitentiam provocavit. Et tamen qui prophetiæ scientiam jactant, hunc non agnoverunt: sed fecerunt in eum, non quod ille promerebatur, sed quicquid ipsis collubitum est, qui magis amabant suum regnum, quam regnum Dei. Venit enim ille juxta Esaiæ ac Malachiæ vaticinia, vociferans in deserto, adesse diem Domini magnum & horribilem: jam securim admotam arboris radici, properaret quisque fugere venturam Dei vindictam. Sed hunc palam reprehendentem sine delectu personarum omnium vitia, spreverunt & occiderunt. Nec mitius tractaturi sunt Messiam, quam præcursorem tractarunt. Hoc sermone Jesus indicabat Joannem fuisse Eliam, non juxta corpus, sed juxta spiritus similitudinem: qui dum nec Pharisæis, nec Regibus parcit, conjectus est in carcerem, ac decollatus est. Quod fecerunt anteambuloni, id facturi sunt Domino. Idem facient his qui sequentur Apostolis. Quisquis enim sincere prædicavit regnum Dei venturum, multa passus est ab impiis: & quisquis prædicat sincere jam venisse, similia patiatur oportet.

14 Et veniens ad discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes cum illis.

14 Hujusmodi dictis Jesus avocavit à somnio gloriæ, ad futuram tempestatem quæ imminebat, hoc est, à jucundis ad necessaria. Interim ventum est in conspectum turbæ. Jam enim ingens multitudo collecta erat circa discipulos, quos in planitie reliquerat. Vidit & Scribas disputantes nescio quid cum discipulis suis.

15 Et confestim omnis populus videns Jesum, stupefactus est, & expaverunt, & accurrentes salutabant eum.

15 Populus autem universus, ut præter spem vidit Jesum, qui se cum paucis subduxerat, obstupuit & occurrens salutavit eum.

16 Et interrogavit eos: Quid inter vos conquiritis?

16 Non ignorabat Jesus quid disceptarent Pharisæi, sed tamen interrogat, quid esset rei, de quo disceptarent, ut omnibus esset notum quid ageretur.

17 Et respondens unus de turba, dixit: Magister, attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum:

17 Quum & discipuli pudore obticescerent, quod frustra tentassent ejicere Dæmonium: obticescerent & Scribæ, qui apud discipulos nomen Jesu velut inefficax calumniabantur: quidam è turba, qui dederat huic disputationi occasionem, rem, ut erat, exposuit Jesu: *Magister*, inquit, *adduxeram huc ad te filium meum, obnoxium muto Spiritui, à quo misere affligitur.*

18 Qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit: & dixi discipulis tuis ut ejicerent illum, & non potuerunt.

18 *Quoties enim corripit eum, elidit illum in terram, ac puer spumat, stridit dentibus ac vociferatur, & interim arescit & contabescit hac vexatione.* Quoniam autem tu non aderas, rogavi discipulos tuos, ut profligato Spiritu liberarent filium. Illi tentarunt, nec potuerunt.

19 Qui respondens ei, dixit: O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? afferte illum ad me.

19 Hoc audito Dominus, ut ostenderet fiduciæ imbecillitatem in causa fuisse, quo minus liberatus esset juvenis, velut indignans, ait apud se: O natio incredula, quæ tot miraculis editis, nondum adduci potes ut confidas? Quandiu vivens in terris lu-

Digitized by Google

ctabor cum veſtra diffidendi pertinacia? Quandiu feram vos? Quando proficietis ad ea, quæ ſunt ſpiritus? Quando credetis ea, quæ non videtis: quum nec ea credatis, quæ cernitis oculis corporeis? Adferte illum ad me.

20 Et attulerunt eum. Et cum vidiſſet eum, ſtatim ſpiritus conturbavit illum: & eliſus in terram, volutabatur ſpumans.

20 Et attulerunt eum ad Jeſum. Tenax malum, cui à teneris aſſuevit peccator. Cæterum ubi perductus eſt ad Jeſum, magis etiam conturbatur, exorta lucta inter ſpiritum reſipiſcere cupientem, & cupiditatem ad ſolita revocantem. Mox enim ut Spiritus viderat Jeſum, ſenſit inimicam virtutem, & corripit ac divexat hominem, iſque eliſus in terram volvebatur ſpumans. Erat id ſpectaculum toti populo miſerabile, verum, longe miſerabilius ſpectaculum eſt, quum eadem patitur in animo peccator, magnis & inveteratis malis obnoxius. Sed nullum eſt malum immedicabile Jeſu.

21 Et interrogavit patrem ejus: Quantum temporis eſt ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia.

21 Dominus, ut cæteri quoque cognoſcerent mali magnitudinem, rogavit patrem, quantum temporis eſſet, quod filius ei malo cœpiſſet eſſe obnoxius. Reſpondit pater: *Ab infantia.*

22 Et ſæpe eum in ignem, & in aquas miſit, ut eum perderet, ſed ſi quid potes, adjuva nos, miſertus noſtri.

22 Nec tantum, inquit, hunc in modum vexat eum Spiritus, verum etiam *frequenter illum nunc in ignem, nunc in aquam præcipitem agit, ut interficiat eum.* Audis malum in naturam verſum, & atrox: & ideo pater timet, ne ſit immedicabile. Adjecit enim: *Attamen ſi quid potes, adjuva nos, miſertus noſtri.* Recte implorat Jeſu miſericordiam, qui nulla merita poterat allegare: ſed audis vacillantem fiduciam, quum ait: *Attamen ſi quid potes.*

23 Jeſus autem ait illi: Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti.

23 Eam corrigens Jeſus, ait: Noli dubitare quid ego poſſim. Nam ſi tu potes confidere, nihil eſt quod non impetret firma fiducia.

24 Et continuo exclamans puer, cum lacrymis ajebat: Credo, Domine: adjuva incredulitatem meam.

24 Ad hanc vocem illico pater concepta certiore ſpe, & clamore & lachrymis teſtificans vehemens animi deſiderium, ait: Confido Domine, & ſi quid deeſt meæ fiduciæ, tu ſuccurre imbecillitati meæ. Interim ad ſpectaculum concurrit undique turba.

25 Et cum videret Jeſus concurrentem turbam, comminatus eſt ſpiritui immundo, dicens illi: Surde & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo: & amplius ne introeas in eum.

25 Hanc ubi vidit Jeſus jam adeſſe (nam eam volebat eſſe teſtem miraculi) depromſit vocem illam omnipotentem; qua, quum vult, mortuos etiam in vitam revocat. Interminatus eſt enim impuro Spiritui, ni protinus exiret, dicens: *Surde & mute Spiritus, ego tibi impero, ut exeas ab homine, & ne poſthac ingrediaris in illum.* Indignatur Spiritui Jeſus, ut hominis miſereatur: nobis exemplum præfigens, quid agendum ſit in ſanandis peccatoribus. Sic infectanda ſunt vitia, ut hominis ſalutem amare videaris. Ut autem intelligas inanem eſſe hominis operam, ni Chriſtus tacite vocem ſuam addat; diſcipuli juſſerant exire Spiritum, ſed fruſtra, quoniam aberat Jeſus. Abeſt autem, quoties friget ac vacillat fides, per quam vult impetrare nos omnia.

26 Et exclamans, & multum diſcerpens, eum, exiit ab eo, & factus eſt, ſicut mortuus, ita ut multi dicerent: Quia mortuus eſt.

26 Quid autem factum eſt ad vocem imperioſam Jeſu? Protinus exiit Spiritus, ſed ut intelligeres eum invitum demigrare, vociferans, multumque divexans miſerum. Jacebat enim mortuo ſimilis, adeo ut multi dicerent eum mortuum eſſe. Vides imaginem pœnitentis, & à magnis aſſuetiſque vitiis reſipiſcentis. Jam odium peccati, liberavit à peccato: ſed proximus eſt deſperationi, qui & turpitudinem ſuam agnoſcit, & Dei juſtitiam cogitat. Sed tamen feliciter mortuus jacet, qui peccato mortuus eſt. Supereſt enim ut incipiat vivere juſtitiæ.

27 Jeſus autem tenens manum ejus, elevavit eum, & ſurrexit.

27 Et hoc beneficium addit benigniſſimus Jeſus, ſine quo nulla ſalus eſt. Arripit manum jacentis; & attollit exanimatum: ac protinus qui videbatur mortuus, vigore recepto, ſurgit validus & alacer beneficio Chriſti: qui fruſtra liberatus erat à Dæmonio per patris fidem, niſi ad pie vivendum Jeſus novam addidiſſet gratiam. Jam audit ſurdus, qui prius habebat aures terrenis cupiditatibus obturatas adverſus ſermonem Euangelicum. Jam loquitur mutus, qui prius linguam habebat impeditam carnis affectibus. Jam quietus eſt ac tranquillus, qui prius nunc libidinis, nunc ambitionis, nunc iræ, nunc invidiæ, nunc avaritiæ percitus œſtro velut impuri violentique Dæmonis impulſu ferebatur.

28 Et cum introiſſet in domum, diſcipuli ejus ſecreto interrogabant eum: Quare nos non potuimus ejicere eum?

28 Hæc omnia taciti ſpectabant Apoſtoli, non audentes interpellare Dominum. Tacebant & Scribæ, videlicet ipſa re docti, ſanationem hominis non fuiſſe retardatam ob nomen Jeſu parum efficax, ſed ob imbecillitatem credulitatis ac fiduciæ. Nam quod juveni factum eſt juxta corpus, hoc in Phariſæis agebatur juxta ſpiritum. Ideo non ſanabantur, quia non credebant ſermoni, per quem ſolum poterant ſanari. Cæterum quum Jeſus introiſſet in ædes, diſcipuli ſemotis arbitris interrogabant eum, quid fuerit in cauſa, cur ipſi non potuerint hunc Dæmonem ejicere, quum antea multos ejeciſſent in nomine Jeſu. Ceperat enim animos illorum ſollicitudo quædam humana, ne quid imprudentes offendiſſent Dominum, & virtutem edendi miracula, ſemel ab ipſo traditam, perdidiſſent.

29 Et dixit illis: Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione, & jejunio.

29 Jeſus autem, qui non ſolet eripere quod ſemel dedit, ſed augere, non vult tamen ſua munera ſecure & oſcitanter haberi: jamque in patre ſanati ſatis indicarat, fidei imbecillitatem obſtetiſſe, quo minus exiret Dæmonium: quæ nondum tanta erat in Apoſtolis, quantam oportebat eſſe: reſpondit eſſe peculiare quoddam Dæmonum genus, quod expelli nequeat, niſi adhibita precatione & jejunio. Sunt enim hæ duæ machinæ, quæ plurimum valent adverſus impios Dæmones. Etenim precatione renovatur & excitatur vigor fidei, quemadmodum accidit patri, qui dixerat: *Domine, ſuccurre incredulitati meæ.* Jejunio, quod omnium carnalium voluptatum abſtinentiam complectitur, domatur carnis rebellio, debet autem ipſe ſpiritum habere purum, qui conatur ab aliis Spiritus immundos ejicere. Jeſus autem cum tribus redibat ab recenti precatione. Cæteri diſcipuli cum multitudine verſantes, nec precabantur, nec jejunabant, & ob id impares erant ejiciendo Dæmonio tam pertinaci, tamque familiari. Quo magis in nobis creſcit fiducia noſtri, hoc magis decreſcit virtus edendi miracula: quo magis in nobis emortua fuerit poteſtas carnis, hoc magis roboratur ſpiritus cœleſtis, per quem ejiciuntur impuri Spiritus. Itaque frequenter orandum, ut augeſcat in nobis robur fidei: ſemperque mortificanda caro, ut in nobis vivat ſpiritus Jeſu Chriſti. Denique jam illos in illam horam præparat, qua jubebuntur vigilare & orare, ne incidant in tentationem. Sed quia dormitabant à cœna, vicit carnis infirmitas.

30 Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam: nec volebat quemquam ſcire.

30 His rebus ita peractis, Jeſus una cum diſcipulis ſuis cœpit proficiſci in Judæam, prætérita Galilæa, idque veluti fortuito itinere: non quod metueret mortem, quam ardentiſſime ſitiebat, ſed ne videretur ante tempus Sacerdotum ac Phariſæorum animos ad homicidium irritaſſe. Hanc formidinis ſpeciem in ſe ſuſcepit, ut à ſuis omnem eximeret formidinem, & ipſe ſuſceptæ naturæ imbecillitatem exprimeret.

31 Docebat autem diſcipulos ſuos, & dicebat illis: Quoniam filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum, & occiſus tertia die reſurget.

31 Inter eundum autem rurſus inculcat diſcipulis ſuis, quod jam non ſemel audierant. Dicebat enim: Omnino futurum eſt, quod toties dixi: Filius hominis tradetur in manus hominum, ut capiatur, ut condemnetur, ut illudatur, ut flagelletur, ut occidatur. Ad hæc, quæ ſine dubio inſtant, præparandus eſt animus. Non autem poterit eſſe præparatus, niſi liber ab omnibus humanis affectibus, ſpiritus vigore confirmetur. Scio perturbat vos mortis mentio. Sed oportet forti eſſe animo. Non diu vos deſeram. Nam tertio die reviviſcam. Tantus autem torpor obſederat animos diſcipulorum, ut hunc ſermonem, tametſi dilucidum, non intelligerent, ſuſpicantes aliquid ænigmatis ſubeſſe, quandoquidem meminerant ſeſe dictis ejuſmodi figuratis aliquoties fuiſſe falſos, veluti quum juberentur cavere à fermento Phariſæorum.

32 Nec-

Digitized by Google

32 *At illi ignorabant verbum: & timebant interrogare eum.*

32 Necdum animo concipere poterant myſterium crucis, neque conjectare, quorſum attineret occidi, ſi mox eſſet revicturus, quum qui reviviſcere poteſt, ubi velit, idem poſſit, ſi velit, non mori. Proinde, quanquam hoc ſermone vehementer offenderentur, tamen non audebant interrogare Jeſum, exemplo Petri deterriti, cui parum feliciter ſucceſſerat hac de re Dominum interpellaſſe. Audierant enim: Vade poſt me Satana. Adhuc ſapiebant ea, quæ ſunt hominum. Nam Dei conſilium erat, ut agni immaculati victima Deus humano generi reconciliaretur, condonatis per fidem peccatis omnibus. Diſcipuli vero regnum quoddam mundanum ſomniabant. Itaque inter viam orta eſt inter ipſos diſputatio, quis eſſet primas habiturus in regno Dei, quod mox ſperabant appariturum. Viderant paulo ante tres diſcipulos prælatos cæteris in conſcenſu montis; viderant Petrum omnibus prælatum in tradendis clavibus regni cœlorum: & tamen erant illo natu majores quidam, etiam ſanguinis propinquitate contingentes Dominum.

33 *Et venerunt Capharnaum. Qui cum domi eſſent, interrogabat eos: Quid in via tractabatis?*

33 Quum autem ventum eſſet Capernaum, Dominus privatim interrogabat illos, quid eſſet illud, de quo clanculum inter ſeſe diſputaſſent in itinere.

34 *At illi tacebant. ſiquidem in via inter ſe diſputaverant, quis eorum major eſſet.*

34 At illis pudore obticeſcentibus, quum facile ſuſpicarentur fore, ut hunc ambitionis affectum improbaret Dominus, omnis modeſtiæ doctor:

35 *Et reſidens vocavit duodecim, & ait illis: Si quis vult primus eſſe, erit omnium noviſſimus, & omnium miniſter.*

35 Jeſus, quo penitus hunc affectum longe peſtilentiſſimum ex animis ſuorum revelleret, conſedit, veluti rem ſeriam cum auctoritate traditurus, juſſitque adeſſe duodecim Apoſtolos, & ait: Si quis in regno cœlorum volet eſſe primus, is erit omnium poſtremus, ac miniſter omnium: tantum abeſt, ut ex regnis hujus mundi æſtimari oporteat regnum cœlorum.

36 *Et accipiens puerum, ſtatuit eum in medio eorum: quem cum complexus eſſet, ait illis:*

36 Mox, quo magis infigeret hanc doctrinam animis diſcipulorum, vocat ad ſe puerum puſillum, & hunc ſtatuit in medio diſcipulorum. Eum ubi complexus eſſet, ſignificans quam averſaretur ſuperbos, quamque diligeret humiles ſpiritu ac modeſtos.

37 *Quiſquis unum ex hujuſmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit: & quicumque me ſuſceperit, non me ſuſcipit, ſed eum, qui miſit me.*

37 Videtis, inquit, hunc parvulum? Quid abjectius aut humilius juxta mundum? At qui tales ſunt animi modeſtia, ſimplicitate, innocentia, qualis hic eſt ætate, hi ſunt apud me maximi pretii. Nam æquum eſt mihi cariſſimos eſſe, qui mei ſimillimi ſunt. Non æſtimatur hic dignitas ex opibus, cenſu, potentia, faſtu & violentia. Nam qui tales ſunt, ut ſunt Regibus Ethnicis ſimillimi, ita plurimi ſunt apud illos pretii. Quemadmodum Reges in primatibus ſuis ſeſe vel honorari credunt, vel lædi, ita ego in regno Euangelico in hujuſmodi parvulis, quos ob innocentiam, ſimplicitatem ac modeſtiam contemnit mundus, me vel honorari credo, vel contumelia affici. Si quid noviſtis me ſummiſſius, illum pro ſummate ducite in regno cœlorum. Quod ſi neminem invenietis, me primatem habete: & ut quiſque proxime acceſſerit, contemtu rerum earum, quas in Principum aulis affectant magnates, ita ſummatem eſſe judicate. Quiſquis igitur unum ex hujuſmodi puellis receperit in nomine meo, me recipit; in his enim recipi gaudeo, quos ut mei ſimiles amo. Porro qui me receperit, qui ſum omnium infimus juxta mundum, non me recipit, ſed eum qui me miſit. Ut enim magiſter honoratur aut læditur in diſcipulis, ita Pater læditur aut honoratur in Filio. Atque hoc ſermone Jeſus non ademit auctoritatem his, qui præſunt gregi Dominico, ſed omnem detraxit ambitionem. Neque enim humilitas hujus generis parvulorum æſtimatur corporis modo vel robore, ſed animi modeſtia, quæ ſibi nihil altum in hoc mundo vindicat, nec uſquam ſuis fidit viribus, ſed ſimplici fiducia pendet ex Chriſto.

38 *Reſpondit illi Ioannes, dicens: Magiſter, vidimus quendam in nomine tuo ejicientem*

38 Ex hujus ſermonis occaſione ſubortus eſt alter ſcrupulus diſcipulis, quem Joannes ita proponit: Magiſter quum miſiſſes nos ad prædicandum regnum Dei, vidimus quendam in nomine tuo ejicientem Dæmonia, qui tamen nec erat de numero duodecim, nec de numero ſeptuaginta, quos poſtea deſignatos emiſiſti, nec omnino de numero diſcipulorum, qui ſequuntur nos. Hunc igitur, velut alienum à tuo conſortio, prohibuimus, recte ne an ſecus, incerti.

dæmonia, qui non ſequitur nos, & prohibuimus eum.

39 *Ieſus autem ait: Nolite prohibere eum: nemo eſt enim qui faciat virtutem in nomine meo, & poſſit cito male loqui de me.*

39 Jeſus autem reſpondit: Iſtiuſmodi nolite prohibere, qui quocunque modo conducunt Euangelio propagando. Non enim oportet eſſe faſtidioſos in recipiendis his, qui ſtudent rem Euangelicam qualicunque ſtudio provehere. Non eſt ſpectandum an ſequatur nos, ſed an prædicet nomen noſtrum. Quod ſi invocato meo nomine ejicit Dæmonia, non facile poteſt de me male loqui. Quod ſi faciat, res ipſa redarguet eum. Dicetur enim illi: Qua fronte obtrectas nomini, quod in edendis miraculis expertus es potens & efficax? Nolite facile ſuſpicari eum malo animo facere, qui rem piam facit.

40 *Qui enim non eſt adverſum vos, pro vobis eſt.*

40 Qui non repugnat Euangelio, hoc ipſo juvat Euangelium, quod adverſas partes non adjuvat. Quiſquis non adverſatur vobis, pro vobis facit. Nova res per omnem occaſionem eſt promovenda, quam ſinceris animis, veſtra nihil refert, modo quocunque pacto profit negotio quod agitis?

41 *Quiſquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Chriſti eſtis: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.*

41 Nec enim ſolum hi mercedem ob Euangelii negotium provectum ferent, qui in nomine meo Dæmonia ejecerint, verum etiam qui pro ſuis facultatibus vel minimum aliquod momentum attulerint. Quiſquis enim vobis vel aquæ frigidæ potum dederit in nomine meo, hoc eſt, quia mei eſtis diſcipuli, meumque negotium agitis, pro certo habete, non eſt cariturus mercede ſua.

42 *Et quiſquis ſcandalizaverit unum ex his puſillis credentibus in me: bonum eſt ei magis ſi circumdaretur mola aſinaria collo ejus, & in mare mitteretur.*

42 Quod ſi quis obſtiterit his, per quos Euangelicum negotium promovetur, promovetur autem non per iſtos, quos mundus pro magnis ducit, ſed per puſillos, ſimplices & humiles: ſi quis tamen cuipiam ex puſillis his, qui fiduciam ſuam in me collocarunt, offendiculo fuerit, adeo non effugiet ſupplicium, ut levius puniendus eſſet, ſi ſaxo molari collo ipſius alligato, conjiceretur in mare. Principes hujus mundi pœnis atrocibus afficiunt, per quos impediuntur quæ præfectis ſuis mandarunt, ſuffigunt in crucem, nonnunquam & in quatuor diſſecant partes, aut è ſaxo præcipitant, aut alligatos ſaxo, ne poſſint emergere, in mare demergunt. Adeo nolunt offendi magnates ſuos, quibus utuntur miniſtris ad ſuam tyrannidem, hoc eſt, ad opprimendum populum. At multo gravius Deus puniet eos, qui parvulis ſuis, per quos cœleſtis regni negotium ad ſervandos omnes homines tractari voluit, obſtiterint, quo minus exſequantur Regis ſui mandata. Nam quamvis hæc videbuntur ad tempus id facere impune, tamen gehennæ ſupplicium non effugient. Nullum autem mortis genus hujus mundi tyranni potuerunt excogitare, quod cum illo ſupplicio poſſit conferri, quo corpus ſimul & anima perenni cruciatu morientur, nec mori licebit.

43 *Et ſi ſcandalizaverit te manus tua, abſcinde illam: bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem:*

43 Proinde ne vos cogitetis de vindicta, peragite negotium veſtrum, Deus ſumet pœnas de his qui vobis obſtiterint. Quod ſi offendiculum naſcatur non à perſequutore, ſed ab his qui videntur eſſe amici, nihil tam carum oportet habere, ut hujus gratia deſeratur Euangelica functio. Finge manum eſſe dextram, hoc eſt, finge patrem aut amicum vehementer neceſſarium: finge oculum eſſe dextrum, hoc eſt, uxorem adamatam ac dulces liberos: finge pedem eſſe, hoc eſt, famulum aut procuratorem, cujus opera carere non poſſis in hujus vitæ negotiis: amputa manum, erue oculum, abſcinde pedem ab Euangelico negotio remorantem. Si potes patrem ac matrem, fratres ac ſorores tecum adducere ad ſalutem Euangelicam, facito: ſin horum caritas te revocat ab

Digitized by Google

Euangelio, futurumque eſt, ut dum illi per te ſervari nolunt, tu ſimul cum illis pereas, exſue naturæ affectum, & humanam pietatem vincat Euangelica pietas, & hoc fac in animæ periculo, quod faceres in periculo corporis. Si res urgeret, ut aut occidendus eſſes, aut manus jactura ſervanda vita, non dubitares amputare manum, & unius membri quamvis neceſſarii diſpendio vitam redimere. Optabilius erat ſimul cum parentibus & amicis ſervari per Euangelium, verum ſi id non licet, præſtat te deſertis parentibus, qui non ſolum ſervari nolunt, verum te conantur in exitium pertrahere, veluti mutilum ingredi ad vitam, quam una cum parentibus & amicis conjici in gehennam, hoc eſt, in ignem inexſtinguibilem.

44 Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

44 Ibi vermis, arrodens pœnitentia miſerorum conſcientiam, non moritur. Vivunt enim tantum in pœnam. Ibi ignis, quo cruciantur, nunquam exſtinguitur. Utroſque pœnitebit, ſed ſero, & fruſtra, & te male obſequutum parentum affectibus ad perniciem, & illos non obtemperaſſe ad ſalutem invitanti. Nec illorum calamitas te ſublevabit, nec tuus cruciatus illorum pœnam imminuet.

45 Et ſi pes tuus te ſcandalizat, amputa illum: bonum eſt tibi claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis.

45, 46 Porro ad Euangelii negotium properanti, non imputabitur parentis exitium, qui ſervari noluerit. Sic & pedem amputa, cogitans eſſe ſatius, ut claudus aut mutilus pervenias ad vitam æternam, quam ut pedibus integris conjiciaris in gehennam, ubi nec incendium exſtingui poteſt, nec vermis moritur.

46 Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

47, 48 Nihil eſt homini carius oculo, nihil eſt uxore dulcius, aut liberis ſuavius. Verum ſi res urgeat, ut aut horum gratia deſerendum ſit Euangelium, & una cum illis pereundum: aut illi, quibus nihil habes juxta affectum humanum carius, deſerendi: ne cunctéris eruere oculum & abjicere, reputans multo ſatius eſſe, luſcum ingredi regnum cœlorum, ubi perpetua vita eſt, quam utroque oculo incolumi conjici in gehennam. Ne quid hîc te moveant uxoris lachrymæ, aut liberorum blanditiæ. Stulte plorant ſe deſeri, qui ſequi poterant ſi vellent. Omnes affectus humani poſthabendi ſunt, quoties urget præceptum Dei. Omnia diſpendia rerum corporalium pro lucro ducenda ſunt, quoties paranda eſt vita æterna.

47 Quod ſi oculus tuus ſcandalizat te, ejice eum: bonum eſt tibi luſcum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis:

49 Non eſt delicata profeſſio mei nominis, coorientur undique quæ vos ab inſtituto retrahant, perſequutio, affectus humani: verum his omnibus oportet eſſe ſuperiores, qui ſuſcipiunt negotium Euangelicum. Totum ſe divinæ voluntati dedat & conſecret oportet, qui velit eſſe idoneus adminiſtrator Euangelicæ doctrinæ, ut nec ullis perſequutionum terroribus, nec ullis carnalium affectuum illecebris corruptus deflectat à ſinceritate veritatis Euangelicæ. Quemadmodum enim nulla victima juxta Moſi præſcriptum legitima eſt, niſi quæ vel igni ſalitur, vel ſale, vel utroque: ita quiſquis Euangelicam Philoſophiam volet profiteri, neceſſe eſt ut igni purgetur ab omnibus humanis affectibus: & ſale condiatur, ne poſſit corrumpi malorum contagio. Diluta & inſipida eſt hujus mundi ſapientia, nec ſervat hominem ab hujus mundi corruptione, nec alios ſervare poteſt. Atqui utrunque præſtare oportet doctorem Euangelicum, ut & ipſe ſit incorruptus, & ab aliis eximat corruptelam. Non præſtat hoc Philoſophorum ſapientia, non Phariſæorum doctrina, ſed ſola Philoſophia Euangelica, quæ veritatis acrimonia emordet & conſumit quicquid in homine eſt obnoxium corruptioni. Idem efficit ignis ille divini Spiritus, conſumens ac repurgans ex animis omnes carnales affectus, & quodammodo transformans in Deum quicquid corripuerit, ut qui prius affixi fuerant curis rerum terrenarum, nunc his contemtis rapiantur ad cœleſtia. Hoc ſale quiſquis conditus eſt, non poterit ullis illecebris corrumpi à ſinceritate ſpiritus Euangelici: hoc igni qui purgatus eſt, contemnet quicquid intentare poteſt perſequutor.

48 Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

49 Omnis enim igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur.

50 Nihil melius igni, ſi quis recte utatur: nihil utilius ſale. Cæterum ſi ignis refrixerit, ſi ſal fiat inſulſus & evanidus, quid reliquum eſt quo condiantur inſulſi? Si, qui profitentur ſpiritum Euangelicum, territi minis hominum, deſerant inſtitutum, ac metu blandiantur ſtultitiæ Principum, quam oportebat fortiter redarguere, quid ſupereſt ſpei? Si, qui ſalem Euangelicum profitentur, non ſolum acrimonia veritatis non ſanant aliorum corruptos affectus, ſed ipſi in gratiam parentum aut amicorum ob res terrenas excidunt à ſpe regni cœleſtis, ac lucrifaciunt gehennam, &, quod eſt omnium ſceleratiſſimum, ipſam Euangelicam doctrinam interpretantur ac detorquent ad affectus & cupiditates humanas, quid ſupereſt, per quod humana ſtultitia condiatur, ſimul & corruptis his, per quos id fieri conveniebat, & vitiato eo, quod unum relictum eſt mundo, ut aliquando reſipiſcat? Proinde ut poſſitis & perſequutionum ſævitiam vincere, & omnes humanos affectus Euangelii gratia contemnere, ut poſſitis & veſtræ ſaluti conſulere, & quam plurimos ad ſalutem adducere, habeat in ſe quiſque veſtrum ſalem Euangelicum, & habete pacem & amicitiam inter vos mutuam. Sal faciet incorruptos, concordia faciet robuſtos ac potentes. Ubi diſſidia ſunt, ibi non eſt ſal Euangelicus. Ubi ambitionis morbus eſt, ibi nec pax eſt, nec ſal. Ideo Philoſophi inter ſeſe pugnant, quia non habent hunc ſalem, ideo Phariſæis male convenit cum Sadducæis & Herodianis, quia corrupti pravis affectibus carent Euangelico ſale. Veſtra doctrina condiet ſtultitiam mundi, ſi ſenſerint homines, in veſtris affectibus nihil eſſe corruptum aut putre, vel ſtudio gloriæ, vel amore pecuniæ, vel cupiditate vindictæ, vel metu mortis, vel deſiderio vitæ, vel ullo denique humano affectu, & ſi, quemadmodum veſtra vita reſpondebit doctrinæ, ita inter vos conſentietis. Conſentietis autem, ſi procul abjecto omni ambitionis vitio, quo laborant qui regnum affectant hujus mundi, cœleſtem doctrinam, quam à me accepiſtis, ſinceriter aliis impartiatis.

50 Bonum eſt ſal: quod ſi ſal inſulſum fuerit: in quo illud condietis? Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos.

CAP. X.

Conjugium an ſolvi quit? opes nocuæ: omnia linquunt: Stulta petis genitrix: tu quoque cæce vides.

1 POSTQUAM hujuſmodi monitis Dominus Jeſus ſatis inſtruxiſſet animos diſcipulorum adverſus tempeſtatem imminentem, relicta Galilæa profectus eſt in eam Judææ partem, quæ eſt ultra Jordanem, in qua primum docuit Joannes. Jam ſic undique inclaruerat fama Jeſu, ut nuſquam poſſet latere. Mox igitur & huc confluunt turbæ, quemadmodum aliis in locis conſueverant, nec unquam ille fatigabatur benefaciendo omnibus, ſanandis corporibus, docendis animis.

1 Et inde exurgens venit in fines Judææ ultra Jordanem: & convenium iterum turbæ ad eum: & ſicut conſueverat, iterum docebat illos.

2 Nec hîc deſunt Phariſæi, nuſquam non ſui ſimiles. Multitudo quærit ſanitatem, quærit doctrinam. Phariſæi malunt inſidiari, quam ſanari, tentare, quam diſcere. Atque interim religionis ſpeciem prætexunt ſuæ malitiæ, ac diſcendi ſtudium obtendunt ſuæ fraudulentiæ. O indocilem ſapientiam! accedunt ad Jeſum corpore, à quo longe diſtabant animis. Objiciunt captioſum problema, dicentes: Quid tu ſentis Magiſter noſter? num fas eſt viro repudiare uxorem? Hanc cornutam quæſtionem inter ſe commenti fuerant, ſperantes fore, ut vel in hoc, vel in illud cornu reſpondens incurreret. Pronuntiarat beatos, qui ſe caſtrarent propter regnum Dei. Itaque ſi, quum faveret caſtitati, pronuntiaſſet licere dimittere uxorem, alterius ducendæ gratia, quemadmodum paſſim faciebant Judæi, videretur docere pugnantia: ſi reſpondiſſet non licere, objeciſſent violatam Legis auctoritatem, quæ permittit marito jus repudiandi.

2 Et accedentes Phariſæi interrogabant eum: Si licet viro uxorem dimittere: tentantes eum.

3 Do-

Digitized by Google

3 *At ille respondens dixit eis: Quid vobis præcepit Moyses?*

3 Dominus autem ut prudentes caperet sua ipsorum versutia, nam ex Lege paraverant laqueum, rogavit eos: Quid opus est me percunctari, quum Legis peritiam profiteamini? Quid Moses de his rebus præcepit vobis?

4 *Qui dixerunt: Moyses permisit libellum repudii scribere, & dimittere.*

4 Illi responderunt: Moses, si quid maritum offenderet in uxore, permisit ut dato libello repudii dimitteret eam, & aliam, si videretur, duceret. Hanc Legis permissionem sic interpretabantur Pharisæi, quasi recte facerent, qui ob quamlibet leves causas repudiarent uxores suas, & alias ducerent domum, non intelligentes mentem Legislatoris, quam ex Geneseos exordio poterant deprehendere.

5 *Quibus respondens Jesus, ait: Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud.*

5 Ait itaque: Quod Moses vobis permisit jus repudiandi, nequaquam favit divortio, sed indulsit maritorum libidini, maluitque concedere levius malum, quam aperire fenestram atrocioribus. Maluit iniquum divortium, quam homicidium, veneficium aut etiam parricidium. Novit enim duritiam cordis vestri, cui remedium hoc datum est, ne veniretur ad sceleratiora.

6 *Ab initio autem creaturæ, masculum & feminam fecit eos Deus.*

6 Cæterum in paradiso, prius quam ad hanc malitiam prolapsa esset humana natura, non sic est institutum matrimonium, ut ex libidine mariti fieret divortium, sed ut perpetuum & indivulsum inter maritum & uxorem esset conjugium. Primum enim unum uni conjunxit Deus, marem fœminæ, inter quos tantam voluit esse caritatem, ut nulla posset incidere divulsio.

7 *Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit ad uxorem suam.*

8 *Et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro.*

7,8 *Propter hoc*, inquit, *relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & duo redigentur in carnem unam, ita ut* jam corpore simul & animo conglutinati, *non sint duo homines, sed unus homo*, ut tristium ac lætorum omnium sit inter eos communio.

9 *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

9 Hæc verba palam declarant, Deo non placuisse divortium, alioqui rescinderet quod primum instituerat. Sed Moses præter voluntatem Dei permisso repudio, consuluit ad tempus vestræ duritiei, levius ducens adulterium quam parricidium. Si placet indulgentia Mosi, agnoscite & causam, qua coactus indulsit. Proinde quod ipse Deus initio sic conjunxit, ut esset indivulsum, ne distrahat homo. Deponite cordis duritiam, & non erit nec opus nec locus divortio. Hujusmodi temperatura responsionis Jesus asseruit præceptum Dei, nec Mosen tamen damnavit, nec castitatis laudem imminuit, nec se Pharisæorum captioni præbuit, quin potius eos cepit qui captatum venerant.

10 *Et in domo iterum discipuli ejus de eodem interrogaverunt eum.*

10 Cæterum ubi ventum esset in ædes, ac privatim hac ipsa de re percunctarentur Apostoli, Jesus apertius damnavit repudium.

11 *Et ait illis: Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam.*

11 *Quicunque*, inquit, *repudiaverit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit adversus illam.*

12 *Et si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.*

12 *Rursus si uxor relicto marito, nupserit alteri, committit adulterium* adversus maritum priorem. Non enim convenit Euangelii professores habere cordis duritiam, ut uxoris mores nec ferre possint, nec velint civiliter corrigere, sed concepto quibuslibet ex causis odio, machinentur homicidium, nisi se subducat uxor. Hic animus est Judaicus, à quo oportet abesse meos discipulos. Judæus ob oris halitum graviorem, ob oculi lippitudinem, aut aliud simile vitium repudiat uxorem, quum inter Euangelicos una duntaxat causa dirimat conjugium, hoc est, violata conjugii fides. Uxor enim, quæ sui corporis copiam fecit alteri, jam, etiamsi non repudietur, desiit esse uxor. Et maritus, qui sui corporis copiam fecit alienæ, jam ante divortium maritus esse desiit. Quemadmodum ignis non est ignis, nisi caleat: ita conjugium non est conjugium, nisi ex duobus fiat unus. Ex tribus aut quatuor una caro fieri non potest.

13 *Et offerebant illi parvulos ut tangeret illos. Discipuli autem comminabantur offerentibus.*

13 His dictis, aderant quidam adducentes infantulos, ut Jesus imposita manu benediceret illis. Viderant illius contactu pelli morbos, confidebant & infantibus profuturum adversus incommoda, quibus multis ætas imbecillis esse solet obnoxia. Discipuli vero suspicantes, Dominum majoribus intentum non esse fatigandum hujusmodi levioribus negotiis, arcebant pueros, ne venirent ad Jesum, & increpabant eos, qui adducebant, quasi importunitate sua Domino facesserent negotium. Atqui paulo ante Dominus commendaverat eis parvulos.

14 *Quos cum videret Jesus, indigne tulit, & ait illis: Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium enim est regnum Dei.*

14 Itaque quum videret illos, oblitos quæ dixerat, obstare quo minus infantes pervenirent ad ipsum, coercuit discipulos suos, dicens: *Sinite pueros venire ad me, nec arcete illos* à contactu meo. *Talium est enim regnum cœlorum.* In his est exemplum innocentiæ ac simplicitatis, ad quam oportet refingi superbam malitiam hominum, si velint admitti in regnum cœlorum. Ne quis putet hos esse contemnendos ob imbecillitatem virium, aut simplicitatem.

15 *Amen dico vobis: Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.*

15 Illud pro certo confirmo vobis: Nisi quis renascatur, ac deposita omni versutia, avaritia, ambitione, odio, ira, vindicta, livore, talis reddatur animo, quales hi sunt ætate, non recipietur in regnum cœlorum.

16 *Et complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat eos.*

16 Quoque magis commendaret omnibus simplicem innocentiam, complexus est singulos, & impositis unicuique manibus suis, bene precatus est illis, docens, idiotas & imperitos, aut quamlibet humiles & abjectos juxta mundum, non esse fastidiendos Episcopis, sed omnibus modis fovendos, donec proficiant ad meliora. Rogandus autem in primis Dominus Jesus, ut dignetur illis manus suas imponere, beneque ominari. Dabit ille parvulis astutiam, qua vitent Diaboli laqueos: dabit infantibus linguam, ut ex ore infantium & lactentium perficiatur laus Dei.

17 *Et cum egressus esset in viam, procurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum: Magister bone, quid faciam ut vitam æternam percipiam?*

17 His domi gestis, quum Dominus prodisset in viam, accessit adolescens quidam, ut post commendatam pueritiam, hæc etiam ætas à bene cœptis ad perfectiora vocaretur. *Is accidit ad pedes Jesu, dicens: Magister bone, quid faciam, ut vitam assequar æternam?* Hæc percunctatio non omnino vacabat aliquo vitio sibi placentis. Sed hoc vitii, si mediocre sit, solet doctorum lenitas spe profectus in illa ætate dissimulare. Nec enim tam doceri cupit à Domino quid facere debeat, quam ob ea quæ fecerat laudari. Et *bonum* appellat, quem nihil aliud credebat esse quam hominem, quasi quicquam esset homini boni ex seipso.

18 *Jesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus.*

18 Jesus autem velut offensus arroganti cognomine: *Quid*, inquit, *me vocas bonum?* Hoc cognomen homine majus est: nemo enim vere bonus, nisi solus Deus. Ut igitur arrogans est homo, qui hoc cognominis sibi vindicat, ita qui tribuit homini, plus tribuit quam decet. Hoc proœmio Jesus retudit adolescentis spiritum, qui sibi videbatur ab hujus cognominis elogio non multum abesse.

19 *Præcepta nosti: Ne adulteres, Ne occidas, Ne furtum feceris, Ne falsum testimonium dixeris, Ne fraudem feceris, Honora patrem tuum & matrem.*

19 Mox adjecit Jesus: *Tenes præcepta?* Et interroganti quænam essent illa, respondit illa vulgaria, quibus observatis, Judæi sibi vindicant bonitatis & justitiæ laudem: *Non committes adulterium, non occides, non furaberis, non dices falsum testimonium, non fraudabis proximum, honorem habe patri & matri tuæ.*

20 *At ille respondens, ait illi: Magister, hæc omnia observavi à juventute mea.*

20 Hic adolescens, concepta spe magnæ laudis, jam lætus & alacer, respondit Jesu: *Magister, hæc omnia servavi à puero.*

21 *Jesus autem intuitus eum, dilexit eum, & dixit ei: Unum tibi deest: vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me.*

21 Jesus autem intuitus adolescentem probæ indolis ac lætæ spei, qui non ista fingeret, nec sibi malitiose placeret, quemadmodum Pharisæi, significabat sese etiam hujus ætatis studio delectari. Itaque præ se tulit, quod ejus affectu pio, licet imperfecto, delectaretur, velut exosculans spem indolis Euangelicæ, (quemadmodum enim in ea ætate rarum est, ita plausibile est studium pietatis) nos interim ad-

Digitized by Google

admonens, ut ubicunque viderimus aliquam indolem ac ſpem Euangelicæ pietatis, ne ſævis objurgationibus obruamus, & alienemus teneros animos: quemadmodum quidam nimium moroſi litteratores, qui bene nata ingenia, ſua auſteritate docent odiſſe litteras: ſed comitate provehamus ad meliora, probantes ſtudium, ſed oſtendentes interim quo ſit proficiendum. Ita Jeſus geſtientem ante tempus adoleſcentis lætitiam temperavit, dicens: Quod iſta ſervaris, laudo. Cæterum non in iſtis, ut tu putas, collocata eſt perfecta juſtitia, ſed unum adhuc deeſt tibi. Miranti & roganti quidnam id eſſet, reſpondit Dominus: Redi domum, ac divenditis poſſeſſionibus omnibus, pecuniam collectam eroga in paupere. Non perdes quod ita diſſiparis, ſed pro terrenis poſſeſſionibus recondes theſaurum in cœlis. Deinde liber & expeditus veni & ſequere me: tum enim agnoſcam diſcipulum Euangelicum. Multa deerant adoleſcenti: ſed hoc ulcere contacto, Jeſus voluit oſtendere, quantum adhuc ab Euangelica perfectione abeſſet.

22 *Qui contriſtatus in verbo, abiit mœrens: erat enim habens multas poſſeſſiones.*

[22] Hoc audito, juvenis diſceſſit mœrens, nimirum fruſtratus ſperata laude juſtitiæ. Habebat enim poſſeſſiones multas, quas ſubito relinquere, videbatur admodum eſſe durum. Porro diſceſſit non omnino deſperandus. Nec enim indignatus eſt, nec obmurmuravit, ſed abiit tacitus ac mœrens. Laudatus eſt de ſtudio pietatis: quod mœret, infirmitatis eſt humanæ. Non intelligebat autem ſermonem Jeſu. Nec enim ille perinde ſentiebat de poſſeſſionibus abjiciendis, ac de affectibus. Quiſquis paratus eſt omnia relinquere ſi res poſtulet, is reliquit omnia. Hoc exemplo Jeſus deterrebat ſuos à cupiditate divitiarum.

23 *Et circumſpiciens Jeſus, ait diſcipulis ſuis: Quam difficile qui pecunias habent, introibunt in regnum Dei.*

[23] Itaque digreſſo juvene mœſto, Jeſus circumtulit oculos in diſcipulos, ad hos enim pertinebat hæc ſcena, dixitque: Abiit ille. Quam difficile qui pecunias habent, introibunt in regnum Dei.

24 *Diſcipuli autem obſtupeſcebant in verbis ejus. At Jeſus rurſus reſpondens ait illis: Filioli, quam difficile eſt, confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire!*

[24] Hic ſermo vehementer obſtupefecit diſcipulos, exiſtimantes vix quenquam poſſe inveniri, qui amplas poſſeſſiones ſubito profuſurus eſſet ob regnum Dei, quanquam ipſi paucula quædam reliquiſſent. Proinde Jeſus inculcat quod dixerat, blandimento mitigans ſermonis aſperitatem, & interpretans non intellectam obſcuritatem: Filioli, inquit, quam difficile eſt, iſtos, qui multas habent poſſeſſiones, & in his fiduciam ſuam collocant, ut vulgus mortalium facit, intrare regnum Dei.

25 *Facilius eſt, camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum Dei.*

[25] Et ne videatur hoc durius dictum, addam quod hoc quoque magis eſt durum, ſed veriſſimum: *Facilius eſt camelum tranſire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum Dei.*

26 *Qui magis admirabantur, dicentes ad ſemetipſos: Et quis poteſt ſalvus fieri?*

[26] His auditis, diſcipuli magis etiam conturbati ſunt animis, ita ratiocinantes inter ſeſe: Si nullus poteſt eſſe ſalvus, niſi intret regnum Dei: & ſi nullus poteſt intrare regnum Dei, niſi abjectis divitiis, quum videamus omnes homines ſic amare divitias ſuas, ut non videantur relicturi, quis divitum poterit ſervari? Hæc diſcipulorum ſollicitudo ſapiebat pietatem Domini: cupiebant enim quam plurimos intrare regnum Dei, ſed nondum intelligebant vigorem Euangelicæ profeſſionis, qua jubemur & uxorem, & liberos, & parentes & vitam denique contemnere, ſi res ita poſcat. Leviſſimum autem eſt negligere divitias, ſi rem expendas: ſi vulgi mores, multo omnium graviſſimum.

27 *Et intuens illos Jeſus, ait: Apud homines impoſſibile eſt, ſed non apud Deum: omnia enim poſſibilia ſunt apud Deum.*

[27] Dominus igitur videns ſuos diſcipulos ſollicitos ac mœſtos ob hunc ſermonem, & deſperationi proximos, addit illis animum, ſed primum conjectis in illos oculis, quod facere ſolitus eſt, quoties aliquid eximium eſſet dicturus: Quid deſperatis, inquit, de ſalute divitum? Ardua ſunt quæ requiro, ſed magis ardua præſtanda ſunt. Nihil difficilius quam vitam negligere Euangelii gratia. Hîc me ducem habebitis. Si reperientur, quibus Euangelium ſit vita carius, deſperatis futuros, quibus divitiæ ſint Euangelio viliores? Hæc affectibus humanis videntur impoſſibilia. Sed hæc res agitur divino præſidio. Deus exigit ardua, & humanis majora viribus, ſed idem addit opem, ut poſſis quod juberis. Ita fit, ut quod homo non poteſt ex ſeſe, id poſſit auxiliante Deo, qui nihil non poteſt. Huic qui toto pectore fidit, per illum nihil non poterit. Itaque qui negligit poſſeſſiones ob regnum Dei, non facit diſpendium, ſed lucrum. Ut autem hoc intelligat, non eſt humanæ prudentiæ, ſed fidei cœlitus infuſæ. Quiſquis enim credit toto pectore, pro relictis poſſeſſionibus, quæ remorabantur à negotio ſalutis, & hîc centuplum rependi, & in futuro ſeculo vitam donari æternam, volens ac lubens accipiet talem commutationem.

28 *Et cœpit ei Petrus dicere: Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te.*

[28] Ex hoc ſermone, qui deſperationem adimebat, acceſſit plus animi diſcipulis, quam oportuit: jam enim Petrus ex collatione juvenis, qui mœrens abierat, cœpit ſibi nonnihil placere: Ecce, inquiens, nos tua cauſa reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te. Præſtitimus quod ab adoleſcente requirebas: illi promittebas theſaurum in cœlis, nobis igitur quid ſperandum eſt præmii? Si cenſum Apoſtolorum æſtimes, non multum reliquerant, præſertim Petrus, qui piſcator fuerat, & quotidiana opera ægre victum parabat: ſed ſuum cuique maximum eſt. Et plurimum relinquit, qui totum, quod habet, ſic deſerit, ut nec de ſarciendo, nec de augendo cogitet. Qui penitus exſuit affectum opulentiæ, tantum reliquit, non quantum erat in cenſu, ſed quantum poterat optari.

29 *Reſpondens Jeſus, ait: Amen dico vobis: Nemo eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me, & propter euangelium,*

[29] Ad hanc regulam Dominus æſtimans res ab Apoſtolis derelictas, qui quod carius erat alacriter reliquerant, nimirum parentes, uxores & cognatos, reſpondet hunc in modum: Illud pro certo dico vobis: Non vos ſolum non fraudabimini præmio veſtro, ſed nemo futurus eſt, qui ſi reliquerit Euangelii ſtudio, meaque cauſa, domum, fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut liberos, aut agros, non pro ſingulis relictis centuplum ſit recepturus in hac etiam vita, quantumvis ſæviant perſequutionum procellæ.

30 *Qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros, cum perſecutionibus, & in ſæculo futuro vitam æternam.*

[30] Siquidem longe plus accreſcet ex caritate Euangelica, quam deceſſit ex immanitate perſequutorum. Pro uno fratre aut ſorore juxta carnem relicta, tot habiturus eſt fratres ac ſorores, quot habebit profeſſionis Euangelicæ ſodales. Vehementiores autem atque etiam dulciores ſunt affectus ſpiritus, quam naturæ. Pro uno patre ac matre tot habebit patres, quot habebit doctores: pro una domo relicta nuſquam non habebit domum, ubicunque vigebit Euangelica caritas, quæ communia facit omnia. Pro paucis agris relictis veniet in conſortium omnium agrorum, quos poſſident germani Euangelii profeſſores. Quæ ſi non contingerent, tamen corporalium rerum diſpendium ſpiritualibus animi dotibus ſarcietur, ut centuplo malis accepta, quam relicta. Nulla enim comparatio fluxarum rerum, ac mox, etiamſi nullus eripiat, perituraram, ad opes animi, quas nemo poteſt largiri, niſi ſolus Deus, nemo poteſt eripere, niſi qui largitur. Et ſi hoc quoque lucrum parum videtur, addetur ad cumulum, æternæ vitæ poſſeſſio in ſeculo futuro. His dictis Jeſus confirmavit animos diſcipulorum ſuorum adhuc imbecilles, ne vel pœniteret reliquiſſe quod reliquerant, vel olim in admirationem corporalium divitiarum relaberentur: itaque dum vilibus rebus ſtuderent diteſcere, miſerabiliter bonis animi paupereſcerent. Eſt autem hæc infelix rerum viciſſitudo, cum quis ab animi bonis ad corporalia recidit, à veris divitiis ad inanes ac fallaces relabitur, ab æternis commodis ad caduca fluxaque revolvitur.

31 *Mult*

[31] Itaque ne diſcipulis ſecuritatem adderet, quod à Domino ob relictas res & affectus neglectos eſſent col-

Digitized by Google

primi noviſſimi, & noviſſimi primi.

collaudati, adjecit hujuſmodi clauſulam: Multi tamen qui nunc primi videntur, erunt olim noviſſimi, & qui nunc videntur poſtremi, erunt olim primi. Nec deſperandi ſunt, qui nondum poſſunt hoc præſtare, quod exigit Euangelicus vigor, nec ſibi debent fidere, qui jam ad gradum aliquem profecerunt. Sunt enim qui idem fecerunt quod vos feciſtis, & ad ſceleratiorem avaritiam relapſuri ſunt. Et ſunt qui nunc non poſſunt opes ſuas contemnere, (quemadmodum juvenis ille) qui poſt ſuperabunt illos, qui videbantur reliquiſſe omnia. Poſtremo qui viſi ſunt juxta mundi judicium opulentiſſimi, comperientur fuiſſe pauperrimi: & qui in ſpeciem videbantur omnium rerum mundanarum contemtores, deprehendentur fuiſſe cupidiſſimi. Non enim in rebus ſita eſt hæc laus, ſed in affectibus. Pauperior eſt, qui quod caſu obtigit, ſic habet quaſi non habeat, facile donans, quoties ſublevandus eſt proximus, nec gaudio geſtiens ſi quid accreſcat, nec dolore contabeſcens ſi quid eripiatur: quam is qui hoc ipſum puſillum, quod habet, magni facit, nec augendi facit ullum finem. His dictis videbatur Judam notare, qui quum & ipſe relictis omnibus ſecutus eſſet Jeſum, tamen poſt ſceleratius avarus compertus eſt, quam ii, qui juxta mundum ſunt opulentiſſimi.

32 Erant autem in via aſcendentes Ieroſolymam: & præcedebat illos Jeſus, & ſtupebant: & ſequentes timebant. Et aſſumens iterum duodecim, cœpit illis dicere quæ eſſent ei eventura.

32 Hujuſmodi ſermonibus Jeſus paulatim fingebat ac formabat animos ſuorum adverſus tempeſtatem omnium graviſſimam, quæ inſtabat, & à cujus commemoratione vehementer abhorrebat illorum animus. Jam enim cœpit adſcendere Hieroſolymam, cujus nomen oderant diſcipuli, quod audiſſent illic Dominum indigna paſſurum. Alibi nonnunquam præcedebant diſcipuli, veluti quum eſurientes vellerent ariſtas. In hoc itinere non poterant præcedere. Difficile ſiquidem * eſt adſcendere Hieroſolymam. Fortium & robuſtorum hoc eſt, & in quibus hic mundus jam nihil habet ſuum. Itaque præcedit Jeſus, ſequuntur diſcipuli, ſed triſtes & obmurmurantes, quod ſe volens in manifeſtum vitæ periculum conjiceret. Et illius animum admirabantur, & ſibi metuebant, ne per illum venirent & ipſi in commune periculum. Tales diſcipulos, tam craſſos & infirmos, toleravit Jeſus, & nos tædet imbecilles imbecillium ferre tarditatem? Ad regnum inhiabant omnes, cupiebant eſſe conſortes gloriæ, ac de primo loco diſputabant. Cæterum ab eo, quod erat omnium maxime neceſſarium, totis animis abhorrebant. Jeſus itaque nobis exemplum oſtendens, ut in inſtituendo proximo magis ei tradamus quæ neceſſaria ſunt, quam quæ jucunda, ac ſalutaria magis, quam ſuavia: accerſitis ad ſe duodecim, quos hujus tempeſtatis aliqua ex parte participes etiam, non modo teſtes eſſe voluit, infixit animis illorum, quæ prius tecte, mox aperte etiam prædixerat.

33 Quia ecce aſcendimus Ieroſolymam, & Filius hominis tradetur principibus ſacerdotum, & Scribis, & ſenioribus, & damnabunt eum morte, & tradent eum gentibus:

33 Ecce venit tempus, de quo jam frequenter dixi vobis: Adſcendimus Hieroſolymam, ut intelligatis me volentem ac ſcientem pati, quæ paſſurus ſum. Non enim oportet fugere, quum tempus adeſt à Deo præſcriptum. Hieroſolymis peragetur hoc ſacrificium, is locus huic victimæ deſtinatus eſt. Et Filius hominis tradetur in manus eorum, qui primas tenent inter Sacerdotes, & Scribarum, Phariſæorum, & Seniorum populi.

34 Et illudent ei, & conſpuent eum, & flagellabunt eum, & interficient eum: & tertia die reſurget.

34 Hi veluti nocentem & impium damnabunt illum, & objectis variis criminibus, addicent illum ſupplicio capitis: mox ut palam facinoroſum tradent illum gentibus, ut ab illis ludibriis afficiatur, conſpuatur. Denique flagellabitur & occidetur, ſed à morte reviviſcet die tertio. Hæc vos duabus potiſſimum de cauſis & ſcire & meminiſſe oportet: partim ne putetis hæc fortuito, aut me inſcio, vel invito geri, quæ geruntur ex Dei conſilio omnia; partim ne vos oborta procella, velut inopinantes ſupra modum perturbet. Nec enim decet vos adeo indigne ferre, quod ego volens, & veſtra cauſa, & ex præſcripto Patris paſſurus ſum: nec convenit vos ad rem velut inopinatam exanimari, cujus toties vos præmonui.

35 Et accedunt ad eum Iacobus & Ioannes filii Zebedæi, dicentes: Magiſter, volumus, ut quodcumque petierimus, facias nobis.

35 Ad hunc ſermonem quum velut obtorpeſcerent Apoſtolorum animi, nec auderent dehortari, accedunt privatim ad Jeſum duo ex diſcipulis, Jacobus & Joannes filii Zebedæi. Hi ad reſurrectionis meritionem ſpem bonam conceperant mox exoriturum regnum illud, quod toties promiſerat Chriſtus. Nondum penitus exſuerant ambitionis affectum. Matrem enim ſubornarant, per quam ſibi poſtularent præcipuam aliquam dignitatem in eo regno: ſed priuſquam proponunt quid optent, obſtringere conantur fidem Domini, ne fas eſſet negare quod peterent.

36 At ille dixit eis: Quid vultis ut faciam vobis?

36 Ille veluti non negaturus, quicquid petiſſent, jubet ut eloquantur quid magnæ rei poſtulent: videbantur enim aliquid magni petituri.

37 Et dixerunt: Da nobis, ut unus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram tuam, ſedeamus in gloria tua.

37 *Domine*, inquiunt, *petimus* hoc honoris *in regno tuo, ut ſimus tibi proximi aſſeſſores, alter ad dexteram, alter ad lævam.*

38 Jeſus autem ait eis: Neſcitis quid petatis: poteſtis bibere calicem, quem ego bibo; aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?

38 Jeſus percunctatione prodidit illorum ruditatem. Adhuc enim ſomniabant regnum aliquod corporale, adhuc de primatu cogitant: ſed tum quidem tempus non erat eorum craſſitudinem objurgare: cæterum ad mortis commemorationem, unde abhorrebat illorum animus, revocat illos, dicens: Quoniam non intelligitis quale ſit regnum Dei, ideo neſcitis quid petatis. Quæritis inanem gloriam: nec cogitatis, quibus rebus ad veram regni mei gloriam perveniatur. Ego vobis viam aperiam: ea ſi placet, ſperate gloriam optatam, ſed veram, non qualem vos ſomniatis: *Poteſtis bibere de poculo, de quo ego nunc paro bibere? Poteſtis baptizari baptiſmo, quo ego mox baptizabor?*

39 At illi dixerunt ei: Poſſumus. Ieſus autem ait eis: Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis; & baptiſmo, quo ego baptizor, baptizabimini:

39 Illi aviditate conſequendi quod optabant, ſicut ſtulte poſtularant, ita temere de ſe pollicentur, nondum ſibi ſatis noti: *Poſſumus.* Nec hanc ſtultitiam diſcipulorum convitiis inſectatus eſt clementiſſimus Dominus: nondum enim venerat tempus, ut harum rerum eſſent capaces. Adhuc velut per ſomnium audiunt, quicquid audiunt, & tamen nihilo ſegnius format illos & inſtituit, ſermonem ad illorum imbecillitatem attemperans: ut olim velut expergefacti, clare cognita per Spiritum Sanctum veritate, hoc magis amarent Dominum: qui quum talis eſſet, tales diſcipulos tam leniter pertuliſſet: & ipſi viciſſim jam facti perfectiores, in proximorum, quos inſtituerent, imbecillitate perferenda Domini lenitatem imitarentur: nimirum memores, quam rudes, quam oblivioſi, quam tardi fuiſſent & ipſi aliquando. Ambitioſa vox erat: *Aſſideamus in regno tuo proximi:* temeraria vox erat, *Poſſumus*, eorum qui mox eſſent Dominum abnegaturi metu: ſed error non ex malitia, verum è ſimplicitate profectus, aut ſanari debet, aut ad tempus tolerari. Reſpondit itaque Jeſus: *De poculo quidem meo bibetis, & baptiſmo, quo baptizor, baptizabimini*, ſed olim. Nondum enim poteſtis, quod vos poſſe confiditis: huc igitur parate animos veſtros.

40 Sedere autem ad dexteram meam, vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt.

40 Cæterum de præmio judicium omne relinquite Deo Patri: vos tantum hoc agite, ut me imitemini. Sunt apud illum ſua cuique parata præmia, quæ pro ſuo arbitrio diſtribuet, prout ipſi viſum fuerit. Non enim hæc res agitur in regno cœlorum, quemadmodum in aulis Principum: ubi non ſemper primus eſt dignitate, qui merito primus eſt, ſed cui Rex maxime favet: favet autem aliquando deterrimo. Cæterum apud Patrem meum nullus eſt reſpectus perſonæ. Nec veſtrum eſt, diſpicere modum meritorum veſtrorum, quum ex vobis ipſis nihil poſſitis: neque circumſpicere, quanto ſitis aliis ſuperiores, tantum pro viribus à Deo datis conandum eſt, ut me ſequamini. Non fraudabimini præmio, etiamſi de præmio non cogitetis. Etenim qui præmii

* *Iter* additur in alia Editione.

Digitized by Google

mii causa certat, non certaturus nisi sciat dandum præmium, is seipsum præmio frustratur. Nemo sui judex sit, sed conatum omnem adhibens, judicium omne deferat Deo.

41 *Et audientes decem, cœperunt indignari de Iacobo, & Ioanne.*

41 Et ecce malum ex malo nascitur. Duorum discipulorum simplicitas prodidit aliorum majorem etiam ruditatem. Etenim ubi resciverant, quid duo ambissent apud Dominum, quanquam non impetrarant: cæteri velut invidentes, indignantur illis, quod parum agnoscentes mediocritatem suam, primum locum ausi fuissent postulare, qui potius aliis debebatur. Nullus autem sibi non sperabat, ut suis quisque dotibus ac meritis blanditur. Hi nimirum sunt affectus eorum, qui vivunt in aulis Principum. Sibi quisque placet, sibi quisque pollicetur primos honores, & aliis prælatis invidet, nisi quod aulicorum ambitioni mixta est malitia: discipulorum ambitio, mera simplicitas erat. Atque interim ejus sermonis, quem Jesus habuerat de minimo & maximo in regno cœlorum, deque imitatione parvuli, profunda illis obrepserat oblivio. Quod si quis roget, quamobrem Dominus tantam ruditatem tamdiu passus sit residere in discipulis, per quos statuerat Euangelicam Philosophiam proferri per orbem universum: ideo potissimum passus est, ut hos affectus paulatim ac penitus ex animis suorum revelleret, & ideo toties sinit illos in eundem affectum relabi. Veluti si quis statim à febri liberetur, protinus oblivisciturr & morbi & beneficii: si quis subinde recidens in morbum, tandem ægre liberatur, magis odit morbum suum, magis agnoscit sanitatis restitutæ beneficium, meliusque noverit aliis eodem obnoxiis morbo mederi.

42 *Jesus autem vocans eos, ait illis: Scitis quia hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis: & principes eorum potestatem habent ipsorum.*

42 Itaque Jesus intelligens & duorum stultam petitionem, & aliorum indignationem ex eodem fonte proficisci, omnes simul advocat, ut omnibus eodem pharmaco medicinam admoveat: Quoties, inquit, auditis de regno cœlorum, quod utique spirituale est, nec minus differens à regno mundi, quam terra differt à cœlo: nolite vobis fingere talem speciem rerum, qualem videtis in regnis terrenis. Scitis enim, quod qui videntur principatum tenere inter gentes hujus mundi, dominatum exercent in subditos populos: & qui magnates sunt inter eos, potestatem suam exercent in eos, quibus præsunt: cavete ne quid tale sit inter vos.

43 *Non ita est autem in vobis, sed quicumque voluerit fieri major, erit vester minister:*

43 Hîc juvandi studium majorem reddit, non ambitio. Proinde, quemadmodum & ante vos docui, quicunque voluerit inter vos vere magnus esse, sit vester minister: nec semet erigat ad dominandum, sed seipsum dejiciat ut prosit omnibus.

44 *Et quicunque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus.*

44 Et quicunque voluerit inter vos esse primus, fiat omnium servus: nec sibi vindicet dignitatem, sed observiat omnium utilitati, nihil hinc honoris sibi venans, sed Deo, cui servit in membris ipsius, totam gloriam transcribens.

45 *Nam & Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret, & daret animam suam redemptionem pro multis.*

45 Non pigeat vos hoc imitari, quod in me videtis expressum. Non enim venit Filius hominis in mundum, ut imperaret, ut alios servitio premeret, sed ut omnium saluti subministraret: nec inserviret solum commodis omnium, verum etiam servis in libertatem asserendis, semetipsum impenderet, ut unius dispendio plurimi servarentur. Nimirum hic est principatus Euangelicus, quem qui volet ambire, meo ambiat exemplo: & exspectet præmium, non quod ipse sibi præscribat, sed quod Patri visum erit largiri, quemadmodum ego simpliciter obtempero paternis jussis usque ad crucem, arbitrium præmii deferens illi. Impudens autem fuerit ad exemplum terrenorum Principum ambire dignitatem, & à Patre cœlesti quærere præmium. Aut ambite regnum cœleste, & exspectate cœleste præmium: aut si ambitis regnum hujus mundi, nolite poscere præmium regni cœlorum. Talibus monitis præmonentur, qui proficiscuntur cum Christo Hierosolymam. Etenim quo quisque est purgatior ab omnibus carnis affectibus, hoc instructior est ad certamen crucis.

46 *Et veniunt Iericho, & proficiscente eo de Iericho, & discipulis ejus, & plurima multitudine, filius Timæi Bartimæus cæcus, sedebat juxta viam mendicans.*

46 Jam igitur pervenerant in civitatem Hiericho, quæ non ita multum abest ab Hierosolymis. *Hiericho* Syris *Lunam* sonat: ea typum habet hujus vitæ, quæ nihil aliud est, quam perpetua nascentium ac morientium, ægrotantium ac revalescentium, pubescentium ac senescentium, lætorum ac tristium vicissitudo. Nostra causa ex illa cœlesti tranquillitate descendit Jesus: non tamen hîc commoratus est, sed Hierosolymam properat, avidus humanæ salutis. Atque hactenus sequuntur eum discipuli, simulque cum his copiosa hominum multitudo. Vide autem ut nusquam Jesus non est hoc, quod dicitur: Aut docet, aut sanat, aut vivificat. Quod mors illius erat effectura per Euangelii prædicati fidem, hoc exhibet imagine corporali. Cæcum erat genus humanum, ignorantia veri: mendicum erat, inopia virtutum omnium. Nisi transissset nos Jesus, non erat spes lucis. Sedebat enim juxta viam mendicus quidam non ignotus, oculis captus, nomine Bartimæus, Timæi filius:

47 *Qui cum audisset quia Jesus Nazarenus est, cœpit clamare, & dicere: Jesu fili David, miserere mei.*

47 Qui cum sensisset advenire Jesum, clamare cœpit, ac dicere, *Jesu fili David miserere mei.* Primum rumor Euangelicus nuntiat nobis transire Jesum. Porro mox concepta de illo fiducia, non committit, ut nobis tacitis pertranseat, sed agnoscens suam miseriam, inclamat misericordem. Luci proximus est, qui cæcitatis suæ magnitudinem agnoscit. Non est ista vox Pharisaica, *miserere*, qui sibi videntur oculati, sed Euangelica: nec ista, *fili David.* Dicunt enim, Nonne hic est filius fabri? Plus cæcus ille videbat per tenebras, quam hodie cernunt Judæi, qui jactant Legis scientiam, seque profitentur duces cæcorum.

48 *Et comminabantur ei multi ut taceret. At ille multo magis clamabat: Fili David miserere mei.*

48 Sed misero vociferanti obstat turba. Quid enim aliud potest turba, quam obturbare? Reclamat illi conscientia non una voce, sed tot vocibus, quot admissorum sibi conscius est animus. Quid tibi cum Jesu, tot peccatis inquinato? Reclamat Lex; Frustra clamas, justus est Deus: exspecta pœnas tuorum scelerum. Reclamat magistratus Synagogæ, ne quis hoc nomen Jesu prædicet, ne quis nominet. Non est salus in Jesu, sed in Mose. Obstrepunt & Philosophi, & Principes Ethnici. Sed ut agnoscas in cæco fiduciam vere Euangelicam, non cedit reclamanti turbæ: & adeo non cedit, ut objurgatus jussusque tacere, validius etiam vociferetur: *Fili David, miserere mei.*

49 *Et stans Iesus præcepit illum vocari. Et vocant cæcum dicentes ei: Animæquior esto. surge, vocat te.*

49 Offenditur turba clamore mendici, Jesus solus non offenditur, sed restitit, jussitque cæcum accersi ad sese. Audierat Jesus transiens clamorem, sed dissimulabat. Non erat hoc difficultatis, sed elicientis ad exemplum aliorum insignem cæci fiduciam: ac per cæcum omnes docere voluit, quibus modis lux extorqueri possit à Jesu. Prima spes est, restitare ad nostrum clamorem Jesum. Secunda per doctores Euangelicos, aut etiam afflatibus arcanis ad ipsum accersi. Nec enim cæcus illum adire poterat sine ductu sacræ doctrinæ, quæ nobis adspernanda non est, etiamsi per hominem administretur. Feliciter autem vocant Apostolici viri cæcum, quoties jussu Jesu vocant ad Jesum. Sed hodie sine jussu Jesu vocant, non ad Jesum, sed ad præsidia philosophiæ humanæ, ad observationem Legis Mosaicæ, ad hujus vitæ commoda: hi nimirum ex cæco reddunt cæciorem. Sed Apostoli jussis Domini obtemperantes, vocant eum ad Jesum: & adeo non obstrepunt, quemadmodum turba, ut bene speranti fiduciam addant, dicentes: *Bono sis animo, surge, vocat te Jesus.*

50 *Qui projecto vestimento suo exiliens, venit ad eum.*

50 Ex his verbis tantam spem concepit cæcus, ut abjecto etiam pallio, quo defendebatur adversus frigoris injuriam, exsilierit & accurrerit ad Jesum. Hîc ego paulisper te remorabor, optime lector, ut spectes cæci hujus ac mendici alacritatem. Quoties tu vo-

Digitized by Google

vocaris ad Jesum, nec abjicis pallium, nec exsilis, nec accurris ad vocantem, sed tergiversaris, differs, hæsitas, causaris, torpescis in sordibus ac tenebris tuis, malens in sordido pallio stipem emendicare ab hoc mundo, quam ab Jesu lucem accipere, quæ summam totius felicitatis complectitur. Quam est splendida vestis innocentiæ! Quam sordide palliatus est, qui libidine, qui avaritia, qui luxu, qui ambitione coopertus est! Quam abjecte mendicus est, qui ob vile commodum corporis, supplex est huic mundo! Quam misere cæcus est, qui nec se novit, nec Deum! Quoties autem ab ista miserabili calamitate vocaris ad Jesum, lecta aut audita doctrina Euangelica, aut arcano quopiam Spiritus afflatu attractus, cur non rejectis omnibus, quæ remorari solent à tanta felicitate, exsilis ad spem vitæ melioris? cur non accurris summa cum fiducia ad Jesum, qui solus potest dare lucem, & dare vult omnibus? Venit ad te Jesus, accersit, & tu gravaris illi vicissim occurrere? Ad mortem usque contabescis in tenebris tuis, at non semper habebis transeuntem Jesum. Certe post mortem neminem vocat ad salutem, sed ad judicium. Hîc transiens audit clamantem: Miserere mei, hîc restitat, hîc vocat, hîc illuminat. Tuam ignaviam pudefecit hic mendicus, qui quum venisset ad Jesum, ait illi Dominus: Quid sibi vult tuus clamor? Quid vis ut faciam tibi? Quid? An ignorabat Jesus cur ille clamasset? An ipse nesciebat quid esset facturus? Nequaquam: sed nobis agitur hæc fabula. Multi credebant, cæcum exspectare stipem à Domino, quandoquidem mendicus erat: sic enim & hodie multi vociferantur ad Jesum: Domine, miserere. Rogati quid petant, quid tandem optant? Alius dicit, fac ut ditescam: alius, liceat assequi magistratum: alius, da uxorem cum dote: alius, da vires corporis: alius, da longævitatem: alius, da ulcisci inimicum. At ista non raro Jesus eripit amicis suis, quoniam sic expedit ad salutem. Nihil horum petiit mendicus Euangelicus, noverat enim quid esset petendum à Jesu.

51 Et respondens Jesus dixit illi: Quid tibi vis faciam? Cæcus autem dixit ei: Rabboni, ut videam.

51 Audiamus igitur cæcum, & imitemur. *Rabboni*, hoc est, præceptor mi, *fac ut videam*. Cæterarum rerum omnium securus, nihil aliud optat, quam lucem, qua cernat Deum, & Jesum Filium ejus: quem nosse, est vita æterna. Nam nosse, videre est. O precationem vere Euangelicam! Quantulum habet verborum, sed quantum fiduciæ. Nimirum hæc est illa brevis oratio, quæ penetrat cœlos.

52 Jesus autem ait illi: Vade, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur eum in via.

52 Jesus itaque respondit: *Abi, fiducia tua tibi salutem peperit*. Non statim perditus est, quisquis corpore nihil cernit: sed salvus esse non potest, qui nihil cernit oculis animi. Hos oculos recepisse, salus est æterna. Audi vocem hanc, quisquis es vir Pharisaice, qui dicis, crebris jejuniis, prolixis deprecationibus, eleemosynis meis, sacrificiis meis salutem acceptam fero, & ideo non clamas, miserere: sed, redde præmium debitum. Contra Jesus, fidei tribuit salutem, non operibus. Illico visum recepit cæcus, non quia meruerat, sed quia credebat. Ac jussus abire, sequutus est Jesum. Gratis data lux est, gratis ademta cæcitas. Post tuo relinqueris arbitrio, utrum dono Dei bene an male velis uti. Non cogeris sequi, tantum datum est, ut cernas Jesum: abi quo vis, sed tuo periculo. Quid autem fecit beatus ille cæcus? Non rediit ad pallium, non rediit ad pristinam mendicitatem, sed oblitus omnium, sequutus est Jesum in via. Parum est novisse Jesum, nisi quem vides, studeas æmulari. Jesus recta ad crucem proficiscitur, huc illum receptis oculis sequaris oportet. Quamdiu cæcus es, vociferari potes: Jesu miserere: sed nisi recepto lumine, in hac via Jesum sequi non potes. Quis enim sequeretur animam suam sponte tradentem in mortem, nisi per fidem cerneret, per ignominiam temporariam perveniri ad æternam gloriam: per cruciatus corporis perveniri ad æterna gaudia: per mortem perveniri ad vitam æternam? Hæc non perspiciunt hujus mundi lyncei, qui non solum omnibus oculis inhiant imperio, opibus, honoribus, voluptatibus, longævitati: verum etiam consultis Astrologis, Ariolis, & Magis ad ista contendunt. Hæc soli vident, qui credunt quòd docet Euangelium: qui confidunt sese accepturos, quod promisit Euangelium.

Cap. XI.

Lenis rex equitat: ficus perit: emtor abactus:
Quæ sit vis fidei: qui facis ista, rogant.

1 Et cum appropinquarent Hierosolymæ & Bethaniæ ad Montem olivarum, mittit duos ex discipulis suis,

2 Et ait illis: Ite in castellum, quod contra vos est, & statim introeuntes illuc, invenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit: solvite illum, & adducite.

3 Et si quis vobis dixerit: Quid facitis? dicite, quia Domino necessarium est: & continuo illum dimittet huc.

4 Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio: & solvunt eum.

5 Et quidam de illic stantibus dicebant illis: Quid facitis solventes pullum?

6 Qui dixerunt eis sicut præceperat illis Jesus, & dimiserunt eis.

7 Et duxerunt pullum ad Jesum: & imponunt illi vestimenta sua, & sedit super eum.

1 Nondum erat peractum in animis discipulorum, quod Jesus per imaginem expresserat in cæco. Nondum clare cernebant, quam felix sit mors, Christi mortem imitantium. Adhuc somniant regnum hujus mundi. Dominus itaque quo magis infigeret animis illorum, quam non sit affectandum hoc regnum his, qui Jesum sequi velint, spectaculum quoddam oculis illorum exhibet, quo derideret hujus mundi gloriam, ut rem temporariam, moxque perituram: sed eadem opera declaravit, sese quicquid libuisset, imperare potuisse quibuslibet, nisi Patris voluntati maluisset obtemperare. Postremo testatum omnibus esse voluit, se esse illum, quem tot seculis Judæi ex Prophetarum oraculis, exspectarant venturum ad salutem totius mundi. Jam itaque propior factus Hierosolymis, nimirum juxta Bethphage & Bethaniam, quæ duo oppidula sunt in monte, qui dicitur Olivarum, unde Hierosolyma erat in prospectu: illinc emittit duos è discipulis suis, cum hujusmodi mandatis:

2 *Ite*, inquit, *in vicum illum, quem videtis è regione: & ingressi statim ad portam, invenietis Asinæ pullum alligatum*, rudem adhuc, *& cui nullus hominum hactenus insedit: solvite eum, & adducite huc ad me.*

3 *Quod si quis vos interrogaverit, quare solvitis pullum? Dicite, Dominus hoc habet opus, & illico mittet huc ad nos.*

4 Abiere sicut erant jussi discipuli, venerunt, repererunt Asinæ pullum alligatum pro foribus in bivio, solvunt eum.

5 Interea quidam de his, qui illic adstabant, ubi viderunt ab ignotis solvi pullum, ajunt illis: Quid facitis? cur solvitis pullum?

6 Discipuli nihil aliud respondent, quam quod jusserat Dominus: Dominus hoc opus habet. Illi quum non agnoscerent quem dicerent Dominum, nihil ultra percunctati dimittunt pullum.

7 Solutum, discipuli adduxerunt ad Jesum. Hîc etiam atque etiam te lector admonitum esse volo, non solum quæ loquutus est Jesus Christus, verum etiam quæcunque gessit per omnem vitam, non esse fortuito gesta, sed ex consilio divino ad humani generis eruditionem. Nihil enim est quod non habeat, aut exemplum nobis ad pietatem expressum, aut repræsentationem veteris prophetiæ, aut exhibitionem figurarum, quibus Lex velut ænigmatibus quibusdam Christum signarat, aut significationem rerum post eventurarum. Id quum in omnibus ab illo gestis vestigandum sit, tamen quo propius accessit ad diem mortis, qua nostræ salutis negotium præcipue peragendum erat, hoc sacratioribus mysteriis plena sunt omnia. Nimirum instabat illud tempus, de quo prædixerat ille vehementer sitiens salutem omnium: Quum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Nam angusta erat illius caritati Judæa: & illic fructus Euangelii non respondebat operæ studioque cultoris. Accersitur itaque pullus Asinæ rudis, cui nullus hominum insederat. Is est populus gentium, nec Legi naturæ parens, nec Legi Mosaicæ serviens: nam Asinæ, hoc est, Synagogæ tergum presserat Moses, presserant Prophetæ. Ad gentium autem vocationem emittuntur aliquot ex no-

Digitized by Google

vis discipulis, qui accersant non ad Mosen, sed ad Jesum. Hic non erant defuturi qui obstreperent: Quid facitis? Cur solvitis pullum? Nam pullus & multos & incertos habebat Dominos, & alligatus erat, & stabat in bivio. Qui non paret Legi Dei, tot habet Dominos, quot servit vitiis. Et sic alligatus est, ut domum non habeat, sed pateat in bivio cuivis occupanti. Verum accersenti Jesu nemo potest resistere. Judæi clamabant: Hæc salus nobis promissa est, unde gentes idololatræ miscentur nobis? His responsum est, qui Dominus est universorum, talibus pullis opus habet. Jam frustra laborando apud Judæos lassus est, in rudi pullo cupit conquiescere. Non offendit ruditas, modo adsit obedientia fidei. Novo sessori, novo jumento est opus. Adjuvant hanc fabulam Apostoli, nondum intelligentes quid ageretur. Insternunt pullo sua pallia, ne nudum tergum premeret Jesus. Discipulorum sedulitatem imitare, quisquis es doctor Euangelicus. Ubicunque videris rudem Asinæ pullum alligatum in bivio, ignarum Legis Euangelicæ, obnoxium multis vitiis, sed ob stultitiam potius quam malitiam, sed qui pariturus sit, si quis abducat, hunc solvito, adducito ad Jesum, insternito pallio sanæ doctrinæ. Et tergum illius dignabitur premere Dominus omnium Jesus.

8 Multi autem vestimenta sua straverunt in via: alii autem frondes cædebant de arboribus, & sternebant in via.

[8] Imitare & aliorum studium, qui jam processuro Jesu, viam consternebant vestibus suis, hoc est, exemplis Euangelicæ pietatis. Nonnulli etiam ramis ex arboribus decisis ornabant viam, præsertim è palmis, quæ virginum ac martyrum habent typum. Per talem viam, tali jumento magnificum ac regale putat incedere Dominus omnium Jesus. Cum hoc spectaculo mihi paulisper confer, ô lector, aliquem ex his, qui apud Judaicos Sacerdotes primas tenebant: ac primum illud cogita, qualis & quantus sit hic, qui vehitur Asinæ pullo. Filius est Dei, cui Pater tradidit omnem potestatem in cœlo & in terra. Servator est ac Gubernator totius mundi. Auctor, Dominus ac Rex omnium quæ condita sunt: Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec, qui nutu poterat, quicquid volebat: cujus majestatem adorant omnes Angelorum ordines, qui dexter assidet Patri omnipotenti. Cum hujus dignitate compone unius Templi Pontificem, qui sacerdotium unius anni ab impio Rege turpi pretio redemerit. Confer nudum Jesu caput, cum hujus auro gemmisque lucente tiara. Confer modestum illum & mansuetum Jesu vultum, cum hujus facie fastu turgida, fronte torva, superciliis adductis, oculis elatis, ore procaci. Confer nudas Jesu manus, ad hujus digitos annulis ac gemmis onustos. Confer Jesu simplicem ac plebejam vestem, cum hujus ornatu tragico, in quo nihil vilius purpura & auro. Confer discipulorum pallia, cum ephippiis aureis, cum stragulis hyacinthinis, cum stapedibus argenteis, sed inauratis. Confer publicum Asinæ pullum gestatorem Jesu, cum tot mulis, byssо & auro vestitis, tot superbis caballis, tot mannis magno emtis, tot vehiculis, tot lecticis, tot sellis curulibus, uni homini gestando paratis. Confer paucos & humiles Jesu discipulos, cum plus quam regali pompa anteambulonum, puerorum insignium, tubarum, lituorum, stipatorum, satellitum, equitum ac peditum turmis, in quibus ut quisque superbissimus est, ita Pontifici proximus est & acceptissimus.

9 Et qui præibant, & qui sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna:
10 Benedictus qui venit in nomine Domini: Benedictum quod venit regnum patris nostri David: Hosanna in excelsis.

[9] Confer puerorum acclamationes, qui præcedentes ac sequentes Jesum, afflati divino Spiritu, canebant illud ex prophetia Psalmi: *Osianna*, hoc est, *salvifica:* [10] *Benedictus qui venit in nomine Domini. Benedictum quod venit regnum patris nostri David: Osianna in excelsis*, cum profanis acclamationibus, quibus Judaico & scelerato Pontifici acclamat adulatorum chorus: Vivat sanctissimus Pontifex: vincat summus Sacerdos Dei: regnet beatissimus regionis princeps. Quam hujusmodi Pontifices aversetur Jesus, illud argumento est, quod totum illud fucatum & superbum sacerdotium, cum suo Templo, deleri jusserit. Siquidem hi sunt, per quos etiam hodie perimitur Jesus in membris suis, qui solus vult esse sacerdotii princeps. Tales autem quærit ministros, qui adducant Asinum, qui insternant sua pallia, qui palmarum ramis consternant viam, qui acclamationibus piis agnoscant advenisse regnum Euangelicum, à Prophetis promissum. Nec audit obmurmurantes Pharisæos, quibus non placet hæc acclamatio, dicens vel ipsos lapides clamaturos citius, quam taceretur Dei gloria. Tali pompa Rex Jesus ingressus est regiam civitatem Hierosolymam, ingressus est Templum cœlestis Sacerdos, atque illic quod Rege Sacerdoteque dignum est, docuit populum, sanavit ægrotos, restituit debiles, veluti tyrannidem occupans in regno alieno. Discruciantur interim impii Sacerdotes & Pharisæi cum populi primatibus, sed acclamat simplex ac docilis turba.

11 Et introivit Jerosolymam in templum: & circumspectis omnibus, cum jam vesperæ esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim.

[11] Jesus autem velut instauraturus collapsam Templi religionem, quæ tum Pharisæis maxime videbatur florere, collustravit totum Templum, observans si quid illic gereretur Templo Dei indignum: non quod illi magnopere curæ fuerit, quid in eo Templo gereretur, quod paulo post noverat esse demoliendum: sed imagine quadam rei corporalis declarare voluit, qualem vellet suam Ecclesiam, quam ædificabat ex vivis lapidibus. In his convenit obambulare Pontificem, & circumspicere, ne quid sit quod Templum Deo dicatum profanet. Profanat autem ambitio, quæstus turpis, avaritia, fraudulentia. Has abominationes non fert in Templo suo Dominus Jesus. Quum autem jam appeteret vespera, reversus est in Bethaniam, quod in tam opulenta tamque superba civitate non reperiret hospitium Jesus. O religionis apicem, qui non fert religionis omnis antistitem! O falso dictam Hierusalem, quæ cupiditatibus terrenis excæcata, non agnoscit pacificatorem suum! O felicem Bethaniam, quæ sine Legis operibus, per simplicem obedientiam fidei, meretur habere hospitem Jesum!

12 Et alia die cum exirent à Bethania, esuriit.

[12] Postero die quum diluculo rediret Hierosolymam, relicta Bethania, inter viam cœpit esurire Jesus, vere famelicus humanæ salutis: & illi suavissimus erat panis, ex voluntate Patris redimere genus humanum: quanquam & juxta naturam hominis assumtam vere esuriebat, ac famis molestiam sentiebat, quemadmodum cæteri sentiunt homines, ex siccitate corporis.

13 Cumque vidisset à longe ficum habentem folia, venit si quid forte inveniret in ea. & cum venisset ad eam, nihil invenit præter folia: non enim erat tempus ficorum.

[13] Itaque quum procul vidisset ficum arborem, virentibus foliis pollicentem aliquid fructus, accurrit ad illam, si quid haberet, quo fami succurreret. Ingens dolor, quum esurias, non esse quod edas: sed longe vehementior, homines perire per incredulitatem suam, quum servare cupias. Quumque venisset ad ficum, ac frustratus lenocinio foliorum, nihil in ea reperiret fructus, exsecratus est eam, dicens: *Posthac nemo fructum edat ex te in æternum.* Hæc taciti secum admirati sunt discipuli, quod devovisset arborem, maxime quum nondum esset tempus, quo solet hoc genus habere ficus. Habet quidem fames corporis bilem suam, sed acriorem habet fames Euangelica. Omnis mora dilatæ salutis longa erat Christo. Et habent arbores stata tempora, quibus edunt fœtus suos, ut iniquus videatur, qui sterilitatem perpetuam imprecetur ei, quæ non ante tempus produxit. Ad hæc quid attinebat Jesum accurrere ad ficum, excutere si quid esset fructuum, quum sciret nihil esse? Verum hæc absurditas rei juxta speciem corporalem reddebat Apostolos attentiores, eosque relegabat ad scrutationem sensus mystici. Dominus Jesus esurientissimus humanæ salutis, reperit fructum in Arboribus infrugiferis, quæ nullam spem de se præbebant, in meretricibus, in pu-

Digitized by Google

publicanis, in peccatoribus, in Ethnicis, in Cananæa, in Samaritis: in solis Sacerdotibus, Scribis & Phariſæis, qui dulciſſimi fructus Euangelici ſummam de ſe ſpem præbebant, nihil omnino fructus invenit. Tenebant arcem religionis, obverſabantur in Templis, tenebant Legem ac Prophetas, pallebant jejuniis, prolixe orabant, dabant eleemoſynas, quin & ſtolæ lataque phylacteria mirum quoddam pietatis ſtudium præ ſe ferebant. Hæc nimirum erant folia, vel ante tempus præcocem fructum pollicentia. Sed Dominus hoc docere voluit, nihil eſſe deploratius impietate, falſa religionis ſpecie fucata.

14 Et reſpondens dixit ei: Iam non amplius in æternum ex te fructum quiſquam manducet. Et audiebant diſcipuli ejus.

14 Hæc Ficus meretur exſecrationem Jeſu, ne quis, foliorum pompa deceptus, ex hoc hominum genere poſthac ſperet ullum fructum ſuaviſſimæ caritatis Euangelicæ.

15 Itaque relicta Ficu, quæ nihil commeruerat, ventum eſt Hieroſolymam, quæ ficum habebat moralem, tamdiu fruſtra altam & ſtercoratam, nec aliud producentem, quam folia. Quumque eſſet ingreſſus Templum, rurſus imaginem exhibuit, quæ moneret, quæ puritas deceat Eccleſiam Euangelicam, quæ pectus Chriſti Spiritui dicatum: *Siquidem è funiculis contexto flagello, profligavit è Templo turbam mentium ac vendentium: quin etiam menſas numulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit.*

15 Et veniunt Ieroſolymam. Et cum introiſſet in templum, cœpit ejicere vendentes & ementes in templo: & menſas numulariorum, & cathedras vendentium columbas everſit.

16 *Nec patiebatur, ut quiſquam vas aliquod profanum deportaret per Templum.*

16 Et non ſinebat ut quiſquam transferret vas per templum:

17 Addidit Eſaiæ teſtimonium, ne fruſtra videretur indignatus: *Nonne*, inquit, *ſcriptum eſt, domus mea domus deprecationis vocabitur cunctis gentibus? Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum*, idem agentes fraudulentia, ſub prætextu cultus divini, quod latrones faciunt in itineribus. Non magnopere Dominus curabat illius Templi, quod cum ſuis ritibus volebat aboleri, puritatem: ſed novi Templi, cujus ipſe futurus erat Architecton, inſignem puritatem nobis commendabat: ſubindicans interim & illud, merito Sacerdotes, Scribas & Phariſæos ſubmovendos à principatu religionis, qui veterem etiam illam ac figuratam religionem ſua avaritia, fraudulentia, ſimulatione, omnique ſpurcitiæ genere contaminaſſent ac profanaſſent. Nunquam legitur æque commotus Jeſus, nunquam æque ſæviſſe. Quid facturus eſſet, ſi conſpiciat ſuam ſponſam Eccleſiam, quam ſuo ſanguine lavit, ut exhiberet ſibi puram, expertem omnis maculæ ac rugæ, per Epiſcopos Eccleſiæ præfectos, omni turpitudinis genere profanari, violari, conſpurcari? qui non ſolum pecudes & columbas, ſed omnia ſacra habent venalia, quæ pretio nec dari poſſunt, nec emi. Conſpicit haud dubie, tametſi diſſimulat: nec ideo pœnam effugient tales, quia Dei lenitas toleret eos ad pœnitentiam. Nectetur aliquando, nectetur terribilis ille funiculus, qui Templi ſacri violatores ejiciat in gehennam.

17 Et docebat, dicens eis: Nonne ſcriptum eſt: Quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus? Vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.

18 Ut autem intelligas, quanta peſtis ſit Sacerdotum ac Phariſæorum avaritia: ubi hæc viderunt, qui primas tenebant inter Sacerdotes & Scribas, ad quos maxima quæſtus pars redibat, viam quærunt, qua poſſent Jeſum exſtinguere. O Ficum vere ſterilem & exſecrabilem! Venditabant ſeſe ut antiſtites puræ religionis, & indignantur è Templo deturbari Templi contaminatores. Aderat impia mens ad parricidium parata, ſed quæritur occaſio, per quam, quod optabant, tuto perficerent. Soli non poterant amare illum amabilem Jeſum, nulli nocentem, omnibus ſubvenientem. Tantum metuebant illum, propterea quod populus ſuſpiceret illius doctrinam, & ob conſpecta miracula magnifice de illo ſentiret. O præpoſteram religionem in religionis profeſſoribus! Tam impio facinore concepto, non metuunt Deum ultorem, cui nihil occultum, & populum formidant. Cur non ſaltem metuunt ipſum Jeſum?

18 Quo audito, principes ſacerdotum & Scribæ quærebant quomodo eum perderent: timebant enim eum, quoniam univerſa turba admirabatur ſuper doctrina ejus.

Viderant & audierant ab eo tot edita miracula, quæ plane præſentem illi divinam virtutem, quoties volebat, teſtificabantur. Qui poteſt profligare Dæmonia, multo facilius poteſt immittere. Qui verbo revocat ad vitam exanimes, multo facilius poteſt vitam eripere. Si credunt tam clementem, ut nolit quenquam, quum poſſit, lædere, cur talem moliuntur occidere? Si credunt, & velle quod poteſt, cur non vel metu vindictæ temperant à tam impio conſilio? Nimirum hæc erat illa deplorata cæcitas eorum, qui ſibi ſoli videbantur oculati.

19 Jam ergo quum rurſus appeteret nox, Jeſus totum diem verſatus in Templo jejunus, relinquit Hieroſolymam. Toties relinquit urbem, offenſus illorum pertinaci incredulitate: toties repetit, ut aliquem fructum inveniat, in tam magnifica foliorum pompa. Sed utinam exſecranda Ficus tantum fuiſſet ſterilis, nec lethale venenum produxiſſet. Jeſus, inſtante jam mortis tempore, nullum tempus ſinit elabi ſine fructu. Diem conſumit in Templo, noctem impendit precationi, ac privatim animandis diſcipulis.

19 Et cum veſpera facta eſſet, egrediebatur de civitate.

20 Rurſum quum mane redeunt è Bethania Hieroſolymam, ac præterirent Ficum, animadverterunt diſcipuli jam arefactam arborem, ab ipſis radicibus uſque ad ſummum cacumen.

20 Et cum mane tranſirent, viderunt ficum aridam factam à radicibus.

21 Recordatus eſt Petrus, quid pridie feciſſet Jeſus, & agnovit Ficum, quam fuerat exſecratus, atque admirans quod tota tam ſubito aruiſſet radicitus, ait Domino: *Præceptor, ecce Ficus, quam exſecrabaris, jam aruit.* Mirabatur hoc Petrus, quum longe majora vidiſſet frequenter: videlicet oblitus, nihil eſſe tam difficile, quod non poſſit fides. Ex fide fructus omnis Euangelicus naſcitur: ea quoniam deeſt Synagogæ, videmus quomodo exaruerit. Floret ac germinat gentium Eccleſia, tot martyrum coronis, tot virginum gemmis, tot virtutum exemplis: quid autem Judæorum populo deploratius, abjectius, aut ſterilius? Ubinam eſt Legis auctoritas? ubi religionis admiranda ſpecies? ubi Templum? ubi faſtus Scribarum & Phariſæorum? An non tota Ficus exaruit?

21 Et recordatus Petrus, dixit ei: Rabbi, ecce ficus, cui maledixiſti, aruit.

22 Vos igitur, inquit, ſi florere vultis, habete fiduciam, non in veſtris viribus, ſed in Deo.

22 Et reſpondens Ieſus ait illis: Habete fidem Dei.

23 Illud pro certo confirmo vobis, ſi quis, certa fiducia de Deo concepta, juſſerit areſcere Ficum, quod vos factum admiramini, non ſolum hoc illico fiet, verum etiam ſi dixerit huic monti, move te loco, ac conjice teipſum in mare, tametſi videtur admodum impoſſibile, tamen ſi dixerit, nihil hæſitans in corde ſuo, ſed concepta in animo certa fiducia futurum quicquid dixerit, fiet quicquid juſſerit.

23 Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti: Tollere, & mittere in mare; & non hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei.

24 Hæc in Deum fiducia præſtabit, ne quid ab eo fruſtra petatis. Ideo me ſponſore confidite, quod quicquid petieritis à Patre, nihil addubitantes, quin ille ſit quod rogatis largiturus, obtinget vobis, modo mens ſit immunis à cupiditate vindictæ, modo rem petatis ſalutiferam. Nihil impetrat qui diffidit. Etenim qui diffidit, aut credit Patrem non poſſe præſtare, quum ille nutu poſſit omnia: aut non velle præſtare, quod recte petitur.

24 Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis.

25 Nihil impetrat & ille, & ſi confidit, impudenter confidit, qui rogat Patrem, ut ſibi remittat quæ deliquit in eum, quum ipſe nolit remittere fratri, quod in ipſum admiſit.

25 Et cum ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid habetis adverſus aliquem: ut & Pater veſter qui in cælis eſt, dimittat vobis peccata veſtra.

26 Proinde quum compoſueritis vos ad orandum, ex animo remittite, ſi quis aliqua in re vos læſit: hac conditione Pater veſter, qui in cœlis eſt, remittet vobis peccata veſtra. Quod ſi vos nolitis condonare proximo culpam in vos admiſſam, nec Pater veſter cœleſtis vobis gratiam faciet delictorum in ſe admiſſorum.

26 Quod ſi vos non diſeritis: nec Pater veſter, qui in cælis eſt, dimittet vobis peccata veſtra.

27 His in via geſtis, rurſum perveniunt Hieroſolymam: ac Jeſus ex more Templum adit. Jeſus in

27 Et veniunt rurſus

Digitized by Google

Templo, ſalus eſt in Eccleſia. Nec alibi magis verſari decet eos, qui Chriſti vices gerunt, quam in Templo. Verſantur autem in Templo, qui tractant ea quæ ſunt Dei, non quæ ſunt hujus mundi. Quid agit Epiſcopus in caſtris? quid in theatris? quid in Principum aulis? Juxta corpus in Templo verſabantur Phariſæi, Scribæ, Sacerdotes, ac Seniores: juxta ſpiritum procul aberant à Templo.

Ieroſolymam. Et cum ambularet in templo, accedunt ad eum ſummi ſacerdotes, & Scribæ, & ſeniores:

28 Ergo qui principatum tenebant inter Sacerdotes, adjunctis ſibi Scribis populique primoribus, quo res videretur legitimo conſilio geri, quum viderent Jeſum in Templo doctrina ſua occupantem aures multitudinis, ac miraculis regnantem velut in alieno regno, (nam & negotiatores ejecerat; ac deferentes vaſa per Templum excluſerat) adeunt illum & interpellant, refricantes veterem calumniam, ac dicentes: *Qua tandem auctoritate facis iſta? Et quis tibi dedit iſtam poteſtatem?* Doctrinam non poterant refellere, miracula nec inficiari poterant tam multa tamque manifeſta, nec calumniari poterant, quum nullum non impenderit ſervandis hominibus, idque gratis. De auctoritate venantur anſam calumniandi: nolebant enim hanc gloriam Deo tribui, ac ſuam auctoritatem volebant ubique pollere plurimum. Si Jeſus, quem nihil aliud quam hominem eſſe credebant, ſibi vindicaſſet auctoritatem Dei, parata erat blaſphemiæ calumnia: ſin minus, in promtu erat calumnia ſeditionis, quod auctoritate privata tantum auderet in Templo, ſine permiſſu Sacerdotum ac Seniorum. Quid autem opus erat movere quæſtionem de auctoritate, quum ipſa facta clamitarent, Deo auctore geri quod gerebatur: quum res ipſa loqueretur hunc eſſe, quem Deus olim per Prophetas venturum eſſe promiſerat: quum Pater poſt baptiſmum ſua voce declaraſſet hunc eſſe Filium ſuum unice dilectum, cui deberent obedire? Jam Sacerdotum auctoritas, qua perperam utebantur, ad nihil aliud valebat, quam ad impediendam Dei gloriam: ſed horum perverſa voluntas proficiebat etiam ad illuſtrandam Dei bonitatem ac potentiam.

28 Et dicunt ei: In qua poteſtate hæc facis? & quis dedit tibi hanc poteſtatem ut iſta facias?

29 Jeſus autem reſpondens, ait illis: Interrogabo vos & ego unum verbum, & reſpondete mihi: & dicam vobis in qua poteſtate hæc faciam.

29 Jeſus itaque quum non eſſet ignarus, quid illi captarent: quicquid enim reſpondiſſet, erant calumniaturi: nec adhuc tempus adeſſet, ut ſe profiteretur eſſe qui erat, percunctationem inſidioſam prudenti percunctatione retudit: Hac, inquit, lege reſpondebo veſtræ interrogationi, ſi mihi prius ad meam quæſtionem reſponderitis.

30 Baptiſmus Joannis, de cælo erat, an ex hominibus? Reſpondete mihi.

30 *Joannis baptiſmus, utrum erat è cœlo, an ex hominibus?* Expedite mihi hanc quæſtionem. Quam facile divina ſapientia capit humanam aſtutiam, omnibus technis molientem adverſus Dei conſilium. Habebant cor plenum humana verſutia, convocant in pectore dolos omnes: & qui captabant, ſentiunt ſibi paratos laqueos.

31 At illi cogitabant ſecum, dicentes: Si dixerimus, De cælo, dicet, Quare ergo non credidiſtis ei?

31 Sic enim apud ſe cogitabant: Si dixerimus è cœlo, reſpondebit: cur igitur non credidiſtis ei de me teſtificanti?

32 Si dixerimus, Ex hominibus, timemus populum. omnes enim habebant Joannem quia vere propheta eſſet.

32 Si dixerimus ex hominibus: periculum eſt, ne populus in nos faciat impetum. Nam ſumma erat apud populum Joannis auctoritas ac ſancta etiam memoria, quod nemo dubitaret quin vere Propheta fuiſſet.

39 Et reſpondentes dicunt Jeſu: Neſcimus. Et reſpondens Jeſus ait illis: Neque ego dico vobis in qua poteſtate hæc faciam.

33 Itaque quanquam erant ſuperbi, tamen pudeſcere malebant, quam vel revinci, vel lapidari. Proinde Jeſu, reſponſum exigenti, dicunt: Neſcimus. Jeſus quoque par pari referens, ait illis: Si vos mihi neſcitis quod ſcitis, nec ego dicam vobis per quam auctoritatem faciam, quæ facio. Conferte facta mea cum factis illius, & expendite, an, ſi non dubitatum eſt de illius auctoritate, conveniat de mea dubitare.

CAP. XII.

Mactant filium heri: cenſus: connubia ſeptem: Summaque lex: Chriſti quis pater: as vidua.

1 Et cœpit illis in parabolis loqui: Vineam paſtinavit homo, & circumdedit ſepem, & fodit lacum, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregre profectus eſt.

1 CUM ex hac quæſtione utcunque fuiſſent elapſi Sacerdotes, Scribæ & primores, quoniam ſenſerant inſidias, Dominus Jeſus per ænigma proponit eis aliam quæſtionem, ad quam dum imprudentes reſpondent, & ſuam ipſorum damnant impietatem, & fatentur auctoritatem, quam hactenus jactabant, merito ad alios transferendam. Sic autem habebat parabola: *Quidam plantarat vineam, & circundederat ſepem*, ne pateret incurſibus, *ac foderat in ea lacum excipiendo muſto, denique exſtruxerat in ea turrim* ad ſervandam vineam. *Atque* ita rebus omnibus affatim inſtructam *locavit agricolis, moxque peregre profectus eſt.*

2 Et miſit ad agricolas in tempore ſervum, ut ab agricolis acciperet de fructu vinea.

2 Quum autem adeſſet vindemiæ tempus, miſit ad agricolas illos, quibus locarat vineam, ſervum ſuum, ut à colonis reciperet fructum, quem reddiſſet vinea.

3 Qui apprehenſum eum ceciderunt, & dimiſerunt vacuum.

3 At illi conſpirati ſervum apprehenſum verberibus afflictum, remiſerunt vacuum.

4 Et iterum miſit ad illos alium ſervum: & illum in capite vulneraverunt, & contumeliis affecerunt.

4 At Dominus lenis, miſit ad illos alterum è ſervis ſuis. Illi vero lenitate Domini facti deteriores, conjectis in ſervum ſaxis, comminuerunt illi caput, multiſque contumeliis affectum, remiſerunt fructu vacuum, ſed injuriis onuſtum.

5 Et rurſum alium miſit, & illum occiderunt: & plures alios: quoſdam cædentes, alios vero occidentes.

5 At leniſſimus Dominus, ne ſic quidem procurrit ad ultionem, ſed tertio ſervum miſit. Hunc etiam occiderunt. Rurſus quum alios atque alios miſiſſet, omnes aut pulſarunt, aut interfecerunt.

6 Adhuc ergo unum habens filium chariſſimum: & illum miſit ad eos noviſſimum, dicens: Quia reverebuntur filium meum.

6 Supererat huic unicus filius, quem tenere diligebat. Itaque ne quid intentatum relinqueret admiranda lenitas, & hunc poſtremum miſit ad colonos, ſic cogitans apud ſeſe: Tametſi contemſerint ſervos meos, tamen hunc filium meum ſaltem revereburtur.

7 Coloni autem dixerunt ad invicem: Hic eſt heres: venite, occidamus eum: & noſtra erit hereditas.

7 Sed vicit omnem Domini bonitatem colonorum malitia. Ubi vident adeſſe filium, conſpirant ſceleratiore conſilio: *Hic*, inquiunt, *eſt hæres, venite, occidamus eum, & noſtra erit hereditas.*

8 Et apprehendentes eum, occiderunt: & ejecerunt extra vineam.

8 *Et injectis in illum manibus ejecerunt è vinea, & ejectum occiderunt.*

9 Quid ergo faciet Dominus vineæ? Veniet, & perdet colonos: & dabit vineam aliis,

9 Perorata parabola, Dominus rogabat Sacerdotes & Scribas: *Quid igitur faciet Dominus vineæ talibus colonis?* Illi primum non animadvertentes, quo tenderet ſimilitudo, reſpondent, in ſuum ipſorum caput pronuntiantes ſententiam: *Veniet ipſe, & pœnas ſumet de colonis, ac vineam locabit aliis melioris fidei.*

10 Nec ſcripturam hanc legiſtis: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli:

10 Id reſponſum cum approbaſſet Jeſus, adjecit Pſalmi teſtimonium, ab ipſis, qui Legis ſcientiam profitebantur, exquirens interpretationem: *An ne hanc quidem ſcripturam*, inquit, *legiſtis: Lapis, quem reprobaverunt hi qui ædificabant, hic factus eſt caput anguli?*

11 A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris?

11 *A Domino factum eſt hoc, & eſt admirabile in oculis noſtris.*

12 Et quærebant eum tenere: & timuerunt turbam.

12 Hic expergiſcuntur, & intelligunt non latere Jeſum ſcelerata ipſorum conſilia, ac involucro parabolæ, malitiam ipſorum inſanabilem eſſe depictam. Commiſerat illis Deus populum ſuum, veluti vineam unice colendam, omnibus rebus, quæ ad pietatis diſciplinam attinent, diligenter inſtructam. Ipſe perinde quaſi peregre agat, paſſus eſt illos quæ vellent agere. Sed illi ſibi coluere vineam, non Domino, ad quem oportebat redire fructum. Ceſſantes per varios Prophetas admonuit officii ſui, ſed illi ſemper in deterius proficiebant: tandem & Filium Dei unicum Jeſum ejecturi è Hieruſalem & occiſuri, ſibi pollicentes exſtincto illo vineæ perpetuam proprietatem, ac dominium ad ſe tranſiturum. Sed contra eventurum erat, ut juſtiſſima Dei toties ſpreti vindicta, Templum ac religionis dignitas ab eis tolleretur, & traderetur Apoſtolis: deinde Jeſus, quem illi veluti reprobum lapidem rejiciebant à ſtructura Synagogæ, Deo volente, præter illorum exſpectationem electus eſt, ut eſſet caput anguli in ſtructura Eccleſiæ, ex Judæis pariter ac gentibus ædificandæ, ut medius & immobilis utrunque populum velut

Digitized by Google

cognoverunt enim quoniam ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo abierunt.

velut utrunque parietem, contineret in una fide Evangelica. Intelligunt parabolam, agnoscunt prophetiam, nec tamen resipiscunt excæcati malitia, sed ob metum populi circumstantis relicto Jesu, abierunt: cuniculis ac technis peracturi, quod palam non poterant.

13 Et mittunt ad eum quosdam ex Pharisæis, & Herodianis, ut eum capterent in verbo.

13 Sceleratissimum autem homicidii genus est, quod sanctitatis ac justitiæ fuco prætexitur. Ipsi veluti jam quieti subornant aliquot insigniter impios ex Pharisæis & Herodianis, qui inter se dissentiebant in dogmatis, sed consentiebant in odium Jesu. O stultam hujus mundi sapientiam! Toties victi, subinde repetunt, ut liqueret ipsos omnibus modis esse victos, & impares abire divino consilio. Jam enim tempus erat, ut Satanas, qui pridem adortus Dominum discesserat inferior, per suos satellites omnes machinas expediret.

14 Qui venientes dicunt ei: Magister, scimus quia verax es, & non curas quemquam: nec enim vides in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces, licet dari tributum Cæsari, an non dabimus?

14 Adeunt itaque Jesum histriones subornati, qui captiosa quæstione proposita, venarentur aliquid ex dictis Jesu, quo possent illum apud Cæsaris præfectum reum peragere. Exordiuntur à blandissimo procemio, quasi falli posset blandimento, qui toties declararat sese nihil nescire: *Magister*, inquiunt, *novimus te veridicum esse, neque te vereri quenquam, sed citra respectum personarum libere, quod verum est, pronuntiare.* Nec enim te movet dignitas aut sublimitas cujusquam, quemadmodum faciunt multi, qui potentibus assentantur, sed contemtis hominibus libere doces, quod Deus præcepit. *Dic igitur & nobis, licetne censum pendere Cæsari, an non licet?* Pharisæi defendebant, populum Deo dicatum non oportere tributarium esse profanis Cæsaribus, & simulachrorum cultoribus. Contra Herodiani jus Cæsaris tuebantur. Et huc tendebat insidiosa præfatiuncula: ut pro Pharisæis pronuntians, ab Herodianis deferretur, velut auctor rebellionis adversus Cæsarem.

15 Qui sciens versutiam illorum, ait illis, Quid me tentatis? afferte mihi denarium ut videam.

15 Jesus autem nequaquam ignorans illorum versutias, indignans quod non discendi, sed tentandi causa venissent, ait: *Quid me tentatis? Proferte mihi denarium, ut videam.*

16 *Prolatus est illico denarius.* Libenter enim subserviunt captioni, qui captatum venerant. *Tum Jesus inspecto denario, dixit: Cujus est hac imago, & inscriptio? Respondent illi: Cæsaris.* Quid est hoc? Jesus, quem nihil fugit, non noverat imaginem aut titulum Cæsaris, Pharisæi & Herodiani noverunt: noverat & antequam inspiceret, sed quærebatur occasio commode respondendi captiosæ quæstioni. Parabatur exemplum, quam non oporteat callere Principum negotia, qui se Christi vicarios profitentes, docere debent cœlestia.

16 At illi attulerunt ei. Et ait illis: Cujus est imago hæc, & inscriptio? Dicunt ei: Cæsaris.

17 Respondens autem Jesus dixit illis: Reddite igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. Et mirabantur super eo.

17 Nunc audi responsum Christo dignum: *Reddite*, inquit, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.* Non improbavit si qui Deo dicati sunt, pendant Cæsari quamlibet impio, quod ob publicam functionem debetur: aut quod per vim exigit, quando jactura pecuniæ non facit nos impios: sed per occasionem admonet quod magis ad rem attinebat, ut Deo redderentur, quæ illi debentur. Vile nomisma titulum & imaginem habebat Cæsaris. Si hunc agnoscis, & pendis Cæsari quod debetur, quanto magis reddendum est Deo, cujus imaginem gerit omnis homo? In baptismo Dei character impressus est animo tuo, cur eum tradis Diabolo? Christiani titulo gloriaris, cur non reddis illi quod debes ex professione? Hujus responsi prudentiam omnes sunt admirati. Impositum est silentium duabus Judæorum Sectis unico dicto.

18 Et venerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt resurrectionem non esse; & interrogabant eum dicentes,

18 His successit factio Sadducæorum, quæ negat esse resurrectionem corporum, sed totum hominem affirmat morte perire, nec ullum Spiritum esse credit, in hoc dissentiens à Pharisæis. Habent & illi crassi captiosam quæstionem, qua tentent divinam Sapientiam. Jesus tum quidem gerebat personam idiotæ: sed quod in illo erat infimum, sublimius erat eo, quod in hominibus est summum.

19 Sic autem adoriuntur: *Magister, Moses* in libro Deuteronomii *reliquit nobis hanc legem, ut si quis uxore ducta decesserit absque liberis, frater defuncti etate proximus ducat viduam, & ex ea gignat prolem, quæ defuncti nomen ferat.* Quod si is quoque decesserit orbus, frater, qui natu proximus est, succedat in fratris vices.

19 Magister, Moyses nobis scripsit, ut si cujus frater mortuus fuerit, & dimiserit uxorem, & filios non reliquerit, accipiat frater ejus uxorem ipsius, & resuscitet semen fratri suo.

20 *Evenit autem ut è septem fratribus qui natu maximus erat, duceret uxorem. Is decessit absque liberis.*

21 *Huic qui natu proximus erat*, juxta Legis præscriptum *successit, & uxorem relictam duxit domum. Et hoc absque liberis defuncto successit tertius frater: & post hunc item cæteri usque ad septimum.*

22 *Omnes alius post alium duxerant eam uxorem, omnes sine liberis defuncti sunt. Tandem & mulier ipsa defuncta est.*

23 *Itaque quum venerit tempus resurrectionis*, ac fratres septem revixerint, una cum muliere, *quis eam sibi vindicabit uxorem? Nam septem ex aquo nupta fuit quum viveret.* Ex hujus casus absurditate Sadducæi putabant se ridiculam & absurdam facturos resurrectionem mortuorum, si ob uxorem, omnibus communem, lis inter fratres oriretur.

20 Septem ergo fratres erant: & primus accepit uxorem, & mortuus est non relicto semine.

21 Et secundus accepit eam, & mortuus est; & nec ipse reliquit semen. Et tertius similiter.

24 Jesus autem non gravatus est eorum crassitudinem docere, dicens: *An non ista percunctatio declarat vos tota errare via, propterea quod non intelligitis Scripturas, neque virtutem Dei?* Scriptura spiritualis est: & Deus qui condidit hominem quum nihil esset, potest eundem quum volet ex mortuo vivum reddere. Non solum autem revocabit ad vitam mortuos, verum etiam donabit eos immortalitate.

22 Et acceperunt eam similiter septem: & non reliquerunt semen. Novissima omnium defuncta est & mulier.

25 Porro conjugium ad hoc repertum est inter mortales, ut quod per se perpetuum non est, aliud ex alio propagando propagetur? Cæterum ubi nullæ sunt vices nascentium ac morientium, quid opus est matrimonio? Cum enim resurrexerint à mortuis, neque quisquam ducet uxorem, neque quisquam locabit filiam nuptum: sed quemadmodum Angeli Dei in cœlis, quoniam inter eos nulla est mortalitas, nesciunt usum matrimonii, sic erunt qui reviviscent in resurrectione, jam corpore spirituali ac immortali, similes Angelis effecti.

23 In resurrectione ergo cum resurrexerint, cujus de his erit uxor? septem enim habuerunt eam uxorem.

26 Porro mortuos resurgere, quo modo vobis absurdum videtur? Nonne legistis in sacris Libris, quorum vobis est sacrosancta auctoritas, quibus verbis usus sit Deus è rubo loquens ad Mosen? *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob.* Illi jam mortui erant, & tamen se vocat illorum Deum.

24 Et respondens Jesus, ait illis: Nonne ideo erratis, non scientes Scripturas, neque virtutem Dei?

27 Vivunt igitur etiam mortui, propter superstites animas. Quæ si supersunt, quid magni est eas in pristini corporis domicilium revocare? Quod si prorsus interierunt, absurde dicitur Deus mortuorum. Quemadmodum nemo se gloriatur esse Regem eorum, qui non sunt: ita Deus viventium Deus est, non mortuorum. Vos igitur Sadducæi vehementer erratis, nihil aliud imaginantes futurum in illa vita, quam in hac cernitis. Verius ac felicius sunt ea, quæ non cernuntur, quam quæ videntur oculis corporeis. Nihil enim Deo verius est, & tamen hîc non cernitur, sed sentitur.

25 Cum enim à mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli in cœlis.

28 Nondum tentandi finis. Sadducæis succedunt Pharisæi & Scribæ. His animos addiderat, Sadducæis exprobrata Legis insciitia. Nam Scribæ & Pharisæi Legis cognitione præ cæteris se jactant, & à Sadducæis dissentientes, credunt esse Angelos & Spiritus, credunt animas hominum à morte corporum superstites esse: denique credunt fore resurrectionem. Hi gaudentes refutatos Sadducæos, & Jesum ex ipsorum sententia respondisse, velut eruditi per Scribam quendam ad id subornatum, proponunt eximiam quæstionem ex intimis Legis arcanis. Inter-

26 De mortuis autem quod resurgant, non legistis in libro Moysi, super rubum quomodo dixerit illi Deus, inquiens: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob?

Deus mortuorum, sed vivorum. Vos ergo multum erratis. 28 *Et accessit unus de Scribis, qui audierat illos conquirentes, & videns quoniam bene illis respondit, interrogavit eum quod esset primum omnium mandatum.*

27 Non est Deus mortuorum, sed vivorum. Vos ergo multum erratis.

Digitized by Google

rogant, eum quod esset præcipuum ac maximum in Lege præceptum.

29 Jesus autem incunctanter illis respondit ex libro Deuteronomii: *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est.*

30 *Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua: hoc est præcipuum ac maximum præceptum.*

31 *Hnic proximum illud est: Diliges proximum tuum non secus ac teipsum. His duobus mandatis non est aliud majus*, quoniam totius Legis summam complectuntur.

32 Hoc audito Scriba dixit: *Recte vereque respondisti, quod unus sit Deus, nec sit alius præter eum:*

33 *Et quod hunc diligere ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex totis viribus, majus est holocautomatis, reliquisque sacrificiis.*

34 *Jesus autem videns quod cordate respondisset, dixit illi: Haud procul abes à regno Dei.* Siquidem pietas Euangelica sita non est in victimis pecudum, sed in puritate spiritus. Ab hoc intellectu non multum abest, qui quod est spirituale ac simplex, præfert omnibus aliis præceptis, quæ figuram habent veræ pietatis potius, quam rem. Contra, Judæorum vulgus summam pietatem collocabat in his, quæ videntur oculis, in lotionibus, in observatione sabbati, in delectu ciborum, in donariis, in sacrificiis, in diebus festis, in jejuniis, in prolixis precibus. Quisquis ex toto corde diligit Deum propter ipsum, qui nunquam potest satis diligi, quique proximum diligit propter Deum, abunde sacrificavit. Quum ubique vicisset sapientia Jesu, destiterunt à tentando, ne plus etiam dedecoris referrent, teste populo. Habebant Jesum pro idiota, ipsi magnificis titulis, tragicoque cultu tantum non pro Diis se gerebant apud imperitam multitudinem. Verum Euangelica sapientia non est sita in multitudine litterarum, sed in sinceritate spiritus. Quod Jesus erat inter Scribas & Pharisæos, Sacerdotes, ac primores populi, post fuerunt Apostoli rudes inter Philosophos ac Principes.

35 Quanquam igitur illi cessabant à tentando, Jesus tamen non cessabat à docendo. Quum enim omnibus collectis quæstionem proposuisset, cujus filius esset Messias, quem exspectabant, & ex prophetiis respondissent, David, movit scrupulum omnibus insolubilem: *Quî consistit*, inquiens, *ut Messias sit filius David, quandoquidem ipse David, afflatus Spiritu Sancto, sic loquitur* in Psalmo:

36 *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum?*

37 Quum major sit auctoritas progenitorum quam nepotum, quomodo David ex se nasciturum appellat Dominum suum, veluti si pater filium vocet Dominum? Hoc mysterium nondum intelligebant Scribæ & Pharisæi, qui spiritum habebant carnis. David autem, afflatus Spiritu cœlesti, videbat in Christo nondum nato, quiddam majus homine, quum ipse nihil aliud esset quam homo. Obticescentibus Scribis & Pharisæis, pleraque multitudo favebat Jesu, eumque libenter audiebat disserentem.

38 Quam quum videret sanabilem, Sacerdotes autem, Scribas & Pharisæos destinata malitia tendere quo cœperant, cœpit eos palam apud populum traducere: non ut illis obtrectaret, sed ne posthac populum fallerent, detraxit illis falsæ pietatis ac sanctimoniæ personam. Jam enim tempus ita postulabat: itaque depromens suam illam doctrinam, hoc est, liberam nullique palpantem, ajebat: Cavete ne vos fallat magnifica species Scribarum & Pharisæorum: non studeut vestræ saluti, sed suæ gloriæ.

39 Cupiunt enim, ut magni videantur, ambulare in vestibus ad talos usque demissis, venanturque salutationes in foro, captantque primorum sedilium honorem in consessibus, & in conviviis primum locum in accubitu.

40 Habent prolixas preces, quo videantur esse cæteris religiosiores. His fucis captant viduas beatas, sed simplices, non uno nomine fraudi idoneas: vel quia sexus est infirmior, vel quia viduæ sunt, maritorum patrocinio destitutæ, vel quia divites sunt. His sese ingerunt veluti patronos ac tutores, fictaque religione totas illarum domos devorant. Adeo nihil illis proderit ista simulata religionis species, ut gravius etiam sint à Deo condemnandi, quod malitiam suam obnubilarint fuco sanctimoniæ. Ab his itaque cavete, ne fallamini.

41 His peractis Jesus conferebat sese in eam Templi partem, in qua erat gazophylacium, in quo servabantur donaria sacra: sedensque è regione gazophylacii, spectabat eos, qui donaria conjiciebant in gazophylacium. Ac multi divites conjiciebant ingentia munera. Hos Sacerdotes veluti cæteris sanctiores haberi volebant, pietatem illorum ex doni modo metientes.

42 Interea accessit & mulier quædam vidua paupercula. Ea misit duos minutulos nummos, qui conficiunt unum quadrantem. Nullus erat, qui non divites illos huic mulierculæ tenui præferret.

43 Sed longe discrepat Jesu judicium à judicio Scribarum & Pharisæorum, id noluit latere discipulos suos: *Pro comperto*, inquit, *dico vobis, quod hæc vidua, quamlibet tenuis, plus dedit in gazophylacium, quam cæteri omnes*, qui videntur liberalissime dedisse.

44 *Nam cæteri dederunt ex eo quod ipsis abundabat.* Multum dederunt, sed plus sibi servarunt. *Hæc autem ex inopia sua facultates suas universas largita est*, nihil sibi reservans. Non enim Deus æstimat donarium ex modo rei, sed ex affectu mentis. Tali vidua delectatur Jesus hujus sponsus, & consolator esse dignatur. Synagoga veluti fastuosa matrona jactat opulentiam justitiæ suæ; ostentat divitem mundum bonorum operum; gloriatur de marito Mose, cui nunquam fuit morigera; venditat se de Prophetis filiis, quos omnes impio parricidio vel occidit, vel certe afflixit; semper habet in ore Templum Domini, Legem Dei, Patriarchas, Abraham, Isaac, Jacob, Israel; stipata incedit Sacerdotibus, Scribis, & Pharisæis. At Ecclesia velut paupercula vidua nihil habet quod ostentet, agnoscit inopiam bonorum operum, & tamen hoc ipsum quod habet, totum Deo dedicat. Jam quid tali vidua potest esse pauperius, quæ sibi nihil facit reliquum? Mosen non agnoscit maritum, quia circumcisionem nescit, quia victimas pecudum abominatur, contenta seipsam totam immolasse. Sponsus autem Dominus quoniam relictis terris rediit in cœlum, videtur destituisse viduam suam, quæ nunc à Judæis ac gentibus velut omni præsidio destituta spoliatur, ejicitur in exsilium, protruditur in carcerem, affligitur & opprimitur. Audit quotidie, ubi est sponsus tuus? Videtur peritura fame, quæ tam pusillum habuerit: & hoc ipsum quod habebat, abjecerit: videtur propediem intermoritura cum probro sterilitatis, quæ maritum perdiderit. Sed hanc juxta mundum deploratam viduam consolatur Esaias: *Lætare*, inquit, *sterilis, quæ non paris: erumpe & clama quæ non parturis, quia plures filii desertæ, quam ejus quæ virum habet.* An non videmus hoc vaticinium impleri? Esurit & emoritur Synagoga, propagatur ac dilatatur Ecclesia, triumphans in martyribus, florens in virginibus, exsultans in tot millibus confessorum. Non habet quadrantem ex suis opibus, sed ex sponsi sui divitiis habet aurum probatum ac purum: habet gemmas inæstimabiles. Per sinceram enim fiduciam erga divitem sponsum, habet

29 *Jesus autem respondit ei: Quia primum omnium mandatum est: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est:*

30 *Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum.*

31 *Secundum autem simile est illi: Diliges proximum tuum tamquam te ipsum. Majus horum aliud mandatum non est.*

32 *Et ait illi Scriba: Bene Magister, in veritate dixisti, quia unus est Deus, & non est alius præter eum.*

33 *Et ut diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine: & diligere proximum tamquam seipsum, majus est omnibus holocautomatibus, & sacrificiis.*

34 *Jesus autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi: Non es longe à regno Dei. Et nemo jam audebat eum interrogare.*

35 *Et respondens Jesus dicebat, docens in templo: Quomodo dicunt Scribæ Christum filium esse David?*

36 *Ipse enim David dicit in Spiritu sancto: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

37 *Ipse ergo David dicit eum Dominum, & unde est filius ejus? Et multa turba eum libenter audivit.* 38 *Et dicebat eis in doctrina sua: Cavete à Scribis, qui volunt in stolis ambulare, & salutari in foro,*

39 *Et in primis cathedris sedere in synagogis, & primos discubitus in cœnis:*

40 *Qui devorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis: hi accipient prolixius judicium.*

41 *Et sedens Jesus contra gazophylacium, aspiciebat quomodo turba jactaret æs in gazophylacium, & multi divites jactabant multa.*

42 *Cum venisset autem vidua una pauper, misit duo minuta, quod est quadrans,*

43 *Et convocans discipulos suos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium.*

44 *Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt: hæc vero de penuria sua omnia quæ habuit misit totum victum suum.*

Digitized by Google

bet quicquid habet ille. Synagoga, tametsi videretur multum elargiri Deo, tamen sibi plus satis reservabat. Vis videre Synagogam largientem? Audi Pharisæum precantem: Gratias ago tibi, Domine, quod non sum talis, quales homines cæteri. Nunc vide quantum sibi servet: Jejuno bis in sabbato, decimas omnium bonorum meorum do pauperibus. Jam contra contemplare mihi viduæ speciem. Tundit pectus suum, non audet oculos in cœlum tollere, tantum clamat: Deus propitius esto mihi peccatrici. Synagoga dum suam jactat justitiam, nec suam habet justitiam, nec Dei; Ecclesia dum abdicat ab sese omnem justitiæ gloriam, & injustitiam suam agnoscit, sponsi justitia ditescit.

CAP. XIII.

Noscitur ex signis lux ultima proxima: Sed lux Soli nota Patri: nos vigilare decet.

1 *Et cum egrederetur de templo, ait illi unus ex discipulis suis: Magister, aspice quales lapides, & quales structura.*

1 NIHIL illic placuit Jesu in Templo, præter pauperculam viduam, in quo nihil aliud erat quam adumbrata religio. Nos quoque, qui Jesu discipulos profitemur, exeamus è Templo Judaico, abjiciamus fiduciam operum carnalium, ac justitiam, quæ per fidem Euangelicam est, amplectamur. Itaque discedit illinc, aliud templum nobis excitaturus, vere sanctum ac spirituale, structuram solidam ac firmam, adversus quam nec inferorum portæ forent prævaliturae. *Quum autem egressus esset, quidam è discipulis ait illi: Præceptor, vide quam ingentes sint lapides hujus Templi, quamque firma structura*: subsignificans opus esse firmius, quam ut ulla vetustate posset collabi. O Judaicos oculos! Foris lapides admirantur, hominum manu congestos, quasi tali structura delectetur Jesus.

2 *Et respondens Jesus, ait illi: Vides has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.*

2 *Jesus autem illi respondit: Vides hanc magnam & operosam substructionem? Veniet tempus, quo nec lapis lapidi hærens reliquus fiet, qui non destruatur:* tantum abest ut hæc structura sit futura perennis. Jam desiderio Templi spiritualis, nihil non fastidit & contemnit Jesus, quod oculis corporalibus cernitur.

3 *Et cum sederet in Monte olivarum contra templum, interrogabant eum seperatim Petrus, & Jacobus, & Joannes, & Andreas:*

3 Porro quum sederet in ea parte montis Olivarum, in quo tum elegerat nocturnum diversorium, unde Templum erat in prospectu, renovata est discipulis memoria sermonis, quo prædixerat fore, ut Templum funditus dirueretur. Suspicabantur enim diruto Templo, jam venturum regnum Dei, de quo non desinunt somniare. Adeunt igitur Jesum ita sedentem secreto quatuor è discipulis, Petrus, Jacobus, Joannes, & Andreas, hoc agentes, ut quemadmodum transfigurationis arcanum paucis seorsum crediderat, ita de tempore venturi regni paucis communicaret, quod aliis omnibus crediturus non esset.

4 *Dic nobis, quando hæc erunt, & quod signum erit, quando hæc omnia incipient consummari?*

4 Dicunt itaque: *Dic nobis, quando fient ista, & quo signo poterimus deprehendere jam adesse tempus illud?* Dominus autem, qui suis exemerat sollicitudinem victus, libidinem vindictæ, providentiam vitæ: voluit & curiositatem cognoscendi, quæ ad salutem non pertinent, eximere. Itaque sermonem temperat, ut significet, excidium urbis Hierosolymorum aliquando futurum, ac post abitum ipsius graves persequutionum procellas coorituras adversus Euangelii præcones, ac venturum aliquando finem hujus mundi.

5 *Et respondens Jesus cæpit dicere illis: Videte ne quis vos seducat:*

5 Sed quemadmodum omnibus expedit hoc scire, quod aliquando finient hanc vitam, ut semper in eum diem sese præparent: ita volebat esse persuasum discipulis, venturum tempus, quo rediret judex vivorum & mortuorum, cæterum quando id venturum esset, quoniam non expediebat, sciri nolebat. His itaque de rebus sic exorsus est Jesus: *Cavete ne quis vos seducat.*

6 *Multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum: & multos seducent.*

6 *Sunt enim multi venturi, qui sibi nomen meum vindicabunt, quorum unusquisque mentietur se esse Christum, atque* hoc præstigio *multis* incautis *imponent.*

7 *Cum audieritis autem bella, & opiniones bellorum, ne timueritis: oportet enim hæc fieri: sed nondum finis.*

7 Magni orbis tumultus arguent instare meum adventum, ac finem hujus mundi. Cæterum non oportet vos statim ad excitata bella, aut ad sævos rumores excitandorum, statim ita conturbari, quasi jam adsit tempus illud. Sunt enim & hæc ventura, sed non continuo sequetur finis mundi. Hæc præludia duntaxat erunt mundi finiendi, quemadmodum in senili corpore, crebri morbi prædicunt brevi collapsurum. Temperatura qualitatum servatrix est bonæ valetudinis. Cæterum, ubi his inter se pugnantibus concutitur corpus, argumentum est imminere mundi interitum.

8 *Exurget enim gens contra gentem, & regnum super regnum, & erunt terræmotus per loca, & fames. Initium dolorum hæc.*

8 Coorietur enim gens adversus gentem, regnum adversus regnum, & copiis ingentibus in mutuum ruent exitium. Quin & terra ipsa, velut indignata tam impios homines sustinere & alere, motibus concutietur. Itaque passim erit fames, terra negante alimoniam. Quin & aer, velut indignans impiis vita & halitu indignis, pestilens erit ac lethalis. Hujusmodi multa quum videritis exoriri, ne protinus exspectetis finem. Erunt enim hæc tantum exordium ac procœmium venturæ calamitatis.

9 *Videte autem vosmetipsos. Tradent enim vos in conciliis, & in synagogis vapulabitis, & ante præsides & reges stabitis propter me, in testimonium illis.*

9 Ne vos quidem eritis immunes ab his malis: quare cavete vobis, ne quid inopinantes obruat. Pertrahent enim vos reos in Concilia & Synagogas, & coram Regibus ac Præsidibus sistemini, causam dicturi de capite, non ob aliquod maleficium, sed duntaxat ob nominis mei professionem, ut patefiat illos merito rejectos à regno Dei, qui præcones regni sic afflixerint.

10 *Et in omnes gentes primum oportet prædicari Euangelium.*

10 Verum hæc nihil perturbent animos vestros. Nihil efficiet adversus Euangelii profectum, impiorum sævitia. Neque quisquam vos exstinguere poterit ante diem. Non enim veniet finis mundi, prius quam Euangelium prædicatum fuerit per universas orbis nationes.

11 *Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini: sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini. non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus.*

11 Nihil igitur opus, ut ulla mundi hujus præsidia paretis adversus persequutorum violentiam: aut solliciti sitis, quomodo possitis ex illorum judiciis elabi. Vocati in jus, ite, ne videamini publicam auctoritatem adspernari: nam & hoc profuerit ad Euangelii propagationem: cæterum ituri, ne sitis solliciti, meditantes quid aut quomodo loquamini, rudes legum, & forensium actionum imperiti, quemadmodum solet hominum vulgus, qui rhetores, advocatos, ac patronos adhibent in causis agendis: sed quicquid tum vobis suggesserit animus, id loquamini. Nec enim vos eritis auctores sermonis, sed organa tantum: Spiritus autem Sanctus loquetur per vos, quæ conducent Euangelico negotio.

12 *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & consurgent filii in parentes, & morte afficient eos.*

12 Cæterum hujusmodi persequutiones, non solum exspectandæ sunt ab alienis & hostibus, verum etiam ab amicis & cognatis. Frater enim fratrem pertrahet in jus, & capitis accerset, contemto naturali affectu: & pater filium præter naturæ pietatem. Quin & filii vicissim erigent sese adversus parentes, & ad mortem adigent.

13 *Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit.*

13 Et quum nemini noceatis, sed offeratis salutis nuntium omnibus, tamen eritis omnibus invisi qui mundum hunc diligunt, ob mei nominis, quod prædicabitis, invidiam. Cæterum in his malis opus erit perseveranti animo. Quisquis enim perstiterit bene cœptis usque ad finem, hic salvus erit, eo quod nulla calamitas perdere valet constanti pectore fidentem Euangelio.

14 *Cum autem videritis abominationem desolationis, stantem ubi non debet: qui legit, intelligat: tunc qui in Judæa sunt, fugiant in montes:*

14 Quod si signum quæritis imminentis extremæ calamitatis, *ubi videritis abominationem desolatricem, stantem in loco quo non decet, qui legit* Danielis prophetiam, *intelligat.* Jam enim tempus aderit, ut omissis omnibus sibi quisque fuga consulat: ac salutem non ex præsidiis, sed ex fugæ celeritate petat. Tunc qui in Judæa sunt florentissima parte, celeberrimaque regionis, fugiant in deserta montium.

15 *Et qui*

15 Quod si quem hæc calamitas deprehenderit in tecto, ne descendat in domum, nec ingrediatur in con-

Digitized by Google

super tectum, ne descendat in domum, nec introeat ut tollat quid de domo sua:

conclave; aut cubiculum, ut aliquid inde secum auferat, sed tantum ut repertus est fugiat.

16 Et qui in agro erit, non revertatur retro tollere vestimentum suum.

16 Et si quis id temporis fuerit nudus in agro laborans, ne recurrat domum sublaturus pallium suum, sed recta profugiat aliquo. Tanta futura est celeritas inundantis calamitatis.

17 Vae autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.

17 Proinde væ tum gravidis & lactantibus, quoniam illas natura non sinit onus abjicere, has prohibet pietas. Et unica salutis via erit, fugisse sine mora.

18 Orate vero ut hieme non fiant.

18 Proinde illud orate Deum, ne calamitas hæc incidat hyeme, vel sabbato. Neque enim celeriter modo, verum etiam procul aufugiendum erit. At hyems ob diei brevitatem ad longius fugiendum inutilis est. Et sabbato longius iter facere religio vetat. Quæ hactenus distulit Dominus, sic dicta sunt, ut partim ad excidium urbis Hierosolymorum; partim ad tempora persequutionum, quæ lapidato Stephano potissimum incruduerunt; partim ad extremum mundi finem pertinere videantur. Neque tamen non subest tropologia, quæ docet nos ab omnibus humanis impedimentis expeditos, semper oportere exspectare diem illum, qui nos Deo sistet judicandos. In eum non potest paratus esse, qui vel ob temporalium rerum amorem, vel ob affectus carnis, hoc est, amorem parentum, uxoris aut liberorum revocatur in periculum salutis æternæ. Vase onustus est, qui divitiis impeditus, cessat agere quæ sunt salutis æternæ. Pallio gravatur, qui ob curam corporis negligit vitam animæ. Infantis onere tardior est, qui propter affectus naturæ non recedit ab his, quæ scit esse modis omnibus fugienda: nec properat ad ea, quæ novit omnibus remoris abruptis expetenda. Hyems fugientes occupat, qui propter exiguitatem lucis, quam præbet fides, & caritatem quæ refrixit in ipsis, non pertendunt gnaviter quo cœperant. Porro sabbati superstitiosa observatio illos pertrahit in periculum, qui dum præpostero judicio illic trepidant timore, ubi non erat timor, non metuunt illa, quæ cum primis oportebat formidare: velut ubi quis ne violet hominis constitutionem, Dei præceptum negligit. Nam Judæorum sabbatum ob salutem hominis recte contemni palam docuit ipse Dominus.

19 Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus, usque nunc, neque fient.

19 Porro quæ subjecit, magis videntur pertinere ad supremum mundi diem, quem præveniet ingens omnium rerum tumultus, ob adventum Antichristi: Erunt, inquit, illi dies tam undique calamitosi, ut similis afflictio non fuerit à rebus conditis usque ad hunc diem, nec post futura sit.

20 Et nisi breviasset Dominus dies, non fuisset salva omnis caro: sed propter electos, quos elegit, breviavit dies.

20 Quod si hæc afflictio, quemadmodum erit sæva, sic etiam esset diuturna, non evaderet salvus quisquam mortalium. Sed Dei clementia voluit eam tempestatem esse brevem, propter eos quos delegit ad vitam æternam. Ex his enim neminem perire patietur, quæcunque insurrexerit malorum procella.

21 Et tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, ecce illic, ne credideritis.

21 Quare non est quod sibi quisquam timeat, modo perseveret in fide Euangelica, velut ad sacram ancoram. Nulla vis prosternet mihi constanter fidentes. Tantum cavete ne pro me alium Christum amplectamini. Plus erit periculi ab impostoribus, quam à persequutoribus.

22 Exurgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa & portenta ad seducendos, si fieri po-

22 Exorientur enim in illis diebus Pseudochristi, qui sibi meum nomen, meamque personam, falso vindicabunt. Exorientur & Pseudoprophetæ, qui fucata sanctimoniæ specie, se mentientur esse Prophetas: magicisque prodigiis ac Dæmonum arte adumbratis miraculis imitabuntur Prophetas ac me, sic ut ejusmodi præstigiis falli possint, si qua vis valeret adversus Deum, etiam electi. *Itaque si quis vobis dixerit: ecce hîc est Christus, ne credideritis:* aut si quis alio revocans, dixerit, ecce hîc est, quemcunque locum vobis demonstraverit, quamcunque speciem, aut cultum, nolite credere. Christus enim ubi semel terras reliquerit, non poterit ostendi di-

test, etiam electos.

gitis, sed in animis latebit, & ex his indiciis agnoscetur, si cujus vita referat Christi doctrinam. Cæterum in fine mundi, Christus non veniet quemadmodum nunc venit, sed subito præter omnium exspectationem ostendet sese fulguris in morem è sublimi, terribilis impiis, qui conjicientur in ignem æternum: amabilis piis, qui vocabuntur ad cœlestis regni consortium.

23 Vos ergo videte: ecce prædixi vobis omnia.

23 Vos igitur si incideritis in hæc tempora, cavete ne pro me Christum aliquem mentitum amplectamini. Ecce prædixi vobis omnia. Superest ut memineritis.

24 Sed in illis diebus, post tribulationem illam, sol contenebrabitur, & luna non dabit splendorem suum:

24 Verum posteaquam exstiterint illæ calamitates bellorum, persequutionum, famis, pestilentiæ, terræmotuum: succedent & alia portenta è cœlis profecta, velut omnibus elementis in ultionem impiorum excandescentibus. Nam Sol luminis fons obtenebrescet, velut exprobrans impiis suam cæcitatem, qui Solem illum æternum videre noluerint, nec Luna reddet splendorem à Sole mutuum, quæ noctis tenebras solet discutere.

25 Et stellæ cæli erunt decidentes, & virtutes, quæ in cælis sunt, movebuntur.

25 Ad hæc videbuntur & Stellæ cœlo decidentes in terram, quæ tot seculis illic affixæ fuerant, in usum humani generis. Quin & cœlorum virtutes, quarum potentia miranda illa corpora servarunt à Deo præscriptos cursus, ac functiones suas ab orbe condito, concutientur. Tantus erit terror imminentis judicii supremi.

26 Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa, & gloria.

26 His peractis, subito videbunt omnes qui vixerint Filium hominis nunc humilem & contemtum, emicantem in altissimis nubibus cum potestate multa & gloria Patris, & innumeris Angelorum copiis.

27 Et tunc mittet angelos suos, & congregabit electos suos à quatuor ventis, à summo terræ, usque ad summum cæli.

27 Tunc emittet Angelos suos, qui nullum electum patientur abesse, sed omnes undique colligent, seu vivos seu mortuos, subito in vitam revocandos, omnia mystici corporis membra suo capiti aggregaturi, ut qui fuerant consortes afflictionum ob Euangelium, consortes sint æternæ felicitatis. Nec refert quo devolarint animæ piorum, quo projecta fuerint corpora, reperientur ab Angelis, & colligentur à quatuor mundi plagis, rursus à summo polo cœli usque ad imum. Suo quæque anima corpori jungetur, & suo capiti sociabuntur omnes pariter electi.

28 Ficu autem discite parabolam. Cum jam ramus ejus tener fuerit, & nata fuerint folia, cognoscetis quia in proximo sit æstas:

28 Porro ne vos omnino imparatos opprimat hoc tempus, ex conjecturis quibusdam divinare licebit jam instare, non aliter quam ex arbore Ficu colligere licet venturam æstatem. Quum enim rami hujus arboris cœperint tenerescere, velut parturientes grossos, jamque frondes eruperint, cognoscitis æstatem non procul abesse.

29 Sic & vos cum videritis hæc fieri, scitote quod in proximo sit in ostiis.

29 Sed multo certius est venturum illum diem, quam certum est æstatem hyemi succedere.

30 Amen dico vobis, quoniam non transibit generatio hæc, donec omnia ista fiant.

30 Illud affirmo vobis, hæc ætas non præterierit, quin hæc omnia sint eventura.

31 Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

31 Nihil est in rebus corporalibus cœlo firmius, nihil immobilius terra: verum & cœlum & terra citius mutatura sunt naturam suam, quam verba mea futura sint inania.

32 De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater.

32 Ne vero vobis curæ sit, ut certo sciatis diem illum supremum, quando nec Angelis datum est hoc scire, nec ipsi Filio: sed quoniam Pater sic intelligebat expedire saluti vestræ, sibi uni servavit hoc arcanum.

33 Videte, vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus sit.

33 Certissimum habete, venturum: ne quærite quando, ne obrepat securitas. Semper cavete, semper vigilate, semper orate, nescientes quando futurum est, ut dies ille terribilis ingruat. Cavebitis, si nullis hujus mundi præsidiis, si nulli humanæ creaturæ fidetis, sed toti ex me meisque præceptis pendebitis. Vigilabitis, si per abstinentiam luxus, & omnium corporis voluptatum, toto pectore studebitis sanctimoniæ spiritus. Orabitis, si flagrantibus animis inhiabitis ad ea, quæ promissa sunt in Euangelica

Digitized by Google

gelica professione perseverantibus. Habet Satanas artes suas, quibus imponat etiam oculatis. Adversus has adhibenda est serpentis prudentia. Habet mundus & caro suas illecebras, quibus sic delinit animos incogitantium, ut illis veluti somnus obrepat securitas & oblivio rerum æternarum. Ex quibus nascitur regni cœlestis vel contemtus, vel desperatio. Non destituet suos electos Deus, sed amat vigiles & attentos: sic tamen ut quum omnia præstiterint, quæ possunt humano studio præstari, orent nihilo secius: intelligentes & initium, & progressum, & summam æternæ felicitatis esse divini muneris. Sic advigilate, quasi vos Deus ad tempus destituerit: sic orate, quasi sine illo frustra sit futurum quicquid conemini.

34 Sicut homo, qui peregre profectus reliquit domum suam, & dedit servis suis potestatem cujusque operis, & janitori præcepit ut vigilet.

34 Hanc doctrinam quo Dominus Jesus altius infigeret animis discipulorum, adjecit & similitudinem ad rem appositam. Ubi reliquero vos, perinde gerite vos, ut facerent servi fideles ac prudentes, quibus Dominus peregre profecturus commisit auctoritatem administrandæ rei familiaris, & suum cuique distribuit opus ac functionem. Porro adversus nocturnum furem, janitori mandavit ut vigilaret. Hi quoniam incerti sunt, quando sit rediturus Dominus, dant operam ut semper in officio sint, ut quocunque tempore contingat redire Dominum, offendat ipsos vigilantes.

35 Vigilate ergo, (nescitis enim quando dominus domus veniat: sero, an media nocte, an galli cantu, an mane)

35 Certius autem est vobis me rediturum esse, quam illis rediturum dominum. Potest enim aliquid incidere, ut peregre moriatur. Sed certo certius est me rediturum, tametsi vobis incerto die. Proinde facite vos, quod servi faciunt frugi. Vigilate semper exspectantes reditum meum. Nescitis enim quando Dominus venturus sit, sero, an nocte intempesta, an gallicinio, an diluculo:

36 Ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes.

36 Ne si venerit repente, sicuti veniet, offendat vos dormitantes & in officio cessantes.

37 Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.

37 Quod autem vobis dico, per vos omnibus dico, quicunque nascituri sunt usque ad finem mundi, vigilate. Nulli non vigilandum, qui velit esse salvus. Cuique suum opus præstandum, quod commissum est à Domino, sed præcipue janitori vigilandum, qui toti vigilat familiæ. Etiamsi quando dormitet populus, non vacat dormire pastori. Porro tota hæc vita, quæ non habet certum discrimen bonorum ac malorum, & in qua plurimum est ignorantiæ, lucis quam minimum, nox est si conferatur ad vitam futuram. Quanquam autem in fine mundi Dominus semel veniet omnibus, tamen singulo cuique venit, quum adest mortis tempus. In hunc igitur, quoniam æque incertus est, privatim cuique vigilandum est. Quibusdam enim venit sero, velut in adolescentia: quibusdam intempesta nocte, velut in florentissima ætate: quibusdam in gallicinio, puta in senectute. Nec viribus, nec ætati fidendum. Omnibus ex æquo incertus est mortis dies.

Cap. XIV.

Os Domini unctum: Pascha: preces: auris: fuga nudi: Testes: sputa: alapa: collacrumansque Petrus.

1 Erat autem Pascha & Azyma post biduum: & quærebant summi sacerdotes, & Scribæ, quomodo eum dolo tenerent, & occiderent.

1 JAM vero propius aberat ille sacratissimus *Paschæ* dies, hoc est, *phase*, quod Hebræis *transitum* sonat, quo nos sacrosanctus cruor agni immaculati liberaturus erat ab ultione gladii exstinctoris, ac eductos ex Ægypto per mare rubrum, perque desertum hujus mundi, perducturus in cœlestem Hierosolymam, in terram lacte ac melle manantem. Nam Judæorum *phase*, quod illi summa religione quotannis celebrabant, nihil aliud erat, quam hujus victimæ umbra. Quemadmodum & illud, quod his diebus Judæi temperabant à panibus fermentatis, nos ad Euangelicæ puritatis sinceritatem adhortantes. Is dies post biduum erat futurus, quem illi *parasceven* appellant. At primores Sacerdotum, & Scribæ, quam religiose sese parabant ad celebrandum phase corporale, tam irreligiose festinabant imprudentes immolare verum illum agnum, quem solennis illa victima tot seculis designarat. Jam enim certum consilium conceperant occidendi Jesum, sed quoniam id palam non audebant ob populi metum, visum est ut per dolum illi manus injicerent, & occiderent.

2 Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.

2 Huic consilio maxime conveniebat ille dies, quo res Novi Testamenti, Veteris Testamenti figuræ responderet. Non delegerant illi diem hunc, sed æterno Patris consilio fuerat huic victimæ destinatus. Siquidem illi conferentes inter sese consilia de occidendo Jesu, dicebant: Non in die festo, ne tumultus exoriatur in populo. Judaica nimirum religio est, homines vereri, quum Deum non vereantur. Jesus autem sciens adesse tempus, quo Patri visum erat peragi sacrificium illud æternum, non recedit ab Hierosolyma, ne loco deesset præfinito.

3 Et cum esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi, & recumberet: venit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi, & fracto alabastro, effudit super caput ejus.

3 Quum igitur Bethaniæ cum amiculis suis convivium ageret in ædibus Simonis, cui cognomen erat leproso, unus è convivis erat Lazarus. Agnoscis in eadem domo concors & amicum sodalitium Ecclesiæ, quam Christus immundam suo purgavit sanguine, quam mortuam ob peccata, sua morte vivificavit. Cum talibus Jesus amat accumbere, potius quam cum Sacerdotibus ac Pharisæis, qui sibi puri ac vivi videbantur, quum id essent animo, quod Simon ille fuerat, quod fuerat Lazarus. Inter convivium autem ingressa est mulier quædam, habens Alabastrum plenum unguenti exquisiti pretiosique ex Nardo pistica, fractoque Alabastro effudit in caput accumbentis Domini. Tali unguento juxta spiritum amat perfundi Jesus, qui mundi delitiis nunquam est delectatus. Hujus in sponsum suum dilectum prodiga est Ecclesia. Quicquid habet pretiosi, non servat sibi, sed effundit in caput Jesu, cui debetur omnis gloria. Latissime per orbem patet Ecclesiæ domus, verum hujus unguenti fragrantia replevit universam domum. Hoc odore trahuntur multi, ut ambiant in eam domum admitti, ubi cum amicis suis accumbit Jesus.

4 Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos, & dicentes: Ut quid perditio ista unguenti facta est?

4 At non desunt, qui invideant & obstrepant Jesu delitiis, nimirum Judæi, qui magis quærunt quæ sunt ipsorum, quam quæ Jesu Christi. Sic enim ex discipulis adhuc carnem sapientibus quidam, sed præcipue Judas Iscariotes obstrepit, indignans apud sese, & obmurmurans: Quorsum attinebat hujus unguenti tam exquisiti jacturam fieri?

5 Poterat enim unguentum istud venundari plus quam trecentis denariis, & dari pauperibus. Et fremebant in eam.

5 Poterat enim vendi trecentis denariis, eoque pretio multis pauperibus subveniri. Adeoque cruciabat illos hujus unguenti dispendium, ut infremerent adversus mulierem pie prodigam. Bene perit, quod impenditur gloriæ Christi: imo nihil minus perit. Synagoga Christo parca est, sibi prodiga. Contra Ecclesia non æstimat, quod habet à Christo, sed hoc totum quod habet, comminuto vasculo temere effundit in caput sponsi sui. Placebat autem vidua paupercula, quæ quadrantem conjecit in Gazophylacium. Placet & hæc, quæ pretiosi unguenti jacturam fecit. Illa agnoscens tenuitatem suam, hoc ipsum, quod habebat, totum effudit: hæc Domini ex benignitate jam dives, non solum quod habebat impendit Jesu, sed vasculi quoque jacturam fecit. Illa impendit victum: hæc etiam corpus & animam, si perire posset, quod impenditur Jesu. Ubi nunc sunt, qui murmurant adversus profusionem gratam auctori gratiæ? Dat ipse de suo largiter, ut odor benignitatis ipsius latius spargatur. Nihil postulat præmii, hic tantum ambitiosus est. Vult agnosci suam beneficentiam, non quod egeat hac laude, sed per hanc placuit illi largiri nobis suas divitias.

6 Jesus autem dixit: Sinite eam; quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me.

6 Sed adversus obmurmurantes discipulos, mulieris piam sedulitatem tuetur Dominus, cui uni probari satis est: *Cur*, inquit, *negotium facessitis huic mulieri? Sinite illam* obsequi animo suo. *Bonum opus operata est erga me.*

Digitized by Google

7 Semper enim pauperes habetis vobiscum; & cum volueritis, potestis illis benefacere: me autem non semper habebitis.

8 Quod habuit hæc, fecit: prævenit ungere corpus meum in sepulturam.

9 Amen dico vobis: Ubicumque prædicatum fuerit Euangelium istud in universo mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam ejus.

10 Et Judas Iscariotes, unus de duodecim, abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum illis.

11 Qui audientes gavisi sunt: & promiserunt ei pecuniam se daturos. Et quærebat quomodo illum opportune traderet.

12 Et primo die Azymorum quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi ut manduces Pascha?

13 Et mittit duos ex discipulis suis, & dicit eis: Ite in civitatem: & occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans, sequimini eum:

14 Et quocumque introierit, dicite domino domu, quia magister dicit: Ubi est refectio mea, ubi Pascha cum discipulis meis manducem?

15 Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande, stratum: & illic parate nobis. 16 Et abierunt discipuli ejus, & venerunt in civitatem: & invenerunt sicut dixerat illis, & paraverunt Pascha. 17 Vespere autem facto, venit cum duodecim.

7 Nam quod avaritiam, pauperum sublevandorum titulo, prætexitis, pauperi impensum est, quod mihi impenditur. Vulgares autem istos pauperes semper habebitis vobiscum, quibus licebit benefacere, quoties volueritis: me vero non semper habebitis, ut officiis hujusmodi corporalibus possitis demereri.

8 Semel hoc honoris impensum est mihi, & quod factum est, non factum est, ut exemplum trahatur ad multos juxta carnem reficiendos, sed ut ab omnibus juxta spiritum exhibeatur. Hæc quid faciat, nescit. Tamen pia sedulitate, quod potest, facit. Instat mors, cupiet tunc ungere corpus meum sepeliendum. Id quoniam tum non licebit, antevertit: & vivo impendit honorem, quem mortuo non poterit.

9 Cæterum hujus mulieris pietas, cui vos obstrepitis, adeo non carebit laude sua, ut quum mors mea per Euangelium celebrata fuerit per omnes orbis regiones, simul & hujus mulieris memoria celebranda sit, quæ mortem meam antequam morerer tali munere honorarit. His dictis Dominus discipulorum suorum murmur compescuit.

10 Cæterum Judas Iscariotes, unus è numero duodecim, qui communem pecuniam mala fide dispensabat, non tulit hujus unguenti jacturam, sed abiit ad summos Sacerdotes, ut proderet illis Jesum. Nec enim fugiebat illum, illos hoc agitare, ut Jesum arte caperent.

11 Hoc audito gavisi sunt illi. Placuit auctor sceleris domesticus Jesu. Conventum est de pretio. Et invenitur mutua fides in tam impio consilio, quæ rara est in pactis honestis. Credidit Judas simplici promisso Sacerdotum absque tabulis ac testibus, absque sponsore aut vade. Cogitat apud sese quo pacto posset Jesum prodere Sacerdotibus ac Scribis ex ipsorum animi sententia, hoc est, loco ac tempore commodo, ne quid oriretur tumultus. Nam hæc in pacto interceserat conditio.

12 Interea dum Judas & Sacerdotes de perdendo Jesu consultant, ille salutis humanæ negotium agit. *Jam venerat primus dies Azymorum, quo solitum est immolari pascha. Dicunt igitur Jesu discipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi cœnam paschalem?*

13 *Jesus autem emittit ad apparandam cœnam duos ex discipulis suis, & ait illis: Ite in civitatem, & ingressis occurret vobis homo, lagenam aquæ bajulans.*

14 *Eum sequamini, & quocunque introierit, dicite domino domus* hæc verba meo nomine: *Magister dicit, ubi est cœnaculum, ubi pascha cum discipulis meis edam?*

15 *Is* nihil moratus *ostendet vobis cœnaculum ingens stratum, jamque futuro convivio paratum. Illic instruite nobis paschalem cœnam.* Hîc vide simplicem Apostolorum obedientiam, qualem exhibuerant, & ante quum emandarentur ad pullum Asinæ. Vide & illud, nihil omnino latere Dominum, ut palam sit illum præscium ac volentem omnia passum, quæ nostra causa passus est. Ad hæc vide auctoritatem. Ad Domini nomen statim dimittitur Asinus, rursus ad Domini vocem statim ostenditur cœnaculum, ut perspicuum sit, illi in manu fuisse facere quicquid vellet. Nutu poterat coercere Sacerdotes ac Pharisæos crudelia molientes.

16 Abiere discipuli, venerunt in civitatem, offenderunt hydriæ bajulum, sequuntur, ingrediuntur domum, exponunt mandata domino ædium. Ille nihil moratus ostendit cœnaculum. Illic discipuli adornant pascha, hoc est, ultimam ac mysticam cœnam, simul & repræsentaturam Legis vetustæ figuram & Euangelicam victimam arcanis signis exhibituram.

17 Vespere autem sequutus est Jesus cum duodecim discipulis suis, quos solos, ut selectos, voluit sacrosancti convivii testes esse.

18 Ubi vero jam accubuissent omnes ac cibum caperent, ait Jesus: *Confirmo vobis, quod unus è vobis, qui comedit mecum, me proditurus est.*

19 Ad hanc vocem mœror ingens corripuit undecim Apostolos. Nullus enim præter unum Judam sibi male conscius erat. Sed tamen non audent fidere imbecillitati humanæ. Ita singuli cupientes Domini indicio à sollicitudine liberari, dicunt Domino: *Num ego is sum?* Nec Judam sibi male conscium puduit cum cæteris dicere: *Præceptor num ego sum is?*

20 Jesus autem, ut suis absolutum lenitatis exemplum proferret, maluit suos ad tempus affici mœrore, quam prodere proditorem, nihil non faciens, ut ab impio consilio resipisceret. Ait itaque: Unus erit è duodecim, qui mihi sic est familiaris, ut in eundem discum intingat mecum manum. Et hujus dignationis tale præmium mihi referet. Sentiebat Judas se non latere Domini conscientiam, & perspiciebat inauditam mansuetudinem. Jesus, à quo mox perfidissime prodendus erat in mortem, eum non vult prodere cæteris discipulis, fortassis in eum amore Domini sævituris. Et ô deploratam malitiam! Quod saxum, quem adamantem non emolliret tanta mansuetudo hominis, qui nutu poterat lædere? Sed hæc magis etiam illum animat ad maleficium.

21 Tum ita pergit Dominus: Cæterum quod ad me pertinet, nihil præter animi sententiam accidet, sed quemadmodum à Prophetis prædictum est de Filio hominis, ita futurum est. Expedit plurimis, ut tradatur in mortem Filius hominis, sed tamen væ illi, per cujus malitiam Filius hominis tradendus est. Procurat enim rem aliis saluti futuram, sed in suam ipsius perniciem. Præstiterat illi homini natum non fuisse. Nec tanta Domini mansuetudine, nec terrore denuntiati supplicii correctus est animus Judæ. Tanta pestis est amor pecuniæ.

22 Sub hæc Jesus commendavit suis sacrosanctum illud symbolum mortis suæ, perpetuique fœderis, cum his qui in fide Euangelica perseverarent. *Accepit igitur panem, quumque gratias egisset* Deo Patri, *fregit ac distribuit singulis, dicens: Sumite, hoc est corpus meum.*

23 *Item accepto poculo, quum gratias egisset, tradidit illis, & biberunt ex eo omnes.*

24 *Tum ait illis: Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur.*

25 *Certum habete, quod dico vobis. Posthac non bibam de fructu vitis usque ad eum diem, quum bibam illum novum in regno Dei.*

26 Cœna peracta, atque hymno in laudem Dei ex more dicto, eadem nocte, relictis Hierosolymis, abierunt in montem Olivarum. Semper agendæ gratiæ, semper laudes Deo canendæ sunt, sive contingunt prospera, sive premunt adversa.

27 Ibi Jesus non ignorans imbecillitatem discipulorum suorum, parat illos ad tolerantiam imminentis tempestatis: *Omnes*, inquit, *hac nocte mea causa turbabimini.* Prædixit & hoc Esaias*: *Percutiam*, inquit, *pastorem & dispergentur oves.*

28 Verum, ne defpondeatis animum. Quemadmodum mors mea vos turbatos dissipabit, ita resurrectio mea vos refocillatos colliget in unum. Revivíscam enim, ut dixi, tertio die, ac redivivus præcedam vos in Galilæam. Ibi me conspecto, mœrorem animi deponetis.

29 Hoc audito, Petrus nondum sibi notus, fortiter quidem, sed temere respondit. *Etsi cæteri omnes offensi fuerint* tua morte, *certe ego non perturbabor.*

30 Jesus autem penitus cupiens revellere ex animis no-

* Scribendum *Zachariæ*, ut habet alia Editio.

scriptum est: Percutiam pastorem, & dispergentur oves. 28 *Sed postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* 29 *Petrus autem ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego.* 30 *Et ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.*

18 Et discumbentibus eis, & manducantibus, ait Jesus: Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum.

19 At illi cœperunt contristari, & dicere ei singulatim: Numquid ego?

20 Qui ait illis: Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino.

21 Et Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de eo: væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur, bonum erat ei, si non esset natus homo ille.

22 Et manducantibus illis, accepit Jesus panem: & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, hoc est corpus meum.

23 Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes.

24 Et ait illis: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.

25 Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei.

26 Et hymno dicto exierunt in Montem olivarum.

27 Et ait eis Jesus: Omnes scandalizabimini in me in nocte ista: quia

Digitized by Google

noſtris noſtri fiduciam, ait illi: Petre, negas futurum, quod & prophetia futurum prædixit, & ego, cui jam oportebat credere, non reclamare? Temerarie pollicitator, imo hoc inſignius cæteris perturbabere, quo tibi cæteris videre fortior. Siquidem *illud pro certo confirmo tibi, priuſquam gallus hac ipſa nocte bis cecinerit, ter me negaturus es.*

31 *At ille amplius loquebatur: Et ſi oportuerit me ſimul commori tibi, non te negabo. Similiter autem & omnes dicebant.*

31 Hac oratione adeo non coercita eſt Petri confidentia, ut tanto fortius etiam ac magnificentius de ſe polliceretur, dicens: *Imo ſi me neceſſe fuerit etiam commori tibi, tamen haud unquam te abnegabo.* Hanc Petri vocem ſequuti ſunt & cæteri diſcipuli, ut pariter errantes, pariter emendarentur: & agnoſcerent quam ex ſuis viribus nihil eſſent, quamque non poſſet eſſe vanum, quicquid ex ore Chriſti prodiſſet. Conſenſerant in profeſſione pridem, & in Petro collaudata eſt omnium opinio. Hîc conſentiunt in temeraria fiducia ſui, & in uno Petro redarguta eſt omnium temeritas. Solus Petrus abjuravit Jeſum, cæteris omnibus idem facturis, ſi data fuiſſet occaſio. Abjuraſſent enim niſi fugiſſent. Petri fortitudo cæteris conſtantior, adduxit ipſum in periculum. Nihil autem horum in diſcipulis accidebat deſtinata malitia quemadmodum in Juda, ſed humanæ naturæ imbecillitate: & ideo Judæ pervicaci malitia Jeſus abuſus eſt ad ſalutem noſtram: Apoſtolorum imbecillitatem ideo voluit multis evidentem fieri, ut per illos doceret omnes, ne quis ſibi quicquam de ſuis ipſius viribus polliceretur, ſed ingruente malorum procella, totus penderet à præſidio cœleſti, quod tanto præſentius adeſt, quo magis homo de ſuis viribus fuerit diffiſus. Apoſtoli nondum verbis coargui poterant, ſed futurum erat, ut ex re tandem agnoſcerent ſeipſos.

32 *Et veniunt in prædium, cui nomen Gethſemani. Et ait diſcipulis ſuis: Sedete hîc donec orem.*

32 Ventum eſt igitur in prædium, cui nomen Gethſemani. Ea vallis eſt ad radicem montis Oliveti. Nemo poteſt adſcendere in crucem Jeſu, niſi prius deſcenderit in vallem hanc, niſi ſeſe dejecerit abdicatis omnibus humanæ ſuperbiæ præſidiis.

33 *Et aſſumit Petrum, & Jacobum, & Joannem ſecum: & cœpit pavere, & tædere.*

33 Hîc jubet ſubſiſtere reliquos octo, ipſe adjunctis ſibi tribus, Petro, Jacobo, & Joanne, non magno intervallo ſubducit ſeſe, ut vacaret precibus. Agnoſce machinas Euangelicas adverſus violentiam perſequutorum. Erant in Jeſu duo inter ſe diverſiſſima, divina majeſtas, qua nihil ſublimius: & humana imbecillitas, qua nihil abjectius. Quoniam autem his tribus guſtum aliquem præbuerat ſuæ ſublimitatis, voluit eoſdem extremæ abjectionis & humilitatis eſſe teſtes, ut in eodem diſcerent, & quid eſſet imitandum, & quid ſperandum. Nuſquam hîc facies Solis in morem fulgurans, nuſquam veſtis nive candidior, nuſquam confabulator Moſes & Elias, nuſquam paterna vox, verum ut homo prorſus omni deſtitutus auxilio, cœpit pavore conturbari, & anxietate mentis exanimari. Nimirum homo verus erat, & inſigniter in ſe expreſſit, quod imminente tali tempeſtate ſolet his accidere, qui nihil aliud ſunt quam homines.

34 *Et ait illis: Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem: ſuſtinete hîc, & vigilate.*

34 Nec diſſimulavit anxietatem animi apud amicos: *Perſentio*, inquit, *animo mœrorem morti ſimillimum.* Quærebat undique ſolatium, nec invenit. Eſt & hoc aliquod ſolatii genus, apud amicos, tametſi nihil opitulaturos, queri de calamitate. Hîc igitur jubet & hos tres ſubſiſtere ac vigilare.

35 *Et cum proceſſiſſet paululum, procidit ſuper terram: & orabat, ut ſi fieri poſſet transiret ab eo hora:*

35 Quo facto paululum progreſſus, ac veluti prorſus ab omni ſolatio hominum deſtitutus, planeque deploratus, quod ad humanas attinebat opes, confugit ad Patris auxilium, nec apud hunc ſtatim inventurus mali levamen. Itaque procumbens humi, demiſſa in terram facie, rogabat Patrem, ut ſi qua fieri poſſet, præteriret hujus certaminis tempus. Natura corporis horrebat cruciatum ac mortem imminentem.

36 *Et dixit: Abba Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt, transfer calicem hunc à me: ſed non quod ego volo, ſed quod tu.*

36 Abba *Pater*, inquit, *tu nihil non potes: transfer hoc poculum à me ne bibam, verumtamen id fiat, quod tua ſtatuit voluntas*, quæ nihil vult, niſi quod eſt optimum, non quod vult hujus corporis imbecillitas.

37 *Et venit, & invenit eos dormientes. Et ait Petro: Simon, dormis? non potuiſti una hora vigilare?*

37 Hæc precatus rediit ad relictos tres Apoſtolos, ac reperit illos jam dormientes. Ac Petrum modo tam fortia pollicitum appellat: *Simon*, inquit, *dormis? Non poteras vel unam horam vigilare mecum?* Hoc tempus non admittit oſcitantiam. Neque enim dormit, qui nobis molitur perniciem.

38 *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro vero infirma.*

38 *Vigilate & orate*, ne veniatis in tentationem, quæ ſi vos oppreſſerit imparatos, periculum eſt ne vincamini. Commune periculum eſt: ego vobis vigilo, vobis oro: vigilate & vos mecum, & orate mecum, ut mecum vincatis. *Spiritus quidem promptus eſt, ſed caro infirma.* Ne vincat caro, ſpiritus eſt vigilia ac precatione confirmandus.

39 *Et iterum abiens oravit, eumdem ſermonem dicens.*

39 His dictis, Jeſus rurſum abiit unde venerat, atque iiſdem verbis rogavit Patrem, ne biberet è poculo, quod inſtabat.

40 *Et reverſus, denuo invenit eos dormientes, (erant enim oculi eorum gravati) & ignorabant quid reſponderent ei.*

40 Mox reverſus ad ſuos, offendit illos denuo dormientes. Dormitabant in viſione majeſtatis, nec ſciebat Petrus quid loqueretur. Dormiunt & hîc in ſpectaculo infirmitatis, nec ſatis intelligunt, quid reſpondeant objurganti Jeſu.

41 *Et venit tertio, & ait illis: Dormite jam, & requieſcite. Sufficit: venit hora: ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum.*

41 Rediit ad ſuos tertio Jeſus à precatione ſua, ac tertio reperit illos dormitantes. Perierant illi nobiſcum, niſi pro nobis omnibus vigilaſſet ac deprecatus fuiſſet Jeſus. Expergefactos igitur objurgat illos, ut per eos omnium exſtimulet oſcitantiam: Dormite poſthac & requieſcite. Satis dormitatum eſt. Ipſa res vos volentes nolentes excitabit. Adeſt articulus tempeſtatis. Ecce Filius hominis mox prodetur, tradendus in manus ſceleroſorum.

42 *Surgite, eamus: ecce qui me tradet, prope eſt.*

42 Surgite, eamus illis obviam. Jam enim Dominus Jeſus ex precatione robur animi collegerat adverſus inſtantem procellam afflictionum. Nec poſt ullum ſignum dedit pavoris aut tædii, ſed exemplum conſtantiſſimæ tolerantiæ nobis præbuit uſque ad mortem.

43 *Et, adhuc eo loquente, venit Judas Iſcariotes, unus de duodecim, & cum eo turba multa, cum gladiis & lignis, à ſummis ſacerdotibus & Scribis, & ſenioribus.*

43 Nondum hunc finierat ſermonem, adeſt Judas Iſcariotes, unus è numero duodecim ſelectorum, & inter hos habitus præcipuus, adducens ſecum numeroſam cohortem, eamque gladiis ac fuſtibus armatam adverſus inermem Jeſum. Nec deerat auctoritas. Miſerant hanc manum ſummi Sacerdotes, Scribæ & populi primores. Hîc mihi vide, lector, egregium conflictum Euangelicæ pietatis adverſus falſam religionem. Sic quotidie oppugnatur, ſic ſemper vincit Euangelica veritas. Nullus ad eam prodendam magis idoneus, quam qui ſub profeſſione veritatis Euangelicæ, docet ea quæ ſunt carnis. Longe plus periculi eſt à falſa doctrina, quam à gladiis & fuſtibus palam ſceleratorum militum. Nec ſibi tamen ſatis fidit Judas ad prodendum Dominum, adhibet armatam manum cum auctoritate utriuſque ordinis, profani & ſacri. Atque hæc aguntur noctu, captata loci quoque opportunitate. Denſiſſimæ tenebræ ſint oportet, ubi vincitur & capitur Jeſus. Hæc erat poteſtas tenebrarum, & ad tempus permittitur Satanæ, ut Chriſtum videatur deviciſſe. Quid autem cæcius, quam illi humanis conſiliis moliri inſidias, quem nihil fugit: quam illum aggredi gladiis & fuſtibus, qui nutu poteſt, quicquid vult?

44 *Dederat autem traditor ejus ſignum eis, dicens: Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum, & ducite caute.*

44 Judas autem non palam oſtendit ſe ducem ſceleratæ manus, ſed prius dedit illis ſymbolum, dicens: *Quemcunque oſculatus fuero, ille eſt Jeſus. Injicite manus illi, & abducite caute ne elabatur.*

45 *Et cum veniſſet, ſtatim accedens ad eum, ait: Ave Rabbi: & oſculatus eſt eum.*

45 Caverant hoc Sacerdotes, ne numeraretur pecunia, ni Jeſus eſſet in manibus. Deinde cœpit ex intervallo præcedere turbam, quaſi aliud agens, ſic tamen ut illis eſſet in conſpectu. Mox ut adiit Jeſum, ſalutavit illum, dato ex more oſculo. Nec hîc Jeſus remiſit lenitatem ſuam erga proditorem. Tantum illius tangit conſcientiam, dicens: *Amice ad quid veniſti?* Sciebat, non futurum ut ille reſipiſceret, & tamen nihil non facit, quo corrigeretur: nos

eruditens, ut erga peccantes ſumma lenitate utamur, propterea quod ignoramus, an aliquando ſint ad meliorem mentem redituri. Si reſipiſcunt, lucrifecimus proximorum ſalutem: ſi non reſipiſcunt, non carebit noſtra manſuetudo ſuo præmio. Oſculum caritatis mutuæ ſignum eſt. Caritas autem declarat nos eſſe diſcipulos Jeſu. Nihil igitur hoſtilius oſculo ſimulato. Tale nimirum oſculum dant & hodie Jeſu Pſeudapoſtoli, qui ſub prætextu pietatis Euangelicæ ventri ſuo ſerviunt, gloriam venantur humanam, & pro libertate ſpiritus docent Judaiſmum.

46 At illi manus injecerunt in eum, & tenuerunt eum.

46 Ad oſculi venenati ſignum milites manum injecerunt in Jeſum, ac vinxerunt.

47 Unus autem quidam de circumſtantibus educens gladium, percuſſit ſervum ſummi ſacerdotis: & amputavit illi auriculam.

47 Ad hunc tumultum incandeſcit diſcipulorum animus. Jamque Petrus oblitus eorum, quæ prædixerat Dominus, judicavit adeſſe tempus, quo præſtaret aliquid dignum fortibus promiſſis. Is educto gladio percuſſit ſervum ſummi Pontificis nomine Malchum, quod is cæteris ferocior, primus feſtinaret manus injicere in Jeſum: ac Domino dextræ ictum moderante, tantum amputavit auriculam illius dextram. Sed objurgato diſcipulo, Dominus clementiſſimus illico ſarſit vulneris minime periculoſi diſpendium, & auriculam reſtituit. Adeo nulli non benefícus fuit Jeſus, ut nos puderet quenquam ulciſci velle, ne dicam immerentem lædere.

48 Et reſpondens Jeſus, ait illis: Tamquam ad latronem exiſtis cum gladiis & fuſtibus comprehendere me?

48 Porro Jeſus, ut non vult aliis præſidiis defendi, quam gladio ſermonis Euangelici, qui penetrat ad intima cordium: ita voluit armatam manum ſcire, ſe nulla vi capi poſſe, niſi volens ac prudens ſe præberet capiendum. Itaque verſus ad illos, dixit: Quid accidit, ut intempeſta nocte cum gladiis & fuſtibus exiretis huc ad me, tanquam ad latronem ſeſe ſimilibus armis defenſurum?

49 Quotidie eram apud vos in templo docens, & non me tenuiſtis. Sed ut impleantur Scripturæ.

49 Quotidie eram Hieroſolymis, non clam, ſed clara luce, & in loco omnium celeberrimo, videlicet Templo, ſanans ægrotos, ac docens veritatem. Semper inermis fui, cum inermi raroque diſcipulorum comitatu. Cur ibi me non comprehendiſtis? Certe minore negotio tum poteratis, ſi decretum hoc erat. Sed iſtud eſt tempus veſtrum, ut divino permiſſu liceat, quod lubet. Et ita futurum jam olim prædixerunt Scripturæ, quæ mentiri non poſſunt.

50 Tunc diſcipuli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt.

50 Hæc ubi dixiſſet, adoriuntur agminatim, ac manus injiciunt in Jeſum. Moxque diſcipuli ſibi quoque timentes, quotquot erant, deſerto Domino, alius alio diffugere. Infirmis licet fugere, qui nondum idonei ſunt perferendis ſuppliciis: quanquam incidit tempus, quo fugiſſe, negaſſe eſt. Ibi non oportet fugere, ſed ultro ad mortem occurrere. Ubi plus eſt diſpendii, quam compendii Euangelio ex morte tua, fugito, latita: ubi fructus eſt copioſus, ſi moriaris, diſpendium ingens, ſi te ſubducas, occurre carnifici.

51 Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum amictus ſindone ſuper nudo: & tenuerunt eum.

51 Erat autem inter duodecim adoleſcens quidam, qui cæteris vehementius diligens Jeſum, ſequebatur illum, quum jam vinctus duceretur. Is unica duntaxat ſindone nudum * corporis tectum habebat. Hunc agnitum apprehenderant:

52 At ille rejecta ſindone elapſus eſt è manibus illorum, veſtis jactura vitam redimens. Qui juxta ſpiritum ſic fugit, feliciter fugit. Quid enim eſt aliud hoc corpus, quam animi veſtimentum? Quoties Satanas manum injecit animæ, neglige ſindonem, & effuge.

53 Et adduxerunt Jeſum ad ſummum ſacerdotem: & convenerunt omnes ſacerdotes, & Scribæ, & ſeniores.

53 Nunc contemplator, quibus modis tractetur Euangelica veritas, poſteaquam prodita eſt ab impio diſcipulo. Per violentam militum manum vincta ducitur ad utriuſque ordinis primores, in illius exitium conjuratos. Primum adducitur ad ſummum Sacerdotem. Nullus hoſtis capitalior Jeſu, quam impius Pontifex. Jam ut res majore cum auctoritate geri videretur, convenerunt eodem omnes Sacerdotes, cum Scribis & Senioribus. Hæc eſt auctoritas hujus mundi conjurata adverſus humilem, ſed nihilo ſecius invincibilem veritatem.

54 Petrus autem à longe ſecutus eſt eum, uſque intro in atrium ſummi ſacerdotis: & ſedebat cum miniſtris ad ignem, & calefaciebat ſe.

54 Nondum Petrus abjecerat animum, ſed eminus ſequutus eſt Jeſum, jam diſſimulatus diſcipulus, nimirum mox abjuraturus. Ad nihil enim aliud per ſe valet hominis fortitudo, niſi ut enormius peccet. Itaque perrupit in atrium ſummi Sacerdotis, atque ibi ſedebat admixtus ſcelerato gregi famulorum, & calefaciebat ſe ad prunas, ſpectator futurus Dominicæ tolerantiæ potius, quam imitator.

55 Summi vero ſacerdotes, & omne concilium, quærebant adverſus Jeſum teſtimonium, ut eum morti traderent, nec inveniebant.

55 Interim qui inter Sacerdotes primum dignitatis locum tenebant, quorum ut quiſque primus erat auctoritate, ita cæteros ſuperabat impietate: cumque his reliquum concilium, ne viderentur homicidæ potius, quam læſæ pietatis ultores, venantur aliquod teſtimonium adverſus Jeſum, ut eum ad mortem adigerent. Nihil aliud ſitiebant, quam mortem illius, qui omnibus gratis vitam offerebat æternam. Nec inventum eſt ullum teſtimonium ſatis idoneum. Solus enim erat Jeſus, in quem nullum teſtimonium idoneum invenire poſſet humana verſutia.

56 Multi enim teſtimonium falſum dicebant adverſus eum: & convenientia teſtimonia non erant.

56 Jam enim multi prodierant, qui teſtimonia dederant adverſus Jeſum, verum adeo frivola, ut nec iniquiſſimis illis viderentur ſufficere ad condemnandum eum, quem jam apud ſeſe damnaverant, priuſquam in judicium adductus eſſet.

57 Et quidam ſurgentes, falſum teſtimonium ferebant adverſus eum, dicentes:

57 Tandem exorti ſunt, qui grave teſtimonium ferrent adverſus Jeſum, dicentes: Nos adferimus comperta.

58 Quoniam nos audivimus eum dicentem: Ego diſſolvam templum hoc manufactum, & per triduum aliud non manufactum ædificabo.

58 His enim auribus *audivimus eum dicentem: Ego diſſolvam Templum hoc manufactum, ac poſt triduum aliud non manufactum exſtruam.* Hanc volebant videri blaſphemiam in Templum Domini.

59 Et non erat conveniens teſtimonium illorum.

59 Nec horum teſtimonium, quanquam adderet aliquid veris ad exaggerandam criminis atrocitatem, viſum eſt ſatis idoneum. Diceres illic eſſe judiciorum religionem, ac faveri reo: verum hæc Sacerdotum diligentia non alio tendit, quam ne qua poſſit elabi Jeſus.

60 Et exſurgens ſummus ſacerdos in medium, interrogavit Jeſum, dicens: Non reſpondes quidquam ad ea, quæ tibi objiciuntur ab his?

60 Nihil agitur, ad perdendum Jeſum ſummo Pontifice eſt opus. Is itaque videns rem parum ſuccedere, ſurgens in medio concilii, cœpit appellare Jeſum, ex ipſius ore venaps unde poſſet convinci: *Audis*, inquit, *quæ tibi objiciuntur crimina? Nihil habes quod ad iſta reſpondeas?*

61 Ille autem tacebat, & nihil reſpondit. Rurſum ſummus ſacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es Chriſtus filius Dei benedicti?

61 *Jeſus autem obticuit, neque quicquam reſpondit.* Quid enim attinebat ad ea reſpondere, quæ ipſi judicarant frivola? Pergit itaque venari ſummus Pontifex & interrogat eum, dicens: *Es ne tu ille Chriſtus Filius Dei ſemper laudandi?*

62 Jeſus autem dixit illi: Ego ſum: & videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cæli.

62 *Jeſus eſſe ſe faſſus eſt:* nec enim debebat negare, quod expediebat omnes ſcire. Sciens autem illos non credituros, aut certe contemturos ob corporis imbecillitatem, adjecit quod illis terrorem injiceret: *Videbitis*, inquit, *Filium hominis ſedentem à dextris divina majeſtatis, magnaque cum gloria & comitatu Angelorum venientem ſublimem in nubibus cœli.* Senſit autem Jeſus de ſecundo adventu, quo rediturus eſt jam non humilis, ſed in majeſtate divina judex vivorum ac mortuorum. Sacerdotes impii Legem neſciebant, verum ex Phariſæis diſcere poterant utrumque adventum Meſſiæ prædictum à Prophetis, alterum adſpernabilem & contemtum, alterum magnificum ac formidabilem. Verum non vacat illis conferre, quæ geſſerat Jeſus, cum his quæ prædixerant Prophetæ. Tantum hoc agunt, ut exſtinguant Jeſum.

63 Summus autem ſacerdos ſcindens veſtimenta ſua, ait: Quid adhuc deſideramus teſtes?

63 Hîc ſummus Pontifex etiam pietatis imaginem ſuæ prætexens impietati, lacerat veſtimenta ſua, quo blaſphemiam redderet atrociorem: *Quid*, inquit, *præterea opus eſt teſtibus?*

64 Audiſtis blaſphemiam.

64 *Ipſi audiſtis manifeſtam blaſphemiam.* Pontifex im-

* Alia Editio, *nudum alioqui corpus.*

Digitized by Google

miam: quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis.

impius, suæque gloriæ studiosus, non fert prædicari gloriam Christi, sic existimans, suæ majestati decedere, quicquid illi tribuitur. Furor illum paulo ante submoverat à sede, & tamen interim assurgit Filio Dei: nunc lacerat vestimenta, vaticinans futurum, ut regnante vero Pontifice Jesu, carnale pontificium aboleretur. Scissa est gloria Synagogæ, Christi tunica manet integra. Quid longius abest à blasphemia, quam prædicare gloriam Filii Dei? quam testificari futurum, quod Prophetæ futurum prædixerant? Et tamen hæc scelerato Pontifici blasphemia est, quæ non egeat testimoniis. Quid, inquit, vobis videtur? Omnes consentientibus calculis judicarunt esse facinus morte plectendum. Dignum tali Sacerdote concilium. Nunc considerandum est, quibus modis in talibus conciliis tractetur veritas Euangelica, ubi Sacerdos impius pro Deo cupiens haberi, non fert prædicari gloriam Filii Dei: ubi Scribæ tacent, quod didicerunt ex Prophetis: ubi primores populi conspirant cum Templi primatibus: ubi adsunt ministri militesque conducti, & ad omne scelus suapte malitia parati.

65 Et cœperunt quidam conspuere eum, & velare faciem ejus, & colaphis eum cædere, & dicere ei: Prophetiza: & ministri alapis eum cædebant.

65 Jam enim veluti rite damnatum Jesum, *quidam ex illis cœperunt conspuere, alii velo obtegere faciem ejus, & colaphis impactis dicere illi: Vaticinare, quis te percusserit:* hujusmodi ludibriis exprobrantes illi, quod se passus esset haberi Prophetam. Porro ministri Sacerdotum alapis illum cædebant. Hæc erant morte crudeliora, verum hoc exemplum nobis parabatur. Ferendis ignominiis nemo superavit Jesum, edendis miraculis quidam superarunt.

66 Et cum esset Petrus in atrio deorsum, venit una ex ancillis summi sacerdotis:

66 Dum hæc aguntur circa Jesum. Petrus timidus spectator, sedebat in atrio inferiore, admixtus Pontificis impii satellitio. Ibi decebat esse, quum esset abnegaturus Jesum.

67 Et cum vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum, ait: Et tu cum Jesu Nazareno eras.

67 Huc venit ancilla quædam summi Sacerdotis: ea quum vidisset Petrum cum cæteris calefacientem sese ad prunas, intuita illum curiosius, cœpit noscitare speciem discipuli, & ait illi: *Tu quoque eras cum Jesu Nazareno.*

68 At ille negavit, dicens: Neque scio, neque novi quid dicas. Et exiit foras ante atrium, & gallus cantavit.

68 Hac voce territus *Petrus, negavit dicens: Non novi hominem, neque scio quid dicas.* Conveniebat magnificum pollicitatorem, quo magis agnosceret suam imbecillitatem, à muliercula terreri, ut post intrepide Jesu nomen profitens apud Magistratus & Reges, sciret eam fortitudinem non esse virium humanæ naturæ, sed Spiritus divini. Itaque territus Petrus, nec satis fidens ei loco, egressus est atrium, nec tamen receſſit ab ædibus Pontificis. Dum hîc hæret, gallus cecinit. Audivit Petrus, nec tamen venit in mentem, quid dixisset Jesus, tantus pavor habebat hominem.

69 Et rursum cum vidisset illum ancilla, cœpit dicere circumstantibus: Quia hic ex illis est.

69 *Rursus autem quum illum vidisset ancilla quædam, cœpit illum deferre apud circumstantes, dicens: Hic ex illorum numero est.*

70 At ille iterum negavit. Et post paululum rursus qui astabant, dicebant Petro: Vere ex illis es: nam & Galilæus es.

70 Rursum Petrus mendacio elapsus est, negans se de numero Apostolorum esse. Atque aliquanto post, ministri, qui adstiterant, quum ab ancilla noscitaretur, quum & ipsi curiosius hominis vultum & cultum contemplarentur, cœperunt eum noscitare & dicunt: *Vere ex illis es, nam & Galilæus es.* Prima delatrix est mulier. Quantum autem periculum, Christi discipulum notum esse in aulis Pontificum ac Principum? Nisi totum discipulum exsuat, periclitatur de capite. Et sermonis etiam idiomate periclitatur Petrus. Tales aulæ nihil ferunt sinceræ veritatis.

71 Et cœpit anathematizare, & jurare: Quia nescio hominem istum, quem dicitis.

71 Nunc demum fiet germanus aulicus Petrus, cœpit enim exsecrationibus additis dejerare, se prorsus non nosse Jesum, de quo loquerentur, ac rursum gallus cecinit.

72 Et statim gallus iterum cantavit. Et recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei Jesus: Priusquam gallus cantet bis, ter me negabis. Et coepit flere.

72 Nec prius ad se rediit Petrus, quam illum est intuitus Jesus. Tandem itaque recordatus sermonis, quem dixerat Jesus, *Prius quam gallus cantet bis, ter me negabis*, egressus est domum Caiphæ, & erupit in lachrymas. Nec tamen fugit ad laqueum quemadmodum Judas: quia non per malitiam, sed per humanam imbecillitatem ceciderat, idque permissu Domini, ut nos illius lapsus erudiret. Sed hic imber erumpens exstinguit fulmen iræ divinæ. Non flet autem, nisi prius egressus è palatio Caiphæ. Nam illic quo quisque pejor est, hoc sibi magis placet.

CAP. XV.

Pilatus: Rex: sceptrum: crux: convitia: nexque: Eli: Centurio: membra petita: lapis.

1 TOTA ea nox in ædibus Caiphæ consumta est in perniciem & ludibrium Jesu. Mane vero statim inito rursus concilio, summi Sacerdotes, cum Senioribus & Scribis, totoque consessu vinctum Jesum abduxerunt, ac tradiderunt Pilato judicandum, quem ipsi suo jam præjudicio damnarant. Nunc ex judicibus fiunt accusatores.

2 Pilatus auditis illorum delationibus, appellavit Jesum reum: *Tu ne es ille Rex Judæorum? Jesus respondit: Tu dicis*, tacite agnoscens quod erat. Quanquam ea vox nihil movebat Pilatum, quum in Jesu nihil appareret, quod argueret mundani regni affectatorem.

3 Porro summi Sacerdotes, ne qua posset elabi Jesus, varios criminum articulos in illum congerunt, ut ex multis tandem aliquod saltem esset, quod moveret judicem non admodum iniquum.

4 Pilatus autem animadvertens, quod res ageretur odiis privatis, captabat occasionem liberandi reum à causa. Itaque quum rursus adisset Jesum, nec ille quicquam responderet, ait: *Non respondes quicquam in tanto* capitis periculo? *Vide quot articulos isti tibi objiciunt.*

5 *Jesus autem postea nihil respondit*, nec cupiens elabi ex hoc judicio, ne mortis utilitas impediretur, & sciens Sacerdotum malitiam non conquieturam, etiamsi hac via non profecissent. Itaque sic mori volebat, ut constaret eum mori volentem.

6 Præses autem, quanquam Ethnicus, tamen abhorrens ab homicidio hominis, quem suspicabatur innocentem, nihil intentatum relinquit, quo liberet eum, quandoquidem videt ex ipso nihil auxilii suppeditari, quo posset liberari: Mos erat apud Judæos, ut in die festo Paschæ dimitteretur aliquis ex his, qui ob capitale facinus essent vincti, quemcunque populus Judæorum petisset sibi donari.

7 Habebatur autem tum in vinculis quidam ob facinora nobilis Barrabas, qui in civitate moverat seditionem, & in tumultu patrarat homicidium. Hac occasione Pilatus decreverat uti ad servandum Jesum.

8 Proinde quum populus ex more confluxisset, ad postulandum remitti sontem aliquem: & hac ratione testificans, quod ipsi incolumes evasissent ex Ægypto,

9 Pilatus ita respondit: Duos habeo, Barrabam vobis notum, & Jesum, quem dicunt Regem Judæorum: *Vultis igitur ut Jesum vobis dimittam?*

10 Senserat Pilatus in Sacerdotibus nihil esse præsidii, itaque confugit ad populum, sperans ut illorum favore liberaretur Jesus.

11 Et futurum erat, nisi Pontificum infatigata malitia concitasset multitudinem, ut postularent sibi condonari Barrabam potius quam Jesum.

12 Id quum præter exspectationem Præsidis accidisset, nam audierat eum esse gratiosum apud populum, non desinit tamen opitulari Jesu pro viribus. Quid igitur, inquit, vultis ut faciam de Rege Judæorum? exspectans in hunc mitiorem à plebe sententiam. Sed hîc strenue vigilarat Pontificum versutia; suam impietatem in multitudinis animos transfuderant. Nec alibi valet talium Pontificum auctoritas, quam ad

1 Et confestim mane consilium facientes summi sacerdotes, cum senioribus, & Scribis, & universo concilio, vincientes Jesum, duxerunt, & tradiderunt Pilato.

2 Et interrogavit eum Pilatus: Tu es Rex Judæorum? At ille respondens, ait illi: Tu dicis.

3 Et accusabant eum summi sacerdotes in multis.

4 Pilatus autem rursum interrogavit eum, dicens: Non respondes quidquam? vide in quantis te accusant.

5 Jesus autem amplius nihil respondit, ita ut miraretur Pilatus.

6 Per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex vinctis, quemcumque petissent.

7 Erat autem qui dicebatur Barrabas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium.

8 Et cum ascendisset turba, cœpit rogare, sicut semper faciebat illis.

9 Pilatus autem respondit eis, & dixit: Vultis dimittam vobis regem Judæorum?

10 Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes.

11 Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis.

12 Pilatus autem iterum respondens, ait illis: Quid ergo vultis faciam regi Judæorum?

Digitized by Google

excitandos Principes ac populos adversus veritatem Euangelicam.

13 *At illi iterum clamaverunt: Crucifige eum.*

13 Rursum igitur clamat populus: *Crucifige eum.* Persuaserant & hoc Pontifices, ut mortis genus omnium probrosissimum deligeretur, quo Jesu nomen apud omnes Judæos redderetur exsecrabile, propterea quod Lex pronuntiat exsecrabilem, quisquis penderet in ligno. Adeo non solum student Jesu vitam eripere, sed famam etiam honestam abolere, quod est homicidio crudelius. Non ferunt cujusquam nomen haberi sacrosanctum præterquam suum.

14 *Pilatus vero dicebat illis: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant: Crucifige eum.*

14 Nec hîc cedit illorum furori Pilatus, sed reclamat: Cæsaris Præses sum, mihi non est jus occidendi, nisi rite convictum. Quid autem hic admisit cruce dignum? Nihil hîc proficit Præses, sed furiosius etiam inclamabant: *Crucifige eum.* Nec prius tamen labefactata est Præsidis constantia, quam objiceretur Cæsaris læsa majestas. Non enim conveniebat occidi Jesum, nisi Pontificum vesaniæ, Cæsaris subserviret auctoritas.

15 *Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, & tradidit Jesum flagellis cæsum, ut crucifigeretur.*

15 Pilatus autem videns hinc imminere periculum à Cæsare, hinc à populo tumultuante, quum sciret innocentem Jesum, tamen volens morem gerere implacabili odio Pontificum, Scribarum, Seniorum & populi, pronuntiavit in Jesum sententiam mortis, sed * eadem sententia liberans innocentem à crimine, Sacerdotes & populum condemnans. Innocentem enim pronuntiavit, quem permittebat illis crucifigendum. Tales Pilatos semper habitura est Euangelica veritas: utinam non exoriantur illis etiam Pontificibus sceleratiores. Jesus itaque damnatus, primum flagellis cæsus est. Quum nec ea pœna satiaret animos Judæorum, traditus est cohorti ut crucifigeretur. Sic visum est consilio divino, ut Jesus, fons omnis gloriæ, ab omni genere hominum per omne ludibrii genus exerceretur, ne nos ullo malorum genere frangeremur. Judas prodebat, Pontifices, Scribæ & primores populi consultarant, ministri ceperant, Caiphas summus Pontifex damnavit, fons omnis hujus tragœdiæ, concilium cum ministris velut damnato illusit, populus obstrepit insanis clamoribus, Cæsaris nomen terret, Herodes spernit, Cæsaris Præses pronuntiat. Et in his omnibus est Caiphas, in Caipha Satanas.

16 *Milites autem duxerunt eum in atrium prætorii, & convocant totam cohortem,*

16 Superest ut profana militum cohors suas agat partes. Et in his erat Caiphas. Omnis ignominia Jesu, omnis pernicies, si qua est, à Caipha est, qui rem sanctissimam imprudens peregit. Peregit enim hoc sacrificium, sine quo nemo salvus esse poterat. Milites itaque Pilati damnatum Jesum duxerunt intro in atrium prætorii. Nam Judæi qui religiosi videri volebant, non audebant ingredi prætorium hominis Ethnici, quo puri accederent ad celebrandum suum illud phase. Et tamen animus illorum erat in medio prætorio, erat in manibus militum, quos suapte sponte propensos ad maleficium, huc instigarant. Posteaquam Pilatus semel tradiderat Jesum, non existimabat magni referre, quomodo occideretur. Sic favit Herodes virtuti Joannis, ut tamen ad puellæ preces amputaret illi caput. Constantius favit Pilatus, sed tandem denique tradidit illum crucifigendum, ne quis Euangelicæ veritatis professor ullum præsidium sibi poneret in hoc mundo.

17 *Et induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes spineam coronam.*

18 *Et cœperunt salutare eum: Ave rex Iudæorum.*

19 *Et percutiebant caput ejus arundine: & conspuebant eum, & ponentes genua, adorabant eum.*

17 *Milites* igitur, quo magis satiarent animos suos ignominiis in Jesum, *convocant totam cohortem*, & per ludibrium *induunt illum purpurea veste*, velut insigni Regum: *capitique imponunt* diadematis vice *coronam è spinis contextam.*

18 Sic ornatum *cœperunt consalutare*, *dicentes: Ave Rex Judæorum.*

19 Quin & arundine, quam illi sceptri vice dederant in manum, percutiebant caput ejus, & conspuebant eum, ac flexis genibus adorabant eum. Jesus autem tacitus sese præbebat ad omnem contumeliam, nostris malis debitam ignominiam in se transferens, ut nos eveheret ad suam gloriam.

20 *Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, & induerunt eum vestimentis suis: & educunt illum ut crucifigerent eum.*

20 His peractis, *exsuunt illum purpura, & induunt illum vestibus propriis*, quo crucem inter maleficos bajulans, nosci posset ab omnibus. Et hoc curarat Sacerdotum malitia, quo magis alienarentur omnium animi.

21 *Et angariaverunt prætereuntem quempiam, Simonem Cyrenæum, venientem de villa, patrem Alexandri & Rufi, ut tolleret crucem ejus.*

21 Inter eundum obvium habuerunt Simonem quendam Cyrenensem redeuntem è villa sua. Is erat pater Alexandri & Ruffi. Hunc, tametsi notum ac divitem, militari procacia nolentem compulerunt, ut tolleret crucem Jesu, non ut illi parcerent, sed ut citius absolveretur negotium occidendi. Quosdam necessitas adigit ad amplectendam crucem Jesu. Verum hæc felix est necessitas, quæ propellit ad salutem. Apostoli neminem cogunt ad Christum, sed milites cogunt. Malorum violentia multis saluti fuit.

22 *Et perducunt illum in Golgotha locum: quod est interpretatum Calvariæ locus.*

22 Perducunt autem Jesu in locum fontium suppliciis infamem, cui nomen apud Syros *Golgotha*, quod Latinis sonat, *Calvariæ locum.*

23 *Et dabant ei bibere myrrhatum vinum: & non accepit.*

23 Illic dederunt illi bibere vinum myrrhatum. Vinum enim ex more solet offerri morituris, Jesus autem oblatum non accepit Judæorum amarulentia vitiatum. Jam enim biberat cum discipulis suis, non bibiturus de fructu vitis, donec biberet novum in regno Dei. Oderat vinum acerbum, quod illi produxit Judaicæ Synagogæ vitis, versa in amaritudinem Domino cultorique suo, quæ pro mitibus uvis dederat labrusca. Oderat vinum impiorum. Aliud vini genus sitiebat. Id erat mustum Euangelici spiritus, quem post effudit in discipulos ipse relatus in cœlum.

24 *Et crucifigentes eum, dividerunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret.*

24 Sublato autem in crucem Jesu, hi qui crucifixerant eum, partiti sunt inter se vestes illius, missis sortibus super tunica, quæ sic erat contexta, ut scindi non posset, cui tota contingeret. Agnosce pauperem Jesum, cui jam nihil erat reliqui in terris. Pendet medius inter cœlum & terram. Sic nudum, sic expeditum, sic sublimem esse oportet, qui velit cum hoste salutis humanæ congredi. David conflicturus cum Goliad abjicit arma Saulis, quæ magis onerant quam juvant.

25 *Erat autem hora tertia: & crucifixerunt eum.*

25 Erat autem hora tertia, quum illum suffigerent in crucem.

26 *Et erat titulus causæ ejus inscriptus: REX IVDAEORVM.*

26 Additus est summo stipiti titulus causæ: *Rex Judæorum:* tribus linguis, Hebræa, Græca, Romana.

27 *Et cum eo crucifigunt duos latrones; unum à dextris, & alium à sinistris ejus.*

27 Simulque cum eo crucifigunt duos latrones, sic ut alter illi penderet dexter, alter sinister, mediumque Jesum hinc & hinc cingerent.

28 *Et impleta est scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est.*

28 Et hoc à Sacerdotibus impiis erat procuratum, ut ignominiosum redderent nomen Jesu. Prædixerat hoc futurum prophetia Esaiæ: *Cum injustis deputatus est.*

29 *Et prætereuntes blasphemabant eum, movente capita sua, & dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas:*

29 Nec his tantis malis saturari poterat Pontificum & Scribarum odium. Primum enim Judæi præterentes crucem, convitia jaciebant in pendentem, ac velut exprobrantes jam victo, ludibrii causa motis capitibus dicebant: *Vah qui demoliris Templum Dei, & intra triduum rursus exstruis:*

30 *Salvum fac temetipsum descendens de cruce.*

30 Nunc ostende quid possis: exsere vires istas quas jactitabas: *serva te si potes, ac descende de cruce.*

31 *Similiter & summi sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum Scribis dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.*

31 Nec mitiora jactabant in eum summi Pontifices, una cum Scribis illudentes inter sese: *Alios salvos fecit, seipsum non potest servare.*

32 *Christus rex Israel descendat nunc de cruce, ut videamus & credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, convitiabantur ei.*

32 Jactavit se Christum, jactavit se Regem Israel, si vera sunt quæ promisit, descendat nunc de cruce, videamusque & credemus illi. Hæc Sacerdotum exprobratio hoc agebat, ut omnes omnino à fiducia Je-

* Altera Editio, *sic.*

Digitized by Google

33 *Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt per totam terram usque in horam nonam.*
34 *Et hora nona exclamavit Iesus voce magna, dicens: Eloi, eloi, lamma sabacthani? quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus', ut quid dereliquisti me?*
35 *Et quidam de circumstantibus audientes, dicebant: Ecce Eliam vocat.*
36 *Currens autem unus, & implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei, dicens: Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum.*
37 *Iesus autem emissa voce magna expiravit.*
38 *Et velum templi scissum est in duo, à summo usque deorsum.*
39 *Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Vere hic homo Filius Dei erat.*
40 *Erant autem & mulieres de longe aspicientes: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris & Ioseph mater, & Salome:*
41 *Et cum esset in Galilæa, sequebantur eum, & ministrabant ei, & aliæ multæ, quæ simul cum eo ascenderant Ierosolymam.* 42 *Et cum jam sero esset factum (quia erat parasceve, quod est ante sabbatum)* 43 *Venit Ioseph ab Arimathæa nobilis decurio, qui & ipse erat exspectans regnum Dei, & audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu.* 44 *Pilatus autem mirabatur si jam obiisset. Et accersito centurione, interrogavit eum si jam mortuus esset.*

Jesu alienarentur. Sic & hodie frequenter insultatur martyri in supplicio corporis: sic insultatur ab incredulis Euangelicæ veritati, quæ si nonnunquam laborat, ut plane videatur oppressa. Nondum finis convitiorum in Jesum. Qui simul cum ipso crucifixi fuerant, è cruce convitia jaculantur in innocentem: sed hîc quoque Jesus respondet suo nomini, è latronibus alterum servat.

33 Porro hora sexta oborta caligo texit totam illam terram. Ea duravit usque ad horam nonam.

34 Tum Jesus ingenti voce clamavit ad Patrem, omni mortalium solatio desolatus, referens prophetiam de ipso prædictam ex Psalmo: *Heloi, Heloi, lama sabachtani:* quod, si quis interpretetur, Latine sonat, *Deus meus, Deus meus, quare me deseruisti?*

35 Eam vocem quum excepissent quidam de circumstantibus, nec satis intelligerent Hebraice, dicebant: Hic Eliam invocat. Tales & hodie sunt multi, semperque futuri sunt Pseudoprophetæ, nihilo melius interpretantes verba Jesu, quam irrisores illi sunt interpretati.

36 Post hæc, quum rursum clamasset, *sitio, quidam accurrit, ac spongiam aceto imbutam, impositamque arundini, porrexit illi, dicens: Sinite, videamus an veniat Elias, qui deponat eum de cruce.* Jesus autem rursus gustato aceto, noluit bibere. Aliud vinum sitiebat, quod illi nolebant porrigere, qui nolebant Euangelio credere.

37 *Jesus autem* consummatis omnibus, *emissa voce magna, exspiravit.*

38 *Moxque Templi velum*, quod ea, quæ Judæi habebant sacratissima, à conspectu multitudinis separabat, *scissum est à summo usque ad imum.* Cessant umbræ, simulatque prodit veritas. Nec erat necesse futurum, ut ullus Sacerdos introiret in sancta, semel immolata victima, quæ sola sufficeret pro expiandis totius mundi peccatis.

39 Porro Centurio, qui adstabat ex adverso, minister ac testis mortis, qui multos supplicio morientes conspexerat, quum vidisset, Jesum præter aliorum morem statim à valido clamore efflasse spiritum, ait: *Vere homo hic Filius Dei erat.* Agnosce primitias gentium Christi virtutem profitentium. Qui hominem profitetur ac Dei Filium, hominem ac Deum profitetur: tametsi Centurio quidem adhuc Dei Filium sentiebat hominem insigniter Deo carum. Considera & illud, ut Servator ubique Servator est: in cruce moriturus servavit alterum è latronibus, mortuus illico trahit Centurionem ad professionem Christianam.

40 Aderant autem & mulieres, è longinquo spectantes quæ gerebantur. Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi minoris ac Jose mater, & Salome:

41 Quæ quum Jesus esset ac doceret in Galilæa, sequebantur eum, ac ministrabant de facultatibus suis: cumque his aliæ complures, quæ tandem & Hierosolymam euntem fuerant consequutæ.

42 *Quum autem jam appeteret vespera, quoniam erat dies parasceves, ideo sic dictus, quod præcederet magnum illud sabbatum,*

43 *Venit* Joseph Arimathiensis, *nobilis decurio, qui & ipse exspectabat regnum Dei.* Is quoniam bene sentiebat de Jesu, fretus nobilitate sua, ausus est adire Pilatum, ac petiit corpus Jesu.

44 Pilatus autem mirabatur, si jam mortuus esset Jesus, homo juvenis, quum multi fractis etiam cruribus soleant biduum, aut triduum vivere. Itaque accersit Centurionem, qui cruci adstiterat, percunctatus est eum, an jam mortuus esset.

45 Et quum ex eo certum cognovisset, quod jam mortuus esset, donavit corpus Joseph. Jesus enim quam diu vivebat, impiis etiam sese pulsandum & conspuendum permisit. Mortuus statim dignitatem suam sibi vindicat, nec tractari vult, nisi ab honestis ac piis: ne conspici quidem nisi à discipulis æternæ vitæ destinatis: nos hac imagine docens, ne quis dignitatem suam in hac vita vindicet. Tantum per honorem & contumeliam, per gloriam & ignominiam peragat negotium Euangelicum.

46 A morte dignitas efflorescit. Joseph itaque lætus tam pretioso munere, mercatus est sindonem, eaque convolutum corpus reposuit in monumento novo, quod erat excisum è vivo saxo, & advolvit ingentem lapidem ad ostium monumenti, ne quis facile suffuraretur corpus.

47 Cæterum ex mulieribus, quæ spectarant Dominum morientem, duæ ad monumentum usque consequutæ sunt, Maria Magdalene & Maria Joseph, contemplantes ubi reponeretur corpus: ut quum liceret, ex more gentis illius, officium & honorem sepulturæ exhiberent.

45 *Et cum cognovisset à centurione, donavit corpus Ioseph.*
46 *Ioseph autem mercatus sindonem, & deponens eum in monumento, quod erat excisum de petra, & advolvit lapidem ad ostium monumenti.*
47 *Maria autem Magdalene, & Maria Ioseph, aspiciebant ubi poneretur.*

Cap. XVI.

Quin surgit: visus dubitantibus: exprobrat: Ite, Inquit: dat fidei signa: populumque petit.

1 QVONIAM autem die parasceves, quo sepultus est sub vesperam Dominus, mox à Solis occasu sabbati religio vetabat operari, intermisso quod cœperant in parandis aromatibus, exspectabant posteri diei finem: statimque ut occidisset Sol, & redisset operandi facultas, *Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome paratis aromatibus, veniebant ut ungerent Jesum.*

2 *Summoque diluculo primo die sabbatorum*, qui sabbatum exactum sequebatur, à parasceve tertius, piæ mulieres *veniunt ad monumentum, jam ad Solis exortum albescente cœlo.*

3 *Dicebant autem inter se: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Erat enim ingens, nec muliebrium erat virium eum amoliri. Et circumspiciunt, si quem nancisci possent, cujus ad id uterentur opera.

4 Ac dum respiciunt, viderunt lapidem jam amotum.

5 Mox ingressæ monumenti vestibulum, viderunt juvenem ad dextram monumenti partem, amictum stola candida. Ad hoc spectaculum tametsi lætum faustique ominis, tamen quia subitum & inexspectatum, obstupuere mulieres.

6 Has illico blando alloquio consolatur Angelus, dicens: Non est quod vos expaveſcatis. Jesum quæritis Nazarenum crucifixum, surrexit, non est hîc. Ecce locus vacuus, ubi reposuerant corpus illius. Quare supervacuum est officium, quod illi parastis.

7 Quin potius abite, renuntiaturæ discipulis illius, morte Domini vehementer exanimatis, sed præcipue Petro, cui ter abnegatus Dominus mœrorem congeminat: quòd Jesus præcedet eos in Galilæam, eo sequantur: illic eum videbitis vivum, quem defletis mortuum.

8 At illæ partim insolito gaudio, partim novo spectaculo expavefactæ, fugerunt è monumento, neque quicquam ibi loquutæ sunt: tantus pavor illas corripuerat.

9 Nondum autem Jesus cuiquam apparuerat, sed posteaquam surrexerat, mane primo à magno sabbato die, *primum omnium apparuit Mariæ Magdalenæ, unde ejecerat septem Dæmonia.*

10 *Illa protinus quod viderat, renuntiavit Jesu discipulis lugentibus ac flentibus.*

11 Illi

1 *Et cum transisset sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata ut venientes ungerent Iesum.*
2 *Et valde mane una sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto jam sole.*
3 *Et dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?*
4 *Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde.*
5 *Et introeuntes in monumentum viderunt juvenem sedentem in dextru, coopertum stola candida, & obstupuerunt.*
6 *Qui dicit illis: Nolite expaveſcere: Iesum quæritis Nazarenum, crucifixum: surrexit, non est hîc, ecce locus ubi posuerunt eum.*
7 *Sed ite, dicite discipulis ejus, & Petro, quia præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.* 8 *At illæ exeuntes, fugerunt de monumento: invaserat enim eas tremor & pavor: & nemini quidquam dixerunt: timebant enim.* 9 *Surgens autem mane, prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalene, de qua ejecerat septem dæmonia.* 10 *Illa vadens nuntiavit his, qui cum eo fue-*

Digitized by Google

fiant, lugentibus & flentibus.

11 Illi narranti, quod viveret, quodque ſibi vivus viſus eſſet & auditus, non habuerunt fidem. Adeo exciderat, quod toties promiſerat, ſe tertio die ſurrecturum.

11 Et illi audientes quia viveret, & viſus eſſet ab ea, non credidérunt.

12 Eodem die apparuit duobus diſcipulis effigie peregrini ac viatoris, dum Hieroſolyma proficiſcuntur in villam.

12 Poſt hæc autem duobus ex his ambulantibus oſtenſus eſt in alia effigie, euntibus in villam:

13 At illi, tandem agnito Domino, reverſi Hieroſolymam nuntiant cæteris, quæ vidiſſent. Nec horum narrationi habita eſt à pleriſque fides.

13 Et illi euntes nunciaverunt ceteris: nec illis credidérunt.

14 Poſtremo jam abiturus in cœlum, apparuit undecim Apoſtolis (nam Judas perierat) in convivio accumbentibus: quibus exprobravit incredulitatem ac duritiam cordis, quod his, qui vidiſſent ipſum reſurrexiſſe, non credidiſſent. Nec enim omnibus exhiberi debebat mortis ac reſurrectionis ſpectaculum, verum ad fidem Euangelicam ſufficiebat, rem ſemel per idoneos teſtes eſſe comprobatam. Alioqui quomodo crederent gentes quæ geſta ſunt, ſi tam eſſent diffidentes Apoſtolorum narrationi, quam Thomas & alii quidam ex ipſis initio fuerant?

14 Noviſſime recumbentibus illis undecim apparuit: & exprobravit incredulitatem eorum & duritiam cordis; quia his, qui viderant eum reſurrexiſſe, non credidérunt.

15 Et ait illis Jeſus: poſteaquam tandem vobis hæc omnia multis ac certis argumentis probata compertaque ſunt, ite in mundum univerſum, & prædicate hoc Euangelium univerſis orbis nationibus. Omnibus enim mortuus ſuum, omnibus reſurrexi.

15 Et dixit eis: Euntes in mundum univerſum prædicate Euangelium omni creaturæ.

16 Nihil jam opus eſt obſervatione veterum ceremoniarum: nihil opus victimis & holocauſtis ad expianda commiſſa. Quicunque crediderit Euangelio, per quod omnibus in me fidentibus, per mortem meam offertur gratuita remiſſio peccatorum omnium, & hujus gratiæ ſignum acceperit, aqua tinctus, ſalvus erit. Qui vero non crediderit Euangelio, non eſt quod fidat obſervationi Legis, aut Philoſophiæ, condemnabitur. Hæc via patet omnibus ad ſalutem, ſed una.

16 Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.

17 Ne vero veſtra prædicatio fide careat, addetur & miraculorum vis, ſi modo adſit Euangelica fiducia, & res ipſa miraculum poſcat. Præcipua vis Euangelicæ gratiæ in animis eſt, ſed tamen ob incredulos & infirmos hæc quoque præſto erunt, ubi profectus Euangelii requiret miraculum. Qui in me poſuerint fiduciam, ejicient Dæmonia, non in ſuo nomine, ſed in meo: Linguis loquentur novis:

17 Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur novis:

18 Serpentes abigent: & ſi quid lethale biberint, non nocebit illis. Ægrotis imponent manus, & bene habebunt. Hæc quum in animis fiunt, majus præſtatur miraculum, ſed occultum. Avaritia, libido, ambitio, odium, ira, livor, venena, morbique lethales ſunt animo. Hæc abigent in nomine meo, idque facient perpetuo. Propter infirmos autem, & ad credendum difficiles, nonnunquam fient & illa, ut homines craſſi videant in illis eſſe ſpiritum humanis viribus potentiorem.

18 Serpentes tollent: & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.

19 Hæc aliaque cum Dominus Jeſus loquutus eſſet diſcipulis ſuis, recepit ſeſe in cœlum, atque illic dexter aſſidet Deo Patri.

19 Et Dominus quidem Jeſus poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei.

20 Diſcipuli vero poſt acceptum Spiritum cœleſtem prædicaverunt, ſicut erant juſſi, non in Judæa tantum, verum etiam in omnibus Regionibus: & ſucceſſit res, licet adverſante mundo, videlicet Domino Jeſu per Spiritum ſuum vim ſuam exſerente per Apoſtolos: & quod illi verbis promittebant, miraculis ubique paratis confirmante.

20 Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis.

PARAPHRASEOS IN EVANGELIVM MARCI

FINIS.

VERSVS MEMORIALES IN

EVANGELIVM MARCI.

ABLVITVR Rex: Ben Alphæi: Cura manuſque:
Dicenti unda ſilet: Et cruor ipſe ſtetit.
Fata Johannis: Gaude mute: Hinc mille cibantur.
In monte apparet: πεῖνεν ἀποφάσιον.
Lenis adeſt: Mactant gnatum: Nunc dira minatur.
Os Domini eſt unctum: Pro me obit ipſe Deus:
Quin ſurgit, ſcandit. Marcus compendia fecit
Matthæi: dabit hinc membra quater quatuor.

INVICTISSIMO ANGLIAE REGI, DOMINO HIBERNIAE,

CATHOLICAE FIDEI DEFENSORI,

HENRICO EJVS NOMINIS OCTAVO,

DESIDERIVS ERASMVS ROTERODAMVS

S. D.

MITTO tibi *Lucam* medicum, generoſiſſime Rex, non alium quam antehac habebas, ſed Latinis auribus explanatius fuſiuſque loquentem. Nec mihi hîc puto ſumendam operam, ut placem iſtos, qui nobis occinere ſolent, recte proditam à doctiſſimis viris ſententiam, in muneribus dandis illud in primis eſſe ſpectandum, ut apta ſint quæ donamus. Factum eſt hoc nuper à nobis cum *Carolo* Cæſari dicaremus Matthæum, & ante nos ab eruditiſſimis hominibus demonſtratum eſt ex præſcriptione vetuſtæ conſuetudinis, quodvis argumentum recte dicari Principibus, quos etiamſi ſciamus nunquam lecturos, tamen hinc ea capitur utilitas, quod illorum titulis Opus ſtudioſorum affectibus commendatur, quemadmodum non inſcite ſcripſit *Plinius*, quædam ob hoc ipſum ſummo haberi in pretio, quod ſint Templis dicata. Eſt autem quorundam erga nuper natos libros tanta moroſitas, ut prius rejiciant quam deguſtent. Itaque perit & Scriptori ſperatus fructus, & Lectori ſua utilitas. Ab his illud ſaltem impetrabit præfixus in frontiſpicio Voluminis ſummorum Principum titulus, ne damnent, ne faſtidiant, ne conſpuant, priuſquam legerint. Quanquam & alioqui quorundam Principum pietas facit, ne videatur abſurde facere, qui Regi dono mittit Euangelium. Quan-

Digitized by Google

Quandoquidem mihi retulerunt homines minime vani, & *Carolum* Cæſarem, ſi quid in tantis rerum tumultibus datur otii, id in Euangelico Codice libenter conſumere: & illuſtriſſimum Principem *Ferdinandum*, hujus fratrem, Paraphraſim in *Johannem*, quam ipſi nuper dedicavi, frequenter habere in manibus: atque inclytum etiam *Danorum* Regem *Chriſtiernum*, id quod tibi quoque notum eſſe poteſt, Chriſtianos libellos frequenter habere in manibus, noſtramque in *Mattheum* Paraphraſim cupide legere. Cur igitur videatur inepte mitti Euangelium iis, qui tractant & amant Euangelium, quod certe ab omnibus tractandum eſt, qui ſe meminerunt eſſe Chriſtianos? Quanquam autem juxta rationem humanam hoc potiſſimum donandum eſt, quo maxime eget cui mittitur: tamen juxta regulam Euangelicam, habenti donandum eſt, ut exuberet. Proinde videbar mihi facturus congruentiſſime, ſi tibi medicum hunc Euangelicum mitterem, qui ſacras Litteras adeo non faſtidias, ut quod tua ſcripta teſtantur, in his etiam ultra mediocritatem profeceris: ut qui tibi donet aliquid hujus generis, non tam munus dare videatur, quam officium reponere. Quid quod & conjux tua nobiliſſima, unicum hoc ævo veræ pietatis exemplar, faſtiditis nugis muliebribus, bonam diei partem collocat in ſacris Libris, quum alias Principes fœminas, quæ maximam temporis partem in fucando, in alea, ſimilibuſque luſibus conterunt, admonens quid ipſas deceat: tum nobis noſtram exprobrans ignaviam, vel impietatem potius, qui maximam vitæ partem in profanis litteris abſumimus. Jam ſi hoc in primis curæ eſt, ut in Monarcharum aulis ſemper adſint exacte docti perſpectæ fidei medici, qui curam agant Regii corporis: quanto magis convenit illic verſari Lucam medicum, qui non ſcammonio aut elleboro tueatur corporis bonam valetudinem, ſed cœleſti pharmaco liberet animum à morbis ad æternam mortem pertrahentibus, qui ſunt, ignoratio veri, diffidentia erga Deum, amor hujus mundi, ambitio, avaritia, luxus, odium, invidia. Nam his morbis obnoxia eſt omnis vita mortalium, quemadmodum ait *Joannes* Apoſtolus, deplorans totum mundum in malo poſitum eſſe, nec aliud in eo regnare, quam concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ. Ab his morbis hoc plus eſt periculi ſummis Principibus, quo major eſt indulgentia fortunæ, & quod libet faciendi licentia.

Videor autem mihi non inanem operam ſumturus, ſi tibi primum Lucam medicum, deinde pharmacum, quod adfert, paucis commendaro, tametſi non dubito, quin utrumque ſit ut eſſe debet, tuæ pietati commendatiſſimum. Nimirum hic eſt ille *Lucas* patria *Antiochenſis*. Eſt autem *Antiochia* civitas, olim adeo celebris ac potens, ut ei parti *Syriæ*, quæ *Ciliciam* attingit, nomen dederit: hoc ipſa quoque *Roma* felicior, quod hîc primum ſedem habuerit Apoſtolorum princeps *Petrus*, quodque in hac *Paulus* & *Barnabas* Apoſtolici muneris dignitatem acceperint. Fuit autem familiaris Apoſtolorum omnium, ſed præcipuus aſſectator *Pauli*, atque etiam peregrinationis illius individuus comes. Ex convictu Apoſtolorum ſcripſit Euangelium, ex his, quæ *Paulus* ipſo teſte geſſit, ſcripſit Volumen, cui titulum fecit, *Acta Apoſtolorum*. Eam hiſtoriam produxit uſque ad ſecundum annum *Pauli Romæ* commorantis, hoc eſt, uſque ad quartum *Neronis* Cæſaris. Unde conjiciunt eadem in urbe Librum eſſe ſcriptum. Satiſque conſtat inter eruditos, hunc eſſe, cujus toties in Epiſtolis meminit *Paulus*, velut in Epiſtola ad *Corinthios* ſecunda: *Miſimus etiam cum illo fratrem noſtrum, cujus laus eſt in Euangelio per omnes Eccleſias.* Rurſum ſcribens ad *Coloſſ. Salutat*, inquit, *vos* Lucas *medicus cariſſimus.* Rurſum in Epiſtola ad *Timotheum* ſecunda: Demas *enim*, inquit, *me reliquit, diligens hoc ſeculum, & abiit* Theſſalonicam, Creſcens *in* Galatiam, Titus *in* Dalmatiam, Lucas *eſt mecum ſolus.* Quin & illud proditum eſt à Veteribus, quoties *Paulus* vocat Euangelium ſuum, velut ad Timotheum, *Memor eſto Dominum Jeſum reſurrexiſſe à mortuis, ex ſemine David ſecundum Euangelium meum*, eum ſentire de Euangelio *Lucæ*, quod quemadmodum *Marcus* ex auctoritate *Petri*, ita *Lucas* ex auctoritate *Pauli* conſcripſerit hiſtoriam Euangelicam. *Hieronymus* arbitratur eum Græcæ litteraturæ cæteris fuiſſe peritiorem, & ob id exactius contexuit narrationem hiſtoricam, ab ipſa *Joannis* Baptiſtæ conceptione exorſus, permulta referens de nativitate, deque infantia, quædam etiam de pueritia Jeſu, multas etiam parabolas ac miracula, quæ cæteri brevitatis ſtudio prætermiſerant. Quumque cæterorum nullus egreſſus ſit tempus Domini aſſumti in cœlum, hic ſolus altero Volumine naſcentis & gliſcentis Eccleſiæ proſecutus eſt hiſtoriam. Addunt & illud, quemadmodum *Matthæus* Euangelium, *Petrus* Epiſtolas ſcribit *Judæis* potiſſimum, ita *Lucam* Euangelium potiſſimum ſcripſiſſe gentibus, nimirum diſcipulum *Pauli*, qui ut doctor erat gentium, ita ad gentes ſcripſit omnes Epiſtolas, præter unam ad *Hebræos*, de cujus auctore ſemper eſt dubitatum. Scripſit poſt *Marcum*, ſed ante *Joannem*, unde & diſcipulus præfertur Apoſtolo. Denique quod medico congruit, traditur fuiſſe longævus. Nam ſequutus conſilium *Pauli*, qui ſcripſit, *bonum eſt uxorem non attingere*, vixit cœlebs octoginta quatuor annos. Oſſa defuncti ex *Achaja* tranſlata ſunt *Conſtantinopolim* una cum reliquiis *Andreæ* Apoſtoli, anno *Conſtantii* viceſimo. Habes medicum ex medico, Apoſtolorum familiaritate commendatum, *Pauli* Apoſtoli non uno teſtimonio laudatum, denique Eccleſiarum omnium conſenſu comprobatum. Quum enim multorum Euangelia rejecta ſint, hic conſentientibus omnium ſuffragiis receptus eſt, ut expleret ſacram illam ac myſticam tetrada, quam olim deſignavit *Moſes*, exponens nobis quatuor fluvios ex uno paradiſi fonte ſcatentes, qui irrigant univerſam terram: poſt vidit *Ezechiel*, quum nobis depingeret animalia myſtica quatuor, & quatuor rotas in una.

Nunc de pharmaco, quod nobis dedit, paucis, ſi videtur, dicamus. Ex *Hippocrate* ſumere conſueverat remedia, quibus corporum morbos levaret, cæterum ex Apoſtolis, qui *Chriſtum* viderant ac audierant, imo ex ipſo Spiritu Sancto hauſit hoc pharmacum, quo noſtris animis mederetur. Apud priſcos medicos erat quoddam medicinæ genus efficaciſſimum, ex variis & exquiſitis rebus arte commixtum, quod illi vocabant θεῶν χεῖρας, hoc eſt, *Deorum manus*. Verum, nullum adhuc pharmacum repertum eſt à medicis, quod omnibus corporum morbis medeatur, quantumvis jactent efficacem illam, ſed nulli notam, panaceam. Certe ſenectus morbus nulli cedit medicinæ. Sed hæc vere manus eſt Dei, quæ per ſinceram fidem ſemel aufert omnes animorum morbos, & quod ſolius eſt Dei, confert immortalitatem. Nec inſcite dictum eſt *Græcorum* proverbiis: *animi laborantis medicum eſſe ſermonem.* Neque defuerunt qui crederent, & corporum morbos conceptis verbis, magicam vim habentibus, propelli poſſe. Dominus Jeſus medicus erat, qui dum viveret in terris, ſermone pellebat morbos corporum quamlibet atroces aut inveteratos, ſermone mortuos excitabat ad vitam. Non enim erat ſermo magicus, ſed omnipotens ſermo Patris omnipotentis. Idem ſermone profligat morbos animorum, quum ait: *Fili remittuntur tibi peccata.* Et: *Vade, fides tua te ſalvam fecit.* Proinde & prophetia *Chriſtum* medicum promiſerat. Dicit enim in libro Sapientiæ: *Etenim neque herba, neque malagma ſanavit eos, ſed tuus Domine ſermo, qui ſanat omnia.* Hæc nimirum eſt illa vera panacea. Pſalmus item myſticus ſic habet: *Miſit ſermonem ſuum, & ſanavit eos ab interitionibus eorum.* Sermo Patris vivus, *Chriſtus* eſt. Miſerat *Moſen* & Prophetas, per hos curata eſt *Judæorum* natio, ſed non eſt ſanata. Solus Sermo Patris efficax fuit ſanandis hominum morbis, non ſolum levioribus, verum etiam lethalibus. Lethales

Digitized by Google

morbos agnoſcis, quum addit Propheta, *ab interitionibus eorum*. Quum ita collapſus eſt ſtomachus, ut faſtidiat ac rejiciat omnem cibum, ægrotus ad mortem tendit. Tali morbo laborabat univerſus mundus ante medici cœleſtis adventum. Id quod paulo ſuperius dixerat: *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, appropinquaverunt uſque ad portas mortis.* Miſcuerant varia pharmaca Philoſophi *Pythagorici*, *Academici*, *Stoici*, *Epicurei*, *Peripatetici*, promittentes animi ſapitatem ac felicitatem etiam. Multa miſcuit *Moſes*, præſcribens varias religionis ceremonias, multa Prophetæ: ſed invaleſcentibus morbis nihil profuit medicina, niſi quod auxit morbum & prodidit. Animi ſtomachus pravis cupiditatibus, velut humoribus noxiis, corruptus, & averſabatur Philoſophorum elaborata præcepta, & *Moſi* præſcriptis ſuperſtitioſiores reddebantur non meliores, non ſapiebat amara Prophetarum objurgatio, & horum promiſſis non eſt habita fides. Id videns Pater cœleſtis, nihil volens perire eorum quæ condidit, emiſit Sermonem ſuum, qui cœleſti medicina liberaret univerſos ab omnibus animorum morbis, tantum ut morbum agnoſcamus & fidamus medico. Quemadmodum autem amici medici, ſi quando non licet ſemper adeſſe ægrotis, relinquere ſolent pharmacum aliquod, quo ſibi poſſint eſſe medici qui laborant, ſi res ita poſtulet: ita Dominus *Jeſus* in cœlum reverſus, reliquit nobis per Apoſtolos ſuos pharmacum Euangelicum, facile quidem & cuivis expoſitum, ſed efficax, ſi quis ut oportet ſumſerit: ut autem utiliter ſumas, præcipue præſtat fiducia erga medicum. Nec ſatis eſt guſtaſſe, trajiciendum eſt in viſcera, ut ſtomacho receptum, per omnes venas vim ſuam diffundat. Tum demum incipit concutere totum hominem odio priſtinæ vitæ: ſed hanc perturbationem ſequitur magna animi tranquillitas. Habent corporum medici empiricos & pharmacopolas artis ſuæ miniſtros, ipſi præſcribunt quid dandum ſit ægrotis. Ita *Chriſtus* unus eſt qui præſcripſit ſalutis æternæ remedium, Apoſtoli & horum ſucceſſores Epiſcopi tantum miniſtri ſunt, miſcent, terunt, admovent, non ſua pharmaca, ſed *Chriſti*: tingunt aqua, ſed *Chriſtus* abluit animum: docent quæ *Chriſtus* ipſis tradidit, ſed *Chriſtus* ipſe facit, ut ſermo illorum ſit efficax. Corporum medici frequenter variant & in morborum judiciis, & in præſcribendis remediis, nonnunquam & pro remediis præſcribunt venena: juxta dictum Græci Poetæ: φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δ' λυγρά. Unicum autem Euangelicæ medicinæ præſcriptum eſt, quod à nullo mortalium corrumpi debeat, aut mutari. Denique ſimplex eſt, ut ſi ceſſent hi, quos oportebat hujus pharmaci miniſtros eſſe, ſibi quiſque poſſit ſumere, modo adſit animus fidens, ſincerus, & ſalutis avidus. Nam & ſummus ille medicus, qui ſolus totum hominem ſanare poteſt, aliquando per ſe conferebat ſanitatem, nonnunquam & per Apoſtolos ac Diſcipulos.

Jam tota medicorum ars duos potiſſimum ſcopos habet, primum ut morbis, & ab his quæ gignunt morbos, corpora liberet, hanc partem Therapeuticam vocant: deinde ut bonam valetudinem tueantur, ac robur addant: eam in ratione victus collocant. Neque enim medici ſemper urunt aut ſecant, non ſemper infundunt ſcammonium, quo corpus exhauriant, propemodum occidentes ut vivificent, ſed aliquando miniſtrant quæ cor exhilarent, quin & paſcunt benigniter. Ita nobis primum adminiſtratur potio fidei, quæ pœnitentia perturbat animum, & inaniens nos exonerat peccatis. Mox additur pharmacum conſolationis, exhortationis ac doctrinæ perfectioris. Etenim ſi medicus poſteaquam corpus inaniit, ſubito deſtituat ægrotum, periculum eſt ne vacuum, ac viribus defectum, major aliqua morbi vis invadat, velut paralyſis, apoplexis, aut phthiſis. Ita poſteaquam pœnitentia nos proſtravit, exagitato morbo, baptiſmus nos vacuos reddidit ab omnibus peccatis, adhibentur ea, quæ jam bene vacuum animum ſalubriter impleant. Exhauſta eſt iracundia, infunditur lenitas & manſuetudo. Exhauſta eſt invidia, ſubjicitur candor. Exhauſta eſt rapacitas, ſuccedit liberalitas. Exhauſtus eſt ardor bellandi, ſuccedit ſtudium pacis. Exhauſtus eſt amor voluptatum carnis, ſuccedit amor rerum cœleſtium. Vis audire ſcammonium Euangelicum? *Pœnitentiam agite. Jam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Et omnis arbor quæ non facit fructum bonum, exciditur.* Itidem Paulus: *Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram: ſcortationem, immunditiem, libidinem, concupiſcentiam malam & avaritiam.* Ac mox: *Exſpoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis.* Exhauſit, quomodo rurſus implet? *Induite vos*, inquit, *ſicut ſancti Dei & electi, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes invicem, & condonantes vobis inter vos, ſi quis adverſus aliquem habet querelam, ſicut & Dominus donavit vobis. Super omnia autem hæc caritatem habete, quod eſt vinculum perfectionis, & pax Chriſti exſultet in cordibus veſtris.* Hujuſmodi domum mundatam ſcopis, & talibus ornamentis undique plenam, non rurſus occupabit Spiritus malus, reverſus cum aliis ſeptem ipſo pejoribus. Habet igitur Euangelica medicina ſuum vinum, quod emordeat ſaniem vulnerum noſtrorum. *Abi poſt me Satana, non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed quæ ſunt hominum:* Vinum eſt. Nunc vide oleum: *Confidite quia ego vici mundum. Capillus capitis veſtri non peribit. Nolite timere puſilla grex, quoniam veſtrum eſt regnum cœlorum. Paulus* habet cibum, quo fovet nuper converſos ad *Chriſtum*, ne relabantur in morbos adhuc imbecilles: habet & ſolidum cibum, qui corroboret eos ſemper proficientes uſque ad menſuram plenitudinis Chriſti. Robur collegerant, de quibus ſcriptum eſt in Actis Apoſtolicis: *Ibant gaudentes à conſpectu concilii, quod digni habiti eſſent pro nomine Jeſu contumeliam pati.* Robur collegerat, qui dixit: *Omnia poſſum in eo qui me fortem reddit.* Proinde Dominus Jeſus in Euangelio hortatur ad eſum panis è cœlo profecti, cujus eſus præſtat immortalitatem. Hortatur ad eſum carnis ſuæ, ad potum ſanguinis ſui, nimirum de doctrina ſua ſentiens, quæ ut panis vegetum ac robuſtum reddit animum, ut vinum efficax inebriat uſque ad hujus vitæ contemtum, ut caro ſolidam habet alimoniam, ut ſanguis vitalem habet vim. Quanquam autem omnis divina Scriptura vim habet medicam, tamen nullum pharmacum habet efficacius quam Euangelicum. Idem in omnibus eſt ſpiritus, ſed in his eſſe voluit, in quo præcipue vim ſuam exſereret, ne nullum eſſet diſcrimen inter miniſtros & Dominum, inter lacunas & fontem.

Operæ pretium eſt autem conſiderare, quanta ſit vis hujus pharmaci. Reſpublica corpus quoddam eſt. Hujus peſtes ac morbi ſunt mali mores. Quibus diverſis Regionibus præcellentes ſapientia viri, leges ceu remedia quædam oppoſuerunt, velut apud *Athenienſes Solon*, apud *Lacedæmonios Lycurgus*, apud *Cretenſes Minos*, apud *Romanos* Decemviri. Nullus tamen horum potuit efficere, ut leges, quas condidiſſet, aliæ quoque nationes amplecterentur. Ac ne tentavit quidem hoc illorum quiſquam, ne præter inanem operam, impudentiæ quoque lucrifaceret opinionem. *Solon* decenni exſilio leges ſuas obtruſit uni civitati. *Plato* vir tam doctus ac perinde facundus nunquam perſuaſit, ut *Athenienſes* reciperent ipſius leges. Neque dubitandum tamen eſt, quin omnes ſibi perſuaſerint, leges, quas condidiſſent, eſſe veras, & optaſſe, ſi fieri potuiſſet, ut totus terrarum orbis eas amplecteretur. Ac ne *Moſi* quidem leges ultra nationem unam propagatæ ſunt, quanquam Phariſæi magna ambitione proſelytos aliquot venarentur. Denique ne Cæſarum quidem violenta auctoritas extorquere potuit, ut ipſorum leges apud omnes gentes haberent pondus. Et quod hi conati ſunt proditis legibus, idem conati ſunt Philoſophi præceptis ſuis, magno judicio ſummaque cura proditis. Quorum

Digitized by Google

rum nemo tam eloquens fuit, aut tam eruditus, ut unicuipiam nationi perſuadere potuerit. Adeo pharmacum, quod adferebant, vim habebat dilutam & inefficacem. Sola veritas Euangelica intra paucos annos cunctas totius orbis regiones occupavit, pervaſit, ac vicit: Græcos ac barbaros, doctos & indoctos, plebejos ac Reges ad ſe pertrahens. Tam efficax erat hujus veritatis pharmacum: ut tot hominum millia, relictis patriis legibus, relicta majorum religione, relictis voluptatibus ac vitiis, quibus ab incunabulis aſſueverant, novam ac peregrinam doctrinam amplecterentur: & ex diverſis linguis, diverſis inſtitutis, in humilem quandam Philoſophiam conſentirent: præſertim quum nulla ætas magis fuerit inſtructa, vel eruditionis facundiæque præſidiis, vel Monarcharum potentia: quumque mundus omnibus ſuis præſidiis pugnaret adverſus inermem Euangelii veritatem, tamen efficere non potuit, quin ea primum occupata *Græcia*, *Neronis* urbem & aulam invaderet, moxque per omnes *Romani* Imperii Provincias ſeſe ſpargeret uſque ad *Gades* & *Indos*, uſque ad *Afros* ac *Scythas*, & penitus toto diviſos orbe *Britannos*. Hæ gentes, linguis, legibus, ritibus, moribus, inſtitutis, Diis, religione, forma, plurimum inter ſe diſſidebant. Mox ex tanta diſcordia facti concordes, eandem cantionem canere cœperunt, *Jeſum Chriſtum* unicum orbis Dominum ſervatorem laudibus vehentes. Interim direptio bonorum, exſilia, carceres, cruciatus, mortes, nihil aliud erant, quam profectus Euangelii. Quis unquam inventus eſt, qui pro *Solonis* legibus, aut *Zenonis* decretis mortem oppetere ſuſtinuerit? Pro ſimplici *Chriſti* doctrina quot ſenum ac juvenum, quot matronarum ac virginum millia ſuas cervices præbuere ſecandas? Et tamen quanto ſunt admirabiliora magiſque à ſenſu communi abhorrentia, quæ docet Euangelium, quam paradoxa Philoſophorum? Et illorum doctrinam nemo Principum oppugnavit, & tamen ſua ſponte evanuit, quemadmodum & leges, & magia, & ritus ſacrificiorum. Quis enim nunc ſacrificat Diis Ethnicorum, aut mactat *Judaicas* victimas? Quis nunc novit *Zoroaſten*? Quis *Pythagoræ* ænigmata pili facit? Quis *Apollonii Tyanei* vitam non veluti ſomnium quoddam legit? imo quis legere dignatur? Nam quod *Ariſtoteles* hodie celebris eſt in Scholis, non ſuis debet, ſed *Chriſtianis*: periſſet & ille, niſi *Chriſto* fuiſſet admixtus.

Adverſus Euangelicam Philoſophiam adhuc teneram ac naſcentem ſtatim coortus eſt mundus omnibus ſuis præſidiis, per *Judæos* prætextu religionis adverſus omnis religionis fontem pugnantes, per Philoſophos omni doctrinæ genere pollentes, per Sophiſtas diſputandi pertinacia invictos, per Rhetores eloquentiæ viribus admirabiles, per Tyrannos omni genere ſævitiarum armatos, per Reges, Præſides, Magiſtratus, per magos ac præſtigiarum artifices, per Dæmones hujus mundi dominos. Hos omnes tumultus, velut inundans malorum pelagus, Euangelicæ veritatis vis excepit, ſuſtinuit, perrupit, devicit. Ad lucem enim Euangelicam æquum erat omnia humanæ potentiæ ſimulachra evaneſcere. Emicuit Euangelium illud ſimplex & humile, quod omnes moliebantur obruere. Libri eorum, qui ſummo ingenio, mirabili eruditione, exquiſita facundia ſcripſerunt adverſus Euangelium, ceu ſomnia quædam ultro evanuerunt, adeo ut ne exſtent quidem, niſi ſi qua fragmenta ſervata ſunt à *Chriſtianis*. Reges quod prius impugnabant, adorant: magica vis evanuit, Dæmones ejulantes ejiciuntur: Philoſophia confeſſa eſt ſuam inſcitiam, & relicta ſtulta hominum ſapientia, amplexa eſt ſapientem ſtultitiam crucis: Rhetores ſcribunt encomia *Jeſu Chriſti*: Poetæ Deos veteres exſibilant, & pro innumeris unum *Jeſum Chriſtum* decantant. Hæc tanta mundi mutatio paucis annis à *Chriſto* occiſo, per totum orbem fieri cœpta eſt, ac nullis præſidiis humanis ſemper increvit in majus, donec fermentum, admixtum farinæ ſatis tribus, totam afficeret conſperſionem, donec granum ſinapis, terræ infoſſum, per *Aſiam*, per *Africam*, & *Europam* late panderet ramos ſuos.

Accedit huc, quod qui veritatem Euangelicam oppugnabant, non ſolum habebant varia terriculamenta, quibus maſcula quoque pectora poſſent labefactari, edicta, tribunalia, confiſcationes, proſcriptiones, exſilia, carceres, eculeos, virgas, ſecures, cruces, ignes, beſtias, mortes, verum etiam illecebras varias, quibus animus quamvis continens poſſet corrumpi. Dicebat Cæſar: abnega *Chriſtum*, & eſto inter proceres meos primus: ni facis, confiſcabuntur omnes tuæ facultates, ſæviam in uxorem ac liberos, ipſe beſtiis objicieris. Quis hîc perſuaſit tot hominum millibus, ut cum gaudio acciperent honores ademtos, facultates direptas, ut conſpicientes eos, quibus nihil habebant ſecundum Deum carius, rapi ad immania ſupplicia, gratias agerent: ut ipſi demum cum liceret effugere, cum liceret tantis potiri commodis, ultro ſe præberent excarnificandos? Nulla vis humanæ facundiæ id potuiſſet, ſed divina veri vis potuit, quæ latebat in grano ſinapis. Nec Philoſophorum doctrina caruit lenocinio. *Stoici* libertatem, veras divitias, ſanitates, regnum, aliaque dictu magnifica pollicebantur: *Epicurei* voluptatem auribus hominum commendabant: *Peripatetici* corporis bona cum virtute copulabant. At Euangelica doctrina, ut nullis terroribus humanis quenquam pertrahebat: ita quam nihil habebat in ſpeciem plauſibile, imo quam multa prorſus incredibilia. Annuntiat quendam *Jeſum* ſuffixum cruci, qui morte ſua liberaſſet genus humanum: hunc eſſe Deum & hominem, natum ex virgine, qui revixiſſet à morte, ſederetque ad dexteram Dei Patris, qui docuiſſet eſſe beatos, qui hîc ob nominis ipſius profeſſionem lugerent, ſitirent, eſurirent, affligerentur, male audirent & occiderentur, olim revicturos omnes: tum ipſo judice pios ſortituros immortalitatem, impios perennes gehennæ cruciatus. Quis Philoſophus auſus fuiſſet hæc tam paradoxa, tam non plauſibilia proponere? Et tamen hæc ita perſuaſit humilis Euangelii ſermo, ut inſanus habeatur qui non credat, ut tot hominum millia vitam citius deſerant, quam veritatis Euangelicæ profeſſionem.

Et per quos tandem hæc tanta mutatio nata eſt? per paucos diſcipulos, ignotos, humiles, tenues, idiotas. Quid attinet de reliquis dicere, quum *Petrus*, horum princeps, piſcator fuerit idiota, *Paulus* ſutor coriarius, nullus omnium dives, aut potens, aut nobilis? Aut nihil habebant hujus mundi, aut ſi quid habuerant, relinquebant. Et quomodo tales rem tantam præſtare potuerunt? nimirum adferebant pharmacum in vili pyxide, ſed divina vi potens & efficax. Simplex & inconditus eſt Euangelii ſermo, quem ſi quis expendat ad *Thucydidis*, aut *Titi Livii* hiſtoriam, multa deſiderabit, multis offendetur. Quam multa prætermittunt Euangeliſtæ, quam multa tribus verbis attingunt, quam multis locis non convenit ordo? quam multis locis inter ſe videntur pugnare? Hæc poterant lectoris animum alienare, ac fidem abrogare lectioni. Contra qui ſcripſerunt humanas hiſtorias, quam ſolliciti ſunt unde rem exordiantur? quam curant, ne quid præter decorum, ne quid parum probabile, ne quid inconſiſtens aut abſurdum narrent? Tum qua evidentia rem ſubjiciunt oculis, quibus deliciis deliniunt ac retinent animum lectoris, ne quid obrepat tædii? Atqui horum elaborata monumenta magna ex parte interciderunt, & quæ ſuperſunt, nec ab omnibus, & ſine fide leguntur. Quis eſt enim uſque adeo credulus, qui confirmet in *Tito Livio* nihil eſſe falſæ narrationis? Verum tot hominum millia reperta ſunt, quæ mallent decies mortem oppetere, quam admittere, in Euangelicis literis unicam eſſe falſam ſententiam. Ex his an non palam agnoſcimus, rem non eſſe poteſtatis aut prudentiæ humanæ, ſed virtutis divinæ? Latens vis eſt in pharmaco, quod ſemel infuſum corpori, ſe ſpar-

Digitized by Google

sit per universas orbis nationes, veluti per omnia membra. Habemus causam cur Euangelica veritas intra tam paucos annos per homines humiles, omni sævitiæ genere rebellante mundo, sese sparserit per universum orbem. Nunc vero subierit alicui demirari, qua ratione factum sit, ut propioribus seculis, cum mundus haberet Principes *Christianos*, Episcopos doctos, opulentos, magnaque auctoritate præditos, sic in angustum contracta sit ditio *Christi*. Nam hujus rei comperta causa, fortasse citius inveniretur remedium.

Sed ego jam dudum oblitus mei, Præfationis excedo limites. Redeo nunc ad nostrum Medicum *Lucam*, quem ut tibi non dubito fore commendatissimum, ita velim per te omnibus reddi commendatiorem. Ait Sapiens Ecclesiasticus: *Honora Medicum propter necessitatem.* Quanto magis huic Medico suus habendus est honos, qui tam efficax pharmacum exhibuit, quod nulli non est necessarium, nisi si quis est qui vacat omni crimine, nec opus habet, ut seipso melior evadat? Erit autem & efficax, si pertæsi morbos nostros, pharmacum hoc frequenter arrodemus, si assidue commandemus, si trajiciemus in stomachum, in intima pectoris, si non revomemus quod sumtum est, sed in animi stomacho continuerimus, donec explicet vim suam, nosque totos in se transformet. Expertus sum hoc in meipso, parum esse fructus ex Euangelio, si quis oscitanter ac perfunctorie legat; sed si jugi & accurata meditatione in eo versetur, vim quandam sentiet, qualem in nullis aliis libris.

Jam ut hominum suspicionibus occurramus, quod singulas Euangeliorum Paraphrases singulis Principibus dicavimus, casus est, non ambitio. Siquidem idem nobis hîc evenit, quod in Epistolis Apostolicis. Quum scriberemus in *Matthæum*, nihil minus exspectabamus, quam ut flagitaretur *Joannes*, ac mox *Lucas*. Nunc ne qua lacuna vacua videatur inter Euangelistas, addemus & *Marcum*. Quanquam qui diversa Euangelia diversis dicat, nihilo videatur facere absurdius, quam fecit divus *Hieronymus*, qui Prophetas etiam minores diversis attribuit. Admonuimus alias, ac rursus admonemus Lectorem, ne plus tribuat nostræ Paraphrasi, quam tribueret aliorum commentariis. Non enim in hoc scribimus Paraphrases, ut Euangelium excutiamus è manibus hominum, sed ut commodius & majori cum fructu legatur: quemadmodum condiuntur cibi, quo libentius ac jucundius sumantur. Quin & illud mihi monendus est Lector crassior, me nusquam in Paraphrasi loqui, ne, quod sub Euangelistæ persona modeste vereque dicitur, sub mea videatur arroganter dici. Impartiat tibi Dominus *Jesus* Spiritum suum, Rex inclyte, ut sub Principe vere *Christiano* in dies magis ac magis regnet floreatque veritas Euangelica. *Basileæ* decimo Calend. *Septembris*, Anno 1523.

VITA SANCTI LVCAE
PER DIVVM HIERONYMVM.

LVCAS *Medicus Antiochensis, ut ejus scripta indicant, Graci sermonis non ignarus fuit, sectator Apostoli Pauli, & omnis peregrinationis ejus comes, scripsit Euangelium, de quo idem Paulus:* Misimus, *inquit*, cum illo fratrem, cujus laus est in Euangelio per omnes Ecclesias. *Et ad Colossenses:* Salutat vos Lucas Medicus charissimus. *Et ad Timotheum:* Lucas est mecum solus. *Aliud quoque edidit volumen egregium, quod titulo* Πεϱίξις Ἀποστόλων *prænotatur, cujus historia usque ad biennium Romæ commorantis Pauli pervenit, id est, usque ad quartum Neronis annum. Ex quo intelligimus in eadem urbe librum esse compositum. Igitur* Φεϱόδους *Pauli & Theclæ, & totam baptizati Leonis fabulam, inter apocryphas scripturas computamus. Quale enim est, ut individuus comes Apostoli, inter cateras ejus res, hoc solum ignoraverit? Sed & Tertullianus, vicinus eorum temporum, refert presbyterum quendam in Asia, exuḍaϛlω Apostoli Pauli, convictum apud Joannem, quod auctor esset libri, & confessum se hoc Pauli amore fecisse: & ob id excidisse. Quidam suspicantur, quotiescunque in Epistolis suis Paulus dicit,* Juxta Euangelium meum, *de Luca significare volumine. Et Lucam non solum ab Apostolo Paulo didicisse Euangelium, qui cum Domino in carne non fuerat, sed à cæteris Apostolis, quod ipse quoque in principio sui voluminis declarat, dicens:* Sicut tradiderunt nobis, qui à principio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis. *Igitur Euangelium, sicut audierat, scripsit. Acta vero Apostolorum, sicut viderat, composuit. Vixit octoginta & quatuor annos, uxorem non habens. Sepultus est Constantinopoli, ad quam urbem vicesimo Constantii anno ossa ejus cum reliquiis Andreæ Apostoli translata sunt de Achaja.*

IN EVANGELIVM LVCAE
PARAPHRASIS,
PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

CAPVT I.

Angelus en bis adest: invisens cantat: idemque
Nato vate, patris lingua soluta, facit.

1 *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum:*

IN humanis historiis, quoniam ex cognitione rerum non mediocris capitur vel voluptas vel utilitas, in primis requiri solet narrationis fides. Sed hanc multo magis esse oportet in Euangelica narratione, quæ non solum adfert oblectationem animi vacui, aut utilitatem ad vitam hanc temporariam, verum etiam necessaria est ad veram pietatem, sine qua nemo consequitur æternam salutem, vitæque immortalis nunquam interituram felicitatem. Nec enim magnum periculum sit, si quis ignoret, quis fuerit *Hannibal*, aut *Alexander*: quid rerum gesserit *Epaminondas*, aut *Scipio:* quid scripserit *Solon*, *Lycurgus*, aut *Draco:* quid docuerit *Socrates*, *Plato*, vel *Aristoteles:* quanquam harum quoque rerum cognitio, juxta modum humanæ conditionis, suum habet fructum. Cæterum quisquis ignorarit Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: quisquis non didicerit, quid pro salute generis humani gesserit in terris Dei Filius Jesus Christus, quid docuerit, quid promiserit constanter adhærentibus Euangelicæ doctrinæ, quid com-

Digitized by Google

comminatus sit hanc negligentibus, aut etiam adspernantibus, is vitare non poterit, quin excluſus à ſodalitate piorum, excluſus à gaudiis vitæ cœleſtis, cum impiis, gehennæ ſuppliciis nunquam finiendis addicatur. Ac primum quidem Euangelium per Apoſtolos ad hoc ab ipſo Domino delectos, reliquoſque diſcipulos Spiritu Sancto afflatos, viva tantum voce, ſed optima fide, propagari cœptum eſt per omnes mundi regiones, atque in dies latius latiuſque diffunditur. Quoniam autem facilius vitiatur narrationis ſinceritas, quæ voce ceu per manus tradita permanat ad plurimos, quam quæ ſcriptis proditur, idcirco Matthæus Apoſtolus, unus è numero duodecim, quos in hoc munus peculiariter deſignarat ac delegerat Dominus Jeſus, quum adhuc ageret in terris, & Marcus Petri Apoſtoli diſcipulus, afflatu divini Spiritus commoniti ſunt, ut ſummam Euangelicæ narrationis in litteras mitterent, non hoc agentes, ut aliis præriperent iiſdem de rebus ſcribendi facultatem, ſed ne per Pſeudapoſtolos quiſquam circumventus Judaiſmum aut ineptas fabulas pro Euangelio ſequeretur. Porro quemadmodum non omnes pari ſinceritate prædicabant Euangelium: ita nec pari fide qui ſcribunt, tractant hiſtoriam Euangelicam. Complures enim ita conati ſunt contexere ſeriem Euangelicæ narrationis, quemadmodum alii Scriptores rerum ab hominibus geſtarum ſolent, ſæpe falſa veris admiſcentes, quæque ex incertis vulgi rumoribus hauſerant, pro compertis narrantes; nonnunquam & ex ſeſe comminiſcentes, quod memorent, ſive mentiendi libidine, ſive alio quopiam affectu corrupti. Atque ut ſunt res humanæ natura proclives ad corruptelam, fortaſſis & in poſterum exorientur, qui mentiendo de geſtis doctrinaque Chriſti ac diſcipulorum ejus, efficiant, ut nec veris habeatur fides. Proinde Spiritus Jeſu vellicavit & meum animum, ut poſt Matthæum & Marcum, qui ſumma quidem fide, quod tum ſatis eſſe judicabant, prodiderunt: ſed certo conſilio quædam aliis ſcribenda reliquerunt, interim vivæ vocis officio ſupplentes, quod ſcripto deerat, poſtque alios, qui idem non ſimili fide conati ſunt, quorum aliqui multa permiſcuerunt, magnopere pugnantia cum Euangelica doctrina; nonnulli magis hoc ſpectarunt, ut indignis Euangelica gravitate fabulis explerent hiantes hiſtoriæ rimas, quam ut ea narrarent, quæ Spiritus Sanctus judicavit ad æternam conducere felicitatem, contexta ſerie quadam narrationis Euangelicæ, ſimul & ea ſupplerem, quæ ſunt ab aliis prætermiſſa, & excluderem auctoritatem cæterorum, qui vel ſua commenta, vel populari rumore, non optimo rerum auctore cognita, pro certis & compertis prodiderunt, aut prodituri ſunt. Neque enim nos ſic teximus hiſtoriæ ſeriem, ut nihil omnino prætermittamus eorum quæ geſta ſunt, ſed ea duntaxat referimus, quæ cognovimus ad Euangelicam pietatem & æternæ vitæ fructum pertinere. Nam infinitum ſit omnia perſcribere, quæ Jeſus vel fecit, vel docuit. Sunt autem quæ citra ſalutis diſpendium ignorari non poſſint: ſunt rurſum quorum cognitio plurimum adfert utilitatis ad ſtudium pietatis: ſunt denique quæ citra periculum ſalutis, citra grave diſpendium pietatis neſciri poſſunt: quemadmodum in rebus divinis quæ ſcimus, minima portio eſt ad ea quæ neſcimus.

2 Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis:

2 Ergo nec omnia perſequemur, nec incerta commemorabimus, ſed ea duntaxat, quorum certiſſima fides nobis eſt facta ab indubitatis Apoſtolis ac diſcipulis, qui non ſolum ipſi pleraque ſuis oculis viderant, ſuis auribus hauſerant, manibus contrectarant, quæ nobis narrabant, verum etiam aliqua pars fuerant eorum quæ geſta narrabant: utpote qui multa fecerint Domini juſſu, & illius cauſa permulta paſſi ſint, nimirum omnibus in rebus individui comites Jeſu Chriſti. Nec ideo mihi debet eſſe levior fides, quod ea ſcribam, non quæ viderim ipſe, ſed quæ ab aliis didicerim. Rei tam inuſitatæ, tam novæ atque incredibili conveniebat, primum fidem ab omnibus corporis ſenſibus conciliari, deinde prodigiis ac miraculis evidentibus confirmari. Atqui hæc argumenta non poſſunt eſſe perpetua. Neque enim Chriſtus diu ſe conſpiciendum præbuit, & miracula pro tempore dantur hominum incredulitati, quondam & ipſa deſitura. Satis eſt ab his initiis eſſe profecta fidei rudimenta. Vidit, audivit, contrectavit Thomas, & credidit: ſed Dominus eos beatos pronuntiat, qui quum res geſtas non viderint, tamen Euangelico ſermoni non minus fidant, quam ſi rebus gerendis interfuiſſent. Alioqui ſi ſolis oculis habetur fides, ipſi quoque, qui cum Domino corporalem egere conſuetudinem multa narrant, quibus non interfuerunt, ſed ab aliis bonæ fidei didicerunt, veluti de Nativitate & Genealogia Chriſti, de Magis, de fuga in Ægyptum, de tentatione Satanæ. Nos tametſi rerum initia non vidimus, tamen rerum exitus vidimus. Vidimus in Apoſtolis, quicquid Dominus in Euangelio promiſerat. Vidimus illos afflatos cœleſti Spiritu per impoſitionem manuum impartire Spiritum Sanctum & aliis baptizatis: quin etiam in nobis ipſis Sancti Spiritus vim experti ſumus. Vidimus ad nomen Jeſu fugari Dæmones, pelli morbos: vidimus innoxia venena. Vidimus Euangelii majeſtatem per homines tenues, humiles & idiotas, paucis annis per univerſum orbem inclareſcere, fruſtra repugnantibus mundi Principibus. Nimirum & hoc prædixerat Dominus: Quum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Tales auctores, tales rerum exitus, non ſinunt nos dubitare, neque de iis, quæ noſtram ætatem præceſſerunt, neque de iis, quæ in poſtera ſecula promiſſa ſunt. Quicquid Prophetarum oraculis fuerat olim prædictum, Jeſus adveniens præſtitit: quicquid hinc abiturus prædixit eventurum Apoſtolis, evenit: nec dubitandum quin cætera ſimili fide præſtaturus ſit, quæ præſtanda diſtulit in alterum ipſius adventum: de reſurrectione corporum, de præmiis piorum & impiorum.

3 Viſum eſt & mihi aſſecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi ſcribere, optime Theophile;

3 A certiſſimis igitur auctoribus totam Euangelicæ rei ſeriem ſtudioſe perveſtigavimus, atque ex his delegimus, quæ maxime videbantur ad fidem & pietatem Euangelicam conducere, non ſparſim & carptim attingentes, ut quæque inciderint, ſed temporis ordinem ac rerum ſeriem ſequuti, diligenter hiſtoriam digeſſimus: altius etiam rem repetentes, videlicet ab ejus conceptione, qui Servatoris adventum, ut nativitate, ita prædicatione, morteque præcurrit. Tum de nova conceptione Virginis, de nativitate pueri, de circumciſione, de purificatione, de prophetiis in puerum editis, de quibuſdam divinæ indolis indiciis, quæ jam tum in puero veluti ſcintillulæ quædam emicuerunt, de quibus cæteri, qui cum fide ſcripſerunt ante nos, pene nihil attigerant. Poſt hæc de baptiſmo & prædicatione Joannis: deinde de baptiſmo Jeſu, de tentatione, de doctrina, de prodigiis, de morte, de ſepultura, de reſurrectione, de reditu in cœlum.

4 Ut cognoſcas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.

4 His ordine digeſtis, altero Volumine addemus, quomodo miſerit Spiritum Sanctum: quæque fuerint Eccleſiæ naſcentis, ac ſemper in majus gliſcentis rudimenta: quid geſſerint, quid docuerint Apoſtoli præcipui, Petrus, Jacobus, Paulus, & Barnabas, quibus miraculis, quibus afflictionibus nomen Domini Jeſu glorificarint: non quod arbitrer hæc tibi nova futura, optime Theophile, ſed partim ut ordine recognoſcas, quæ carptim ab aliis didiciſti: partim ut certiore fide percipias ſcripto noſtro, quæ viva voce pridem ab aliis audieras, repudiatis complurium fabulis, quæ ſe nunc falſo Euangelii nomine venditant: neque tu ſolum (neque enim hæc uni ſcribimus) verum etiam omnes vel hujus ætatis vel

Digitized by Google

posteri, qui hoc sunt aut futuri sunt, quod tu nomine diceris, hoc est, omnes Theophili, qui Satanæ renuntiantes, promta credulitate, piisque studiis ambiunt amicitiam Dei: quique spretis hujus mundi malis ac bonis, inhiant ad ea, quæ perennia sunt ac cœlestia.

5 Fuit in diebus Herodis, regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia; & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen ejus Elisabeth.

5 Cum jam adesset tempus illud divino consilio præfinitum, variisque Prophetarum oraculis prædictum, ac tot jam seculis à sanctis ac piis hominibus exoptatum, ut Dei Filius humanam naturam assumeret, sua morte redemturus humanum genus: sua doctrina suisque factis nos ad veri cognitionem, ac Euangelicæ pietatis studium instructurus, denique suis promissis nos erecturus ad spem vitæ cœlestis, quoniam totum hoc quod erat gerendum, novum erat, nec ullis auditum seculis, nihil præteritum est argumentorum, divina sapientia rationibus arcanis omnia moderante, quæ rei per se incredibili fidem apud homines conciliarent. Quis enim unquam audivit hominem ex homine fuisse natum in terris, qui semper Deus regnaret in cœlis? Prodigiorum plenæ sunt etiam Ethnicorum historiæ. In Veteris Instrumenti Voluminibus discimus, ignem è cœlo missum, mare divisum in duas partes, aquam ictu virgæ prolicitam è petra, mortuos denique revixisse. Quis unquam audivit virginem citra virilem operam peperisse? Erat autem nostræ salutis caput, illud esse persuasum omnibus, Jesum esse Messiam, cujus adventum omnia Prophetarum vaticinia promiserant, quem tota Mosi Lex adumbrarat, à quo uno salus esset omnibus speranda. Proinde divino consilio paratus est, qui cœlestem virginis partum, & ipse mirabili modo natus, præcurreret: qui nobilitate generis, qui inaudita vitæ sanctimonia, quique raris dotibus parta apud omnes auctoritate, Jesu nondum noto, primam notitiam ac fidem conciliaret apud incredulos Judæos: quemadmodum Euangelica Philosophia, cujus princeps & auctor erat Christus, vetustæ Legis, cujus typum gerebat Zacharias & Joannes, testimonio primum orbi commendata est. Mox versis rerum vicibus, ut Christus, proditis suis virtutibus, obscuravit Joannis gloriam: ita fulgor Euangelicæ majestatis, ubi sese prodidit mundo, Mosaicæ Legis auctoritatem velut antiquavit. Jacob autem Patriarcha morti vicinus, quum fatidico afflatus Spiritu plurima prædiceret, quæ multis post seculis essent eventura, jamque ventum esset ad Judam, è cujus tribu proditurus erat Dominus Jesus juxta carnem, vaticinium hujusmodi depromsit: *Non auferetur Sceptrum de Juda, & dux de fœmore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit exspectatio gentium.* Hæc prophetia satis evidenter significabat tum venturum Messiam, quum Judaica natio, quæ semper à suæ gentis Ducibus, Judicibus, Regibus ac Sacerdotibus fuerat gubernata, pareret alienigenæ Principi: simul & illud indicans, Euangelicam gratiam, à Judæis spretam, ad gentes demigraturam. Sed primus omnium Herodes Antipatri filius, quum non esset Judaici generis, & alioqui vir impius, non solum in gentis honorem cooptatus est, verum etiam favore Cæsaris regnum in Judæos obtinuit. Proinde vel hoc indicio conjicere poterant Scribæ & Pharisæi, qui Legis exactam scientiam profitebantur, jam adesse tempus, quo nasceretur ille, qui regnis terrenis abolitis inveheret regnum cœleste, quique pro tyrannis faceret pastores, pro dominis patres. Porro quum Judaici Sacerdotii summa quædam & admirabilis esset apud omnes dignitas, prædixerat Spiritus Sanctus per Prophetas, & hoc abrogandum, posteaquam venisset ille, qui non oleo corporali unctus ab hominibus, sed oleo cœlesti juxta spiritum unctus à Deo, unico quidem, verum efficacissimo sacrificio tolleret omnia peccata mundi, ac per fidem Euangelicam, divinique Spiritus largitatem sanctificaret universa. Prædixerat enim Daniel post hebdomadas annorum à Deo præfixas, futurum ut ungeretur Sanctus sanctorum, ac deinde cessarent hostiæ ac sacrificia veteris Legis. Quum venerint æterna, cessabunt temporaria: quum venerint spiritualia, cessabunt carnalia: quum venerit veritas, cedent simulacra: quum venerit lux, evanescent umbræ: quum cœperit loqui Christus, obmutescet vox crassæ Legis, donec & ipsa palam profiteatur eum, quem antehac typis quibusdam veluti nutibus innuit magis quam eloquuta est. Hoc igitur tempore, quum Herodes, primum alienigena, deinde vir impius, ac multis homicidiis & parricidiis funestus, rerum summa potiretur apud Judæos, non ex auctoritate Dei, sed ex favore Cæsaris Augusti: cumque Judaici Templi religio, quæ figuris ac ceremoniis corporalibus constabat, maxime floreret apud homines, quum apud Deum sub falso religionis prætextu, inter Scribas, Pharisæos, Seniores & Pontifices, extrema regnaret impietas, Domini Jesu adventus his initiis primum cœpit innotescere mundo. Erat sub impio Rege Sacerdos pius, videlicet reliquiæ vetusti ordinis, nondum tot vitiis corrupti, huic nomen erat Zacharias, quem id temporis sortes ac vices in orbem recurrentes, ad sacrorum administrationem vocabant. Sic enim David universum Sacerdotum genus in duas principales familias digesserat, Eleazar & Ithamar. His subjectas familias reliquas distinxit in sortes viginti quatuor, ut ordine singulæ per suas vices sacris operarentur dies octonos, abstinentes interim ab omnibus, quæ juxta Mosaicos ritus videbantur hominem impurum reddere, temperantes & à congressu conjugum, nec attingentes privatas ædes, sed assidue versantes in Templo, quo castius ac purius tractarent rem divinam: cæteris interea fas erat, uxoribus, liberis, cæterisque rebus profanis, sed necessariis vacare. Porro dum hic ordo sortibus digeritur, inter viginti quatuor familias octavus locus obtigit Abiæ, unde Zacharias ducebat originem, & in cujus vices successerat. Hæc tametsi casu geri videbantur, tamen nihil non dispensatum est divino consilio, ne numero quidem ordinis otioso. Siquidem ut hebdomas multis de causis vetustæ Legis typum habet, ita ogdoas Euangelicæ gratiæ congruit, quum non jam per opera Legis, sed per fidem gratis donatur æterna felicitas. Erat autem & uxor Zachariæ Elizabeth, non tam generis nobilitate commendabilis (ducebat enim genus è primo gentis Israeliticæ Sacerdote Aaron) quam morum integritate venerabilis, ne non esset tali marito digna conjux.

6 Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela,

6 Erat enim vere sanctum conjugium, non tam conjunctione corporum, quam animorum similitudine, ac pietatis societate confœderatum, propterea quod essent ambo vere justi: non justitia Pharisæorum, qui se falsa quadam specie sanctimoniæ venditabant oculis hominum ad quæstum & gloriam, obscurantes facies suas, præcinente tuba dantes eleemosynas suas: prolixis precibus in angulis plateарum venantes opinionem pietatis, cum animus maderet omni spurcitie scelerum: sed sinceris animis sic servabant omnia, quæ Dominus per Legem præceperat, ut nec hominibus darent ullam ansam reprehensionis, & quod est difficillimum, oculis etiam Dei semet totius vitæ puritate commendarent: procurante nimirum & hoc divino consilio, ut is qui Christo venienti perhibiturus esset testimonium, esset ipse numeris omnibus populo Judæorum commendatus, primum generis paterni simul ac materni Sacerdotali nobilitate, parentis utriusque inculpata vita, tum suis ipsius raris & admirandis virtutibus, postremo glorioſa morte pro veritate obita. Talis nimirum præco decebat eum, qui venerat universum mundum odore bonæ opinionis ad se pellecturus.

7 Quin

Digitized by Google

7 *Et non erat illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.*

7 Quin & illud divina providentia procuratum est, ut nativitatis novitas excitaret hominum animos in admirationem Joannis: nihilque plebejum exspectarent ab eo, qui non juxta vulgarem naturæ cursum, sed cœlesti beneficio natus esset. Quanquam enim probatissima esset apud omnes Zachariæ & Elizabeth sanctimonia, tamen in hoc parum felix videbatur illorum pietas, quod ambo consenuissent orbi. Nam apud Judæos ut magnifica quædam res habebatur matrimonii fœcunditas, ita sterilitas cum primis erat in probro, & inter præcipua vitæ mala numerabatur. Vulgus enim interpretabatur à Deo rejectos esse, quibus non obtigisset, populum Deo sacrum aliqua prole locupletare. Nondum enim didicerant carnales Judæi, spiritualem esse populum, quem Deus vellet cœlesti generatione semper in majus propagari: nondum audierant esse beatos, qui se castrassent propter regnum Dei. Ea res graviter discruciabat animos amborum, sed præcipue Elizabeth, quæ jam probroso cognomine vulgo sterilis vocabatur: & ut deploratæ sterilitatis mulier, inter infelices matronas numerabatur, quæ plurimis annis in mariti consortio peractis, nullum matrimonii fructum edidisset. Etenim sterilitatis probrum potissimum in fœminas cadere solet. Auxerat prolis desperationem utriusque senectus, sed quod naturæ virtus non dabat corporum congressui, hoc piis animorum votis indulsit divina benignitas.

8 *Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum,*

8 Itaque quum Zacharias Sacerdotii munere fungeretur in ordine vicis suæ, quæ erat, ut diximus, Abiæ, & in Templo versans in conspectu Dei, purus & castus sacris operaretur:

9 *Secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit ut incensum poneret, ingressus in templum Domini:*

9 Jamque ex more, sorte deligendus esset, quis introiret secretissimum Templi secessum, quod dicitur sanctum sanctorum, sorte delectus est ille, ut ingressus sancta sanctorum, quo nemini fas erat ingredi præter Pontificem, aut hujus loco designatum, ex præscriptis odoribus, stacte, onyche, galbano, ac thure pellucido sacrum suffitum poneret in altari, quod erat in secreto Templi recessu.

10 *Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi.*

10 Habebatur enim hoc sacrificii genus apud Judæos omnium sanctissimum, nec ad hujus conspectum admittebatur profana multitudo, ac ne Levitarum quidem quisquam. Sed reliqui manebant foris, secluso velo, deprecantes interim, ut quod pro totius populi salute offerebatur, Deus ratum habere dignaretur, donec Sacerdos, peracto intus sacrificio, prodiret ad populum, reliquaque perageret, quæ ad sacrificii legitimos ritus pertinebant. Porro Sacerdos non solum orabat pro populo, verum etiam pro se juxta Legis præscriptum, nimirum mortalis & ipse, & erroribus ac vitiis humanis obnoxius. Quum igitur Zacharias olim crebro votis Deum fatigasset, ut uxorem ipsius sterilitatis probro, se orbitatis molestia liberaret, tamen desperatione prolis jam pridem concepta, tum publicam populi redemtionem, multis jam seculis exspectatam, votis ardentissimis, velut à Deo præsente postulabat. Ac suffitus quidem insurgens ab ara per aerem diffundebatur. Cæterum pii Pontificis votum ad Deum usque penetrabat, Angelis nimirum perferentibus, quorum illæ partes sunt, piorum preces ad cœleste Numen perferre, & rursus illius munificentiam ad nos deferre.

11 *Apparuit autem illi Angelus Domini, stans à dextris altaris incensi.*

11 Angelus igitur è cœlo missus adstabat ad dextrum latus altaris, in quo odores adolebantur, veluti læta nuntiaturus, quod quæ dextra sunt, felicitatis habeant omen.

12 *Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum.*

12 Hunc ubi cœlesti luce fulgentem subito vidisset Zacharias, nec enim hominum more ingressus est, sed repente sese conspicuum exhibuit, sane conturbatus est animo, ac pavore correptus est: non quod quicquam formidabile præ se ferret Angelus: sed quod humani corporis infirmitas non sustinet cœlestium Spirituum majestatem.

13 *Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: & uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem;*

13 Verum ut humanæ imbecillitatis est ad subitum Angeli conspectum inhorrescere: ita illorum benignitatis est, nostrum pavorem blando alloquio tollere. Itaque blando vultu, blandaque voce compellans Zachariam Angelus, ait: Non est quod expavescas Zacharia, sed est quod gaudeas. Nam adfero tibi, totique populo, pro quo intercedis, lætum nuntium. Annuit Deus piis votis tuis. Venturus est ille jam olim promissus, multisque jam seculis exspectatus Messias, liberator ac servator populi sui. Nec solum hoc impetratum est, quod petisti, verum etiam illud ad cumulum votorum adjicit divina bonitas, quod tu petere non audebas, quoniam fieri posse desperabas. Petisti redemtorem, accipies & redemtoris præconem. Elizabeth uxoris tuæ divino consilio dilata fœcunditas, ingens gaudiorum fœnus adferet tibi: ac publica totius populi lætitia cum privata tuæ domus gratulatione copulabitur. In hoc proficiet desperata fœcunditas, ut omnes intelligant, non esse partum vulgarem, sed auctore Deo nasci quod nascetur. Pariet quidem uxor tibi, sed non tibi soli pariet, pariet universo populo, pariet Deo, cujus providentia totum hoc negotium temperatur. Hoc mirabilius pariet, quo serius: hoc plausibilius, quod præter spem: hoc felicius, quod filium pariet, non quemlibet, sed magnum maximi Messiæ præconem ac præcursorem, & velut anteambulonem ac viatorem. Ad tam eximium munus gratuito Dei favore delectus est, & ideo vocabis nomen ejus Joannes, ut vel hinc admoneatur populus, illum fore Deo gratissimum, ac divinis dotibus affatim cumulatum.

14 *Et erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt;*

14 Itaque mœror, quem hactenus attulit tibi conjugis sterilitas, ubere gaudio multaque exsultatione pensabitur. Nec istud gaudium intra tuæ domus parietes continebitur. Gaudebunt tuo gaudio complures amici, qui prius tuo dolore dolebant. Gaudio gestient omnes in nativitate filii tui, qui sitiunt adventum Messiæ. Hunc veluti Solem filius tuus ceu lucifer quidam præcurret, admirabili luce prænuntiaturus illius imminentem exortum, qui totius mundi tenebras dispellet.

15 *Erit enim magnus coram Domino: & vinum & siceram non bibet, & Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ:*

15 Erit ille quidem incomparabiliter maximus, sed & filius tuus quemadmodum hoc erit inferior, ita cæteros omnes Prophetas, qui hactenus fuerunt, dignitate superabit. Futurus est enim vere magnus, non solum hominum opinione, verum etiam in oculis Domini: cui nemo magnus est, nisi dotibus, quas ipse largitur. Nec enim opibus aut strepitu vitæ, aut regno mundano magnus erit, sed harum potius rerum contemtu, quæ magnos reddunt quosdam in oculis hominum: quoque minus appetet hujus mundi commoda, hoc uberius cœlestibus bonis cumulabitur. Tantum autem aberit à luxu, cæterisque corporalibus oblectamentis, ut nec vinum nec siceram sit unquam bibiturus, hoc est, quicquid sobrietatem adimere potest homini. Non enim habent locum hæ sordidæ voluptates in eo, cujus pectus Spiritus Sanctus occuparit, qui filii tui mentem intra ipsos etiamnum uteri materni sinus latitantis replebit, ut gestu Prophetam agat priusquam effari liceat.

16 *Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum:*

16 Mox ubi cum ætate creverint divini Spiritus munera, mira perficiet, vel exemplo vitæ sanctissimæ, vel admirabili prædicatione. Siquidem juxta Malachiæ vaticinium, multos ex filiis Israel alienatos à Deo, dum freti carnali Lege, negligunt ea, quæ Legis figuræ designant, convertet ad Dominum Deum ipsorum, magna libertate prædicans instare regnum cœlorum, ad vitæ prioris pœnitentiam adhortans, baptismo præludens abolitioni peccatorum, quæ per Messiam erit futura.

17 *Et ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ: ut con-*

17 Denique commonstrans omnibus eum, quem Deus in hoc missurus est, ut per unum salus æterna contingat universis. Is Messias primum adveniet humilis, ut omnibus sibi fidentibus, gratis conferat æternam salutem. Deinde rursus adveniet cum majesta-

vertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.

jestate, pro suis cuique factis præmium redditurus: piis vitam æternam, incredulis & impiis mortem æternam. Quemadmodum autem juxta Malachiæ vaticinium, Elias præcursor erit adventus secundi, sua prædicatione præparaturus animos hominum, in diem illum Domini magnum ac terribilem: ita tuus filius præcursor erit prioris adventus, quo Deus per Messiam Filium suum descenderet in terras, per ejus prædicationem universos homines ad sui cognitionem & amorem invitaturus; & ob id à nonnullis Elias esse credetur. Nec immerito dicetur Elias, qui spiritu ac virtute Eliæ præveniet adventum Domini: ut, quemadmodum scripsit Malachias, convertat corda patrum ad filios, quo Judæi, qui tantopere degenerarunt à religione majorum suorum, resipiscant, seseque referant ad meliorem frugem: & credentes Messiæ sermonibus, per quem Deus illis loquetur, vere promereantur dici filii Abrahæ, dum Abrahæ credulitatem imitantur: simulque eos, qui cortici Legis inhærentes, non intelligunt mentem ac vim Legis, convertat ad prudentiam justorum, qui didicerunt altius quiddam & sanctius occultari Legis tectorio, quod brevi Messiæ, qui Legem absolvet, prædicatione proferetur. Sed hujus cœlesti prædicationi filius tuus prævius, præparabit animos hominum, ut advenienti tradat populum, non omnino rudem, sed jam agnitione peccatorum suorum, exspectatione regni cœlestis, ac desiderio venturi Messiæ, præparatum atque instructum. Sic enim visum est Deo, jactis primum initiis ac rudimentis, per gradus paulatim ad summa provehere mortales, ad extremam ignorantiam & impietatem prolapsos.

18 Et dixit Zacharias ad Angelum: Unde hoc sciam? ego enim sum senex, & uxor mea processit in diebus suis.

18 Hæc Angelo loquente jam metum posuerat Zacharias, sed quoniam magnifica promittebat, ac juxta naturæ cursum incredibilia, Judæorum more, atque etiam Synagogæ typum gerens, postulat signo quopiam pondus adstrui promissis, ut miraculum miraculo fidem impetraret. Respondit igitur hunc in modum Angelo: Quonam argumento præsenti cognoscere queam, certum esse quod polliceris in posterum? Nam alioqui reclamat naturæ sensus. Siquidem ipse jam consenui, & uxor provectioris ætatis est, quam ut ex ea partus sperari debeat. Quomodo continget vetulis & effœtis, quod juvenibus & corpore vigentibus non contigit?

19 Et respondens Angelus dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum: & missus sum loqui ad te, & hæc tibi evangelizare.

19 Tum Angelus: Si hæc tibi promitteret homo missus ab homine, non injuria de promisso dubitares. Fateor enim esse supra vires humanas, fateor esse præter communem naturæ ordinem, quod promitto. Sed nec Angelus potest adferre vanum nuntium: neque quicquam est tam incredibile apud homines, quod Deus non facile præstet iis, qui credant ipsius promissis. Ego enim sum Angelus ille Gabriel, olim missus ad Danielem Prophetam, qui inter septem præcipuos cœli ministros semper adsisto in conspectu Dei, paratus ad omne obsequium divinæ voluntatis; nunc in hoc peculiariter à Deo designatus, ut in hoc negotio, quo non aliud unquam actum est majus aut mirabilius, inter Deum & homines internuntium agam. Hujus igitur, ne quid diffidas, promissi Deus auctor est, ego nuntius ab eo missus, ut hæc tibi referam, lætumque nuntium adferam.

20 Et ecce eris tacens, & non poteris loqui, usque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.

20 Dabitur autem, quando id postulas, quod simul erit & in posterum præstandi promissi argumentum, & præsentis diffidentiæ pœna. Ecce subito ab hoc tempore fies mutus, nec poteris quicquam effari, donec filius natus meam fidem liberarit, de qua dubitari non oportuit. Instat enim tempus, ut fileat incredula Synagoga, neque linguam habeant, nisi qui promta credulitate paruerint Euangelicæ prædicationi.

21 Et erat plebs expectans Zachariam: & mirabantur quod tardaret ipse in templo.

21 Dum hæc aguntur in intimo Templi tabernaculo inter Zachariam & Angelum, populus universus exspectabat, ut prodiret ex more Sacerdos, religua peracturus apud multitudinem. Admirabantur autem quod solito diutius commoraretur in tabernaculo.

22 Egressus autem non poterat loqui ad illos, & cognoverunt quod visionem vidisset in templo. Et ipse erat innuens illis, & permansit mutus.

22 Tandem Zacharias prodit ad populum, vultu quidem insolitam lætitiam præ se ferente, sed eliguis. Quibus ex rebus populus intellexit illi visum aliquod intus apparuisse. Solet enim Numinum ac cœlestium Spirituum congressus habitum humani corporis immutare, quemadmodum & olim accidit Mosi. Porro quod lingua proloqui non poterat, nutibus indicabat, nimirum feliciter esse litatum, gratias agerent Deo, qui vota suorum exaudisset. Permansit autem Zacharias in Templo, fungens officio suo in administrandis sacris, usque ad expletum dierum numerum Habebat interea populus Judaicus mutum Sacerdotem, mox cessaturæ Legis indicium, eique cessuræ, qui prolata veritate, rerum umbras submoveret.

23 Et factum est, ut impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam:

23 Cæterum expleto legitimo tempore functionis, Zacharias recepit se in domum suam, ibi fretus Angeli promissis, complexus est sterilem ac vetulam suam Elizabeth: non enim hic libidini vacabatur, sed desiderabatur proles, quæ Dei gloriam sua vita & prædicatione illustraret, quique præcursor esset futurus ejus, qui diu exspectatus, tandem perfectam salutem adferret omnibus. Casti conjugum complexus sunt, quos divina promissio copulat, non libido. Sanctus est coitus, qui nihil nisi prolem ambit. Pius amor prolis, quæ non nobis gignitur, sed publicæ saluti.

24 Post hos autem dies concepit Elisabeth uxor ejus, & occultabat se mensibus quinque, dicens:

24 Porro postea quam juxta promissum Angeli concepisset Elizabeth, abdidit sese à conspectu populi mensibus quinque, læta quidem de conceptu, sed, ut est verecunda probitas, suppudescens, quod his, qui nondum noverant hæc auctore Deo geri, jam annus adhuc libidini vacasse posset videri. Nec enim ignorabat, quam sit pronum ad male suspicandum, simul & male loquendum vulgus hominum. Spectabat & illud prudens mulieris animus, non esse jactandum Dei donum apud populum, donec certum esset, ne si quid fefellisset, sterilitatis probrum, ob frustra speratam anui prolem, conduplicaretur.

25 Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.

25 Verum ubi jam sese certis argumentis cognovisset gravidam, sic suæ felicitati gratulata est, ut hoc totum quicquid esset, ad Dei bonitatem referret. Hactenus, inquit, sterilis & effœtæ probro traducta sum apud populum Israeliticum, cui turpior est corporis sterilitas, quam animi improbitas. Sed ut video, Dominus in hoc fœcunditatem distulit, quo non solum eximeret me à probro sterilitatis, verum etiam cumulatius adferret gaudium præter spem nata proles. Nam plane Dei munus est, qui quo ipsi visum est tempore, dignatus est ancillam suam respicere, quod posthac unica seraque, sed insigni prole, quam Deo genui, prædicabor mater felicior multis, quæ numeroso partu locupletant suos maritos.

26 In mense autem sexto, missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth,

26 His ita gestis, restabat ut sanctior ac major hujus mysterii pars per Angelum procuraretur: videlicet, ut quod nunquam ab orbe condito fuisset auditum, neque posteris seculis foret audiendum, Filius Dei, Deus immortalis, ex homine virgine nascereturque, homo mortalis. Ergo quum appeteret tempus illud ab æterno præfinitum, ut Deus per Filium suum mundum universum à mortis ac peccati tyrannide liberaret, misit eundem Angelum Gabrielem, veluti paranymphum ac divini cum virgine congressus conciliatorem. Id factum est mense ab Elizabeth conceptu sexto.

27 Ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen virginis Maria.

27 Erat ad hoc cœleste negotium delecta virgunculaque non opibus, non nominis claritate, non vitæ strepitu, non aliis rebus, quas hic mundus admirari solet, commendata, sed eximiis animi dotibus præditа, quæ commendant hominem oculis Dei, puritate, modestia, pietate. Ea habitabat in humili civi-

Digitized by Google

civitatula Galilææ Nazareth, gentis apud Judæos contemtæ. Erat autem virgo desponsa viro, nulla re nobili juxta mundi æstimationem, sed animi virtutibus Deo commendabilis: arte faber, cui nomen erat Joseph, genus ducens è stirpe David, è qua genus traxerat & sponsa, ne res non congrueret prophetiæ, quæ Messiam promiserat ex genere David Regis. Porro nomen virginis erat Maria. Humiles delegerat Deus, ne quid in hoc cœlesti negotio sibi mundus vindicaret. Moribus inculpatissimis ac purissimis delegerat, ne quid in hos criminis posset impingi. Casto conjugio junctos delegerat, ut virginei partus arcanum in suum usque tempus celaretur, simulque ne testis idoneus deesset rei alioquin incredibili, quod citra virilem congressum virgo peperisset.

28 Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.

28 Hæc quum in suo conclavi vacaret rerum cœlestium contemplationi, quemadmodum virginitas amat secretum, Gabriel Angelus multa luce conspicuus ingressus ad eam, novo genere salutationis illam affatus est: Ave, inquit, & gaude virgo gratiosa & favorabilis: Dominum habes tibi faventem ac propitium. Et ob hoc eris unice celebris, ac laudati nominis inter omnes mulieres.

29 Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio.

29 At virgo ad subitum adspectum Angeli, simulque ad novam & inauditam salutationis formam auditam, quum ipsa nihil magnifice de se sentiret, nonnihil animo turbata est. Nam quod expavit ad inexspectatum formæ juvenilis ingressum, vere virginei cujusdam ac teneri pudoris erat: quod non illico respondit, sed secum in animo versabat, quid sibi vellet tam nova tamque magnifica salutatio, partim erat prudentiæ, partim modestiæ.

30 Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum:

30 Quum autem non lateret Angelum, quid illa secum agitaret, non passus est eam diutius animo fluctuare, sed & pavorem blando ademit alloquio, & novæ salutationis causam exposuit: Non est, inquit, quod metuas, Maria, in tuto est tibi, quem unice diligis, virginitatis thesaurus. Nec te vana salutatione demulceo. Et lætissimæ rei, & maximæ tibi nuntius adsum. Noli expendere merita tua. Divini favoris est quod offertur, non meriti tui. Hoc ipso places Domino, quod tibi non places. Sit illud tibi satis, quod nacta es gratiam ac favorem apud Deum. Accipe rem inauditam, sed veram.

31 Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus JESVM.

31 Concipies fœtum in utero tuo, parieque filium, ac vocabis nomen ejus Jesum, quoniam salutem adferet populo suo.

32 Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: & regnabit in domo Iacob in æternum,

32 Quanquam autem ex humili loco, ex humili puella natus, tamen divinis virtutibus erit modis omnibus maximus: adeo, ut posteaquam innotuerit mundo, vocandus sit non Propheta, sed Filius Altissimi. Cognomen erit majus humano modo, quia quod nascetur, erit humana conditione sublimius. In hoc nimirum præstabit Dominus Deus, quod promisit vaticinium, tibi non ignotum: è stirpe David natus, sedebit in progenitoris sui solio.

33 Et regni ejus non erit finis.

33 Non occupabit sibi mundi præsidiis regnum mundi temporarium, sed Pater cœlestis dabit illi regnum David cœleste, ac regnaturus est super viros Israelitas in æternum. Nec hujus regni venturus est ullus finis, quemadmodum vaticinatus est Esaias Propheta.

34 Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

34 Ex his tam magnificis Angeli promissis, nihilo factus est insolentior virginis animus, nec ex rerum sublimitate concepit diffidentiam, non præsumebat animo, se quoque cum filio regnante regnaturam: nec ignorabat, nihil esse tam arduum, quod solo nutu non posset Deus. Tantum de virginitatis adamato thesauro sollicita est. Proinde non postulat ab Angelo signum, quemadmodum fecerat Zacharias, tantum modum rei gerendæ, verecunde simul & prudenter quærit ex Angelo cognoscere, respondens hunc in modum: Quanam, inquit, ratione fiet, ut pariam filium, quandoquidem ita desponsa sum viro, qui cum nunc vivo, ut mihi tamen cum eo non sit consuetudo connubialis? Placet enim utrique castitas, & hanc felicitatem nobis, si liceret, cuperemus esse perpetuam.

35 Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.

35 Docet igitur modum Angelus, & de virginitate scrupulum eximit virgini: Nihil hîc, inquit, ô virgo, geretur juxta communem naturæ cursum. Cœlestis erit partus, ac cœlesti peragetur opifice. Castum sponsum tuum amore casto perges prosequi. Continget tibi felicissima fœcunditas, absque ullo virginitatis detrimento. Non enim tibi in hoc additus est sponsus, ut is te matrem faciat, aut tu illum patrem, sed hac ratione divina providentia, tuæ incolumitati, tuæ famæ ac virginitati debitæ tranquillitati consultum esse voluit. Voluit adesse certissimum testem novi partus. Noluit deesse, qui casto convictu, qui fidis obsequiis tibi, pueroque, qui nascetur, inserviret. Denique hoc consilio voluit hoc mysterium celatum esse incredulis, celatum etiam impiis Spiritibus. Sanctus hic divinæ naturæ cum humana coitus, non violabit pudicitiam tuam, sed consecrabit. Decrevit Pater cœlestis novo modo rursus Filium suum ex te gignere. Nec erit opus ad divinum conceptum ullo viri mortalis semine, sed Spiritus Sanctus cœlitus illabetur in te, inque tuo utero, velut in officina cœlesti, sacri fœtus opificium peraget, ac pro mariti corporali complexu, obumbrabit tibi Altissimus, sic immensam virtutem suam ad humanæ naturæ modum attemperans, ut congressum sustinere possit. Ubi libido intercedit in coitu, ibi quod nascitur, immundum nascitur, & peccato obnoxium. Cæterum quod ex te nascetur, quoniam ex sanctissimo complexu concipietur Altissimi: quoniam ex opificio Sancti Spiritus, qui sanctificat omnia: quoniam è purissima virgine, quam unam in hoc Deus delegit immunem ab omni labe vitiorum, mox sanctum erit ut conceptum fuerit. Ac propter corpus humanum, de tui corporis substantia desumtum, recte dicetur filius virginis ac filius hominis: cæterum post intellectum hujus nativitatis mysterium, non dicetur filius Joseph, sed Filius Dei: non quidem vulgari more, quo justi purgati à peccatis ac per gratiam Dei justificati, per adoptionem dicuntur filii Dei: sed singulari ratione vocabitur Filius Dei, ex quo vere bis natus sit, semel absque initio, ab æterno æternus: nunc in tempore ex matre mortali mortalis, homo ex homine. Sicut autem in hoc congressu divina natura cum humana conglutinabitur, ita partus utriusque parentis naturam referet. Hoc divini consilii mysterium sublimius est quam ut vel ab Angelis percipi queat. Tibi satis est mentem credulam, & ad obsequium promtam exhibere. Cætera pro suo arbitratu peraget is, qui quicquid vult, potest.

36 Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis:

36 Jam ut gaudium tuum sit cumulatius, & certior fiducia, sume exemplum recens è proximo. Ecce Elizabeth cognata tua, anus illa jam diu deploratæ sterilitatis, præter omnem spem, præter naturæ vires, me nuntio concepit filium, tui partus præconem futurum. Jamdudum certus conceptus est, tumet uterus, vivit ac movetur infans. Nam hic mensis illi sextus est, ex quo concepit illa vulgo dicta sterilis, & antequam senescceret: nunc etiam provectioris ætatis, quam ut sperari possit soboles, etiamsi antea sterilis non fuisset.

37 Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.

37 Hoc ita visum est Deo, ut intelligant omnes, nihil esse tam incredibile apud homines, quod non præstet divina virtus, si voluerit. Tam facile dabit conceptum virgini, quam dedit sterili: nisi quod tuum exemplum singulare voluit esse, propterea quod partus sit futurus singularis. Peperere divino munere steriles aliquot, sed nihil aliud quam homines peperere. Nulla antehac virgo peperit, nec ulla post te paritura est, quia non nisi semel nascetur, qui divinam & humanam naturam unus in se complectatur.

Digitized by Google

38 *Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa Angelus.*

38 Hæc ubi dixisset Gabriel, virgo paucis verbis respondit, sed quæ summam animi modestiam, cum summa fiducia pietateque conjunctam testarentur: Scio, inquit, promissum esse per os Esaiæ, ut virgo conciperet, & pareret filium: nec dubito, quin possit Deus omnia quæ velit, nec fallet in promissis suis. Quod si ita illi visum est, me puellam omnium infimam ad hujus mysterii ministerium deligere, nihil est quod hinc mihi vindicem vel meriti, vel gratiæ, totum erit divinæ bonitatis, totum erit divinæ virtutis, me tantum offero ancillam Domino, cui semel dicata sum, paratam ad omne obsequium. Credo quod promittis, & opto ut quam primum mihi contingat, quemadmodum promittis. Simulque cum dicto peractus est insensibiliter cœlestis ille conceptus, habebat in utero Filium Dei, repleta est Spiritu Sancto. Ac mox reliquit illam Angelus. Ab hoc sancto virginis cum Angelo colloquio Deus auspicari voluit restituendi generis humani negotium, quando primum illud pestiferum virginis cum serpente colloquium, exitii seminarium invexerat mundo.

39 *Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione, in civitatem Juda:*

39 Ac paucis post diebus Maria ex munere divino facta modestior & officiosior, quoniam ex Angeli sermone didicerat Elizabeth cognatam suam sextum jam mensem esse gravidam, relictis ædibus suis, profecta est in montana, magnaque celeritate pervenit in civitatem Judæ, ubi habitabat Zacharias;

40 *Et intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elizabeth.*

40 Et ingressa domum illius salutem & gratulationem obtulit cognatæ. Siquidem vera pietas potius gaudet de felicitate aliena, quam studet jactare suam. Amat secretum virginitas, non evocatur ab ædium intimis, nisi provocet officium: in publico properat, in officio lentior est. In toto itinere neminem salutavit Maria, donec ventum esset ad Elizabeth.

41 *Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus: & repleta est Spiritu sancto Elisabeth:*

41 Neque vero vulgaris fuit illa salutatio. Crevit utriusque ex mutua gratulatione felicitas, exuberavit Spiritus divini vis. Maria fontem omnium spiritualium dotium secum ferebat in utero, suique fœtus afflatu jam tota spirabat Deum. Itaque factum est, ut simul atque virginis salutatio tetigisset aures Elizabeth, infans, quem anus gestabat in utero, veluti gaudio gestiens exsiliret. Sensit Joannes nondum natus Domini sui modo concepti divinam virtutem, & intra materni uteri sinus gestu prædicat eum, quem olim erat sua voce prædicaturus. Nec sine fructu sensit sanctum infantis sui tripudium Elizabeth; per fœtum divinitus afflatum afflatur & mater, ac felici contagio corripiuntur omnia.

42 *Et exclamavit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.*

42 Per Mariæ vocem cœlestis virtus penetrat in fœtum Elizabeth, per fœtum afflatu correptum, afflatur & mater, sic ut * ipsa repleta Spiritu Sancto, non jam continuerit animi sui gaudia, quæ prius tacita latitaverat, conceptum pudore dissimulans: sed ingenti voce, quam ingens affectus suppeditabat, exclamaverit, ea promens afflatu Spiritus, quæ nec ex uteri tumore suspicari poterat, nec ex homine didicerat: & perinde quasi Angelum audisset cum Maria loquentem, ita verbis Angelicis suam gratulationem auspicatur: O felix, inquit, virgo, tu primam laudem obtinebis inter omnes laudatas mulieres. Simulque sacer fructus virginei ventris tui, unde prodibit flos ille mirabilis, qui gentium omnium voce prædicabitur per universum orbem, de quo jam olim vaticinati sunt Prophetæ, ac primam laudem obtinebit inter omnia, quæ in cœlis sunt, & quæ in terris. Agnosco, majus est homine quod claudis uteri tui thalamo.

43 *Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?*

43 Si tantum in nobis æstimetur ætas, non est incongruum puellam venire ad anum: sin æstimetur fœtuum dignitas, meum erat ad te properare. Ego quidem sat eram felix divino beneficio, quod prolem gesto, magnum quiddam olim futuram: sed quonam meo merito tanta felicitas mihi contigit, ut mater futura Domini mei ultro veniat ad me?

44 *Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.*

44 Siquidem argumento indubitato sensi Domini mei adventum. Ecce enim simul atque vox salutationis tuæ personuit aures meas, sensi infantem subsultantem in utero meo, velut occurrere gestientem Domino suo, ac debitum honoris officium exhibere. Nimirum respondes mater tuo fœtui. Ille Dominus dignatur invisere famulum suum, ut sanctificet, impleatque Spiritu Sancto: tu tanto major dignitate, non gravaris adire minorem, hoc submissius te gerens, quo magis præcellis divinis dotibus, quas recte facis dum non adscribis tuis meritis, quum sint gratuitæ Dei beneficentiæ.

45 *Et beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.*

45 Hoc certe nomine felix es, quod non diffisa sis, quamlibet incredibilibus Angeli promissis. Concepisti citra virilem operam, nec dubium est, quin eadem fide sint tibi præstanda cætera, quæ Domini nomine pollicitus est Angelus.

46 *Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum:*

46 Hæc cum afflatu prophetico dicta essent ab Elizabeth: Maria quoque, quæ hactenus virginali pudore texerat animi sui gaudia, Spiritu sacro correpta, quo jam dudum erat plena, non sibi temperat, quin Hymno gratulabundo prorumpat in laudem Dei, cujus bonitati tribuendum est, quicquid præclari contingit hominibus: Merito, inquit, mihi gratularis, Elizabeth, sed hoc totum divini gratuitique muneris est, unde nihil est quod meis arrogem meritis. Et ideo non lingua tantum, sed & ex intimis præcordiis anima mea suæ imbecillitatis sibi conscia, Dominum extollit laudibus, tanto vehementius admirans divini beneficii magnitudinem, quanto minus agnoscit in se meritorum. Est de quo illi gratias agam, est de quo illius benignitatem prædicem, non est de quo mihi plaudam.

47 *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*

47 Et tamen gaudio ineffabili gestit & exsultat spiritus meus, cœlesti afflatus Spiritu, non in se, sed in Deo, qui mihi cunctisque totius salutis est auctor.

48 *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

48 Etenim quum essem omnium abjectissima, tamen ille pro sua bonitate respexit humilem ancillam suam, tantoque dignatus est munere, ut posthac juxta tuum & Angeli sermonem, me felicissimam sint prædicaturi, non solum hujus ætatis Judæi, verum etiam seculis omnibus, omnes totius orbis nationes, quibus contigerit ex me Servator. Siquidem hoc vere felices dici possumus, quod nobis non nostra industria, non nostris meritis, sed gratuito favore Numinis collatum est. Tota igitur hujus felicitatis laus in illius laudem redundabit, qui gratis contulit. Prædicabor ego beata, sed illius munificentia.

49 *Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus.*

49 Quid autem de me prædicabunt posteris seculis totius mundi nationes? Nimirum, quod in me humillima puella rem miram & inauditam perfecerit is, qui immensa virtute sua nihil non potest. Et idcirco meum nomen inter felices numerabitur. Cæterum illius nomen erit ubique sanctum & adorandum, ad quod sese flectet omne genu, cœlestium, terrestrium, & inferorum, per quod unum contiget salus universo mundo. Hujus enim nominis professio salutem & sanctimoniam conferet universis. Ad hoc nomen invocatum pellentur morbi, torpescent venena, fugient Dæmones, reviviscent mortui.

50 *Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.*

50 Gratuitum & hoc erit, non debitum: misericordiæ erit, non meriti: quam largissime profundet, non solum genti Judaicæ, quæ peculiariter illum exspectavit, non solum uni ætati, sed late propagabitur, à natione in nationem, usque ad extremos orbis fines, à seculo in seculum, usque ad ultimum hujus mundi diem. Soli quidem Israelitæ salutem hanc exspectarant à Prophetis promissam, sed quisquis in quacunque gente relictis vitiis, timere cœperit Deum, is in Israelitico consortio censebitur.

* In alia Editione & adjicitur.

Digitized by Google

bitur. Ad eos pertinget hæc salus, qui sibi displicentes per fidem sese submiserint Domino, sive Græci sint, sive Galli, sive Britanni, sive Scythæ. Contra qui suis fidentes factis, sese erexerint adversus magnitudinem Dei, repellentur ab hujus beneficii consortio, etiamsi ex ipso Abraham aut David fuerint prognati. Non enim hoc divinum munus confertur aut ex opum censu, aut ex generis æstimatione, aut ex operibus legalibus, aliisve meritis aut præsidiis humanis, sed ex commendatione cordis modesti, suique pœnitentis, atque ex Dei misericordia per sinceram fiduciam pendentis.

51 Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.

51 Deus enim volens dejicere supercilium sapientiæ potentiæque mundanæ, per Filium suum factum humilem, exseruit robur sui brachii, ac stultam fecit hujus seculi sapientiam: dejecit ac fregit hujus mundi potentiam, declarans se etiam quum maxime sese demittit, tamen esse potentiorem totius humanæ potentiæ fastigio: & quod in illo stultum videtur, sapientius esse quamlibet admirabili hujus mundi sapientia. Cæterum qui freti sua sapientia, qui confisi suis viribus, cervices suas erexerunt adversus Deum, hos mirabiliter dissipavit suis ipsorum consiliis, quemadmodum olim promiserat per Prophetam: Comprehendam sapientes in sapientia sua. Dum enim astutia humana pugnant adversus consilium divinum, & suam prodiderunt stultitiam, & divinam sapientiam imprudentes illustrarunt. Dumque præsidiis hujus mundi conantur opprimere institutum Dei, declararunt quam nihil possit hic mundus adversus virtutem divinam, quam sua rebellione confirmarunt.

52 Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.

52 Ita versis rerum vicibus, qui prius sublimes sedebant in thronis, humana sapientia turgidi, humana potentia & auctoritate formidabiles, hos detraxit à rerum fastigio: & qui juxta mundum erant humiles, hos divina benignitas sustulit in altum. Qui religionis arcem tenere videbantur, deprehensi sunt impii: qui videbantur esse alieni à Deo, subito facti sunt filii Dei.

53 Esurientes implevit bonis: & divites dimisit inanes.

53 Qui suam agnoscentes injustitiam, esuriebant justitiam Dei, hos Deus explevit suis bonis: contra qui sibi videbantur prædivites, ac bonis operibus abundare, & ideo non esuriebant gratiam Euangelicam, hos rejecit à se famelicos. Circumcisio versa est in præputium: præputium successit in gloriam circumcisionis. Israelita sibi fidens, secluſus est à regno Dei, & gentes adscitæ sunt in honorem filiorum Abrahæ. Superbus Pharisæus fastiditus est, meretrices & humilis publicanus receptus est.

54 Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.

54 Stantes & erectos dejecit, jacentes ac periclitantes porrecta misericordiæ manu sublevavit. Qui videbant, cæcos reddidit. Qui suam cæcitatem deplorabant, aperuit oculos. Qui morbum suum agnoscebant, his salutem contulit. Qui sibi sani videbantur, hos suo morbo reliquit. Qui se gloriabantur esse filios Abrahæ, hos declaravit esse filios Diaboli. Qui nihil habebant cognationis cum Abraham juxta carnem, hos per fidem Euangelicam reddidit veros Abrahæ filios. Qui se jactabant glorioso nomine Israel, hos repudiavit ab hæreditate promissorum Israel.

55 Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini ejus in sæcula.

55 Cæterum quicumque quacunque ex gente, sive servus, sive liber sese offerret ad cultum spiritualem Dei, hunc ad se recepit Deus, & in eo præstitit suam diu dilatam misericordiam, quam Prophetarum oraculis promiserat Israelitico populo, quem ut peculiarius adamatum, in sacris Literis appellat puerum suum. Non erat oblitus sui promissi, sed ob longam moram, perinde quasi fuisset oblitus, obrepserat desperatio. Nunc declaravit sese nequaquam immemorem sui populi. Hæc est enim illa vera posteritas Abrahæ. Hic est ille verus Israel, quem Deo commendat non sanguinis propinquitas, sed fidei sinceritas, qua sola cernitur Deus. Non hæc fortuito casuve geruntur, sed hoc nunc exhibitum est, quod olim Deus promiserat patribus nostris Abraham, & posteris ejus. Dictum est enim Abrahæ: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Dictum est David: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Hæc olim promissa, à piis exspectata, à multis desperata, nunc visum est Deo perficere veris posteris Abrahæ, quorum genus non deficiet usque ad finem mundi. Hæc fatidico Spiritu Maria proloquuta est, perinde quasi facta essent, quæ essent futura.

56 Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus: & reversa est in domum suam.

56 Commorata est autem apud Elizabeth cognatam suam ferme tribus mensibus, sanctis colloquiis & amicis obsequiis sublevans anum. Sub instantem autem cognatæ partum Maria repetiit domum suam. Non enim convenit virginibus obstetricandi officium, & mox affluxuram turbam fugiebat.

57 Elizabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium.

57 Jamque aderat legitimum tempus, quo fœtum ederet Elizabeth, ac natus filius certam fidem fecit promissi divini.

58 Et audierunt vicini & cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei.

58 Res rumore sparsa est per vicinos & cognatos, quibus ut ante doluerat Elizabeth sterilitas, ita voluptati fuit, quod ex ingenti misericordia divina, edita prole mascula, contigisset anui deploratæ sterilitatis nomen matris, cui felix fuerat futurum genuisse puellam, sed multo felicius erat genuisse filium. Et hîc apparuit Angeli promissum, qui dixerat fore, ut in nativitate pueri multi gauderent. Accurrerunt enim complures, ac gratulabantur puerperæ. Æquum autem erat, ut multi gauderent in illius nativitate, qui plurimorum bono natus fuerat.

59 Et factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam.

59 Jam venerat dies à partu octavus, quo juxta Legis præscriptum circumcidendus erat puer, & indendum nomen. Venerunt itaque cognati, qui ex propinquitatis officio curarent puerum rite circumcidendum. Quoniam pater erat elinguis, qui solet esse auctor imponendi nominis, cognati suspicantes id patrem velle, quod vulgo solet esse gratissimum, appellarunt eum patris nomine Zachariam.

60 Et respondens mater ejus, dixit: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes.

60 Mater contra, quod à marito muto discere non poterat, Spiritus afflatu docta, contendit non esse vocandum Zachariam, sed Joannem: nimirum significante Spiritu Sancto, eum, qui natus erat, præconem futurum novæ Legis, quæ veterum traditiones abrogaret, & carnalem cultum verteret in gratiam spiritualem. *Zacharias* enim Hebræis sonat idem quod *memor Domini*. *Joannes* à *gratia* dictus est. Legis justitia constabat operibus præscriptis: Euangelii justitia gratia constat ex fide.

61 Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.

61 Non cesserunt auctoritati matris cognati, sed è regione contendebant potius appellandum Zachariam, eo quod nullus esset in tota gente Zachariæ, qui dictus sit Joannes. Et solet in prole per inditum nomen, vel patris, vel avi, vel patrui, vel alicujus cognati memoria renovari. Et adhuc hodie sunt, quibus magis arridet nomen Zachariæ, quam Joannis, nimirum hi, qui nondum patiuntur aboleri circumcisionem, neomenias, lotiones, dies festos, jejunia, delectum ciborum, sacrificia, re videlicet clamitantes: nomen Joannis nolumus, veterem Zachariam volumus.

62 Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum.

62 Quum itaque non conveniret inter puerperam & cognatos, opus erat auctoritate patris, quæ contentionem finiret. Is nondum habebat linguam, quum jam sermone esset opus. Nutibus igitur utcunque significatum est illi, quod nomen placeret indi filio.

63 Et postulans pugillarem scripsit, dicens: Ioannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi.

63 Ille re intellecta popoſcit tabellas pugillares, ut mutis literis indicaret, quod viva voce proloqui non poterat. Allatis pugillaribus scripsit hunc in modum: *Joannes est nomen ejus*; significans hoc nomen illi inditum ab Angelo priusquam conciperetur. Id admirati sunt omnes, & quod placeret nomen novum, & quod inter matrem & patrem mutum de nomine conveniret. Jam appetebat tempus, ut inciperet loqui Lex Mosaica, quæ hactenus figuris ac mutis elementis Euangelii gratiam utcunque designarat. Tempus aderat, ut os, quod juxta promis-

Digitized by Google

ſum Gabrielis clauſerat incredulitas, aperiret credulitas.

64 *Apertum eſt autem illico os ejus, & lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum.*

64 Protinus igitur ut ſcripſerat, ſolutum eſt linguæ vinculum. Nec aliunde redditi ſermonis facultatem auſpicatus eſt, quam à laudibus Dei, cujus gratuita munificentia tantus gaudiorum cumulus contigiſſet. Niſi ſiluerit Judaica lingua, carnalium obſervationum prædicatrix, & humanæ juſtitiæ vindicatrix, non poteſt loqui lingua Euangelica, quæ gratiam prædicat, quæ fidem, quæ caritatem, non Legis opera, quæ non homini juſtitiæ laudem vindicat è ſuis factis, ſed Dei juſtitiam prædicat ex innocentia gratis collata per fidem.

65 *Et factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorum, & ſuper omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc:*

65 Hæc omnia de anu puerpera, de novitate nominis, de filio per Angeli promiſſum nato, de patre prius ex loquente facto muto, rurſus ex elingui facundo in laudem Dei, rumore ſparſa ſunt, non jam per cognatos tantum ac vicinos, verum etiam per univerſam illam Judææ regionem, quæ montana dicitur, adeo ut non ſolum admiratio, ſed ſtupor quidam & horror, ex tot tam inſolitis miraculis conceptus, occuparet animos omnium.

66 *Et poſuerunt omnes qui audierant in corde ſuo, dicentes: Quis, putas, puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo.*

66 Siquidem ex his præludiis colligebant, natum puerum olim magna & inaudita patraturum, cujus conceptus & nativitas jam tum prodigiis inſigniretur. Videbant patris effœtam ſenectutem, anus deploratam ſterilitatem: conſiderabant linguæ ſubito ademtæ ac redditæ miraculum: audierant Gabrielis interceſſiſſe miniſterium: ſentiebant in utroque parente Spiritus cœleſtis afflatum, nihil non eſſe præter morem communem, nihil non præ ſe ferre virtutem divinam. Hæc in ſuo quique corde contemplantes, dicebant apud ſeſe: Quisnam futurus eſt eſt iſte puer? Nemo Prophetarum tam prodigioſe natus eſt. Siquidem ipſa rerum miracula declarant hæc geri virtute Dei, quæ puero adſit ad res ſummas delecto. Neque vero hæc temere ratiocinabantur. Nam vere manus Dei virtutem ſuam cœleſtem exſerebat in puero, & per puerum in parentes, mirabiliora ſuo tempore proditura.

67 *Et Zacharias pater ejus repletus eſt Spiritu ſancto: & prophetavit, dicens:*

67 Et ne non omnia redundarent miraculis, & gaudiis affluerent, Zacharias quoque pater Joannis totus afflatus divino Spiritu, erupit in hunc Hymnum:

68 *Benedictus Dominus Deus Iſrael: quia viſitavit, & fecit redemptionem plebi ſuæ:*

68 Prædicanda eſt, inquit, & omni laudis genere vehenda eſt Dei bonitas, qui cum ſit Deus omnium, tamen peculiariter dici voluit Deus Iſrael, non quod non eſſet aliarum gentium Dominus, ſed quod Iſraeliticum populum typum eſſe voluerit cœleſtis illius populi, qui contemtis rebus terrenis adſpirant ad æternam illam Hieruſalem, ubi rebus inviſibilibus colitur Deus. Ab his, quocunque ſub cœlo degunt, quacunque de gente nati ſunt, laudandus eſt Deus, qui tandem dignatus eſt novo more inviſere populum ſuum, jam miſeræ diutinæque ſervitutis tædio laborantem, ac deſperationi proximum: adverſus quem Satanas, peccatum & mundus invaluerat, ſic, ut nec ſpes eſſet in Phariſæis, nec in Philoſophis, nec in Moſaicæ Legis ceremoniis. Reſpexit ille propitius, & ab his omnibus malis redemit gratuito populum ſuum.

69 *Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo David pueri ſui.*

69 Potens erat tyrannus, qui multo ſatellitio ſtipatus regnabat per omne genus hominum, à quo viribus humanis non poterat vindicari libertas Iſraelitarum. Solus Deus hoſte potentior, addidit infirmis robur, miſſo duce invicto, qui cornu divinæ virtutis dejiceret adverſariorum opes, quique devicta morte gratis conferret per fidem ſalutem æternam omnibus. Hoc ſalutis præſidium erexit nobis in gente David cultoris ſui, cui promiſerat hoc beneficium, perventurum hinc ad omnes, quicunque juxta ſpiritum promerentur eſſe filii David, non degenerantes à pietate patris. Ille fortiter ac feliciter pugnavit adverſus alienigenas & hoſtes Iſraelitici populi. Hoc duce pugnandum eſt adverſus perniciofiores hoſtes, qui perimunt animas: hi ſunt Satanas, cum Spirituum impiorum copiis: hi ſunt affectus pravi, ſollicitantes ad ea, quæ Deo ſunt inviſa: hi ſunt homines magis amantes ea, quæ ſunt hujus mundi, quam ea, quæ ſunt Dei, per quos, velut organa, vim ſuam exſerit Diabolus.

70 *Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſæculo ſunt, prophetarum ejus:*

70 Neque hæc caſu ſic eveniunt: ſed quod nunc præſtat, jam olim promiſerat Deus per omnium Prophetarum ora, quos ſuo Spiritu afflaverat, qui ab orbe condito vaticinati ſunt.

71 *Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos:*

71 Promiſerat enim fore, ut aliquando miſſo potenti duce ſervaremur ab hoſtibus noſtris, & erueremur è manibus omnium, qui nobis peſſime volebant, conantes pertrahere in mortem æternam.

72 *Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris: & memorari teſtamenti ſui ſancti.*

72 Nec erat hoc meriti noſtri, quibus præſtitit hoc tantum beneficium: neque patrum, quibus promiſerat quod nobis exhibuit. Sic illius bonitati viſum, ut rem tantam largiretur immerentibus: ſic illius juſtitiæ viſum eſt, ut quod promiſerat, præſtaret ſuo tempore, ut ab omnibus intelligeretur non modo miſericors ac beneficus, verum etiam verax ac promiſſi tenax.

73 *Juſjurandum, quod juravit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis:*

73 Non enim promiſit ſolum, verum etiam fœdus pepigit cum patribus noſtris: juravit per ſemetipſum Patriarchæ noſtro Abrahæ, videlicet illius admirabili erga ſe fiducia delectatus, quod fretus promiſſo divino non dubitarit immolare filium ſuum unicum Iſaac, dicens: *Per memetipſum juravi, quoniam feciſti rem iſtam, nec peperciſti filio tuo unigenito meo cauſa, benedicam tibi, & multiplicabo poſteritatem tuam ſicut ſtellas cœli, & arenam, quæ eſt in littore maris. Poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum, & benedicentur per ſemen tuum omnes gentes terræ, propterea quod obediſti voci meæ.* Nimirum hæc eſt vera poſteritas Abrahæ, quæ non per ceremonias Legis, ſed per obedientiam credulitatis obtemperat Deo, per Euangelium orbi loquenti.

74 *Ut ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi;*

74 His præſtatur promiſſa de inimicis victoria, quibus à peccati tyrannide liberatis, liberatis à cunctis erroribus, liberatis à Satanæ jugo, contigit renuntiare vitæ priſtinæ, ut poſthac ſecuri noſtri ducis præſidio, ſerviamus uni, cui debemus omnia, qui prius ſervieramus ambitioni, libidini, avaritiæ, ſervieramus Diabolo:

75 *In ſanctitate & juſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris.*

75 Serviamus autem non ſabbatiſmis, neomeniis, abſtinentia ciborum, immolatione pecudum, quæ ſpeciem religionis habent apud homines, quemadmodum hactenus fecere majores noſtri, ſed puritate conſcientiæ, ſed ſinceritate vitæ, qui cultus eſt gratiſſimus in conſpectu Dei, qui non reſpicit carnales victimas, ſed animi pietatem, amans ſibi de ſuis donis ſacrificari. Nec hic cultus præſcriptis diebus exhibendus eſt Deo, quemadmodum hactenus factum, ſed per omnem vitam noſtram. Non enim eſt unquam ab his ſacrificiis ceſſandum, ſed ſemel gratis data pietas, ſanctis ſtudiis ſemper in majus eſt provehenda. Nos itaque felices divino munere, quibus juxta Prophetarum oracula datus eſt redemtor potens, ac ſervator invincibilis.

76 *Et tu puer, propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.*

76 Sed ejuſdem Dei munere tu quoque felix, ô puer, qui tanti ducis præcurſor delectus es. Quemadmodum enim heſperus antevenit Solis exortum, mortales ſomno torpentes ad lucis adventantis exſpectationem expergefaciens: ita tu imminente Domini adventu, qui per unicum Filium ſuum decrevit orbem noſtrum inviſere, præcurres, præparaturus animos hominum ad tantæ ſalutis ſuſceptionem: ne ſi adventus ille mentes hominum oſcitantes & averſas offenderit, oblata ſalus vertatur in cumulum exitii.

77 *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, in remiſſionem peccatorum eorum:*

77 Efficies enim tuo baptiſmo, tuaque prædicatione, ut intelligant ſeſe peccatores, ut ſciant ſibi opus eſſe medico, ut cognoſcant jam adeſſe eum, qui ſolus omnium omnibus per fidem Euangelicam, largiturus ſit ſalutem æternam, videlicet gratuito condonatis peccatis noſtris, quæ mortem adferunt animi: & gratis collata nobis ſua juſtitia.

78 Id-

Digitized by Google

78 *Per viscera misericordiæ Dei nostri: in quibus visitavit nos oriens ex alto:*

78 Idque continget omnibus credentibus, nullis omnino meritis hominum, sed propter exuberantem Dei nostri misericordiam, qui quos condiderat, perire noluit. Ab omnipotente conditi sumus, à misericordissimo restituti. Perieramus, nisi ille pro sua genuina bonitate misertus esset nostri, nisi ille veluti Sol quidam cœlitus nobis exortus dispulisset tenebras ignorantiæ nostræ, profligasset peccatorum caliginem, ac frigida corda suæ caritatis accendisset igni.

79 *Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*

79 Jacebamus in tenebris, non poteramus ad illum oculos attollere. Ille se demisit ad nos, suisque radiis in animos nostros immissis, serenus ac salutifer illuxit nobis, qui prius in tenebris peccatorum, ac desperatione salutis, velut in umbra mortis sedebamus, idololatriis excæcati, mundanis cupiditatibus obtenebrati, currebamus ab impietate ad impietatem, palpitantes in densissima caligine, pro cœlestibus amplectentes terrena, pro veris umbras, pro spiritualibus carnalia, pro salutiferis pestifera. Et ecce in altissima nocte desperationis exortus est nobis ille Sol æternus, ut animi nostri pedes dirigat in viam Euangelicam, quæ est via pacis, quæ per fidem & caritatem humana divinis conciliat, dirimens inimicitiam, quæ erat inter Deum & homines: omnes orbis nationes in unius nominis, in unius fidei professionem conglutinans: denique sedatis tumultuosis affectibus unumquemque hominem concilians sibi. Hæc pius senex fatidico pectore promens, exemplo Prophetarum sic futura præcinebat, quasi jam essent peracta.

80 *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu: & erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israel.*

80 His tam miris rerum exordiis progressus probe respondebat. Puer enim prodigiose natus, quemadmodum per ætatem adolescebat corpore, ita per afflatum divini Numinis semper in majus proficiebat firmitate roboreque spiritus. Nec diu se continebat in parentum ædibus, sed ab ipsa statim pueritia subduxit se ab hominum frequentia, ne vel minimum labis contrahere posset ex vulgi commercio, qui fuerat in utero matris sanctificatus. Vinum & siceram nunquam biberat, nihil humanæ voluptatis, nihil honoris gustarat unquam. Neglectis omnibus humanis affectibus, inter feras victitabat locustis ac melle sylvestri: pilis camelorum vestiebatur, non holosericis: pellicea zona cingebatur. Erat illi perpetuum cum Deo colloquium. Talis nimirum vita decebat eum, qui prædicandæ pœnitentiæ destinatus erat. Et locus delectus congruebat prophetiæ, quæ vocat illum *vocem clamantis in deserto*. Hîc latitabat ad multos annos, hîc silebat, ut suo tempore majore cum auctoritate prodiret ac loqueretur. Non se ingessit ad munus præconis, sed quum Spiritus impulisset animum ipsius, ut suam lucem proferret, & ostenderet populo Israelitico quantus esset, tum magna cum auctoritate cœpit agere præcursorem.

CAP. II.

Bethlemica cuna: Pastores: Virgo piata: Anna: Simon: doctor pusio Christus erat.

1 *Factum est autem in diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.*

1 HABES admirabilem ortum præcursoris, nunc accipe mirabiliorem Jesu Christi, qui totius mundi unus Princeps futurus erat, & universas totius orbis nationes ad sui nominis professionem, non minis aut terroribus, sed beneficiis, salutiferaque doctrina provocaturus. Proinde divino consilio procuratum est, ut sub Augusto Cæsare, qui pleraque mundi regiones obtinebat, ac latissime rebus undique pacatis Romanorum imperium administrabat, censerentur omnes Provinciæ, quæ Romanum imperium agnoscebant, ut appareret, quanto latius pateret ditio Christi quam Cæsaris: quantoque placidius sit ejus regnum, qui nihil aufert, sed largitur etiam cœlestia, regno Cæsaris, qui quum non possit largiri cœlestia, tamen arripit terrena, & vi cogit

A ad professionem, quum cœlestis Imperator beneficiis alliciat. Qui Cæsari dant nomen, quid aliud quam servitutem profitentur, & rem familiarem comperiunt arctiorem? Qui novo huic Principi dant nomen, libertatem accipiunt cum donativo salutis æternæ. Denique Cæsar Octavius, quanquam esset omnium in rebus gerendis dexterrimus, tamen multas regiones non poterat armis subigere, quum noster dux sine vi, sine præsidiis hujus mundi, universum terrarum orbem, tot linguas, tot ritus, tot religiones, tot barbaras ac retrusas nationes in unam ecclesiam velut in unum regnum congregarit.

2 *Hæc descriptio prima, facta est à præside Syriæ Cyrino:*

2 Ad eam igitur professionem in Syria peragendam missus est ex auctoritate Cæsaris Augusti & Se- B natus consulto Quirinus, ejus Provinciæ Præses. Hic autem erat primus census, qui sub hoc Præside fuit actus in Syria. Nam sub eodem post acti sunt & alii.

3 *Et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem.*

3 Ad Cæsaris igitur edictum, quod Quirinus promulgarat, proficiscuntur omnes in suam quisque tribum ac civitatem, ut ex more profiterentur.

4 *Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de civitate Nazareth, in Iudæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem: eo quod esset de domo & familia David,*

4 Joseph autem sponsus virginis, quum esset tribus Judæ, cujus erat & conjux illius, habitabat tamen in civitatula Nazareth, quæ est in Galilæa: is igitur relicta domo profectus est in tribum suam, hoc est, Judæam, in civitatulam, quam exstruxit C Rex David, nomine Bethlehem, eo quod Joseph & virgo non solum pertinerent ad tribum Juda, verum etiam genus ducerent è progenie ac stirpe David, è cujus semine promissus fuerat Christus. Nihil autem horum fortuito contigit, sed omnia divino consilio procurata sunt, ut rerum exitus Prophetarum oraculis congruerent, quod tantæ rei gloriam inter duas civitates partiebantur, videlicet ut in Nazareth conciperetur, & educaretur Rex orbis: in Bethlehem juxta prophetiam nasceretur.

5 *Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.*

5 Huc igitur comitata est sponsum suum virgo Maria gravida, jamque vicina partui. Non detrectavit hoc laboris virgo prægnans, non fugitat oculos hominum sibi bene conscia, non fastidit obse- D quium mariti mox paritura Deum: non dedignatur haberi uxor fabri, quæ tota fuerat Deo dedicata.

6 *Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret.*

6 Hac igitur occasione quum dies aliquot commorarentur in civitate Nazareth, factum est ut evolutis legitimis mensibus, quo magis constaret verum hominem esse qui nasceretur, adesset tempus pariendi, oppidulum humile sibi delegerat, in quo tamen domum nullam habebat cœli terræque Dominus, parentes humiles: denique peregre nasci voluit, ut nos puderet nostræ superbiæ simul & avaritiæ, ac vel hujus exemplo disceremus, felicitatem hominis non esse metiendam istis vulgaribus bonis, quæ si nobis non subducuntur, nos illis subducimur, E sed æternis bonis æstimandam, & in illam patriam recondendos thesauros, quibus perpetuo simus fruituri. Etenim si veris judiciis æstimare velimus, plus erat sublimitatis, plus potentiæ, plus majestatis in hac humillima Christi nativitate, quam in omnibus omnium Cæsarum pompis ac triumphis.

7 *Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diversorio.*

7 In Bethlehem igitur, quæ dicitur *domus panis*, sacra Virguncula protulit nobis panem illum cœlestem, unde qui ederit, non moritur in æternum. Atque hic erat partus ille virginis unicus, cui nec anteceserat ullum exemplum, nec sequutum est. Matri erat unicus filius, nobis erat primogenitus, quos sibi spiritu junctos fratres reddidit, & hæreditatis æternæ consortes, ne solus veniret ad Patrem, F sed ipse veluti primogenitus multos fratres secum adduceret in societatem æternæ salutis. Editum infantulum mater non tradidit nutricibus, quas ob pietatem nolebat, ob paupertatem non habebat, sed ipsa fasciolis involvit. Et quoniam in publico diversorio propter hospitum frequentiam non erat alius recenti puerperæ locus, reclinavit puerum in præsepe. Aude superbe dives, qui latifundia latifundiis accu-

Digitized by Google

mulas, qui nusquam non substruis domos, prædia, palatia. Qui cœli terræque & Dominus est & opifex, cuique tu in baptismo nomen dedisti, peregre nascitur, nec habet locum in diversorio. Si Principem agnoscis tuum, in cujus verba jurasti, ne pigeat illius exemplum imitari, & pudeat te tuæ mentis.

8 Et pastores erant in regione eadem vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum.

8 Audi nunc quam tota hæc nativitatis humilitas plena sit magnificentiæ. Erat haud procul à Bethlehem turris Ader, hoc est, *gregis*, Hebraice dicta, quod illic ob agros compascuos esset pecoris copia. Turris autem meminit etiam prophetia Micheæ, quemadmodum & Bethlehem. Erant igitur in ea regione pastores, qui nocturnas excubias agebant pro gregibus suis: videlicet ipsa re docentes, quid exemplo Principis pastorum facere debeant Episcopi pro salute populi sibi concrediti. Et noctu natus est ille Sol justitiæ, discussurus mundi tenebras. Humilibus humilis, pastoribus pastor, primum innotescere maluit, quam Cæsaribus, Regibus, Præsidibus, Pharisæis, Scribis, Pontificibus.

9 Et ecce angelus Domini stetit juxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno.

9 Et ecce subito Gabriel Angelus è sublimi imminebat illorum verticibus, simulque nova quædam lux, quæ nec Solis esset, nec Lunæ, nec lucernæ, repente circumfulsit pastores. Hoc quum esset læti ominis, tamen ob insolitum ac subitum prodigium magno pavore correpti sunt pastores.

10 Et dixit illis Angelus: Nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo:

10 Sed Angelus timorem hunc mox adimit blando alloquio: Ponite, inquit, pavorem, nihil est quod formidetis, lætissimæ rei nuntius adsum, & hactenus inauditum gaudium adfero: non solum vobis, verum etiam toti populo Israelitico.

11 Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.

11 Jam olim promiserant vobis Servatorem Prophetarum oracula: jam olim exspectatus est Messias: is hac nocte natus est, & vobis omnibus natus est. Hic est Messias ille, Princeps ac Dominus omnium, Rex & idem Sacerdos unctus divinitus. Natus est autem juxta Prophetarum oracula, in civitate David, cui nomen Bethlehem, hac ipsa nocte.

12 Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio.

12 Ite & inquirite. Dabo signum quo possit agnosci. Adite diversorium, & invenietis infantulum obvolutum fasciis, ac reclinatum in præsepi.

13 Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum, & dicentium:

13 Hæc ubi prædicasset Gabriel, simul audita est ingens multitudo cœlestis militiæ, nimirum Angelorum, qui ministri sunt Domini fortis in prælio, quique pro nobis bellant adversus Principes hujus mundi. Hi modulatione quadam cœlesti & ineffabili canebant laudes Deo, prædicantes illius inenarrabilem erga genus humanum caritatem, & humano generi gratulantes, quibus favore Numinis tanta felicitas contigisset.

14 Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntas.

14 Hymnus autem, quem Angelicus ille chorus concinebat, hic erat: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas.* Nimirum hoc significat nobis Angelica cantio: nihil ex hoc negotio gloriæ deberi, nec Angelis, nec hominibus, sed universam gloriam deberi bonitati divinæ, quæ nobis, quos condidit, miro consilio prospicit è cœlo, ut intelligamus illinc nobis proficisci, quicquid magnificum aut salutiferum obtigerit: in terris nihil aliud optandum, quam pacem, quæ peccatis abolitis nos Deo conciliet, quæ nos mutua caritate conglutinet. Hæc est enim pax non mundi, sed Dei, quæ exsuperat omnem sensum, quæque præponderat universis mundi felicitatibus. Ea gratis per conciliatorem Dei & hominum offertur, non nostris intercedentibus meritis, sed ex propensa in nos beneficentia divina, cui visum est hac mirabili ratione consulere saluti generis humani.

15 Et factum est, ut discesserunt ab eis Angeli in cælum: pastores loquebantur ad

15 Hoc carmen natalitium ubi lætissimis vocibus præcinuissent pastoribus Angeli, sese receperunt in cœlum. His rebus ita gestis, consilium inter sese confert simplex turba pastorum, non dubitans de dictis Angelorum, sed plenius avens cognoscere quod audierant. Loquuti sunt igitur inter sese: Sequamur Angeli monita, proficiscamur hinc usque ad Bethlehem, ut quod auribus accepimus factum, coram oculis intueamur, quo pleniore fide prædicemus aliis, quod Dominus nobis per Angelos suos nuntiare dignatus est.

invicem: Transeamus usque Bethlehem, & videamus quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.

16 Placuit omnibus pium consilium. Pastores properant, exstimulabat animos pietas, perventum est Bethlehem, ventum in diversorium. Illic juxta promissum Angeli reperiunt Mariam puerperam, & Joseph virginei partus testem, nec non puerum fasciis obvinctum, ac repositum in præsepi.

16 Et venerunt festinantes: & invenerunt Mariam, & Joseph, & infantem positum in præsepio.

17 Nihil offendit pios pastores Virgunculæ tenuitas, nihil sponsus juxta mundum humilis, nihil puellus ob inopiam loci commodioris reclinatus in præsepi, quæ superbos Pharisæos ac Scribas alienassent: sed his omnibus magis confirmantur ad firmiorem credulitatem, posteaquam oculis testibus compererunt non esse vana, quæ nuntiarat Angelus. Habet autem & pietas in hominibus, quamlibet humilibus, suam prudentiam. Non enim protinus evulgarunt, quod audierant: sed ubi rem certam cognovissent, tum non veriti sunt, & apud alios quod audierant, prædicare. Ab hujusmodi præconibus primum amavit prædicari Christus, in quorum simplicitatem nulla cadebat vanitatis aut fuci suspicio. Non noverant aliquid ex se comminisci, nesciebant affingere visis: sed quod audierant ac viderant, ut audierant ac viderant, bona fide nuntiabant bonæ mentis hominibus.

17 Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.

18 Et invenit pastorum vox apud multos fidem, quæ multos excitavit ad cupiditatem videndi pueri.

18 Et omnes, qui audierunt, miserati sunt: & de his, quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.

19 Atque hîc mihi sanctæ Virgunculæ prudentem modestiam considera. Discit à pastoribus quid nuntiarit Angelus, quid cecinerit cœlestis militiæ chorus: ipsa sola tacet, hæc omnia, quæ prius, quæ nunc acciderant, conservans in animo, ac diligenti reputatione conferens in corde suo. Silet in suum tempus virginei conceptus mysterium: non jactat apud alios suam felicitatem. Ancillam promiserat opificio divino, ancillam exhibet: contemplatur tacita secum novam rationem divini consilii. Considerat omnia plena esse novis miraculis: videt ubique summam humilitatem cum summa sublimitate misceri. Infans in utero concipitur, sed Angelo internuntio, Spiritu Sancto opifice: puer nascitur, sed è virgine matre. Reclinatur in præsepe, sed Angeli gratulabundi canunt è cœlis. Latitat in obscuro loco, sed cœlum nati sublimitatem adorat.

19 Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.

20 His hunc in modum peractis, pastores repetunt gregem suum, glorificantes ac laudantes Deum super omnibus quæ audierant ab Angelis: & quod quemadmodum audierant comperissent.

20 Et reversi sunt pastores glorificantes & laudantes Deum, in omnibus quæ audierant & viderant sicut dictum est ad illos.

21 Cæterum posteaquam venisset dies à partu octavus, quo Lex Mosaica jubet infantem masculum circumcidi, amputata summa præputii pellicula (nam id primum ab Abraham profectum Deus voluit esse suæ gentis signaculum) satisfactum & hac in re Legi, quando non venerat soluturus Legem, sed impleturus. Nec dedignatus est, veluti peccatis parentum obnoxius, accipere remedium, qui solus ab omni peccati contagio immunis, ablaturus erat omnia peccata mundi, sibique novum populum acciturus, cui cor esset ab omnibus carnis cupiditatibus repurgatum: idque non cultris petrinis, sed gladio sermonis Euangelici per fidem omnia purgantis. Quin & nomen ex more inditum. Dictus est enim *Jesus*, quod Hebræis sonat *Servatorem*. Non hoc fortuito, aut humana voluntate inditum est puero, sed auctoritate divina per Gabrielem fuerat datum, antequam in utero virginis conciperetur, ut vel ex ipso statim vocabulo mortales admonerentur hunc esse, qui veram salutem conferret omnibus, ac verum Josue ducem referens, suos ab omni vitiorum inquinamento purgatos, perduceret in terram cœlestem, æternis gaudiis affluentem. Hactenus typis qui-

21 Et postquam consummati sunt dies octo ut circumciderentur puer: vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo prius quam in utero conciperetur.

Digitized by Google

quibuſdam præluſum eſt Euangelio, primum populo Judæorum prædicando. Quinto à circumciſione die adſunt Magi tres, Stellæ indicio procul exciti ad viſendum puerum. Adorarunt novum orbis Principem, ac myſticis donariis honorarunt, quadam rerum imagine ſignificantes, gentes amplexuras Euangelii gratiam, ab homicidis Judæis repudiatam.

22 Et poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus ſecundum legem Moyſi, tulerunt illum in Ieruſalem, ut ſiſterent eum Domino,

[22] Rurſus quum adeſſet dies à partu quadrageſimus, quo Lex jubet maſculinum fœtum primogenitum exhiberi Domino, proque purgatione puerperæ ſimul & pueri nati, quod vulgaris mulierum partus non abſque ſordibus corporis conſtet, offerri munus: nec hic modeſtiſſima Virguncula refugit ſpeciem vulgarium puerperarum, quum in hoc partu nihil eſſet inquinatum, nihil non cœleſti puritate ſanctimoniaque plenum. Quid enim haberet impuri puerpera, quæ citra virilem attactum, ex amplexu virtutis cœleſtis per officium * Spiritus Sancti conceperat? An vero quicquam ſordidum poterat eſſe in fœtu, qui cœlitus natus, in hoc venerat, ut ſolus omne genus hominum purgaret à cunctis vitiorum ſordibus? Sed his tam inſignibus modeſtiæ exemplis Deus humanam ſuperbiam frangere voluit: ſimulque conveniebat, ut qui venerat utrumque parietem, hoc eſt, Judæorum ac gentium populum in eandem Euangelii profeſſionem compacturus, per omnia ſatisfaceret Legi Moſaicæ, unde prima fides & auctoritas erat Euangelio profectura. Mater igitur ac Joſeph, qui certo Dei conſilio pater adhuc credebatur Jeſu, infantem ſuum adduxerunt Hieroſolymam, ut in Templo exhiberetur in conſpectu Domini, cui dicatus erat & conſecratus: non quod non omnia ſint Domini, ſed ut myſtico typo doceremur, eos demum animos eſſe Domino gratiſſimos, qui maſculo ſpiritus robore, devictis carnis velut effœminatæ cupiditatibus, graſſantur ad ea, quæ cœleſtia ſunt & æterna.

23 Sicut ſcriptum eſt in lege Domini: Quia omne maſculinum adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocabitur.

[23] Hoc innuens Lex Moſaica, præſcripſerat ut omne maſculinum, ſimulatque vulva matris adaperta prodiret in lucem, haberetur Domino ſacrum, ſive natum eſſet ex hominibus, ſive ex brutis animalibus, ut hinc quoque primitiæ cederent Sacerdotibus: ſic tamen, ut hominis primogenitum à Sacerdotibus redimeretur, niſi puer eſſet tribus Leviticæ. Atqui Lex ipſa palam liberat hanc ſacram puerperam ab obligatione ſua, quum ait in libro Levitico: *Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum.* Siquidem hæc nec mulier erat, quæ virum neſciebat, nec ſemine ſuſcepto aliunde pepererat. Rurſum quum ait: *Omne maſculinum primum adaperiens vulvam:* ſatis indicat, ſe de vulgari matrum partu ſentire, quæ prius fracto per virum virginitatis ſignaculo, non ſine ſordibus, nec ſine pudore pariunt. Hic autem fœtus cœleſtis, nec ingrediens nec egrediens virginalis uteri clauſtra violavit, ſed conſecravit potius, & conſignavit, ne in poſterum etiam vel corporis ipſius veluti Templum ſemel Deo dedicatum, vel animus, myrothecium Sancti Spiritus, ullis humanis inquinamentis pateret. Exhibitus eſt igitur veluti Legi obnoxius in Templo, qui Dominus erat omnium cœleſtium ac terreſtrium.

24 Et ut darent hoſtiam ſecundum quod dictum eſt in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

[24] Redemtus eſt exiguo pretio, qui ſui ſanguinis pretio redemturus erat univerſum mundum. Lex enim præſcripſerat, ut parentes primogenitum maſculum redimerent agno anniculo, qui dabatur in holocauſtum: deinde adderetur columbus aut turtur pro expiatione peccati, ſi quid labis in coitu, aut poſt eſſet contractum. Debet enim undequaque purum eſſe, quod Domino ſit offerendum. Quod ſi rei familiaris anguſtia non patiebatur dari agnum, agni vice dabatur turtur aut pullus columbæ pro redemtione pueri. Altera avis offerebatur pro expiatione peccati. Obtulerunt igitur pauperum munus: non dubium eſt, quin uberius fuerint largituri, niſi tenuitas obſtetiſſet: aderat pietate dives animus, ſed ad exemplum nobis parandum utilior erat profeſſio paupertatis. Atque hæc omnia divini conſilii diſpenſatione ſic peracta ſunt, quum multis aliis de cauſis, tum ob hanc præcipue, ut tot argumentis declararetur in puero veritas humanæ naturæ. Utero tumenti conſpecta eſt in diverſorio, mox enixæ ſubſedit corporis tumor: infantem recens natum comperere paſtores, adoravere Magi, circumciſus eſt ſolenni ritu. Rurſus idem in Templum delatus eſt, ac palam exhibitus Sacerdotibus. His rebus factum eſt, ut nec de partu quiſquam poſſit dubitare, & paulatim pluribus innoteſceret, ſed potiſſimum humilibus ac piis duntaxat. Conveniebat enim ut nec paucis nec vulgaribus argumentis confirmaretur, quod creditum omnibus ſeculis eſſet allaturum ſalutem æternam: non creditum, mortem æternam. Angelus nuntiat, teſtis adhibetur ſponſus Joſeph: Elizabeth ſterilis parit, mutus Zacharias loquitur: uterque Spiritu prophetico corripitur. Exſultat Joannes in utero matris: virgo generat: hoſpites Magi accurrunt & adorant, paſtores prædicant. Tot argumentis, tot prodigiis, commendata eſt recens pueri nativitas.

25 Et ecce homo erat in Ieruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte juſtus, & timoratus, exſpectans conſolationem Iſrael, & Spiritus ſanctus erat in eo.

[25] Nunc ne non ab omni ſexu, omnique ætate, omni ſtatu & profeſſione ferret teſtimonium, neque quiſquam omnino relinqueretur, qui ſibi ab hoc non promitteret ſalutem. Erat id temporis Hieroſolymæ vir quidam nomine Simeon, ſenecta jam frigidus, ſed ſpiritu fervens: effœto corpore, ſed animo vegeto: ætate marcidus, ſed vitæ innocentia floridus, nimirum vere juſtus, vereque pius ac religioſus: non venans exemplo Phariſæorum gloriam ac quæſtum ab hominibus, ſed publicæ ſalutis avidus: quem nulla voluptas in hac vita remorabatur, niſi ut videret oculis ſuis eum, quem in hoc Prophetarum oracula promiſerant venturum, ut conſolaretur Iſraeliticum populum, multis modis afflictum.

26 Et erat ſponſum acceperat à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini.

[26] Is, ut erat vir bonus, afflatu Sancti Spiritus cognoverat eum diem jam adeſſe. Quumque votis ardentiſſimis rogaſſet Dominum, ut ſibi contingeret vel ſemel oculis corporalibus intueri tot jam ſeculis exſpectatum Meſſiam, reſponſum acceperat in adyto pii pectoris à Spiritu Sancto, fore ut non emigraret ex hac vita, niſi prius oculis corporeis vidiſſet, quem oculis fidei jam pridem proſpexerat, ut teſtari poſſet veniſſe, quem venturum non dubitabat, felicem illum puerum, quem videlicet Deus unxerat ſupra mortales omnes, ut æterno regno, nec unquam abrogando Sacerdotio potiretur.

27 Et venit in ſpiritu in templum. Et cum inducerent puerum Ieſum parentes ejus, ut facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo:

[27] Quum igitur futurum eſſet, ut puer Jeſus adferretur in Templum, quemadmodum diximus, beatus ille ſenex ſubmonitus afflatu Spiritus, ſub ipſum tempus venit in Templum. Quumque Maria mater & Joſeph, qui tum adhuc credebatur pueri pater, infantem deferrent in Templum, ut peragerent, quæ ad ſolennes ritus purificationis pertinebant:

28 Et ipſe accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit:

[28] Poſteaquam Sacerdos oblatum puerum amplexus eſſet, eique benedixiſſet, non ſe continuit pietas ſenilis, quin ipſe quoque deſideratum infantulum complecteretur ulnis ſuis: ſimulque erupit mox defectura vox in laudem Dei, veluti cygneam quandam cantionem promens, ac dixit:

29 Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace.

[29] Satisfactum eſt, Domine, votis meis. Nunc lubens ac lætus moriar, quia dimittis ſervum tuum animo requieto placidoque: neque quicquam præterea deſiderantem in hac vita, ſed cupidum etiam ex hoc ſenili corpuſculo demigrandi ad felix conſortium piorum hominum, qui diem hunc exſpectarant: nec videre contigit, niſi ſpiritualibus oculis fidei.

30 Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum,

[30,31] Meis votis abundantius ſatisfactum eſt, cui corporeis etiam oculis videre contigit, cui datum eſt ulnis ſenilibus amplecti Filium tuum unicum, per quem tibi viſum eſt veram ſalutem conferre, non ſolum Iſraelitico populo, verum etiam univerſis mundi

31 Quod parasti ante faciem omnium populorum;

* Alia Editio, *opificium.*

Digitized by Google

di nationibus. Agnoſco in humili corpuſculo virtutem tuam.

32 Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.

32 Agnoſco hunc eſſe lucem mundi, Prophetarum oraculis promiſſam: hunc eſſe Solem, quem exoriri voluiſti, ut diſpelleret tenebras omnium gentium, & haberet populus tuus Iſrael de quo merito glorietur; populus, inquam, vere tuus, non juxta carnem tantum, unde prodiit ſalutis exordium, ſed juxta ſpiritualem cognationem, quæ fide Euangelica conciliatur. Iſrael enim eſt, quiſquis in hanc lucem pios intenderit oculos, ac fidei violentia irruperit in regnum cœlorum. Antehac populus Judæorum gloriatus eſt de Abraham, Iſaac, & Jacob: gloriatus eſt de Moſe, de Templo, de Prophetis. Poſthac ſpiritualis Iſrael, qui per totum orbem diffuſus eſt, gloriabitur de tuo Filio, quem poſt omnes, ut omnibus majorem, mittere dignatus es. Nunc quidem latitat paucis agnitus, ſed poſt emicabit illius lux, ſuis radiis cunctas mundi plagas illuſtraturi.

33 Et erat pater ejus & mater mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo.

33 Porro mater infantis & Joſeph videntes, hæc afflatu divini Spiritus à ſene dici, conferentes interim cum his quæ præceſſerant, taciti ſecum admirabantur, quid ſibi vellet ſenis oratio.

34 Et benedixit illis Simeon: & dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicetur.

34 Cæterum ubi puero benedixiſſet, ſimul & parentibus bene precatus eſſet Simeon, verſus ad Mariam, dixit: Filius hic tuus, quanquam in hoc datus eſt à Deo, ut ſalutem conferat omnibus, tamen hominum vitio fiet, ut quemadmodum multos Dei donum amplectentes, erecturus eſt ad ſpem ſalutis æternæ, ita multi gentis Iſraeliticæ, reſpuentes obviam Dei beneficentiam, dejiciantur in exitium æternum: veritate per hunc prodita, cadent qui prius ſtare videbantur, exſurgent qui videbantur jacere. Ab omnibus Iſraelitis exſpectatus eſt, ſed non ab omnibus recipietur. Proponetur enim omnibus veluti ſignum, quale nunquam propoſitum fuit ab initio mundi, ſed obnoxium multorum contradictioni. Obſtrepent illi Phariſæi, Scribæ & Pontifices.

35 Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

35 Reclamabunt increduli & hæretici: tantuſque tumultus concitabitur undique, ut ne tu quidem ſis à malorum conſortio futura immunis. Nam non ad eos tantum perveniet eorum crudelitas, qui crediderint filio tuo, verum etiam tuam ipſius animam penetrabit doloris gladius. Tale ſignum viſum eſt Deo proferre ſub oculos omnium, ut clara veritatis luce prolata, retegerentur cogitationes hominum, quæ latebant in corde: ac verſis rerum vicibus, res ipſa declararet eos abfuiſſe procul à vera juſtitia, qui apud homines videbantur arcem tenere juſtitiæ: deprehenderentur impii, qui ſibi vindicarant doctrinam pietatis. Contra, qui prius habebantur alieni à religione, declararentur multo fuiſſe propiores veræ religioni: qui videbantur eſſe rejecti ac deplorati, hos ſimplex credulitas primos admitteret in regnum cœlorum. Scribæ & Phariſæi ſemper Meſſiam habent in ore, Legem habent in ore, juſtitiam habent in ore, frequentes verſantur in Templo, orant prolixe, jejunant crebro, latis phylacteriis inſignes obambulant, ſed longe aliud celant in corde, quam præ ſe ferunt ſpecie. Horum ſubdolas & impias cogitationes arguet exorta lux Euangelicæ veritatis. Publicani, meretrices, & peccatores ab his religionis hypocritis ſubmoventur à ſacris, ſed hos omnium primos Deus recipiet in regnum cœlorum. Gentes idololatriæ deditæ, ſubito mutata vita, ſtudiis avidis amplectentur doctrinam veræ pietatis: Phariſæi & Pontifices, penes quos erat Legis & religionis faſtigium, Legis auctorem inſectabuntur, & veræ religioni pertinaciſſimis ſtudiis adverſabuntur. Nox certum judicium non habet, ac frequenter pro rebus umbras & inania rerum ſimulachra objicit oculis. Sol exortus diſcutit omnes præſtigias, ac ſuam cuique faciem, ſuum cuique colorem reddit. Hæc pius ille ſenex, afflato Numine pectore gaudens * depromſit.

* Additur *ac geſtiens* in alia Editione.

36 Jam acceperat Dominus Jeſus teſtimonium ab Angelis, à virgine, à ſponſo caſto, à ſacerdote Zacharia, ab infante nondum nato Joanne, ab Elizabeth nupta, à paſtoribus, à Magis, à Scribis ex prophetia pronuntiantibus, ubi Chriſtus eſſet naſciturus: ab Herode ſibi metuente, à Simeone, qui nec Sacerdos erat nec Levites, ſed nihil aliud quam juſtus: reſtabat ut à vidua quoque ferret teſtimonium. Tanta vis erat infantis nondum exſerentis juſtas vires, ut omnia corriperet divino Spiritu: afflans humiles, ſuperbos perturbans ac territans, ut ex his rerum præludiis non difficile colligi poſſet, quæ foret rerum mutatio futura, quum jam adultus vocem illam cœleſtem palam depromeret, quum miraculis inclareſceret, quum moreretur ac reſurgeret, quum Spiritum Sanctum affatim è cœlis in omnes credentes effunderet. Ergo ſeni cœlibi ſuccedit anus vidua. Erat enim Anna quædam ex re nomen habens, nimirum à gratia, (quippe Spiritu prophetico prædita) filia Phanuelis, viri laudati de tribu Aſer, quæ inter duodecim tribus octava, tacito quodam typo deſignat reſurrectionis beatitudinem, quam Judæorum ſabbatiſmo adjecit Euangelica doctrina. Nam *Aſer* Hebræis *beatum* ſonat. Hæc cum eſſet admodum provectæ ætatis, non in aliud videbatur dilata, niſi ut quod ardentiſſimis optarat votis, anus videret promiſſum infantem, qui ſalutem eſſet allaturus populo Iſraelitico. Suggeſſerat enim hoc illi Spiritus Sanctus, jam eſſe natum. Et ejuſdem Spiritus admonitu, quo fuerat afflatus Simeon, ſupervenit, quum hæc, quæ narravimus, agerentur in Templo. Hæc quum nondum eſſet apud Judæos glorioſa virginitas, vixerat cum marito ſeptem annos à virginitate ſua. Datum eſt hoc temporis marito & ſoboli.

36 Et erat Anna prophetiſſa, filia Phanuel, de tribu Aſer: hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua.

37 Cæterum quod reliquum erat vitæ, pietati conſecratum eſt. Perſeveravit enim in viduitate annos circiter octoginta quatuor. Semel experta conjugium, quamvis eſſet adhuc ætate vigenti, non cogitavit de repetendo matrimonio, ſed veluti mundo mortua, ac Deo jam dicata, non diſcedebat à Templo, victimis Euangelicis illi ſacrificans aſſidue, non interdiu ſolum, verum etiam noctu ſe totam immolans Domino hoſtiam vivam ac rationalem & acceptam. Nam corpus immolabat crebris jejuniis, animum piis votis & obſecrationibus † offerebat.

37 Et hæc vidua uſque ad annos octoginta quatuor: quæ non diſcedebat de templo, jejuniis & obſecrationibus ſerviens nocte ac die.

38 Dum igitur purificationis ritus peraguntur in Templo, dum vaticinatur Simeon, dum ſacris gratulationibus redundant omnia, commodum & hæc ſupervenit, ut & ipſa teſtis eſſet nati pueri, ſuique pectoris affectus cum aliorum gaudiis conjungeret, laudibus efferens divinam benignitatem, quæ reſpexiſſet populum ſuum. Nec tacuit apud alios, quod oculis viderat, quod afflatu didicerat, ſed de puero loquebatur omnibus, qui Hieroſolymis exſpectabant redemtionem Iſraeliticæ gentis. Satis erat hoc viduæ, tantum in Templo prædicare, veniſſe Chriſtum, & pacis * avidis hoc indicare. Nondum enim venerat hoc tempus, quod ſervatum erat Apoſtolis cœleſti plenis Spiritu, de quibus dictum eſt: *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

38 Et hæc, ipſa hora ſupervenions, confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael.

39 Cunctis tandem rite peractis, quæ ad purificationem præſcripſerat Lex, reverſi ſunt Nazareth, ubi conceptus erat puer. Cæterum quum Herodes Rex, à Magis admonitus natum eſſe novum Regem Iſraeliticæ gentis, juſſiſſet interfici omnes infantes, qui intra biennium nati fuiſſent in Bethleem, atque in toto ejus oppidi territorio: Joſeph admonitus ab Angelo per ſomnum, puerperam ac puerum abduxit in Ægyptum, atque illic commorati ſunt uſque ad mortem impii Regis. Eo facto, rurſus Angeli admonitu reverſi ſunt, non in Bethleem, ne daretur occaſio ſæviendi Herodis filio, qui patri ſucceſſerat in regni partem, ſed in Galilæam in civitatem Nazareth,

39 Et ut perfecerunt omnia ſecundum legem Domini, reverſi ſunt in Galilæam in civitatem ſuam Nazareth.

† Alia Editio, *obſervationibus*. * Eadem, *paucis*.

Digitized by Google

zareth, ubi conceptus fuerat infans. Volebat enim ad tempus latere. Et illic habitus facile fallere poterat crudelitatem eorum, qui novi Regis exortum metuebant. Atque hactenus cœleſtis ille Princeps noſter, qui ſeſe noſtra cauſa uſque ad faſcias, cunas, vagitus, & imbecillam corporis infantiam dejecerat, alienæ vocis teſtimonio prædicatus eſt.

40 Puer autem crescebat, & confortabatur, plenus sapientia: & gratia Dei erat in illo.

40 Cæterum paulatim accreſcens ætas augebat corporis modum, ac vires, in quo velut in domicilio relucebat indoles quædam admirabilis, aliquid præ ſe ferens homine majus. Augeſcebat & ſpiritus robur, in dies magis ac magis ſeſe exſerentis *cultu, inceſſu, ſermone, factis, in quibus nihil erat, quod non ſpiraret modeſtiam, caſtitatem, ſuavitatem, pietatem. Non enim erat obnoxius his vitiis, quibus ætas illa ſolet laborare, ineptia, laſcivia, inconſtantia, ſtultitia: ſed cœleſtis ſapientia, qua repletus erat, non exſpectatis annis, jam tum ſeſe proferebat, ſic, ut qui prius alieno teſtimonio fuerat commendatus, nunc raris dotibus ſuis redderetur omnibus & admirabilis & amabilis. Sapientia, ſanctitas, integritas, maturitas, quantam in nullo ſene reperias, reddebat eum omnibus admirabilem. Porro morum ſuavitas, comitas, modeſtia reddebat illum omnibus amabilem. Non erat favor vulgaris, aut temporarius, quem ſibi nonnunquam ætas illa dotibus humanis colligit, puta formæ gratia, aut alioqui præcoci docilitate: ſed effulſit in eo divina quædam & admirabilis gratia, pertrahens omnes in amorem virtutis.

41 Et ibant parentes ejus per omnes annos in Ieruſalem, in die ſolemni Paſcha.

41 Quamquam autem Nazareth longius abeſſet ab Hieroſolymis, tamen religioſi parentes Jeſu quotannis eo ſe conferebant, idque ad diem feſtum Paſchæ: qui dies apud Judæos religioſiſſime colebatur, atque is erat, quo deſtinatus erat immolari ſuo tempore agnus ille omnis maculæ neſcius. Porro puer ſub matris ac nutricii ductu jam tum ad noſtrum exemplum aſſueſcebat religioni, parentes omnes admonens officii ſui, quos oportet ex ſeſe prognatos ſtatim & ab ipſis, ut ajunt, incunabulis arcere ab omni laſcivia, ſed ſanctis moribus, veræque pietatis ſtudiis aſſuefacere, dum adhuc tenera eſt ætas, dum adhuc molle & ad omnem virtutis inſtitutionem ſequax ingenium. Non egebat puer Jeſus alieno magiſterio, ſed parentibus aliis caſtæ educationis paratum eſt exemplum, & omnibus liberis oſtenſa forma eſt, quomodo ſeſe debeant præbere morigeros parentibus, ad ea, quæ ſancta ſunt, hortantibus.

42 Et cum factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis Ieroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti,

42 Porro quum jam accedentibus annis firmior eſſet pueritia ad ephebiam accedens, annos nato duodecim, ac parentes ex more adiſſent Hieroſolymam ad diem Paſchæ comite puero, perfectis quæ ad religionem ejus feſti pertinebant, peractiſque diebus, quibus rei divinæ dabatur opera, matre & Joſeph domum reverſis, puer Jeſus remanſit Hieroſolymæ, jam tum velut prægeſtiens ad Patris ſui mandata peragenda, ob quæ miſſus erat in mundum.

43 Conſummatiſque diebus, cum rediret, remanſit puer Jeſus in Ieruſalem, & non cognoverunt parentes ejus.

43 Ea res latebat parentes. Verum ubi non rediret Jeſus Nazareth, vulgari parentum ſollicitudine demirati ſunt quid accidiſſet.

44 Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos.

44 Suſpicabantur autem eum in æqualium & cognatorum comitatu hæſiſſe, & ob hoc venire ſerius. Proinde remenſi ſunt viam ad iter ferme diei unius, quærentes eum inter notos & cognatos, inter quos ſolet ætas illa nonnunquam libenter ceſſare, videlicet remorante illos propinquorum affectu.

45 Et non inventes, regreſſi ſunt in Ieruſalem, requirentes eum.

45 Verum hic non eſt inventus Jeſus, qui jam tum docuit eſſe renuntiandum parentum & cognatorum affectibus ei, qui velit cœleſtis doctrinæ profeſſionem ſuſcipere. Hic igitur fruſtrata ſpe, quum magis etiam parentum animos ſollicitudo diſcruciaret, reverſi ſunt Hieroſolymam, ſuſpicantes fieri potuiſſe, ut illic apud amicum aut notum aliquem hæſiſſet.

* Alia Editio, *vultu*.

46 Quum autem & hic inter notos & cognatos fruſtra quæſitus eſſet puer, poſt triduum accidit, ut præter ſpem parentes invenirent illum in Templo, non otioſum, aut luſitantem, ſed ſedentem in medio doctorum, quos puer viciſſim & audiebat docentes, & interrogabat, ac viciſſim ab illis interrogatus reſpondebat, non quod illi neceſſitas fuerit ſciſcitari ab hominibus, quod diſceret, ſed ut prudenter interrogando doceret eos, qui Legis ſcientiam profitebantur, quum Legis vim ignorarent: ſimul nos interim ad diſcendi ſtudium accendens, docenſque nullam ætatem eſſe præproperam ad diſcendum ea, quæ faciunt ad pietatem. Sunt enim artes, quibus diſcendis non quævis ætas ſit idonea, ſola pietas ſtatim diſcenda, nec hujus ſtudium unquam eſt remittendum, uſque ad extremum vitæ diem, ſemper enim eſt quo proficias quoad vixeris.

46 Et factum eſt, poſt triduum invenerunt illum in templo, ſedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.

47 Jeſus autem quanquam ignotus eſſet doctoribus, & circumſtanti populo, tamen omnes vertit in admirationem ſui, quod tantillus puer dictis ac reſponſis ſuis admirabilem quandam & plus quam ſenilem ſapientiam declararet. Videbant ætatem corporis imbecillem, & immaturam ſapientiæ, & audiebant puerum ſingulari modeſtia ea promentem, quæ doctores provectæ ætatis, quique jam ſapientiæ faſtigium tenere videbantur, non pigeret diſcere. Et tamen interim aberat faſtus, aberat procacitas, aberat jactantia, quæ vitia pueris adeſſe ſolent præcocis ingenii. Interrogabat veluti diſcendi cupidus, interrogatus modeſtiſſime ſimul & prudentiſſime reſpondebat. Atque ita docebat citra ſpeciem arrogantiæ. His rebus factum eſt, ut & doctores, quibus cum diſputabat, & ii, qui circumſtabant, teſtes ejus diſputationis, vehementer obſtupeſcerent, non ſolum ob inauditam pueri ſapientiam, quam interrogans ac reſpondens declarabat, verum etiam ob raram vultus ac geſtus, linguæque modeſtiam, quæ gratiam addebant intelligentiæ. Nec hoc interim omnino vacat utili myſterio, quod qui non potuit inveniri inter notos & cognatos ſecundum carnem, Hieroſolymis in Templo repertus eſt. Siquidem illa civitas, religionis opinione celebris, gerebat imaginem vel Eccleſiæ militantis in terris, vel triumphantis in cœlis. Hæc eſt enim patria noſtra, ad quam ſuſpiramus, intelligentes quod hîc verſamur in exſilio, non habentes permanentem civitatem. Ubicunque igitur res agitur humanis affectibus, ubicunque ſtudetur his rebus, quæ pereunt cum hoc mundo, ibi nec Hieruſalem eſt, quæ vox Hebræis ſonat *viſionem pacis*, nec Templum Domino ſacrum. Proinde nec ibi quærendus eſt Jeſus, qui totus cœleſtis eſt. Verum ubicunque pectus eſt, neglectis his quæ ſunt carnis & ſanguinis, anhelans ad felicem illam tranquillitatem animi, quam hîc per fidem Euangelicam præſtat Dei benignitas, in cœleſti Hieroſolyma perficit: ibi Hieruſalem eſt, ibi Templum eſt, quo delectatur Jeſus. Ibi viciſſim proponitur ac reſpondetur, non de quadratura circuli, non de prima materia aut primo mobili, quæ citra diſpendium ſalutis neſciuntur: ſed de cognitione ſacrarum Literarum, per quas Deus nobis viam oſtendit, qua poſſimus æternam aſſequi ſalutem. Ibi mactantur victimæ gratiſſimæ Deo, libido, livor, ira, ambitio, avaritia: ibi piis votis ac puris precibus accenditur ſuffitus Domino gratiſſimus. Curandum eſt igitur unicuique, ut Hieruſalem habeat in pectore, ut ibi templum paret dignum Sancto Spiritu, quo Jeſum mereatur habere hoſpitem.

47 Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſponſis ejus.

48 Et ecce dum his rudimentis puer ille mirabilis præludit ad peragendum cœleſte negotium reſtituendæ ſalutis humanæ, cujus gratia deſcenderat è cœlo, ſuperveniunt pater & mater, quibus nondum ad plenum erat cognitum divini conſilii myſterium. Reſederat in illis adhuc aliquid affectus humani, quanquam pia ſollicitudine quæſierant puerum. Ta-

48 Et videntes admirati ſunt. Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.

cet Joseph, qui sibi conscius erat, se nihil habere juris in partum sponsæ suæ, mater pro auctoritate sua expostulat: *Fili*, inquit, *cur ad istum modum tractas nos?* Cur te clam subduxisti à nobis? *Ecce pater tuus & ego jam dies aliquot anxii te quæsivimus*, omnia metuentes tibi, quæ parentum pietas solet amatis liberis metuere.

49 *Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse?*

49 Ad hunc Mariæ sermonem, à pio quidem affectu profectum, sed humano, ob quem non oportebat interpellari rem divinam, quæ tum agebatur, Jesus subdure respondit: non quod indignaretur parentibus, sed ut offenderet, in Euangelico negotio, ad quod missus erat à Patre cœlesti, non oportere locum esse cuiquam auctoritati humanæ. Habet parentum auctoritas limites suos, cui renuntiandum est, quoties agitur negotium salutis æternæ. Par est enim ut humana cedant divinis: & prior sit ratio Dei, cui debemus & corpus & animam, & à cujus benignitate exspectamus hæreditatem vitæ immortalis, quam horum à quibus juxta carnem progeniti sumus, & educati, successuri in portionem aliquam facultatum terrenarum. Debemus & his sane plurimum, sed longe plus debemus Deo, cui debemus & ipsos parentes. Sic & post parum blande respondit matri, quum in nuptiis interpellaret de vino, ac materna quadam auctoritate miraculum exigeret, quod non nisi in gloriam Patris erat promendum. Sic durius etiam respondit iis, qui ipsum à concione Euangelica, matris & cognatorum verbis, evocarant. His igitur matri expostulanti respondit hunc in modum: Quid erat causæ, cur me tam anxie solliciti quæreretis? An non veniebat vobis in mentem, quod in negotio Patris mei oportet me esse, quoties ille vocat ad munus delegatum?

50 *Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos.*

50 Hæc oratio Jesu quid sibi vellet, non satis intellectum est à parentibus. Præ se ferebat enim quiddam homine majus, præsertim in ætate tam tenera. Quanquam autem ex his quæ præcesserant, nihil vulgare aut mediocre exspectarent à puero, nondum tamen ad plenum intelligebant sublimitatem divinæ virtutis, nondum cognoverant quam admirabili consilio decrevisset Deus per Filium suum redimere genus humanum. Audiunt nomen patris, quem sciebant non habere patrem in terris: audiunt negotium patris, de quo nihil adhuc illis meminerat. Obticescunt tamen parentes, & reverentur sermonem non intellectum.

51 *Et descendit cum eis, & venit Nazareth: & erat subditus illis. Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo.*

51 Hoc videns Jesus, demisit se, morigerumque præbuit matri, & Joseph nutritio suo, non quod illis in Euangelii negotio deberet obedientiam, sed ex sua bonitate obsequutus est ad tempus illorum imbecillitati: simulque pueris omnibus formam & exemplum exhibuit, quanto studio, quantaque reverentia debeant obsequi parentibus suis, quum puer Jesus, qui nulli debebat obsequium nisi Patri cœlesti, sic obtemperarit simulato patri, ac matri, quæ ipsum citra violati pudoris injuriam genuerat. Ita visum est Domino Jesu, sic omnia dicta factaque sua temperare, ut nunc divinæ virtutis suæ veluti scintillas quasdam promeret, nunc rursus ad humanam humilitatem se demitteret. Nimirum illud nobis expediebat, ut omnibus modis persuasum esset generi mortalium, divinæ simul & humanæ naturæ veritatem in uno conjunctam esse. Ad amorem conciliandum faciebat naturæ communis societas. Vehementius ac felicius amamus cognata & familiaria, juxta vetus etiam proverbium, quo dicunt, simile semper adjungi simili. Cæterum Deo tutius fidimus, qui quum mentiri nesciat, nihilque non possit, in dubium vocari non potest, quin præstaturus sit quicquid pollicetur. Ac nascitur quidem amor ex cognatione generis. Cæterum ab his initiis proficit ad amorem rerum sublimiorum. Quemadmodum enim hominum vulgus, primum è forma conspecta corporis inardescit ad benevolentiam, mox ubi ex convictu colloquioque perspectæ fuerint dotes animi formosioris, in formoso corpore latentis, verius ac flagrantius incipiunt amare quod non vident, quam id quod vident. Sic nobis humanæ naturæ consortium velut illecebra fuit ad concipiendum amorem erga Dominum Jesum, sed hinc ad amorem divinæ virtutis proficimus. Sive igitur demittit sese ad nostram imbecillitatem, sive sustollit sese ad suam sublimitatem, nostræ salutis negotium agit. Relinquit igitur Jesus Templum ac Hierosolymam, ac morem gerens parentibus, reversus est Nazareth. Erubescant pueri & adolescentes, qui negligunt monita parentum ad honesta vocantium, quum Jesus ad tempus reliquerit Patris negotium, ne quam præberet speciem filii immorigeri. Erubescant idiotæ rebelles adversus Episcopos suos, videlicet patres spirituales, quum Jesus major obsecundaret minoribus, Deus hominibus. Mater autem vicissim obsecundavit filio suo, sentiens in eo promicare vim quandam divinam, ac prudentis suæ modestiæ memor, nihil adhuc effutiebat muliebri loquacitate, nec pronuntiabat de his, quæ mirabatur potius quam assequebatur: sed quicquid ab initio acciderat circa puerum, quicquid ab ipso diceretur, fieretve, simul collectum recondebat in pectore suo, ex admirandis initiis, rerum exitus conjectans: nec quicquam sinebat inobservatum, quo post majore cum fide narraret omnia discipulis, per orbem universum Jesu vitam prædicaturis.

52 *Et Jesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.*

52 Interea Jesus adhuc paucis notus, versabatur in civitatula Nazareth, veluti sub imperio parentum vivens, donec veniret tempus à Patre præfinitum, quo se miraculis ac prædicatione mundo proferret: nos interim admonens exemplo suo, ne quis ad Euangelicum munus temere & importune semet ingerat, prius quam ætatis accessu, moribus inculpatis, doctrina sacra, cœlestique vocatione docendi sibi colligat auctoritatem. Jesus enim usque ad annum ferme trigesimum nihil admodum insigne gessit, nisi quod supra modum humanum, quemadmodum proficiebat corporis statura, viribus, ætatis accessu: ita uberius in eo se promebat cœlestis illa sapientia, reliquæque dotes divinæ, quibus ut erat commendatissimus Deo, ita quotidie magis ac magis commendabatur hominibus, videlicet dissimilis Scribis ac Pharisæis, qui falsa specie sanctimoniæ sapientiæque se commendabant oculis hominum, quum in oculis Dei scaterent omni spurcitie vitiorum. Neque solum hoc conducebat ad salutem humani generis, novo & inaudito consilio redimendi, verum etiam ad institutionem vitæ nostræ, ut Jesus divinas dotes suas, quibus erat plenus, paulatim & gradibus quibusdam proferret in notitiam hominum, videlicet ut nos doceret, à primis illis justitiæ rudimentis, quam oportet ab ipsa statim infantia imbibere, perpetuo progressu conniti ad perfectiora. Quemadmodum enim corpus habet auctus suos usque ad justum staturæ modum, justasque vires, ab infantia proficiens ad adolescentiam, ab adolescentia ad juventutem, à juventute ad ætatem virilem: ita habet & pietas suos accessus, donec adolescamus ad perfectam firmitatem plenitudinis Christi. Grandescit enim Christus in nobis & adolescit, quum nos à fidei rudimentis ad reconditiorem divinæ Scripturæ sapientiam proficimus, quum relicto lacte carnis solidum appetimus cibum spiritus: quum relicta littera insipida sitimus sensum mysticum: quum neglectis terrenis evolamus ad cœlestia. Præposterum est enim corpus juxta naturæ cursum semper in melius proficere, & animam nostra socordia semper ad deteriora relabi. Nam id vulgo fieri videmus. Adolescentes ab infantiæ puritate degenerant ad lasciviam: juventus rursum ad lites & pugnas proficit: virilis ætas ad ambitionem & avaritiam. Itaque fit, ut quo quisque propius ac-

Digitized by Google

acceſſerit ad ætatem, hoc longius recedat ab innocentia. Cæterum qui ſemel induerunt Jeſum Chriſtum, hos oportet ad illius exemplum ſemper ad meliora conniti, quo ſimul & animi puritate ſeſe commendent oculis Dei, & vitæ ſinceritate famam honeſtam ſibi parent apud homines.

CAP. III.

Clamor: Baptiſmus: præcepta: catena Johannis: Viſa columba: Patris vox ſonat: ordo patrum.

1 Anno autem quintodecimo imperii Tiberii Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Iturææ, & Trachonitidis regionis, & Lyſania Abilinæ tetrarcha.

1 HABES, optime Theophile, quibus initiis præluſerit Joannes præcurſor ac Dominus Jeſus ad Euangelicæ prædicationis officium. Nunc accipe qua ratione, quoque ſucceſſu rem aggreſſi ſint, ut intelligas nihil omnino geſtum fuiſſe fortuito, aut humana prudentia, ſed omnia divina providentia novis rationibus ſuum negotium temperante. Jam enim aderat tempus, ut prodito regno cœleſti, deceſſeret regnum terrenum: prodito ſpirituali Sacerdotio, evaneſceret Sacerdotium umbraticum, quo ſe ad id uſque temporis jactarant Judæi. Jam obierat diem ſuum Cæſar Auguſtus, ad cujus edictum facta fuerat deſcriptio totius orbis, ſub quo natus eſt Jeſus Chriſtus. Jam deceſſerat impius Herodes, qui infantem quæſierat ad necem: & hujus filius Archelaus ob mores nimium paternos in exſilium relegatus erat. Auguſto ſucceſſerat Tiberius Cæſar. Is quum annum jam decimum quintum rerum ſumma potiretur, Pontius Pilatus Romanus Præſes erat Judææ. Herodes autem Archelai frater ex deſignatione Cæſaris Galilæam ſortitus eſt. Philippus eam Syriæ partem adminiſtrandam ſuſceperat, quæ Ituræa dicitur ac Trachonitis, nimirum ab aſperitate montium: hæc enim à Libano & montibus Idumææ porrigitur ad plagam occidentalem Syriæ. Porro Lyſaniæ ceſſerat ea quæ dicitur Abilena, nomen ſortita ab Abila præcipua ejus regionis civitate: cui poſtea Lyſanias nomen vertit Lyſanion. Nam Auguſtus, quo regni ejus vires frangeret, in quatuor tratres diduxerat, Herodem, Philippum, Antipatrum, Lyſaniam, qui ob hoc Tetrarchæ dicti ſunt, nomine Regis abolito. Et hoc indicium erat regni Judaici mox perituri, juxta vaticinium. Sanctiſſimam vero Judææ partem, in qua Hieroſolyma & Templum, & ex qua prognatus eſt Dominus omnium, Pilatus Romanus adminiſtrabat, re ipſa deſignans gentes in regnum cœlorum, ab Judæis rejectum, irrupturas.

2 Sub principibus ſacerdotum Anna & Caipha: factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem, Zachariæ filium, in deſerto.

2 Similiter & Sacerdotium, veluti mox ceſſaturum, vagum erat ac mercenarium, cujus principatus tum erat penes duos inſigniter impios, Annam & Cajapham. Ad hunc modum rebus apud Judæos diſſectis ac turbatis exortum eſt regnum cœlorum ac novum Sacerdotium, cujus præco delectus erat Joannes Zachariæ filius.

3 Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum,

3 Is quum hactenus latitaſſet inter feras, & in deſertis exegiſſet vitam inauditæ auſteritatis, opertus camelorum pilis, cinctus zona pellicea, melle ſylveſtri victitans & locuſtis, vinum ac ſiceram ne attingens quidem, ut idoneus eſſe poſſet prædicator pœnitentiæ: ac prius vita doceret quam ſermone: ac vacaret omni crimine, qui magna libertate reprehenderet aliorum peccata, afflatus & admonitus Spiritu divino, prodiit è latebris eremi, ſeſeque contulit non in Templum, qui locus datus erat Chriſto, ſed in omnem eam regionem, quæ finitima eſt fluvio Jordani, quo paratior eſſet baptizandis aquæ copia. Prædicabat autem inſtare regnum cœlorum, adhortans ut ſeſe venturæ ſaluti pœnitentia vitæ prioris præpararent, & aquæ baptiſmo, quem ipſe veluti præcurſor dabat, ſeſe redderent idoneos baptiſmo Spiritus, quem daturus eſſet cujus adventus imminebat.

4 Sicut ſcriptum eſt in Libro ſermonum Iſaiæ prophetæ: Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini: rectas facite ſemitas ejus:

4 Hæc tum agebantur afflatu divini Spiritus, qui jam olim hoc per os Eſaiæ Prophetæ futurum prædixerat. Sic enim loquitur de Joannis prædicatione: Vox clamantis in deſerto, adventat Dominus, præparate vias illius, ac rectas facite ſemitas ejus, ne offenſus pravitate morum veſtrorum reſiliat à vobis. Venit ad omnes, occurrendum eſt ab omnibus.

5 Omnis vallis implebitur: & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt prava in directa, & aſpera in vias planas:

5 Æquanda ſunt omnia. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis deprimetur. Qui ſublimes erant apud homines opinione juſtitiæ aut ſapientiæ, deponent ſupercilium, ut capaces ſint juſtitiæ ac ſapientiæ divinæ: qui velut idiotæ ac peccatores contemti jacebant apud homines, ſubito per obedientiam Euangelicam erigentur ad conſortium regni cœlorum: quæque prius diſtorta pravaque fuerant, ad regulam Euangelicam repente exæquabuntur: quæque vitiorum ac malarum cupiditatum ſentibus aſpera, vertentur in vias leves ac planas. Tales enim mentes amat Dominus, per quas obambulet. Adeo rerum vices ad hujus adventum invertentur. Qui deſperabant, erigentur in ſpem: qui ſibi fidebant, irreparabiliter rejicientur. Qui prius habebantur ſapientes, fient ſtulti: qui ſtulti, cœleſti ſapientia donabuntur. Qui prius idololatræ, fient cultores Dei vivi: qui cultores Dei videbantur, reperientur fuiſſe idololatræ. Qui prius iracundi, placidi fient & benefici: qui prius ſerviebant libidini, nunc amplectentur caſtimoniam. Qui prius rapiebant aliena, nunc ſua largientur. Huic igitur rerum novatori præparate vos.

6 Et videbit omnis caro ſalutare Dei.

6 Mox aderit Dominus, & videbunt eum non ſolum Judæi, verum etiam omnes totius orbis nationes, cernent oculis fidei communem ſalutis auctorem, per quem Deus gratuitam felicitatem offert omnibus, qui pia credulitate, qui correctione vitæ prioris venientem exceperint.

7 Dicebat ergo ad turbas quæ exibant ut baptizarentur ab ipſo: Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira?

7 Hæc tot retro ſeculis de Joanne vaticinatus fuerat Eſaias, & vaticinio per omnia reſpondit eventus. Siquidem ad Joannis prædicationem ingens hominum turba, relictis ædibus, ac re ipſa loquens, relinquendos affectus domeſticos ei qui adſpiret ad ſalutem, confluebat ad ripam Jordanis, ut ab eo tingerentur aqua, non quod Joannes remitteret peccata, ſed quod his præludiis animos hominum futuræ ſaluti præpararet. Siquidem magna ſanitatis pars eſt, morbum agnoſcere: & vicinior eſt ſaluti, qui capax eſt remedii. Quoniam autem primus ad reſipiſcentiam gradus à timore Dei naſcitur, ut primum à juſto vindice timeatur ſupplicium, deinde beneficii liberalitas ametur: magna libertate clamabat Joannes adverſus elatos Phariſæos & Scribas, qui hactenus impiorum parentum veſtigiis inhæſerant, falſa juſtitiæ perſuaſione turgidi, veræ religionis hoſtes, ob hoc ipſum ſpernentes cæteros homines, ſibique placentes, quod juxta carnem genus ducerent ex Abraham: quaſi Deus homines æſtimaret ex genere, ac non magis ex animi virtutibus: Progenies, inquit, viperarum, nocentiſſimorum parentum nocentiſſimi filii, unde ſenſiſtis imminere vindictam Dei, niſi mature reſipuiſſetis? Quis vos ſubmonuit, ut fugeretis ab inſtante ſevera Dei ultione, quæ nulli nec ætati, nec genti, nec conditioni parcet? Quemadmodum remedium offertur omnibus, qui ſe præbent ſanandos, ita pœna manet omnes abſque diſcrimine, qui nolunt à priſtinis moribus reſipiſcere. Quin huc attraxit vos caritas erga Deum, quo nunc pertrahit metus ſupplicii?

8 Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.

8 Nondum mutata mens eſt. Proinde ſi vere vos pœnitet ſuperioris vitæ, ſumite mores alios, & factis ipſis declarate vos eſſe correctos. Hactenus ut ſylveſtres arbores, produxiſtis malorum operum acerbos & exitiales fructus, ſuperbiam, iracundiam, avaritiam, invidiam, hypocriſim, contentionem. Nunc, ſi vere converſi eſtis in bonas arbores, edite fructus bonos, teſtes mutati in diverſum

Digitized by Google

animi. Nihil opus est mutare vestem, aut cibi genus, mutandæ sunt pravæ cupiditates animorum. Hæc est radix arboris, quæ si succum habet amarum ac pestiferum, nascuntur in ramis mali fructus: sin contra radix succum suavem ac salutarem suffundat, in ramis nascuntur illi Deo digni fructus spiritus: pro odio caritas, pro amarulentia gaudium, pro discordia pax, pro ferocia tolerantia, pro rapacitate beneficentia, pro impudicitia castitas, pro fraudulentia simplicitas, pro arrogantia modestia, pro superstitione pietas. Hæc declarant veros ac germanos Judæos, hæc vere circumcisos, ac filios Abrahæ. His sacrificiis delectatur Deus. Nunc lux instat, facessant umbræ: adest veritas, cedat simulatio: ponite vanam fiduciam, quam vobis hactenus præbuerunt figuræ rerum spiritualium, Hierosolyma civitas sancta, Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini, pecudum laniena, lavacra corporis, sabbatismi, neomeniæ, delectus ciborum, lata phylacteria, tristia jejunia, cæteræque observationes, quas vel Lex ad tempus præscripsit signa rerum animi, vel Pharisæi commenti sunt ad inanem sanctimoniæ speciem; hæc omnia simul cum ipsa circumcisione cessabunt. Judæus erit posthac, quisquis confitebitur & agnoscet hunc qui mox venturus est: circumcisus erit, quisquis habet animum fide purgatum à pravis cupiditatibus. Proinde ne vobis veniat in mentem: nos sumus filii Abrahæ, nobis promissa est hæreditas salutis, non deseret Dominus populum suum. Imo quemadmodum vobis ad meliora respicientibus nihil officiet majorum impietas, ita nihil profuerit Abrahæ progenitoris sanctitas, si vos perstiteritis in pristina malitia.

9 Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

9 Rejiciemini, abdicabimini, funditus peribitis, nisi prorsus mutati, fructus attuleritis Euangelio dignos. Nec deerunt Abrahæ posteri, nec deerit Deo suus populus, à quo colatur, cui promissam hæreditatem præstet, etiamsi vos desciscatis ab eo. Hoc enim confirmo vobis: Deus potest vel de his lapidibus suscitare filios amico suo Abrahæ, cui promisit posteritatem parem arenæ maris ac stellis cœli. Posthac non cognatione sanguinis, sed æmulatione fidei æstimabuntur filii Abrahæ. Agnoscet Abraham pro filiis etiam Sogdianos, Gothos ac Scythas, Messiam amplectentes, vos nisi credideritis habebit pro alienigenis. Hactenus toleravit vos Deus, utcunque Legis fructum afferentes, victimas, vota, jejunia, lotiones, otia, escarum discrimina, amputatam pelliculam. Hæc in superficie duntaxat speciem habebant religionis. Hæc folia sunt arboris, exsecrabilia Deo, nisi adsint fructus spiritus. Nunc autem ex veris animi bonis aut malis æstimabitur unusquisque. Adest exactius Dei judicium, adest ille qui perspicit & intimos cordium sinus. Jam enim securis admota est ad radicem arboris, diu toleratæ: succidetur à stirpe populus Abrahæ, & inserentur gentes Abraham credulitate referentes. Non est auditus Moses, non sunt auditi Prophetæ, quorum plerosque etiam interfeciſtis, obsurduistis ad vocem Legis. Nunc adest quo nemo major mitti potest, & post quem non alius exspectandus est. Imminet toti genti Israeliticæ exitium, nisi mature receperitis vos ad meliorem frugem. Omnis enim arbor, quæ nunc non produxerit fructum fidei bonum, exciditur, & in ignem conjicitur. Nihil medium est, nulla mora est: aut vera pietate properandum est ad æternam salutem, aut ni id fiat, irreparabiliter ac funditus pereundum.

10 Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus?

10 Hac Joannis oratione, tam sæva minacique, territa promiscua Judæorum multitudo, dixit: Si sic res habet, quid igitur censes nobis faciendum, quo possimus iram divinam effugere, & salutem assequi? Jam sanabiles esse cœperant, qui morbum agnoscunt & remedium expetunt.

11 Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.

11 Ostendit igitur Joannes remedium ubique efficax. Non enim vocat eos ad victimas pecudum, aliasque Judaicas expiationes, sed ad opera caritatis. Nulla victima citius placatur Deus, quam beneficentia in proximum. Deus nostro beneficio non eget, sed sibi patitur imputari quicquid in proximum egentem ipsius respectu fuerit collatum. Qui habet, inquit, duas tunicas, altera vestiat fratrem nudum. Et qui habet cibum qui duobus sufficiat, impartiat dimidium esurienti. His duobus exemplis Joannes crasse docuit populum, efficacissimam esse rationem placandi Deum offensum, si modis omnibus beneficii simus in proximum cujuscunque rei inopia laborantem, sive vestis, sive cibi, sive potus, sive hospitii, sive subsidii, sive solatii, sive doctrinæ, sive exhortationis. Nec solum de his, quæ nobis supersunt, sublevanda est præsens fratris necessitas, sed commodis etiam usibus aliquid decidendum, quoties opem præsentem flagitat proximi necessitas. Hoc igitur remedium omnibus commune datum est promiscuæ multitudini.

12 Venerunt autem & publicani ut baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus?

12 Venerunt & publicani, territi Joannis prædicatione, genus alioqui deditum rapinis, & ex publicis incommodis sua comparans commoda, religionis negligens, ac magis obsequens jussis Principum, quam præceptis Dei. Qui quum apud omnes nationes vulgo male audiant, apud Judæos peculiariter habebantur abominabiles, & tamen tantum terroris incusserat omnibus Joannis severa prædicatio, ut hi quoque venirent ad Joannem, flagitantes baptismum, ac discere cupientes, quo pacto placare possent divinam iram.

13 At ille dixit ad eos: Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, facietis.

13 Joannes autem verus præcursor illius, qui nullum, quamlibet magnis peccatis inquinatum, rejecturus erat, etiam publicanis leniter ac placide respondet: Si nondum potestis vestra largiri, certe sit ille primus gradus ad meliorem vitam, ut abstineatis à rapiendis alienis. Habetis salarium à Cæsare, præscriptum est quid debeatis exigere à populo: Ne quid extorqueatis in vestrum lucrum ultra id quod præscriptum est.

14 Interrogabant autem eum & milites, dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti estote stipendiis vestris.

14 Post publicanos veniunt & milites, violentum & impium hominum genus, legum negligens, ad vim præceps, venalem habens animam, rapto gaudens, licentia ferox & insolens. Et hos cœperat ultionis divinæ terror, veniunt ad Joannem, agnoscunt malitiam suam, expetunt baptismum, rogant quibus modis possint placatiorem habere Deum. Nimirum magnus in hoc hominum genere profectus erat, suum agnoscere morbum, ac vitæ melioris desiderio tangi. Nec ab his igitur Joannes audet beneficentiam in proximum exigere, satis magnum primi profectus gradum esse ducens, si temperarent à malefaciendo. Solet autem hoc hominum genus tribus potissimum modis esse noxium, violentia, calumnia, & rapinis. Frequenter enim arma, quæ Princeps dedit ad defensionem publicæ tranquillitatis adversus hostes, vertunt in ipsos cives, & quibus publica salus defendi debuerat, his ulciscuntur iram privatam. Prædantur itaque frequenter, incendunt, abigunt, vi constuprant fœminas, perrumpunt fores, exigunt ac pulsant hospitem. Id quoniam plerunque faciunt impune, credunt licere. Rursus alii falso deferunt apud Principes aut duces, innoxios, quo pars facultatum confiscatarum ad ipsos redeat, calumniæ pretium. Ad quæ facinora connivent nonnunquam Principes, dum suis militibus gratificari student. Plerique dum, quod à Principe nomine salarii datur, scortis, alea, temulentiaque prodigunt, rapto furtisque rei jacturam sarciunt, & non solum non resolvunt quod debent, sed ultro extorquent ab agricolis quod non debetur, ac sibi quidvis licere credunt belli nomine: quum bellum habeat & suas leges, non omnino damnandum, si justa de causa suscipiatur, hoc est, si pro defensione publicæ tranquillitatis, si sic ut vitari non possit, si per pios Prin-

Digitized by Google

Principes, si cum assensu eorum, quorum interest bellum suscipi, si legitimis ritibus indictum, si justis ac moderatis rationibus geratur, hoc est, quam minima sanguinis humani profusione, si quam minima jactura eorum, qui bello causam non dederunt, si per duces coerceatur militum temeritas, si non conserantur manus, nisi per milites juratos, si non nisi jussu ducum dato congrediendi signo, si mox abstineatur à pugna simulatque receptui cecinerint tubæ, si cum primum licuerit, bellum finiatur. Huic igitur hominum generi Joannes ostendit quid facere soleant, & quid posthac vitare debeant, si velint effugere vindictam Dei. Ne quem, inquit, concutiatis, ne quem falso deferatis lucri causa, sed estote contenti stipendiis vestris.

15 Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus:

15 Hæc autem tanta cum auctoritate gesta sunt à Joanne, ut populus apud se suspicari cœperit ipsum esse Messiam. Idque plerique tacitis cogitationibus versabant in corde suo, licet ipse Joannes ob eximiam animi modestiam dissimularet magnitudinem suam. Hæc est enim vulgi levitas, ut his quos admiratur, plus tribuat quam par est: quos odit, in his omnia calumnietur. Sed hoc populi studium declaravit absolutam sanctissimi viri modestiam, qui adeo non sibi vindicarit alienæ laudis usuram, ut ultro delatam fortiter rejecerit: & in hoc profecit error multitudinis, ut Christi paucis adhuc noti dignitas, gravi publicoque testimonio comprobaretur.

16 Respondit Ioannes, dicens omnibus: Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni:

16 Simulatque per afflatum Sancti Spiritus intellexisset tacitas populi cogitationes, loquutus est in hunc modum: Vos me æstimatis ex rebus visibilibus, ex cibo, vestitu & baptismo, sed longe sunt efficaciora quæ non videntur. Quemadmodum in homine multo præstantior vis est animi, qui non videtur, quam corporis, quod oculis conspicitur. Ego quanquam aqua baptizo vos, tamen non remitto peccata, sed præparo vos efficaciori baptismo, quem accipietis ab eo, cujus adventum vobis prædico, tempore quidem major, ac prædicationis ordine prior, sed potentia longe inferior. Is enim qui me sequitur, tanto me præstantior est, ut ego, quem magnum aliquid esse creditis, indignus sim qui solvam corrigiam calceamentorum ejus. Famulus illius sum non collega, præcursor sum, sed ut lucifer præcedit Solem, mox obscurandus majore lumine. Et hoc ipsum quod habeo, ex illius habeo benignitate. Mea doctrina diluta est, si ad illius doctrinam conferatur: meus baptismus inefficax est, si cum illius baptismo componatur: siquidem ille cœlestis docebit cœlestia, ego terrenus terrena loquor & humilia. Ego corpus aqua tingo, ille vestros animos tinget Spiritu Sancto & igni. Quanto est spiritus aqua penetrantior, quanto est ignis efficacior aqua, tanto potentior erit illius baptismus meo.

17 Cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

17 Hactenus latuit quinam veri cultores essent pietatis. Facile est ablui aqua, facile mactare victimam, facile non vesci carne suilla. Nunc ea profertur doctrina, ea instant tempora, ut latere non queant qui vere boni sint, qui secus. Veniet enim ille facturus quod toties minatus est in Prophetis, exacto judicio discrimen editurus inter pios & impios. Habebit enim ventilabrum in manu sua. Nam tradita est huic omnis potestas in cœlo & in terra. Hoc inevitabili ventilabro purgabit aream suam, ventilans omnes, & examinans crucis & afflictionum vento. Qui fuerint paleæ, specie religionis nitidæ, cæterum intus inanes à vera religione, dissilient quocunque feret illos humana cupiditas. Cæterum qui fuerint triticum, solidam ac veram pietatem intus habentes, non dissipabuntur vento, sed discussis paleis declarabunt immobile robur animi. Ea tempestas non reddet impios, sed patefaciet, quid fuerint, etiam quum non viderentur: veluti lux orta non efficit cæcos aut deformes, sed indicat qui fuerint deformes aut cæci. Euangelica veritas lux est, hanc non ferent, qui falsa specie sanctimoniæ se prius venditabant, quum apud Deum essent impii. Amplectentur, qui quum haberentur abjecti juxta mundum, tamen affectum pietatis habebant in pectore. Qui ad auditum cœlestis doctrinæ vigorem, ad maleficium ac cædem provocabuntur, non tum primum fient impii, sed quales ante fuerint, data occasione, patefiet. Siquidem occasio, non facit impios, sed prodit. Qui proposita jactura bonorum, qui ostenso crucis ac mortis periculo desciscet à veritatis professione, non tum primum incipiet impius esse, sed qualis antea fuerit, declarabit. Non statim quisquis aqua tinctus fuerit perdurabit in hac examinatione, sed qui Spiritum cœlestem hauserit, qui caritatis invictæ ignem conceperit, is nulla malorum procella commovebitur, sed magis purgatior redditur ac firmior, quemadmodum ventilatione spiritus purgatur triticum, & ignis vi purgatur aurum. Ad hanc igitur rigidam exactamque discussionem se quisque præparet, nihil fidens generis nobilitati, nihil majorum sanctimoniæ, nihil carnalibus Mosaicæ Legis ceremoniis, sed solidioribus præsidiis animum muniens. Magni referet, qualis quisque reperiatur. Æterna salus, & æternum exitium discernet solidos & inanes, germanos Israelitas, & nothos. Triticum enim purgatum recondet in horreum vitæ cœlestis, paleas autem exuret igni nunquam exstinguendo. Proferetur hîc aliqua ex parte judicium, sed post hanc vitam pœna æterna infligitur impiis.

18 Multa quidem & alia exhortans euangelizabat populo.

18 His aliisque compluribus sermonibus Joannes exhortabatur populum ad pœnitentiam vitæ prioris, & ad desiderium mox venturi Messiæ, periculo territans, præmiis excitans, ac læto nuntio salutis populares animos ad pietatis Euangelicæ studium expergefaciens. Atque hanc loquendi libertatem, ob insignem viri sanctimoniam tulit turba promiscua, tulerunt publicani, tulerunt & milites, reprehensi morbum suum agnoverunt, territi quæsiere remedium.

19 Herodes autem tetrarcha, cum corriperetur ab illo de Herodiade uxore fratris sui, & de omnibus malis quæ fecit Herodes,

19 Verum non tulit Herodes, animo regio sibi licere volens quicquid liberet. Amabat tamen Joannem, perspiciebat ac probabat raram vitæ integritatem, atque in multis obtemperabat hominis consilio. Cæterum in eo, in quo potissimum oportebat auscultare dictis illius, non solum non obtemperavit, verum etiam bene monentem conjecit in carcerem, & ab exitio revocantem dedit exitio. Hujusmodi sunt plerunque Principum animi, quos Euangelica sapientia non vindicavit ab imperio turpium cupiditatum. Imperant aliis, qui ipsi serviunt violentis affectibus suis: & hoc ipso se Reges esse putant, quod impune mancipia sunt turpitudinis. Adsciscunt nonnunquam ad se viros vitæ sanctimonia spectatos, cum his colloquuntur nonnunquam, ex horum consilio faciunt nonnulla: non quod illis cordi sit vera pietas, sed ut hoc fuco sibi concilient opinionem integritatis, & invidiam malefactorum leniant: veluti quum expilant populum, quum impia bella movent, quum sæviunt in eos qui Reipublicæ bene volunt, videantur & hæc ex probatissimorum virorum consilio facere. Sic Herodes pilis camelorum, quibus vestiebatur Joannes, sic zona pellicea, qua cingebatur, sic tenui victu, sic totius vitæ innocentia, sic auctoritate qua valebat apud populum, ad suam abutebatur tyrannidem. Unde & post, vulpem illum appellat Dominus Jesus. Hæc est enim astutia Principum hujus mundi; ad quos si quando continget Euangelicos viros adsciscí, aut fugiendus erit illorum convictus, apud quos citius corrumpendi sint ipsi, quam eos ad meliora flexuri: aut animos suos præparent ad tale præmium non dissimulatæ veritatis, quale contigit Joanni. Quum enim Herodes, non degenerans à moribus paternis & avitis, multa patraret impie tyrannicèque, populum expilans, libertatem opprimens,

mens, in aliis puniens quod ipſe committeret, venales habens magiſtratus, venale Sacerdotium, ac palam domi habens Herodiadem, uxorem Philippi fratris, quam ille vivo præripuerat, una cum filia Philippi, vir ſanctus non ferens tam inceſtas nuptias in domo Regia, unde conveniebat exemplum ſervandarum legum potiſſimum proficiſci, admonuit eum, ut abſtineret à tam impio flagitio.

20 Adjecit & hoc ſuper omnia, & incluſit Ioannem in carcere.

20 Sed apud impium Regem plus habuit momenti puellæ ſaltatricis impia poſtulatio, & impiæ mulieris ſuggeſtus, quam tam incorrupti viri ſalutaris admonitio, qua tantum abfuit ut emendaretur, ut ſuperioribus flagitiis facinus adjecerit omnium impiiſſimum, Joannem conjiciens in vincula, eo demum progreſſus veſaniæ, ut amputatum innocentiſſimi viri caput obſcenæ ſaltationis præmium daret puellæ.

21 Factum eſt autem cum baptizaretur omnis populus, & Ieſu batizato, & orante, apertum eſt cælum:

21 Sed ut ad hiſtoriæ ſeriem revertar, prius quam Dominus Jeſus aggrederetur prædicandi negotium, quod intra breve tempus erat abſoluturus, ut omnes numeros modeſtiæ juſtitiæque impleret, non dedignatus eſt venire cum cæteris ad baptiſmum, haud ille quidem purificandus, ſed nobis æternæ ſalutis lavacrum ſuo baptiſmo conſecraturus. Dejecit ipſe ſeſe, ſed Joannis voce, ac Patris æterni clariſſimo teſtimonio commendatus eſt palam omnibus, ut de facie quoque cognoſcerent eum, de quo vaticinati fuerant Prophetæ, de quo teſtificatus fuerat Joannes. Quum igitur baptizaretur ingens numerus promiſcuæ multitudinis, & inter hos velut unus è multis adveniens Jeſus Chriſtus à Joanne velut peccatis obnoxius, baptiſmum flagitaſſet, recuſavit Joannes, agnoſcens *excellentiam in illo puritatis, à quo debuerat ipſe potius baptizari. Hoc primum ab Joanne teſtimonium, Jeſu præſentis dignitati redditum eſt apud multitudinem, ſed evidentiore ſigno Pater diſcrevit Filium ſuum à cæteris qui baptizabantur. Cæteris enim baptizatis nullum ſignum apparuit. Verum ubi baptizatus eſt Dominus Jeſus, jamque deprecaretur: nos interim erudiens, ut reſtituta per baptiſmum innocentia, protinus vertamus nos ad ea ſtudia, quæ ſunt ſpiritus, inter quæ primum locum habet deprecatio: apertum eſt cœlum, quod hactenus clauſum, baptiſmus illius nobis patefecit.

22 Et deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum: & vox de cælo facta eſt: Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi.

22 Atque inde deſcendit Spiritus Sanctus, per ſe quidem inviſibilis, ſed tum circumdatus viſibili ſpecie, quo conſpicuus eſſet oculis hominum. Species autem erat columbæ, quod hæc avis, innocentiæ ſymbolum, olim ramum olivæ detulerat in arcam, iræ divinæ placatæ ſignum, ac finiendi diluvii pignus. Porro diluvium illud, quo tum purgatus eſt mundus, typum habebat noſtri baptiſmi, quo ſalvis corporibus & animabus demerguntur peccata. Hac igitur ſpecie Spiritus Sanctus deſcendit in ſanctum verticem Domini Jeſu, palam deſignans illum eſſe, quem Pater affatim omnibus cœleſtibus dotibus unxiſſet, quas in omnes ſibi fidentes, ac per baptiſmum in corporis ſui conſortium inſitos, eſſet effuſurus. Acceſſit huic paternæ vocis evidens teſtimonium, non jam per Prophetas, non per Moſen, non per Angelos proditum, ſed ab ipſo Patre publicatum. Non quod Pater, ut eſt, vel audiri poſſit, vel conſpici, vel ullo corporis ſenſu percipi: ſed quemadmodum Spiritus inviſibilis, viſibili ſigno ſeſe patefecit oculis hominum, ita Pater edita per elementa ſuperna voce, perculit aures hominum. Vox autem è ſublimi his verbis intonuit: *Tu es Filius meus unice carus, in quo ipſe mihi complaceo.* Nulli veterum ſanctorum tale præbitum eſt teſtimonium. Columba præcedens deſignabat, ad quem vox iſta pertineret: ne quis ſuſpicari poſſet, Joannem hoc elogio fuiſſe laudatum, de quo plerique tam magnifice ſentiebant, ut eum crederent eſſe Meſſiam. Tot teſtimoniis Chriſtus orbi commendatus eſſe voluit, prius quam ad Euangelii prædicandi negotium accingeretur: nos interim admonens ſuo exemplo, ne quis ſeſe tanto muneri repente & illotis pedibus ingerat. Privatim teſtimonium acceperat ab Angelis, ab Elizabeth, à Simeone, ab Anna, à Magis, publice ab Joanne, cujus erat graviſſima apud Judæos auctoritas: à Spiritu Sancto, ab ipſo Patre.

23 His omnibus adjuncta eſt ætatis auctoritas. Quum enim veniret ad baptiſmum Dominus Jeſus, accedebat ad annum trigeſimum: non quod ætas æſtimetur apud Deum, ſed quod conveniret, ut is qui pertracturus eſſet omnes ad ſe, ſatisfaceret omnibus per omnia, neque quicquam eſſet in eo, quod quiſquam probabiliter poſſet calumniari. Proinde ætas matura delecta eſt & exſpectata, quod adoleſcentiæ deſit auctoritas propter publicam opinionem imperitiæ: ſenectus minus habeat ponderis ob vires ingenii defectas ac ſuſpicionem delirationis. Quoniam vero & generis vitium apud vulgus multum abrogat auctoritatis, curatum eſt & hoc, ut Jeſus tam diu crederetur eſſe filius Joſeph, donec miraculis ac prædicatione ſatis inclaruiſſet Euangelium. Erat hoc dignitatis Chriſti, ut de virgine naſceretur, ſed quoniam id non referebat ſtatim innoteſcere, & perſuaſu fuiſſet difficillimum, abuſus eſt errore populari, ne qua res interim imminueret auctoritatem prædicantis, ſi probabiliter dictus fuiſſet ex adulterio natus. Voluit ex humili domo prodire, ſed quam nulla famæ labes adſperſiſſet. Siquidem Euangelico doctori vitanda eſt non ſolum culpa, ſed omnis culpæ ſpecies, & commendatus eſſe debet non modo ſuis virtutibus, verum etiam ab his rebus alienus, è quibus vulgus concipere ſolet mali ſuſpicionem. Siquidem hæc eſt communis hominum opinio, vix unquam è malis parentibus naſci bonos liberos. Ergo qui paupertatis probrum, qui domus humilitatem non refugit, vitavit ætatis & generis calumniam. Quanquam autem Joſeph non fuerit pater Jeſu juxta naturam, ſed ſecundum legem tantum, quia ſponſus erat matris, tamen quoniam ex eadem tribu domoque duxerat uxorem, ab hoc viſum eſt Domini recenſere genealogiam, quo magis conſtet illum vere fuiſſe hominem, juxta corpus prognatum ex his, è quibus Prophetarum vaticinia prædixerant illum naſciturum. Nam juxta naturam ſublimiorem, Pater ipſe cœleſtis agnovit ac profeſſus eſt Filium ſuum. Joſeph igitur conjux Mariæ virginis, quæ genuit Jeſum, juxta Legem dicebatur filius Heli patrui, juxta veritatem propagationis filius Jacob, qui fratri ſuo uterino, quod abſque liberis deceſſerat, ex uxore relicta ſuſcitavit filium Joſeph.

24, 25 Heli filius erat Mathat, hic rurſum patrem habebat Levi. Levi natus erat ex Melchi, quem genuerat Jannes filius Matathiæ, cui pater fuerat Amos. Hunc progenuit Naum, filius Helſi, prognati ex parente Naggæ.

26 Is prodierat ex Maath, filio Matathiæ. Hic ſatus erat ex Semei, filio Joſeph, progenito ex Juda.

27, 28 Judas patrem habuit Joannan, filium Rheſi prognati ex Zorobabel. Hujus pater erat Salathiel, prognatus ipſe ex Neri, filio Melchi, qui genus duxerat ex Addi, filio Coſam, progeniti ex Helmadam.

29 Is genus ducebat ex Her filio Jeſo prognati ex Eleazar filio Joram.

30 Hunc genuerat Mattha, ipſe natus ex Levi, filio Simeonis prognati ex Juda, filio Joſeph: hunc progenuerat Jonam, ipſe filius Heliachim, filii Meleam.

31 Is prognatus erat ex Mathatha, qui fuit filius Nathan: hunc ex Berſabee genuerat David Rex, per quem inſtaurata eſt ſtirps Solomonis, quæ in Ochozia defecerat.

32, 33 David genitus erat ex Jeſſe filio Obed, pro-

23 Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta, ut putabatur, filius Ioſeph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat.

24 Qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Ianne, qui fuit Ioſeph,

25 Qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Naum, qui fuit Hesli, qui fuit Naggæ,

26 Qui fuit Maath, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Ioſeph, qui fuit Iudæ,

27 Qui fuit Ioannæ, qui fuit Reſa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri,

28 Qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Coſam, qui fuit Elmadam, qui fuit Her,

29 Qui fuit Ieſu, qui fuit Eliezer, qui fuit Iorim, qui fuit Mathat, qui fuit Levi,

30 Qui fuit Simeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioſeph, qui fuit Iona, qui fuit Eliakim,

31 Qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit David,

32 Qui fuit Ieſſe, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmen, qui fuit Naaſſon,

33 Qui fuit Amidab, qui fuit

* Altera Editio, *auctorem.*

Digitized by Google

Aram, qui fuit Efron, qui fuit Phares, qui fuit Iudæ,

prognati ex Booz. Huic pater erat Salmon, filius Naaſſon, prognati ex Aminadab, cui pater fuerat Aram, filius Efrom, progeniti ex Phares filio Judæ.

34 Qui fuit Iacob, qui fuit Iſaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor,

34, 35, 36, 37, 38 Judas genus duxit ex Patriarcha Jacob, filio Iſaac, quem juxta divinum promiſſum ſenex ex vetula Sara ſuſceperat Abraham, ipſe prognatus ex Thara, filio Nachor, proditi ex Saruch filio Ragau, cui pater erat Phalec filius Heber, procreati ex Sale, filio Cainam filii Arphaxat, cui pater fuerat Sem filius Noe, quem genuerat Lamech, filius Mathuſala, filii Enoch, cui pater erat

35 Qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale,

Jareth, ipſe proditus ex Malalehel filio Cainan, progeniti ex Enos filio Seth, quem genuit Adam, poſteaquam vixerat centum & triginta annos. Adam erat princeps humani generis, non alium habens generis auctorem quam Deum, à quo conditus eſt è limo terræ, veluti è matre.

36 Qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noë, qui fuit Lamech,

Quoniam autem per hujus terreni parentis peccatum vitiatum erat omne genus humanum, & genitoris ſui referens ingenium, in omne vitiorum genus fuerat prolapſum, miſſus eſt collapſi generis inſtaurator ac redemtor Dominus Jeſus, ut quod unius inobedientia corruiſſet, per unius obedientiam reconciliaretur, & quemadmodum omnes, qui terreni parentis veſtigiis ingreſſi fuerant, redditi ſunt obnoxii

37 Qui fuit Adamahalaſar, qui fuit Henoch, qui fuit Iared, qui fuit Malalehel, qui fuit Cainan,

morti, ita qui per baptiſmum exemti à cognatione peccatoris inſererentur Adæ cœleſti, qui eſt Jeſus Chriſtus, illius veſtigiis inhærentes, vitam æternam aſſequerentur in cœlis. Reſpondent autem multis modis exordia labentis humani generis, ac reſtituti. Nihil enim hîc fortuito geſtum eſt, ſed tota rerum ſeries divino temperata eſt conſilio. Evæ virginis cum ſerpente colloquium fuit initium exitii: Mariæ virginis cum Gabriele colloquium fuit initium ſalutis. Eva corrupta pomi blandientis illecebra, virum perdidit ac mortem invexit mundo: Maria virgo ſemper incorrupta, ſpretis conſtanter carnis illecebris, ſimplici fide ſe præbens voluntati divinæ, virum enixa eſt, qui ſalutem attulit mundo. Adam tentatus eſt & victus, Chriſtus tentatus vicit tentatorem. Adam uxori corruptæ obſecundans, ejectus eſt è paradiſo: Chriſtus Patri obediens uſque ad mortem, viam aperuit in cœlos. Ob pomi guſtati voluptatem ille factus eſt ſervus Diaboli, Chriſtus ſpretis omnibus mundi regnis ac deliciis: nobis devincendum hoſtem tradidit. Ille per eſum pomi perdidit poſteritatem, hic per abſtinentiam cibi reparavit perditos. Ille à paradiſo depulſus eſt in terram calamitoſam ac deſertam, hic à deſerto viam munivit in cœlum. Ille per cupiditatem ſuperbæ ſcientiæ poſteros ſuos pertraxit in mortem: hic per humilem fidei obedientiam reddidit vitam. Denique utrobique lignum. Ibi per lignum vicit ac fefellit ſerpens, & hîc per lignum fefellit ac vicit Chriſtus. Per arborem mors, per arborem vita. Princeps intefitus ex terra virgine conditus eſt: princeps ſalutis ex virgine Maria. Adam ad imaginem Dei factus eſt: Chriſtus imago Dei, ſumſit hominis & imaginem & naturam. Adam per ſponſam ſuam deceptus eſt, Chriſtus ſuam ſponſam Eccleſiam ab errore Diabolico revocavit. Ibi mulier prodidit initium ſtultitiæ, dum captat fieri ſapiens: hîc mulier dum ſibi nihil arrogat, nobis edit ſapientiæ fontem. Adam dum mavult ſapiens eſſe quam obediens, ſtultitiam invexit mundo: novus Adam quum eſſet ſapientia Patris; pro nobis ſtultus factus eſt, ut ſapientes redderemur in ipſo. Per ſuperbiam lapſus, per humilitatem erectio. Adam animi dotibus nudatus per ſerpentem, arboris ſe texit exuviis: Chriſtus donis cœleſtibus dives, nihil deſideravit hujus mundi. Congruunt & Veteris Inſtrumenti figuræ cum hiſtoria Euangelica. Moſes Iſraelitas duxit ex Ægypto, Chriſtus ex ignorantiæ tenebris ac vitiorum ſervitute liberavit. Illis per aquam tranſitus erat, hîc per baptiſmum iter eſt ad ſalutem ac libertatem. Illic columna nubis & ignis, & hîc de nube ſonat Pater, & igni baptizat Spiritus. Per Legem priorem occaſio mortis, per Legem Euangelicam revocatio ad ſalutem. Sed vetus Lex tonitruis ac fulminibus terret, Lex Euangelica lenitate ac beneficiis provocat ad ſalutem. Moſes terribilis adſpectu, ſic ut faciem velare cogeretur: Chriſtus placidus & comis, mediæque turbæ admixtus. Moſes adſcendit in montem, ut cum Deo colloqueretur: Chriſtus deſcendit ad nos, ut per ipſum Deus nobis loqueretur. Primus Adam, dum affectat æqualitatem cum Deo, comparatus eſt jumentis inſipientibus: poſterior Adam, cum ſeſe dejicit à ſua divinitate ad humilitatem humanæ naturæ, nos jumentis etiam abjectiores ſubvexit ad conſortium divinitatis. Denique per Jeſum Navæ filium reditus in terram fluentem lacte & melle: per Jeſum virginis filium reditus in paradiſum. Recedamus igitur ab ingenio primorum parentum, & obſervantes vitam Domini Jeſu, ſinceris mentibus amplectamur illius beneficium, ac piis ſtudiis pro viribus imitemur exemplum. Ipſe ſuppeditabit auxilium, qui præbuit exemplum. Amplectamur Euangelicæ Legis placidum conditorem. Sequamur ducem noſtrum, qui ſolus poteſt omnes totius orbis nationes perducere ad terram illam omni gaudiorum genere ſemper exuberantem.

CAP. IV.

Dæmon tentator: Jeſuſque docens Eſaiam: Inſidiæ: dæmon pellitur, atque febris.

1 Jeſus autem plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt à Iordane: & agebatur à Spiritu in deſertum.

JESVS autem, cujus vertici columba inſederat, non inane ſignum, jam plenus Spiritu Sancto, prius quam aggrederetur munus Euangelicæ prædicationis, ne non per omnia probatus accederet, reliquit Jordanem, docens à baptiſmo connitendum ad ſublimiora ſtudia pietatis, ſubduxit ſeſe à turba, cujus convictus & frequenter inquinat, & auctoritatem elevat doctoris: ac per Spiritum, quo totus rapiebatur, actus eſt in deſertum, unde prodierat & Joannes, veluti provocaturus hoſtem humani generis, ut artes ac machinas ſuas expediret: nimirum quo nobis oſtenderet illum, qui genus hominum hactenus vicerat, vinci poſſe: ſimulque nobis vincendi rationem indicaret.

2 Diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo. Et nihil manducavit in diebus illis: & conſummatis illis eſuriit.

2 Locus captatus eſt tentatori commodus, præbita eſt per eſuritionem occaſio. Jeſus enim, ut Moſen hac imagine referret, novam & Euangelicam Legem mundo proditurus, jejunavit & ipſe quadraginta diebus, nec in his quicquam attigit cibi, ſed totum hoc tempus ſanctis ad Deum precibus, laudibus divinis, & gratiarum actionibus tranſegit. Erat autem hoc raræ cujuſdam virtutis ſpecimen. Nec ignorabat artes Satanæ, nuſquam magis admoventis omnes laqueos ſuos, quam ubi conſpexerit humanam mentem inſigni conatu tendere ad vitam cœleſtem. Audierat venturum illum, qui fracturus eſſet ipſius vires, & an jam veniſſet, dubitabat: quis autem is eſſet, ignorabat. Hic enim fallendus erat arte divina, qui prius ſuis dolis fefellerat genus humanum. Audierat Joannem palam profitentem: non ſum ego Chriſtus. Proinde quum multa conſpexiſſet in Chriſto, quæ virtutis humanæ modum excederent: rurſus quum videret eſurientem & affligi corporis inedia, quum Moſes & Elias poſt totidem dierum jejunium non legantur eſuriſſe, ſuſpicatus eſt nihil aliud eſſe Jeſum quam hominem, & hominem qui poſſet arte corrumpi.

3 Dixit autem illi diabolus: Si filius Dei es, dic lapidi huic ut panis fiat.

3 Erat autem hoc callidum tentatoris conſilium, ut aut vinceret, aut certe expiſcaretur an hic eſſet ille Filius Dei, promiſſus à Prophetis. Quod ſi comperiſſet, jam eo nervos omnes ac fraudes intenderet, ut impediretur aliqua via redemtio generis humani. Sed nulla valet aſtutia adverſus divinam ſapientiam, quæ ſic temperavit omnia ſua,

Digitized by Google

ſua, ut callidiſſimum illum hoſtem noſtrum non ſolum vinceret, verum etiam eluderet. Infirmitate carnis eluſit, fortitudine ſpiritus ac divinæ Scripturæ præſidio vicit, ſic ut turpiter victus abigeretur, & nihilo certior abiret de Filio Dei, quam antea venerat. Admovit igitur Satanas primum illud & efficax telum, quo principes humani generis dejecerat: quanquam illos tantum ſollicitabat illecebra pomi blandientis, hîc fames etiam, intolerabile malum, adjuvabat tentatoris conatum. Eſau fame compulſus, pulte vendidit jus primogeniti. Poterat autem Dominus Jeſus divina virtute famem corporis vel arcere, vel propellere: ſed eſcam objicere voluit captatori, quo caperetur ipſe. Objecta eſt, velut eſca, corporis humani imbecillitas, ſed tentator impegit in uncum divinæ virtutis. Videbat corpus hominis fame ſicceſcens diſcruciari, & ad vitæ periculum tendere. Negant autem ullum mortis genus eſſe cruciabilius. Videbat eum in deſerto procul ſemotum à vicis & oppidis, unde cibi copia præberi poterat. His rebus fretus, aggreditur impius Spiritus Dominum Jeſum, Spiritu Sancto plenum: laceſſit à quo vincendus erat: provocat fortiorem, captat prudentiorem: Quid opus eſt, inquit, te fame cruciari? ſi tu es ille Filius Dei, jube ut hic lapis tibi vertatur in panem, iſtoc argumento declarabis te Filium Dei. Non enim erit pater ſurdus filio fame periclitanti. Quumque ille condiderit ex nihilo cuncta, nil magni fuerit, ſi Filius Dei lapidem verterit in panem.

4 Et reſpondit ad illum Jeſus: Scriptum eſt: Quia non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo Dei.

4 Jeſus autem non ignarus quid venaretur Satanas, ſic temperat reſponſum ſuum, ut nec obſequatur conſilio illius, nec divinam naturam hoſti prodat, qui nova ratione per infirmitatem corporis & fallendus erat, & vincendus. Non negat Filio Dei poteſtatem eſſe vertendi lapides in panes, non improbat famem corporis cibo ſedare, ſed ex auctoritate Scripturæ divinæ demonſtrat eſſe vitam animi, quæ pluris ſit faciunda, quam vita corporis, eſſe cibum ſpiritualem, qui magis expetendus ſit, quam hic cibus, qui vitam corporis ad breve tempus prorogat, nihilo ſecius aliquanto poſt morbo, ſenio, aliove caſu perituram. Cibus enim ſpiritus vitam largitur æternam. Is eſt ſermo Dei. Hunc igitur primum aſſultum Diaboli, hoc reſponſo Jeſus eluſit: *Scriptum eſt*, inquit, in libro Deuteronomii: *Non tantum pane vivit homo, ſed omni ſermone, qui proficiſcitur ex ore Dei.* Cæterum in hoc Dominus, divinæ Scripturæ teſtimonio nititur: primum ut nos doceret modeſtiam, quos non oportet quicquam extra Scripturæ à Deo proditæ auctoritatem confirmare: deinde declaravit nobis nullum telum efficacius eſſe adverſus omnes inſtinctus impiorum Dæmonum, quam ſacrarum Literarum auctoritatem. Hinc verus petendus eſt animi cibus, ſi quis velit Deo vivere, cui qui non vivit, mortuus eſt, etiamſi videatur vivere. Comederunt primi parentes, & mortui ſunt. Quod ſi tentatori reſpondiſſent id, quod reſpondit Dominus Jeſus, & prior illis fuiſſet ratio præcepti Dominici, cujus obſervatio præſtat vitam æternam, quam pomi lethalis appetitus, non ſe ſuamque poſteritatem morti reddidiſſent obnoxios. Quin & illud nos docet Servatoris exemplum, non eſſe proferendum miraculum, niſi quum id poſtulat gloria Chriſti, non hominum libido, aut quum id exigit fraterna caritas. Magorum enim eſt ac præſtigiatorum, ad inanem oſtentationem, & ad ſpectatorum curioſam voluptatem, vel edere, vel fingere prodigia, unde nec illuſtratur gloria Dei, nec utilitas ulla redit ad proximum. Veluti quum fax ardens immerſa aquis non exſtinguitur: aut quum Hectoris aut Achillis horrenda ſpecies oculis oſtenditur: aut quum culmus ſerpere videtur ſerpentis ſpecie. Jeſus nullum unquam edidit miraculum, niſi quo ſimul & illuſtraretur virtus Patris, & hominum neceſſitati ſuccurreretur: vel quo pro tempore provocaretur hominum incredulitas. Quum eſſent paſcendæ turbæ, paucos panes multiplicavit in multis millibus ſuffecturam copiam. Herodis oculos adeo non dignatus eſt paſcere miraculo, ut nec alloqui ſit dignatus. Eodem videlicet conſilio negat miraculum Satanæ. Hoc congreſſu victus Diabolus, non ſtatim deſtitit à contentione, ne nos ſemel victores tradamus nos ſecuritati, ſed animum ſemper ad novos aſſultus paratum ac munitum habeamus. Qui profecerunt ad mediocritatem Euangelicæ Philoſophiæ, facile contemnunt gulæ luxuſque morbum, utpote ſordidum ac belluinum. Quanquam in hac quoque tentatione non deerat arrogantiæ laqueus: *Si Filius Dei es.* Etenim qui natura ſunt arrogantes, & gloriæ cupidi, plerunque conantur ad ea, quæ ſupra vires ipſorum ſunt, ne quam faciant opinionis ſuæ jacturam, ac ſibi per fucum vindicant, quod non habent, gloriam venantes apud homines. Sic multi prophetiæ donum technis arrogant ſibi, quod non habent: ſic multi jactant viſiones Angelorum, quas non viderunt. Contra Dominus Jeſus, quum eſſet omnium maximus, magnitudinem ſuam diſſimulat, præ ſe ferens imbecillitatem corporis, nec unquam promit virtutem ſuam, niſi quum hoc expedit hominum ſaluti, ut gloria Patris per Filium illuſtretur.

5 Et duxit illum diabolus in montem excelſum, & oſtendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis,

5 Eodem igitur telo Satanas, ut eſt improbe malitioſus, ſed diverſa materia repetit Dominum, experiens an opibus & honoribus hujus mundi corrumpi poſſet, qui fame proſterni non poterat. Siquidem ambitio malum eſt peſtilens, ac propemodum invincibile, quod in ſummis etiam virtutibus obrepit, inſinuans ſeſe mentibus ad ardua ſcandere conantibus: adeo, ut quos nec adverſæ res, nec paupertas, nec morbus frangere potuerint, nec luxus, aut Venus emollire, dejiciat ac ſubruat gloriæ ſtudium. Quid enim eſt tam nefarium aut impium, quod mortales imperii gratia non & faciant & patiantur? An non frequenter veneficiis, parricidiis, inceſtis nuptiis, aliiſque non referendis probris regnum emitur? Quot cædibus aliquoties unius civitatis ditio vindicatur? Dulcis eſt honos, præclarum eſt imperare, magnificum cæteris antecellere. Et omnino regnum divinitas quædam videtur inter homines. Hoc blando veneno capti ſunt primi parentes. Arridebat oculis pomi blandientis illecebra, ſed magis arridebat animo, falſo promiſſæ ſcientiæ ſublimitas, ac Diis æquanda dignitas. Hac igitur machina tentator adortus eſt Jeſum, nec ille refugit tentatoris improbitatem, ut nobis illum vinceret, utque nos illum vincendi rationem doceret. Suſtulit igitur Diabolus Jeſum in montem excelſum, atque ex eo velut è ſpecula, ſubito in puncto temporis, ſubjecit oculis illius omnia regna totius mundi, (poteſt enim hoc permiſſu Dei Spiritus impius, rerum imagines novo quodam more repræſentare humanis obtutibus) ſimulque quicquid in orbe magnificum habet magnorum Regum ſtrepitus, præſtigio quodam exhibuit oculis, opes, famulitium, palatia, copias, tubas, adorantium obſequia, pompas, triumphos, legationes, nutum omnipotentem, aliaque permulta, quibus populorum adulatio principes homines, nonnunquam ſtultos & impios, certe fragiles ac mox perituros, pro Diis colit ac ſuſpicit, atque ipſi interim ſibi fluxarum rerum ſucceſſu ſublati, plus quam Dii videntur. Harum rerum omnium præſtigiator ille mirum quoddam theatrum repente objecit oculis Domini Jeſu, qui præſtigiis falli non poteſt, quum nihil illum lateat.

6 Et ait illi: Tibi dabo poteſtatem hanc univerſam, & gloriam illorum: quia mihi tradita ſunt, & cui volo do illa.

6 Ad hanc magnificam ſpeciem rerum, adjecit mendax & improbus Satanas orationem magnificentiorem: Hæc, inquit, omnia tam ſplendida, tam opulenta, tam magnifica, tradita ſunt poteſtati meæ, ut ea largiar cuicunque libuerit. Sum enim Princeps ac Deus hujus mundi.

7 Quod

Digitized by Google

7 Tu ergo si adoraveris coram me, erunt tua omnia.

7 Quod si meum numen agnoveris, & provolutus ad genua mea me adoraveris, potestatem omnium regnorum universam, quæ vides, tradam in manus tuas. Vides quantum ubique sit nomen Cæsaris, & quota portio mundi agnoscit illum dominum? Tu unus obtinebis hæc omnia, & in terris pro Deo coleris, modo me tantæ felicitatis auctorem agnoveris. Agnoscis, pie lector, mendacissimam ac superbissimam vocem illius, qui quondam dixit parentibus illis infelicibus: *Nequaquam moriemini, sed eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.*

8 Et respondens Iesus, dixit illi: Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.

8 Hîc Dominus Jesus impiam Satanæ vocem divinæ Scripturæ verbis retudit, dicens: Abi Satana cum tuis fallacibus promissis. Damnosum lucrum est, quod pietatis jactura emitur. Quod stipularis impium est, quod promittis inane est. Scriptum est enim in libro Deuteronomii: *Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles.* Deus suam gloriam non patitur in alium transferri, non patitur sibi cum quoquam esse communem. Ille verus Deus ac Dominus est omnium, quæcunque sunt in cœlis aut in terris. Is suis cultoribus pollicetur hæreditatem regni cœlestis. Hujus voci magis obtemperandum est, quam tuæ: qui ut honorem soli Deo debitum impie tibi postulas, ita promittis non solum inania, moxque peritura, verum etiam aliena. Poterat respondere Dominus Jesus: Quid mihi polliceris quæ mea sunt? Qua fronte postulas ut tibi accidam ad genua, quum Deus sim, qui te condidi, qui te superbientem de cœlo depuli, dejecturus in tartara, simulatque mihi videbitur? In hæc ipsa regna nihil haberes juris, nisi tibi mortalium error & impietas jus faceret. Illorum stultitia tu potens es. Revivisçat * pietas, ubi fuerit regnum tuum? Verum id temporis fallendus erat Satanas, non docendus. Nec admoneri meruit, qui corrigi non poterat. Nobis agebatur hæc fabula, nos docebamur magno animo respuendum, quicquid cum impietate conjunctum est. Non quod per se malæ sint opes, aut per se malum regnum, aut magistratus publicus: sed quod ad hæc fere nullus penetret, nisi malis artibus, quodque non sine gravi pietatis discrimine possideantur, propterea quod innumeris periculis obnoxia sint. Quisquis autem harum rerum cupiditate corruptus, negligit præcepta Dei, fraudat, rapit, pejerat, occidit, fas nefasque miscet: is jam adoravit hujus mundi Principem, ac Deum abnegavit, inito fœdere cum adversario Dei. Quoties autem sollicitatur animus Christiani, ut ob augendas opes, aut obtinendum imperium, aut parandam gloriam, deseratur veritas, & admittatur impietas, exemplo Christi ducis sui respondeat intrepide: Abi Satana cum tuis fallacibus promissis, solus Deus adorandus est: qui illum habet propitium, is cum illo Dominus est omnium.

9 Et duxit illum in Iesusalem, & statuit eum super pinnam templi, & dixit illi: Si filius Dei es, mitte te hinc deorsum.

9 Nec sic repulsa desistit à tentando Satanæ improbitas. Repetit, sæpius vincendus: ut nos intelligamus, nobis in hac vita perpetuum esse conflictum cum adversario: neque quicquam esse tam nefarium, ad quod ille non audeat sollicitare cultores Dei, sed non esse formidandum piis, quibus jam vicit Jesus Christus, & quibus è divinis Literis efficacissima tela suppetunt, quibus illico retundatur tentatoris improbitas. Nec enim in aliud ille proficit tentando, quam ut præbita occasione majorem ac spectatiorem reddat bonorum virtutem. Abducit igitur Dominum Jesum è monte sublimi Hierosolymam, statuitque eum in summo Templi fastigio, rursumque provocat, ut aut inani gloria victus, sese præcipitem det ut † pereat, aut eo signo se prodat esse Filium Dei. Ac fraudis suæ patrocinium mutuatur à sacris Literis, sed perperam intellectis, neque quo oportuit accommodatis. Sic enim & impii nonnunquam & hæretici divinis Scripturis abutuntur ac fallunt incautos, sermonis divini regulam ad suos affectus depravantes: Hic, inquit, declara, utrum sis Filius Dei, an non. Præcipitem da te ipsum, & si nihil acciderit mali, palam sit omnibus, te esse Filium Dei. Neque periculum est ne quid accidat.

10 Scriptum est enim quod Angelis suis mandavit de te, ut conservent te:
11 Et quia in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

10, 11 Scriptum est enim in Psalmis de Filio Dei, *quod Angelis suis mandavit de te, ut conservent te, quodque manibus suis tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Hæc prophetia non proprie prodita est de Christo, sed de quovis homine pio: qui fretus ope divina, non debeat sibi metuere ab ullis hujus mundi malis, quemadmodum & ipse Dominus jussit Apostolos suos animo securo esse: nec enim pilum capitis illis periturum nolente Patre cœlesti.

12 Respondens Iesus, ait illi: Dictum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.

12 Jesus autem dissimulans interim se natura Filium esse Dei, tantum illud respondit, quod à quovis homine pio responderi poterat, & Scripturam falso citatam, alia Scriptura recte adducta, ceu clavum clavo retudit. Sed è diverso scriptum est, inquit, in Deuteronomio: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Illius auxilium aderit, quum te casus quisquam, aut religio pertraxerit in periculum, non quum ad ostentationem provocaris Dei virtutem. Neque divina pietas servit humanæ gloriæ aut libidini, sed suam gloriam declarans, quum vult, in hominibus, succurrit humano destitutis auxilio. Indignus est autem ope divina, qui suæ gloriæ causa semet ultro conjicit in manifestum vitæ discrimen. Neque piorum hominum est, Deo præfinire, quando, quibusve modis nos debeat è periculis eripere, quum certi simus, sive liberat, sive non liberat, hoc agi per illum quod nobis saluberrimum est. Nonnunquam felicius est ægrotare, quam bene valere: mori, quam vivere: affligi, quam rebus secundis uti. Pietas est, ab illo simplici pendere animo: impium est, humana curiositate, tentare quid possit. Potest enim omnia, sed non vult nisi optima. His aliisque modis princeps ac magister noster Jesus passus est se tentari à Satana mox à baptismo, ne nos satis putaremus baptismi lavacro condonata esse nobis peccata, sed acre bellum suscipiendum cum hoste nihil non molituro, quo nos in pristinam retrahat servitutem. In baptismo damus nomina duci nostro, sub illius vexillis adversus Satanæ copias bellaturi. Neque vero nobis res est cum hominibus, quum Christus jubeat & inimicos diligere, sed cum impiis Spiritibus, qui telis igneis, multaque arte nos impugnant è sublimi. Sed horum vires semel fregit princeps noster, ac proinde nobis vincibiles tradidit, quos rursus victurus est in nobis, si modo nos pugnandi rationem, qua Christus eos devicit, imitemur. Oppugnant autem nos interim per se, cogitationes impias suggerentes animo: nonnunquam per malos homines, veluti satellites suos, dum subornant, qui nos ad voluptatem * sollicitent, qui rixis & convitiis ad iram & cædem provocent. Escam, qua capiamur, aliquando petunt ab hoc mundo, cujus honores, opes ac pompas ingerunt oculis nostris, nonnunquam & è nobis ipsis sumunt. Insunt enim nobis quidam affectus naturæ, quos abjicere non possumus, nisi prorsus humanam naturam exsuamus, veluti cibi & potus appetentia, coeundi libido, posteaquam pubertas genitalia membra distenderit humoribus. Quanquam autem congredi moderate cum uxore scelus non est, neque nefas est cibo ac potu sitim & famem compescere, tamen hîc nobis insidiatur hostis callidus, ut his affectibus vel indulgeamus ultra necessitatem, vel his modis, quibus non oportet, eos placemus. Quod genus sit, si quis contingat uxorem alienam, aut cum sua supra modum, aut rationibus indecentibus congrediatur: sive si cum offendiculo fratris vescatur idolothytis, quum liceat vitato offendiculo succurrere corporis necessitati. Sunt autem & peculiares corporum & animorum propensiones ad cer-

* Altera Editio, *revivisçet*. † Eadem, *&*.

* Eadem, *voluptates*.

Digitized by Google

certa vitia, ſive quod hæ nobis è parentibus inhæſerunt, ſive conſuetudine collectæ ſunt, ſive aliunde acceſſerunt. Veluti alius eſt ad avaritiam natura proclivior, alius ad luxum, alius ad venerem, alius ad iram, alius ad ambitionem. Horum nihil non obſervat hoſtis noſter, quo nos in exitium pertrahat. Verum adverſus omnes hujus inſidias oportet ſimul & fortes eſſe & vigilantes. Adverſus omnes illius machinas robur & ingenium ſuppeditabit Chriſti Spiritus, arma ſuppeditabunt divinæ Litteræ. Qui patitur nos tentari, non patietur vinci, ſed ita temperabit conflictum, ut certaminis exitus nobis cedat in bonum. Victus hoſtis non deſinet invidere, ſed aliquando deſinet impetere: quoque ſæpius repetet, hoc redibit fractior.

13 Et conſummata omni tentatione, diabolus receſſit ab illo, uſque ad tempus,

13 Quid nobis futurum eſſet, Chriſtus in ſe expreſſit. Etenim quum Diabolus omnes artes expediſſet in Dominum, neque quicquam procederet, ſimul & victus, & eluſus diſceſſit, ſed ad tempus, videlicet alia captata occaſione rediturus ad tentationem. Etenim ex quo non potuit elicere profeſſionem Filii Dei, quem nulla rerum ſpecie corrumpere potuit, poſt per ſuos ſatellites Phariſæos, Scribas & Sacerdotes conatus eſt occidere. Verum & hîc arte divina verſutiam hoſtis illuſit. Quod hic molitus eſt in perniciem, ille nobis vertit in ſalutem. Ac tum denique ſenſit Satanas dejectam eſſe ſuam tyrannidem, quum ſibi polliceretur certiſſimam victoriam. Præceſſit baptiſmus, qui confert innocentiam. Succeſſit eremus, ac aſſidua precatio, jejunium, atque interim conflictatio cum Satana, adverſus quem nos potiſſimum armat fuga multitudinis, in qua nuſquam deeſt quod animos imbecilles ad vitia ſollicitet. Munit deprecatio, & jejunium robur detrahit corpori, addit ſpiritui. Supererat ut ad docendi munus accingeretur. Eſt autem hoc proprium munus Epiſcoporum, quod nemo recte ſuſcipit, niſi multis modis exploratus ac probatus victor omnium malarum cupiditatum, quæ corrumpunt ac vitiant ſermonem Dei, quo poſſit & alios docere, quibus modis reſiſtant Satanæ. Non enim ſatis eſt ad † doctorem Euangelicum eſſe purum à vitiis, ſed & fortem & incorruptum eſſe oportet, ut nec quæſtu, nec ulla corporis voluptate, nec ambitione, nec metu malorum deflectat à rectitudine veritatis Euangelicæ, quam non definit ullo tempore Satanas oppugnare per eos, qui mundum hunc diligunt plus quam Dei gloriam.

14 Et regreſſus eſt Jeſus in virtute Spiritus in Galilæam, & fama exiit per univerſam regionem de illo.

14 Hoc nos docere volens Dominus Jeſus, peractis his omnibus, jam magna virtute Spiritus, quo plenus erat, recepit ſeſe in Galilæam. Siquidem è tentatione ſpiritus robur collegerat, non quod illi quicquam acceſſiſſet novæ virtutis, ſed quod id, quod habebat in animo, magis ſeſe promeret atque exſereret: nobis interim depingens, quid Euangelico doctori curandum ſit, & exſpectandum. A Galilæa, contemtiſſima Judæorum regione, voluit auſpicari prædicationem Euangelicam: partim, ut reſponderet Eſaiæ vaticinio, quo prædictum erat, circa fines Zabulon & Neptalim, hoc eſt, juxta Galilæam gentium, exoriturum lucem divinæ veritatis: partim, ut ne quid Euangelici ſucceſſus hujus mundi præſidiis imputaretur, ſi per eruditos, ſi per opulentos, ſi per potentes proditum fuiſſet Euangelium, ſi à celebri regione exortum. Delegit enim Deus omnia contemta juxta mundum, ut tota gloria rei tam mirificæ rediret ad ipſum. Jam autem Jeſu fama non erat incelebris apud Galilæos, apud quos miraculis aliquot privatim editis, multis innotuerat & ante baptiſmum, collectis interim paucis diſcipulis, quos totius vitæ doctrinæque ſuæ teſtes eſſe voluit. Quo tempore paulatim ſeſe ſubduxit ab affectibus cognatorum, docens & hos officere frequenter ſinceritati doctrinæ. Cæterum ubi Joannes eſſet conjectus in vincula, (nam hoc præcedente * ſiluerat propemodum, ne quid inter utriuſque diſcipulos æmulationis oriretur) palam magno animo docendi negotium aggreditur. Tempus enim erat, ut adſtricta Lege, cujus typum gerebat Joannes, proferret ſeſe libertas Euangelica. Umbroſæ & ænigmatis obſcuræ Legi convenit carcer. Lucem autem Euangelicam oportebat in altum tollere, ut univerſis mundi regionibus eſſet conſpicua, maximis ac minimis, doctis & idiotis. Ergo ſimul atque repetiſſet Galilæam Dominus, virtute Spiritus divini, quo plenus erat, doctrina & miraculis ex parte jam prodita, fama, quæ prius de illo volitarat inter paucos, tum divulgata eſt in univerſam eam regionem. Congruit enim Euangelico doctori celebre nomen: non quod illi ſit affectanda gloria apud homines, ſed quod honeſta opinio doctoris, fidem ipſi conciliet & auctoritatem. Verum hæc opinio, ut non eſt affectanda, ita nec quibuslibet paranda rationibus. Ad exemplum Jeſu ſic vivat doctor, ut quum ipſe ſeſe non oſtentet, tamen Patris teſtimonio, Spiritus Sancti virtute, Joannis, hoc eſt, optimi cujuſque ſuffragio commendetur. Sic vivat, ut morum integritate oculos omnium in ſe convertat. Denique ea ſit erga Deum fiducia, ut miraculis etiam, ſi res poſtulet, Deum glorificet. Quanquam hoc ſeculo abunde magnum miraculum eſt, nec opibus, nec voluptatibus, nec honoribus, nec tormentorum terriculamentis, nec mortis metu, vel tantillum deflecti à ſinceritate veritatis Euangelicæ.

15 Et ipſe docebat in ſynagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus.

15 Erat autem apud Judæos conſuetudo, ut frequenter, ſed præcipue ſabbatis ac feſtis diebus, convenirent in Templum, aut in Synagogas, ut otium, quod illis indixit Lex ab operibus ſordidis & profanis, non in aleam, ſcorta, compotationes, rixas, aliaque flagitia conſumerent, ſed in his, quæ ſunt animi, collocarent. Illic erat confabulatio, non de nugis humanis, ſed de Lege Domini, de venturo Meſſia, qui flagrantiſſimis votis ab omnibus piis exſpectabatur. Et quod quiſque poterat, conferebat in medium, cujuſcunque ſtatus eſſet. Porro qui præ ſe ferret habere quod doceret populum, huic dabatur codex divinæ Legis, unde promere debet doctor Euangelicus, quo paſcat animos multitudinis, non ex ſomniis humanis. Quicquid autem hîc dicebatur aut gerebatur, non poterat eſſe clam, quod eo promiſcua populi multitudo conflueret. Jeſus igitur volens ſuam doctrinam eſſe notam omnibus, perambulans Galilææ civitates, juxta laudatam Judæorum conſuetudinem, ventitabat in Synagogas eorum, ubique promens admirabilem illam & efficacem doctrinam regni cœleſtis, tanto potentiorem doctrina Phariſæorum, qui corticem Legis aut conſtitutiunculas hominum prædicabant, quanto vinum eſt aqua efficacius. Nec deerant etiam apud Galilæos animi dociles, qui mirarentur novum hoc doctrinæ genus, quique doctorem admirabilem ſuſpicerent, ac laudibus veherent.

16 Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, & intravit ſecundum conſuetudinem ſuam die ſabbati in ſynagogam, & ſurrexit legere.

16 Et hactenus quidem ſatis ſucceſſit Euangelii negotium, donec ad cognatos ac domeſticam notitiam eſt ventum: ut intelligeremus eum, qui docet cœleſtia, oportere, quantum licet, à carne, à ſanguine alienum eſſe. Peragratis enim aliquot Galilææ vicis, ac civitatibus, tandem venit Nazareth, ubi quoniam fuerat educatus, diuque vixerat cum parentibus & cognatis, natus credebatur à multis, unde & Nazaræus vulgo dictus eſt. Porro ne & hi queri poſſent, quod patriam ac propinquos ſuos faſtidiſſet, malens apud alienos venari gloriam, venit huc quoque jam fama celebris quam in patria non habuerat. Utque declararet ſeſe jam domeſticis negotiis renuntiaſſe, ex more ſuo venit in publicam Synagogam. Nuſquam enim magis oportet verſari eum, qui publicis commodis dicatus eſt. Quum autem audiſſet alios de Lege diſſerentes, ſurrexit & ipſe, hoc geſtu ſignificans, ſe quoque Spiritu afflatum, habere quod loqui vellet apud multitudinem.

Qui

† In alia Editione præpoſitio *ad* non comparet.
* Eadem habet, *prædicante*.

Digitized by Google

Qui mos & hodie perſeverat in Eccleſiis ex inſtitutione Pauli, ut viciſſim dicant & audiant: & ſi cui fuerit revelatum aliquid dignum cognitu, cedat qui prior dixerat, & det locum ſucceſſori, ne tumultus & confuſio naſcatur in congregatione ſancta, in qua decet omnia cum pace & tranquillitate geri.

17 *Et traditus eſt illi Liber Iſaiæ prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi ſcriptum erat:*

17 Datus eſt Jeſu codex, idque ex more, ut nos doceremur, unde proficiſci oporteat ſalutiferam doctrinam: nimirum non ex commentis hominum, non ex Philoſophorum placitis, ſed ex ſacris Voluminibus, quæ nobis afflatu divini Spiritus prodita ſunt. Non egebat Dominus Jeſus codice, in quo erant omnes ſcientiæ & ſapientiæ theſauri reconditi, ſed tamen accepit codicem, ut nobis ſtudium ſacræ lectionis commendaret. Miniſter Synagogæ porrigit codicem, ſed clauſum: Jeſus, qui ſolus habet clavem, & aperit quod in Lege veteri reconditum eſt, codicem acceptum explicat ac revolvit. Jeſus enim ipſe latebat in Lege reconditus & abſtruſus. Decebat autem ut ipſi Judæi traderent, unde mox coarguerentur. Traditus eſt autem non quivis liber, ſed Eſaiæ Prophetæ, quo nemo clarius aut evidentius vaticinatus eſt de Chriſto, deque doctrina Euangelica. Nec illud fortuito accidit, ſed divina providentia factum eſt, ut explicato revolutoque volumine, is locus potiſſimum venerit ad manum, qui Chriſtum clariſſime prædicaret, & in quo Chriſtus ipſe per os Prophetæ de ſe loquitur hunc in modum:

18 *Spiritus Domini ſuper me: propter quod unxit me, euangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde,*

18, 19 *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxit me, ut latum nuntium adferam pauperibus miſit me, ut ſanem contritos corde, ut prædicem captivis remiſſionem, ac cæcis viſum, ut confractos dimittam liberos, ut prædicem annum Domini acceptum & optabilem, ac diem retributionis.*

19 *Prædicare captivis remiſſionem, & cæcis viſum, dimittere confractos in remiſſionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.*

20 Hæc ubi ſtans è libro ſua voce pronuntiaſſet Dominus Jeſus, librum ut acceperat complicatum reddidit miniſtro: hoc facto ſignificans pertinacem quorundam Judæorum incredulitatem, qui litteræ Legis aſſidentes, Chriſtum Legis animam nec intelligerent, nec agnoſcerent. Jam Doctoris perſonam ſumit, & aſſedit explicaturus quod legerat. Quod ſtans legit, datum eſt auctoritati Scripturæ divinæ, cui par eſt omnem humanam dignitatem aſſurgere: quod ſedens docuit, declarat divinæ Scripturæ interpretem, omnium humanarum tumultu cupiditatum oportere vacare. Cæterum fama recens, quæ jam cœperat ſpargi de Jeſu, tum nunc primum aſſumta Doctoris auctoritas, poſtremo cœleſtis quædam gratia relucens in vultu ejus, efficiebat ut omnium quotquot aderant in ea congregatione, oculi eſſent intenti in eum. Tale ſiquidem auditorium amat Dominus Jeſus, qui ſabbatum agunt quieſcentes ab hujus mundi tumultuoſis cupiditatibus, qui mutua concordia congregati ſunt in unum, qui mentis oculos habent non alio ſpectantes, quam ad Jeſum, quam ad ſalutem æternam. Loquitur enim ille quotidie nobis in arcanis litteris. Loquitur per Euangelicos Prophetas, hoc eſt, ſacrorum Voluminum interpretes. Felices autem, quibus ſic attentis loquitur Dominus Jeſus. Talibus enim dignatur aperire ſenſus reconditi myſterium.

20 *Et cum plicuiſſet librum, reddidit miniſtro, & ſedit. Et omnium in ſynagoga oculi erant intendentes in eum.*

21 *Cæpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auribus veſtris.*

21 Etenim ſimulatque vidit omnium oculos in ſe unum conjectos ac defixos, cœpit illis dicere: Auditis Eſaiam Sancti Spiritus afflatu vobis promittentem eximium quendam ac potentem Doctorem, qui non ex ſpiritu humano doceat conſtitutiones hominum, aut fabulas inutiles, ſed affatim unctus ac delibutus divino Spiritu mittendus ſit à Deo, ut his, qui mites ſunt ac pauperes ſpiritu, eoque doctrinæ ſalutaris capaces, lætum & optabilem adferret nuntium ſalutis: quique potens eſſet præſtare quod annuntiaret, nimirum cœleſti virtute præditus: quique gratis ſalutem adferret omnibus, qui ſuorum malorum conſcii ſalutem optarent: qui gratis condonatis peccatis omnibus, mederetur his, qui cor haberent variis vitiorum ac malarum cupiditatum morbis corruptum: qui prædicaret omnibus libertatem, qui vel idololatriæ dediti, captivi tenerentur à Diabolo: vel Legis ſuperſtitioni ſervientes, non poſſent adſpirare ad libertatem ſpiritus: qui cæcis animo & in altiſſima errorum caligine verſantibus, per fidem aperiret oculos, quibus adſpicerent lucem æternæ veritatis, juxta vaticinium, quod alio in loco idem prodidit Propheta: *Populus qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam*: qui eos, qui prorſus omni malorum genere confracti contritique viderentur à Satana, reſtitueret priſtinæ libertati: qui verum Jubileum Domini prædicaret adeſſe, ut omnibus exoptabilem, ita ab univerſis flagrantibus animis acceptandum. Prodidit Moſes ſabbatum dierum, quo juſſit ſeptimo quoque die ceſſari ab operibus ſordidis. Prodidit ſabbatum annorum, quo præcepit ſeptimo quoque anno quieſci à cultura terræ, nec aliud ab ea exigi, niſi quod ſuapte ſponte proferret. Prodidit & annum inſtauratorem priſtinæ libertatis, cui nomen apud Hebræos inditum ex re, Jubileo. Is poſt ſeptem annorum hebdomadas recurrebat quinquageſimus. Hic optabilis erat omnibus Iſraelitis, qui ſervitute aut ære alieno gravabantur. Verum ut ſabbatum Moſi corpora tantum reficiebat otio, ita ſeptimus annus terræ quieti duntaxat conſulebat. Nunc perpetuum ſabbatum annuntiatur, quo liber animus & vacuus omni tumultu malarum cupiditatum, vacare debet quieto ſtudio rerum cœleſtium, nec jam anxia ſollicitudine curare terrena: quum nihil deſit diligentibus Deum. Quin & Moſi Jubileus non ſuccurrebat niſi Iſraelitis, nec gratuitam, nec plenam libertatem largiebatur, & hoc ipſum, quod largiebatur, corporale erat ac temporarium. Hic autem annus Domini, omnibus quicunque culpis obærati ſunt Diabolo, qui Dæmonibus ſervitutem ſerviunt, qui ignorantia veri cæci ſunt, qui malis omnibus perditi ſunt, & inhabiles ad omne opus bonum, adfert perfectam & gratuitam remiſſionem, libertatem, viſum, ſanitatem & integritatem. Quo magis oportet vos omnes amplecti promtis ſtudiis, quod offertur. Quod enim audiſtis à prophetia promiſſum, re licet experiri. Auribus audiſtis, ſed animis promtis & avidis opus eſt, ut tantæ felicitatis ſitis capaces. Summum eſt quod gratis offertur. Sed væ illis, qui Dei benignitatem tam obviam ſpreverint. Annus eſt jubileus, gratis offerens libertatem ac ſalutem iis, qui ſe manſuetudine & credulitate præbent dociles ac ſanabiles: ſed huic ſuccedit annus tribulationis * ac vindictæ, pœnas æternas exacturus ab his, qui Dei bonitatem fuerint adſpernati. His verbis Dominus Jeſus modeſte ſignificabat, ſe eſſe eum, de quo promitteret Eſaiæ vaticinium, quum plerique crederent eum locum non ad Meſſiam, ſed ad ipſum Eſaiam pertinere. Siquidem quum baptizaretur Jeſus, Spiritus Sanctus è cœlo viſibili ſpecie delapſus, & inſidens illius capiti, populum admonebat hunc eſſe, de quo ſenſerat vaticinium. Unctio mite quiddam ac placidum ſignificat. Nihil enim oleo placidius, unde & nomen inditum Meſſiæ, quod Græcis χριστὸν, Latinis *unctum*, ſonat. Erat autem Joannis auſtera minaxque prædicatio: Chriſtus manſuetudine, comitate, beneficentia ſollicitabat omnes ad ſalutem.

22 *Et omnes teſtimonium illi dabant: & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius, & dicebant: Nonne hic eſt filius Joſeph?*

22 Hæc ſumma cum auctoritate, ſed pari cum manſuetudine diſſerentem Jeſum plerique ſuſpiciebant, & admirabantur ſermonem, longe diſſimilem Phariſaico, placidum, manſuetum, amabilem, multa gratia conditum, nihil habentem ſupercilii, nihil torvum aut arrogans, ſed cui interim ſua non deeſſet auctoritas. Siquidem Phariſæorum verba, quoniam è corde promanabant, ambitione, avaritia, livore, cæteriſque cupiditatibus malis corrupto, plerunque reſipiebant fontem ſuum. Cæterum ſermo, qui proficiſcebatur ab ore Jeſu, quoniam à pectore manabat ſpi-

* Alia Editio, *retributionis*.

spiritu cœlesti pleno, bonis omnibus & amabilis erat, & efficax ad salutem. Erant tamen inter hos, apud quos generis & familiæ humilitas nonnihil elevaret auctoritatem doctrinæ cœlestis. Etenim quum omnes adhuc crederent illum esse filium Joseph & Mariæ, nec esset ignota parentis utriusque & affinium & propinquorum tenuitas, vidissentque illum multis annis à pueritia nihil aliud didicisse quam artem patris: nec unquam trivisse Scholas Pharisæorum ac Legisperitorum, qui magno fastu docebant sacrorum Voluminum mysteria, demirabantur unde repente contigisset illi tanta virtus, quam in aliis urbibus ante prodiderat variis miraculis, unde tam admirabilis divinorum Voluminum cognitio, unde tanta cum auctoritate facundia. Nondum enim intelligebant, quanto plus valeret unctio Spiritus, quam Pharisæorum doctrina. Æstimantes igitur eum ex his, quæ in eo noverant secundum carnem, dicebant: Nonne hic est ille filius Joseph fabri? Non enim noverant Patrem cœlestem, qui per Filium operabatur.

23 *Et ait illis: Utique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice cura teipsum: quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.*

[23] Quum autem Jesus longe pauciora miracula proderet in Nazareth, quam in aliis civitatibus prodidisset, eoque cognati quidam subindignarentur, suggillabant eum, quasi vel non haberet ubique paratam potestatem, vel suis invideret, venantes interim humanam quandam gloriam ex negotio, cujus tota gloria debebatur Deo. Horum impiam murmurationem Jesus hujusmodi sermone compescuit: Quoniam audistis, inquit, me apud alios sanasse morborum omne genus, nimirum dicetis mihi, quod vulgo dici solet: *Medice, cura te ipsum.* Audivimus prodigiosa quædam patrasse te in civitate Capernaum, ubi peregrinus eras, nec ullos habes tibi sanguinis propinquitate conjunctos. Atqui convenit potissimum in tuos esse beneficum. Quod civibus tuis & cognatis præstas, hoc tibi ipsi præsta. Proinde si tibi virtus ista propria est ac perpetua, quicquid apud Capernaitas & alienos patrasti, patrato & hic apud tuos, tibi conjunctissimos, & in patria tua.

24 *Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua.*

[24] Horum impio murmuri prodito, sic respondit Dominus: Ego quidem medicus sum paratus sanandis omnibus omnium morbis, si quis se præbeat sanabilem. Nullus enim quantumvis doctus ac benignus medicus mederi potest ægrotis, si pharmacum oblatum rejiciant, ac fideli medico diffidant. Est autem hic affectus vulgarium hominum, ut medicum hoc pluris æstiment, quod è longinqua regione venerit ignotus, & illic plus invenit fiduciæ, ubi non aliis ex rebus æstimatur, quam ex arte sua. Et arte quidem, quam secum circumfert, semper & quovis loco idem est: verum ubi reperit diffidentes & contemtores, non perinde multis potest arte sua prodesse, non quod illic minus velit aut possit ex sese, sed quod hi, quibus succurrere volebat, ipsi sibi salutis beneficium invideant. Quod medicis accidit, multo magis accidit Prophetis. Nam ars medicorum nonnunquam opitulatur & invitis; Propheta vero quoniam potissimum medetur animis, ne potest quidem succurrere iis, qui salutem oblatam recusant. Recusat autem qui diffidit. Et ideo diffidunt multi Prophetis, quoniam illos æstimant non ex virtute Dei per illos operantis, sed imbecillitate corporis, quam in illis conspiciunt, quemadmodum & in cæteris hominibus. Revolvite veterum Prophetarum historias, & certissimum esse comperietis quod dico vobis, nullum unquam Prophetam in pretio fuisse habitum in patria sua, & apud cognatos suos: non quod minus aut possint aut velint benefacere suis, quam alienis, sed quod incredulitas cognatorum reddat ipsos indignos divino beneficio. Nam Dei munera non dantur cognationi, sed affectui: non propinquitati carnis, sed promtitudini spiritus: non genti, sed fidei.

25 *In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cælum annis tribus, & mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra:*

26 *Et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Saretha Sidoniæ, ad mulierem viduam.*

[25, 26] Illud enim pro certo confirmo vobis, ætate, qua vixit Elias Propheta, quum totos annos tres, ac menses sex, non decidisset ulla pluvia, atque hinc terræ sterilitas ingenti fame regiones illas omnes occupasset, multas fuisse viduas in gente Israelitica, & tamen Propheta, fame periclitans, ad nullam harum mittitur pascendus, nisi ad viduam Sarephthanam, in regionem Sidoniorum. Cur non potius missus est ad viduas Hierosolymitanas, ut illic augeret hydriam farinariam, ac lecythum olei? ut apud harum aliquam ederet insigne miraculum, puero in vitam revocato? Nimirum quoniam apud Israelitas nulla erat, quæ hujus Ethnicæ & barbaræ sinceram fiduciam æquaret. Rogata, promte dedit aquam: pollicenti non defecturam hydriam ac lecythum, habuit fidem, ac paravit pultem, ut erat jussa. Hic nimirum erat animus Israeliticus in muliere non Israelitica. Adeo apud Deum plus habet momenti animus quam genus.

27 *Et multi leprosi erant in Israel sub Eliseo propheta: & nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus.*

[27] An non simile quid accidit temporibus Elizæi Prophetæ, qui successit Eliæ? Nec enim dubium est, quin inter Israelitas complures fuerint leprosi, qui desiderarent sanitatem. Cur igitur horum nullus mundatus est ab Elizæo, sed solus Naaman Syrus, idololatra, & à gente Israelitica alienus? An Propheta non poterat apud suos, quod poterat in exterum & Ethnicum? An promtior fuit ad benemerendum de profanis & alienigenis, quam de suis popularibus? Nequaquam, sed fiducia viri promeruit Dei beneficium. Credidit enim hoc Deum per suos cultores præstare posse, & jussus septies mergi in Jordane, obtemperavit. Eadem fiducia si fuisset apud leprosos Israelitas, sensissent & ipsi divinam beneficentiam.

28 *Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes.*

[28] His dictis quum Dominus Jesus exprobrasset civibus suis incredulitatem, ob quam se redderent indignos Dei beneficiis, atque interim subsignificaret futurum, ut Euangelicæ virtutis munus, non solum à civibus incredulis, verum etiam ab universis Judæis ad viduam Sidoniam, hoc est, ad Ecclesiam gentium, & Naaman Syrum, hoc est, ad gentes prius idololatras demigraret, invidum murmur versum est in manifestam indignationem.

29 *Et surrexerunt, & ejecerunt illum extra civitatem: & duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum.*

[29] In tantum enim commoti sunt omnium animi, quod hæc ausus sit dicere in publica Synagoga, Sidonios & Syros, homines apud Judæos abominandos, genti præferens Israeliticæ, ut coorto tumultu, ejecerint Jesum è civitate Nazareth: nec hoc contenti, perduxerunt illum usque ad supercilium montis, supra quem ea civitas erat ædificata, ut inde præcipitem darent. O cives impios, ô subito in quantam insaniam versum mobilis vulgi favorem! Et postea mirantur ad se non venire salutem, quum in exsilium exigant salutis auctorem. Indignantur Ethnicorum laudari piam credulitatem, neque corrigunt interim suam impiam incredulitatem. Efflagitabant medicum, nec sustinent devorare salutiferum amaræ veritatis catapotium: volunt sanari corpora, animorum morbos negligentes. Animi vero ægrotantis medicina est verax, & ideo mordax oratio. Malunt blandum, sed lethiferum venenum, quam amarum & salutiferum pharmacum. Requirunt ad humanam gloriam edi miracula, quæ Christus non edebat, nisi ad salutem hominum & gloriam Dei. Nec in hoc venerat, ut corporibus, mox alioqui perituris, mederetur, sed animis in æternum victuris. Jam mihi vide præposteram Nazarenorum religionem: Sabbatum erat, & nefas esse ducebant, eo die calceum consuere: & nefas esse non ducunt, civem, ad salutem invitantem, in præcipitium impellere. Nimirum per hos perficere conabatur, quod ante per se suaserat Satanas, & reperit satellites ipso nequiores. Siquidem ipse nihil aliud ausus est, quam suadere præcipitationem. Hi conglomerati, civem notum ac benemeritum pertrahunt ad præcipitium, & quantum in ipsis erat, præcipitarunt. Perfecit quic-

Digitized by Google

quicquid potuit impia voluntas, ſed non eſt data pravæ voluntati facultas. Nondum enim venerat tempus, quo nobis expediebat mori Jeſum, qui moriturus venerat pro nobis, ſed ſuo tempore, quod illi præfinierat Pater, ſed eo genere mortis, quod delegerat. Non placebat illi quodvis ſabbatum, ſed ſabbatum Paſchæ, quo decebat immolari agnum liberatorem orbis: non placebat præcipitium, ſed altitudo crucis. Lucifer præcipitatus eſt ob ſuperbiam, & idcirco ſollicitat alios ad ruinam. Dei Filius ſponte ſeſe demiſerat in terras, ut exaltatus in crucem, omnia attraheret ad ſeſe, & ſuo exemplo per humilitatem ſubveheret in cœlum, quos ille ſuperbiæ princeps per arrogantiam & incredulitatem præcipitare conabatur in tartara. Nec illi ſacrificio peragendo conveniebat Nazareth, ſed Hieroſolyma.

30 Ipſe autem tranſiens per medium illorum, ibat.

30 Jeſus itaque paſſus eſt ejici ſeſe, ne prædicaret indignis: quod idem ut facerent, docuit Apoſtolos ſuos: præcipitari ſe paſſus non eſt, qui ſponte mori voluit. Quid igitur? Non ſe vertit in avem, aut ſerpentem, aut aliud præſtigii genus, ut ſic elaberetur, ſed innocuus tranſiit per medium illorum, qui ad præcipitandum pertraxerant: palam declarans, nihil in ipſum poſſe malitiam hominum, niſi ſuapte ſponte ſeſe præberet capiendum & occidendum. Atque hac vindicta contentus fuit clementiſſimus Dominus Jeſus, reliquiſſe quos comperit infanabiles. Alioqui poterat illos ſolo nutu in præcipitium impellere, qui ad præcipitandum pertraxerant. Sed maluit eos ſupereſſe, ut progreſſu temporis reſipiſcentes, ex nocentibus fiant innocentes, quam perdere nocentes. Nonnunquam enim ſubtracta beneficii copia provocat deſiderium ejus, qui paratus eſt benefacere. Hoc certe miraculo provocari poterant vel ad ſuſpiciendum illius potentiam, adverſus cujus virtutem nihil potuit inſanæ multitudinis conſpiratio: vel ad amandum ejus bonitatem, qui extrema molitus ſervare maluit ad pœnitentiam, quam perdere ad pœnam.

31 Et deſcendit in Capharnaum civitatem Galilææ, ibique docebat illos ſabbatis.

31 Itaque relicta ſuperba Nazareth, & adverſus ſermonem Euangelicum rebelli, Jeſus deſcendit, proficiſcens ad civitatem Galilææ Capernaum, opulentam & ideo perditam luxu, voluptatibus, ambitione, ſuperbia, cæteriſque vitiis, quæ comitari ſolent opulentiam. Sed aberat hîc familiaritas carnis, contemtum gignere ſolita. Et hîc igitur juxta morem ſuum, ſabbatis veniebat in congregationem, ac docebat eos. Non enim tantum apud illum potuit Nazarenorum parricidialis impietas, ut offenſus atroci facinore, relinqueret Judæorum regionem, & protinus Euangelii munus ad gentes transferret: ſed re præſtitit, quod poſt docuit ſuos diſcipulos: nimirum ut ejecti ex una civitate, profugerent in aliam, non cogitantes de vindicta, ſed de Euangelio propagando, ut ejicientium malitia proficeret etiam ad celeritatem divulgandæ profeſſionis Euangelicæ.

32 Et ſtupebant in doctrina ejus, quia in poteſtate erat ſermo ipſius.

32 Capernaitas autem, tametſi rebus mundi deditos, nec ita multum abhorrentes à gentium moribus ob commerciorum mixturam, candidiores expertus eſt, quam ſuos Nazarenos, quibus ob notam ac perſpectam perpetuam vitæ integritatem debebat eſſe carior. Siquidem Capernaitæ vehementer admirabantur doctrinam Jeſu, propterea quod non eſſet diluta fucataque, qualis erat Phariſæorum, de lotionibus, decimationibus mentæ & rutæ, de donariis conjiciendis in corbonam, deque rebus ſimilibus, quæ ſuperſtitionem habebant verius, quam pietatem: quæque ſimplicibus imponebantur ad gloriam aut quæſtum Phariſæorum, quum ipſi interim, qui talia docerent, nec ea ſervarent, quæ ſunt in Legis præceptis præcipua: ſed erat ſolida & auctoritatis plena. Primum enim veriſſima erant quæ docebat, & naturæ ſenſui conſentanea. Deinde ad veram pietatem ac ſalutem æternam faciebant. Ad hæc doctrinam ejus vitæ ſingularis integritas commendabat. Accedebat his omnibus miraculorum inſolita virtus, quæ declarabat à Deo proficiſci quod docebat, non ab humano ſpiritu. Non enim ad quæſtum aut inanem oſtentationem Dominus Jeſus edebat miracula, ſed primum his calamitoſorum hominum neceſſitatem ſublevabat, ut beneficio ſibi conciliaret benevolentiam: deinde in hoc ad tempus corporalibus oculis exhibebantur, ut per hæc diſcerent ea credere, quæ quum videre non poſſent, magis tamen erant expetenda. Poſtremo figuram & imaginem habebant eorum, quæ gerebantur in animis illorum. Sabbatum erat, & populus magna religione quieſcebat ab operibus interdictis, quæ tamen per ſe mala non ſunt: quod genus eſt, facere iter, aut incendere ignem, aut molere triticum, aut exprimere vinum, aut reconcinnare diſſutam tunicam. Foris igitur ſabbatum erat, ſed intus in animis magni tumultus erant, quos illic Satanæ Spiritus excitabat, variis motibus exagitans illorum mentes, avaritiæ, ſuperbiæ, iræ, vindictæ, invidiæ. Nam ibi demum verum eſt ſabbatum, ubi Spiritus Domini tranquillat animum ab omnibus pravis cupiditatibus.

33 Et in ſynagoga erat homo habens dæmonium immundum, & exclamavit voce magna,

33 Adeſt igitur hujus rei figura quædam, in Synagoga homo quidam, cujus corpus impuro Dæmonio erat obnoxium, tacite ſubmonens, quanto eſſent infeliciores, quorum animi tetrioribus etiam malis eſſent obnoxii. Quis enim impurior aut nocentior Dæmon, quam libido, quam ira, quam ambitio, quam pecuniæ cupiditas, quam livor, quam hypocriſis? Hujuſmodi Dæmonibus maxima ex parte erant obnoxii Judæi, qui verſabantur in Synagoga, quæ nondum acceperat Spiritum Chriſti, ſed à tot Dæmoniis agitabatur, quot ſerviebat vitiis. Nec capaces eſſe poterant manſuetiſſimi ſpiritus Euangelici, niſi prius Dominus Jeſus expuliſſet ab eis ſpiritum Satanæ malum, ac vindicem.

34 Dicens: Sine, quid nobis, & tibi Jeſu Nazarene? veniſti perdere nos? ſcio te quis ſis, Sanctus Dei.

34 Dæmoniacus igitur ille non ferens novam virtutem Jeſu, quæ ſe tacite quoque proferebat, vociferari cœpit ingenti clamore: *Eja, Quid tibi nobiſcum rei eſt Jeſu Nazarene? Veniſti perditurus nos ante tempus?* Scimus quæ ſupplicia nos maneant in extremo die. Sed nunc tua præſentia nos ante diem torquet & cruciat. Non precamur ſalutem, nec deprecamur pœnam, ſed dilationem flagitamus. Tale nihil ſenſimus unquam ex aliorum Prophetarum præſentia. Proinde non nos latet, qui ſis. Tu es enim ille unicus Sanctus Dei, debellaturus omnem impietatem, & propulſaturus omnem impuritatem. Habet Lex ſuam ſanctimoniam, habet ſuam mundiciam, ſed tu es unicus ille, quem Deus cœleſti ſanctimonia ſanctificavit.

35 Et increpavit illum Jeſus, dicens: Obmutesce, & exi ab eo. Et cum projeciſſet illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit.

35 Non tulit Dominus Jeſus prædicari ab impio Spiritu, qui totam hanc gloriam voluit in unum Patrem referri, non ignarus Dæmonis profeſſionem non ex ſincera fide, ſed ex malitioſa voluntate proficiſci. Profitetur enim ut eliciat confeſſionem, non aliud agens per os hominis quam quod prius Satanas tentator egerat per ſeipſum. Profitetur ſubdole, non ut ipſe ſalutem aſſequatur, ſed ut aliorum ſalutem impediat. Nec amor vocem expreſſit, ſed ſupplicii metus. Eoque veluti malum ac deploratæ mentis mancipium audire meretur: *Obmutesce impure Spiritus, & exi ab homine*, quem per tyrannidem poſſides. Hominibus ſervandis veni. Ad hanc imperioſam & omnipotentem Jeſu vocem Spiritus impius, poſteaquam projeciſſet hominem in terram, & conturbaſſet, exiit ab eo, ſic ut in homine liberato nulla læſio remaneret. Quod projecit, argumentum erat perverſæ voluntatis, indicium erat, quod admodum invitus relinqueret poſſeſſionem ſuam. Quod illæſum reliquit, arguit, impios Spiritus nemini nocere poſſe, qui ſe totos tradiderint Servatori. Plus enim valet unius Jeſu bonitas ad ſalutem, quam innumerabilium Dæmonum malitia ad perniciem.

Digitized by Google

ciem. Solent autem hi, qui conantur hominum corpora à Spiritibus noxiis liberare, nihil non adhibere remedii, quo malum depellant, preces certis verbis conceptas, ſuffitus, adſperſiones, herbas efficaces, aliaſque magicis non diſſimiles ceremonias; & his tamen omnibus raro videmus fieri, ut exigatur Spiritus. Quod ſi quando diſcedit, relinquit ſuæ malitiæ veſtigia, vel amputato membro, vel relicto morbo immedicabili.

36 Et factus eſt pavor in omnibus, & colloquebantur ad invicem, dicentes: Quod eſt hoc verbum, quia in poteſtate & virtute imperat immundis ſpiritibus, & exeunt?

36 Cæterum ubi vidiſſet populus, ad ſimplicem & auſteram Jeſu juſſionem, ſic repente Spiritum egreſſum ab homine, ut perfecta ſanitas nullum haberet veſtigium priſtini mali, ſtupor quidam & admiratio cepit omnes, qui viderant hoc factum, atque inter ſeſe miſcebant hujuſmodi ſermones de Jeſu: Quid eſt hoc novæ rei, quod videmus antehac nec lectum, nec auditum? imperat enim ſolo verbo Spiritibus immundis, & adeſt illius juſſis tanta vis & auctoritas, ut mox velut agnoſcentes potentiorem ſe, relinquant hominem, ſic ut poſt abitum illorum redeat plena ſanitas.

37 Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.

37 Hujus itaque tam ſtupendi miraculi ſpectaculum effecit, ut Jeſu fama non ſolum in civitate Capernaum, verum etiam per univerſam illam regionem divulgaret hoc factum in Synagoga Judæorum, quæ carens Spiritu Chriſti, tumultuabatur ſpiritu Satanæ adverſus Euangelicam veritatem, cujus inſtinctu Nazareni moliti ſunt exitium Servatori.

38 Surgens autem Jeſus de ſynagoga, introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogaverunt illum pro ea.

38 Reliquit igitur Synagogam, & ingreſſus eſt domum Simonis, cui nomen additum Petro, cujus ſocrus tenebatur febri vehementi. Affines autem & cognati rogaverunt Jeſum, ut qui non rogatus expulerat à viro Dæmonium, daret hoc amicorum precibus, ut affinem diſcipuli, quem inter primos habebat, levaret febri.

39 Et ſtans ſuper illam, imperavit febri: & dimiſit illam. Et continuo ſurgens miniſtrabat illis.

39 Jeſus autem ut oſtenderet ſeſe & privatim & publice, erga notos & ignotos, erga omnem ætatem, ſexum, conditionem eſſe beneficum, adſtans, atque imminens mulieri, interminatus eſt febri, ut abiret. Simulque ad Domini juſſum aufugit morbus, non paulatim redeunte corporis vigore, quemadmodum accidere ſolet in his, qui medicorum ope ſublevantur, ſed repente depulſo morbo ſucceſſit vigor omnis, & alacritas, ſic ut ſurgens è lecto pararet cœnam Jeſu & diſcipulis ejus, ac diſcumbentibus miniſtraret.

40 Cum autem ſol occidiſſet, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille ſingulis manus imponens, curabat eos.

40 Tanta autem erat promtitudo Domini ad benefaciendum omnibus, ut nec temporis importunitatem excuſaret iis, qui ſimplici fiducia flagitarent illius opem. Etenim re divulgata per univerſam civitatem, quotquot habebant domi ægrotos, variis morbis obnoxios, adducebant illos ad fores ædium, in quibus verſabatur Jeſus. At ille clementiſſimus, nec excuſavit privatum, cui debebatur otium, neque noctem intempeſtivam rebus gerendis, ſed omnibus oblatis manus ſalutiferas impoſuit, ac morborum omne genus nullo negotio gratiſque depulit ab omnibus: hac rerum imagine docens omnes, qui vellent eſſe liberi à morbis animorum, non alio confugiendum, quam ad ipſum Jeſum, qui paratus eſt omnibus gratis condonare quicquid admiſſum eſt, qui per ſinceram fiduciam convertuntur ad ipſum unicum veræ ſalutis auctorem. Nullum eſt enim morbi genus tam immedicabile; tam tenax, tam lethale, quod ad illius contactum ac juſſum non aufugeret. Atque interim exemplum paratur Epiſcopis ac paſtoribus in Chriſti locum ſuccedentibus, quanta cum manſuetudine recipere debeant peccatores, à vitiis ſuis reſipiſcere cupientes. Etenim ſi Dominus Jeſus, in quo ne veſtigium quidem ullum fuit morbi aut vitii, nulla morborum fœditate alienatus eſt, quin reciperet, quin contingeret ac ſanaret: quanto magis decet idem facere eos, quos ante Jeſu benignitas purgavit à morbis animi, nec interim tamen omni culpa vacantes, præſertim quum ipſi non auferant morbos, ſed miniſtri tantum ſint doni cœleſtis, adhortantes eos ut expetant ſanitatem, & ad medicum potentem eos adducentes, nec non miſericordiam illius precibus ſollicitantes, ut mentes illorum ſuis manibus dignetur contingere.

41 Exibant autem dæmonia à multis, clamantia & dicentia: Quia tu es filius Dei: & increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.

41 Nec morbi ſolum ad juſſum vocis, & contactum manuum fugiebant, verum etiam Dæmonia, non ferentia divinam virtutem Jeſu, ultro fugiebant è corporibus infelicium, quos diu poſſederant. Adeo magna felicitatis pars eſt appropinquare Chriſto. Appropinquat autem, qui ſibi diſplicens cupit fieri melior, quique certam fiduciam concepit, per ineffabilem Jeſu clementiam peccata omnia, quamlibet enormia, condonari. Sunt autem in corporibus variæ morborum ſpecies: ſed nec pauciores ſunt, & ſunt pernicioſiores, animorum, niſi forte pauciora ſunt intemperantiæ genera quam febrium: aut periculoſius eſt corpus æſtuare febri, quam animum inſanire libidine. Sunt autem in corporum morbis quidam adeo fœdi, ut nec amici proximi ſuſtineant adeſſe, qualis eſt morbus pedicularis: quidam adeo contagioſi, ut non ſit tutum adeſſe, quales ſunt præcipue lepra, & quam vocant peſtilentiam: quanquam vix ullus eſt morbus, non aliqua ex parte contagio noxius. Rurſus ſunt quidam adeo vel vehementes, vel familiares, ut opem & artem medicorum ſuperent. Sed major eſt noſtri medici vis, quam ut ullius morbi magnitudine ſit inferior: major eſt puritas, quam ut ullis hominum malis poſſit inquinari: major eſt miſericordia, quam ut ullam fœditatem averſetur. Admittit omnes optimus, contingit omnes ipſe puriſſimus, ſanat omnes potentiſſimus. In nullos autem corporum morbos medici minus habent juris, quam in eos, qui vitiant animi domicilium: quod genus ſunt phreneſis & lethargus, quanquam & his immedicabiliores ſunt Dæmoniaci, quorum & animos & corpora Spiritus impii, ſed humana natura potentiores, pro ſua libidine agitant. Nec enim mos eſt hos ad homines medicos adducere, ſed auxilio cœleſti relinquere: tanta enim eſt hujus mali vis, ut hos ſpectare etiam miſerabile ſit. At non videntur fortaſſis æque miſerabiles, ſed longe miſeriores etiam ſunt, qui cupiditate regnandi ad veneficia, ad parricidia, ad ſacrilegia, & his atrociora facinora pertrahuntur: quos ira ad prædationes innocentium, ad cædes immerentium, ad bella, ad incendia, ad publicum orbis tumultum tranſverſos rapit. Quantulum enim eſt mali, quod vel facit vel patitur ille corpore Dæmoniacus, ſi conferas, quantis intemperiis agatur, quantam perniciem afferat rebus mortalibus quilibet Princeps tyrannico ſpiritu veſanus? Superat humanas vires hujus mali vis, ſed fortior eſt Chriſti Spiritus: quem ſi ſemel conceperit animus hominis, neceſſe eſt ut effugiat quicquid eſt impurorum Spirituum. Hoc ubi factum erit, ſubito fiet è tyranno pater: è crudeli clementiſſimus: ex expilatore populi, ſublevator oppreſſorum: è furioſo bellatore, ſectator pacis: è prædone, beneficus: è glorioſo Thraſone, ſobrius ac prudens Princeps. Tantum adducatur ad Jeſum, & abducatur è mundo. Siquidem id temporis ſub Solis occaſum non pauci venerant ad ædes Simonis, hoc eſt, ad Eccleſiam Euangelicam, & virtute Spiritus Chriſti exibant Spiritus impii, profitentes adeſſe, cujus bonitas potentior eſſet ipſorum malitia. Clamabant enim exeuntes: *Tu es ille Filius Dei.* Nondum autem venerat tempus, quo Dominus palam omnibus eſſe voluit, ſe eſſe Meſſiam illum Filium Dei: & ſi voluiſſet, noluit impuros Spiritus ſuæ gloriæ præcones: vel quia non ſimplex, ſed ſubdola erat illorum profeſſio: vel quia periculum erat, ne ſi pondus habere cœpiſſet illorum teſtimonium in re tanta, in cæteris quoque fidem invenirent, in quibus mendacio fallere gauderent. Etenim quum Satanas natura ſit mendax, etiamſi quando verum

Digitized by Google

verum prædicat, non in aliud tamen hoc agit, nisi ut fallat. Nimirum hanc artem ab illo didicerunt quidam, qui pia impiis, qui vera falsis admiscent, veluti salubribus cibis venenum lethiferum addentes, quo plures in perniciem pelliciant. Jesus igitur nos docens quam non oporteat eos, qui se semel Sancto Spiritui consecrarunt, quicquam habere commercii cum impiis Spiritibus, compescuit illorum clamores, ac minis additis imposuit silentium. Sentiebant enim admirabilem virtutem ab eo proficisci, & hinc suspicabantur eum esse Messiam illum promissum Filium Dei.

42 *Facta autem die egressus ibat in desertum locum, & turbæ requirebant eum, & venerunt usque ad ipsum: & detinebant illum ne discederet ab eis.*

42 Jesus autem, qui non in hoc venerat, ut corporibus mederetur, sed animis: nec uni civitati venerat, sed cunctis totius mundi regionibus: quum in Capernaum miraculis editis, doctrinaque salutari fecisset bonam sementem Euangelicæ Philosophiæ, diluculo prius quam rursum confluueret multitudo, magis admirans & expetens sanitatem corporum, quam salutem animarum, relicta Capernaum secessit in desertum, veluti fugitans popularem turbam. Nos interim docens, non ad ostentationem, nec ad plebis arbitrium esse proferenda miracula, sed quatenus conducit ad salutem hominum, ac Dei gloriam, semper autem fugiendam inanis gloriæ suspicionem. Quod enim sanarat omnes, exemplum erat paratæ in omnes benignitatis: quod se clanculum subduxit, exemplum erat modestiæ, laudem & ostentationem sui fugitantis. Porro quum jam dies esset, confluxerat denuo magna vis promiscuæ multitudinis, ob pridie gestorum magnitudinem. Cæterum ubi cognovissent jam abesse Jesum, multi consequuti sunt illum, ac repertum conati sunt remorari, ne relinqueret ipsorum civitatem, sed illic sedem sibi perpetuam deligeret. Erat ille quidem affectus non impius, sed beatiores sunt, qui Dominum Jesum non sinunt à sui pectoris domicilio decedere, qui parantem abire, precibus revocant. Verum id temporis postulabat carnis assumtæ dispensatio, ut subinde locum mutans, latius ac latius propagaret novam adhuc ac recentem Euangelicam doctrinam. Seminator enim missus erat in mundum, ut late spargeret semen sermonis Euangelici, non apud omnes æque feliciter proventurum.

43 *Quibus ille ait: Quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei: quia ideo missus sum.*

43 Revocantibus itaque placide respondit hunc in modum: Quod gratis in vos collatum est beneficii, boni consulite. Non adspernor vestrum hospitium, sed oportet ut & aliis civitatibus annuntiem regnum Dei. Siquidem in hoc me misit Pater, non ut uni civitati prædicem, sed ut omnes invitem ad societatem regni cœlestis. Quod tum fecit Jesus, docuit discipulos suos, ut peragrantes orbem terrarum, docerent omnes gentes. Non erat ille morbus instabilitatis, sed pluribus benefaciendi studium. Sic vagari, non humanæ levitatis est, sed Apostolicæ caritatis. Cæterum ubi jam satis est Euangelicæ doctrinæ, vigilans pastor non desinit tamen obambulare, sollicitus pro grege sibi concredito, ut quod aberrarat, revocet, & quod morbidum est, sanet: quod lupis obnoxium, eripiat: quod saucium, curet: quod tenerum & imbecille, foveat. Nec enim ideo adhibetur pastor, ut uni aut alteri familiæ succurrat, sed ut omnibus vigilet.

44 *Et erat prædicans in synagogis Galilææ.*

44 Hac excusatione placatis Capernaitis, Jesus perambulabat vicos & civitates Galilææ, prædicans juxta morem suum in Synagogis eorum, identidem miraculis edendis fidem doctrinæ suæ concilians apud Judæos, qui sine miraculis nihil credere poterant.

CAP. V.

En Petre piscator: lepra: clinicus: atque telones: Sponsus adest: vestis rupta: cadique novi.

1 *Factum est autem, cum turbæ irruerent in*

1 QVVM autem in dies latius inclarescceret apud omnes fama Jesu, tantus erat hominum affluxus, ut jam non satis esset illum sui copiam facere in Synagogis, in vicis, in oppidis, verum etiam quocunque se subduceret Dominus, eo simul accurreret promiscua multitudo virorum ac mulierum. Plerosque pellexerat amor sanitatis, nonnullos invitabat miraculorum novitas, permultos cœlestis doctrinæ vis attrahebat. Non eos deterrebat deserti vastitas, non montium laboriosus adscensus, non arcebat eos pudor irrumpendi privatam domum, si forte se domi occultasset. Denique ventum est ad Stagnum, nec navigare parantem poterant relinquere. Confluebant, irruebant, irrumpebant, hærebant, urgebant. Hîc vero mihi, Theophile, fac oculos mentis aperias, quo perspicias in narratione rei juxta carnem gestæ, nascentis & exuberantis Ecclesiæ imaginem. Jesus stabat in littore vicinus Lacui Genezareth, quem Hebræi nonnunquam appellant mare, quod magno spatio porrigatur in longum & in latum, & ex sese gignens auram, crebris undarum motibus agitetur. Videbatur abnavigaturus. Sed improba turba confluens urgebat, & imminebat illi, cupiens ex eo audire sermonem divinum. Nam sermonem Pharisaicum jam plerique fastidiebant, quod præter hominem nihil resperet. Non offendit hæc improbitas mitissimum Dominum, sed veluti compulsus & constrictus, hinc urgente turba populi, hinc Lacu proximo: videnſque locum esse parum commodum Euangelico concionatori, quod neque turba, sese vicissim impellens, facile consistere possit in loco declivi, & vox ex imo missa ad pauciores fertur *: tum autem decet Euangelicum doctorem quietum esse, ac tutum à promiscuæ multitudinis tumultibus, subducit sese in locum quietiorem.

cum, ut audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth.

2 *Et vidit duas naves stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant, & lavabant retia.*

2 Commodum autem stabant eodem in littore duo Scalmi piscatorii. Piscatores autem ipsi egressi navim, lavabant retia sua, veluti parantes in proximam piscationem.

3 *Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum à terra reducere pusillum. Et sedens docebat de navicula turbas.*

3 Hos ubi vidit Jesus, in alterum illorum ingressus: is porro erat Simonis Petri: rogavit illum, ut Scalmum paululum deflecteret à terra. Quod ubi factum esset, submotus hoc pacto à compressione multitudinis, considens, de navi, veluti de cathedra, docebat populum in littore stantem. Vocaverat Dominus piscatores ad munus Euangelicæ prædicationis. Jamque hoc ipsum, quod de Scalmo agebat Jesus, erat piscari homines. Lacus erat mundus variis rerum motibus sursum ac deorsum fluctuans. Navis Simonis erat Ecclesia, primum è Judæis collecta, cui præficiendus erat Simon Petrus; Simon autem obedientem sonat. Judæi siquidem prodigia requirebant, & in operibus legalibus fiduciam ac spem salutis collocabant. Contra Philosophi rationibus humanis de summo bono, quo felicitatem hominis metiuntur, disputabant, quum Euangelica doctrina per fidem promittat omnibus salutem. Fides autem obedientia est. Obedit enim, qui jussus credere, credit, nihil hæsitans, nihil disputans: qui jussus sperare, sperat, totus pendens ab ejus nutu, cujus fidei se semel dedidit. Habes Ecclesiæ rudimentum, nunc audi proventum ex Euangelica piscatione consequuturum.

4 *Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.*

4 Peracta concione Euangelica, Dominus loquutus est Simoni, naviculæ moderatori: Abducito navigium longius à terra, & in profundum provehe, atque ibi laxate retia vestra ad piscandum.

5 *Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete.*

5 Hîc Simon suo respondens vocabulo, respondet hunc in modum: Præceptor, tota nocte laboratum est à nobis in piscando, neque quicquam cepimus: itaque diffisi, lavimus, & composuimus rete: tamen ad tuum jussum laxabo rete. Meum erit obsequium, tuus eventus.

6 *Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum.*

6 Obtemperatum est dictis Domini Jesu, navis abducta est in profundum Lacus, late sparsum est rete, cui mox involuta est tanta piscium multitudo, ut rete discipulorum, impar ponderi piscium, rumperetur, nec una navis sufficeret prædæ capiendæ.

* Alia Editio, *ferretur.*

7 Erant

Digitized by Google

7 Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eos. Et venerunt, & impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur.

7 Erant in altera navi socii Simonis: his procul, non voce, sed signis indicarunt, ut adnavigarent, & opitularentur in exonerando rete. Venerunt, adjuverunt, tantaque vis piscium reperta est, ut ambæ naviculæ implerentur unius retis proventu: adeo ut parum abesset, quin onere depressæ periclitarentur. Habes in Simone formam & imaginem doctoris Euangelici. Hujus proprium ac peculiare munus est, laxare rete prædicationis Euangelicæ, non è Pharisæorum laqueis, non è Philosophorum argutiis, sed è sacrorum Voluminum præceptis, è Christi factis dictisque sic contextum, ut quam plurimos involvat, nec involutos sinat elabi. Habet & mundus hic sua retia: habet & Satanas piscatores suos, qui miseras animas blandimentis illectas in nassam infelicitatis conjiciant, atque in æternum pertrahant exitium. Sed felices, quas involutas sagena Apostolica de profundo criminum & errorum pertrahit ad auram liberiorem: è tenebris ad lucem, è sordido limo ad vitam puriorem: è vagis cupiditatibus ad innocentiæ perpetuæ constans studium. Neque enim pertrahuntur ad cædem, sed ad salutem. Sic involvuntur, ut elabi nolint, & si elabantur, pereant. Cinguntur undique veritatis Euangelicæ nexibus, agnoscunt suam calamitatem, & gaudent se pertrahi ad navim Ecclesiæ. Quoniam autem sagena prædicationis interim trahit & involvit undecunque pisces varii generis, fieri non potest, quin bonis admixti sint mali. Malorum itaque culpa rumpitur rete, sed non ideo elabuntur boni pisces. Hæretici scindere conantur doctrinam Euangelicam, sed Christus suos undique sepiens, illorum impios conatus vertit in profectum partis sinceræ. Quidam onerant ac perturbant navim suis tumultibus, graves hujus mundi cupiditatibus, & cupientes reverti ad limum relictum, sed non mergitur, quam Christus semel intuitu suo dignatus est. Quanquam autem non est nisi unica per orbem terrarum Ecclesia, tamen ideo typus habet duas naves, ut intelligeremus Ecclesiam Christi è duobus populis collectam. A Judæis profectum est salutis initium: illic Petrus post Christum omnium primus rete jecit Apostolicæ prædicationis, & uno jactu attraxit hominum promiscuæ multitudinis tria millia, videlicet agens piscatorem hominum. Non erat hujus oratio Rhetorum arte contexta, non Philosophicarum argutiarum subtilitatibus perplexa, sed virtute Spiritus Sancti potens, & efficax. Non enim laxaverat rete, confisus humanis viribus, sed tantum ad jussum Christi, cujus spiritu tum agebatur. Alioqui frustra solvitur, nisi Christus jactum hominis bene fortunet. Sed quemadmodum ex Judæis fuit hujus proventus initium, ita ex gentibus accessit ubertas, adeo ut qui primi laxaverant retia, coacti sint implorare sociorum auxilium. Post enim irrumpentibus undique gentibus in Euangelicæ salutis consortium, Petrus & Jacobus dederunt dextras Paulo & Barnabæ, symbolum Euangelicæ societatis, & utrique pro suo studio conati sunt implere naves ambas, & successit res usque ad miraculum.

8 Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine.

8 Simon igitur ubi vidisset rem non agi viribus humanis, aut casu, sed virtute divina Jesu, rursus facto suo docuit, quid faciendum sit Apostolico doctori, si quando feliciter succedit opera prædicationis. Quanquam enim navis esset ipsius, quanquam suum rete jecerat, quanquam princeps attraxerat, nihil tamen hinc laudis sibi vindicat, sed ex magnitudine successus factus etiam modestior, accidit ad genua Jesu, eique totam hujus facti gloriam transcribit, se nihil aliud quam peccatorem confitetur, indignum qui divinæ virtutis minister sit, & organum: Domine, inquit, nunc demum agnosco meam indignitatem, quum tuam considero celsitudinem: Discede à me. Sum enim indignus tuo consortio.

9 Stupor enim cir-

9 Hanc Petri vocem expresserat non aliqua cupiditas discedendi à Domini contubernio, quem unice diligebat, sed admiratio quædam vehemens virtutis humana majoris. Nec aliter erant affecti socii Simonis, quam Simon ipse. Cunctorum enim animos occuparat incredibilis quædam hujus facti admiratio. Sed nullus horum hinc quicquam sibi vindicat. Agnoscebant enim operam quidem esse suam, sed proventum fuisse ejus qui jusserat. Quis autem non obstupesceret, considerans prædicatione paucorum, humilium & idiotarum hominum ex universis orbis nationibus, intra paucos annos tot hominum millibus fuisse persuasum, ut contemtis affectibus cognatorum, contemto dispendio rei familiaris, contemtis minis Principum, contemtis suppliciis, ac morte denique ipsa, simplicem Christi doctrinam sequerentur, credentes ea, quæ rationibus humanis probari non possint: sperantes ea, quæ juxta naturæ vires plane desperanda sint? Oportet igitur Episcopum promtum & alacrem esse ad laxandum rete, ut studeat quam plurimos lucrifacere Christo: laxabit autem, non ad suam gloriam, non ad quæstum, non ad Principum arbitrium, non ad aliquam humanam cupiditatem, sed ad arbitrium ac jussum Christi: qui non jubet laxari rete, nisi ad salutem eorum, qui captantur, & ad gloriam bonitatis divinæ. Hæc enim demum est Apostolica piscatio. Ea tametsi peragitur humanæ vocis & industriæ ministerio, tamen summa laudis totius uni Christo tribuenda est, cujus auspiciis solvitur ad dicendum lingua, cujus Spiritus afflat dicentis pectus, cujus occulta vis attrahit animos auditorum. Et si quid etiam hinc sibi suo jure possit sumere doctor, tamen tutius est totum ad illum referre, sine cujus auxilio nihil humano conatui succedit ad salutem. Non novit auferre, quod dedit: non novit exprobrare, quod largitus est. Tanto magis volet esse tuum, si quod aliquo modo tuum videri poterat, illius esse volueris. Sinet utilitatem esse tuam, gloriam autem non patietur nisi soli Deo tribui. Et si gloriari libet, tutius in illo gloriabimur.

cumdederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant:

10 Similiter autem Iacobum & Ioannem, filios Zebedæi, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens.

10 Quum autem admiratio facti sic haberet attonitos omnes, qui cum Petro fuerant in captura piscium, inter quos erant Jacobus & Joannes filii Zebedæi, socii Simonis, ut præ admiratione divinæ virtutis non auderent sese adjungere Jesu, consolatus est eos Dominus, dicens Petro, in quo solitus est proponere formam, quam volebat cæterorum omnium animis imprimi: Non est quod formides Simon. Agnoscis tuam imbecillitatem, & expertus es virtutem divinam. Hæc amanda est, non formidanda. Quod enim potest non expromit ad opprimendam imbecillitatem peccatorum, sed ad erigendam, tantum ut jussis meis obtemperes: nec expendas, quid tuæ possint vires, sed quid ego velim fieri. Nihil non succedet, si mihi fidas. Admiraris quod ita successerit res in captura piscium. Leve quidem hoc est, mirabilius succedet, ubi piscari cœperis homines. Ad hoc piscandi genus te delegi cum tuis sociis. In præsentia satis istius piscationis. Posthac dabis operam: non ut navim impleas piscibus, sed ut Ecclesiam meam impleas Euangelicæ doctrinæ professoribus. Quod Dominus loquutus est Petro, id omnes intellexerunt & sibi dictum esse.

11 Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

11 Mox itaque subductis in terram navibus, atque inibi relictis omnibus, sequuti sunt Jesum, vacui sollicitudine rerum corporalium, ac totis animis in hoc intenti, ut fierent piscatores hominum.

12 Et factum est, cum esset in una civitatum, & ecce vir plenus lepra, & videns Iesum, & procidens in faciem, rogavit eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare.

12 Ad hoc præclarum munus erant formandi præceptis, erant mysticis exemplis instituendi. Ut igitur ostenderet nullum esse vitium tam fœdum, tam capitale, quod non illico condonetur agnoscenti morbum suum, & per fidem Euangelicam implorranti remedium à cœlesti medico Jesu, factum est, ut in civitate quadam esset vir quidam non leviter infe-

Digitized by Google

infectus lepræ vitio, ſed toto corpore fœdiſſima ſcabie plenus. Hoc hominum genus ſic erat abominabile apud Judæos, ut procul ſubmoverentur ab hominum conſortio, ac Lex vetaret contingi, ob contagionis præſens periculum. Sed fœdior ac deteſtabilior eſt animi lepra, quam corporis. Porro Judæi, quum ipſi vitiis intercutibus maderent, tamen Ethnicos, publicanos ac notos peccatores ſic exſecrabantur, ut ſi quando contigiſſet cum his colloqui, perinde quaſi contracto contagio, domum reverſi, totum corpus abluerent. Ab hac arroganti Judæorum munditie, Chriſtus voluit ſuos quam longiſſime abeſſe. Profuit igitur miſero, vidiſſe Jeſum. Agnovit immunditiam ſuam, ſeque judicavit indignum, qui fœdis maculis abominandam faciem attolleret in Dominum, ſed ſui pudens proſtravit ſeſe in faciem, ac vocem emiſit modeſtiæ ſimul ac fiduciæ plenam. Quod faciem texit, erat agnoſcentis ſuum malum: quod rogat mundari, confidentis de omnipotenti & cunctis obvia Jeſu Chriſti bonitate. Domine, inquit, ſcio malum meum eſſe immedicabile, & fortaſſe non ſum dignus tuo beneficio, ſed tamen illud habeo mihi perſuaſum, poſſe te mundare me, ſi velis. Habes meam de tua potentia fiduciam, ſupereſt ut tua bonitas judicet, utrum hunc calamitoſum ac deploratum hominem dignari velit ſua miſericordia. Non potuit eſſe plenior erga Dominum fiducia, quam agnita poteſtate, beneficii conferendi arbitrium illi deferre, qui novit aliquoties expedire nobis, ut malis corporis affligamur, & inutilem eſſe rerum temporalium ſucceſſum.

13 Et extendens manum, tetigit eum, dicens: Volo: Mundare. Et confeſtim lepra diſceſſit ab illo.

13 Jeſus autem delectatus hominis miſerandi tam abſoluta fiducia, non ſolum non ſubmovet illum ab oculis ſuis, ſed proſtratum erigit, & porrecta manu contingit faciem ejus, dicens: Si requiris bonitatem meam, volo: & quia profiteris poteſtatem, mundus eſto: ſimulque cum dicto diſceſſit à toto corpore lepra, qua fuerat oppletus. Diſcunt interea diſcipuli, quam non oporteat abominari quenquam hominem, quamlibet enormibus ac deteſtandis peccatis obnoxium, modo morbum ſuum agnoſcens, cum fiducia medelam expetat à bonitate Chriſti. Etenim ſi Dominus, qui ſolus erat purus ab omni lepra vitiorum, contactu ſuo dignatur hominem, cunctis abominabilem: quanto minus convenit ut diſcipuli, quos à peccatis emundavit Domini bonitas, qui nec omnino ſunt immunes à culpis, & labi poſſunt in omne flagitium, adſpernentur curam impendere ſanandis aliorum morbis. Hujuſmodi contactus non inquinat contingentem, ſed contactum purgat. Purus illico fit, qui contingitur: nec impurior fit, qui contingit, ſi modo per Apoſtolicam manum dignetur contingere Jeſus.

14 Et ipſe præcepit illi ut nemini diceret: ſed, Vade, oſtende te ſacerdoti, & offert pro emundatione tua, ſicut præcepit Moyſes, in teſtimonium illis.

14 Quoniam autem lepræ judicium Lex deferebat, non quibuslibet, ſed duxtaxat Sacerdotibus, Dominus noluit hoc miraculum populari rumore tantum divulgari: ſed quo certior eſſet fides, interdixit ſanato, ne protinus evulgaret acceptum beneficium, ſed primum adiret juxta Legis præſcriptum Sacerdotem, cujus judicio damnatus eſſet de lepra, & ab hominum conſortio ſemotus: quod ſi is, inquit, inſpecto corpore, judicarit te eſſe vere mundum, offer quod Moſaica Lex præſcripſit offerendum his, quibus contigit à lepra liberari. Ita pariter fiet, ut nec queri poſſint Sacerdotes ſibi per me decreſcere quæſtum ſuum, nec violatam eſſe Legem, aut contemtam, quam ut abſolverem veni, non ut abolerem: nec calumniari beneficium meum, ut aut negent te fuiſſe leproſum, aut judicent te non fuiſſe ſanatum. Etenim illico res ipſa reſpondebit illis: ſi leproſus non erat, cur vos, qui judicandi peritiam vobis ſumitis, eum leproſum pronuntiaſtis, ac ſubmoviſtis ab hominum convictu? ſin autem mundus non eſt, cur velut à mundato ſumſiſtis oblationem Lege præſcriptam? Hæc ideo tam accurate mandavit Dominus Jeſus, ut omnibus perſpicuum eſſet, veniſſe Lege majorem, qui citra Legis opem ſolo contactu, ſola voce, ſolo nutu, pro ſuo arbitratu conferre poſſet perfectam munditiem, & ita tolleret omnium immunditiam, qui ſe per fidem ſanandos offerrent, ut ipſe nullius inquinaretur contagio: quique gratis ſuccurreret omnibus, quum Sacerdotes ne pronuntiarent quidem gratis de reddita corporis puritate. Siquidem Moſaici Sacerdotes nec immittebant lepram, nec auferebant: ſed de lepra nata aut ſublata judicabant duntaxat. Solus autem Jeſus omne morborum genus tollit ab omnibus, nullum aliud exigens ſacrificium, quam ſimplicem ac puram erga ſe fiduciam, ut agnoſcamus in eo divinam virtutem, qua poteſt quicquid vult: adoremus in eo bonitatem ineffabilem, ac miſericordiam, qua gratis cupit omnes peccatores ſalvos fieri, de ſuo dependens, quod pro illorum peccatis expiandis erat immolandum. Porro quod Dominus Jeſus interdixit mundato, ne cui prædicaret quid accidiſſet, quum ſciret non eſſe taciturum, ſuis diſcipulis paravit exemplum, ne quam ex benefactis ſuis auram gloriæ venentur apud homines. Nec enim noſtra ſunt, quæ Deus per nos operatur, nec pro illis ullam laudem veluti præmium conveniet expetere, ſed tacite proximo, cui contigit beneficium, gratulabimur, ad Deum gloriam omnem referemus: adeo nobis inde nihil vindicantes, ut quod ad nos ipſos attinet, cupiamus etiam ignotum eſſe cunctis, quod divinum beneficium noſtro miniſterio contigerit proximo. Ne is quidem qui beneficium expertus eſt, debet hujus laudem ad eum referre, per quem accepit: ſed auctori Deo gratias agere, qui per ſuos famulos tanta largiri dignatur hominibus. Felicius autem ſequitur gloria fugientem, & ſpecioſior contingit non affectata. Etenim ea demum vera gloria eſt, quam invito ac fugitanti virtus ipſa conciliat, & quam non defert popularis aſſentatio, nec exigit ambitio: ſed quam ipſe non agnoſcit, qui promeruit, & ultro defert adulandi neſcia ſinceritas.

15 Perambulabat autem magis ſermo de illo: & conveniebant turbæ multæ ut audirent, & curarentur ab infirmitatibus ſuis.

15 Ex hujuſmodi mirabilibus factis in dies magis ac magis inclareſcebat Domini Jeſu fama, dum alii quod viderant & audierant, narrant aliis: & rurſus hi quod acceperant à narrantibus aliis, oratione tradunt per manus. Itaque confluebant undique turbæ multitudinis, in dies confertiores: partim, ut audirent efficacem illam doctrinam, quæ ſanat morbos omnes animarum: partim, ut qui morbis corporum eſſent obnoxii, virtute Jeſu ſanarentur. Craſſus enim populus magis illa miratur, quæ viſibilia ſunt, quam quæ non videbantur. Ingens & homine majus ducebant, leproſo cutem puram eſſe redditam contactu manus, quum longe majus ac divinius beneficium ſit, ſermonis Euangelici pharmaco ab animo depuliſſe febrim fœdæ libidinis, hydropem avaritiæ, dæmonium ambitionis, aliaſque lethales animorum peſtes.

16 Ipſe autem ſecedebat in deſertum, & orabat.

16 Jeſus autem nos ſuo facto docens opera bona, nec ad oſtentationem theatricam, nec ad ſatietatem eſſe facienda, ſubduxit ſeſe in deſertum: atque illic ſemotus ab hominum frequentia precationibus vacabat, gratias agens Deo Patri pro beneficiis, quæ per Filium ſuum largiretur hominibus. Siquidem hac viciſſitudine fit, ut primum intermiſſio beneficii excludat ſatietatem, & excitet appetentiam: deinde qui ſeceſſit ab hominibus ad divinum colloquium, inſtructior redeat atque alacrior ad munus intermiſſum. Sic autem moderatus eſt totam vitam ſuam Dominus Jeſus, ut frequenter nobis exhibere volens vivendi formam, hominem ageret, nonnunquam divinitatis ſuæ proferret indicia. Nihil autem magis vegetat Euangeli-

Digitized by Google

cum doctorem: nihil æque munit & armat adversus omnem hujus vitæ corruptelam ac frequens à turba secessus, non ad otium, lusus, aut voluptates, quales sunt fere secessus hujus mundi divitum, sed ad lectionem sacrorum Voluminum, sed ad precationem puram, ad gratiarum actionem, ad contemplationem rerum cœlestium, denique ad expurgationem animi: si quid forte labis contractum est ex populari convictu. His rebus nihil opus erat Christo, sed in se nobis formam voluit exprimere. Pastoris assiduus cum populo convictus plerumque gignit contemtum: & prodesse non potest, qui se perpetuo subducit ab hominum commercio. Prodibit igitur vir Euangelicus, quoties populus eget cibo sermonis Euangelici, quoties ingravescentes morbi poscunt medicantis opem. Rursus ubi satis pasti sunt, ubi subventum est multorum malis, ne familiaritas pariat contemtum, ne copia fastidium, secedat in suum secretum, ut sacratioribus studiis, velut à divino colloquio semper seipso major ac melior redeat ad juvandos proximos.

17 *Et factum est in una dierum, & ipse sedebat docens. Et erant Pharisæi sedentes, & legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, & Iudææ, & Ieruſalem: & virtus Domini erat ad ſanandum eos.*

17 Sic nimirum Dominus Jesus à secessu reversus Capernaum, se reddidit irritatis jam omnium desideriis. Ibi quum in domo quadam privata sedens doceret, (siquidem ubicunque sedens docet Christus, illic est Ecclesia) confluxerant eodem, non jam plebeji tantum, verum etiam Pharisæi sanctimoniæ specie turgidi, nec non Mosaicæ Legis doctores: qui provocati fama rerum ab Jesu gestarum huc profecti fuerant, non solum ex omnibus oppidis Galilææ, in qua erat Capernaum, & Judææ vicinæ, verum etiam ex ipsa civitate Hierusalem, quæ sibi religionis totius ac sapientiæ fastigium arrogabat. Totus autem Jesus, quoniam fons erat omnis salutis, nihil aliud spirabat, quam vim quandam divinam ad sanandos homines, cujus rei gratia venerat in terras. Et potior hominis pars, priorem curam sibi vindicabat. Oratione sanabat morbos animorum. Prius itaque docuerat, idque sedens, justam doctoris auctoritatem merito sibi vindicans:

18 *Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus: & quærebant eum inferre, & ponere ante eum.*

18 Supererat corporalis morbi depulsio, quæ quoniam erat oculis omnium exposita, fidem adstrueret iis, quæ majore fructu simul & virtute, sed non perinde perspicue gerebantur in animis. Et ecce parata virtutis exercendæ materia. Adest enim paralyticus, lecto affixus, qui à quatuor bajulis deportabatur. Tanta vis erat mali, ut omnibus totius corporis nervis occupatis, miser nihil aliud quam jacere posset: nec aliter quam cadaver circumferretur. Quanquam & alioqui morbi genus ipsum tale est, ut cum eo non magno successu luctari soleant medici. Tanta autem erat bajulorum erga Jesum fiducia, ut non dubitarent, quin Jesus, cui sciebant nullum morbi genus esse immedicabile, conspecta novæ calamitatis imagine misertus succurreret. Tantum in hoc labor erat, ut miser veniret sub oculos Jesu. Siquidem ille jam sanitati proximus est, qui relictis latebris peccandi ut miserabilis semet offert conspectui Jesu, suam agnoscens calamitatem, & illius exspectans benignitatem.

19 *Et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba, aſcenderunt ſuper tectum, & per tegulas ſummiſerunt eum cum lecto in medium ante Ieſum.*

19 Quo minus autem inferrent eum ad pedes Jesu turbæ densitas obstabat, quæ multis obstat alioqui properaturis ad salutem. Verum ea res, quanquam remoraretur ingressum, tamen illustrabat ingens & bajulorum & paralytici desiderium simul & fiduciam. Quanquam enim Deus natura propensus est ad miserendum omnibus, tamen differt nonnunquam beneficentiam suam, quo magis acuat nostrum desiderium, doceatque, nihil nobis non esse tentandum, ut à morbis animi liberemur. Amat hîc improbitatem nostram, qua veluti compellitur ad id, ad quod suapte natura propensissimus est. Itaque mihi vide, quid ausi sint bajuli, imo quid ab illis extorserit paralyticus. Deferunt sarcinam suam in ipsum tectum, eoque nudato, veluti per fenestram funibus demittunt paralyticum, ut erat lecto affixum, in medium multitudinis ante pedes Jesu. Quid impudentius, quam movere tegulas alienæ domus, & tam abominabile spectaculum tali theatro ingerere? Hic turba, quæ in foribus nolebat locum dare misero, coacta est ex alto delabenti cedere. Quid autem inter hæc mitissimus ille Medicus? Non exprobrat impudentiam, & importunitatem: non destomachatur abominando spectaculo interruptum sermonem suum. Nihil rogant bajuli spectantes è tecto, nihil paralyticus, cui morbus etiam linguæ usum ademerat. Et hoc magis loquebatur misericordi Medico, quia loqui non poterat. Nihil erat opus precibus, miserabile spectaculum flagitabat misericordiam: & quod fecerant bajuli, satis arguebat quid sperarent à Domino.

20 *Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo remittuntur tibi peccata tua.*

20 Jesus igitur perspecta illorum admirabili fiducia, plus præstitit quam exspectabant. Summa votorum erat, ut paralyticus corporis morbo liberaretur. At Jesus ostendens esse divinius, ac magis expetendum, liberari morbis animi, versus ad paralyticum, ait: *Homo, remittuntur tibi peccata tua.*

21 *Et cœperunt cogitare Scribæ & Pharisæi, dicentes: Quis est hic, qui loquitur blaſphemias? Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?*

21 Hæc vox quoniam plane divinam quandam potentiam sonabat, commovit animos Scribarum ac Pharisæorum nunquam non ad calumniandum proclivium. Siquidem Sacerdotes, qui pro peccatis offerebant victimas, non ipsi remittebant peccata, sed tantum precibus intercedebant apud Deum ut condonaret illis admissa. Jesus autem absque holocaustomatis Sacerdotalibus, absque precibus, velut auctoritate propria perpetuaque dicit: Remittuntur tibi peccata, generali nomine summam & corpus omnium peccatorum semel complectens, quum Sacerdotes non universa peccata, sed certas aliquas culpas victimis expiandas curarent. Docuerat hoc illos Esaias, solum Deum esse, qui gratis condonaret hominibus peccata. Ita enim loquitur per os sui Prophetæ: *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Sed cum viderent in eo divinæ virtutis indicia, tamen offensi corporis conspecti imbecillitate, partim etiam invidia cæci Scribæ & Pharisæi, malunt calumniari quam credere. Tacitis enim cogitationibus sic intra sese loquebantur, & quod est Pharisaicæ calumniæ proprium, impietati summæ prætexunt pietatem, & studium gloriæ divinæ. Nulla enim pernicioſior impietas: *Quis eſt*, inquiunt, *iſte, qui loquitur blaſphemias*, sibi arrogans quod proprium est Dei? *Quis enim poteſt remittere peccata, niſi ſolus Deus?*

22 *Ut cognovit autem Ieſus cogitationes eorum, reſpondens, dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus veſtris?*

22 Porro Dominus Jesus ut hac quoque parte declararet sibi divinæ naturæ consortium esse, ad tacitas illorum cogitationes respondet hunc in modum: Cur ista cogitatis in cordibus vestris?

23 *Quid eſt facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata, an dicere: Surge, & ambula?*

23 Utrum judicatis facilius dicere peccatis obnoxio, Remittuntur tibi peccata tua, an dicere huic, quem videtis totum paralysi resolutum, Surge & ambula. Quod si videritis homini deplorato subito restitui sanitatem corporis simplici verbo, credite pari facilitate & animam suæ sanitati restitui. Ex hoc, quod oculis conspicamini, credite quod oculis cerni non potest. Ne vos offendat infirmitas hujus corporis, sed ex ipsis factis agnoscite divinam potentiam.

24 *Ut autem ſciatis quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata: (ait paralytico) Tibi dico, ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.*

24 Accipite igitur visibile documentum, quod Filius hominis habeat in sese perpetuam ac propriam potentiam in terris remittendi peccata cunctis, qui sincera fide quærunt ipsius opem, simulque illis attentis, & arrectis, Dominus dicit paralytico: *Tibi dico, ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.*

25 *Et confeſtim conſurgens coram illis, tulit lectum, in quo jacebat: & abiit in domum ſuam, magnificans Deum.*

25 Nec mora, surgit jussus paralyticus sub oculis omnium,

Digitized by Google

omnium, & ſublato in humeros lectulo, in quo decubuerat, pedibus ſuis abiit in domum ſuam: ſubito ſic receptis viribus corporis, ut qui prius decumbens geſtabatur à quatuor bajulis, nunc etiam lecto geſtando ſufficeret. Abiit autem ille totus ſanus & animo & corpore, geſtiens & alacer, glorificans Deum, cujus bonitate reſtitutus eſſet, quum ab hominibus nulla fuiſſet ſpes ſalutis.

26 Et ſtupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti ſunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie.

[26] Populus vero novo ſpectaculo commotus vehementer obſtupuit, ac plerique laudabant Deum, qui tantam poteſtatem dediſſet homini. (nihil enim aliud adhuc de Jeſu ſuſpicabantur) Quidam autem ſibi male conſcii, metu etiam correpti ſunt, non intelligentes, quod Chriſtus in hoc venerat, non ut perderet nocentes, ſed ut redderet innocentes. Dicebant autem inter ſeſe: Conſpeximus hodie mirabilia, quæ nec audivimus unquam facta, neque legimus. Miratur ac timet populus, & hic nonnullus eſt gradus ad ſalutem, ſed muſſant & invident Phariſæi.

27 Et poſt hæc exiit, & vidit publicanum nomine Levi, ſedentem ad Telonium, & ait illi: Sequere me.

[27] Jeſus autem digreſſus illinc quum docuiſſet apud Lacum, docens interim nullo non loco ſpargenda ſemina ſermonis Euangelici, præteriens conſpexit publicanum quendam nomine Matthæum, qui idem dictus eſt Levi, filium Alphæi, ſedentem in telonio. Non id caſu accidit, ſed adſpexiſſe delegiſſe erat. Delegit autem publicanum in conſortium Apoſtolorum, ut ſuos doceret, nullum hominum genus repudiandum ab Euangelica profeſſione, modo relictis priſtinæ vitæ ſtudiis, totos ſeſe dedant pietati. Ait igitur illi: *Sequere me.*

28 Et relictis omnibus, ſurgens ſecutus eſt eum.

[28] Atque is ad vocem Jeſu, velut efficaci quopiam incantamento transformatus in alium hominem, ſurgit, & relictis ut erat omnibus, ſequutus eſt Dominum. Jam hoc erat inſignius miraculum, hominem infami quæſtui deditum, & negotiis inexplicabilibus involutum, repente vertere in alium, quam paralytico ſuos nervos reddere. Atque hoc ipſum jam tum urebat Phariſæos, quod ipſis contemtis adſciſceret publicanos, quorum commercio Judæi ſibi videbantur inquinari, ſed acceſſit quod invidiam illorum cogeret erumpere.

29 Et fecit ei convivium magnum Levi in domo ſua: & erat turba multa publicanorum, & aliorum, qui cum illis erant diſcumbentes.

[29] Matthæus enim jam factus Chriſti diſcipulus, domi ſuæ convivium magnificum inſtruxit. Eo non dedignatus eſt venire Jeſus cum diſcipulis ſuis. Simul autem vocatus erat magnus numerus publicanorum, quos ut Matthæus habuerat prioris inſtituti ſodales, ita cupiebat habere novi inſtituti ſectatores.

30 Et murmurabant Phariſæi & Scribæ eorum, dicentes ad diſcipulos ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis?

[30] Id conſpicientes Phariſæi & Scribæ, jam non continent impium murmur animi ſui, nec audent tamen interpellare Dominum, ſed diſcipulos appellant, apud hos ſuggillant præceptorem, quo ab illo alienarent. Ajunt autem: Quum deceat ſanctos cum ſanctis habere commercium, cur vos publicanos & peccatores palam infames non ſolum admittitis ad colloquium, verum etiam in ipſorum ædibus familiariter editis ac bibitis cum illis, nec menſam communem averſamini, non vulgare neceſſitudinis ſymbolum?

31 Et reſpondens Jeſus, dixit ad illos: Non egent qui ſani ſunt medico, ſed qui male habent.

[31] Jeſus autem intelligens, quorſum tenderet hæc Phariſæorum impia murmuratio, pro diſcipulis reſpondet illis: Quid, inquit, calumniamini, quod cum publicanis & peccatoribus habeam conſuetudinem? Imo cum nullis potius me decet habere commercium. Apud quos enim magis decet verſari medicum, quam apud ægrotos?

32 Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.

[32] Ego in hoc veni, ut medear animabus peccatorum morbis obnoxiis. Et ſanabiliores ſunt hi palam peccatores, agnoſcentes morbum ſuum, & ideo medicum accerſentes, quam alii qui ſibi ſani videntur, juſtitiæ ſpecie ſeſe venditantes apud homines, quum intus gravioribus malis laborent, & inſanabilius ægrotent, quam hi quorum morbus in aperto eſt. Quare cum medicus ſim, non par eſt mihi indignari juſtos, ut ſibi videntur, ſi cum ipſis non habeam conſuetudinem, quum ſanis non ſit opus medico. Porro qui vere juſti ſunt, non debent invidere peccatoribus, ad meliorem vitam reſipiſcere conantibus. Quod ſi faciant, non minus damnandi ſunt, quam ſi qui ſanus eſt indignetur medico, viſenti ægrotum ut eum morbo levet. Nam in animi negotio ſanus non eſt ipſe, qui ſanitatem invidet ægrotanti: & ipſe morbo tenetur, qui quum poſſit, non ſublevat morbo proximum ſuum. Hac tam manſueta, tamque probabili reſponſione Dominus Jeſus & patrocinatus eſt ſuis diſcipulis, nondum ſatis inſtructis ad retundendum Phariſæorum & Scribarum malitioſas captiunculas, & ſuam erga peccatores comitatem docuit eſſe miſericordiam, non favorem injuſtitiæ, & eorum arrogantiam tacite, ſed acriter coarguit, qui magno ſupercilio deſpicerent cæteros homines, quum ipſi hoc ipſo eſſent immedicabiliter impii, quod ſibi falſo placerent nomine religionis.

33 At illi dixerunt ad eum: Quare diſcipuli Joannis jejunant frequenter, & obſecrationes faciunt, ſimiliter & Phariſæorum: tui autem edunt & bibunt?

[33] Sed calumnia calumniam excipit. Ea nata eſt partim ex his, qui fuerant diſcipuli Joannis. Joannes enim quum eſſet confinium Legis mox ceſſaturæ, & Euangelicæ libertatis mox emerſuræ, quædam tradebat, quæ non prorſus abhorrebant ab inſtitutis Phariſæorum, quum Chriſtus, qui multorum opinione videbatur Joanne inferior, indulgentius ac mollius haberet ſuos; in his duntaxat, quæ ad corporales obſervationes pertinent, quod genus ſunt, jejunia ac preces. Nam his præcipue rebus Phariſæi ſibi ſanctimoniæ famam conciliabant apud populum. Chriſtus autem quanquam ipſe frequenter oraret, tamen ſuos docuit, & paucis & clam eſſe orandum: nec ullum exegit jejunium, ad quædam etiam connivens, quibus Legis præſcripta negligi videbantur, cum eos alia ratione fingeret ad fortiora, quæ propria ſunt Euangelicæ fortitudinis. Siquidem longe fortius eſt injuriam condonare ex animo: bene mereri etiam de male meritis: pro ſalute proximi vitæ jacturam facere, quam inediam perferre uſque ad veſperam, aut Pſalmos aliquot lingua ſonare. Phariſæi quod erat viſibile, quodque per hypocriſim geri poterat, plurimi faciebant, negligentes ea, quæ veræ perfectæque virtutis ſunt. Sed hi Scribis impudentiores audent ipſum Dominum interpellare, dicentes: Quid eſt cauſæ, quod diſcipuli Joannis frequenter jejunant, & orant prolixe, tui vero edunt ac bibunt pro ſuo arbitrio, neque perinde conſpiciuntur frequentes in precando? Si conſtanter probas Joannis ſanctimoniam, cur diſſides ab illius inſtitutione?

34 Quibus ipſe ait: Numquid poteſtis filios ſponſi, dum cum illis eſt ſponſus, facere jejunare?

[34] Ad hanc calumniam Dominus, quoniam ad ipſum proprie pertinebat, civiliter ac placide reſpondit, dicens: Non damno preces ac jejunia, ſed in his interim indulgeo meis diſcipulis, ut alia ratione paulatim ad fortiora proveham. In his quæ corporis ſunt, & ad Legis accedunt ceremonias, lenior eſt noſtra inſtitutio: ſed in his quæ ſunt animi, longe ſeverior eſt. Hæc quæ vos veluti ſanctitatis faſtigium admiramini, ſua ſponte facient mei, ſi quando res ita poſtulabit. Nolite meis interim invidere hanc libertatem. Exitus rerum indicabit, utrius inſtitutio fuerit efficacior. Joannes gloriabatur ſe ſponſi amicum eſſe, non ſponſum. Non convenit autem, ut qui ſponſo familiariter adhærent, & in thalamo verſantur, ubi par eſt omnia eſſe læta, compellantur ad jejunium. Teneri adhuc ſunt, ac toti pendent à ſponſo. Hujus non erit illis diuturna copia.

35 Venient autem dies: cum ablatus fuerit ab illis ſponſus, tunc jejunabunt in illis diebus.

[35] Veniet autem tempus quum orbabuntur ſponſo, tum facti firmiores ultro ac volentes non ſolum jejunabunt, verum etiam in mortem & in carcerem ibunt, quoties exiget caritas. Jejunium per ſe nec bonum eſt, nec malum. Proinde qui jejunant tantum ut jejunent, nihil magni faciunt: verum qui poſſunt juxta meam inſtitutionem contemnere glo-

gloriam hujus mundi, negligere voluptates, spernere opes, affectus omnes pro nihilo ducere, refrænare iram, invidiam, bene velle male volentibus, bene dicere maledicentibus, orare pro persequentibus: denique vitam habere vilem pro salute fratris, hos agnoscam ut me dignos discipulos. Carnis præsentia reddit illos interim infirmos: sed quum ablata fuerit hujus corporis copia, posteaquam hauserint spiritum Euangelicum, tum arcanis dotibus erunt fortes, & invicti. Qui justitiæ laudem constituunt in corporalibus observationibus, quoniam confidunt suis operibus, imbecilles reperiuntur ad ea perpetienda, ad quæ meos præparo. Sed qui suis diffisi factis, præsidium omne collocant in animi dotibus, quas mihi acceptas referent, hos nulla frangit adversitas. Diversa est Joannis ac mea institutio, quia diversus est scopus. Non possunt ista duo misceri. Qui meus vult esse discipulus, totus spiritualis sit oportet, nihil fiduciæ collocans in rebus corporalibus, in quibus sita est tota Pharisæorum justitia: & ideo nihil istarum rerum meis præcipio, quæ quicquam habeant affine cum carnali Legis observatione, ne si vel paulum admisero, toti relabantur eo, unde volo illos esse alienissimos.

36 Dicebat autem & similitudinem ad illos: Quia nemo commissuram à novo vestimento immittit in vestimentum vetus: alioquin & novum rumpit, & veteri non convenit commissura à novo.

36 Ut autem ostenderet Dominus Jesus, quantum interesset inter Joannem, qui suos ad pristinæ Legis haustam salivam instituebat, & se, qui longe diversa ratione formabat suos ad perfectiora, proposuit hujusmodi similitudinem: Nullus, inquit, tam stultus est, ut si veteris vestis rupturam sarcire velit, immittat pannum novum ex nova veste resectum. Quod si faciat, duplex est incommodum. Primum enim lacerat vestem novam, ut veterem sarciat: deinde pannus novus additus veteri vestimento, quoniam non convenit, prodit sarturæ deformitatem.

37 Et nemo mittit vinum novum in utres veteres, alioquin rumpet vinum novum utres, & ipsum effundetur, & utres peribunt.

37 Rursum nemo tam stultus est, ut vinum mustum condat in utres antiquos: alioqui fiet, ut vis vini musti efferveſcentis dirumpat utres veteres, & consequetur duplex jactura. Nam & utres peribunt, & vinum effundetur.

38 Sed vinum novum in utres novos mittendum est, & utraque conservantur.

38 Quid igitur faciendum est? Ne misceantur ea quæ non congruunt inter sese. Vetus vestimentum veteri panno sarciatur, novæ vesti ne quid admisceatur veteris panni. Vinum mustum condatur in utres novos, sic fiet ut & utres serventur & vinum.

39 Et nemo bibens vetus, statim vult novum, dicit enim: Vetus melius est.

39 Scio quam sit difficile novam hanc, & spiritualem doctrinam commendare iis, qui jam diu veteri assueverunt. Vix enim quicquam placet cuiquam, diversum ab eo cui diu assueverit. Protinus enim offenditur ad gustum inusitatæ rei. Quemadmodum qui diu bibit de vino veteri, non statim delectatur musto. Requirit enim gustum, cui assuevit, & dicit vetus fuisse melius, non ob aliud, nisi quod assuevit. Ita qui consueverunt* in Judaismo, resiliunt ad gustum doctrinæ spiritualis, & illa crassiora, quibus assueverunt, requirunt, circumcisionem, festos dies, sabbatismos, discrimina ciborum, vestes, jejunia, Hierosolymam, Templum, victimas, lotiones, vota, constitutiunculas Pharisaicas, aliaque his consimilia. Atque hæc non solum requirunt, verum etiam præferunt his, quæ sunt longe potiora, cujusmodi sunt, animus à pravis cupiditatibus circumcisus: animus ab omnibus profanis studiis perpetuo feriatus: animus ab omni malorum affectuum tumultu tranquillus: animus abhorrens ab omnium contagio, quæ inquinant mentis puritatem: animus, fide, caritate, modestia, puritate redimitus: animus ab omnibus malis semper temperans: animus semper adspirans ad cœlestem patriam: animus Spiritus Sancti templum & hospitium: animus semper seipsum offerens gratam ac puram victimam Deo: animus ab omni labe purus per fidem Euangelicam: animus ab omnibus quæ sunt hujus mundi abdicatus, seque totum divinis rebus dedicans: animus observantissimus eorum, quæ præcipit ac requirit Euangelica doctrina. Requirit autem fidem, & præcipit caritatem. Hoc nimirum est vinum meæ doctrinæ novum, quod non ferent utres assueti vappæ Mosaicæ, sed requirit utres novos ac puros, spiritualibus dotibus fortes ac firmos.

* Alia Editio, *consenuerunt*.

CAP. VI.

Factum Davidis: manus arida: nomina: fausti: Quid facias, quid non: stirpsque, domusque bona.

1 Factum est autem in sabbato secundo primo, cum transiret per sata, vellebant discipuli ejus spicas, & manducabant confricantes manibus.

1 Et ecce accommodum successit occasio, per quam explicaretur quid esset vinum novum, qui veteres utres: sabbati religio vinum erat vetus: caritas autem per omnem occasionem parata subvenire proximo, vinum est novum. Accidit itaque sabbato quodam (quod Judæi δευτεροπρώτον, hoc est, *secundo primum* vocant: propterea quod incidens inter duo sabbata, videatur geminam habere religionem, quod & finis sit sabbati præcedentis, & initium sequentis) ut Jesus iter faceret per segetem. Porro discipuli, quum forte fortuna esurirent, revulsas spicas aliquot confricabant manibus, & granis vescebantur. Erat hoc populare famis urgentis solatium.

2 Quidam autem Pharisæorum dicebant illis: Quid facitis quod non licet in sabbatis?

2 Quo quidem in casu, quum Euangelica caritas ultro fuerit esurientibus suppeditatura cibum: Pharisæi veteres utres, antiquæ superstitionis vappam requirunt, dicentes: Cur ista facitis, quæ nefas est facere sabbatis?

3 Et respondens Jesus ad eos, dixit: Nec hoc legistis quod fecit David, cum esuriisset ipse, & qui cum illo erant:

3 Hic Dominus rursum suis patrocinans, respondit: Vos qui Legis cognitionem profitemini, non saltem illud legistis, quid fecerit David in simili casu, quum esuriret ipse cum suis comitibus, quemadmodum videtis nunc meos esurientes?

4 Quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit, & manducavit, & dedit his qui cum ipso erant: quos non licet manducare nisi tantum sacerdotibus?

4 Non solum ausurus erat in famis discrimine facere, quod mei nunc faciunt, sed homo profanus ingressus est templum Dei, nec veritus est vesci sacris panibus, quos illi propositionis appellant, quibus solis Sacerdotibus vesci fas erat. Nec ipse solum ausus est vesci, sed ex iisdem pavit comites suos, nihil commotus, neque Templi religione, neque Legis interdicto, vetantis quenquam attingere panes illos, præter Sacerdotes, idque tantisper donec in Templo versantes sacris operarentur. Ne Sacerdos quidem veritus est illos panes sacros tradere, nimirum intelligens observationes hujusmodi non esse institutas ad perniciem hominum, sed ad salutem, & idcirco cessare, quoties major quædam urget causa.

5 Et dicebat illis: Quia Dominus est Filius hominis, etiam sabbati.

5 Quumque hac de re multa disseruisset Dominus Jesus, sermonem hac concluſit sententia: Illud habetote pro certo, quod Filius hominis, qui Dominus est omnium, Dominus etiam est sabbati. Etenim qui condidit sabbatum, abrogare potest sabbatum. Et qui venit salutem daturus omnibus, non impeditur à suo officio religione sabbati.

6 Factum est autem & in alio sabbato, ut intraret in Synagogam, & doceret. Et erat ibi homo, & manus ejus dextra erat arida.

6 Successit & aliud exemplum, quam non ferant veteres utres vinum mustum Euangelicæ libertatis. Accidit enim, ut alio quodam sabbato juxta morem suum ingrederetur Synagogam ac doceret. Ferebant hoc utcunque Pharisæi, quoniam ex more præscriptoque Legis erat. Sed aderat illic inter multos homo quidam miserabilis, manum, cujus opera solitus est alere seipsum ac liberos, circumferens arefactam ac mancam, ut præstiterit non habere manum, quam onerari mortua.

7 Observabant autem Scribæ, & Pharisæi, si in sabbato curaret: ut invenirent unde accusarent eum.

7 Atque interim Scribæ & Pharisæi, quos oportebat misertos hominis interpellare Jesum pro sanatione, taciti observabant eum, an restitueret homini manum. Noverant enim Domini clementiam ubique promtam ad opitulandum omnibus. Atque hinc captabant ansam calumniandi de violato sabbato, si eo die manum restituisset homini calamitoso, quo Lex vetuerat operari.

8 Ipse vero sciebat cogitationes eorum: & ait homini, qui habebat manum aridam: Surge, & sta in medium. Et surgens stetit.

8 Jesus autem non ignarus quæ apud sese cogitarent Scribæ & Pharisæi, compellat hominem, cui manus erat manca, quoque conspicuus esset omnibus, jussit ut surgeret, & prodiret in medium populi.

Digitized by Google

puli. At ille, ut ſtatim intelligas fuiſſe dignum beneficio Jeſu, obediens ſurrexit, inque omnium conſpectu conſtitit, exhibens ſuæ calamitatis ſpectaculum.

9 Hic Jeſus verſus ad Scribas & Phariſæos, non prodidit quidem populo malitioſas ipſorum cogitationes, ſed interrogatione perculit illorum conſcientias, dicens: Libens à vobis didicerim, qui profitemini Legis ſcientiam, utrum liceat ſabbato beneficio juvare proximum, an potius deſerere proximum in calamitate, cui poſſis ſubvenire? Et utrum fas eſt ſervare vitam hominis in ſabbato, an perdere? Perdit enim vitam alterius, qui cum poſſit ſervare, non ſervat.

10 Cumque Dominus circumtuliſſet oculos, neque quiſquam eſſet qui reſponderet, dixit homini: Extende manum tuam. Extendit illico manum prius mancam, contractam & immobilem. Tanta vis erat jubentis.

11 Quid hic facerent Scribæ & Phariſæi? Miraculum evidentius erat quam ut negari poſſet: ſenſus communis approbabat eſſe pium quovis tempore ſuccurrere ſaluti mortalium. Sed non ferunt muſtum Euangelicæ caritatis, aſſueti vappæ Legis Moſaicæ. Quum ex his factis debuerint agnoſcere virtutem divinam, & agnoſcere Legis auctorem, vertuntur in amentiam. Jamque inter ſeſe ineunt parricidiale conſilium, qua via perderent Jeſum. Hoc apud illos religionis proceres licebat ſabbato, quum religio eſſet homini miſerabili ſalutem conferre ſabbato.

12 Rurſus Dominus Jeſus, relictis urbibus & hominum frequentia, ſeceſſit in montem ad deprecandum, eamque noctem peregit in deprecando Deum: nos interim docens, ſi quid auſpicari volemus, quod felix ac fauſtum eſſe cupimus, à deprecatione auſpicemur, ut Deus noſtris cœptis dexter ac favens adſpiret.

13 Ubi vero diluxit, vocavit ad ſe diſcipulos ſuos, quos jam habebat perpetuos comites, ac teſtes eorum quæcunque gerebat. Ex his præcipuos aliquot delegit, quos ideo nominavit Apoſtolos, quod eos miſſurus eſſet veluti legatos Euangelicos in orbem univerſum, nihil aliud acturos, quam quod haberent in mandatis.

14 Horum nomina ſunt hæc: Simon, cui poſtea nomen additum Syriace Cephas, Græce πέτρος, Latine ſaxum, videlicet ob ſolidam profeſſionem, qua, vacillante populo, ceu vox Apoſtolorum omnium pronuntiavit Jeſum Filium Dei vivi: hujus collega fuit Andreas, frater ipſius. Deinde Jacobus & Joannes, Philippus & Bartholomæus,

15 Matthæus & Thomas, Jacobus Alphæi filius, & Simon, cui cognomen Zelotes,

16 Judas Jacobi frater, & Judas Iſcariotes, qui prodidit Jeſum, quem non per imprudentiam elegit, ſed per providentiam, ut hujus exemplo doceret omnes, quam horrendum ſit abuti lenitate Servatoris erga nos. Ac ne in toto quidem Apoſtolorum numero quiſquam erat potens aut dives, aut doctus, aut Phariſæus, aut Scriba, aut Pontifex. Rudes delegit omnes, ut novis utribus novum vinum infunderet.

17 His ita delectis deſcendit è monte, donec veniret in planiciem multitudinis capacem. Siquidem quæ perfectiſſimam puritatem deſiderant, in monte ſunt peragenda. In his primum locum tenet deprecatio, proximum delectus eorum, quibus credenda eſt diſpenſatio ſermonis Euangelici. Aderat autem & reliqua diſcipulorum multitudo, præterea copioſa multitudo promiſcui populi, qui eo confluxerat ex tota Judæa, atque ab ipſa etiam Hieroſolyma, item à civitatibus maritimis Tyro & Sidone:

18 Nam multos etiam è longinquo pertraxerat aviditas audiendi ſermonem Euangelicum, nonnullos ſpes ſanitatis. Liberabat enim omnes ab omni morborum genere, quibus tenebantur. Quin etiam hi, qui vexabantur à Spiritibus impuris, ſanabantur.

19 Hæc autem omnia peragebantur tanta facilitate, ut alios ſolo juſſu, alios veſtis etiam contactu ſubito redderet ſanitati. Erat enim in eo fons ac plenitudo virtutis divinæ, quæ proficiſcebatur ab eo, non ſecus ac lumen à Sole, calor ab igni, ac ſalutem adferebat omnibus. Servator enim erat, & omnibus ſanandis venerat.

20 Poſt hæc cœpit proferre muſtum Euangelicæ doctrinæ, cui delegerat aliquot firmiores veluti novos utres: Beati, inquit, eſtis, qui nihil habetis elati ſpiritus, ac vobis ipſis diſplicetis, quoniam tametſi juxta mundum videmini contemti & adſpernabiles, tamen veſtrum eſt regnum Dei, longe magnificentius omni regno mundi. Videtis profligari morbos, profugere Dæmones, aboleri peccata. Quid habet hujus mundi celſitudo cum hac ſublimitate conferendum? An non magnificum regnum eſt, nulli ſervire vitio: nullis obnoxium eſſe cupiditatibus: conculcaſſe Satanam cum omnibus ſuis copiis: viciſſe mundum cum omnibus ſuis terroribus & illectamentis: adſcitos eſſe in conſortium Dei: adſcriptos eſſe regno cœleſti?

21 Beati qui nunc tenues, eſuritis, ſititis, & contenti frugalitate, ſpernitis opes ac luxum hujus mundi: eſuritis autem animi cibum, qui eſt ſermo divinus, ſititis vivam aquam Euangelici ſpiritus, quoniam continget vobis ſalubribus his deliciis expleri, quas defideratis. Beati, qui vos ipſos orbaſtis ultro voluptatibus hujus mundi, ſtudio pietatis Euangelicæ, præferentes ea quæ per temporarias afflictiones perducunt ad æternæ vitæ gaudia, quia veniet tempus, ut verſis rerum vicibus, dolor veſter vertatur in gaudium, & luctus in riſum.

22 Vulgus felices appellat, quibus applaudit populus, qui ad honores provehuntur, qui magnificis titulis celebrantur. Vos autem me auctore beati eritis, quum vos deriſerint homines; quum vos ut execrabiles è contubernio ſuo ejecerint, quum in vos mea cauſa multa probra congeſſerint, cum nomen etiam veſtrum ac memoriam vel abolere prorſus, vel abominabilem poſteris reddere ſtuduerint, idque nulla veſtra culpa, ſed odio Filii hominis, cujus doctrinam & gloriam prædicabitis.

23 Ne quid ob hæc diſpliceatis vobis, quin potius gaudete, cum hæc vobis acciderint, & exſultate. Etenim ſi non reſpondebit meritis favor hominum malorum, tamen manet vos copioſa merces benefactorum in cœlis. Homines non poterunt abolere veſtra nomina, quæ ſcripta ſunt in cœlis: non poterunt ſuis probris obſcurare gloriam veſtram, quæ cum mea gloria ſemper jungetur. Imo quo magis inſectabuntur nomen ac famam veſtram, hoc magis illuſtrabunt. Etenim impiis diſplicuiſſe ſumma laus eſt. Non novum eſt hoc exemplum. Semper malis inviſa fuit egregia virtus. Quod in vos facient hujus ætatis homines, hoc idem horum majores fecerunt in ſanctos Prophetas, non ob aliud, niſi quia juxta voluntatem Dei non ſilebant veritatem, ſemper inviſam improbis. Horum exemplo vos ipſos *conſolamini. Quorum nomen illi conati ſunt abolere, horum memoria nunc ſacroſancta eſt apud omnes. Vobis tamen veſtra fretis innocentia, non eſt cogitandum de vindicta. Non enim cedet illis impune, quod facient in vos, licet interim videantur hujus mundi bonis felices ac florentes. Differuntur enim ad æterna ſupplicia.

24 Proinde væ vobis divitibus, qui vobis interim placetis, oblectantes animos veſtros opibus, honoribus, & illecebris hujus mundi, nec cogitatis brevi futurum, ut iſta vana felicitas vobis auferatur, & ſuccedat infelicitas æterna.

25 Væ vobis, qui nunc ridetis, deliniti rerum fluxa-

* Alia Editio, *conſolabimini.*

5 *Dixit autem ad illos Jeſus: Interrogo vos, ſi liceat ſabbatis benefacere, an malefacere, animam ſalvam facere, an perdere?*

10 *Et circumſpectis omnibus dixit homini: Extende manum tuam. Et extendit: & reſtituta eſt manus ejus.*

11 *Ipſi autem repleti ſunt inſipientia, & colloquebantur ad invicem, quidnam facerent Jeſu.*

12 *Factum eſt autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.*

13 *Et cum dies factus eſſet, vocavit diſcipulos ſuos: & elegit duodecim ex ipſis (quos & Apoſtolos nominavit)*

14 *Simonem, quem cognominavit Petrum, & Andream fratrem ejus, Jacobum, & Joannem, Philippum, & Bartholomæum;*

15 *Matthæum, & Thomam, Jacobum Alphæi, & Simonem, qui vocatur Zelotes,*

16 *Et Judam Jacobi, & Judam Iſcariotem, qui fuit proditor.*

17 *Et deſcendens cum illis, ſteti in loco campeſtri, & turba diſcipulorum ejus, & multitudo copioſa plebis ab omni Judæa, & Jeruſalem, & maritimæ, & Tyri, & Sidonis,*

18 *Qui venerant ut audirent eum, & ſanarentur à languoribus ſuis. Et qui vexabantur à ſpiritibus immundis, curabantur.*

19 *Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.*

20 *Et ipſe elevatis oculis in diſcipulos ſuos, dicebat: Beati pauperes: quia veſtrum eſt regnum Dei.*

21 *Beati, qui nunc eſuritis: quia ſaturabimini. Beati, qui nunc fletis: quia ridebitis.*

22 *Beati eritis cum vos oderint homines, & cum ſeparaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen veſtrum tanquam malum, propter Filium hominis.*

23 *Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlo: ſecundum hæc enim faciebant Prophetis patres eorum.*

24 *Verumtamen væ vobis divitibus, quia habetis conſolationem veſtram.*

25 *Væ vobis, qui ſaturati eſtis: quia eſurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis.*

xarum ſucceſſu, dulcique fortuna ebrii, quia mox verſis rerum vicibus, lugebitis & flebitis, ac momentaria voluptas in perennem cruciatum commutabitur.

26 Ve cum benedixerint vobis homines: ſecundum hæc enim faciebant pſeudoprophetis patres eorum.

26 Ne placete vobis, quum ob falſam felicitatis ſpeciem vobis gratulantur & applaudunt homines, ignari veræ felicitatis, quum ea quæ turpiter & impie geruntur à vobis laudibus vehunt, impiam inſectationem Euangelicæ veritatis appellantes zelum Legis: ac bonorum afflictionem cædemque vocant pietatem. Laus iſta falſiſſima non liberabit vos à vindicta Dei, ſed gravioribus etiam ſuppliciis dignos reddet, quod non ſolum non puduerit impiorum facinorum, verum etiam ex malefactis laudem quæſieritis. Qui vos laudabunt ob impia facta, horum majores itidem applaudebant olim Pſeudoprophetis, adverſus Domini Prophetas rebellantibus, & in horum cædem principes ac populum concitantibus. Prophetæ Domini non quæſiere vindictam adverſus perſequutores, & tamen nec piis defuit ſua merces, nec impiis ſua pœna. Sero pœnitebit ſcelerum, qui nunc audire negligunt monitorem. Viderint ipſi quid commereant, qui pro benefactis reponunt maleficia.

27 Sed vobis dico, qui auditis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos.

27 Vobis autem, qui præbetis aurem meis dictis, hoc novum præceptum trado, veluti muſtum Euangelici vigoris. Non ſolum non rependite malum malo, verum etiam diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui vobis malefaciunt.

28 Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos.

28 Pro convitiis ac probris, ſermonem amicum ac ſalutiferum rependite. Orate pro his, qui vos calumniantur, ut veſtris precibus reconcilientur Deo, condonatis veris criminibus, qui vos falſis criminibus deferunt apud homines.

29 Et qui te percutit in maxillam, præbe & alteram. Et ab eo, qui aufert tibi veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere.

29 Tantum autem abſitis ab injuriæ retaliandæ cupiditate, ut ſi quis tibi percuſſerit unam maxillam, citius alteram offeras cædendam, quam ulciſcaris. Et ſi quis tibi conetur auferre pallium, ſine potius ut auferat & tunicam, quam in injuriæ venias contentionem. Ille tum vere injuriam paſſus eſt, qui fecit injuriam: contra qui damno rei conſuluit paci & tranquillitati, lucrum fecit, non damnum. Veſtrum ſtudium ſit, omnibus benefacere, lædere neminem. Si quis læſerit, vindicem habetis Deum. Si quid benefeceritis, remuneratorem habetis Deum. Penes illum ſit utriuſque rei cura.

30 Omni autem petenti te, tribue: & qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas.

30 Eſto promtus ad donandum, ſi quis quid abs te petierit, ſic conciliatur amor mutuus. Quod ſi quis per fraudem aut vim rem tuam tibi eripit, ſine potius habere illum, quam deſcendas in contentionem. Præſtat perdere pecuniam, domum aut fundum, quam ob hæc recuperanda deſerere bona potiora.

31 Et prout vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter.

31 Abſit autem dolus ab omni vita veſtra, ſed quod quiſque velit ab aliis erga ſe fieri, ſi res poſcat, id faciat erga proximum. Et quod in ſe fieri nolit, ne moliatur in alterum: hoc eſt enim diligere proximum, non ſecus quam teipſum. Unuſquiſque ſibi carus eſt, nec aliquod à ſeipſo præmium amoris exigit. Sit igitur & erga proximum ſimplex & gratuita caritas, parata benefacere quoties erit opus, nullo mercedis ad te redituræ reſpectu, ſed tantum ob hoc quia proximus eſt, etiamſi non ſit unquam relaturus gratiam, ac ne in amore quidem mutuo reſponſurus. Et amoris & beneficii veſtri præmium ab uno Deo ſperate.

32 Et ſi diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia? nam & peccatores diligentes ſe diligunt.

32 Nam ſi diligatis eos, qui vos diligunt, quid præmii poſtulabitis à Deo? Amor amore penſatus eſt. Qui redamat amantem, non amaturus niſi redametur, is multum abeſt ab Euangelica caritate, quæ amicos pariter & inimicos complectitur. Qui vero redamat amantem, quid facit eximium, ac dignum Euangelica ſublimitate? Nonne qui mundum hunc diligunt, & alioqui peccatores ſunt, tamen ductu naturæ diligunt diligentem, & averſantur eum, qui non reſpondet amore mutuo?

33 Et ſi beneficium contuleritis in eos, qui in vos fuerunt benefici, quid præmii debebitur vobis? Non eſt iſta beneficentia Euangelica, ſed permutatio beneficiorum. Siquidem & peccatores, & ab Euangelicæ profeſſionis ſublimitate alieni, ductu naturæ referunt acceptum beneficium, exſecrantes ingratitudinem. Iſta non facere, turpiſſimum eſt: facere, nihil magnæ laudis.

33 Et ſi beneficeritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis eſt gratia? ſiquidem & peccatores hoc faciunt.

34 Ad hæc ſi mutuum dederitis his, à quibus ſperatis vos recepturos ſortem, quid dignum facitis Euangelico vigore? Nonne mali malis viciſſim dant mutuum, ac recipiunt? Vulgare officium eſt, commodare in tempore, ut viciſſim tibi commodetur. Non eſt purum officium, quod ſpe redituri officii confertur. Si tuam opem deſiderat proximus, & petit mutuum, dato, etiamſi nulla ſpes ſit reddendæ pecuniæ: ſed hoc animo dato, ut ſi non reddiderit, donum eſſe velis, non mutuum.

34 Et ſi mutuum dederitis his, à quibus ſperatis recipere, quæ gratia eſt vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia.

35 Sit veſtra gratuita & caritas, & beneficentia. Bene velitis etiam iis, qui vobis male volunt. Benefacite etiam his, qui vel non referent beneficium, vel beneficium maleficio penſabunt. Et dato mutuum hoc animo, ut etiamſi nihil ſit ad te redituram, tamen gaudeas opitulari proximo. Nec eſt periculum, ne vobis pereat merces veſtra; ſiquidem hoc copioſius præmium rependet Deus, quo minus repenſum aut ſperatum fuerit ab hominibus. Et ita facientes, ut germanos filios ſuos agnoſcet Altiſſimus, ſi bonitatem ipſius fueritis pro viribus imitati: Nam ille adeo natura beneficus eſt, ut tantum liberalitatis conferat, non ſolum in bonos, verum etiam in malos. Omnibus enim impartit vitam. Deinde cœlum ac terram tot ornamentis, tot opibus, tot commoditatibus inſtruxit ad uſum etiam impiorum, malos ſua lenitate benignitateque provocans ad reſipiſcendum, bonos autem excitans ad gratiarum actionem.

35 Verumtamen diligite inimicos veſtros: benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes: & erit merces veſtra multa, & eritis filii Altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos.

36 Hanc largam & omnibus expoſitam Patris beneficentiam, tanquam germani filii referre debetis, ut hujus exemplo, quantum in vobis eſt, modis omnibus prodeſſe ſtudeatis univerſis: & bonis quo fiant meliores, & malis ut veſtra manſuetudine provocentur ad meliorem frugem. Si Deus, qui novit omnium mortalium corda, tamen ex immenſa naturæ ſuæ bonitate tam beneficus eſt erga plurimos indignos, in quibus ſcit perituram largitatem ſuam: quanto magis vos idem oportet facere, quos ſæpe latet, digni an indigni ſint qui beneficio juvantur, & incertus eſt rerum exitus? Etenim ſæpenumero fit, ut qui prima ſpecie mali videantur, boni ſint: & rurſum qui nunc peſſimi ſunt, mox vertantur ad mentem meliorem, præſertim quum quiſque talem ſit experturus Deum erga ſe, qualem ipſe ſe præbuerit erga proximum.

36 Eſtote ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.

37 Eſt autem & hoc Chriſtianæ manſuetudinis ac ſimplicitatis, proximi dicta, factaque, quæ quo animo fiant dubia ſunt, in meliorem interpretari partem. Sincerus enim animus ſemper propenſior eſt ad bene opinandum, quam ad male ſuſpicandum. In manifeſtis autem malis, quod genus ſunt, obtrectatio, turpiloquium, rapina, adulterium, veſtræ bonitatis erit mederi vitiis, quantum in vobis eſt, homines ipſos non odiſſe, nec ulciſci. Ne judicetis igitur quenquam; ita fiet, ut ipſi viciſſim non judicemini. Ne condemnetis quenquam; ita fiet, ut viciſſim non condemnemini. Remittite ſi quid in vos admiſſum eſt, & viciſſim Deus remittet vobis peccata veſtra.

37 Nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite, & dimittemini.

38 Eſtote liberales ac benefici in proximum, & redibit ad vos multo cum fœnore veſtrum beneficium. Refundetur enim in ſinum veſtrum menſura bona, conferta, agitata & exuberans, etiamſi ab hominibus nulla redeat ad vos beneficii penſatio. Eadem enim menſura, qua vos menſi fueritis veſtram erga proximum liberalitatem, referetur vobis præmium.

38 Date, & dabitur vobis: menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperefluentem dabunt in ſinum veſtrum. Eadem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis.

Si

Si contracti parcique fueritis erga proximum, talem sentietis & remunerationem.

39 *Dicebat autem illis & similitudinem: Numquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt?*

39 Quo magis autem hæc Dominus Jesus infigeret animis suorum, adjecit similitudinem: Nunquid potest cæcus cæco dux esse? Quod si tentet, nonne futurum est, ut ambo in foveam incidant? Purus sit ipse ab omni crimine oportet, qui velit alteri præire. Quid sit agendum, quomodo docebit alium, qui ipse tenetur errore?

40 *Non est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus.*

40 Sed durum est perpeti quorundam obstinatam malitiam. Cur gravamini perferre, quod ego perfero? An par est, potiorem esse discipuli conditionem quam magistri? Satis * erat perfectus, si magistro æquetur.

41 *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non conspicis?*

41 Cur autem iniquum judicem te præbes proximo, ipse gravioribus malis obnoxius? Cur in aliorum vitiis tam oculatus es, cum ad tua ipsius mala cæcutias? Cur vides festucam in oculo fratris, & trabem, quæ in oculo tuo est, non consideras?

42 *Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine ejiciam festucam de oculo tuo: ipse in oculo tuo trabem non vides? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo: & tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui.*

42 Qua vero fronte possis dicere fratri tuo: Frater, patere ut ejiciam festucam ex oculo tuo, quum ipse trabem infixam oculo tuo non dispicias? Vera bonitas in alios judex clementior, in se severius animadvertit. Contra simulata sanctitas hinc sibi venatur opinionem integritatis, si ad sua ipsius errata connivens, in aliorum humanos lapsus severissime debacchetur. Condemnas fratrem ex cibo potuve, & ipse proximo moliris exitium? Audi simulator justitiæ: Si vere vis esse justus, primum ejice trabem ex oculo tuo, ac tum, si videbitur, dispicies, ut eximas festucam ex oculo fratris tui. Nunc præpostero judicio tuis ipsius malis † blandiris, aliena elevas: ad tua ipsius mala lenis es ac remissus, sævus in aliena. Cur vobis sanctimoniæ laudem arrogatis ex his rebus, quæ communes possunt esse bonis ac malis? Neque vestis, neque cibus, neque prolixæ preces, neque lata phylacteria declarant hominem bonum.

43 *Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos: neque arbor mala, faciens fructum bonum.*

43 Non enim ex foliis æstimatur arbor, sed ex fructibus. Fructus autem ex radice succum suum trahit: qui si amarus est, non potest arbor gignere fructum suavem: Sin bonus est, non potest arbor alium proferre fructum, quam suo succo respondentem. Folia cortexque videntur & fallunt, succus & radix non videntur. Si corruptus est animus, malum est quicquid hinc proficiscitur: si sincerus est, sincerum est quicquid hinc nascitur.

44 *Unaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant uvam.*

44 Habet unaquæque arbor suos fœtus, quos dissimulare non potest. Neque enim è spinis colligitur ficus, neque de rubo colligunt uvam.

45 *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: & malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur.*

45 Bonum est, quicquid bonus homo fecerit, quicquid ederit, quocunque vestiatur, aut quicquid agat earum rerum, quæ per se neque bonæ sunt, neque malæ, sed speciem habent pietatis potius, quam veram pietatem. Vescitur bonus homo, bene facit: non vescitur, bene facit: utrunque enim ex affectu bono proficiscitur. Rursum malum est quicquid homo malus facit, propterea quod ex corrupto proficiscitur animo, quomodocunque vestiatur, sive jejunet, sive comedat, sive oret, sive non oret. Vultis autem nosse fructus arboris Euangelicæ, cujus radicem implevit suavissimus succus fidei & caritatis? Amat omnes, odit neminem, bene vult etiam inimicis, tantum abest ut quenquam afficiat injuria. Bene precatur iis, à quibus devovetur. Orat pro salute eorum, à quibus falso accusatur. Studet servandis etiam his, à quibus occiditur: gratis omnibus benefacere studet, præmium exspectans à Deo. De nullo male suspicatur. Quicquid ambiguum est, interpretatur in meliorem partem. Neminem condemnat, sed ipse judicium deferens Deo, tantum benemereri studet. Impios tolerat, ut resipiscant. Proximum errantem amanter admonet: peccanti in se se libenter condonat, nec offensæ meminit. Hos fructus sicubi videris, agnosce arborem Euangelicam, quia fructus habet Euangelio dignos. Jam mihi agnosce fructus arboris, cujus radix amaro succo Pharisaicæ superbiæ, livoris & avaritiæ infecta sit: Nulli bene vult, nisi uni sibi, nec amicos amat, nisi sua causa: suam gloriam præfert gloriæ Dei: injuriæ vindex est, imo ultro injuriam facit: sibi placet etiam in malefactis, aliorum benefacta calumniatur: suis privatis commodis proximorum malo consulit: dissidet ab animo oratio, nec Deo fidit, nec diligit proximum: se jactat, alios condemnat: sibi blanditur, in fratrem errantem severus censor. Hos autem fructus quum producat, tamen foliis & cortice simulat bonam arborem. Obambulat in latis phylacteriis, lavat subinde, quiescit in sabbato, fugitat colloquium publicanorum, sed observat viduas beatas: in miseros sævus, in divites palpo: jejunat frequenter, sed palam, domi gulæ servit: orat prolixe: Legem, Templum, Deum habet in ore. Verum ad occasionem erumpit quod latebat in corde, ubi reconditus est thesaurus bonorum ac malorum. Ergo quoties urget res, tum evanescit illa fucatæ sanctimoniæ species, & profert se, quod reconditum erat in fibris. Objicitur injuria, ingeritur immerenti convitium, pertrahitur in carcerem, spoliatur facultatibus: ibi bonus homo de bono thesauro cordis sui profert rem bonam. Non injuriam atrociore retaliat injuria, sed aut tolerat, aut injuriam etiam beneficio pensat. Convitianti miti placidoque sermone respondet. Pertractus in carcerem, Deo gratias agit, bonorum jacturam cum gaudio suscipit. Contra autem hæc omnia arbor illa Pharisaica ad occasionem oblatam longe diversos fructus profert. Deo non potest imponi, qui perspicit intimos cordis recessus. Nec movetur corporalibus ceremoniis, quæ frequenter imponunt hominibus falsa sanctitatis imagine. Honorifice loquuntur, & moliuntur ignominiam.

46 *Quid autem vocatis me Domine, Domine: & non facitis, quæ dico?*

46 Quorsum enim attinet, quod me honoris gratia compellatis, Domini nomen subinde ingerentes, quum negligatis ea quæ præcipio? Si Dominum agnoscitis, obtemperate jussis meis. Si non agnoscitis, quid sibi vult in me Domini vocabulum? Ubi res exigit obsequium, factis proferendus est Domino debitus honos. Observatio præceptorum arguit fidelem servum, non honorifica compellatio.

47 *Omnis qui venit ad me, & audit sermones meos, & facit eos: ostendam vobis cui similis sit:*

47 Post hæc quod docuerat Dominus per similitudinem bonæ ac malæ arboris, cujus fructus ex ipsa radice sunt æstimandi, idem inculcat adhibita similitudine ædificii, cessuri aut non cessuri procellis imminentibus. Etenim quod radix est in arbore, id est in structura fundamentum. Quod folia sunt in arbore, hoc est ædificii species, quæ foris contemplantibus adblanditur: Quisquis, inquit, animo sincero venit ad me, & sic audit sermones meos, ut quum res exigit, ex hujus thesauro proferat argumenta perfectæ virtutis, indicabo vobis cui similis sit.

48 *Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & posuit fundamentum super petram: inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, & non potuit eam movere: fundata enim erat super petram.*

48 Similis est provido structori, qui domum ædificat non ad inanem ostentationem, nec ad temporarium usum, sed ad firmitatem nulli tempestati cessuram. Eoque defodit in altum, & fundamentum solidum jacit super petram. Hoc facto, superstruit. Deinde ubi inciderit inundatio, aut valida ventorum tempestas, nec impetu fluminis irruentis, nec vi ventorum potest labefactari nixa solido fundamento.

49 *Qui autem audit, & non facit: similis est homini ædificanti domum suam super terram sine fundamento: in quam illisus est fluvius, & continuo cecidit: & facta est ruina domus illius magna.*

49 Rursus autem qui sic venit ad me, ut audiat quidem quæ doceo, cæterum non demittit mea præcepta penitus in animum suum, similis est improvido structori, qui sic ædificat, quasi nulla tempestas esset unquam exoritura. Huic cum nulla sit cura solidi fundamenti, sed ad ostentationem substruat in altum, simul atque ingruerit vel exundatio fluminum, vel ventorum procella, continuo corruit quod exstruxit, quoque magnificentius ædificavit ad inanem ostentationem, hoc majore ruina concidit ædificium. Quicquid autem nititur ceremoniis, constitu-

* Altera Editio, *erit*. † Eadem, *bonis*.

Digitized by Google

tutionibus Phariſaicis, obſervationibus rerum corporalium, ædificium eſt ceſſurum quoties incident injuriæ, damna, ignominiæ, mortes, aut alioqui gravis adverſæ fortunæ procella.

CAP. VII.

Gaudet Centurio: atque Nain: veniunt duo: vatem
Laudat: cui ſimiles? pes lachrymando madet.

1 CVM hujuſmodi ſermones, quibus diſcipulos ſuos ac populum inſtituebat ad ſublimitatem Euangelicæ Philoſophiæ, loquutus fuiſſet Dominus Jeſus, repetiit Capernaum, in qua civitate plerunque verſabatur. Ac rurſum varia miraculorum edendorum occaſio, quo magis auctoritas doctrinæ factorum ſublimitate confirmaretur.

2 Erat illic Centurio quidam, cui domi erat ſervus, qui paralyſi ſic periclitabatur de vita, ut jam vicinus eſſet morti. Ea res diſcruciabat animum hominis, non æſtimantis eum ex conditione, ſed ex fide & ſinceritate morum, & quorundam interim inhumanitatem arguentis, qui ſervos non alio habent loco, quam equos ac boves.

3 Itaque quum reſciſſet, quod Jeſus ingreſſus eſſet Capernaum, ſubornavit quoſdam primores Judæorum, qui ſuis verbis rogarent Dominum, ut dignaretur adire ædes ipſius, & ſanaret ſervum ejus. Pudoris erat, non diffidentiæ, quod Centurio, primum Ethnicus, deinde militaris ordinis, per alios Dominum interpellat.

4 At illi quum veniſſent ad Jeſum, ſuſpicantes futurum, ut ægre impetraretur tantum beneficium, & ſervo, & Ethnico, & Centurioni, multa cum ſollicitudine rogant eum, dicentes: Noli rationem habere, quod Ethnicus eſt, quod miles, quod ſervo militari petitur hoc beneficium. Nam dignus eſt alioqui, cui præſtes hoc officii.

5 Amat enim noſtram gentem, ac Synagogam nobis ædificavit.

6 Jeſus autem, ut oſtenderet apud ſe nullam eſſe vilem perſonam, quæ fide commendaretur, ibat eo quo vocabatur. Cumque jam vicinus eſſet ædibus, in quibus decumbebat ægrotus, Centurio ſentiens adventum Domini, juſſit amicos illi ire obviam, qui dicerent illi: Domine, non eſt cur iſtuc laboris capias ut huc venias. Plus præſtat tua benignitas, quam audebam petere. Agnoſco dignitatem tuam, nec ignoro meipſum: Ethnicus ſum, Centurio ſum, & de ſervo tantum agitur.

7 Indignum me judico, cujus tectum ſubeas, atque hac de gratia non ſum auſus venire ad te. Exiſtimant enim Judæi ſeſe noſtro congreſſu contaminari, quia ſimus à religione cultuque Dei alieni, variiſque peccatis obnoxii.

8 Ingens autem dolor animi, & ſumma de te fiducia fecit, ut auſus ſim famulo meo periclitanti ſalutem petere. Eam tu verbo præſtare potes. Humilius eſt hoc, & levius, quam ut per teipſum peragatur. Ex meipſo conjecturam facio. Sum enim homo ſubditus alienæ poteſtati, cujus juſſis obtempero, habens & mihi ſubditos milites, qui mea imperata faciunt. Nec eſt neceſſe, ut per meipſum obeam omnia. Sed ſi quid eſt humilius, dico huic, vade, & vadit: & alteri, veni, & venit; dico cuivis è ſervis meis: fac hoc, & obtemperans facit. Si tantam habet auctoritatem mea juſſio, ut me quieſcente peragatur per homines mihi ſubditos, quod volo, quanto magis te quieſcente fiet, ſi quid ſimplici verbo mandaris tuis.

9 Hoc ſermone, qui plenus erat & affectus erga ſervum, & modeſtæ opinionis de ſeipſo, & admirabilis fiduciæ erga Dominum, delectatus Jeſus, ſubſtitit, & admirantis ſpeciem præ ſe tulit: non quod illi novum eſſet, quod audiret, quum noſſet Centurionis animum antequam hæc dicerentur: ſed hoc agebat, ut admiratione ſua Judæis commendaret fiduciam erga Deum, & eis incredulitatem ipſorum hominis Ethnici & militaris exemplo exprobraret. Dilato itaque reſponſo, Dominus ſe vertit ad turbas Judæorum, qui comitabantur ipſum, & ait: Illud affirmo vobis pro certo, quod hactenus nec in Iſraelitica gente tantam fidem compererim. Minus enim credebant ſeniores, qui Domini præſentiam flagitabant: qui ſuſpicabantur eum non ſanaturum Ethnici ſervum, niſi ſtudium allegaſſent erga gentem Iſraeliticam, quaſi Dominus ſua beneficia daret humanis affectibus, aut dignitati perſonæ, ac non potius fiduciæ poſtulantis.

10 Jeſus itaque quum affirmaſſet illis, futurum ut Ethnici & peccatores juxta Judæorum æſtimationem, fidei commendatione reciperentur in dignitatem generis Iſraelitici, rejectis his, qui quum natura eſſent filii Abrahæ, per incredulitatem ſeſe reddidiſſent indignos hoc generis auctore, ait Centurioni, qui tandem & ipſe acceſſerat: Vade, nam quod credis poſſe fieri, factum eſt. Servus tuus ſanus eſt. Quum autem rediret domum, ex famulis obviis cognovit, eodem tempore ſervum ſubito fuiſſe morbo liberatum, quo Dominus dixerat, ſervus tuus vivit. Hæc nimirum fuit imago gentium, per fidem puram abſque Moſaicæ Legis obſervatione venturarum in conſortium Euangelicæ gratiæ, ſed tamen quodammodo Legis commendatione. Lex enim pædagogus erat ad Chriſtum, & à Judæis profecta eſt ad gentes Euangelii prædicatio. Videlicet in hujus rei typum ſeniores Judæorum Centurionis cauſam commendant Jeſu, eumque ad domum illius adducunt, quem è ſuo Templo erant profligaturi.

11 Dominus autem, quo latius ſpargeretur ſemen Euangelicæ doctrinæ, frequenter aliunde alio commigrabat. Itaque relicta Capernaum, accidit ut præteriret civitatem Naim. Ea duobus ferme paſſuum millibus abeſt à monte Thabor ad plagam auſtralem, haud procul ab Endor. Huc euntem comitati ſunt diſcipuli, quorum jam magnus erat numerus, cumque his copioſa turba promiſcuæ multitudinis.

12 Quum autem Dominus Jeſus non procul abeſſet à porta civitatis, ecce novi miraculi occaſio: Effertur funus magna hominum frequentia. Erat enim flebile: primum quod adoleſcens eſſet mortuus, & in ipſo vitæ flore vitæ exemtus: deinde quod viduæ filius unicus periſſet, quæ mariti ſolatio orbata, totam vitæ ſpem collocarat in filio. Hæc igitur & lachrymis, & miſerabilibus vocibus, quas impotens dolor ſolet ſuggerere, teſtabatur animi ſui cruciatum. Viduæ ploratus, & præmaturus adoleſcentis interitus provocavit & reliquos, qui funus officii gratia comitabantur, ad lachrymas.

13 Hoc ſpectaculum ubi vidiſſet clementiſſimus Dominus Jeſus, miſertus eſt viduæ, ſeſeque illi, quæ conſolatorem non haberet, efficacem conſolatorem præbuit, & verbis & re opitulaturus: Mulier, inquit, noli flere.

14 Hoc locutus acceſſit ad loculum, quo efferebatur defunctus, ac manu contigit. Et illico, qui portabant funus, reſtiterunt. Hic utraque turba intenta in eventum, tum ea quæ comitabatur viduam, tum ea quæ comitabatur Dominum, Jeſus verſus ad adoleſcentem exanimem: *Adoleſcens*, inquit, *tibi dico, ſurge.*

15 Ad hanc vocem illico adoleſcens, velut excitatus à ſomno, reſedit in loculo: quoque certius eſſet vitæ redditæ argumentum, cœpit loqui. Sermo vigorem etiam animi declarabat. Quumque jam exſiliſſet à loculo adoleſcens, ac Jeſu adhærens, per quem intelligebat ſibi vitam eſſe reſtitutam, gratias ageret, Dominus tradidit illum matri, ut vivum domum reduceret, ſuis inambulantem pedibus, quem mortuum quatuor bajulis extulerat. Atque ita quidem res juxta hiſtoriam geſta eſt, non ſine ſignificatione doctrinæ ſpiritualis. Vidua mater, Eccleſiæ gerit

1 *Cum autem impleſſet omnia verba ſua in aures plebis, intravit Capharnaum.*
2 *Centurionis autem cujuſdam ſervus male habens, erat moriturus: qui illi erat pretioſus.*
3 *Et cum audiſſet de Ieſu, miſit ad eum ſeniores Iudæorum, rogans eum ut veniret, & ſalvaret ſervum ejus.*
4 *At illi cum veniſſent ad Ieſum, rogabant eum ſollicite, dicentes ei: Quia dignus eſt ut hoc illi præſtes.*
5 *Diligit enim gentem noſtram: & ſynagogam ipſe ædificavit nobis.*
6 *Ieſus autem ibat cum illis. Et cum jam non longe eſſet à domo, miſit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine noli vexari: Non enim ſum dignus ut ſub tectum meum intres.*
7 *Propter quod & meipſum non ſum dignum arbitratus ut venirem ad te: ſed dic verbo, & ſanabitur puer meus.*
8 *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites: & dico huic vade, & vadit; & alii, veni, & venit; & ſervo meo, fac hoc, & facit.*
9 *Quo audito Ieſus miratus eſt: & converſus ſequentibus ſe turbis, dixit: Amen dico vobis, nec in Iſrael tantam fidem inveni.*
10 *Et reverſi, qui miſſi fuerant, domum, invenerunt ſervum, qui languerat, ſanum.*
11 *Et factum eſt: deinceps ibat in civitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum eo diſcipuli ejus & turba copioſa.*
12 *Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ: & hæc vidua erat: & turba civitatis multa cum illa.*
13 *Quam cum vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam: dixit illi: Noli flere.*
14 *Et accceſſit & tetigit loculum (Hi autem, qui portabant, ſteterunt.) Et ait: Adoleſcens, tibi dico, ſurge.*
15 *Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri ſuæ.*

Digitized by Google

gerit imaginem. Nimirum hæc est illa vidua, quam consolatur Esaias Propheta, dicens: *Lætare sterilis quæ non paris, exsulta quæ non parturis; quoniam plures filii desertæ, quam ejus, quæ habet virum.* Synagoga confidit in sponso suo Mose. Jactat filios Abrahæ pares numero arenæ, quæ est in littore maris. Ecclesia juxta mundum videtur destituta sponso, qui se subduxit in cœlum, ac primum videbatur sterilis & absque spe posteritatis, hoc agentibus Judæis, & hujus mundi Principibus, ut Jesu, quem exstinctum putabant, omnis memoria funditus tolleretur. Hæc vidua quotidie gignit non filios hujus seculi, sed filios lucis: nec Mosi gignit, qui terrena docet, sed Christo, qui docet & promittit cœlestia. Gignit autem non morti, sed immortalitati. Parturit autem quotidie fœtus informes adhuc & imperfectos, donec hauriant spiritum Euangelicum, & formetur in eis Christus. Vera mater est, & unice diligit filios suos, quos magna sollicitudine format & instituit, donec adolescant & corroborentur in viros perfectos. Habet enim & pietas infantiam suam, habet ætatis profectus. Quod si quando contigerit aliquem è filiis mori, plorat inconsolabiliter, nec aliter deflet, quam si unicum illum habuisset quem perdidit. Innocentia, quæ per fidem Euangelicam confertur, vita est, peccatum mors est. Videmus quanto affectu lugent matres corporea funera, sed multo tenerius Ecclesia deflet hominem à baptismo relapsum ad culpam lethalem, magisque sollicita est de morte unius peccatoris, quam Synagoga gaudet de nonaginta novem justis. Effertur ergo defunctus à quatuor bajulis, hoc est, hujus mundi cupiditatibus, quæ Spiritu Sancto jam destitutum, jam sui sensu carentem, jam suis vitiis indormientem, deferunt ad sepulchrum æternæ desperationis. Habet autem Ecclesia portas, per quas ejicit mortuos, ne fœtore cadaveris inficiantur & alii. Habet portas, per quas recipiat à Domino revocatos in vitam. Ut non parit in vitam, nisi de Spiritu Christi: ita non recipit ad vitam, nisi revocante Christo. Non consistunt bajuli donec pervenerint ad sepulchrum. Etenim qui semel conquievit in hoc mundo, qui semel sese permisit cupiditatibus noxiis, non desinit infelici profectu semper in deteriora prolabi, donec venerit in profundum malorum, ac traditus fuerit in reprobum sensum. Interim nihil aliud quam plorat mater, plorat & turba civium, dolentes ejici mortuum, quem optant reviviscere. Hæc nimirum sunt vota matris Ecclesiæ, hæ lachrymæ, hi gemitus piorum hominum de morte peccatoris dolentium. Adolescens perierat nondum confirmatus spiritu Euangelico, & hoc dignior misericordia, quod quem per Spiritum Christi sperarant profecturum ad culmen Euangelicæ pietatis, nunc vident exanimem, ac spiritu vacuum per immitissimos bajulos efferri ad sepulchri latebras. Sed tamen interim comitatur mater, comitantur cives (vix enim desperare potest caritas) lachrymis, gemitu, lamentis, declarant quid optent. Sed quod optant, dare non possunt. Nec retinere valent exanimem, nec excitare possunt mortuum. Hominibus irrevocabiliter mortuus est. Sed bene res habet. Ad Ecclesiæ suæ lachrymas occurrit Jesus. Felix semper est Servatoris occursus, adspicit viduam suam, semper felix clementis obtutus. Nondum respicit mortuum, qui quoniam sibi miser non videtur, nondum dignus videbatur misericordia Jesu: sed impetrat affectus Ecclesiæ, quod deploratus peccator nec optat. Jubet Dominus sisti luctum, spem faciens successuri gaudii. Admovet manum loculo, consistunt bajuli. Prima spes ad innocentiam resipiscentis est, non progredi in malis. Qui desinit esse pejor, spem de se præbet, fore ut aliquando fiat melior. Nec hoc contingit, nisi Jesus potenti manu sua dignetur contingere loculum. Illa finem imponit impiis cupiditatibus, ut cesset à malis qui provehebatur ad sepulchrum. Orat quidem, obsecrat, hortatur, objurgat Ecclesia peccantes, ut resipiscant, ut conquiescant à vitiis suis. Sed hæc omnia frustra, nisi Jesus arcana virtute contingeret animum peccatoris mortuum. Jesus enim vita est omnium, etiam mortuorum. Bona spes est redituræ vitæ, quum Jesus dignatur loculum contingere: sed nondum redit vitæ vigor, nisi mortuo loquatur Dominus. Ad cujus unius vocem reviviscunt mortui, etiamsi sepulti fuerint & quatriduani: ne quis putaret ullos esse peccatores tam deploratos, de quorum salute desperare debeat Ecclesiæ caritas. Lazarus elatus erat, sepultus erat, jam fœtebat in sepulchro. Flebatur tamen interim, & ad Jesu vocantis vocem prodiit è sepulchro. Majore quidem negotio suscitatus est Lazarus: tum enim infremuit Jesus spiritu, lachrymatus est, ac turbavit se, non quod illi difficilius erat suscitare quatriduo sepultum, quam modo mortuum, sed ut ostenderet, quam difficile resipiscant, qui diu vitiis assueverunt. Adspexit Jesus viduam, & desiit flere: adspiciet & mortuum, & incipiet vivere. Versus est itaque clementissimus Dominus ad eum, qui mortuus jacebat: *Adolescens*, inquit, *tibi dico, surge.* Non potest non reviviscere quisquis audierit sermonem Jesu, etiamsi mortuus fuerit. Nam quæ ille loquitur, spiritus sunt & vita. Quid consequutum est? Revixit innocentiæ, qui erat mortuus peccatis: erigit sese, qui prius jacebat sui carens sensu: & quod est certissimum animi correcti documentum, incipit loqui, confitens peccata sua, gratias agens clementiæ divinæ. Redditur matri redivivus, & qui prius cum ingenti multorum luctu deferebatur ad sepulchrum, nunc majore omnium gaudio domum reducitur. Habet enim hoc vera pietas, ut cariores etiam illos habeat, qui à magnis criminibus resipuerint ad studium vitæ melioris. In his enim magis elucet divina bonitas, quam in his qui nunquam in aliquod crimen prolapsi sunt.

16 Gaudet mater recepto filio. Gaudent qui funus ante lugebant. Nec gaudent solum, verum etiam omnes quotquot aderant huic spectaculo, timor quidam corripuit. Nam ideo palam malos & insanabiles velut cadavera è suo contubernio ejicit Ecclesia, quo multi unius exemplo formident peccare. Sed iidem laudibus vehunt misericordiam Dei, cujus virtute reviviscunt mortui. Dicebat enim populus ille, viso tam insigni miraculo: Propheta magnus inter nos exortus est, & respexit Deus populum suum. Nihil enim adhuc altius de Christo suspicabantur Judæi, nisi quod Propheta quispiam esset insignis.

16 Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum, dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis: & quia Deus visitavit plebem suam.

17 Crevit autem & hinc fama Domini Jesu, rumore facti sparso, non solum per universam Judæam, verum per omnem undique finitimam Jordani regionem, in qua prius baptizaverat Joannes, atque ipsum etiam Jesum.

17 Et exiit hic sermo in universam Iudæam de eo, & in omnem circa regionem.

18 Porro quidam discipuli Joannis subinvidentes tanto successui rerum quæ gerebantur ab Jesu, ac nomini in dies magis ac magis inclarescenti, Joannisque, de quo præclare sentiebant, gloriam velut obscuranti, referunt ad illum in carcere vinctum omnia quæ dicebat ac faciebat Jesus.

18 Et nuntiaverunt Ioanni discipuli ejus de omnibus his.

19 Joannes igitur, ut huic affectui suorum mederetur, avocavit duos è discipulis suis ad se, eosque misit ad Jesum, qui ex ipso sciscitarentur: *Num tu es ille qui dicebatur venturus, an alium exspectamus?* Joannes jam toties testificatus fuerat de Christo, quem etiam digito demonstrando dixerat: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Nihil autem absurdius quam putare, ut tantus Propheta, jam morti vicinus, dubitare cœperit. Nec enim vinculis fuit alligatum illius de Christo testimonium, nec carceris tenebræ obscurabant illius de Christo judicium. Agnovit in carcere, quem agnoverat in utero. Sed vir optimus ita judicavit expedire, ut hac ratione suos discipulos Jesu, velut in manum, traderet.

19 Et convocavit duos de discipulis suis Ioannes, & misit ad Iesum, dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?

Digitized by Google

20 Cum autem venissent ad eum viri, dixerunt: Ioannes Baptista misit nos ad te, dicens: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?

21 (In ipsa autem hora multos curavit à languoribus, & plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donavit visum.)

22 Et respondens, dixit illis: Euntes renuntiate Ioanni quæ audistis, & vidistis: Quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur:

23 Et beatus est quicumque non fuerit scandalizatus in me.

24 Et cum discessissent nuntii Ioannis, cœpit de Ioanne dicere ad turbas: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?

25 Sed quid existis videre? hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste pretiosa sunt & deliciis, in domibus regum sunt.

26 Sed quid existis videre? prophetam? Utique dico vobis & plusquam Prophetam:

27 Hic est, de quo scriptum est: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

20 Quum igitur discipuli retulissent totidem verbis quæ mandarat Joannes:

21 Dominus Jesus primum illis non respondit, sed editis coram illis multis miraculis, depulsis compluribus morbis, ac malis immedicabilibus, ejectis verbo Spiritibus immundis, reddito multis cæcis visu, tandem respondit illis:

22 Quid attinet me de meipso pronuntiare qui sim? Nullum testimonium certius, quam factorum: *Ite renuntiate Joanni quæ vidistis oculis, quæ audistis auribus: Cæci visum recipiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui reviviscunt, pauperes & humiles amplectuntur lætum salutis nuntium*, juxta prophetiam Esaiæ, quæ dicit: Ad euangelizandum pauperibus misit me. Joannes prædicavit instare regnum cœlorum. Expendite vos, an hæc, quæ videtis, digna sint regno cœlorum.

23 Beatus autem qui hæc, quæ ago ad salutem hominum, sibi non verterit in occasionem offendiculi. Ut enim operum magnitudo nonnullis movebit invidiam, ita corporis hujus infirmitas nonnullis erit offendiculo. Hoc dicto Jesus tacite taxavit invidiam discipulorum Joannis, simul subindicans futurum, ut ignominia crucis, qua maxime peragendum erat mysterium regni cœlorum, multos alienaret à doctrina Euangelica: felices autem futuros, qui nec inviderent gloriæ ipsius, nec mortis probro perturbati, resilirent à doctrina salutifera.

24 Quum autem abissent discipuli Joannis, ei relaturi Jesu responsum, Dominus cœpit apud turbam prædicare laudes illius, ne quid ex interrogatione discipulorum suspicarentur ipsum Joannem vacillare: deque suo ipsius testimonio, quod prius tulerat de Jesu, jam animo commutato subdubitare. Amolitur igitur ab eo suspicionem inconstantiæ, & illius de se testimonio fidem & pondus arrogat, sic extollens illius eximias virtutes, ut tamen Messiæ titulum non tribuat, quem aliquandiu quidam illi tribuere conabantur. Loquutus est autem hunc in modum: Si suspicamini, inquit, Joannem pridem de me testificatum, nunc vacillanti esse animo: quid igitur olim sic relictis urbibus concurrebatis in loca deserta ad illius viri spectaculum? an ut videretis arundinem, quæ vento agitatur, nec sibi constat?

25 Sed agedum, quid tandem existis visuri? num hominem mollibus vestitum, ut deliciis aut ambitione corrumpi potuerit? At hæc suspicio non cadit in hominem, qui pilis camelorum vestiebatur, qui pellicea zona strinxerat lumbos, qui locustis & aqua simplici victitabat, quique hoc victu sustentans vitam, frequenter etiam jejunabat. Quibus placet vestitus splendidus, quibus cordi sunt ciborum deliciæ, hi captant aulas Regum. In hos, qui hæc affectant, fortasse cadere potest corruptæ sententiæ, inconstantiæ, aut assentationis suspicio. Sed Joannes desertum prætulit aulis Principum, pilos camelorum prætulit holosericis, & aureis ac gemmatis vestibus. Mel sylvestre & locustas prætulit placentis Regum, simplicem aquam prætulit mulso divitum. Quam autem nesciat adulari Joannes, satis clamitat ipse carcer. Non est igitur quod quisquam suspicetur, illum prius ad gratiam cujusquam de me tam magnifice testificatum, nunc vertisse sententiam.

26 Sed tamen scire cupiam, quæ res vos evocaverit in desertum: an ut videretis Prophetam? Ille quidem se Messiam non esse, palam confessus est. Ego tamen illud confirmo vobis, si ideo procurristis in desertum, ut videretis Prophetam, non estis frustrati vestra exspectatione. Omnino Prophetam vidistis, atque etiam plus quam Prophetam.

27 Siquidem hic est ille, de quo jam olim vaticinatus est Esaias, quod esset Messiæ præcursor futurus: *Ecce*, inquit, *mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Siquidem Prophetæ per ænigmata prædicabant quædam olim futura: hic advenientem digito demonstravit.

28 Proinde qui magnifice sentiunt de Joanne, recte sentiunt. Nam illud affirmo vobis, inter omnes, quos habet hæc ætas, aut habuere priores, è mulieribus prognatos, nullus exortus est Propheta major Joanne. Abunde magnum est quod illi tribuo. Cæterum quod quidam illi tribuunt, nec ipse agnoscit. Est enim unus illo major virtute ac dignitate, qui tamen juxta popularem existimationem minor est illo in regno Dei. Illius austeritatem ac secessum mirantur, hujus familiaritatem contemnunt. Illius dignitatem suspiciunt, hujus invident gloriæ. Illius doctrinam amplexi sunt, hujus calumniantur.

28 *Dico enim vobis: Major inter natos mulierum propheta Ioanne Baptista nemo est: qui autem minor est in regno Dei, major est illo.*

29 Prædicavit ille baptismum in pœnitentiam, instare enim regnum cœlorum, & audiit illius vocem rudis & humilis populus, audiere publicani, milites, & meretrices, properantes ad baptismum Joannis, confitentes se esse peccatores, & à peccatis suis ablui cupientes. Ita illustrarunt Dei justitiam, suam agnoscentes injustitiam, quum nullus sit mundus à crimine, nisi solus Deus, & amplectentes Dei bonitatem, qui sincera fiducia ad se confugientibus promisit se condonaturum omnia commissa vitæ prioris.

29 *Et omnis populus audiens & publicani, justificaverunt Deum, baptizati baptismo Ioannis.*

30 Contra Pharisæi, Scribæ, & Legis periti, dum pudet agnoscere suam iniquitatem, Deum maluerunt mendacem facere, quam amplecti veritatem: eoque dedignati sunt baptizari ab Joanne, in suam ipsorum perniciem, spernentes benignum Dei consilium, qui hac facillima via constituerat abolere peccata mortalium. Quid enim est facilius quam confiteri, & tingi? Non quod per Joannem conferretur innocentia, sed quod ad hanc præpararet illius baptismus & prædicatio, quo plures ad salutem perducerentur ejus prædicatione, cui Joannes erat præcursor, si præparatos jam animos inveniret. Nihil horum temere gestum est, sed omnia divina providentia dispensavit ad humani generis salutem. Et amplexi sunt Dei beneficentiam idiotæ, humiles, & peccatores, qui videbantur à vera pietate alieniissimi, longeque submoti à scientia Legis. Rursus hi, quos oportebat hæc maxime intelligere Prophetarum oraculis promissa, quique videbantur religionis columina, adspernati sunt oblatam Dei benignitatem, nec Joannis prædicatione, nec mea compuncti ad resipiscentiam.

30 *Pharisæi autem, & legis periti consilium Dei sprevérunt in semetipsos, non baptizati ab eo.*

31 Hanc pertinacem malitiam illis exprobrans Jesus, adduxit hujusmodi similitudinem: *Quid igitur dicam de hujus generationis perversæ hominibus, aut cui dicam eos esse similes?*

31 *Ait autem Dominus: Cui ergo similes dicam homines generationis hujus? & cui similes sunt?*

32 *Similes sunt pueris, quos videmus considentes in foro, qui per lusum sibi vicissim respondentes dicunt: Cecinimus vobis tibiis latas cantiones, nec estis provocati ad saltandum: cecinimus vobis lugubria, nec ploraſtis.*

32 *Similes sunt pueris sedentibus in foro, & loquentibus adinvicem, & dicentibus: Cantavimus vobis tibiis, & non saltastis: lamentavimus, & non ploraſtis.*

33 Hoc proverbium à foro sumtum Dominus Jesus accommodavit ad Judæos obstinatos, qui nec Joannis austeritate provocati sint ad timorem vindictæ divinæ, nec comitate beneficentiaque Christi excitati sint ad amorem: Venit enim, inquit, Joannes Baptista singulari vitæ austeritate pœnitentiam prædicans, & pœnitentiæ præbens exemplum, neque pane vescens, neque vinum bibens, in deserto vivens, cameli pilis vestitus, zona pellicea cinctus. His rebus adeo non estis commoti ad resipiscentiam, ut quod factum est ad emendandos vos, verteritis in calumniam, dicentes: Caret sensu communi, Dæmonium habet.

33 *Venit enim Ioannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis: Dæmonium habet.*

34 Venit Filius hominis diversa ratione captans vos ad salutem, expositus ad congressum omnium, nihil præ se ferens novæ austeritatis, nec minitans pœnam, sed beneficiis omnes alliciens ad amo-

34 *Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicitis: Ecce homo devorator, & bibens vinum; amicus publicanorum, & peccatorum.*

Digitized by Google

amorem, edens & bibens more cæterorum, versans inter quoslibet, nec cibo vestituve differens à cæteris. Et hujus civilitatem, qua provocari debueratis ad meliora, vertitis in occasionem calumniæ, dicentes: *Ecce homo vorax, ac vini potor, amicus publicanorum & peccatorum.*

35 Et justificata est sapientia ab omnibus filiis suis.

35 Sed nihil profecit hominum malitia adversus sapientiæ divinæ consilium: sic enim illustrata est Dei justitia apud omnes filios Euangelicæ sapientiæ deditos, posteaquam constitit, nihil omissum ad servandum omnes homines: sed malos ac superbos adspernantes Dei munus, suo merito rejectos ac damnatos esse: publicanos autem, meretrices, peccatores & Ethnicos jure admissos ad consortium salutis. Sic prædictum erat fore, & sic factum est: sic erat æquum fieri, & factum est. Qui se jactabant pios ac justos, propter incredulitatem suam repudiati sunt ab Euangelicæ salutis munere. Contra qui per credulitatem ac sincerum affectum irruperunt ad Dominum, quamlibet profani, quamlibet abominabiles, quamlibet inquinati peccatis, admissi sunt in consortium regni cœlorum.

36 Rogabat autem illum quidam de Pharisæis ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit.

36 Et ecce consequutum est quiddam, in quo res ipsa poneret ob oculos, quod Dominus verbis docuerat: de justis repellendis, & peccatoribus recipiendis. Pharisæi præ cæteris cognitione Legis, & sanctitatis opinione turgebant. Ex his quidam rogavit Dominum, ut apud se sumeret convivium.

37 Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti:

37 Nec dedignatus est id facere Jesus, qui nulli sui negabat copiam. Cum autem ingressus domum ejus, jam accumberet, ecce mulier quædam, quæ in ea civitate erat nota peccatrix, simulatque cognovit, quod clementissimus Jesus, qui nullum repellebat ab sese, qui malis omnium omnibus promtissime mederetur, illic adesset, sibi tota displicens, sed ingenti fiducia de Jesu benignitate concepta irrupit in ædes Pharisæi: ardor animi pudorem omnem excusserat, quum non esset ignara, quanto fastu soleat Pharisaicum genus aversari peccatores, quum ipsi intus gravioribus maderent vitiis. Attulit autem secum delitias suas, pristinæ vitæ, quam oderat, monumenta: omnia, quibus ante male placuerat sibi ac mundo, in Christum, cujus amore flagrabat, effusura. Attulit autem delicatum vasculum unguentarium, quod ob levorem, qui obstat quo minus apprehendi queat, alabastrum appellant. Erat autem unguentum eximium, magnoque emtum. Olim autem qui voluptatibus carnis serviebant, unguentis impendio delectabantur, præsertim in conviviis. Vide autem sanctam hujus peccatricis improbitatem, non solum ausa est invocata domum ingredi Pharisæi, verum etiam ingessit sese, ut erat ornata, convivio.

38 Et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.

38 Quoniam autem lecti triclinii prohibebant, quo minus coram sese provolveret ad pedes Jesu, stetit à tergo, & quod licuit, cœpit lachrymis rigare pedes illius, salubriter defœdans oculos, quos olim ad turpitudinem solita est stibio depingere: lachrymarum imbre lotos pedes, non aliquo linteo, sed capitis sui capillis extergebat, quos antehac consueverat ad carnis voluptatem ungere, tingere, comere, auro intertexere. Nec his contentus mirus peccatricis amor, lotis & extersis Jesu pedibus defigebat oscula: omnia quondam inhonestæ voluptatis instrumenta vertens in obsequium illius, qui solus est amandus. Habes imaginem peccatoris, per improbitatem ardoris & pertinaciam fidei irrumpentis in regnum cœlorum.

39 Videns autem Pharisæus, qui vocaverat eum, ait intra se dicens: Hic si esset propheta, sciret utique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix est.

39 Nunc è diverso accipe typum Judæi, qui per arrogantiam & incredulitatem se reddit indignum oblata Dei benignitate. Pharisæus, qui Jesum ad convivium vocaverat, conspicatus hæc, quum favere debuerit mulieri tanto affectu ingerenti, tanta modestia dejicienti sese, tot indiciis testanti vitæ prioris pœnitudinem, quum amare debuerit Jesu mansuetudinem, nullum hominem ab se repellentis: provocatur ad utriusque calumniam. Sic enim cogitabat intra sese: Hic si esset Propheta, qualis habetur, nimirum non ignoraret, quæ & qualis esset mulier, quæ tangit eum. Est enim publica peccatrix, notæque impudicitiæ. Quod si sciret, non sineret se polluti corporis contactu contaminari. Existimabat enim Pharisæus sanctos homines pollui, si cum peccatore vel colloquium habuissent. Hic erat fastus falsæ justitiæ, qua sibi placebant Judæi, Deo displicentes.

40 Jesus autem ut certiore argumento declararet se esse Prophetam, ad tacitam Pharisæi cogitationem respondit: Simon, inquit, habeo quod tibi dicam. Tum ille: Magister, dic.

41 Jesus itaque jam attento, ne proderet impiam illius cogitationem convivis cæteris, (nam viris Euangelicis etiam civilitas debet esse curæ) proposuit hujusmodi parabolam. Duo quidam debebant eidem fœneratori, quorum alter debebat denarios quingentos, alter quinquaginta.

42 Quum autem neuter esset solvendo, condonavit utrique in solidum quod debebat. Uter igitur horum vehementius amare debet creditorem tam liberalem?

43 Simon nondum intelligens quorsum tenderet hæc parabola, simpliciter respondit: Mea sententia vehementius amare debet is, cui plus condonatum est. Tum Jesus aperiens, cur hoc ænigma proposuisset, ait Simoni: Recte judicasti, sed interim inique judicium applicas tuum.

44 Moxque vertit se ad mulierem, ac loquutus est Simoni: Vides ne hanc mulierem, quam tu peccatricem vocas? Vides ne lachrymis oppletam, sparsis capillis, prodigam unguenti sui, prodigam osculorum suorum, prostratam, toto corporis habitu præ se ferentem pœnitentis imaginem? Hæc argumenta sunt immensi cujusdam amoris in me. Quo vehementius odit seipsam, hoc impensius me diligit. Peccatrix venit, sed sanata est ubi contigit medicum.

45 Contemnis hanc ut peccatricem, ac tibi places ut justus, sed hujus peccatricis pietas longe vincit tuam justitiam. Veni in domum tuam invitatus ac rogatus conviva, nec aquam dedisti pedibus meis, quod est vulgaris tamen humanitatis officium: hæc autem lachrymis suis rigavit pedes meos, & capillis suis extersit. Osculum mihi non dedisti, quod ex more dat etiam vulgaris amicus amico: hæc ex quo ingressa est, præ impotenti affectu non desiit osculari pedes meos.

46 Ne vulgari quidem oleo unxisti caput meum, quod officii vulgo præstatur convivis quibuslibet: hæc pedes meos, id est, abjectissimam mei partem, pretioso unguento perunxit. Noli perpendere quantum peccarit, sed considera quantum amet. Caritas enim operit multitudinem peccatorum.

47 Nam illud affirmo tibi, quod illi remissa sunt multa peccata, non quia multum jejunavit, non quia multum precata est, non quia multas constitutiones Pharisaicas observavit, sed quoniam dilexit multum, quoniam toto pectore confisa est mihi. Quo gravius peccavit, hoc sibi magis displicet, ac me, cujus gratuita clementia liberata est à peccatis, vehementius amat. Ita feliciter illi cessit peccatorum magnitudo. Porro cui minus remittitur, minus diligit. Vos vobis justi videmini ob Legis observationem, neque multum habere quod vobis ignoscat Deus, & ideo frigidius amatis condonantem.

48 Hæc loquutus Pharisæo Dominus, ad mulierem ait, *Remittuntur tibi peccata.* Nihil illa precata fuerat, nihil confessa verbis, sed evidentius confessa est factis, efficacius precata est lachrymis. Hæc est Christo gratissima confessio. Hujusmodi precibus facillime commovetur ad misericordiam. Felices lachrymæ, felix unguenti dispendium, felicia oscula,

40 Et respondens Jesus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister, dic.

41 Duo debitores erant cuidam fœneratori: unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta.

42 Non habentibus illu unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit?

43 Respondens Simon dixit: Æstimo quia is, cui plus donavit. At ille dixit ei: Recte judicasti.

44 Et conversus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, & capillis suis tersit.

45 Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos.

46 Oleo caput meum non unxisti: hæc autem unguento unxit pedes meos.

47 Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.

48 Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata.

Digitized by Google

quæ vocem hanc extorquent à Jesu: Remittuntur tibi peccata. Non enim alia condonat, alia reservat, sed semel condonat omnia, nihil omnino vitæ prioris imputans ex animo pœnitenti.

49 Et cœperunt qui simul accumbebant dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?

49 At nunc mihi vide Pharisaicam sanctimoniam. Vera pietas perinde gratulatur commodis alienis ac suis. At Pharisæi, qui simul accumbebant in convivio. Jesu clementiam invidentes peccatrici, cœperunt tacitis apud sese cogitationibus obmurmurare, dicentes: Quis est hic, qui tantum sibi sumit, ut auctoritate sua etiam remittat peccata, quod nemo Prophetarum, aut Patriarcharum hactenus usurpavit sibi? Ne Sacerdotes quidem aliud sibi vindicant, quam orare pro peccatis populi.

50 Dixit autem ad mulierem: Fides tua te salvam fecit: Vade in pace.

50 Jesus autem cognitis illorum cogitationibus, quo magis confirmaret animum mulieris, ac pro mœsta lætam domum remitteret, ait illi: Fiducia erga me tua te salvam fecit, vade in pace. Pharisæi sibi persuaserant, holocaustomatis ac lotionibus condonari peccata. Et habebant quidem illa figuram rerum spiritualium. Verum, Dominus Jesus ostendit illis, per fidem Euangelicam semel omnia peccata condonari resipiscentibus. Atque in his, quæ narravimus, adumbrata est imago quædam utriusque populi, Judæorum ac gentium, quorum alter invitavit ad se Christum, multis seculis clamitans: Veni Domine, noli tardare. Verum ubi venit, nec ipsi receperunt illum sicut oportuit, freti persuasione falsa sanctimoniæ ex Legis observatione concepta, & aliis salutem oblatam amplecti volentibus obstrepuerunt. Dum enim conantur suam stabilire justitiam ex oblatione rerum corporalium, justitiæ Dei, quæ per fidem gratis datur, non fuere subjecti. At gentium populus, ad quem non venerat Jesus, quum esset præter idololatriam omni vitiorum generi deditus, nec ullam haberet fiduciam ex operibus Legis, quam nesciebat, ubi cognovit de Jesu, velut irrupit ad eum, ac fidei simplicitate promeruit remissionem omnium flagitiorum, ac Dei donum, quod Judæi vel spreverunt, vel frigide amplexi sunt, studiis ardentissimis exosculatus est. Quanquam omnibus in genere propositum est exemplum pœnitentiæ in hac muliere, quemcunque sui pigere cœperit, ne se convertat ad Mosen, aut Pharisæos, nec ad Philosophos, tantum properet ad Jesum. Nullus eo clementior, nullus ad ignoscendum propensior. In hunc effundat quod prius prodigere solitus est in impias voluptates. Hujus obsequio consecret omnia membra, quæ prius serviebant fœdis cupiditatibus. Contactus illius auferet omnia peccata. Si non licet contingere caput, apprehendat pedes. Nulla pars Jesu tam humilis est, quin sanet à peccatis. Sanata est à profluvio sanguinis, quæ fimbriam modo vestis contigerat. Sibi patitur imputari, quicquid officii fuerit impensum proximis, etiam infimis. Agnoscet beneficium, quod membris ipsius impensum fuerit. Ne consideret igitur peccator, quantum admiserit, ne subducat rationem benefactorum suorum, quasi cum Jesu paria facturus, quemadmodum faciebant Pharisæi: tantum ex animo sibi displiceat, de Jesu toto pectore confidat. Incipiat odisse quod male amarat, incipiat amare quod impie neglexerat. Fides impetrabit à clementissimo Domino, quod merita sperare non poterant.

Atque hîc interim, optime Theophile, mihi considera triplicem in hoc convivio personam, peccatricis, Pharisæi, & judicis. Judex solus est vere purus ab omni vitiorum inquinamento, imo fons ipse puritatis omnis. Peccatrix nihil aliud quam lachrymat, rigat, extergit, osculatur, ungit. Agnoscis officia caritatis in proximum. Pharisæus, Judaica justitia tumidus, calumniatur Servatoris benignitatem, fastidit peccatricem, atque etiam invidet, ipse gravioribus malis obnoxius. Talis est fere justitiæ persuasio, quæ nascitur ex vestitu, ex ciborum delectu, ex discretione dierum, ex lotionibus corporis & vasorum, ex prolixis precibus, éque similibus rebus, quæ speciem pietatis habent apud homines, quum in his non sit sita pietas Euangelica. Hujusmodi rebus qui confidunt, & sibi stulte placere solent, & proximos fastidire, & invidere, & Jesu gratuitam bonitatem calumniari. Quid enim, si mulier illa contigisset Pharisæum, quo fastu rejecisset, quibus lavacris semet ab ejus contagio expiasset? Sic adspernantur peccatricem miserabilem, qui ipsi livore, fastu, & calumniandi morbo laborant, hoc insanabiliores, quod sibi non videntur ægroti. Nam plerumque fit ut ab insignibus & apertis vitiis citius resipiscant homines, quam ab ejusmodi, quæ se tegunt specie sanctimoniæ. Adulterum, temulentum, luxu perditum, idololatram, militem citius converras ad bonam mentem, quam Pharisæum, invidum, sibi placentem, obtrectatorem, dissimulatorem. Jam qualis est convivator, tales sunt & convivæ Pharisæi: Quis est, inquiunt, hic, qui peccata remittit? At judex, qui solus noverat omnium corda, qui solus sibi poterat ob sanctimoniam superciliũm sumere, Pharisæi superbiam civiliter corrigit, peccatrici patrocinatur, confitentem absolvit & consolatur. Pastoris igitur Euangelici fuerit, exemplum Pharisæi fugere, & in recipiendis peccatoribus Jesu mansuetudinem imitari.

CAP. VIII.

Hic seritur semen: cessat mare: grex perit undis: Gaudet Iairus: desinit ire cruor.

1 Et factum est deinceps, & ipse iter faciebat per civitates & castella, prædicans & evangelizans regnum Dei: & duodecim cum illo,

1 TANTA autem erat Jesu benignitas erga peccatores, quantumlibet humiles, ut non solum unam hanc admiserit ad contactum pedum, verum etiam aliquot secum circumduceret una cum Apostolis suis, ac se, suosque harum liberalitate ac ministerio sublevari pateretur. Etenim quum Jesus, per omnia comitantibus duodecim discipulis, quo latius spargeretur sementis Euangelicæ doctrinæ, subinde locum mutaret, perambulans per singulas civitates ac vicos, ne quid deesset rerum necessariarum assidue vagis, & uni negotio intentis.

2 Et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à spiritibus malignis, & infirmitatibus: Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant,

2 Comitabantur Jesum & mulieres aliquot, quas vel liberaverat à Spiritibus immundis, vel à morbis sanarat. Inter has erat Maria, cui cognomen Magdalene, è qua Dominus profligarat Dæmonia septem:

3 Et Joanna uxor Chuzæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.

3 Præterea Joanna uxor Chuzæ, qui erat procurator Herodis, ex aulica facta Christi discipula, & Susanna, aliæque complures, quæ memores accepti beneficii, qua poterant juvabant rem Euangelicam, Jesu & ejus discipulis ministrantes de facultatibus suis. Christus enim pauperes delegerat Apostolos pauper ipse, nec poterat ubique paratus esse commeatus subinde sedem mutantibus, & aliunde alio proficiscentibus. Conveniebat autem illi tempori, ut per humiles, tenues, & idiotas Euangelicæ Philosophiæ primordia jacerentur. Cæterum Paulus, cujus ego sectator fui, maluit laborare manibus, quam ex alieno vivere. Multo magis quibus res suppetit domi, & idonei sunt Euangelio prædicando, debent gratis, quod habent, impartiri fratribus. Et tamen æquum esse docuit, ut qui seminarent cibum animi spiritualem, ab his, quibus laborarent, subsidio rerum corporalium, quoties opus esset sublevarentur. Sed ut hanc liberalitatem Christus doceret, esse oportere non extortam, sed ultroneam, admisit quidem in comitatum suum mulieres aliquot, sed ultro sequentes. Cæterum nec accersivit ullam, nec à quoquam aliquid petiisse legitur, quo magis pudefaceret illorum impudentiam, qui quum non laborent Euangelio, tamen Euangelii nomine extorquent ab invitis, non solum quod satis est ad necessitatem, verum etiam quod superat ad luxum. Nusquam autem deficiet bonorum spontanea liberalitas eum,

Digitized by Google

cum, qui ſincero animo totus eſt in Euangelico negotio. Jeſus autem ut quoslibet admiſit ad juvandam rem Euangelicam, ita nec matrem, nec fratres ſuos admittere ſolebat ad impediendum Euangelii ſucceſſum.

4 Cum autem turba plurima convenirent, & de civitatibus properarent ad eum, dixit per ſimilitudinem.

4 Quodam autem die quum affluente multitudine domo egreſſus ſeſe contuliſſet ad Lacum, atque ibi ſedens in littore doceret populum, tanta vis hominum ex vicinis undique civitatibus concurrebat ad audiendum eum, ut condenſantibus ſe turbis coactus ſit ingredi navim, atque hinc velut è cathedra docebat promiſcuam multitudinem, multa illi loquens per involucra ſimilitudinum, quo magis excitaret in illis diſcendi ſtudium, & altius inſideret animo quod ænigmate fuiſſet infixum.

5 Exiit qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum: & dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud.

5 Primum itaque ſimilitudinem propoſuit, quæ moneret omnes, ut avidis animis acciperent ſermonem Euangelicum, nec ſatis haberent audiſſe, niſi quod didiciſſent, conferrent ad uſum pietatis: *Egreſſus eſt*, inquit, *ſeminator quidam, ut faceret ſemen ſuam.* Ac dum ille nuſquam non jacit ſemen ſuum, cupiens proventum uberrimum, non æque felici ſolo excepta ſunt ſemina: nam aliud jactum cecidit juxta viam publicam, id partim conculcatum eſt pedibus viatorum, & contritum eſt: reliquum, quoniam non opertum erat terra, volucres cœli comederunt.

6 Et aliud cecidit ſupra petram: & natum aruit, quia non habebat humorem.

6 Rurſus aliud incidit in ſolum petricoſum, & exceptum tenui ſuperficie terræ, quæ tegebat petram, enatum quidem eſt, ſed quoniam non ſuberat terra quæ ſuppeditaret humorem ad juſtam maturitatem, mox exortum ad Solis ardorem exaruit, & in prima ſtatim herba periit.

7 Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocaverunt illud.

7 Rurſum aliud incidit in ſpinas, & enatum quidem eſt, ſed ſimul exortæ ſpinæ quoniam & celerius proveniunt, & denſius atque altius ſeſe ſpargunt, factum eſt, ut ſuffocaretur herba boni ſeminis, ne liceret in auram liberiorem emergere.

8 Et aliud cecidit in terram bonam: & ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.

8 Nec omnia tamen infeliciter cadebant. Erat quod incideret in terram bonam, & enatum reddidit fructum centuplum. Hæc loquutus Dominus, quoniam ſciebat non ab omnibus intelligi quod dixerat, volens tamen eos in poſterum meminiſſe parabolæ, quæ pertineret ad ſalutem omnium, clamabat, dicens: Qui habet aures idoneas ad audiendum Euangelicam ſapientiam, audiat hæc quæ dixi. Non enim poſcunt craſſum aut oſcitantem auditorem. Ad veſtrum unumquemque pertinent. Sunt qui ſimiles ſtatuis habent aures, ſed non audiunt, auriti ad Phariſaicas conſtitutiunculas, ſurdi ad doctrinam veræ pietatis.

9 Interrogabant autem eum diſcipuli ejus quæ eſſet hæc parabola.

9 Diſcipuli autem, qui erant proximi Jeſu, rogabant, ut explicaret ænigma parabolæ:

10 Quibus ipſe dixit: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, ceteris autem in parabolis: ut videntes non videant, & audientes non intelligant:

10 Quibus ait: Vobis tanquam domeſticis amicis datum eſt noſſe myſterium regni Dei. Habent aulæ Regum arcana ſua, quæ celantur plebejis, & ab aulæ conſortio alienis. Habet & Euangelii regnum ſua ſecreta, non temere cuivis proferenda, ſed ita proponenda, ut ab iis tantum cernantur, qui ſunt aulæ domeſtici: cæteris involuta parabolis, ut qui indigni ſunt, videntes non videant, & audientes non intelligant.

11 Eſt autem hæc parabola: Semen eſt verbum Dei.

11 Eſt autem hic parabolæ ſenſus arcanus. Seminator, eſt Filius hominis: ſolum, eſt cor hominis: ſemen, eſt ſermo Euangelicus. Non eſt ſemen terrenum, ſed cœleſte, nec ab homine profectum, ſed à Deo, & ideo vocatus ſermo Dei. Hoc ſemen nuſquam non ſpargit Filius hominis: ſed Satanæ malitia & hominum vitio fit, ut in paucis feliciter proveniat.

12 Qui autem ſecus viam, hi ſunt qui audiunt; deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalvi fiant.

12 Semen enim, quod cecidit juxta viam, eos ſignat, qui leviter & oſcitanter audiunt ſermonem Dei, ac mox priuſquam inſidat animis illorum, venit Diabolus, & immiſſis diverſis cogitationibus tollit ex animis illorum quod audierant, videlicet invidens illorum ſaluti, & impiis ſuggeſtionibus obſiſtens, ne ſalutem aſſequantur. Quemadmodum enim Filius hominis nihil non agit, ut peccatores adducat ad ſalutem: ita ille nihil intentatum relinquit, ut quoſcunque poteſt pertrahat in exitium. Hic igitur poſt jactum ſemen ſermonis Euangelici, ſubito advolans ſublegit priuſquam inhæreſcat animo, ut nihil jam referat audiſſe.

13 Nam hi qui ſupra petram: qui cum audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum: & hi radices non habent: qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.

13 Porro ſemen exceptum in terra petricoſa notat eos, qui ſermonem auditum cum gaudio excipiunt, & recondunt in animum ſuum, ſic ut velut enata herba ſpem aliquam pietatis de ſe præbeant rebus quibuſdam extrariis. Verum, quoniam quod audierunt non penitus defixum eſt, ac veluti radices egit in intimos affectus eorum, ad tempus obtemperant ſermoni divino, verum ad exortam malorum procellam deficiunt, deſerentes bene cœpta. Facile eſt enim rebus proſperis ſervare doctrinam Euangelicam, cæterum niſi penitus imbiberis affectum veræ pietatis, ubi res adverſæ robur illud deſiderant Euangelici pectoris, tum evaneſcit illa temporaria ſanctimoniæ ſpecies.

14 Quod autem in ſpinas cecidit: hi ſunt, qui audierunt, & a ſollicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ, euntes, ſuffocantur, & non referunt fructum.

14 Jam ſemen, quod incidit in ſpinas, notat iſtos, qui poſtquam acceperunt ſemen ſermonis Euangelici, nullum inde fructum referunt veræ pietatis, propterea quod affectus ille vitæ melioris, ſollicitudinibus hujus mundi, divitiis ac voluptatibus vitæ præſentis ſuffocatur & obruitur.

15 Quod autem in bonam terram hi ſunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

15 Porro ſemen jactum in terram bonam notat eos, qui corde ſincero, attento, ac vacuo accipiunt ſermonem ſalutiferum, & acceptum recondunt memoriæ, ac penitus in intimos demittunt affectus, ſic ut nullo malorum incurſu poſſint dimoveri à ſemel cœpto ſtudio pietatis. Hanc itaque parabolam Jeſus dignatus eſt ſuis diſcipulis privatim explanare: partim, ut ipſi diſcerent in cæteris item parabolis ſenſum reconditiorem pia curioſitate inquirere: partim, ut quod tum privatim audiebant, poſt, ſuo tempore palam omnibus prædicarent.

16 Nemo autem lucernam accendens, operit eam vaſe, aut ſubtus lectum ponit; ſed ſupra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen.

16 Siquidem intelligentia ſacræ doctrinæ lumen eſt, hoc qui impartit, non ideo impartit, ut ſervetur abſconditum, ſed ut multis præluceat. Nemo, inquit, accendit lucernam, & accenſam operit vaſe, aut ſub lectum reponit, ſed imponit candelabro, ut qui domum intrant videant lumen.

17 Non eſt enim occultum, quod non manifeſtetur: nec abſconditum, quod non cognoſcatur, & in palam veniat.

17 Nihil enim nunc privatim, aut parabolis involutum traditur vobis, quod poſt non ſit manifeſtandum toti mundo: neque quicquam eſt nunc tam obſcurum & abſtruſum ab intelligentia rudium, quod progreſſu temporis non ſit per vos eruendum, & in omnium notitiam proferendum.

18 Videte ergo quomodo audiatis. Qui enim habet, dabitur illi: & quicumque non habet, etiam quod putat ſe habere, auferetur ab illo.

18 Vobis igitur videndum eſt etiam atque etiam, ut quod auditis, magna ſollicitudine infigatis animis veſtris, ne quid excidat, aut pereat. Qui avide accipit intelligentiam myſtici ſermonis, ac veluti theſaurum diligenter reponit in animo, dignum ſe declarat, cui plura committantur, quandoquidem quod datur haud indiligenter ſervat. Siquidem habenti dabitur, qui vero ſua negligentia perdidit quod habebat, ei non ſolum nihil addetur, verum etiam hoc ipſum, quod habere videbatur, auferetur ab eo, quoniam negligenter habebat theſaurum Euangelicum, quo quanto ditior es, tanto magis cupis diteſcere. Atque his de rebus multas alias parabolas Dominus Jeſus propoſuit populo, quas omnes ſeorſum expoſuit diſcipulis ſuis.

19 Venerunt autem ad illum mater & fratres ejus, & non poterant adire eum præ turba.

19 Ut autem declararet Dominus, quam pretioſa res ſit Euangelica doctrina, quantaque cura & ſollicitudine tradenda ſimul & accipienda, accidit die quodam, ut Jeſu docente populum, venirent mater & fratres ipſius, cupientes illum convenire de rebus aliquibus familiaribus, nec patebat aditus obſtante denſitate multitudinis:

20 Et nuntiatum eſt illi: Mater tua, & fratres tui ſtant foris, volentes te videre.

20 Itaque per alios nunciatum eſt illi, matrem ac fratres ſtare pro foribus, qui cuperent ipſum convenire.

Digitized by Google

21 Qui respondens, dixit ad eos: Mater mea, & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt.

21 Jesus autem ut doceret sermonem Euangelicum rem esse pretiosiorem, quam ut oporteret ob ullos affectus humanos, aut curam rerum domesticarum, interrumpi, respondit his qui nuntiarant: Mater mea, & fratres mei sunt hi, qui audiunt sermonem Dei, & faciunt: docens non agnoscendam cognationem carnis, quoties animorum saluti consulitur.

22 Factum est autem in una dierum: & ipse ascendit in naviculam, & discipuli ejus, & ait ad illos: Transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt.

22 Quin & illud Dominus voluit rebus ipsis suos docere, in omnibus tumultibus, quibus hic mundus cooriturus sit adversus profectum Euangelicum, non oportere, nec despondere animum, nec suis quenquam viribus fidere, sed ab ipsius auxilio pendere, nec hujus opem in ullis periculis defuturam, si modo nos non deficiat fiducia, si precibus ex animo fusis illius præsidium imploremus. Evenit igitur die quodam ut Jesus, quum toto die docuisset populum, ingressus navim cum discipulis juberet transmittere in alterum littus, jam appetente nocte.

23 Et navigantibus illis, obdormivit, & descendit procella venti in stagnum, & complebantur, & periclitabantur.

23 Porro inter navigandum obdormiit Jesus, atque interim exorta venti procella sic commovit Lacum, ut undis in navim irruentibus discipuli periclitarentur.

24 Accedentes autem suscitaverunt eum, dicentes: Præceptor, perimus. At ille surgens increpavit ventum, & tempestatem aquæ, & cessavit: & facta est tranquillitas.

24 Timentes igitur adeunt Jesum, & excitant dicentes: Præceptor, tu dormis, & nos perimus. At ille surgens increpavit ventum, & aquæ motum, jussitque conquiescere. Et agnoverunt elementa Dominum suum. Mox ad jussum ejus consequuta est tranquillitas magna.

25 Dixit autem illis: Ubi est fides vestra? Qui timentes, mirati sunt ad invicem, dicentes: Quis putas hic est, quia & ventis & mari imperat, & obediunt ei?

25 Quo facto, versus ad discipulos, objurgans eos, quod ipso præsente tam anxie trepidassent, quum toties audissent, nihil illis obfuturum, si modo fiduciam erga se certam ac perpetuam obtinerent, dixit: Ubinam est illa vestra fiducia? Nimirum illius defectus excitavit hos tumultus. Porro qui vehebantur navi, videntes ad increpantis vocem subito conquievisse totam tempestatem, ac perspicientes in eo nescio quid homine majus, correpti sunt timore, simul & admiratione, dicentes: Quisnam est iste? Quandoquidem non solum Spiritibus præcipit ut exeant, verum etiam inanimis ac surdis elementis, mari ac ventis imperat, & obediunt jussis illius. Quoties igitur continget & nos periclitari, quoties in nostris animis obdormierit Jesus, vellicemus eum piis votis, expergefaciamus eum assiduis precibus, & illico tempestas vertetur in tranquillitatem. Malus ventus est ambitio: periculosus turbo est iracundia & odium: horribiles undæ sunt malæ cupiditates, subversuræ cymbam mentis nostræ, sed excitandus Dominus, ut his motibus imperet, & cessabit tempestas.

26 Et navigaverunt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam.

26 Reddita igitur tranquillitate, enavigarunt in terram Gerasenorum, quæ est è regione Galilææ, pars Arabiæ inferioris.

27 Et cum egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium jam temporibus multis, & vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis.

27 Cum autem egressus esset in terram, occurrit illi vir quidam, multo jam tempore obnoxius sævissimo Dæmoni, adeo ut nec vestiri posset, nec domi vinculis ullis contineri: sed vagabatur in monumentis mortuorum, ac frequenter insiliebat in prætereuntes.

28 Is, ut vidit Jesum, procidit ante illum: & exclamans voce magna, dixit: Quid mihi, & tibi est Jesu Fili Dei Altissimi? obsecro te, ne me torqueas. 29 Præcipiebat enim spiritui immundo ut exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis & compedibus custoditus, & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deserta.

28 Is quum ad strepitum appellentium hospitum procurrisset, suo bono vidit Jesum. Jesus enim misertus hominis, imperabat impio Spiritui, ut exiret ab homine. Porro qui tenebatur à Dæmonio procidit ad genua Jesu. Attraxerat enim illum vis quædam occulta divinæ virtutis. Spiritus autem impurus vociferabatur per os miseri: Quid mihi tecum est Jesu Fili Dei altissimi? Obsecro te, ne me torqueas.

29 Urgebat enim illum jussio Domini, ut relinqueret hominem, quem diu vexaverat. Frequenter corripiebat illum, ac miseris modis discruciabat tanta sævitia, ut disruptis compedibus, catenis, & vinculis omnibus, à Dæmonio ageretur per loca deserta. Invitus itaque Spiritus ille relinquebat suam veterem possessionem: quin & illud metuebat, jam adesse diem, quo forent æternis suppliciis addicendi, malorum omnium, quibus hic affligunt homines, pœnas daturi. Has preces non extorserat malefactorum pœnitentia, sed supplicii metus.

30 Interrogavit autem illum Jesus, dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit: Legio: quia intraverant dæmonia multa in eum.

30 Jesus autem, quo notior esset omnibus miraculi magnitudo, interrogabat impium Spiritum, quod esset ipsi nomen. Ille respondit: Legio: nimirum militari vocabulo significans, non ab uno Dæmonio teneri hominem, sed innumera Dæmonum multitudine. Nullum enim magnum peccatum est sine magna vitiorum caterva.

31 Et rogabant illum ne imperaret illis ut in abyssum irent.

31 Sed nullus est animi morbus tam sævus, nulla tanta criminum multitudo, quin cedat ad jussum Domini Jesu. Id jam metuentes omnes, orant ut si vitari non possit, quin ejicerentur, saltem ne juberentur abire in abyssum tartari, quem locum sciunt sibi destinatum in extremo die.

32 Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte: & rogabant eum, ut permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis.

32 Pascebat autem haud procul ab eo loco grex numerosus porcorum in monte quodam, qui Lacui imminebat, ut vel hinc intelligamus eam regionem fuisse Ethnicam & impietati deditam. Siquidem Judæi non vescebantur carne suilla. Dæmones autem rogabant, ut permissu Domini liceret immigrare in porcos illos. Tanta erat nocendi libido impiis Spiritibus. Jesus autem, quo miraculum esset evidentius ac formidabilius, permisit quod rogabant.

33 Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intraverunt in porcos: & impetu abiit grex per præceps in stagnum, & suffocatus est.

33 Mox Dæmonia relicto homine demigrarunt in porcos. Et illico totus grex impetu delatus est per præceps in Lacum, atque ibi suffocatus interiit.

34 Quod ut viderunt factum qui pascebant, fugerunt, & nuntiaverunt in civitatem, & in villas.

34 Id ubi conspexere subulci, territi fugiunt in civitates & vicos, ac renuntiant quod factum est.

35 Exierunt autem videre quod factum est, & venerunt ad Jesum: & invenerunt hominem sedentem, à quo dæmonia exierant, vestitum, ac sana mente, ad pedes ejus, & timuerunt.

35 Illi vix credentes quod narrabant pastores, egressi sunt, ut viderent rei tam incredibilis argumenta. Vident autem perisse gregem paulo ante numerosissimum. Et reperiunt hominem, qui prius tenebatur à Dæmoniis, & ob insignem sævitiam notus erat omnibus, jam placidum ac sanæ mentis, vestitum, sedentem ad pedes Jesu. Erat enim subito factus ex hospite Dæmonum discipulus Jesu, & qui prius ab impiis Spiritibus agebatur ad omne facinus, nunc placido mitique spiritu clementissimi Domini formatur ad omne studium pietatis.

36 Nuntiaverunt autem illis & qui viderant, quomodo sanus factus esset à legione:

36 Porro qui adfuerant, quique oculis suis viderant hominem prius Dæmoniacum, & audierant legionem esse Dæmonum, mox sanatum, narrabant cæteris quid accidisset.

37 Et rogaverunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum ut discederet ab ipsis: quia magno timore tenebantur. Ipse autem ascendens navim, reversus est.

37 Itaque corripuit omnes timor quidam, quum glorificare potius oporteret Deum, & amplecti potentiam ejus, qui misero deploratissimo restituit sanitatem. Cupiunt igitur abire Jesum, metuentes illius potentiam, sed ignorantes bonitatem, ac magis moventur jactura porcorum, quam hominis restituti salute. Non audent tamen ejicere, sed rogant publicis precibus Gerasæni, ut decederet è finibus ipsorum. Tantus timor omnes occuparat. Jesus autem, ne projiceret sanctum canibus, reversus est ad navim.

38 Et rogabat illum vir, à quo dæmonia exierant, ut cum eo esset. Dimisit autem eum Jesus, dicens: 39 Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Deus. Et abiit per universam civitatem, prædicans quanta illi fecisset Jesus.

38 Cæterum is qui liberatus erat à Dæmoniis, orabat Jesum, ut liceret esse in illius comitatu, cui salutem debebat.

39 Jesus autem id non permisit: Sed redi, inquit, in domum tuam, ut te narrante, teque conspecto, certo cognoscant omnes, qualis ante fueris, & qualis jam sis Dei beneficio. Me recusant hospitem tui, saltem tu testis esto apud illos, quam sibi inviderint me ejicientes. Paruit homo jussis Domini, ac profectus in Decapolim, perque omnes civitates prædicabat

Digitized by Google

bat apud omnes, quantum beneficiorum accepiſſet ab Jeſu. Erat hoc aliquod rudimentum Euangelicæ prædicationis apud homines craſſos & impios, ac porcis illis, in quos demigrarunt Dæmonia, ſimillimos. Nec inanis fuit omnino Dæmoniaci prædicatio, credidere multi, & admirati ſunt. Hac nimirum imagine docuit nos Dominus Jeſus, nullis quamlibet impiis non eſſe offerendam Euangelii gratiam, invitis tamen & adſpernantibus non eſſe obtrudendam, ſed rurſus ita diſcedendum ab illis, ut ſcintillam aliquam relinquamus veræ pietatis, olim fortaſſis per occaſionem emicaturam.

40 *Factum eſt autem cum rediiſſet Ieſus, excepit illum turba: erant enim omnes expectantes eum.*

40 Revectus* eſt itaque Jeſus unde venerat, videlicet in Galilæam, ubi jam celeberis erat, & admirandus omnibus. Redeuntem igitur excepit ingens hominum multitudo, quæ magnis deſideriis exſpectarat Jeſu reditum à Geraſenis:

41 *Et ecce venit vir, cui nomen Iairus, & ipſe princeps ſynagogæ erat: & cecidit ad pedes Jeſu, rogans eum ut introiret in domum ejus,*

41 Et ecce rurſus occaſio, quæ declararet quam Jeſus eſſet expoſitus omnibus ad ſubveniendum, divitibus ſimul ac pauperibus, bonis ac malis, quantoque minus haberent fiduciæ, qui apud Judæos videbantur eſſe religionis proceres, quam hi, qui in plebe habebantur contemtiſſimi. Adiit enim Jeſum quidam ex proceribus Synagogæ, nomine Jairus, cui filia erat domi puella, annos nata plus minus duodecim, ea jam agebat animam. Accidit igitur ad pedes Jeſu, rogans dignaretur adire domum ſuam, ac ſubvenire filiæ morienti. Sic vocari ſolet medicus: Veni, experire quid poſſis. Quanto plenior fiducia Centurionis, qui negavit eſſe opus præſentia corporis, ſed ſimplici dicto Jeſum ſanare poſſe, quem vellet?

Quia unica filia erat ei ſere annorum duodecim, & hæc moriebatur. Et contigit, dum iret, à turbis comprimebatur.

42 Morem geſſit Jairo Jeſus, properans ad ædes illius. Ecce autem inter eundum, condenſantibus undique ſeſe turbis (tanta erat videndi audiendique ſitis omnibus) comprimebatur Jeſus.

43 *Et mulier quædam erat in fluxu ſanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogaverat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab ullo potuit curari:*

43 In confertam turbam ingeſſerat ſe mulier quædam, quæ jam annis duodecim laborarat fœdo & abominabili morbo, profluvio ſanguinis, & amore ſanitatis omnem ſubſtantiam ſuam erogarat in medicos, ſemper meliora pollicentes: ſed nihil opis attulerant, niſi quod morbo addiderant aliud malum, paupertatem.

44 *Accеſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus: & confeſtim ſteterit fluxus ſanguinis ejus.*

44 Ibi prudens mulier deſtituta auxilio hominum, confugit ad opem divinam, mira concepta fiducia de Jeſu, ſi quicquam poſſit illius contingere, fore ut ſanaretur. Pudor autem obſtitit, quo minus prodiret illi in conſpectum, ac morbum pudendum aperiret, ſed veluti ſuffurari cupiens ab eo ſalutis beneficium, adrepſit à tergo, & attigit extremam oram veſtis illius, quæ in compreſſu multitudinis huc & huc trahebatur. Nec mora, protinus ſenſit abiiſſe morbum, ac ſiſti profluvium ſanguinis.

45 *Et ait Ieſus: Quis eſt, qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis: Quis me tetigit?*

45 Jeſus autem nequaquam invidens mulierculæ ſalutem, ſed Archiſynagogo cæteriſque Judæis volens exhibere formam abſolutæ fiduciæ, dixit: Quis me tetigit? Quum cæteri, qui aderant vicini, negarent ſe tetigiſſe eum: Petrus cæterique diſcipuli, qui Jeſu proxime hærebant, dicebant: Præceptor, undique premit te & afflictat hominum confertiſſima frequentia, & perinde quaſi unus aut alter adſit, rogas, quis te contigerit.

46 *Et dixit Ieſus: Tetigit me aliquis, nam ego novi virtutem de me exiſſe.*

46 Jeſus autem ſubindicans ſe non de vulgari contactu loqui, de quo ſentiebant diſcipuli, reſpondit: Aliquis non vulgari more me tetigit, ſibi conſcius eſt, quiſquis ille fuit. Nam ipſe quoque ad contactum ſenſi virtutem à me profectam ad eum, qui me tetigit.

47 *Videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes ejus: & ob quam cauſam tetigerit eum, indicavit coram omni populo: & quemadmodum confeſtim ſanata ſit.*

47 Quum nemo reſponderet, & Jeſus circumferret oculos, quaſi quæritans quis eſſet, qui beneficium hoc ſuffurari vellet, mulier intelligens non latere Jeſum, quod furtim fecerat, multo cum tremore prodiit in conſpectum Jeſu, & accidens ad pedes ejus, profeſſa eſt coram univerſo populo, & quam ob cauſam contigiſſet eum, & quemadmodum illico ſanata ſit à morbo, quo duodecim annos laboraverat, fruſtra ſudantibus medicis. Hanc confeſſionem extorſit clementiſſimus Dominus, non ut mulierculam traduceret, ſed ut oſtenderet Judæis, quantum poſſit certa fiducia.

48 *At ipſe dixit ei: Filia, fides tua ſalvam te fecit: vade in pace.*

48 Jeſus autem conſolans mulierem trepidam, & objurgationem exſpectantem, ait: Filia, fiducia tua tibi promeruit ſalutem. Vade in pace, ſitque tibi hoc meum beneficium perpetuum. Hoc dicto tetigit Phariſæos & Scribas, qui plus ſpei reponebant in ſuis operibus, quam in bonitate Dei.

49 *Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem ſynagogæ, dicens ei: Quia mortua eſt filia tua, noli vexare illum.*

49 Nondum finierat hæc verba Dominus Jeſus, dum accurrit quidam ex ædibus Archiſynagogi, qui dixit illi: Noli moleſtus eſſe Domino, fruſtra venturo, filia tua jam mortua eſt. Qui hoc nuntiabat, nihilo magnificentius ſentiebat de Jeſu, quam de medico quopiam eximio, qui poſſit ægrotanti ſuccurrere, mortuam excitare non poſſit.

50 *Ieſus autem, audito hoc verbo, reſpondit patri puellæ: Noli timere, crede tantum, & ſalva erit.*

50 Ad hunc nuntium quum Jeſus videret exanimatum Jairum, conſolatus eſt eum, dicens: Ne metue, tantum confide, & ſalva erit puella.

51 *Et cum veniſſet domum, non permiſit intrare ſecum quemquam, niſi Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & patrem & matrem puellæ.*

51 Ubi ventum eſt ad domum Archiſynagogi, Jeſus non eſt paſſus è turba quenquam ingredi ſecum, præter Petrum, Jacobum, & Joannem, cumque his patrem & matrem puellæ.

52 *Flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit: Nolite flere, non eſt mortua puella, ſed dormit.*

52 Ingreſſus reperit domum plenam luctus. Flebant enim omnes amici & cognati defunctam, quod officium etiam ambitione ſolet exhiberi divitibus vita defunctis. Adhibent enim qui lamententur, qui canant lugubria, qui planctu teſtentur dolorem. Hanc pompam omnem cohibuit Jeſus, dicens: Nolite flere; non enim eſt mortua puella, ſed dormit.

53 *Et deridebant eum, ſcientes quod mortua eſſet.*

53 At illi deridebant eum, ſcientes certo puellam eſſe mortuam.

54 *Ipſe autem tenens manum ejus clamavit, dicens: Puella, ſurge.*

54 Jeſus autem cum paucis ingreſſus in conclave, ubi jacebat exanime cadaver puellæ, velut excitaturus dormientem, arripit manum ejus, ac voce clariore dixit illi: *Puella, ſurge.*

55 *Et reverſus eſt ſpiritus ejus, & ſurrexit continuo. Et juſſit illi dari manducare.*

55 Quid conſequutum eſt? Nemo facilius expergiſcitur ad vocem excitantis, quam illa revixit ad vocem appellantis. Non enim ſolum rediit anima in domicilium unde fuerat egreſſa, verum etiam ut alacris vegetaque ſurrexit & ambulabat. Jeſus autem, quo certius eſſet vitæ reſtitutæ documentum, juſſit illi dari cibum.

56 *Et ſtupuerunt parentes ejus, quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat.*

56 Quo viſo, vehementer obſtupuere parentes puellæ. Jeſus autem edixit illis, ne cui dicerent quod accidiſſet, quaſi cupiens hoc miraculum paucis eſſe cognitum: ſive quo nos doceret, non eſſe venandam ab hominibus benefactorum gloriam: ſive ut hac figura ſignificaret, in levioribus erratis ſufficere ſecretam correptionem. Puella enim mortua, deſignat hominem per imbecillitatem collapſum in culpam. Mors adhuc erat recens, cadaver nondum prodierat in publicum. Itaque excluſa turba, res paucis teſtibus peracta eſt. Felices autem, quos comprehendere dignatur Jeſus.

Cap. IX.

Ibant miſſi: Herodes: piſces: vox pia Petri:
Moſes: luna: puer: flamma: caverna: vale.

1 *Convocatis autem duodecim Apoſtolis, dedit illis virtutem & poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & ut languores curarent.*

1 Atque hactenus quidem Jeſus per ſe geſſit Euangelii negotium, duodecim Apoſtolos interim variis modis formans atque inſtituens, velut poſt acceptum Spiritum Sanctum in prædicandi munus ſucceſſuros. Eoque factorum ac ſermonum ſuorum perpetuos teſtes eſſe voluit. Verum ut interim ipſi quoque ſpecimen aliquod ſui darent in tanti muneris functionem, & vivo adhuc Domino ſui periculum facerent: convocavit eos omnes in unum, ne quid in prædicatione diſcordarent. Ne vero prædicatio humilium & idiotarum omnino careret auctoritate, addidit illis virtutem ac poteſtatem ejiciendi omne Dæmoniorum genus, & omne morborum genus ſanandi. Congruebat enim, ut qui regnum Dei prædica-

* Alia Editio, *Reverſus.*

Digitized by Google

dicarent, haberent jus in impios Dæmones, hostes Dei, & qui prædicarent eam doctrinam, quæ sanaret omnes morbos animorum, virtutem haberent sanandi morbos corporum: simulque decebat, ut ad Euangelii professionem homines beneficiis potius, quam terroribus allicerentur.

2 Et misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos.

2 Ad meum, inquit, exemplum libenter & gratis vestra potestate subvenite morbis & calamitatibus omnium: ne sinceritatem Euangelicæ prædicationis aliqua quæstus suspicione vitietis. Præscripsit autem, quid oporteret illos docere. Nec enim mandavit illis, ut docerent Legis ceremonias, mox abolendas: non humanas constitutiunculas, cujusmodi docere solent Scribæ & Pharisæi, circumeuntes mare & aridam, ut facerent unicum proselytum: sed ut docerent adesse regnum Dei, quod jam non in rebus corporalibus situm esset, sed in spiritu & virtute. Hæc satis erat tum prædicare rudibus, ad præparandum animos hominum doctrinæ sublimiori.

3 Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.

3 Ne vero remoraretur illos ab Euangelii negotio sollicitudo rerum ad vitam corporis necessariarum, ait illis: Ne quid impedimentorum tuleritis vobiscum in viam, neque baculum ad defensionem, neque peram reponendo commeatui, neque zonam reponendis nummis, neque binas tunicas: certi nihil horum vobis usquam defuturum, si sinceris animis juxta meum jussum curaveritis Euangelii profectum. Nusquam enim non erunt, quorum ultronea benignitas suppeditet, quod in diem viventibus, & paulo contentis satis sit.

4 Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, & inde ne exeatis.

4 Nec est quod de hospitio sitis solliciti. Ubicunque cognoveritis esse dignos regno Dei, ad illos divertite, ne subinde aliunde alio demigrantes, delitias quæsisse videamini. Sed contenti his quæ illic repereritis, tandiu manete apud illos, donec Euangelii profectus hortabitur vos, ut alio proficiscamini.

5 Et quicumque non receperint vos: exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium super illos.

5 Quod sicubi evenerit, ut nemo vos recipiat, agnoscite dignitatem vestri muneris, neque conemini invitis obtrudere quod ab omnibus oportet expeti: continuo relinquite civitatem illam, adeo nihil ab illis accipientes, qui rejiciunt vestram prædicationem, ut etiam pulverem, qui forte pedibus vestris hæsit, excutiatis in illos, testificantes quod gratis illis annuntiaveritis regnum Dei, & quod ipsi sese reddiderint indignos tanto munere gratis oblato.

6 Egressi autem circuibant per castella, evangelizantes & curantes ubique.

6 His aliisque multis sermonibus, ubi Jesus instruxit suos, abierunt Apostoli bini, & peragrantes vicos, ubique prædicabant adesse regnum Dei: atque ubicunque repererunt Dæmoniacos, aut ægrotos, aut alio corporis vitio obnoxios, sanabant in nomine Jesu. Hoc erat primum rudimentum Apostolicæ prædicationis.

7 Audivit autem Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo, & hæsitabat eo quod diceretur à quibusdam: Quia Ioannes surrexit à mortuis:

7 His rebus adeo celebris facta est fama Jesu, ut rumor omnium quæ gerebat, permanarit ad Herodem Tetrarcham. Quum enim Jesum ignoraret, & audiret esse quendam, qui jussu propelleret Dæmones, fugaret morbos, restitueret mancos & contractos, mundaret leprosos, excitaret mortuos, erat ancipitis perplexique animi, quisnam esset hic subito exortus. Quidam autem jactabant Jesum esse Joannem, quem Herodes paulo ante occiderat, qui revixisset, & ideo jam veluti semideus factus, tantis miraculis polleret.

8 A quibusdam vero: Quia Elias apparuit: ab aliis autem: Quia propheta unus de antiquis surrexit.

8 Alii dicebant eum esse Eliam, quem raptum igneo curru, Judæi rediturum exspectabant juxta vaticinium Malachiæ. Rursus alii suspicabantur alium quempiam è priscis Prophetis, quorum apud Judæos erat sacrosancta memoria.

9 Et ait Herodes: Ioannem ego decollavi: Quis est autem iste, de quo ego talia audio? Et quærebat videre eum.

9 Herodes autem sibi metuens, si Joannes revixisset, quem occiderat, & incredibile ducens, ut homo semel exstinctus reviviscceret, dicebat: Joannem ego decollavi, quo sublato, putavi neminem supersse, qui magnum aliquid auderet. Quis autem est iste, de quo etiam longe majora audio, quam unquam gessit Joannes? Proinde quærebat occasionem videndi eum, non ut melior fieret, sed ut suæ satisfaceret curiositati: aut, si videretur, idem huic faceret, quod fecerat Joanni. Jesus autem quum hæc non ignoraret, non fecit illi sui copiam. Non enim in hoc venerat, ut miraculis suis pasceret oculos impiorum Principum, sed ut simplices ad salutem adduceret: nec placebat decollatio, qui sibi destinarat sublime crucis vexillum.

10 Et reversi Apostoli, narraverunt illi quæcumque fecerunt: & assumptis illis secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaidæ.

10 Post hæc reversi sunt duodecim ad Jesum, magna cum alacritate narrantes, quomodo successisset Euangelii prædicatio, quantumque miraculorum edidissent & ipsi in nomine ipsius. Jesus autem revocavit illos ad modestiam, ne quid successu talium rerum insolescerent. Nam miracula geri virtute Dei, non hominum: nonnunquam autem edi per homines, non destinatos æternæ vitæ: solam autem animi pietatem hominem reddere beatum, sive miraculorum virtus adsit pro temporis ratione, sive non adsit. Jesus igitur ut ipso facto doceret illos, quo pacto deberent cibo sermonis Euangelici, quem ab ipso didicissent, pascere multitudinem, secessit cum illis in locum desertum, quo paulisper requiescerent ab itineris labore. Nam tantus erat illic confluxus hominum, ut non vacaret illis vel cibum capere. Abduxit igitur eos in desertum vicinum civitati Galilææ Bethsaidæ, quæ communis erat patria Petri, Andreæ & Philippi. Hic nimirum secessus non datus est ad ineptas voluptates, aut somnum, sed ad tranquillitatem orandi & gratias agendi Deo. Talem enim oportet esse relaxationem virorum Apostolicorum.

11 Quod cum cognovissent turbæ, secutæ sunt illum: & excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei, & eos, qui curæ indigebant, sanabat.

11 Cæterum ubi rumore sparsum esset quo se subduxisset Jesus, innumerabilis hominum multitudo undique conglomerans sese sequuta est illum in desertum. Jesus autem videns illorum aviditatem, prodiit è latebris, in quas secesserat, & adeo non repulit eos, ut ultro etiam iret obviam: & illud interim docens discipulos suos, à secessu brevi statim redeundum ad Euangelicam functionem. Jesus autem progressus, ubi vidit infinitam vim virorum & mulierum, ac puerorum variis ex locis pedibus tanto itinere perveniisse in desertum, velut oves huc & illuc palantes, pastore destitutas, tactus misericordia, primum animos illorum pavit, multa loquens illis de regno Dei, tum eos, qui morbis aliisque corporis malis tenebantur, sanabat. Hæc dum aguntur, cœpit inclinare dies.

12 Dies autem cœperat declinare. Et accedentes duodecim dixerunt illi: Dimitte turbas, ut euntes in castella villasque quæ circa sunt, divertant, & inveniant escas: quia hic in loco deserto sumus.

12 Apostoli vero considerantes turbam esse immensam, appetere vesperam, locum esse procul semotum ab oppidis & vicis, nullum esse commeatum: submonent Jesum, dicentes: Dimitte turbas in tempore, ut in oppidula, villasque proximas abeuntes, parent sibi cibum. Nam hic locus desertus est.

13 Ait autem ad illos: Vos date illis manducare. At illi dixerunt: Non sunt nobis plus quam quinque panes, & duo pisces: nisi forte nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas.

13 Jesus autem, ut ostenderet non defuturum cibum his, qui toto pectore vacarent Euangelicæ doctrinæ, simulque hoc agens, ut evidens esset miraculum, quod decreverat edere, respondit discipulis: Non est necesse, ut hac gratia divertant in oppida & villas, quin potius vos ipsi date illis cibum: subindicans & hoc esse nonnunquam Apostolici muneris, de suis facultatibus, quamvis exiguis, sublevare necessitatem sui gregis. Nec deerat animus Apostolis, sed dolent deesse facultatem. Itaque respondent: Non est nobis quicquam ciborum, præter quinque panes, & duos pisces. Hoc commeatus vix nobis paucis sufficturum est in cœnam, nisi forte vis, ut nos eamus in proximos vicos, emturi cibos tantæ multitudini sufficturos. Atqui ad eam rem opus esset multis denariis, quum apud nos pecuniæ sit quam minimum.

14 Erant autem fere viri quinque millia. Ait autem ad discipulos suos: Facite illos discumbere per convivia quinquagenos.

14 Erant enim ferme quinque virorum millia. Ad hæc Jesus: Facite ut discumbant omnes per sodalitia, sic, ut quinquageni simul accumbant. Sic enim so-

Digitized by Google

ſolent, qui multis exhibent convivium, ſingulis menſis certum adhibere numerum, ut ſciant promi ac miniſtri, quantum debeant apparare.

15 Et ita fecerunt. Et diſcumbere fecerunt omnes.

15 Apoſtoli tametſi nihil viderent apparatus, tamen ad juſſum Domini jubent populum per ſodalitia diſcumbere, velut jam apponendis epulis. Simili ſimplicitate obtemperat & populus.

16 Acceptis autem quinque panibus, & duobus piſcibus, reſpexit in cælum, & benedixit illis: & fregit, & diſtribuit diſcipulis ſuis, ut ponerent ante turbas.

16 Jeſus itaque novus convivator, accepit quinque panes ac duos piſces, & ſubrectis in cœlum oculis, verbis bene ominantibus primum conſecravit cibum, deinde fregit, mox diſtribuit diſcipulis, ut apponerent turbæ.

17 Et manducaverunt omnes, & ſaturati ſunt. Et ſublatum eſt quod ſuperfuit illis, fragmentorum cophini duodecim.

17 Refecti ſunt omnes uſque ad ſatietatem: & adeo nihil defuit, ut expletis omnibus, collecti ſint per diſcipulos duodecim cophini fragmentorum. In his quoque latet doctrinæ ſecretioris imago. Habent Apoſtoli commeatum, ſed Jeſu. Is ut vilis eſt ac plebejus, ita puſillus eſt. Multiplex enim eſt Moſi doctrina, varia & opipara eſt Philoſophorum eruditio: at ſimplex & brevis eſt ſermo Euangelicus, ſed qui ſufficiat reficiendis animabus omnium gentium, ſi quemadmodum oportet, & tradatur & accipiatur. Apoſtolicis viris creditus eſt ſermo, quo ſaginantur animæ, ſed hunc non apponunt populo, niſi prius à Chriſto conſecratum ac fractum. Tum enim demum verus eſt fructus Euangelicæ prædicationis, ſi doctor quod habet ſibi creditum donum eruditionis, non arroget ſibi: nec veluti de ſuo temere promat, ſed Chriſto reddat conſecrandum; alioquin inanis erit opera docentis, niſi ille ſermonem benedixerit, niſi fregerit, niſi diſtribuendum tradiderit ſuis manibus. Efficax enim eſt, quicquid ab illis manibus proficiſcitur. Ille eſt qui paſcit, qui reficit, qui ſatiat. Epiſcopi nihil aliud ſunt, quam miniſtri, ac diſpenſatores liberalitatis alienæ. Populus interim per ſodalitia diſcumbit humi, nihil hæſitans, nihil murmurans: ſignificans, in cœtu Eccleſiaſtico oportere adeſſe modeſtiam, ac ſimplicem animi fiduciam, & abeſſe diſcordiam ac tumultum omnem. Quin & illud mihi conſidera myſterii: Dominus Jeſus primum docuit ac ſanavit, deinde pavit. Eſt autem & ſermo divinus animæ cibus, ſed hujus aliqua portio non negatur etiam impiis & catechumenis. Eſt enim medicina mentium, & refectio imbecillium. Idem enim agit ſalutaris doctrina in animis peccatorum, quod Jeſus verbo, contactuque ſuo faciebat in morbis corporum. Sed eſt panis myſticus, qui non datur niſi jam doctis ac ſanatis. Hic nimirum eſt cœleſtis ille panis corporis Dominici, qui non datur his, qui nondum recepti ſunt per baptiſmum in corpus Eccleſiæ, nec his, quorum animus adhuc tenetur aliquo gravi crimine, veluti morbo capitali. Nec ſolidus ille cibus ſapientiæ reconditioris, quem Paulus non promebat niſi inter perfectos, proferendus eſt quibuslibet.

18 Et factum eſt, cum ſolus eſſet orans, erant cum illo & diſcipuli: & interrogavit illos, dicens: Quem me dicunt eſſe turbæ?

18 Porro quoniam Dominus ſic temperarat omnia dicta factaque, ut nunc promeret indicia divinæ virtutis, nunc oſtenderet veritatem humanæ naturæ, variabant hominum de illo opiniones. Quoniam autem oportebat apud eos, per quos ſtatuerat mundum innovare, concordem & conſentientem eſſe de ipſo profeſſionem: quum ſolus erat orans cum diſcipulis ſuis, percunctatus eſt illos, quid de ſe ſentiret populus, aut quem eſſe dicerent.

19 At illi reſpondentes, dixerunt: Joannem Baptiſtam, alii autem Eliam, alii vero quia unus Prophetarum de prioribus ſurrexit.

19 Diſcipuli reſpondent: Alii ſuſpicantur te eſſe Joannem Baptiſtam, qui revixerit: alii vero Eliam, quem Judæi putant rediturum antequam veniat Meſſias: Alii porro credunt virum quempiam è priſcis illis Prophetis revocatum in vitam.

20 Dixit autem illis: Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus dixit: Chriſtum Dei.

20 Tum Jeſus: Vulgus ſuo more vacillat, nec ſibi conſtat. Vos autem, qui me propius ac domeſtice noſtis, quem me eſſe dicitis? Ibi Petrus cæteris ardentior, omnium nomine reſpondit: Nos te ſcimus eſſe Meſſiam, quem Deus unxit omnibus dotibus cœleſtibus.

21 At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc,

21 Jeſus autem approbat quidem illorum rectam profeſſionem, ſed interminatur, ne cui quod ſentirent, dicerent: Nondum enim veniſſe tempus ejus myſterii palam omnibus aperiendi, prius eſſe peragendum mortis ſacrificium, perque multas contumelias ad ejus nominis gloriam eſſe perveniendum.

22 Dicens: Quia oportet filium hominis multa pati & reprobari à ſenioribus, & principibus ſacerdotum, & Scribis, & occidi, & tertia die reſurgere.

22 Oportet enim, inquit, Filium hominis multa perpeti, & reprobari à Senioribus, & Scribis, & principibus Sacerdotum, denique occidi etiam, ac mox tertio die reſurgere. Cavendum igitur, ne vel hujus nominis gloria nunc prædicata, ob corporis afflictionem ac mortem, fidem non inveniat, ac mortem meam impediat. Quum autem Petrum ad mentionem mortis inhorreſcentem, & ad diverſa conſilia cohortantem compeſcuiſſet, cœpit & ſuos diſcipulos ad imitationem ſuæ mortis adhortari, dicens: Sic viſum eſt Patri, hac via perveniendum ad gloriam.

23 Dicebat autem ad omnes: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.

23 Qui vult eſſe meus diſcipulus, ſi cupit eſſe particeps felicitatis, debet imitator eſſe mortis. Non ſatis eſt me conſectari pedibus, factis ſequatur oportet, alioqui non agnoſcam diſcipulum. Quiſquis enim acceſſerit ad Euangelii prædicationem, ſe totum abneget, & omnibus hujus vitæ curis ſemel renuntiet oportet, opibus, voluptatibus, honoribus, cognatis, affectibus, denique vitæ ipſi, tollatque crucem ſuam quotidie, ſemper animum habens paratum ad omnia, quæ me videtis perpeti. Præcedam magiſter, ſequatur qui volet eſſe diſcipulus.

24 Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet illam: nam qui perdiderit animam ſuam propter me, ſalvam faciet illam.

24 Nec eſt quod metuatis vobis exitium. Sic perire, ſervari eſt. Quiſquis enim mea cauſa vitæ jacturam fecerit, is vitam ſuam in tuto collocavit. Contra, qui reſiliens ab Euangelico negotio, voluerit ſervare vitam corporis, is perdet animæ ſuæ vitam, quæ vera denique vita ducenda eſt.

25 Quid enim proficit homo, ſi lucretur univerſum mundum, ſe autem ipſum perdat, & detrimentum ſui faciat?

25 Hujus ſervandæ gratia rerum omnium jacturam accipere prudentis eſt. Quid enim profuerit homini, ſi lucrifecerit quicquid hic mundus habuerit expetendum, quum ſui ipſius jacturam faciat? Homine pereunte, pereunt & illa quæ paraverat. Totus autem perit, qui perdidit vitam æternam.

26 Nam qui me erubuerit, & meos ſermones: hunc Filius hominis erubeſcet, cum venerit in majeſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum.

26 Ne pudeat diſcipulum ea perpeti, quæ ego paſſurus ſum. Ne pudeat apud omnes meam profiteri doctrinam. Etenim quem mei, meorumque ſermonum puduerit apud homines, offenſum ignominia crucis, hujus viciſſim pudebit Filium hominis, cum depoſita carnis infirmitate, denuo veniet, proferens univerſo mundo majeſtatem ſuam, Patris, & ſanctorum Angelorum.

27 Dico autem vobis vere: ſunt aliqui hic ſtantes, qui non guſtabunt mortem donec videant regnum Dei.

27 Et ne dubitetis olim futurum, quod dico: illud vobis affirmo pro certo, ſunt hîc inter vos adſtantes quidam, qui non exibunt ex hac vita, niſi prius viderint aliqua ex parte majeſtatem regni Dei: quod nunc latet, olim patefiet omnibus.

28 Factum eſt autem poſt hæc verba fere dies octo, & aſſumpſit Petrum, & Jacobum, & Joannem, & aſcendit in montem ut oraret.

28 Ut autem præſtaret Jeſus quod erat pollicitus, die ab hoc ſermone ferme octavo, ſelegit è duodecim tres, Petrum, Jacobum, & Joannem, & conſcendit ex more montem, ut illic oraret.

29 Et factum eſt, dum oraret, ſpecies vultus ejus altera: & veſtitus ejus albus & refulgens.

29 Atque inter precandum, ſubito mutata eſt facies ejus in aliam ſpeciem, majeſtatis & gloriæ plenam, ac veſtimenta ejus niveo candore relucebant.

30 Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyſes & Elias.

30 Conſpiciebantur autem ſimul & duo viri, ſimili majeſtate colloquentes cum eo, quorum alter Moſes, alter Elias. Lex enim typis adumbrarat Jeſum, prophetiæ deſignarant. Horum cum Jeſu colloquium, quid aliud eſt quam Veteris ac Novi Teſtamenti conſenſus?

31 Viſo in majeſtate: & dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Ieruſalem.

31 Colloquebantur autem de mortis genere, quam juxta prophetiam, ab ipſis olim proditam, Dominus completurus eſſet Hieroſolymæ, quo rurſus gloriæ ſuavitas, mentione mortis temperaretur.

32 Petrus vero, & qui cum illo erant, gravati erant ſomno. Et evigilantes viderunt majeſtatem ejus, & duos viros, qui ſtabant cum illo.

32 Hæc autem non plane perſpiciebant Apoſtoli, quod oculos haberent ſomno gravatos. Cæterum ex-

perrecti plane viderunt majestatem Domini, simulque duos viros illi assistentes.

33 Qui cum inciperent ab Jesu discedere, Petrus metuens ne pariter discederet totum illud jucundum spectaculum, dixit ad Jesum: Præceptor, non est hinc usquam abeundum. Valeat Hierosolyma, quæ tibi mortem minatur. Quin potius faciamus in hoc monte tria tabernacula, unum tibi, unum Mosi, & unum Eliæ. Hæc Petrus, velut ebrius dulcedine visionis, loquebatur, nesciens quid diceret. Quærebat enim triumphum ante victoriam, & brabeum ante certamen.

34 Hæc loquente Petro, oborta est subito nubes & obumbravit discipulos, non jam sustinentes in corpore mortali tantæ gloriæ spectaculum.

35 Dum autem Moses & Elias ingrediuntur in nubem, evanescentes ab oculis discipulorum, (æquum enim erat, ut apparente luce veritatis Euangelicæ, cederent umbræ & obscura figurarum ænigmata) vox Patris sonuit de nube, dicens: Hactenus Judæi suspexerunt Mosen & Eliam, qui vaticinati sunt de Filio meo: magni fuerunt illi, sed servi mei. Hic autem est ille Filius meus, unice carus animo meo, ipsum igitur audite.

36 Hac voce sonante repertus est Jesus solus, ne suspicarentur in alium quam in ipsum ejus vocis testimonium pertinere. Porro tres illi discipuli, ita ut jussi fuerant à Domino, siluerunt: neque cuiquam narraverunt arcanum ejus spectaculi, donec resurrexisset à mortuis. Noluit enim Dominus ante mortem suam prædicari divinam majestatem suam: sive ne qua res impediret illud sacrificium, quo restituendum erat genus humanum: sive ne frustra prædicaretur, quod nullus esset crediturus. Simul autem ipsa re nos docuit, si quid in nobis magnificum fuerit, celandum potius esse quam jactandum: & si quam habemus à Deo donatam virtutem, eam factis esse declarandam potius, quam prædicatione.

37 Postero die descendit Jesus de monte cum tribus discipulis. Reperit autem ingentem hominum multitudinem circa reliquos Apostolos, quos adscensurus in montem reliquerat. Populus autem ut vidit redeuntem Jesum, occurrit illi: desideraverant enim illum.

38 Et acciderat recens, cujus gratia requirerent illius præsentiam. Clamabat enim quidam è turba, dicens: Magister, obsecro te, moveat te calamitas filii mei: nam mihi unicus est.

39 Tenetur autem à sæviſſimo Dæmone, qui subinde corripit eum, ac miseris vexat modis, magno cum clamore, elidens eum in terram, ac discerpens spumantem interim. Quoties autem corripuit eum, vix ab eo discedit, nisi toto corpore dilaniato.

40 Rogavi discipulos tuos, ut ejicerent Spiritum. Conati sunt, nec potuerunt.

41 Jesus autem intelligens hoc accidisse propter incredulitatem patris, qui filio orabat salutem, obque infirmam adhuc fiduciam discipulorum, exclamavit, dicens: O natio diffidens, minimeque simplicis animi, quam diu versabor apud vos & ista patiar? Nondum hoc efficio, ut mihi fidatis? Adeo vobis obstat hujus corporis imbecillitas? Et versus ad hominem, simulque stipulatus ab eo fiduciam firmiorem: Adduc, inquit, huc filium tuum.

42 Ut autem adductus est ad Jesum, rursus corripuit illum Dæmon, elidens puerum in terram, moxque Jesus restituit eum sanitati, ac reddidit illum patri sanum, quem adduxerat insanabilem.

43 Quo miserabilius fuerat mali spectaculum, hoc magis admirati sunt omnes præsentiam virtutis divinæ. Quum autem hujusmodi factis in dies inclarescceret fama Jesu, discipulorum animos tentabat quædam humana gloria, quod talem haberent Dominum, in cujus nomine patrarent & ipsi miranda.

44 Jesus autem ab hoc affectu revocat eos ad contemplationem humilitatis, qua post erant offendendi: Vos, inquit, delectat miraculorum gloria; sed magis refert, ut hos sermones, à quibus abhorret animus vester, infigatis cordibus vestris. Hoc enim oportet maxime meminisse, quod oportebat omnes imitari. De gloria ego videro. Futurum est enim quod jam dixi, & iterum dico, ut Filius hominis, cujus gloria vos nunc delectat, mox capiatur & tradatur in manus hominum, & affligatur multis modis, ac morte demum afficiatur.

45 Hic sermo tametsi jam semel atque iterum auditus, non insederat animis discipulorum. Non enim poterant meminisse, quod non libebat audire. Abhorrebant à mentione mortis, intenti gloriæ Jesu, non intelligentes, interim Domini gloriam per crucis ignominiam potissimum illustrandam esse. Audiebant autem de morte, sed tanquam per somnium, nequaquam sentientes, quid hoc sibi vellet, quod dicebatur: nec ausi tamen sunt illum interrogare, quid sibi vellet hic sermo, memores Petrum ingerentem sese audisse: Vade post me Satana, non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.

46 Post hæc Jesus ibat Capernaum, discipulos vero carnales adhuc, quoniam viderant miraculorum gloriam, quoniam audierant promissam majestatem regni Dei, quoniam ipsi quoque prodigiosa fecerant in nomine Jesu, subiit humana quædam cogitatio, quæ tandem eo erupit, ut hac de re inter eundum invicem commentarentur, quis esset primas habiturus in regno Dei. Somniabant enim tale quiddam fore in regno cœlorum, quale viderant in aulis Principum, aut in ædibus divitum: ubi qui elatior est ac ferocior, is major est.

47 Jesus autem tametsi non ignoraret, quid inter sese disputassent, tamen ingressus domum interrogavit eos: quid hoc esset rei, de quo inter eundum disputassent. Obticescentibus illis præ pudore, Jesus ut ostenderet, se non latere cogitationes & clanculatios sermones ipsorum, apprehendit puerum quendam ac statuit illum juxta se, & convocatis duodecim, ait: Vos disputatis de magnitudine. Apud me maximi sunt, qui minimi sunt. Quid hoc puero simplicius, quid humilius? Tales oportet vos fieri, si velitis esse primates in regno Euangelico. Nescit ambitionem, nescit dominatum, nescit tyrannidem regnum fidei & caritatis.

48 Quisquis exceperit puerum hunc in nomine meo, me recipit. Quisquis autem me recipit, recipit eum, qui me misit. Si ego dominatum in vos exercui, disputate & vos de primatu: sin omnium potius commodis inservivi, fugiens omnem hujus mundi gloriam, scitote illum magnatem fore inter vos omnes, qui contemtu gloriæ, qui modestia, qui serviendi omnibus studio, minimus fuerit omnium.

49 Quoniam autem audierant etiam parvulos esse recipiendos in nomine Jesu, venit in mentem Joanni, quod quendam exclusissent ab Euangelii consortio. Dubitat igitur, quemadmodum omnes essent admittendi ad contubernium salutis Euangelicæ, an itidem omnes essent admittendi ad functionem prædicationis Euangelicæ, & peractionem miraculorum. Suberat autem & hic tacitus quidam affectus invidentiæ. Solis duodecim Dominus Jesus donarat potestatem ejiciendi Dæmonia, ac sanandi morbos. Hanc dignitatem non putabant aliis communicandam. Ait itaque Joannes: Præceptor, quum abs te missi, perageremus munus Euangelicum, vidimus quendam ejicientem in tuo nomine Dæmonia, quum tamen non sit de numero duodecim, ac ne sequatur quidem te. Hunc tanquam alienum à nostro contubernio, prohibuimus ne faceret.

50 Jesus autem, qui nusquam se patitur à Spiritibus impiis prædicari, docet homines qualescunque non prohibendos ab Euangelico negotio: etiamsi parum

33 Et factum est cum discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum: Præceptor, bonum est nos hic esse: & faciamus tria tabernacula, unum Tibi, & unum Moysi, & unum Eliæ: nesciens quid diceret.

34 Hæc autem illo loquente, facta est nubes, & obumbravit eos: & timuerunt, intrantibus illis in nubem.

35 Et vox facta est de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.

36 Et dum fieret vox, inventus est Iesus solus. Et ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his quæ viderant.

37 Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa.

38 Et ecce vir de turba exclamavit, dicens: Magister, obsecro te, respice in filium meum, quia unicus est mihi:

39 Et ecce spiritus apprehendit eum, & subito clamat, & elidit, & dissipat eum cum spuma, & vix discedit dilanians eum:

40 Et rogavi discipulos tuos ut ejicerent illum, & non potuerunt.

41 Respondens autem Iesus, dixit: O generatio infidelis, & perversa, usquequo ero apud vos, & patiar vos? Adduc huc filium tuum. 42 Et cum accederet, elisit illum dæmonium, & dissipavit. 43 Et increpavit Iesus spiritum immundum, & sanavit puerum, & reddidit illum patri ejus.

44 Stupebant autem omnes in magnitudine Dei: omnibusque mirantibus in omnibus quæ faciebat, dixit ad discipulos suos: Ponite vos in cordibus vestris sermones istos: Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum.

45 At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos ut non sentirent illud: & timebant eum interrogare de hoc verbo.

46 Intravit autem cogitatio in eos: quis eorum major esset.

47 At Iesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, & statuit illum secus se,

48 Et ait illis: Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit: & quicumque me receperit, recipit eum, qui me misit. Nam qui minor est inter vos, omnes, hic major est.

49 Respondens autem Ioannes, dixit: Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, & prohibuimus eum: quia non sequitur nobiscum.

50 Et ait ad illum Iesus: Nolite prohibere:

Digitized by Google

parum sincero id animo faciant, modo faciant, inquit, in Jesu nomine quod faciunt, & idem faciant quod vos. Quisquis enim non adversatur nobis, hoc ipso pro nobis facit, quod non facit contra nos. Rei novæ, ac modis omnibus divulgandæ prodest omnis favor. Miraculum non est ejus qui facit, sed ejus qui virtutem suam edit per ministrum hominem. Quisquis igitur miraculum edit invocato meo nomine, illustrat gloriam meam, sibique jus adimit in posterum male loquendi de me, cujus nomen expertus sit tam efficax.

51 Accidit autem, ut quum instaret tempus, quo Jesus relictis terris recipiendus erat in cœlum, Dominus ingressus esset iter, ipso vultu præ se ferens, quod iret Hierosolymam, velut occursurus ad mortis occasionem.

52 Præmisit itaque nuntios ex Apostolis aliquot, ut in civitate quadam Samaritanorum, qua erat iter, pararent sibi hospitium.

53 Ut autem venerunt, cives occluserant eis portas civitatis, eo quod ex ipso habitu, vultuque conjectarent, quod peterent Hierosolymam. Samaritani vero, quoniam adorabant in monte, oderant & abominabantur omnes, qui religionis causa peterent Hierosolymam.

54 Jacobus autem & Joannes, qui missi fuerant, ubi viderunt inhumanitatem civium, qui mœnibus etiam excluderent, commoti dixerunt Domino: Domine vis, ut jubeamus ignem è cœlo descendere, quemadmodum fecit Elias, qui consumat istos?

55 Jesus autem ut ostenderet, quantam oporteat esse mansuetudinem Euangelici doctoris, increpatione coercuit illorum iracundiam, dicens: Nolite vobis Eliæ factum in exemplum vocare. Ille spiritu ductus, ejus temporis perdidit impios. Vos autem nondum intelligitis, cujus spiritus vos esse oporteat. Mansuetior est Euangelicus ille spiritus.

56 Erit olim vindictæ tempus, interim Filius hominis venit, non ut perdat animas, sed ut servet. Qui nunc excludunt, fortassis in posterum recipient. Servandi sunt igitur, ut sint qui possint resipiscere. Et eo oppido relicto diverterunt in aliud oppidulum. Hoc sermone Jesus exemit ex animis illorum omnem vindictæ cupiditatem: docuitque lenitatem erga eos qui primum excluderent doctrinam Euangelicam, quod hos satis esset ad tempus relinquere, donec per occasionem converterentur ad mentem meliorem.

57 Rursus accidit inter eundum, ut quidam ultro diceret Jesu: Sequar te, quocunque ieris.

58 Jesus autem volens ostendere, non esse admittendos ad consortium Euangelicæ functionis, qui non adferrent animos ei negotio pares, satius enim esse, non suscipere negotium, quam à suscepto deficere, dixit illi: Vulpes habent suas latebras in terra, ac cœli volucres habent suos nidos in arboribus, Filius autem hominis non habet ubi reclinet caput suum. Non est igitur idoneus sectator hujus, qui quicquam habet in hoc mundo, quo semet oblectet, aut in quo conquiescat. Omnibus renuntiet oportet, qui me sequi volet.

59 Rursus ubi conspexit alterum quendam, dixit illi: Sequere me. Ille autem respondit: Domine, permitte mihi, ut prius sepeliam patrem meum.

60 Jesus autem subindicans, omnibus officiis carnalibus præponendum esse negotium salutis, ait illi: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade, & annuntia regnum Dei. Hac imagine Dominus illorum excusationem excluſit, qui prætextu pietatis humanæ differunt curam ac studium salutis æternæ.

61 His deteriores sunt qui causatione rerum domesticarum prorogant, & recrastinant salutis negotium, quod ad primam statim occasionem peragendum est. Occurrit enim alius, qui jussus sequi respondit: Sequar te Domine, tantum illud permitte mihi, ut dicam vale domesticis meis.

62 Tum Jesus: Quisquis semel admoverit manum aratro, ac deinde respexerit, non est aptus regno Dei. Summum & arduum est hoc negotium, quod qui semel aggressus sit, eum oportet perpetuo studio progredi ad perfectiora, nec deflectere animum ad curas sordidas rerum fluxarum.

qui enim non est adversum vos, pro vobis est.

51 *Factum est autem dum complerentur dies assumptionis ejus, & ipse faciem suam firmavit ut iret in Ierusalem.*

52 *Et misit nuntios ante conspectum suum: & euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum ut pararent illi.*

53 *Et non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Ierusalem.*

54 *Cum vidissent autem discipuli ejus Iacobus & Ioannes, dixerunt: Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cælo, & consumat illos?*

55 *Et conversus increpavit illos, dicens: Nescatis cujus spiritus estis.*

56 *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. Et abierunt in aliud castellum.*

57 *Factum est autem: ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum: Sequar te quocunque ieris.*

58 *Dixit illi Jesus: Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.*

59 *Ait autem ad alterum: Sequere me. Ille autem dixit: Domine permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum.*

60 *Dixitque ei Iesus: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos; tu autem vade, & annuntia regnum Dei.* 61 *Et ait alter: Sequar te Domine, sed permitte mihi primum renuntiare his quæ domi sunt.*

62 *Ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.*

Cap. X.

Christe tuos mittis: ter va: tu parvule nosti:
Hoc fac: pene neci dat latro: Martha tace.

1 Post hæc autem designavit Dominus Jesus è numero discipulorum & alios septuaginta, quemadmodum antea selegerat duodecim Apostolos: quos mittebat binos in omnem civitatem, in quam ipse decrevisset venire, quo sua prædicatione præpararent animos in adventum Domini: & hos instruxit ad munus Euangelicæ prædicationis, quemadmodum prius instruxerat duodecim.

2 Reddidit autem causam, quare auxisset numerum prædicatorum: Messis, inquit, copiosa, operarii vero pauci. Rogate igitur Dominum messis, ut extrudat operarios in messem suam. Late spargitur Euangelii rumor, & plures accenduntur aviditate doctrinæ cœlestis. Parati sunt animi, tantum desunt qui colligant homines ultro properantes ad regnum cœlorum. Ite igitur, meis unius præsidiis freti.

3 Frement potentes ac mali adversus doctrinam vestram, his vos nudos & inermes objicio. Non enim mitto vos, ut quenquam lædatis, sed ut simplices, & innoxii studeatis omnibus prodesse.

4 Ne quærite igitur humana præsidia, quibus vos adversus improborum violentiam armetis: ac ne de victu quidem sitis solliciti. Expediti ite ad negotium Euangelicum, neque sacculum, neque peram, neque calceamenta vobiscum portantes. Nusquam vobis deerit quod naturæ necessitati satis sit.

5 Ac ne de tecto quidem sitis solliciti, erunt qui vos excipient, tantum præstate vos puros, & incorruptos ministros Euangelicæ prædicationis. In quamcunque domum introieritis, primum precemini pacem toti familiæ.

6 Quod si ibi fuerit filius pacis, hoc est, homo mitis, aviduſque mansuetæ doctrinæ, proderit illi vestra precatio, & amplectetur hospitem bene ominantem: sin minus, ne pœniteat bene precatos fuisse. Non enim vobis peribit merces oblati officii.

7 Nec est quod à quoquam supplices rogetis hospitium, aut impudenter cuiquam vos ingeratis. Res enim tanta nec est obtrudenda invitis, nec ulli tamen non offerenda. Qui vero libenter ac promte vos receperit, apud illum manete, non affectantes vitæ delicias, sed pro necessitate corporis edentes ac bibentes quæ apud illos fuerint. Æquum est enim, ut qui laborat in Euangelico negotio, vivat ex eorum liberalitate, quibus laborat, si non aliunde suppetat, unde vivat. Illud item cavendum, ne ex aliis ædibus in alias demigretis, quasi fastidito priori hospitio, lautius & instructius quæratis. Sit vobis satis quodcunque primum obtigerit.

8 Quod si continget vos ingredi civitates, si vos exceperint cives, edite & bibite sine delectu, nulloque fastidio, quicquid vobis apponitur.

9 Quoque gratiores sitis hospites, majoreque cum fide prædicetis regnum Dei, sanate ægrotos ejus civitatis, restituite debiles & mancos, liberate dæmoniacos: atque hæc omnia gratis ac promte facite, neminem rejicientes, neque pauperem, neque divitem. Ac tum dicite illis: Videtis argumenta virtutis divinæ: præparate animos vestros ad innocentiæ studium. Jam enim adventat ad vos regnum Dei:

1 *Post hæc autem designavit Dominus & alios septuaginta duos: & misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem & locum, quo erat ipse venturus.*

2 *Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.*

3 *Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.*

4 *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaveritis.*

5 *In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui:*

6 *Et si ibi fuerit filius pacu, requiesceet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur.*

7 *In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum.*

8 *Et in quamcumque civitatem intraveritis, & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis:*

9 *Et curate infirmos, qui in illa sunt, & di-*

Digitized by Google

esse illis: Appropinquavit in vos regnum Dei.

Pelluntur morbi corporum, mox profligabuntur & animorum morbi, peccata.

10 Quod si quam civitatem fueritis ingressi, in qua nemo sit qui vos recipiat, nolite illic supplices ambire hospitium, sed prodite in plateas eorum, atque ibi publice, palamque dicite:

10 In quancunque autem civitatem intraveritis, & non susceperint vos, exeuntes in plateas ejus, dicite:

11 Gratis obtulimus vobis nuntium æternæ salutis: quoniam autem spernitis officium nostrum, nihil volumus à vobis beneficii. Ecce etiam pulverem, qui adhæsit pedibus nostris, extergimus in vos, testimonium à nobis oblati, & à vobis spreti felicissimi nuntii, qui nolentibus ingeri non debet. Illud tamen scitote, quod sive receperitis, sive non receperitis, in proximo est vobis regnum Dei: Si receperitis, veniet vestro bono: sin minus, veniet vestro malo.

11 Etiam pulverem, qui adhæsit nobis de civitate vestra, extergimus in vos: tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum Dei.

12 Hac vindicta vos eritis contenti, sicubi spreverint vos. Veniet illis ultio suo tempore. Nam illud affirmo vobis, quod in illo die supremi judicii, mitius agetur cum Sodomis quam cum illa civitate, quæ tantam Dei benignitatem gratis oblatam spreverit. Omnes mirantur severam Dei vindictam in Sodomos, sed hoc illos sublevat, quod non fuerint tot modis provocati ad resipiscentiam. Et Judæi sibi placentes exsecrantur illorum memoriam, quos ira Dei horrendo exemplo funditus sustulit: sed horribilior vindicta manet ipsos, si tot beneficiis, tot miraculis provocati, neglexerint ac spreverint Dei bonitatem.

12 Dico vobis, quia Sodomis in die illa remissius erit, quam illi civitati.

13 Væ tibi Chorozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes pœnitentiam egissent.

13 Væ tibi Chorozain, væ tibi Bethsaida, civitates Israeliticæ.

14 Nam si in gentium urbibus, Tyro & Sidone, quas vos abominamini, prodita fuissent miracula, quæ prodita sunt in vobis, jam olim resipuissent, & in cilicio ac cinere sedentes, agerent suorum peccatorum pœnitentiam, quum vos interim erectis adversus Deum cervicibus, vobis ipsis placeatis.

14 Verumtamen Tyro & Sidoni remissius erit in judicio, quam vobis.

15 Et tu Capharnaum usque ad cælum exaltata, usque ad infernum demergeris.

15 Et tibi væ Capernaum, quæ nunc opibus tumens, deliciis affluens, usque ad cœlum videris exaltata, in illo die dejicieris usque ad inferos.

16 Quanquam estis humiles legati, tamen quoniam meo nomine venietis, & inæstimabile Dei donum annuntiabitis, non erit levis condemnatio spernentium. Qui vos audit, me audit, qui per vos loquor: contra qui vos spernit, me spernit. Porro qui me spernit, spernit eum, qui me misit. Nec enim ex me quicquam loquor, quod non acceperim à Patre, neque vos quicquam loquemini, quod ex me non didiceritis. Itaque ut mea doctrina Patris est, non mea: ita vestra prædicatio mea erit, non vestra. His sermonibus instructos Dominus Jesus emisit septuaginta discipulos, facturos sui periculum in Euangelii prædicatione.

16 Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.

17 Cum autem res mire successisset, reversi sunt cum gaudio, dicentes: Domine, non solum morbi pelluntur, verum etiam Dæmonia subjiciuntur nobis in tuo nomine.

17 Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.

18 Jesus autem quo muniret suorum animos adversus morbum inanis gloriæ, qui sanctis etiam solet obrepere, proponit illis exemplum Luciferi, qui ob superbiam à tanta felicitate subito dejectus esset: Videbam, inquit, Satanam fulguris ritu de cœlo cadentem. Insignis erat illius dignitas in cœlis, & tamen ob animi tumorem subito dejectus est à summis ad ima: Quanto magis vobis cavenda superbia, qui mortale corpus circumfertis, omnibus obnoxii periculis?

18 Et ait illis: Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem.

19 Magna est potestas, quam tradidi vobis, sed eam tradidi, non ut inde insolesceretis vos, sed ut per miracula conciliaretur fides Euangelio. Non repeto quod dedi, modo ne vos abutamini. Ecce enim do vobis potestatem, qua conculcetis serpentes & scorpiones, aut si quid aliud est, quo potest nocere inimicus Satanas. Nihil horum nocebit vobis.

19 Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.

20 Veruntamen de hoc non expedit vobis gloriari, quod Spiritus subjiciantur vobis: fient ista etiam per reprobos: sed de hoc gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. Nam eo vos subvehet vestra modestia, veraque simplicitas, unde corruit per arrogantiam Lucifer, si perstiteritis in eo quod cœpistis.

20 Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.

21 Hæc loquutus Dominus, mox cœpit exsultare Spiritu Sancto, ac de successu Euangelii Patri gratias agere, nos interim instituens exemplo suo, ut si quid feliciter cesserit nobis conantibus, exsultemus non humano affectu, sed gaudio spirituali: non nobis arrogantes ullam gloriæ portionem, sed gaudentes illustrari gloriam Dei, gaudentes de profectu proximi: Gratias, inquit, ago tibi, Domine Pater & conditor cœli ac terræ, quod hæc tam sublimia celaveris eos, qui juxta mundum sapientes habentur ac prudentes, ac revelaris ea pusillis, humilibus, idiotis, ac juxta mundi judicium imprudentibus. Sic profecto factum est, Pater, quia sic placuit æterno tuo consilio, ut rejectis elatis, per humilitatem eveheres homines ad veram sublimitatem.

21 In ipsa hora exultavit Spiritu sancto, & dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quod abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Etiam Pater: quoniam sic placuit ante te.

22 Nulla est auctoritas, quam mihi non tradiderit Pater, ne quid timeatis mundum, scientes vos habere potentem Dominum. Summus enim consensus est, & omnium rerum societas inter Patrem & me. Imo nemo plane novit Filium, quis sit, & quantus, nisi Pater qui genuit: neque quisquam novit, quis sit, & quantus sit Pater, nisi Filius ex eo natus, & si cui voluerit Filius aperire. Non aperit autem, nisi modestis, mansuetis & credulis.

22 Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo scit quis sit Filius, nisi Pater; & quis sit Pater, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.

23 Post hæc conversus ad discipulos suos, gratulatur illis eam felicitatem, quæ negata esset summis etiam viris: Beati, inquit, oculi, qui vident quæ vos videtis.

23 Et conversus ad discipulos suos, dixit: Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.

24 Illud enim pro certo confirmo vobis, quod multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos humiles videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Agnoscite felicitatem vestram, sed fugite insolentiam. Sumite sanctam superbiam adversus omnia, quæ mundus hic ut sublimia miratur, quum exigua sint ac sordida præ his, quæ vobis donantur.

24 Dico enim vobis, quod multi prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt.

25 Quodam autem die quum Jesus, disputans cum Judæis, imposuisset silentium Sadducæis, qui tentandi gratia quæstionem proposuerant de uxore septem viris nupta, quis eam esset omnium habiturus in resurrectione, accessit ad eum quidam Scriba, Legis peritus, velut ex intima Legis cognitione quæstionem propositurus: Magister, inquit, quod est præcipuum Dei præceptum, quo servando possim assequi vitam æternam?

25 Et ecce quidam Legisperitus surrexit tentans illum, & dicens: Magister quid faciendo vitam æternam possidebo? 26 At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quomodo legis? 27 Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum sicut teipsum. 28 Dixitque illi, Recte respondisti: hoc fac & vives. 29 Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad Jesum: Et quis est meus proximus?

26 Jesus respondit: Quod ex me quæris, hoc alii debebant ex te discere; siquidem tu Legis scientiam profiteris. In ea quid scriptum est? Aut quomodo tu legis, quod ibi scriptum est?

27 Ille respondit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota mente tua, quia satis diligi non potest. Post hunc autem diliges proximum tuum sicut teipsum.

28 Jesus autem responsum approbans, ait: Tenes quid sit optimum, nihil supereſt, nisi ut præstes quod intelligis. Id si feceris, vives: nec enim cognitio Legis dat vitam, sed observatio.

29 Hoc Domini responso tactus Pharisæus, quod verba Legis teneret, quum id, quod esset in Lege præcipuum, non observaret: quoniam tumebat inani gloria, noluit agnoscere vitium suum, sed perinde quasi jam præstitisset abunde præceptum de diligendo

Digitized by Google

do Deo, quæſtionem movet de proximo: Quis, inquiens, eſt meus proximus? quaſi Deum diligeret, qui in proximum immitis ac maleficus eſſet. Judæi vero proximi nomen ferme interpretabantur de ſuæ gentis hominibus, exiſtimantes ſibi fas eſſe odiſſe exteros, nec in hos quicquam conferre beneficii.

30 Jeſus itaque ſciens animum hominis, reſpondet hujuſmodi ſimilitudine, rem totam myſtica quadam imagine depingens ac ponens ob oculos, docenſque, Dei præceptum de diligendo proximo non eſſe circumſcribendum arctis finibus cognationis ac gentis, ſed latius ad omnes homines eſſe proferendum, quum ſæpenumero fiat, ut qui genere proximus eſt, alienior ſit affectu, quam hoſtis. Homo quidam, inquit, proficiſcens ab Hieroſolymis Hiericho incidit in latrones, qui non contenti ſpoliaſſe veſtibus miſerum, inflictis etiam multis vulneribus reliquerunt eum in via ſemivivum, illic periturum, ſi nemo ſuccurriſſet, atque eo facto abierunt ipſi.

31 Accidit autem, ut Sacerdos quidam per eandem viam faceret iter. Is quum ob religionis profeſſionem potiſſimum præſtare debuerit Dei præceptum, tamen Judæus Judæum, & Hieroſolymita Hieroſolymitam, ſpoliatum, ſaucium, ſemivivum vidit, nulloque miſericordiæ affectu tactus præteriit.

32 Poſt hæc accidit, ut eadem tranſiret Levita quidam, à quo merito quis exſpectaſſet obſervationem præcepti divini, quod deditus Templo frequenter ſacris operaretur. Et is quoque viſo ſaucio præteriit, neque quicquam opis attulit fratri ac populari ſuo.

33 Poſt hos accidit, ut Samaritanus quidam illac iter faciens, conſpiceret ſpoliatum ac ſemivivum, & admirans quid eſſet, acceſſit propius, & intellecta hominis calamitate, miſericordia motus eſt erga Judæum, quum ipſe eſſet Samaritanus. Porro Judæi vehementer abominantur Samaritanos.

34 Nec ſolum miſertus eſt, ſed neglecto itineris diſpendio, adiit hominem, vinum & oleum infudit vulneribus, deinde obligavit. Nec hoc officio contentus, impoſuit illum in jumentum ſuum ac deportavit in diverſorium, atque illic diligentius etiam illius curam egit.

35 Quoniam autem urgebat itineris neceſſitas, depromſit duos denarios, deditque hoſpiti meritorio, ut tantiſper haberet curam vulnerati, donec ipſe peracto itinere rediſſet, dicens: Habes pretium, de meo cura hunc: quod ſi quid impenderis ultra ſummam hanc, tibi nihil peribit, mihi imputa quum rediero, & quicquid impenderis, reſolvam.

36 Hæc loquutus Dominus, dixit Legis perito: Quis horum trium tibi videtur fuiſſe proximus ei, qui inciderat in latrones?

37 Tum Legis peritus: Is, inquit, qui miſertus ſubvenit miſero. Subjecit Jeſus: Et hîc recte reſpondiſti, fac ut vita reſpondeat orationi, & Samaritano malis eſſe ſimilior, quam Sacerdoti, aut Levitæ. Hac parabola Dominus Jeſus taxavit Judæorum arrogantiam, qui ſibi videbantur abunde diligere Deum, quod illius Templum adirent, quod immolarent victimas, quod illius præcepta circumferrent in fimbriis veſtium, quod Deum ac Dominum ſemper haberent in ore, quum Deus nihil moretur iſtiuſmodi cultum, ſed occulto ſinceræ puræque mentis affectu magis delectetur. Cæterum erga proximum nullo caritatis affectu tangebantur ſibi proprie viventes, & invidentes etiam quibus oportebat opitulari. Quod ſi quid officii præſtabant, non præſtabant niſi ſui generis hominibus, quum oporteat omnem hominem eſſe proximum homini, ſi quando res poſcat ſubſidium. Sacerdos & Levita genere proximus erat vulnerato: ſed Samaritanus genere hoſtis, caritate proximus erat. Judaica religio gentem diſcernit: Euangelica pietas neſcit hujuſmodi diſcrimina, geſtiens omnibus benefacere, nullo perſonæ delectu.

Quemadmodum ipſe Dominus venit ſervandis omnibus, aliquando Judæis probri gratia dictus Samaritanus, ſed non offendit univerſas orbis nationes ignominia vocabuli, quum rem nominis experiantur ſalutarem. *Samaritanus* enim Syris *cuſtodem* ſonat. Erat nimirum verus paſtor, qui nihil è ſuis perire patiebatur, quamvis morbidum, quamvis confractum aut erraticum, ſed omnes optabat fieri participes ſalutis æternæ, quod quidem in ipſo fuit. Univerſum genus humanum, malitia Satanæ ſpoliatum innocentiæ veſtibus, ſauciatum omni vitiorum genere, abjectum, deſtitutum, ſemivivum, ac deſperationi proximum, deſcendens è cœlo viſere dignatus eſt: quoque facilius opitulari poſſet, aſſumta hominis natura, proxime acceſſit ad hominem, videns ac viſus, audiens & auditus, contrectans & contrectatus: ac miſertus noſtræ calamitatis, noſtra peccata ſuſtulit in corpore ſuo, de ſuo dependit quod nos commerueramus: ac noſtri curam egit, qui nullum peccatorem, quamvis humilem aut abjectum, averſatus eſt. Quum interim Sacerdos faſtuoſus prætereat morientem, quum Levita negligat deploratum, pergens qua cœperat, ne quid diſpendii capiat in rebus hujus mundi, dum proximo ſubvenit. Habet autem hic Samaritanus hoſpites ſuos, quibus ipſe proficiſcens in cœlum, ſaucium curandum committit, promiſſo in cœlis præmio, ſi quid ex abundantia caritatis ſupra quam præceptum erat, impenderint ſanando miſero. Hi nimirum ſunt Apoſtoli, & Apoſtolorum ſucceſſores, per quos etiam hodie curat genus humanum, & à latronum violentia colligit in Eccleſiæ diverſorium, ubi ſanantur peccatorum vulnera. Quum igitur juxta doctrinam Euangelicam amandus ſit etiam inimicus, quum juxta Scribæ* profeſſionem amandus ſit etiam Samaritanus Judæo, ſi benefecerit, tamen Judæi, qui memoriter tenebant, diliges Deum tuum ſupra omnia, diliges proximum tuum æque ac teipſum, in uno Chriſto violabant utrumque præceptum, & Deum afficientes contumelia, cujus verbis diffidebant, cujus miracula calumniabantur fieri virtute Beelzebub, (Pater enim Deus erat in Filio Deo) & proximum benemerentem oderant, ei machinantes exitium, qui ſalutem gratis adferebat omnibus. Utrunque autem præceptum implevit, qui in Chriſto & Deum diligit ſupra omnia, & hominem optime meritum ut ſeipſum. Diligitur autem in membris ſuis, in quibus & offenditur, & afficitur ignominia, & occiditur.

38 Hac parabola quum Jeſus docuiſſet, quantopere eſſent amandi, qui doctrinæ Euangelicæ vacantes, nihil aliud agunt, quam ut à Jeſu diſcant ſalutiferam doctrinam, quam omnibus impartiant, quique relictis officiis corporalibus, toti vacant iis, quæ ſunt animi, caſus exſtitit, per quem hoc quoque documentum animis † noſtris infigeretur. Sic enim efficacius formantur craſſorum & rudium animi. Quum enim Jeſus à cæteris rebus otioſus obambularet cum diſcipulis, qui relictis rerum terrenarum curis, uni Euangelio vacabant, evenit ut ingrederetur oppidulum quoddam. Illic mulier quædam nomine Martha excepit eum hoſpitio.

39 Huic erat ſoror nomine Maria. Par erat utrique pietas in Dominum, ſed diverſa vitæ ratio, diverſa pietatis functio, quemadmodum in uno corpore ſunt uſus membrorum varii, & in corpore Jeſu, quod eſt Eccleſia, varia ſunt dona Spiritus. Nam Maria feriata à negotiis domeſticis, aſſidebat ad pedes Domini Jeſu, audiens ſermones illius, quibus adeo rapiebatur, ut oblita cæterorum non poſſet avelli.

40 Contra Martha ſollicita de apparatu convivii, ſurſum ac deorſum curſitabat, tumultuabatur ſatagens, ne quid omnium deeſſet, quæ ad ſuaviter ex-

* Altera Editio, *Phariſæi*. † Alia Editio, *oculis*.

30 *Suſcipiens autem Jeſus, dixit: Homo quidam deſcendebat ab Jeruſalem in Jericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliaverunt eum: & plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto.*

31 *Accidit autem ut ſacerdos quidam deſcenderet eadem via: & viſo illo præterivit.*

32 *Similiter & Levita, cum eſſet ſecus locum, & videret eum, pertranſiit:*

33 *Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ſecus eum: & videns eum, miſericordia motus eſt.*

34 *Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum, & vinum: & imponens illum in jumentum ſuum, duxit in ſtabulum, & curam ejus egit.*

35 *Et altera die protulit duos denarios, & dedit ſtabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcumque ſupererogaveris, ego cum rediero reddam tibi.*

36 *Quis horum trium videtur tibi proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones?*

37 *At ille dixit: Qui fecit miſericordiam in illum. Et ait illi Jeſus: Vade, & tu fac ſimiliter.*

38 *Factum eſt autem, dum irent, & ipſe intravit in quoddam caſtellum: & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam:*

39 *Et huic erat ſoror nomine Maria, quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius.*

40 *Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium: quæ ſtetit, & ait: Domine, non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? dic ergo illi, ut me adjuvet.*

Digitized by Google

cipiendum Dominum ejuſque diſcipulos pertinebant. Eadem caritas erga Dominum habebat utranque, ſed Mariam non patiebatur ab illius divelli pedibus, Martham ſurſum ac deorſum circumagebat, nec patiebatur adhærere Domino. Sic eadem pietas duas ſorores, in Jeſu diligendo concordes, ad res diverſas agebat. Martha vero cum ægre ſufficeret omnibus obeundis, quæ pertinebant ad apparatum, & videret ſororem feriatam, aſſidentem ad pedes Jeſu, non expoſtulat cum ſorore, quam ſciebat avelli non poſſe, ſed Jeſum ſubincuſat, qui illam ſuis ſermonibus à neceſſaria functione remoraretur: Domine, inquit, non eſt tibi curæ, quod ſoror mea patitur me ſolam miniſtrare? Jube igitur ut me adjuvet, alioqui ſcio non avelletur abs te, niſi tu juſſeris. Tanta eſt dulcedo ſermonum tuorum, ſed interim apparandum eſt convivium, nec una par ſum omnibus obeundis.

41 *Et reſpondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima.*

41 Ibi Dominus utriuſque fœminæ delectatus affectu, Marthæ ſedulitatem non improbat, nec objurgat obmurmurantem ſorori, ſed Mariam ſublevat: Martha, Martha, inquiens, tu quidem ſollicitudine torqueris apparandi convivii, ac tumultuaris diſtraheriſque circa multa.

42 *Porro unum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

42 Cæterum unum eſt præcipue neceſſarium, quod ſemper agendum erat, ſi liceret. Peragito tu functionem tuam, qualis qualis erit apparatus, Maria delegit partem longe potiorem, quæ oblita eorum quæ ſunt corporis, tota eſt in his quæ ſunt animi. Non eſt autem æquum, ut avellatur ab optimis quæ delegit, ac protrudatur ad inferiora miniſteria. Grata eſt mihi tua pietas, quæ mihi meiſque pro tempore parat convivium, ſed ſuavius reficior ab his, qui ſermones meos trajiciunt in viſcera animarum ſuarum, ut ſalvi fiant. Hic eſt enim cibus, qui me unice paſcit: hic eſt potus, qui me unice reficit. Qui curat ea quæ ſunt corporis, in varias curas diſtrahitur, & horum officiorum tunc erit finis, quum apparente immortalitate ceſſabunt neceſſitates, quibus nunc humanæ naturæ diſcruciatur imbecillitas. Cæterum compendium facit, qui curis hujuſmodi projectis totus rapitur ad cœleſtia, ſemet in unum colligens, ſed quod eſt unum omnibus cæteris præſtantius, cujus felicitas non eripietur, ſed augebitur, cum abolebitur quod imperfectum eſt, & aperietur quod perfectum eſt. Nec interim ut otioſis obmurmurandum eſt, qui requieti à corporalibus miniſteriis, ideo vacant doctrinæ cœleſti, inhærentes veſtigiis meis, diu diſcentes quod doceant, ac penitus tranſmittentes in affectus animi quod aliis præſcribant, quo pluribus prodeſſe queant ad comparandam ſalutem æternam. Nec interim tamen carituri ſunt ſua mercede, qui quod tu facis, pio ſtudio pro tempore ſubveniunt corporali neceſſitati tractantium rem Euangelicam, qui paſcunt famelicos, qui veſtiunt nudos, qui viſunt ægrotos, qui adeunt vinctos, qui tecto juvant vagos & hoſpitii egentes. Erunt & illi conſortes Euangelici præmii, ſed quemadmodum in corpore plus agit oculus otioſus quam manus aſſidue variis miniſteriis ſerviens: ita qui toti vacant his, quæ proxime pertinent ad æternam ſalutem, tametſi videantur à corporalibus officiis feriati, plus tamen agunt, quia rem præcipue neceſſariam agunt. Nec decet alteros alteris obmurmurare, quando pro ſuo quiſque dono, quod accepit à Deo, mihi ſervit in membris meis.

CAP. XI.

Lex precum: & hinc diviſa domus: fauſta ubera: Jonas: Lux oculus: patina lotio: vaque frequens.

1 *Et factum eſt: cum eſſet in quodam loco orans, ut ceſſavit,*

1 HAC imagine quum Dominus Jeſus docuiſſet, magnam rem agere, qui toti vacarent doctrinæ cœleſti, quam nemo ſinceriter poteſt tractare, niſi ſemet excutiat ab omnibus hujus mundi cupiditatibus & curis: ſupererat, ut & orandi formulam præſcriberet. Eſt enim precatio veluti puriſſima victima religionis Euangelicæ, ad quam Jeſus frequenter ſeceſſit, ſuoſque diſcipulos conſuefecit. Eſtque precatio ſecretus ille congreſſus, qua mens humana diſcuſſis omnibus curis, & phantaſmatis rerum terrenarum, veluti ſubvecta in cœlum, cum Deo miſcet colloquium. Orabant autem & frequenter & prolixe Phariſæi, ſed triſtes & in publico. Orabant & diſcipuli Joannis. Orabant & Samaritani in monte ſuo. Habebat & Ethnicorum religio ſuas preces. Quoniam autem nec idem orandi ritus erat omnibus, nec eadem petebantur, cupiunt Apoſtoli ſibi formam à Chriſto præſcribi, quam ſequi debeant. Itaque quum Jeſus ex more ſuo ſeceſſiſſet cum diſcipulis orandi gratia, peracta precatione, quidam è numero diſcipulorum dixit illi: Domine, quoniam tui ſumus diſcipuli, par eſt ut ex tuo præſcripto faciamus omnia. Doce igitur & orandi formam, ſicut Joannes, quum viveret, docuit diſcipulos ſuos.

dixit unus ex diſcipulis ejus ad eum: Domine, doce nos orare, ſicut docuit & Joannes diſcipulos ſuos.

2 *Et ait illis: Cum oratis, dicite: Pater, ſanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum.*

2 Jeſus autem quum multis verbis docuiſſet ſuos, Chriſtianorum precationem nec oportere prolixam eſſe, nec ad oſtentationem paratam, nec de rebus quibuslibet, præſcripſit hujuſmodi formam, quæ tametſi communis eſt omnium, tamen peculiarius convenit viris Euangelicis, quibus velut exemtis ab hoc mundo, omnis labor in hoc eſt, ut inter bonos illuſtretur gloria Dei, & in dies magis ac magis vigeat regnum illius, dejecto Satanæ regno. Et quemadmodum in cœlis, unde præcipitatus eſt Lucifer cum ſuis conjuratis, nulla eſt adverſus divinam voluntatem rebellio, ita inter Dei filios, ſucceſſuros in locum Angelorum ejectorum, omnia fiant ex voluntate Patris cœleſtis, ut ille paſcat ſuos pane cœleſtis doctrinæ gratiæque; qui vegetet ac ſaginet animas in vitam æternam, & ſi quid per humanam infirmitatem commiſſum fuerit adverſus illius voluntatem, veluti propitius pater clementer condonet filiis ſuis, quemadmodum ipſi inter ſeſe viciſſim ignoſcunt, ſi quid alter in alterum admiſerit. Et quoniam quam diu verſantur in hoc mortali corpore, ut proficere poſſunt ad meliora, ita prolabi poſſunt ad deteriora, præſertim huc modis omnibus ſollicitante tyranno Satana, ut Patris præſidio tuti ſint adverſus hujus machinamenta, utque aut non incidant in tentationem: aut ſi inciderint, eo protegente, qui potentior eſt, victores diſcedant. Hæc eſt autem forma precandi: Pater noſter cœleſtis, nos in terris conſtituti, quos tua bonitas dignata eſt vocabulo filiorum, oramus te, ut per noſtram doctrinam ac vitam tua potentia, tua ſapientia, tua bonitas magis ac magis innoteſcat hominibus, & intelligant omnem gloriam tuo deberi nomini, unde proficiſcitur quicquid eſt præclarum, ſive in cœlis, ſive in terris, quo quamvis humiles ipſi poſſimus in te gloriari. Hactenus toto orbe regnavit Satanas per peccatum, cui ſervierunt homines illecti cupiditatibus impiis: tu fac, ut ſublatis peccatis & effuſo tuo in eos Spiritu, tuæ voluntati pareant omnes:

3 *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.*

3 Utque, te quotidie nobis largiente cœleſtem alimoniam tuæ gratiæ, ſemper proficiamus in melius, donec perveniamus ad perfectionem Euangelicæ pietatis.

4 *Et dimitte nobis peccata noſtra, ſiquidem & ipſi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem.*

4 Porro quoniam homines ſumus, ſi quid per errorem aut infirmitatem deliquerimus in te, Pater, ne deſinas tuis eſſe propitius, ſed pro tua clementia condona: quandoquidem nos invicem condonamus, ſi quid eadem infirmitate frater admiſerit in fratrem, quo pax conſtet inter nos, & pacem habeamus tecum. Quoniam autem novimus malitiam, & vires illius mali tyranni, unde tua paterna bonitas nos redemit, ne ſinas nos rurſus ab illo vinci, ſed ſi pateris ad probationem patientiæ nos affligi, vel per illum, vel per illius ſatellites, homines impios, tuo præſidio vincamus, & illius aſſultus nobis cedat in bonum.

5 Cæ-

Digitized by Google

5 Et ait ad illos: Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes,

6 Quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum,

7 Et ille deintus respondens dicat: Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi.

8 Et si ille perseveraverit pulsans: dico vobis, & si non dabit illi surgens eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.

9 Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.

10 Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulsanti aperietur.

11 Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? aut piscem: numquid pro pisce serpentem dabit illi?

12 Aut si petierit ovum: numquid porriget illi scorpionem?

13 Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se? 14 Et erat ejiciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ.

5 Cæterum quo magis excitaret suos ad instantiam orandi, & impetrandi fiduciam adderet, adjecit hujusmodi parabolam: Quam exorabilis, inquit, sit Deus, natura beneficus erga filios suos, ex vobis ipsis conjecturam facite. Si quis vestrum egeat necessariis, & habeat amicum, audebit illum etiam medio noctis adire, ac pulsatis foribus dicere:

6 Amice da mihi commodato tres panes, quoniam amicus quidam meus de via veniens, subito oppressit me vespertinus hospes, nec habeo domi, quod illi apponam edendum.

7 Ac fortassis amicus ille non statim largietur quod petis, sed gravans aperire fores, respondebit intus: Noli mihi molestus esse nocturnus postulator, jam ostium meum clausum est, ac pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere & dare tibi quod petis.

8 Quod si is, qui panibus eget, non statim ad hanc excusationem abierit, sed perseveranter pulsaverit fores amici, illud affirmo vobis, etiamsi non moveat illum respectus amicitiæ, tamen victus improbitate precantis, surget ac dabit illi, non solum tres panes, sed quotquot opus fuerit. Si tantum homini valet improbitas orandi apud hominem, quanto magis valebit apud Deum, qui delectatur hujusmodi improbitate, non offenditur. Et si quando differt dare quod petitur, non parcitas est in causa, aut difficultas, sed in hoc accendit desiderium nostrum, ut uberius donet, quod petimus, & nos carius habeamus, quod improbis precibus impetratum est. Quod igitur amicus egens faceret apud amicum hominem, hoc multo magis unusquisque vestrum audeat facere erga benignum patrem Deum, cui grata est talis importunitas, & qui dando exhauriri non potest.

9 Ab hoc igitur votis petite, si quid opus est, & dabitur vobis. Quærite si quid ignoratis, & invenietis afflatu Spiritus paterni, quod humano ingenio percipi non poterat: pulsate precibus addendo eleemosynas in proximos, & aperietur vobis. Hæc est improbitas, qua veluti vincitur & expugnatur Deus. Apud hominem nonnunquam incassum funduntur preces, vel quia non potest præstare, quod rogatur, vel quia non vult.

10 Verum apud Deum, quisquis petit, accipit, quisquis quærit, invenit, quisquis pulsat, huic aperitur. Novit autem Pater vester, quæ conducant ad salutem æternam, hæc libenter donat rogatus. Qui si per errorem rogaretur noxia: pro beneficio duceret negare, quod male peteretur, sed pro optatis daret salutaria. Efficit hoc pietas parentum carnalium erga filios, ut negare non possint iis, quos genuerunt, si rem petant ad corporis salutem pertinentem.

11 Conjecturam ex vobis ipsis facite: Quis enim est ex vobis, qui si ex patre suo petat panem, existimet filio daturum pro pane lapidem: aut si petat piscem, putet eum pro pisce porrecturum serpentem?

12 Aut si petat ovum, existimet illum pro ovo daturum putamine tectum scorpium?

13 Quod si tantum valet naturæ pietas apud homines alioqui malos, ut in filios utilia petentes benigni sint: quanto magis Pater vester, qui Pater est Spirituum, qui natura bonus est, impartiet vobis de cœlo Spiritum suum bonum, omnia bona largiturum, si petieritis ab ipso? Habet & Satanas spiritum suum, quem inspirat suis, ad omnia mala sollicitatorem: habet mundus suum spiritum ad amorem rerum fluxarum illectantem: cum hoc spiritu nullum est consortium Spiritui Patris cœlestis. Alter exeat oportet, ut alter immigret in pectus.

14 Et ecce casus, qui poneret ob oculos, quid malus Spiritus ageret in animis Judæorum, Spiritui Sancto reluctantium. Adductus est ad Jesum quidam obnoxius malo Dæmonio, id erat non simplex, sed simul & mutum & cæcum, ut Jesum nec posset adspicere, nec appellare. Jesus autem ultro misertus calamitosi, jussit exire Dæmonium, & exiit.

15 Et ecce aderant Judæi quidam, quorum animos periculosius possidebat Satanæ spiritus, quam impurus ille Dæmon corpus hominis possederat: quorum alii calumniabantur, à Dæmonio factum miraculum, dicentes: quod hæc faceret non virtute divina, sed præsidio Beelzebub principis Dæmoniorum.

15 Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.

16 Rursus alii post tot conspecta miracula diffidentes adhuc, postulabant ab eo signum aliquod insigne de cœlo, quo plane constaret illum habere cum Deo commercium, qui in cœlis habitat, & non cum Spiritibus immundis, quorum præstigiæ nasci solent è terra. Hoc autem dicebant tentantes Dominum, nihilo magis illi crediturі, etiamsi quod postulabatur, feciſſet: sed sive feciſſet, sive non feciſſet, habebant paratam calumniam.

16 Et alii tentantes, signum de cælo quærebant ab eo.

17 Jesus autem ut vidit impias illorum cogitationes, ad impiam calumniam respondit hunc in modum: Quî consistit vestra calumnia? Videmus enim nullum regnum posse consistere, si intestinis dissidiis secum pugnet. Quod si fit, necesse est, ut desoletur, & publica ruina domus supra domum concidat.

17 Ipse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadet.

18 Quod si verum est id quod cogitatis, me præsidio Beelzebub principis Dæmoniorum ejicere noxios Dæmones, qui nimirum illius sodales sunt & satellites, consequitur, malos Spiritus inter sese discordes pugnare, & alios ab aliis profligari. Jam si Satanas pugnat adversus Satanam, quomodo consistet regnum illius? Videtis ejici Dæmones, & fatemini noxios esse, quos ejicio: unde igitur conjicitis hæc fieri præsidio Beelzebub potius quam Dei? An Beelzebub solet hominum saluti consulere, & suos satellites, per quos exercet tyrannidem suam, è possessionibus suis exigere? Et tamen hoc si fiat, arguit mox periturum Satanæ regnum, & instare regnum Dei. Simplici verbo ejicio, gratis ejicio, nihil adhibeo magicorum carminum aut præstigiorum. Factum improbare non potestis, cur boni operis gloriam mavultis Beelzebub adscribere quam Deo?

18 Si autem & Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia.

19 Quod si hoc vobis persuadet odium mei, me præsidio Beelzebub ejicere Dæmonia, isti juvenes filii vestri, quos vidistis idem facientes, cujus præsidio profligant Dæmonia? Simplices sunt, idiotæ sunt, nesciunt malitiosas artes magorum, & tamen isti in meo nomine ejiciunt. Sola fiducia erga Deum faciunt, quod faciunt. Et ideo his judicibus condemnabitur vestra incredulitas. Horum simplicitas credidit, quum vestra prudentia pugnet adversus gloriam Dei.

19 Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia: filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt.

20 Itaque quum absurdum sit dicere, quod malus Dæmon exigat malum Dæmonem, nec alterius præsidio vestri filii ejiciant Dæmonia, quam cujus ego ejicio, constat me malos Dæmones ejicere virtute boni Dei. Hujus enim Spiritus potentior est omnibus Spiritibus impiis. Nec huic quicquam omnino cum illis convenit, siquidem hic amat salutem humani generis, illi quærunt perniciem. Quod si palam est, me virtute Dei peragere quæ videtis, dubium non est, quin pervenerit in vos regnum Dei, quod Joannes instare prædicabat. Huic igitur æquum est vosmet adjungere, & à Satanæ regno, mox interituro, abducere. Non potestis utriusque regni consortes esse. Irreconciliabile bellum est Satanæ cum Deo. Res nullis conditionibus componetur. Aut vincet, aut vi expelletur. Non veniet in deditionem, non præscriptis legibus recipietur. Hactenus impune regnavit. Sed adest vis illius tyrannide potentior. Potentior enim est unus Dei digitus ad ser-

20 Porro si in digito Dei ejicio dæmonia: profecto pervenit in vos regnum Dei.

van-

Digitized by Google

vandum genus humanum, quam universæ Beelzebub copiæ ad perdendum.

21 Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet.

21 Itaque futurum est hîc, quod inter duos duces solet accidere, utrosque potentes, utrosque feroces, & quibus omnis fiducia in armis sita est. Itaque quum potens armatus custodit arcem suam, in tranquillo sunt ea quæ possidet.

22 Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & spolia ejus distribuet.

22 Quod si quis illo potentior adoriatur eum, & armis armatum vicerit, nullum inibit cum eo consortium, sed domum ipso profligato occupabit. Arma, quibus confidebat, eripiet, opes ejus & omnem supellectilem diripiet, ac suis militibus distribuet.

23 Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit.

23 Nunc vestrum est dispicere, ab utro stare malitis, à Deo potentiore, an à Satana nox expellendo. Si cum Satana pax est, cum Deo simultas est. Si cum Deo pax est, nihil convenit cum Satana. In alterutrius castris pugnandum est. Non fert hoc tempus otiosos. *Qui non est in parte mea, adversarius est mihi*, & hoc ipso lædit, quia cum favere debeat, non favet: *& qui non colligit mecum, dispergit.*

24 Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem: & non inveniens dicit: Revertar in domum meam unde exivi.

24 Quoniam autem Judæi sibi sumebant opinionem justitiæ, & hac fiducia vel negligebant Euangelicam doctrinam, vel aversabantur etiam, proposuit ænigma, quo significaret gravius damnandos eos, qui aliquousque progressi ad justitiam, relaberentur ad pristina flagitia, quam qui nunquam cognita luce veritatis Euangelicæ perseverassent in caligine vitiorum suorum. Populus enim Judaicus per Legem segregatus est ab idololatris gentibus, sed subinde relapsus ad priora crimina, tandem huc devenit impietatis, ut quicquid majores peccassent occidendis Prophetis, conspirando adversus Mosen, id septuplo sceleratius renovarent in Filium Dei, & in hujus discipulos. Quanquam hæc parabola, & ad unumquemvis hominem pertinet, qui semel baptismo ablutus à peccatis pristinis, semel Euangelico sermone liberatus à Spiritu malo hujus mundi, negligenter habet donum Dei, nec curat semper ad perfectiora progredi. Huic ad pristinam vitam revoluto, ad nihil aliud proderit baptismus ac cognitio sacræ doctrinæ, nisi ut graviorem damnationem sibi accersat in die judicii, videlicet ad pristinos errores ingratitudinem etiam, ac malitiam adjungens. Porro sic habet parabola: *Quum immundus Spiritus exierit ab homine*, virtute Dei depulsus, quoniam illi pertinax voluntas est nocendi, *obambulat per loca sterilia aridaque, quærens requiem. Eam quum nusquam inveniret, dicit apud se: Revertar in domum meam unde exivi.*

25 Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam, & ornatam.

25 *Ad hanc igitur rediens, reperit eam scopis quidem mundatam*, sed vacuam.

26 Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.

26 *Hoc ubi videt, abit & adjungit sibi septem alios Spiritus, sceleratiores quam esset ipse, cumque tali sodalitio commigrat in domum*, purgatam quidem, sed incustoditam, nulliusque virtutum Euangelicarum præsidiis armatam. Nam ornamenta ceremoniarum præbent quidem speciem pietatis, sed quoniam, si nihil accedat, inania quædam rerum simulachra sunt, non arcent impiorum Spirituum assultum, sed occasio sunt majoris impietatis. Itidem accidit homini, qui purgatus ab uno Dæmone, fit septem pejoribus obnoxius.

27 Factum est autem, eum hæc diceret: extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit; & ubera, quæ suxisti.

27 *Quum hæc* aliaque multa *loqueretur Jesus* promiscuæ multitudini, *mulier quædam*, admirans sermones tam sapientes & efficaces, *sustulit vocem è media turba, & dixit: Beatus venter illius mulieris, quæ te portavit, & beata ubera nutricis, quæ suxisti.* Adversus Synagogam calumniatricem edita vox est hujus mulieris, quæ typum habet Ecclesiæ.

28 At ille dixit: Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

28 Jesus itaque non renuit, sed perficit illius prædicationem, dicens: *Sane beati sunt qui audiunt sermonem Dei, & servant illum* in animo suo, ne effluat, ut aliquando producat fructum æternæ salutis. Id multo felicius est, quam gessisse corpus corpore, aut lacte nutrisse. Una tantum potuit gestare, aut lactare. Cæterum hæc beatitudo potest omnium esse communis.

29 Turbis autem concurrentibus cœpit dicere: Generatio hæc, generatio nequam est: signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ.

29 Quum autem ad has voces densior etiam hominum multitudo concurreret, cœpit Jesus respondere his, qui signum poposcerant è cœlo, quasi quæ hactenus gessisset Jesus, humilia essent, nihilque dignum haberent magno Propheta, hæc præstari plebejis: cæterum ipsis Pharisæis, utpote doctis ac sublimibus viris, aliquod peculiare prodigium ostendendum è cœlo. Id autem dicebant nequaquam animo simplici, sed tentantes eum, ut si non ostenderet, causarentur cætera facta præsidio Beelzebub: si ostenderet, tum aliud quiddam in eo reperirent, quod calumniarentur. Ait itaque: *Hæc natio mala est*, minimeque simplex. Tot miraculis conspectis *ostentum quærit*, non cui credat, sed quod calumnietur: non impetrabit autem quod fraudulenter petit, sed accipiet ostentum, quod meretur: non dabitur quod calumnietur, sed dabitur quo coarguetur. *Dabitur enim ostentum Jonæ Prophetæ.*

30 Nam sicut fuit Jonas signum Ninivitis: ita erit & Filius hominis generationi isti.

30 Ad prædicationem Jonæ Ninivitæ pœnitentiam scelerum suorum egerunt, quum apud illos nullum edidisset miraculum. Hæc natio nullis miraculis, nullis beneficiis potest ad pœnitentiam emolliri, & tamen adest, qui major sit Jona Propheta, quem isti mirantur, quod exceptus à ceto, vixerit in ejus ventre tribus diebus ac tribus noctibus, deinde pro mortuo habitus, subito vivus apparuerit. Huic simile, sed prodigiosius erit, quod Filius hominis sepultus erit in corde terræ tribus diebus, sed præter omnium malorum exspectationem tertio die vivum reddet terra, quem mortuum acceperat.

31 Regina Austri surget in judicio cum viris generationis hujus, & condemnabit illos: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & ecce plus quam Salomon hic.

31 Itaque in supremo judicio hæc natio, quæ præse contemnit omnes, quæ sibi religionis arcem tenere videtur, condemnabitur à multis nationibus, quæ videbantur à religione alienissimæ. *Regina Saba orum consurget in judicio cum viris hujus nationis, & condemnabit illos, quod* mulier, & à legis doctrina aliena, tamen *ab extremis finibus orbis longo itinere venerit Hierosolymam, ut audiret sapientiam Salomonis. Et tamen in hoc loco quiddam est Solomone majus.* Et quod adest contemnitur.

32 Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac, & condemnabunt illam: quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ, & ecce plus quam Jonas hic.

32 *Viri Ninivitæ*, legis expertes, & idolorum cultores, *contendent cum hac natione in judicio, & condemnabunt eam*, quod ipsi pœnitentiam scelerum suorum egerint ad prædicationem hominis ignoti & exteri, nullis miraculis, nullis beneficiis sese commendantis. *Et ecce hic præsens est quiddam ipso Jona majus:* nec tamen commoventur ad resipiscentiam.

33 Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio: sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant.

33 Quanquam autem complures essent apud Judæos, quibus Euangelii lux magis etiam excæcaret animos ipsorum, tamen non oporteret posthac suppressi veritatem, cujus cognitio plurimos esset adductura ad salutem æternam. Nec enim incredulorum obstinata malitia bonis obesse debet. Itaque proferenda veritas in publicum est, in malorum atrociorem perniciem, in bonorum salutem: *Nullus*, inquit, *accendit lucernam, & abdit eam in loco abstruso, aut tegit eam impositio modio, sed imponit candelabro, ut luceat domum ingredi volentibus.*

34 Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit.

34 Quod est domus sine lucerna, quod est corpus sine oculis, hoc est animus absque cognitione veritatis, quæ per fidem simplicem contingit. *Si oculus tuus fuerit simplex*, ac nullis hujus mundi cupiditatibus vitiatus, accipiet lumen æternæ veritatis, ac *totum corpus tuum fruetur hoc lumine*, necubi impingat. *Sin oculus corporis fuerit vitiatus, totum corpus erit obnoxium tenebris.* Siquidem ex fide judicium est, ac decreta vivendi. Hic fons est bonorum omnium, qui si fuerit vitiatus, cætera vitientur oportet.

35 Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebræ sint.

35 Vide igitur ut hic oculus, quo cernitur veritas, in te purus sit ac sincerus, ne hoc ipsum membrum, quod solum est luminis capax, totique prælucet corpori, tenebris sit obnoxium. Hoc enim vitiato, quod est caput & radix omnium bonorum operum, etiam illa

Digitized by Google

illa quæ bona videntur, bona non ſunt. Contra, quæ Phariſæis mala videntur, mala non erunt, ſi ſons, unde proficiſcuntur, fuerit ſincerus.

36 Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & ſicut lucerna fulgoris illuminabit te.

36 Quod lucerna eſt oculo purgato, hoc ſermo divinus eſt animo, à pravis cupiditatibus per fidei ſimplicitatem purgato. Quicquid ex fide non proficiſcitur, peccatum eſt. Quod ſi oculus interim corporis tui fuerit ſincerus, illuſtratus lucerna veritatis Euangelicæ, membris omnibus ſuum lumen impartiet, ut nulla in parte corporis ſit aliquid tenebrarum, videlicet omnibus proſpiciente oculo. Itaque quicquid fecerit manus, quicquid pes, quicquid cætera membra, non erit obnoxium tenebris, ſed totum corpus erit lucidum, veluti tota domus lucida eſt, omnibus prælucente fulgore lucernæ.

37 Et cum loqueretur, rogavit illum quidam Phariſæus ut prandaret apud ſe. Et ingreſſus recubuit.

37 Conſequutum eſt autem, per quod hoc, quod docuit Dominus, velut explanaretur. Siquidem Phariſæi, cum haberent oculum vitiatum, & juſtitiam conſtituentes in ceremoniis corporalibus, negligerent ea quæ non cernuntur, niſi puris oculis, quibus prælucet lucerna veritatis Euangelicæ, ibi putabant eſſe lumen, ubi erant tenebræ: & tum maxime impingebant, quum ſibi viderentur pulchre ingredi: & illic judicabant eſſe grave crimen, ubi nullum erat: ubi vero gravis erat culpa, nullam eſſe putabant. Habebant enim oculos ſuperſtitione Legis, ignorantia, faſtu, livore, avaritia, hypocriſi, cæteriſque malis vitiatos. *Quidam* igitur *Phariſæus rogavit Jeſum, ut prandaret apud ſe.* Non recuſavit Jeſus, nulli ſe non præbens, ut omnes ad ſe pertraheret.

38 Phariſæus autem cœpit intra ſe reputans dicere, quare non baptizatus eſſet ante prandium.

38 Quum autem Dominus accubuiſſet illotus, idque præter morem Phariſæorum, cœpit Phariſæus tacita ſecum cogitatione mirari, quid eſſet cauſæ, cur non laviſſet Dominus, prius quam accumberet. Et illico ex re, quæ neque bonum facit hominem, neque malum, naſcitur id, quod vere perpetuo malum eſt. Habent autem proprium illud ac genuinum ceremoniæ Phariſaicæ, quæ rebus corporalibus conſtant, ut gignant obtrectationes, ſuſpiciones malas, perverſa judicia, diſſidium, odium, & rixas.

39 Et ait Dominus ad illum: Nunc vos Phariſæi, quod deforis eſt calicis & catini, mundatis: quod autem intus eſt veſtrum, plenum eſt rapina, & iniquitate.

39 Jeſus igitur intelligens, hanc eſſe præcipuam peſtem Euangelicæ pietatis, acriter coarguit Phariſaicam ſuperſtitionem, dicens: Moſes olim præſcripſerat aliquos ritus purificationis, qui tamen typum & imaginem haberent purgandæ mentis. Nam huc pertinet quicquid Lex illa figuris ſuis adumbravit. Nunc vero poſtquam emicante veritate, par eſt umbras illas vetuſtæ Legis paulatim evaneſcere, vos Phariſæi, qui perfectam Legis ſcientiam profitemini, ſolum eam Legis partem amplectimini, quæ minimum habet momenti ad veram pietatem. Nec in hoc ſolum peccatis, quod carnem Legis amplectamini, neglecto ſpiritu Legis, verum etiam carnalibus ceremoniis additis ac veſtris conſtitutiunculis, ſanctiores haberi vultis, quam præcepta Dei. Vera puritas in animi ſita eſt innocentia. Vos autem corpus ſubinde lavatis, lavatis calices, & catinos, res extrarias, & nihil ad veram * pietatem facientes. Atque interim interior ac potior veſtri pars illota, ſcatet ſordibus Deo abominandis, rapina & iniquitate. Creditis vos inquinari, ſi biberitis ex illoto calice, aut ederitis ex catino non loto, & puri vobis videmini, ſi calix ſimul & catinus, & quod in illis eſt, rapina & fraude paratum ſit?

40 Stulti, nonne qui fecit quod deforis eſt, etiam id, quod deintus eſt, fecit?

40 O ſtulti perverſique judicii. Nonne qui condidit corpus, idem condidit animum? Itaque ſi puritas uſque adeo cordi eſt, oportebat totum hominem purum facere. Verum par erat priorem eſſe curam ejus partis, quæ potior eſt.

41 Verumtamen quod ſupereſt, date eleemoſynam: & ecce omnia munda ſunt vobis.

41 Sed interim vobis ipſis blandimini, quaſi abunde puris, ſi corpus & vaſa ſubinde lavetis aqua, & animum fraudibus, rapinis, odio, livore, ambitione, cæteriſque peſtibus inquinatum, purgetis eleemoſyna, quam cum ad oſtentationem faciatis, tamen arbitramini ſufficere ad ſummam animi munditiem.

42 Sed væ vobis Phariſæis, quia decimatis mentham, & rutam, & omne olus, & præteritis judicium & charitatem Dei: hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.

42 Sed væ vobis Phariſæis, qui ſub prætextu religionis agitis veſtrum negotium, decimantes etiam olerum viliſſima, mentam & rutam, quaſi ſoli Sacerdotes ac Levitæ curæ ſint Deo. Atque interim contra mentem Dei fraudulenter agitis cum proximo, nec ſublevatis egentem, ſed invidetis felicioribus, opprimitis imbecilles. O vere præpoſterum judicium! Hæc, quæ Lex præſcripſit ad tempus ſervanda juxta carnem, oportuit quidem non omittere, ſed illa, quæ maxime vult fieri Deus, quæ perpetuo bona ſunt & ipſi grata, in primis erant præſtanda. Quæ ad veſtrum commodum pertinent, ſuperſtitioſe etiam curatis: quæ ad proximum ſublevandum, negligitis.

43 Væ vobis Phariſæis, quia diligitis primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro.

43 Væ vobis Phariſæis, qui quum foris præ vobis geratis imaginem ſanctimoniæ, tamen intus tumetis ambitione, captantes honoratiores ſellas in ſynagogis, & audire gaudetis magnificos illos titulos, Rabbi, Rabboni, ab his qui ſalutant in publico: nihil aliud agentes, niſi ut hominum oculis placeatis: pro nihilo ducentes, quod animi ſordibus diſplicetis oculis Dei.

44 Væ vobis, quia eſtis ut monumenta quæ non apparent, & homines ambulantes ſupra, neſciunt.

44 Proinde væ vobis cum veſtra hypocriſi, qui ſimiles eſtis monumentis defunctorum, quæ foris nitent opere albario, titulis, variiſque picturis, quum intus ſint omni ſpurcitie referta. At interim quod apparet, blanditur oculis hominum prætereuntium: quod autem occulunt, fallit. Sed homines falli poſſunt, Deus introſpicit intimos cordis ſinus.

45 Reſpondens autem quidam ex Legiſperitis, ait illi: Magiſter, hæc dicens etiam contumeliam nobis facis.

45 Quum hæc aliaque magna ſeveritate diceret Dominus in fucatam Phariſæorum ſanctimoniam, quidam è Legiſperitis, ſtudens cohibere libertatem Jeſu, dixit illi: Dum iſta dicis in Phariſæos, nos quoque afficis contumelia. Non tolerat liberum ſermonem ſibi male conſcius animus, & exemplum libertatis in alios, metuit ne in ſe recidat.

46 At ille ait: Et vobis Legiſperitis væ: quia oneratis homines oneribus, quæ portare non poſſunt, & ipſi uno digito veſtro non tangitis ſarcinas.

46 At Jeſus æterna veritas, quæ neſcit aſſentari, quum ſola ſit inculpabilis, nec in aliud tamen objurgat, niſi ut medeatur malis, reſpondit Legiſperito: Si quæ dico, in vos quoque competunt, uti fateris: erit igitur & vobis Legiſperitis væ, qui non contenti exigere Legis obſervatiunculas omnes ab idiotis, verum etiam præter Legis auctoritatem de veſtro multa adjicitis: & onus addentes oneri, ſarcinam importabilem imponitis humeris ſimplicium, & ipſi interim vobis indulgetis, adeo non attingentes ea, quibus gravatis alios, ut nec illa præcipua ſervetis, ſine quibus cætera nihil proſunt.

47 Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum: patres autem veſtri occiderunt illos.

47 Væ vobis, qui ad oſtentationem veſtræ integritatis exſtruitis monumenta Prophetarum, quum illorum complures majores veſtri interfecerint.

48 Profecto teſtificamini quod conſentitis operibus patrum veſtrorum: quoniam ipſi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum ſepulchra.

48 Itaque fit, ut hoc ipſo, quo ſtudetis diſſimulare malitiam veſtram, prodatis. Dum enim ornatis monumenta Prophetarum, fatemini fuiſſe deteſtabiles, qui illos occiderunt, quorum memoria ſacroſancta eſt apud vos poſteros. Porro quum ipſi in hujus ætatis Prophetas, illis longe ſuperiores, deteriora moliamini, quam patrarint in Prophetas antiquos majores veſtri, nonne declaratis, quod quæſtu, ambitione, livore & odio excæcati, ſcientes approbetis impia facta majorum, quæ non ſolum imitamini, verum etiam ſuperare ſtudetis. Toties vos revocavit ad reſipiſcentiam Dei bonitas, ac ſemper in eos impie ſæviſtis, qui vobis veritatem ingerebant, non ob aliud inviſam, niſi quod adverſaretur veſtris pravis cupiditatibus.

49 Propterea & ſapientia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas & Apoſtolos, & ex illis occident, & perſequentur:

49 Proinde Dei ſapientia, quæ ineffabili conſilio temperat omnia, prius quam puniat hujus gentis pertinacem malitiam, ſtatuit nihil intentatum relinquere, quo poſſint ad meliora converti. Cæterum ubi jam declarata fuerit omnibus ſimul & immenſa Dei bonitas, & illorum invicta perverſitas, tanto dabunt atrociores pœnas, quanto diutius tolerati

* Alia Editio addit, *animi.*

sunt, quanto majoribus beneficiis provocati sunt ad pœnitentiam. Sic igitur apud se loquuta est sapientia Dei: Quid amplius faciam isti nationi intractabili? Misi Mosen, misi veteres Prophetas complures, misi Joannem Baptistam. Adversus Mosen conjuratum est: Prophetas vel occiderunt, vel afflixerunt: ne Joannem quidem plus quam Prophetam, audierunt: nec illi fuit impune, bene monuisse. Venit Filius hominis, & illi machinantur exitium. Mittam ad eos postremos omnium Prophetas, qui Legem spiritualiter interpretentur: mittam Apostolos, qui miraculis polleant, qui de omnibus gratis benemereantur, qui salutem omnibus offerant minimo negotio parandam, videlicet fide. Ac ne hos quidem audient, sed persequentur, affligent, ejicient, & quosdam etiam occident. Adeo vincet illorum malitia Dei bonitatem.

50 Ut inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est à constitutione mundi à generatione ista.

50 Tandem cum eo creverit illorum malitia, ut omnium ætatum scelera superarint, non solum æquarint, tum irruet in eos ultio divina, & requiretur ab eis sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est ab orbe condito:

51 A sanguine Abel, usque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare & ædem. Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione.

51 Nimirum à sanguine Abel, qui primus omnium occisus est ab invido fratre, usque ad sanguinem Zachariæ sacerdotis, filii Jojadæ, qui multitudinem revocans ad saniora consilia, lapidatus est per tumultum populi inter ædem & altare. Atque ille moriens, & suam testificans innocentiam, & illorum impietatem, dixit: *Videat Dominus & requirat.* Nunc hujus ultionis tempus instat. Una natio veluti pro omnibus majorum facinoribus pœnas dabit, quæ quicquid fuit in omnibus malitiæ, supergressa est. Futurum est haud dubie, quod divina sapientia futurum esse prædixit. Hujus ætatis Judæi, quoniam superant omnium veterum rebellionem, perversitatem, crudelitatem, tam atrociter punientur, quasi quicquid diversis seculis impie designarunt majores, id soli peregissent.

52 Væ vobis Legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, & eos, qui introibant, prohibuistis.

52 Etiam atque etiam væ vobis Legis peritis, qui quum profiteamini Legis cognitionem, quæ spiritualis est, & vindicaveritis vobis clavem scientiæ, quæ debebat aperire aditum in regnum cœlorum, tamen non solum ipsi non introistis, verum alios introire volentes excluditis. Dum enim Legem perperam interpretamini, oppugnatis id, quod est totius Legis caput.

53 Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi & Legisperiti graviter insistere, & os ejus opprimere de multis,

53 Ad hujusmodi sermones, subamaros quidem ob libertatem veritatis, sed salutiferos, si voluissent recipere pharmacum, vehementer offensi sunt simul & Pharisæi & Legis periti: sed quoniam taciti secum agnoscebant esse verissima, quæ dicebantur, dissimulant quidem apud populum:

54 Insidiantes ei, & quærentes aliquid capere de ore ejus, ut accusarent eum.

54 Sed tamen interim observant omnia Jesu dicta, venantes si quid proficisceretur ab ore ejus, unde possent illi calumniam struere, ne privato quodam odio, sed studio religionis ac pietatis viderentur illum persequi. Habet enim & hoc hypocrisis Pharisaica, ut nihil tam impium moliatur, cui non prætexat pietatis fucum.

CAP. XII.

Mox de fermento: Pater: confessio: avaris: Adspice aves: pili opes: fœr veluti, illa dies.

1 Multis autem turbis circumstantibus, ita ut se invicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos: Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.

1 QUONIAM autem Dominus Jesus noverat insanabilem esse malitiam Pharisæorum, Scribarum, ac Legis peritorum, voluit palam illorum hypocrisim traducere, ne quis incautus eorum simulatione falli posset, *jam tum multis turbis circumstantibus, adeo ut se invicem conculcarent, cœpit dicere discipulis suis: Cavete vobis à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* Tales esse studete, quales haberi vultis. Nihil posthac fucatum diu latere poterit.

2 Nihil autem opertum est, quod non reveletur: neque absconditum, quod non sciatur.

2 Veniet tempus, quod in apertum proferet & vestram innocentiam, & illorum malitiam. *Nihil autem sic nunc opertum est, quod mox non sit retegendum: neque quicquam tam absconsum, quod post non sit venturum in notitiam hominum.*

3 Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis.

3 Quare curate, ut omnis vita vestra fuco careat, neque quicquam dicatis, faciatisve, aut cogitetis etiam soli, quod nolitis ab omnibus sciri. *Quoniam quicquid nunc clanculum in tenebris dixeritis, olim narrabitur clara luce: & quicquid nunc in aurem dixeritis in cubiculis, olim prædicabitur in tectis.*

4 Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant.

4 Offendet veritas homines impios, fucatos imagine pietatis, sed nullius mali metus abducat vos à sincera prædicatione veritatis Euangelicæ. Extremum malorum est, ut occidant, sed corpus duntaxat. *Ego vero illud dico vobis amicis meis*, ne meo fretos præsidio quicquam terreat istorum crudelitas, qui ut omnia moliti sint, *corpus possunt occidere, quæ facto, non habent præterea quo lædant.* At non moritur, qui mea causa occiditur.

5 Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.

5 Quod si metum adhibere placet in consilium, æquum est, ut levior metus cedat majori, & ille potius timeatur, qui totum hominem nutu potest perdere. Hunc si vultis vobis ostendi, Deus est, qui solus habet potestatem, *ubi corpus occiderit, etiam animam mittere in gehennam.* Ne quid terreat hominum impiorum crudelitas, qui leviter possunt lædere: imo ne lædere quidem, nec hoc ipsum possunt nisi permissu Dei. Quod si terrore hominum degeneraveritis à sinceritate prædicationis Euangelicæ, vitantes levia ac temporaria mala, incidetis in æterna mala. Clavus igitur clavum pellat, & Dei timor exigat timorem hominum. Nolite metuere, ne pereatis ante diem.

6 Nonne quinque passeres veneunt dipondio, & unus ex illis non est in oblivione coram Deo?

6 Omnino moriendum est omnibus: nec refert quam diu vixeris, sed quam bene. Et feliciter hinc exit, quisquis ob nomen meum mortem oppetit. Nec id fiet ante tempus à Patre præfixum vobis, ut nihilo diutius victuri fitis, etiamsi maxime vos discruciaret metus mortis. Et hoc erit curæ Patri vestro, ut suo quisque tempore moriatur. Quamquam ista videntur casu fortuitoque geri, tamen nihil accidet vobis, nisi permissu Patris, cui vestra omnia curæ sunt. Quid passerculo vilius, aut contemtius? Nonne quinque licet emere dupondio? Et tamen horum cura est Deo, neque quicquam perit etiam vilissimorum animantium inscio Patre.

7 Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus pluris estis vos.

7 Vos autem, quos ex omnibus pauciissimos delegit ad illustrandam sui nominis gloriam, adeo non negligit, ut omnes etiam capitis vestri pilos habeat numeratos. Adversus hujus voluntatem pugnare impium sit. Nihil autem volet ille, nisi quod optimum fore noverit. Itaque de vita sollicitudinem omnem in illum conjicite. Cui curæ sunt passerculi, non negliget vos, tanto passerculis omnibus meliores. Itaque nolite metu malorum, quæ possunt homines hominibus inferre, desciscere à professione nominis mei, memores, per has temporarias afflictiones iter esse ad felicitatem æternam. Nec enim erit socius gaudii, qui recusarit esse socius doloris: nec erit contors gloriæ, qui nunc recusat particeps esse ignominiæ.

8 Omnis quicunque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei:

8 Quanquam hæc ignominia apud homines, vera gloria est apud Deum. Nam illud affirmo vobis: Quisquis professus hîc fuerit nomen meum coram hominibus, quod apud mundum erit invisum & exsecrabile, profitebor & ego illum, quum proferetur Filii Dei majestas coram Angelis Dei.

9 Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei.

9 Contra qui me non agnoverit hîc apud homines, nec à nobis agnoscetur coram Angelis Dei.

10 Et omnis qui dixerit verbum in Filium hominis, remittetur illi: ei autem, qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur.

10 Scio hujus corporis infirmitatem multis futuram offendiculo: sed culpa, quæ vel ab humano proficiscitur errore, vel ab imbecillitate naturæ, quamvis atrox fuerit, tamen facile condonabitur. Proinde quod me vocant Samaritanum, vini potorem, amicum publicanorum, & Jesum fabri filium, facile remittetur si resipiscant. Est enim convitium, cui locum dedit hujus corporis imbecillitas. Cæterum

Digitized by Google

rum qui convitium dixerit in Spiritum Sanctum, per quem Deus operatur hæc miracula, quoniam deſtinata malitia ſciens ac volens repugnat gloriæ Dei, non inveniet veniam nec in hoc ſeculo, nec in futuro. Quemadmodum Angelis impiis non eſt relictus reditus ad pœnitentiam: quoniam nulla infirmitate, ſed obſtinata malitia reſtiterunt Deo, nec reſipiſcent unquam, nec veniæ ſpem habent: eodem in ſtatu fuerint homines, perverſitatem illorum imitantes. Me vident hominem, dormientem, eſurientem, videbunt & morientem: ignoſci poteſt, ſi quid in me dicunt, quod in hominem poteſt competere. Cæterum quod invidia corrupti tribuunt ea facta ſpiritui Beelzebub, quæ ſciunt eſſe virtutis divinæ, & Deum fraudantes ſua gloria, & in impios Dæmones transferentes quod Dei eſt: hæc nimirum eſt diabolica malitia, quæ ideo non impetrabit veniam à Deo, quanquam ad miſerendum propenſiſſimo, quia neſcit pœnitere. Multis igitur modis obſtrepetur veſtræ prædicationi. Quidam enim aut ſimpliciter errantes perſequentur vos, aut errori mixta malitia. Quidam adverſus animi conſcientiam veritatem perſpectam & cognitam oppugnabunt, non ob aliud, niſi quod adverſetur pravis ipſorum affectibus.

11 *Cum autem inducent vos in ſynagogas, & ad magiſtratus & poteſtates, nolite ſolliciti eſſe qualiter aut quid reſpondeatis, aut quid dicatis.*

11 Per hos ſpiritus Satanæ malus rebellabit ſpiritui Dei bono; ac per ſuos ſatellites omni machinarum genere vos impetet. Quamvis autem eſtis idiotæ, tenues, & humiles, non eſt quod metuatis mundi tumultum adverſus vos. Sufficit ſpiritus Dei benignus ac ſimplex adverſus omnem vel fraudem, vel violentiam hujus mundi. Quum igitur pertrahemini in Synagogas illorum, delati de magnis criminibus, quum pertrahemini ad magiſtratus & principes, nolite facere, quod vulgus reorum ſolet, qui ſolliciti ſunt, quid reſpondeant, aut quid loquantur, quo poſſint elabi è cauſa. Dabitis hoc publicæ poteſtati, ut vocati compareatis.

12 *Spiritus enim ſanctus docebit vos in ipſa hora, quid oporteat vos dicere.*

12 Cæterum non eſt quod vereamini conſpectum illorum, aut ſolliciti ſitis, ut meditata oratione vos ipſos defendatis. Semper erit in promtu veritatis ſimplex oratio. Hanc, quoties erit opus, vobis ſuppeditabit Spiritus Sanctus. Qualis eſt vita veſtra, talis erit & oratio. Nihil autem efficacius ſimplici veritate. Quemadmodum autem terror judiciorum nonnullos tranſverſos abducit à ſinceritate profeſſionis Euangelicæ, ita multos pecuniæ ſtudium corrumpit.

13 *Ait autem ei quidam de turba: Magiſter, dic fratri meo ut dividat mecum hereditatem.*

13 Ut igitur & hunc affectum penitus eximeret Dominus ex animis diſcipulorum, velut humilem & indignum aggreſſis cœleſte negotium, oblatum eſt argumentum, per quod ita fieret. Quum enim eſſet frequentiſſima turba circa Jeſum, neque quiſquam antehac rem tam humilem auſus fuiſſet ab illo petere, quidam dixit illi: Magiſter, frater meus occupat hæreditatem communem, ac tergiverſans, prorogat partitionem, hic mihi ſuccurrat tua auctoritas: *Dic illi, ut mecum dividat hæreditatem.*

14 *At ille dixit illi: Homo, quis me conſtituit judicem aut diviſorem ſuper vos?*

14 Jeſus autem velut indignans, quod à negotio cœleſti ad carnales ac ſordidas curas interpellaretur, ſimul interim docens ſuos, non oportere implicari negotiis profanis ac ſordidis eum, qui gerit munus Apoſtolicum, reſpondit: Homo, qua fronte me interpellas adverſus fratrem tuum de dividunda hæreditate? *Quis me conſtituit judicem inter vos* diſſidentes de re levi, ac mox peritura? *Aut quis me vobis dedit diviſorem hæreditatum?* An mundus hic non habet judices, qui lites tam humiles dirimant? Mihi non eſt delegatum, ut hic aut ille diteſcat hæreditate, ſed ut omnes perveniant ad hæreditatem vitæ immortalis.

15 *Dixitque ad illos: Videte, & cavete ab omni avaritia: quia non in abundantia cujuſquam vita ejus eſt, ex his quæ poſſidet.*

15 Deinde verſus ad diſcipulos, ac cæteros qui aderant, cœpit eos exemplo interpellatoris dehortari à ſtudio divitiarum: non quod per ſe malæ ſint, ſed quod in his præcipuum vitæ præſidium ponere, & harum ſtudio revocari ab his, quæ pertinent ad æternam felicitatem, ſtultitia ſit. Etiam atque etiam cavete, inquit, ab omni confinio avaritiæ: frequenter enim ſub prætextu neceſſitatis ac providentiæ obrepit triſte vitium, quod ſemel admiſſum abducit hominem in omne dedecus. Ac vix vitari poterit, niſi leviter & contemtim poſſideamus etiam ea, quæ noſtro jure poſſidemus.

16 *Dixit autem ſimilitudinem ad illos, dicens: Hominis cujuſdam divitis uberes fructus eger attulit:*

16 Cæterum qui ſic fidunt divitiis ſuis, ut in his ingens aliquod humanæ felicitatis præſidium collocent, vehementer fallunt ſeipſos. Non enim abundantia facit ad felicitatem, ſed potius ad ſollicitudinem, & contemtum eorum, quæ vel ſola quærenda ſunt. Siquidem naturæ neceſſitas exiguo placatur. Id quo craſſo populo altius infigeret, adjecit Dominus ſimilitudinem, ad quam ſuum quiſque affectum exigeret, atque examinaret: *Erat,* inquit, *homo locuples, cujus agri fructus uberrimos attulerant,* ut ſunt anni proventus impares.

17 *Et cogitabat intra ſe dicens: Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos?*

17 Ille vero nihil interim cogitans de ſublevanda proximorum egeſtate, ſed perinde quaſi quod natum eſſet, uni natum eſſet, de recondendo ſollicitus eſt, non de erogando. *Dixit enim apud ſe: Quid faciam? Annona ubertas major eſt, quam ut horrea mea ſufficiant recondendis iis, quæ provenerunt.*

18 *Et dixit: Hoc faciam: Deſtruam horrea mea, & majora faciam: & illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi, & bona mea,*

18 Si caritatem adhibuiſſet in conſilium, quum ſic æſtuaret animo, dixiſſet illi: Circumſpice quam multis deſit, quod tibi ſupereſt. Agnoſce cui debeas etiam iſtam anni tui felicitatem. Sortem indulſit Deus, unde colligas uſuram operum cœleſtium. Permuta fluxa bona perennibus, terrena cœleſtibus, humana divinis. Ita lucro fuerit tûa liberalitas. Sed quoniam ſtultitiam & incogitantiam maluit adhibere in conſilium, hujus impulſu dixit apud ſe: *Demoliar horrea mea vetera, & exſtruam majora, & in his recondam univerſum hujus anni proventum, cæteraque bona mea,* ne quid pereat.

19 *Et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare.*

19 Conſtabilitis autem, & in tuto collocatis omnibus, ſecurus omnium, *dicam animæ meæ: Anima habes repoſitam magnam rerum copiam, quæ ſufficiat in multos annos: requieſce, ede, bibe, & obleta te.*

20 *Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem paraſti, cujus erunt?*

20 Hoc diutinæ felicitatis ſomnium quum dives ille verſaret in animo ſuo, ſubito venit ad illum vox Dei, dicentis: Stulte, quum ipſa vita tibi ſit incerta, cur recondis in multos annos, quum his quæ reponis frui non poſſis, niſi in hac vita, quæ nulli vel ad unum diem certa eſt? Quid tibi promittis annos plurimos? *Hac ipſa nocte repetent abs te animam tuam. Et iſta, quæ paraſti, cujus erunt?* Certe tua non erunt. Hæredi relinquas oportet, aut ſi quis alius occupet. Cæterum ſpirituales opes, quas erogandis divitiis licebat comparare, etiam mortuum fuiſſent comitatæ.

21 *Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives.*

21 Habes exemplum ac ſtatum hominis, qui ſibi recondit opes hujus mundi, ac ſibi tantum dives eſt, nec eſt dives erga Deum, qui cupit in ſuis membris refocillari per eos, quibus res ſupereſt. Ac felicius divites ſunt, qui ſic paupereſcunt.

22 *Dixitque ad diſcipulos ſuos: Ideo dico vobis: Nolite ſolliciti eſſe animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori quid induamini.*

22 Hæc promiſcuæ multitudini loquutus Dominus, mox converſus ad diſcipulos ſuos, quos oportebat non ſolum abeſſe ab omni avaritia, verum etiam vacare omni ſollicitudine hujus vitæ, ne qua res illorum animos remoraretur ab Euangelico negotio: *Ideo*, inquit, *jam antehac dixi vobis*, & repetens iterum iterumque monebo, *nolite ſolliciti eſſe de vita veſtri corporis, anxii ne deſit cibus*, aut potus: *neque rurſum de corporis incommodo, ne deſit illi veſtis.* Pater veſter cœleſtis, qui vobis dedit quod præſtantius eſt, etiam illud addet quod eſt vilius.

23 *Anima plus eſt quam eſca, & corpus plus quam veſtimentum.*

23 *Anima potior eſt cibo*, quanquam ſine cibo interim non durat in domicilio corporis, & *corpus pretioſius eſt veſtimento.* An putatis divitem juxta ac benignum Patrem paſſurum, ut quum largitus ſit vitam, deſit cibus, quo vita prorogetur? aut qui dedit corpus, commiſſurum, ut corpori deſit quo tegatur?

24 Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos. Quanto magis vos pluris estis illis?

25 Quis autem vestrum cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?

26 Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris solliciti estis?

27 Considerate lilia quomodo crescunt: non laborant, neque nent: dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis.

28 Si autem fœnum, quod hodie est in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos, pusillæ fidei?

29 Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis: & nolite in sublime tolli:

30 Hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem vester scit quoniam his indigetis.

31 Verumtamen quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis.

32 Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.

33 Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis: quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit.

34 Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.

35 Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris,

36 Et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum quando revertatur à nuptiis: ut, cum venerit, & pulsaverit, confestim aperiant ei.

37 Beati servi illi, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes: amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.

38 Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati sunt servi illi.

39 Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam.

40 Et vos estote parati: quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

41 Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes?

42 Dixit autem Dominus: Quis, putas, est

24 Si Dei providentia non cessat in animantibus brutis ac vilibus, an cessabit in vobis, quos ad rem tantam delegit? *Considerate corvos: neque serunt, neque metunt, nec penuarium habent, nec horreum, & tamen Deus etiam illis prospicit de pabulo*, nihil eorum negligens quæ condidit. Quanto magis vobis prospiciet Pater, quos tanto corvis habet cariores?

25 Quid, quod non solum diffidentiæ est, anxie distorqueri cura rerum hujusmodi, verum etiam stultitiæ? Stultum enim est sollicitudine nihil profutura discruciari. Nemo sollicitudine sua vitam suam reddere potest uno die longiorem. Quid, quod ne corporis quidem modus, aut figura vobis in manu est? Deus dat illi formam quam vult, dat illi modum quem vult, sic dat illi & vitam, quamdiu vult. *Quis autem vestrum sollicitudine sua posit ad sui corporis staturam adjicere cubitum unum?* Aut quis sollicitudine sua possit unum capitis pilum ex albo nigrum, aut ex nigro album reddere?

26 Si igitur in his, quæ minimi momenti sunt, nihil profuerit vestra sollicitudo, quorsum attinet esse sollicitos de vita?

27 Jam ne sitis anxii de vestitu, *considerate mihi lilia*, quæ in pratis nulla hominum cura proveniunt, quomodo nullo curante surgunt ad justam magnitudinem. *Non laborant, neque nent*, neque texunt, & tamen providentia Patris adeo non sinit iis deesse vestem, ut nec opulentissimus ille Solomon, quum maxime ostentaret strepitum suæ fortunæ, sic vestitus fuerit, ut unum quodvis ex liliis pratensibus, ad breve tempus duraturum.

28 *Quod si Deus* tanta providentia *vestit herbam* etiam vulgo nascentem, & mox perituram: & *quæ hodie viret in agro, cras* arefacta *conjicitur in clibanum: quanto magis non sinet vos esse nudos, ô parum fidentes?* nec enim aliunde nascitur ista sollicitudo, nisi ex diffidentia erga Patrem & potentissimum, & liberalissimum, & providentissimum.

29 Si is pascit, si vestit, si gubernat universa quæ condidit, abjicite vos quoque sollicitudinem de rebus infimis, cibo, potu, & vestitu. Istarum rerum nec vos dejiciat penuria, nec efferat exuberantia.

30 Neque supini pendeatis à cœlo, observantes omnia tempestatum præsagia, pallescentes quoties astra minitantur annonæ penuriam. De his enim rebus etiam in longinquum inquirere gentium est, qui mundo dediti nesciunt Deum: vos autem qui nostis, quam benignum habeatis Patrem in cœlis, quid inani sollicitudine torquetis animos vestros? Scit enim Pater vester, quod his, quæ pertinent ad corporis alendi tegendique necessitatem, indigetis. Nec tam durus est, ut vos, suum agentes negotium, sinat harum rerum inopia perire.

31 Quin potius prima sit vobis cura promovendi regni Dei, cujus vos delegi præcones ac ministros. Hujus justitiam ante omnia quærite, non sitam in ceremoniis Judaicis, sed in his rebus, quas ante docui vos: & toto animo hoc agite, quod est omnium maximum. Cætera leviora Deus ipse vobis adjiciet omnia, neque quicquam patietur desiderari.

32 Ne qua res vos terreat, pusille grex, pauci estis, humiles estis, idiotæ estis, nullis opibus, nulla potentia, nullis armis, nullis copiis instructi estis adversum mundum hunc impium, & omni genere machinarum in vos cooriturum. Non est tamen quod formidetis. Sic complacitum est Patri vestro, rejectis potentibus, doctis, & elatis, vobis juxta mundum abjectissimis dare regnum hoc, quod arcanis opibus animorum, quod cœlestibus præsidiis invictum est.

33 Quare delecti ad tantam dignitatem regni cœlestis, contemnite ista humilia: destinati bonis perennibus, negligite mox peritura. Quod si terrenæ possessiones remorantur vos à rebus tanto melioribus, vendite quæ possidetis, & pecuniam inde collectam erogate in sublevandam pauperum inopiam. Non possunt divitiæ magis in tuto collocari: non possunt majore certioreque cum fœnore deponi. Qui dat eleemosynam, Deo fœnerat, qui non potest fallere: & ut dives est ac benignus, pro vilibus reddet pretiosissima, pro terrenis cœlestia, pro fluxis ac mox auferendis æterna. His igitur opibus studete ditescere. *Parate vobis sacculos, qui non veterascunt: reponite vobis thesaurum in cœlis, qui nunquam deficiet, qui vobis tutus sit, & à furibus, & à tineis.*

34 *Siquidem hoc videmus usu venire, ut ubi quisque thesaurum habet, ibi habeat & cor.* Quod enim quis vehementer amat, ejus non potest oblivisci. Veluti dives, qui domi conditas habet aut defossas opes, etiamsi foris agat, tamen animus domi est, sollicitus ne fur compilet, ne quis casus prodat aut vitiet thesaurum: rursus, qui amant, semper in eo quod amant, habent intentum animum.

35 At oportet vestrum cor semper esse in cœlis. Atque illic semper erit, si in terris nihil habueritis, quod vel miremini, vel ametis, sed universum thesaurum vestrum reconditum habueritis in cœlo. Tempus breve est. Toto studio hoc agendum, ut quam plurimum bonorum operum recondatis in cœlo. Instat dies, quo quisque pro semente rerum temporalium messurus est messem æternam. Is dies, quoniam vobis incertus est, oportet in eum semper esse paratos & accinctos. Eritis autem, si nullis mundanarum rerum impedimentis remorabimini, si nullam occasionem benefaciendi prætermiseritis. In hunc igitur diem *sint lumbi vestri semper præcincti, sint lucerna ardentes* in manibus vestris:

36 *Et similes sitis* prudentibus ac fidelibus *famulis, qui quoniam incertum habent, quando Dominus sit rediturus à nuptiis, perpetuo stant accincti cum tadis, ut, simulatque reversus pulsaverit, confestim aperiant ei.*

37 Non erit ingrata Domino hæc famulorum sedulitas: *sed beati fuerint, si Dominus subito veniens offenderit illos vigilantes.* Nam illud affirmo vobis, quod Dominus pro officio, quod tamen debebant, amplissimam mercedem reponet. *Siquidem ipse* vicissim *præcinget se, & jubebit illos discumbere, ac præteriens*, observansque quid quisque postulet, *ministrabit illis.*

38 Nec refert, qua parte noctis venerit, (id enim incertum esse voluit) sed quacunque noctis vigilia venerit, *sive in secunda, sive in tertia*, vel intempesta nocte, *beati futuri sunt servi, si Dominus offenderit eos paratos.*

39 Non est igitur unquam cessandum in hac vita. Sed ita vivendum, quasi dies ille hodie esset venturus. Obrepet enim improvisus. Proinde semper curandum, ne opprimat imparatos. Siquidem ubi semel ille venerit, jam serum fuerit sarcire superiorem somnolentiam. *Nullus est paterfamilias* tam socors, *qui passurus sit à fure nocturno perfodi domum suam, si nosset quo tempore fur venturus esset.* Quod si ille vigilat, ne spolietur bonis terrenis, quanto magis vobis est vigilandum, ne perdatis felicitatem æternam. Sicut fur nocturnus obrepit eo tempore, quo dormitur altissime, minimeque exspectatur suffossor, ita Filius hominis subito veniet eo tempore, quo minime venturum suspicabimini.

40 Proinde quoniam vobis id tempus ignotum est, certum tamen est illud adfuturum, sitis perpetuo parati, instructi bonis operibus, ab omnibus mundanarum rerum impedimentis expediti.

41 Hos sermones quum audisset Petrus, ait Domino: *Domine, parabolam istam utrum vis ad nos proprie pertinere, an ad omnes pertinet?*

42 Dominus autem ita temperat responsum, ut non neget aliqua ex parte pertinere ad omnes, qui cupiunt æternam salutem, sed præcipue significet ad eos attinere, quibus credita est dispensatio sermonis

Digitized by Google

fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram?

nis Euangelici. Adjecit autem & aliam parabolam, quo magis accenderet suos ad perpetuam instantiam officii sui, proponens & præmium functis officio, & pœnam ei, qui cessaret in officio. Inter homines, inquit, rarum est invenire fidelem ac prudentem dispensatorem rei familiaris, qui, peregre agente Domino, curet illius familiam, cui præfectus est, non ut tyrannidem in eam exerceat, sed ut ex opibus Domini, cuique suum dimensum, quantum opus est & quando opus est, depromat.

43 Beatus ille servus, quem cum venerit dominus, invenerit ita facientem.

43 *Beatus erit ille servus, quem subito reversus Dominus offenderit in officio.*

44 Vere dico vobis, quoniam supra omnia quæ possidet, constituet illum.

44 Siquidem expertus fidem ac diligentiam in dimensis, præficiet eum omnibus bonis suis, ac veluti rerum omnium consortem habere dignabitur.

45 Quod si dixerit servus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire: & cœperit percutere servos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari:

45 *Contra si servus ille* nec bonæ fidei fuerit, nec prudens, sed elatus absentia Domini, ac delegata præfectura, *dixerit suo cum animo: Dominus meus jam in longum profert reditum*, & fortasse nunquam rediturus est, interim morem geram animo meo: *cœperitque sævire in conservos & ancillas*, non solum non pascens eos ex tritico Domini communis, verum etiam *pulsans illos ac verberans*, ac tyrannidem quandam usurpans, *ipse interim edat, & bibat, commessetur, inebrietur*, heri bona fœdis voluptatibus luxuque prodigens: Quid futurum arbitramini tali dispensatori?

46 Veniet dominus servi illius, in die qua non sperat, & hora qua nescit, & dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.

46 *Nimirum redibit Dominus die quo non exspectabatur*, & hora qua nesciebatur, *ac famulum illum*, secure quidlibet facientem, *dividet & amputabit à familia sua*, nec dignabitur eum domus suæ contubernio, *sed annumerabit illum reliquis infidelibus*, luiturum pœnas, qui noluerit esse memor officii. Nulla re magis sibi reconciliare potest animum Domini sui dispensator Euangelicus, quam ut absentis Domini benignitatem repræsentet in proximum: nec se putet esse Dominum, sed meminerit esse conservum.

47 Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui, & non præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis:

47 Quo vero perfectior fuerit cognitio veritatis Euangelicæ, hoc gravior erit condemnatio, si quod didicit esse rectum, sequi negligat. Levius enim punientur gentes, quibus nec per Legem, nec per Euangelium annuntiata veritas est, quam Judæi, quos Lex erudiit ad aliquem profectum pietatis. Et rursum inter hos acrius punientur Pharisæi, & Legis periti, quam idiotæ. Sed omnium gravissimas pœnas dabunt, quos cognita veritas Euangelica, quos tot miracula, quos exemplum meum non provocarit ad studium veræ pietatis. Ego nihil celavi vos. Quicquid Pater cœlestis vos per me scire voluit, communicavi vobis. Cavete igitur exemplum servi negligentis. Etenim servus ille, quem Dominus præ cæteris habuit eximium, cui concredidit dispensationem rerum suarum, cui communicavit arcana consilii sui, cui fisus est abiens peregre, nisi fecerit quod jussus est, seseque præpararit ad exsequenda, quæ sciebat ex animo velle Dominum, vapulabit plagis multis.

48 Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo.

48 Qui vero fuerit de grege servorum, cui Dominus non indicarit animi sui voluntatem, si quid commiserit animadversione dignum, plagis vapulabit paucis. Non est igitur quod Euangelici sermonis dispensatio, vobis commissa, reddat vos insolentiores, sed potius sollicitiores. Onus suscipit verius quam honorem, qui functionem suscepit Ecclesiasticam. Gratuitum est quod concreditur, & in hoc conceditur, ut proferatur in utilitatem communem totius familiæ. Quemadmodum heri rationem exactiorem exigunt ab eo, cui plus commiserunt: sic ab eo, cui copiosius cognitionis & auctoritatis munus datum est à Deo, plus requiretur, quam à cæteris: & cujus fidei latior ac major functio delegata est, quo pluribus prodesse debuit, hoc plus exigetur ab eo. Quo doctior es, hoc doce libentius: quo ditior es, hoc libentius subleva pauperes: quo potentior es, hoc

A plures auctoritas tua pertrahat ad Euangelium. Alienum est quod habes, Dominus vult erogari, quod credidit.

49 Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?

49 Sitio salutem hominum, & hujus gratia veni in mundum, ac meo desiderio jam omnis mora longa est. Non est diluta, nec humana doctrina, quam è cœlis attuli. Merus ignis est, aut purgaturus hominem, aut usturus. *Et ideo veni, ut* hic *ignis accendatur in terris. Quid enim aliud desidero?* Semel accensus, late corripiet universum mundum incendio.

50 Baptismo autem habeo baptizari: & quomodo coarctor usque dum perficiatur?

50 Sed non exsiliet hic ignis, nisi percussus fuerit in cruce hic silex corporis mei. Supereſt adhuc ille baptismus, quem mihi præscripsit Pater, ut tingar B proprio sanguine, ut mea morte pœnas luam pro peccatis totius mundi. Tum demum emicabit inter homines illa scintilla caritatis Euangelicæ, quum viderint innoxium ultro pro noxiis sustinuisse mortem ignominiosam. Hæc enim est scintilla perfectæ caritatis. Et ab hoc baptismo non solum non abhorreo, sed amore salutis humanæ vehementer angor, ut quam primum perficiatur. Abhorret natura corporis, sed desiderat animi caritas.

51 Putatis quia pacem veni dare in terram? Non, dico vobis, sed separationem:

51 Verum hic ignis accensus, excitabit magnos in mundo tumultus. Vehemens enim erit ignis & cœlestis, discutiens & excutiens omnes affectus humanos. An creditis quod venerim allaturus pacem in C terras, quam mundus hic amat, cui tum tranquillitas est, quum satis factum est animi cupiditatibus, quum mali cum malis consentiunt? Non profecto, non veni conglutinaturus tales concordias, sed immissurus dissidia.

52 Erunt enim ex hoc quinque in domo una divisi, tres in duos, & duo in tres.

52 Non omnes obedient Euangelio, & Euangelii causa contemnenda sunt omnia. Itaque fiet ut in eadem domo, in qua prius erat mala pax, nascatur salutare dissidium. Siquidem quinque natura conjunctissimi, mea causa dividentur inter sese, tres adversus duos, ac rursus duo adversus tres.

53 Dividentur pater in filium, & filius in patrem suum, mater in filiam, & filia in matrem, socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam.

53 Quid enim conjunctius, quam patri filius? Et tamen pater Euangelii causa simultatem exercebit D cum filio. Et filius Euangelii gratia patrem contemnet. Similiter mater dissidium habebit cum filia, sed apud filiam plus valebit caritas Euangelica, quam affectus parentum. Socrus item bellum suscipiet cum nuru sua, sed apud alteram præponderabit amor salutis æternæ, affinitati carnis. Vehementius enim urgent vincula spiritus, quam naturæ.

54 Dicebat autem & ad turbas: Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: Nimbus venit: & ita fit.

54 Post hæc Jesus conversus ad turbas, dixit: Cur igitur vos non præparatis animos vestros regno Dei, quod in proximo est? An non sentitis imminere tot indiciis rerum? cur hîc estis parum boni conjectores, quum in rebus tanto levioris momenti tam sagaciter conjectetis? *Quum enim conspexeritis nubem* E *emergentem ab Occasu, statim prædicitis futurum imbrem: & evenit quod prædicitis.*

55 Et cum austrum flantem, dicitis: Quia æstus erit: & fit.

55 *Ac rursum quum senseritis Austrum flantem, statim prædicitis fore æstum, nec fallit vos vestra divinatio.* Parum refert autem, utrum pluat, an non pluat: sed plurimum refert, ut per Euangelicam fidem salutem assequamini, perennem.

56 Hypocritæ, faciem cæli & terræ nostis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis?

56 O hypocritæ, ut omnia vestra fucata sunt. Qualis est vestra sanctimonia, talis est & prudentia. In his, quæ sunt hujus vitæ, sapitis: in his, quæ sunt æternitatis, nihil videtis. Observatis faciem cœli & terræ, & hinc colligitis præsagia rerum futurarum.

57 Quid autem & à vobis ipsis non judicatis quod justum est?

57 Quî fit autem ut hoc tempus, quod omnibus F vel salutem adfert æternam, si fuerit acceptatum, vel exitium æternum, si fuerit neglectum, ex tot proditis indiciis non animadvertatis instare? Scitis quid Prophetæ promiserint, videtis & auditis tam multa, quæ dicuntur & geruntur inter vos, videtis innovari mundum, & nondum ex vobis ipsis conjectatis, adesse tempus promissum? Hoc solum erat omnibus studiis agendum, nec oportet rem ullam vobis esse tanti, cujus gratia dispendium faciatis Euangelici profectus.

Digitized by Google

58 Cum autem vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad judicem, & judex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem.

59 Dico tibi, non exies inde, donec etiam noviſſimum minutum reddas.

58 Si res eſt, & impedit, vende: ſi quis læſit, condona potius quam perſequaris jus tuum. Quod ſi res eo proceſſerit, ut eatur ad judices, vel inter eundum da operam ut libereris ab adverſario tuo. Præſtat vel iniquis conditionibus finire litem inter vos, quam incertum eventum judiciorum experiri, ubi non ſemper ſuperior eſt cauſa, quæ melior eſt. Alioqui committis teipſum periculo, ne judex tradat te damnatorum exactori, & exactor conjiciat te in carcerem.

59 Quod ſi fiat, illud affirmo tibi, non exibis inde, donec reſolvas quod petitur uſque ad extremum quadrantem. Negotioſa res eſt litigare, nec vacat his immorari tricis, qui properat ad metam Euangelicæ perfectionis. Primum igitur expende, quanto plus lucri ſit in condonanda injuria, quam in perſequenda: in deferenda re, quam in vindicanda. Primum lucrifeceris amicitiam, quæ ſuſcepta lite periclitatur: deinde temporis compendium facis, quod erat tibi non parum multum in lite periturum. Ad hæc animi tranquillitatem lucraris, quam lites adimere ſolent. Poſtremo vitas, quicquid malorum adferre poteſt infelix litium exitus.

CAP. XIII.

Nunc Siloam: ficus: contracta: ſinape: farina: Arcta via: ignoro: vatineca eſt Solyme.

1 Aderant autem quidam ipſo in tempore, nuntiantes illi de Galilæis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificiis eorum.

1 DVM hæc aliaque multa promiſcuæ multitudini loquitur Jeſus, præmiis invitans ad officium pietatis, ſuppliciis territans, nullumque non movens lapidem, ut animos auditorum accenderet ad melioris vitæ ſtudium, commodum advenere quidam, qui rem novam & horrendam auditu nuntiarent de Galilæis quibuſdam facinoroſis, in quos Pilatus præſes novo exemplo animadverterat, ſic ut ſanguinem hominum nocentium miſceret cum ſanguine pecudum, quas immolabant ritu Judaico. Quoniam autem erat enorme, quod illi perpetrarant, ad terrorem omnium horrendo ſupplicio puniti ſunt.

2 Et reſpondens dixit illis? Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt?

2 Solet autem vulgus hominum exſecrari ſic damnatos, ſibique plaudere, quod tale nihil patrarit, quum ſæpe plauſor ille ſceleratius ſit malus, quam illi, quorum manifeſtum ſcelus publico ſupplicio fuit expiatum. Jeſus itaque volens hujus exempli terrorem, quem illi non putabant ad quenquam pertinere, niſi ad eos, qui eadem facinora patraſſent, ad omnes pervenire, reſpondit illis: *An creditis quod iſti Galilæi ſoli ſcelerati fuerint inter omnes Galilæos*, quod in hos ſolos deſæviit ſeveritas judicis?

3 Non, dico vobis: ſed niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.

3 Non ſatis eſt vos non admittere, quod admiſerunt illi, ab omnibus peccatis reſipiſcendum eſt. Quod niſi feceritis, quanquam interim Dei lenitas tolerat vos, ut convertamini, tandem omnes ſimili Dei vindicta peribitis.

4 Sicut illi decem & octo, ſupra quos cecidit turris in Siloe, & occidit eos: putatis quia & ipſi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Ieruſalem?

4 Et ne ſpem impunitatis vobis faciat ultio dilata, niſi mature reſipueritis, ſubito veniens opprimet vos, quemadmodum nuper illi decem & octo ruina turris oppreſſi ſunt in Siloa. Ut ſuffugiatis ultionem hominum, Dei vindicta vitari nullo modo poteſt. Ad omnes vos pertinet paucorum exemplum. An creditis, quod quum iſtos opprimeret ruina turris, non fuerint Hieroſolymis multi, his etiam ſceleratiores? Sed hos Dei clementia differt in ſpem pœnitentiæ. Quorundam crimina manifeſta ſunt, quorundam latent: & ſuis quiſque malis blanditur, ſed nemo bonus eſt inter vos, nec erit cuiquam impunita ſua malitia.

5 Non, dico vobis: ſed ſi pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis.

5 Quin illud affirmo vobis, niſi reſipueritis à priſtinis malis, omnes ſimiliter opprimet ultio divina. Videte igitur, ne lenitate Dei abutamini ad licentius peccandum, memores hoc graviorem venturam ultionem, quo ſerius venerit. Provocat Deus multis modis ad pœnitentiam, nunc blandiens, nunc territans. Tandem ubi videt obſtinatam hominum malitiam nullis rationibus emendari, ſemel totum hominem funditus perdit, ut aliis exemplum ſit utile, qui ſibi bonus eſſe noluit.

6 Dicebat autem & hanc ſimilitudinem: Arborem ſici habebat quidam plantatam in vinea ſua, & venit quærens fructum in illa, & non invenit.

6 Hanc ſententiam quo Jeſus altius infigeret animis craſſæ multitudinis, adjecit ſimilitudinem ad rem accommodam: *Quidam*, inquit, *habebat arborem ficum plantatam in vinea ſua:* Qui plantaverat, ſuo tempore venit ad illam, quærens fructum jam primum ex foliorum proventu promiſſum, neque quicquam invenit præter folia.

7 Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres ſunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: ſuccide ergo illam: ut quid etiam terram occupat?

7 Accito itaque vineæ colono, ait: *Ecce jam tertius præteriit annus, quod venio ad hanc ficum, quærens ex ea fructum, nec invenio: itaque ſuccide illam. Ad quid etiam terram occupat*, umbra officiens viti, & ſuccum ad ſe trahens, quo poterant ali arbores frugiferæ?

8 At ille reſpondens, dicit illi: Domine dimitte illam & hoc anno, uſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora:

8 Colonus autem reſpondit Domino ſuo: Domine paſſus es illam triennio, ſine adhuc & hoc anno donec experiar extremam curam. Nam fieri poteſt, ut ſoli vitio ſterilis ſit: *Fodiam igitur circum illam, & injiciam ſtercora:*

9 Et ſi quidem fecerit fructum: ſin autem, in futurum ſuccides eam.

9 Hoc fomento excitata *ſi produxerit fructum, ſi ſervaveris arborem:* ſin autem videris eam eſſe deploratæ ſterilitatis, venies ad id quod ſupremum eſt, & *ſuccides eam*, ne ſaltem officiat vineæ tuæ. Hac parabola Dominus in genere quidem commonuit omnes, ne Deum provocantem ad pœnitentiam negligerent. Sed peculiariter notavit gentem Judæorum, quæ toties provocata ad meliora per Patriarchas, per Moſen ac Legem, per Prophetas, per Joannem, denique per tot miracula, per Euangelicam prædicationem, tamen quia perſtitit in obſtinata malitia, funditus excindendam à Romanis.

10 Erat autem docens in ſynagoga eorum ſabbatis.

10 Et ecce mox exemplum ſici ſterilis, ut quod parabolæ typus delinearat, res ipſa ſubjiceret oculis. Ceremoniarum legalium obſervatio veluti folia erant Synagogæ, quæ videbantur ceu polliceri dulciſſimum ac Deo gratiſſimum fructum veræ pietatis & caritatis erga proximum, quum non ſolum nihil hujuſmodi produxerit, verum etiam amaros fructus ediderit invidiæ, odii, obtrectationis, blaſphemiæ, homicidii.

11 Et ecce mulier, quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum reſpicere.

11 Jeſus enim quum ex more ſuo doceret ſabbatis, aderat ibi in Synagoga mulier quædam, cui decem & octo annis res fuerat cum morbo immedicabili miſeroque. Erat enim adeo contracto corpore, ut non poſſet erigere caput, nec adſpicere ſurſum. Ecce materiam exſerendi fructus boni, niſi ficus omnino ſterilis fuiſſet. Mulier hæc imaginem gerebat gentium, & eorum qui palam impii & ſcelerati calamitatem ſuam præ ſe ferebant, toti defixi rebus terrenis, de rebus æternis ac cœleſtibus ne cogitantes quidem. Contra Judæus erectus ſtabat in vinea Domini, quæ eſt Synagoga, verbis Legis ac ceremoniis corporalibus ceu frondibus ornatus: qui nihil aliud novit, quam invidere & calumniari.

12 Quam cum videret Jeſus, vocavit eam ad ſe, & ait illi: Mulier, dimiſſa es ab infirmitate tua.

12 Dominus autem primum clementiſſimis illis oculis ſuis intuitus eſt mulierem. Jam hoc ipſum mox ſequuturæ ſalutis omen eſt. Nec hoc contentus, ultro vocavit ad ſe. Felix quemcunque accerſierit ad ſe Jeſus, & felix qui audit vocantem. Venit mulier, plena bonæ ſpei. Morbus diutinus erat & immedicabilis, ſed nulla eſt tanta impietas, aut iniquitas, quæ per Euangelicam fidem non aboleatur. Videamus igitur fructum bonæ arboris, quem in Synagoga deſiderabat Jeſus. *Mulier*, inquit, *liberata es ab agritudine tua.*

13 Et impoſuit illi manus, & confeſtim erecta eſt, & glorificabat Deum.

13 Non dedignatur eam ſui ſacri corporis contactu. Impoſuit illi manus, ac protinus erecta eſt, & agnoſcens cœleſte beneficium glorificat Deum: ita ſubito mutata gentium Eccleſia relictis ſimulacris, relicto ſtudio pecuniæ, relictis fœdiſſimis cupiditatibus, quibus diu ſic fuerat alligata, ut nec adſpirare poſſet ad cognitionem rerum cœleſtium, cœpit laudare clementiam divinam, cujus gratuito beneficio ſemel liberata eſſet ab univerſis vitiis ſuis, quibus obnoxia miſere ſervierat Satanæ.

14 Jam

Digitized by Google

14 *Respondens autem archisynagogus, indignans quia sabbato curasset Iesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt, in quibus oportet operari: in his ergo venite, & curamini, & non in die sabbati.*

15 *Respondens autem ad illum Dominus dixit: Hypocritæ, unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum aut asinum à præsepio, & ducit adaquare?*

16 *Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solvi à vinculo isto die sabbati?*

14 Jam ex adverso mihi considera malæ arboris malum fructum. Quum id vidisset Archisynagogus, videlicet ficus illa sterilis, ac foliis tantum Legis se venditans oculis hominum, indignans quod Jesus sabbato sanasset mulierem, veluti rem magnam docturus, vertit se ad concionem. Nunc audi vocem vere Pharisaicam, & ex hac totam illorum doctrinam æstima. Homo pius, timens ne populus exemplo Jesu prolaberetur in impietatem, consulit illius saluti, dicens magna cum auctoritate: *Sex dies sunt, in quibus fas est opus facere. Proinde si quis sanari optat, veniat illis diebus.* Sabbatum autem violare nefas est.

15 Hanc tam stolidam vocem non tulit clementissimus Dominus, qui sabbatum non in hoc condiderat, ut à juvando proximo cessaretur, sed à malefactis esset perpetua quies, quam illa sabbatorum otia figurabant. Quoniam autem hæc vox Archisynagogi ex omnium Pharisæorum, Scribarum ac Legis peritorum sententia proferebatur, per unum respondit omnibus: Hypocritæ, inquiens, qui neglecta vi Legis, corticem duntaxat urgetis, ac speciem justitiæ præ vobis geritis, quum procul absitis à vera pietate, videte, quam hîc satis iniqui judices: *Quis vestrum est, cui sabbati religio obsistat, quo minus à præsepe solvat bovem suum, aut asinum, adaquaturus illum?*

16 Si judicatis non violari sabbatum ob beneficium, quod muto jumento impenditur; mihi veluti facinus atrox impingitis, quod hanc Abrahæ filiam germanam, videlicet parentem sinceritate fidei referentem, sanarim sabbato? Vobis tanti est privatum commodum, ut non sit religio solvere lorum asino, ne siti pereat sabbato: & indignamini, quod hanc vestræ gentis mulierem, quam Satanas decem & octo annis habuit adstrictam, solverim sabbato? Si opus interdicitur sabbato, uter plus operis facit, qui solvit asinum & ducit ad aquam, an ego qui solo verbo, & contactu sanavi totam mulierem? Siccine mitiores estis in bovem, aut asinum, quam in sororem aut fratrem? Et sic Legem observatis, ut ejus superstitione negligatis id, quod totius Legis est caput?

17 *Et cum hæc diceret, erubescebant omnes adversarii ejus: & omnis populus gaudebat in universis, quæ gloriose fiebant ab eo.*

18 *Dicebat ergo: Cui simile est regnum Dei, & cui simile æstimabo illud?*

17 Hic sermo Jesu quoniam perspicuam habebat veritatem, & ad sensum etiam communem humanæ naturæ consentaneam, pudorem incussit obtrectatoribus illis. Dolebant enim aliquid suæ gloriæ decedere apud multitudinem, apud quam eatenus sese venditarant.

18 Jesus autem indicare volens omnem illam inanem Pharisæorum ostentationem, quæ magnificam habebat sanctimoniæ speciem, brevi evanituram, contra, vim Euangelicam ex humillimis initiis profecturam in tantam amplitudinem, ut totum orbem ad se pertrahat, idque per mortem, per Apostolos humiles & idiotas, proposuit duas parabolas ejusdem sententiæ: Videtis, inquit, regnum Synagogæ pugnare cum regno Dei. Evincet tamen id quod potentius est. Itaque velut afflatus novo spiritu Dominus, quo redderet attentiorem multitudinem, dixit: *Cui rei dicam esse simile regnum Dei, aut cui comparabo illud*, ut ex re nulli vestrum non notissima intelligatis quale sit?

19 *Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, & crevit, & factum est in arborem magnam: & volucres cæli requieverunt in ramis ejus.*

19 Quumque jam omnes exspectarent magnificam aliquam similitudinem, de Sole, aut fulmine sumtam, maluit à contemtissimo legumine ducere parabolam. *Simile est*, inquit, *grano sinapis*, quod quam diu est integrum, ut minutissimum est, ita vilissimum est, nec colore, nec odore, blandiens oculis, & si quid habet vigoris, intus habet. Hoc homo quidam prudens nactus non contemsit, sed sevit in horto suo. Enatum est autem illud contemtissimum semen, & excrevit in arborem ingentem, adeo ut in ramis ejus etiam aves nidularentur, pro uno granulo multa millia producens. Sic regnum Dei, quum maxime videbitur exstinctum, tum sese latissime proferet.

20 *Rursus autem cui rei simile dicam regnum Dei?*

21 *Simile est exiguæ massulæ fermenti, quod* prudens *mulier abdidit in farinæ consparsæ tribus mensuris*, atque ibi reliquit veluti sepultum, donec paulatim fermenti vis afficeret totam illam quamvis multam farinam: sic humilis doctrina Euangelii quondam occupabit universas orbis nationes.

22 Hæc loquutus Jesus properabat eo, ubi granum erat infodiendum terræ, ubi fermentum abdendum in farina. Faciebat enim iter Hierosolymam, ubi sciebat sese occidendum. Sed inter eundum per singulas civitates ac vicos docebat omnes, ne quid temporis periret ab Euangelio.

23 Quoniam autem sublimia quædam docuerat de vendendis facultatibus, de vivendo ex tempore, corvorum ac liliorum ritu, de non contendendo cum adversario, *quidam adiens eum dixit: Domine, an pauci sunt, qui salutem consequuntur?* Nam ista, quæ doces, haud ita multos reor amplexuros. Rursum autem parabola de grano sinapis, & fermento videtur diversum polliceri, nempe vim regni Dei perventuram ad multos.

24 Jesus autem ostendere volens, famam quidem & cognitionem Euangelicæ doctrinæ, ad hæc & miraculorum gestionem perventuram ad plurimos, cæterum neminem fore salvum, qui non depositis omnibus hujus mundi cupiditatibus sequatur humilem Christum, dixit: *Contendite intrare per angustam portam.* Id non contingit oscitantibus. Conandum est, angustus est ingressus, sed ducit ad latitudinem regni cœlorum. Non capit hæc porta onustos divitiis, cumulatos honoribus, distentos luxu, graves avaritia, turgidos & elatos fastu. Qui tales sunt, eligunt viam latam, spatiosam, & prima specie blandam, sed ducentem ad mortem.

25 Nunc igitur contendite intrare, dum patet aditus: excutite sarcinas omnes, ut vos capiat angustus ingressus. *Nam illud affirmo vobis: Erunt complures olim qui cupient intrare, nec licebit*, videlicet occluso jam aditu. *Quum enim intraverit paterfamilias, & clauserit ostium*, quod nunc patet omnibus adnitentibus: *tum* sero resipiscentes agnoscetis errorem vestrum, & invidentes his qui sunt ingressi, *incipietis obsidere ostium, ac pulsare fores, dicentes: Domine aperi nobis.* Tunc ille, qui prius non est auditus invitans ad ingressum, viciſſim non audiet vos, sed *respondebit* hunc in modum: Audio nomen Domini, sed *ego vos non agnosco* famulos, quærite eum cui servistis?

26 *Tunc vos incipietis dicere:* Quî fit Domine, ut nunc non agnoscas nos? Apud nos natus es, *edimus ac bibimus tecum, & in plateis nostris docuisti.* Et sumus tui discipuli, atque etiam in tuo nomine sanavimus ægrotos, & dæmonia ejecimus.

27 Hic respondebit paterfamilias: Ista, quæ commemoratis, non efficiunt mihi germanos discipulos. Qui meis vestigiis ingressus fuerit, hunc ego pro meo agnoscam. *Vos cujates sitis nescio. Discedite à me*, nihil vobis proderit, novisse Legem, audisse me, nihil gentis cognatio, aut consuetudinis familiaritas, nihil edita in nomine meo miracula. Quisquis invidet, aut odit fratrem, quisquis suæ gloriæ consulit cum injuria gloriæ Dei, quisquis pecuniam anteponit caritati proximi, hic quacunque de gente venit, meus non est. Abite igitur, recepturi vobis dignum præmium ab eo, quem coluistis. Famuli mei quoniam mecum, & mea causa passi sunt, mecum æterni convivii jucunditate fruentur.

28 Vos, qui seculi voluptates præposuistis æternæ felicitati, illuc abite, ubi erit fletus & stridor dentium. Augebit enim calamitatem vestram aliorum conspecta felicitas, quos hîc fueratis persequuti. Videbitis enim progenitores vestros Abraham, Isaac, &

20 *Et iterum dixit: Cui simile æstimabo regnum Dei?*

21 *Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum.*

22 *Et ibat per civitates & castella, docens, & iter faciens in Ierusalem.*

23 *Ait autem illi quidam: Domine, si pauci sunt, qui salvantur? Ipse autem dixit ad illos:*

24 *Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.*

25 *Cum autem intraverit paterfamilias, & clauserit ostium, incipietis foris stare, & pulsare ostium, dicentes: Domine, aperi nobis: & respondens dicet vobis: Nescio vos unde sitis:*

26 *Tunc incipietis dicere: Manducavimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti,*

27 *Et dicet vobis. Nescio vos unde sitis: discedite à me omnes operarii iniquitatis.*

28 *Ibi erit fletus, & stridor dentium: cum videritis Abraham, & Isaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.*

Digitized by Google

& Jacob, ac Prophetas omnes, quos veſtri majores vel afflixerunt, vel occiderunt, accumbentes in regno Dei, ac vos ab his prognatos expelli foras, neque quicquam vobis prodeſſe generis & cognationis prærogativam: nihil profuiſſe Legis obſervationem, nihil audiſſe nos, nihil edidiſſe miracula. Per fidem intrandum erat ad hanc felicitatem.

29 *Et venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Auſtro, & accumbent in regno Dei.*

29 Accédet & aliud, quod acrius etiam uret animos veſtros. Vobis repulſis, qui credebatis vos ſolos recipiendos, venient ex omni totius orbis natione, ex omnibus mundi plagis, promiſcue nulloque delectu, quibus nihil fuit cognationis cum Abraham, Iſaac & Jacob, nulla notitia Legis, nulla mecum familiaritas, & ſubito per fidem adoptati in filios Abrahæ, accumbent in regno Dei.

30 *Et ecce ſunt noviſſimi qui erunt primi, & ſunt primi qui erunt noviſſimi.*

30 Ita res præter exſpectationem veſtram in diverſum vertetur. Qui videbantur proximi ſaluti, procul à ſalute rejicientur. Et qui veſtro judicio habebantur alieniſſimi à Deo, idololatræ, centuriones, publicani, milites, meretrices, primum honorem habebunt in regno Dei.

31 *In ipſa die acceſſerunt quidam Phariſæorum, dicentes illi: Exi, & vade hinc: quia Herodes vult te occidere.*

31 Quoniam autem hæc inviſa Judæorum auribus, paſſim magna cum libertate docebat Jeſus, *Phariſæi quidam*, ut injecto metu obturarent os Euangelicum, *adierunt Jeſum, dicentes illi: Conſule vitæ tuæ, & relinque Galilæam. Nam Herodes*, hujus Provinciæ Rex, tibi male vult, & *venatur occaſionem occidendi te.* Quod ni caveris, nihilo mitius tractabit te, quam tractavit Joannem.

32 *Et ait illis: Ite, & dicite vulpi illi: Ecce ejicio dæmonia, & ſanitates perficio hodie & cras, & tertia die conſummor.*

32 Jeſus autem declarans ſibi nihil eſſe periculi à quoquam homine, niſi vellet ipſe, nec ſe moriturum, niſi eo tempore quo decretum eſſet, nec alio genere mortis, nec alio loco, quam conſtitutum eſſet, ait illis: *Ite & dicite vulpi illi*, qui verſutia humana credit ſe aliquid poſſe adverſus conſilium Dei: Ecce non eſt humanum quod gero, nec licet deſinere ante tempus à Deo præſcriptum. Nihil Herodi juris in hoc negotio. Quemadmodum enim illius auctoritas nemini poteſt præſtare, ut hæc agat: ita neminem poteſt impedire, ne quod agit, peragat. Cur autem impediat, ſi bona ſunt quæ facio? *Ejicio dæmonia, & propello morbos.* Hæc gratis operor, non diu facturus. Breve tempus eſt, quod multi cuperent eſſe longius, ſed ita mihi Patrique meo decretum, ut ad ſalutem hominum hæc agam *hodie & cras, & tertio die ſummam manum meis factis impono.*

33 *Verumtamen oportet me hodie & cras & ſequenti die ambulare: quia non capit prophetam perire extra Jeruſalem.*

33 Non oportet igitur hoc exiguo tempore ab officio delegato ceſſare, ſed tanto majore conatu, quod delegatum eſt agere, quo ſpatium eſt brevius. Non igitur mihi fugiendus eſt Herodes, ſed petenda eſt Hieroſolyma, ubi mori decretum eſt, ut palam fiat omnibus civitatis illius impietas, quæ ſe nomine religionis jactat. Siquidem illa eſt vetus illa Prophetarum interfectrix: *Neque convenit ut Propheta quiſquam pereat extra Hieroſolymam.*

34 *Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum ſuum ſub pennis, & nolmiſti?*

34 Atque interim miſericors Dominus, qui pro ſua bonitate cupiebat omnes ſalvos fieri, prævidens imminere inſanabili civitati ſupremum excidium, deplorat illam, quæ toties ſpreta Dei bonitate, ad meliora vocantis, meruit extremam ultionem: *O Hieroſolyma, Hieroſolyma, illa vetus interfectrix Prophetarum, ac lapidatrix eorum qui mittuntur ad te, quoties conatus ſum congregare filios tuos*, mihique adjungere, *non ſecus atque gallina congregat pullos ſuos ſub alas ſuas* ne pereant. Tua vero pertinacia vicit meam bonitatem. Et quaſi devota exitio, ſic omnia reſpuis, per quæ poſſis ſanari.

35 *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat cum dicetis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.*

35 Proinde quando tu nullum impietatis modum facis, imminet tibi ſæva calamitas. *Relinquetur enim vobis domus veſtra deſerta*, ſic ut vix ullum veſtigium ſuperfuturum ſit iſtius urbis, quæ nunc ſe jactat ut religionis caput. Transferetur à vobis omnis gloria, ac demigrabit ad gentes. Ipſi feretis ſententiam adverſus vos. Occidetis quidem me, ſed *illud affirmo, non prius videbitis me, quam dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.* Hæc erit veſtra profeſſio, quam veritas à vobis extorquebit: ſed tamen mox reverſi ad ingenium progenitorum veſtrorum, occidetis quem prædicaſtis.

CAP. XIV.

Obſtat Sabbato hydrops: ſedeas ita: cœna parata eſt: Non peragens turrim bellave: Salque malus.

1 *Et factum eſt cum intraret Jeſus in domum cujuſdam Principis Phariſæorum ſabbato manducare panem, & ipſi obſervabant eum.*

1 Accidit autem poſt, ut invitatus ad convivium à quodam inter Phariſæos primario, adiret domum illius, ac cibum caperet apud eum. Erat autem dies Sabbati. Accumbebant vero ſimul & alii multi Phariſæi, qui more ſuo obſervabant Jeſum, ſi quid diceret, faceretve, quod in eo calumniarentur. Et ecce parata calumniæ occaſio.

2 *Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.*

2 Aderat enim illic homo quidam hydropi obnoxius, malo fere immedicabili, colore lurido, corpore turgido. Sed huic miſero profuit veniſſe in conſpectum Jeſu. Infelix enim peccator, qui ſe ſubducit ab ejus conſpectu, qui cupit omnes fieri ſalvos.

3 *Et reſpondens Jeſus dixit ad Legiſperitos, & Phariſæos, dicens: Si licet ſabbato curare?*

3 Jeſus autem non ignarus, quid apud ſe cogitarent Phariſæi, ac Legis periti, rogabat eos an Sabbato fas eſſet conferre ſanitatem homini perituro.

4 *At illi tacuerunt. Ipſe vero apprehenſum ſanavit eum, ac dimiſit.*

4 Illi quum obticuiſſent, Jeſus accerſit hydropicum ad ſe, & contactu ſuo ſanavit eum, ac juſſit abire. Illico mutatus eſt homini color, ſubſedit corporis tumor. Hoc factum quum eſſet admirabile, tamen Phariſæos offendebat violata Sabbati religio.

5 *Et reſpondens ad illos dixit: Cujus veſtrum aſinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die ſabbati?*

5 Jeſus autem oſtendens, illorum religionem eſſe præpoſteram, qui in ſalute hominis offenderentur, in aſino ſervato non offenderentur: reſpondit illorum tacitis cogitationibus, ac dixit: Si cujuſquam veſtrum Aſinus, aut Bos decidiſſet in puteum die Sabbati, utrum exſpectaret donec præteriiſſet Sabbatum: an potius nihil moratus, ſtatim eodem die extraheret jumentum ſuum ne periret? Si tantum apud vos valet Bovis, aut Aſini ſalus, ut non putetis violari Sabbatum, cur offenditur animus veſter, quod hunc hominem, cui præſens erat periculum ab aquis intercutibus, ſervaverim die Sabbati? Si opus expenditur, plus eſt operis in extrahendo jumento, quam in hoc homine ſervando. Vidi, contigi, ac dimiſi. Si perſonam æſtimatis, potior eſſe vobis debet unius hominis ſalus, quam plurimorum boum aut aſinorum.

6 *Et non poterant ad hæc reſpondere illi.*

6 Ad hunc ſermonem obticuere Phariſæi, quorum animi ſic erant corrupti depravatique, ut quum non haberent quod dilucidæ veritati reſponderent, tamen approbare non poſſent quod à Jeſu fieri videbant. Quod ſi quid ipſi ejuſmodi facere potuiſſent, omnibus tubis ebuccinaſſent gloriam ſuam.

7 *Dicebat autem & ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos:*

7 Cæterum quoniam Dominus Jeſus omnium factorum ſuorum gloriam volebat eſſe penes Patrem Deum, Phariſæorum fucatam ſanctimoniam ubique detegebat, qui nimium diu impoſuiſſent ſimplici populo. Venabantur enim gloriam ſuam apud homines, & ideo invidebant gloriæ Dei. Atque hic erat verus hydrops animi, naſcens ex corrupto judicio mentis, veluti ex hepate vitiato. Collocantes enim gloriam in his rebus, in quibus non erat gloriandum, tumebant foris inani faſtu, intus inteſtinis omnibus miſere corruptis ac putrefactis. Proinde Dominus, qui contactu ſanarat hydropicum, cupit & horum morbo, ſalutiferi ſermonis mederi pharmaco. Quicquid enim agebant Phariſæi, ad faſtum & inanem oſtentationem agebant. Obambulabant in phylacteriis, orabant in triviis, dabant eleemoſynam præcinente tuba, jejunabant arte obſcurata facie, in foro venabantur magnificas ſalutationes, in conviviis captabant honoratiores accubitus. Tanta erat ſitis ſtultiſſimæ gloriæ, tantus erat tumor, ſed intus nihil erat ſincerum. At facile ſanatus eſt ille, qui aqua intercute laborabat, quia morbum agnoſcebat, & ſanari deſiderabat. Morbus animi ſanari non poteſt,

Digitized by Google

si non agnoscas. Jesus itaque taxare voluit fastum illorum, quos princeps ille Pharisæorum non ad hospitalitatem, sed ad ostentationem invitarat, quod vocati ad convivia, ambirent locum honoratiorem, sibi placentes, si sella contigisset honestior: tristes, si locus cessisset inhonoratior. Quales videmus adhuc esse ferme solennes Rabinorum pompas, quoties à Synagoga proceditur ad convivium. In Synagoga sedent in sublimi, cæteros velut ex alto despectantes: citius cubito deturbaturi proximum, quam cuiquam cessuri locum suum. Viator ingredientibus viam facit subinde repetito honorifico titulo: offenduntur, si quis non assurgat prætereuntibus, si quis caput non aperiat, si quis ausit considere, priusquam ingrediens ille consederit. His interim ineptis ceremoniis teritur tempus, ut non vacet aliquid discere. Nec enim illi Rabini in hoc veniunt, ut discant, aut doceant, sed ut apud populum venentur gloriam. Magna pompa veniunt, sed majore egrediuntur. Diceres ludos agi solennes, aut divitis funus incedere. Hic rursus de loco certamen. Nemo non gravem injuriam factam existimat, si lævum claudat latus ei, qui videtur inferior. Rursus in convivio mira de loco contentio. Quid multis? Hydrops est quicquid agunt, inanis gloriæ venatus est; quum interim apud populum pro Diis haberi velint.

8 Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo:

9 Et veniens is, qui te & illum vocavit, dicat tibi: Da huic locum: & tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere.

8 Jesus igitur cupiens hujusmodi morbo laborantes docere, non esse veram gloriam quæ ambitur, sed quæ quum promerearis, vitatur, proposuit hujusmodi parabolam, civiliter ita tangens uniuscujusque conscientiam, ut neminem tamen proderet: *Quum fueris*, inquit, *invitatus ad nuptiale convivium, cave ne ipse primum occupes locum, ne forte posteaquam tu accubueris, superveniat alius te honoratior:*

9 *Jamque veniens is, qui & te & illum invitavit, jubeat te surgere, ac locum cedere honoratiori. Tum* pro captata gloria lucrifacies ignominiam, & *cogeris cum rubore tenere locum extremum.*

10 Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco: ut, cum venerit qui te invitavit, dicat tibi: Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus:

10 *Quin potius quum vocatus fueris ad honorabile convivium, sume tibi locum accubitus postremum, ut quum venerit convivator, dicat tibi: Amice adscende ad locum honoratiorem. Tunc tua modestia cedet tibi in gloriam apud convivas reliquos.* Modestiam tuam agnoscent ex eo, quod tibi postremum locum delegeris, dignitatem agnoscent ex convivatore.

11 Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

11 Sic est in hominis vita: Quo quisque major est, hoc se magis debet dejicere, donec veniat ille, qui vera perpetuaque gloria subvehit humiles juxta mundum, & elatos ac sublimes dejicit. Sic in regno Dei, populus receptus est usque ad Apostolicæ dignitatis fastigium, Sacerdotes, Pharisæi, Scribæ & Legisperiti rejecti sunt. Gentes, agnoscentes humilitatem suam, erecti * sunt ad æternæ gloriæ consortium. Judæi, qui soli regnare volebant in hoc convivio, nunc aut nullum habent locum, aut habent postremum. Atque hæc quidem parabola pertinebat ad superbos Pharisæos.

12 Dicebat autem & ei, qui se invitaverat: Cum facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites: ne forte te & ipsi reinvitent, & fiat tibi retributio.

12 Adjecit Dominus alteram, quæ peculiariter pertinebat ad Pharisæorum principem. Divites enim dum volunt hospitales videri, non vocant quos reficiant, sed eos à quibus vicissim invitentur, aut unde gloriam aucupentur sibi. Atque hæc quidem non est hospitalitas, sed ambitio, vel avaritia, vel utrumque. Liberalitas enim est, quæ libenter cuivis præstat beneficium sine spe redituræ gratiæ. Parabola sic habet: Si vis bene collocare convivium tuum, *si quando est tibi animus exhibere prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos*, qui tua liberalitate non egeant, aut qui bene de te meriti sint, ne vel referre gratiam, vel captare beneficium videaris, vel pudore vocare, ne videaris ingratus: *neque fratres tuos aut vicinos*, ne beneficium cognationi datum videatur, non affectui: *neque vicinos divites*, ne tibi pereat exhibiti convivii gratia. Peribit autem, si illi te vi-

* Alia Editio, *evecti.*

A cissim invitent, & convivium aut æquale aut lautius etiam exhibeatur.

13 Sed cum facis convivium; voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos:

13 Sic enim pensato beneficio, nihil debebunt gratiæ: sed si cupis bene collocare convivium, unde tibi redeat amplissima merces, non ab hominibus, sed à Deo, voca pauperes, debiles, cæcos, & claudos. In his refocillandis Deum refice.

14 Et beatus eris; quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.

14 Dices: in his opera & impensa perierit. Non enim habent, quod rependant, & semper egent. Hoc ipso beatus eris, quia non habent quod referant. Sed habent opulentissimum patronum, qui sibi patietur imputari, quod in illos collatum fuerit. Is restituet pro temporariis æterna. Noli præpropere B poscere mercedem. Bonæ fidei est cui credis. Restituet enim haud dubie, si non in hac vita, quanquam hîc quoque restituet, certe in resurrectione justorum. Hæc autem Domini parabola, non solum pertinebat ad pauperes convivio reficiendos, sed ad sublevandam omnem proximi necessitatem, sive docendus est, sive monendus, sive consolandus, sive alio quocunque caritatis officio promovendus ad salutem. Hæc autem Deo sunt præstanda, non homini.

15 Hæc cum audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi: Beatus, qui manducabit panem in regno Dei.

15 Hæc quum dixisset Jesus de convivio nuptiali, deque resurrectione justorum: *quidam è convivis*, veluti per somnium tactus desiderio cœlestis illius convivii, *dixit: Beatus cui continget edere panem in re-* C *gno Dei:* veluti subindicans paucos fore, quibus cessura sit ea felicitas, quasique non quilibet ad illud convivium sint admittendi, sed duntaxat Judæi, aut Judæorum primores.

16 At ipse dixit ei: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos.

16 Jesus autem, proposita parabola, docuit primo quidem loco vocatos Judæos, ne queri possent sese spretos esse: sed dum ipsi dediti rebus mundanis vocati recusant venire, pluris habentes peritura bona, quam vitam æternam, vocandas esse omnes promiscue nationes, ut impleretur Ecclesiæ cœtus. Parabola erat hujusmodi: *Homo quidam prædives constituerat exhibere cœnam magnificam. Ad eam vocarat complures.*

17 Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia.

17 *Quumque jam instaret cœnæ tempus, misit servum* D *suum, qui nuntiaret omnibus invitatis jam instare cœnæ tempus, properarent.* Invitarat olim per Prophetas, denuntiat rursus per Joannem, ac Filium hominis: *Venite*, inquit, *jam enim parata sunt omnia.*

18 Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam: rogo te habe me excusatum.

18 Hîc cum frui liceret exspectata diu cœna, cœperunt simul omnes excusare, alius alio prætextu. Primus enim intentus augendæ rei domesticæ, ac prius habens lucrum terrenæ possessionis, quam æternæ felicitatis, respondit urgenti famulo: *Prædium mercatus sum in agro, & necesse est eo proficisci, ut* E *invisam quod emi. Rogo te, habeat me dominus tuus excusatum.*

19 Et alter dixit: Juga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te habe me excusatum.

19 Itum est ad alterum. Ille simili morbo laborans, respondit: *Juga boum emi quinque. Eundum est igitur, ut ea probem*, an feliciter emerim. *Rogo te, effice ut dominus tuus habeat me excusatum:* liberet enim venire, si liceret.

20 Et alius dixit: Uxorem duxi, & ideo non possum venire.

20 Itum est ad tertium. Et is excusavit, dicens: *Uxorem duxi*, & scis quam sit res operosa, quot curas secum trahat, *& idcirco*, si maxime velim, *non licet nunc venire.*

21 Et reversus servus nuntiavit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit servo suo: Exi cito in plateas & vicos civitatis: & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.

21 His atque aliis prætextibus quum sese excusassent omnes, *servus reversus renuntiavit domino suo. Ibi dominus indignans*, quod ultro vocati ad tam ho- F norabile tamque felix convivium, ob res frivolas excusarent omnes, quo magis urerentur in posterum, simulatque intellexissent, & quantam rem sprevissent, & qui nunc in spretæ felicitatis societatem succesissent, *dixit servo* invitatori: *Abi celeriter in omnes plateas & vicos hujus civitatis, & quoscunque habueris obvios, debiles, cæcos, & claudos, adducito ad convivium meum.* Illos honoris gratia primos vocavi, non habent quod querantur. Illorum fastidium non perdet convivium meum. Erunt qui fruantur, etiamsi illi contemnant oblatum honorem. Effi-

Digitized by Google

ciam, ut qui sibi videntur magni, cæcis, debilibus, claudis, & omnium abjectissimis hominibus invideant.

22 Et ait servus: Domine, factum est ut imperasti, & adhuc locus est.

22 Rediit servus, & peractis quæ mandarat paterfamilias, ait illi: Domine, adduxi quoslibet, etiam è mediis viis, & tamen adhuc aliqua pars tui convivii vacabit. Nam apparasti copiosissimum, & innumerabilium convivarum capax.

23 Et ait dominus servo: Exi in vias, & sepes: & compelle intrare, ut impleatur domus mea.

23 Dominus autem cupiens, apparatum convivium quam plurimis esse usui, dicit servo: Abi rursum, abi vel extra civitatem in vias ac sepes, & undecunque collige mendicos, hospites vel ignotissimos: qui si graventur venire, vel improbitate compelle ut veniant ad me, & tandem impleatur domus mea.

24 Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.

24 Illud autem affirmo vobis, quod nemo virorum illorum, quibus id honoris habitum est, ut primi vocarentur, & fastidierunt, gustabit cœnam meam. Fortasse pœnitebit illos olim, quum viderint lautitias, ac splendorem convivii, & invidebunt his, quibus ipsorum fastidium locum fecit. Sed frustra tum cupient ingredi, qui, cum liceret, excusarunt.

25 Ibant autem turbæ multæ cum eo: & conversus dixit ad illos:

25 Hæc loquutus Jesus in convivio Pharisæorum, perrexit ire Hierosolymam. Comitabatur autem illum ingens hominum multitudo. Sequebantur multi pedibus, qui vitæ exemplo sequi non potuissent. Ibat enim ad crucem, ad quam oportet esse paratum, quisquis vult illius esse discipulus. Conversus igitur ad sequentes se, dixit: Non omnis qui me sequitur pedibus corporis, vere meus est discipulus.

26 Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.

26 Nemo se mihi jungat, nisi paratus ad eadem, ad quæ ego propero. Omnibus humanis affectibus renunciet oportet, qui volet perpetuus meus esse discipulus. *Etenim si quis venit ad me, nec adhuc odit patrem & matrem suam, uxorem, filios, fratres & sorores, quin insuper & suam ipsius vitam, non potest meus esse discipulus.*

27 Et qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.

27 Et qui gravatur bajulare crucem suam, atque ita sequi me, non potest meus esse discipulus. Alioqui si quis ad me veniat, obnoxius humanis affectibus divitiarum, honorum, voluptatum, parentum, cognatorum, affinium, cupiditati vitæ, formidini mortis, ad objectam occasionem resiliet ab instituto.

28 Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum;

28 Proinde priusquam aggrediare negotium nequaquam delicatum, animum præpara ad omnia dura, quæ sint perpetienda. Alioqui tolerabilius est non aggressum esse, quam ab eo, quod cœperis, deficere. Saltem hîc ea providentia præstanda est, quam homines præstant in rebus multo levioribus. *Quis enim* est *ex vobis* tam improvidus, ut *in animo habens ædificare turrim*, statim ac temere aggrediatur quod cogitat? *Non* enim solum cogitat, habebo turrim, sed antequam jaciat fundamenta, *sedens per otium supputat apud se, quantis impendiis sit opus futurum ad turrim absolvendam.*

29 Ne, posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei,

29 Quod si deprehenderit rem familiarem angustiorem esse, quam ut sumtum necessarium ferre possit, abstinet: *ne si semel jacto fundamento, postea desiterit*, eo quod perficere non possit, *omnes qui* prætereuntes *conspexerint* opus cœptum & intermissum, *incipiant ei illudere, dicentes:*

30 Dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare?

30 *Hic homo cœpit ædificare, quod non potuit consummare.* Itaque si tantum habet momenti pudor apud homines, ut nemo ausit ædificium incipere, nisi consultis facultatibus domesticis: quanto magis oportet expendere robur animi vestri, priusquam profiteamini vos fore sectatores meos: à quo si semel cœperitis resilire, gravis sit ignominia apud Angelos Dei. Non est delicata res, sequi me. Nec satis est magnifice dicere, nisi robur adsit par negotio?

31 Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum

31 *Quis autem Rex* tam incogitans est, ut *si paret expeditionem adversus alium Regem, non* antea quam quicquam moliatur, per otium *sedens expendat* vires regni sui, *an expediat occurrere hosti venienti adversum se cum viginti millibus hominum, cum manu decem millium.*

decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se?

32 Quod si comperit † sibi vires esse impares ad conflictum, prius quam ille propius admoveat exercitum, mittit ad illum Oratores, qui tractent de conditionibus pacis. Nam id sane tolerabilius est, quam experiri Martis aleam imparibus præsidiis. Honestius est enim ante prælium commissum agere de rebus componendis, quam post cladem acceptam, inhonestioribus etiam legibus accipere pacem. Quod si homines in rebus hujusmodi subducere norunt, quid præstare possint priusquam incipiant: quanto magis oportet idem facere in hoc negotio, quo non est aliud majus aut fortius?

32 Alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt.

33 Quisquis igitur est ex vobis qui sequitur me, nec affectu renuntiavit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Oportet aut ingenuum esse discipulum, aut nullum. Nihil enim abjectius eo, qui à suscepta professione perfectionis Euangelicæ, victus cupiditatibus carnis resiliit.

33 Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

34 Oportet autem discipulum meum esse similem sali. Sal si vigorem habeat, valet servandis & condiendis omnibus cibis. Quod si semel sal esse desierit, & vis illa nativa evanuerit, ita ut ipsi sali sale sit opus, nulla ratione potest effici, ut ad ullum valeat usum. Nec enim condire potest aliquid, nec ab alio sale condiri.

34 Bonum est sal. Si autem sal evanuerit, in quo condietur?

35 Cæteræ res, etiamsi corrumpantur, tamen aliquem de se præbent usum; veluti vinum ubi vapuerit, vertitur in acetum: sal vero magnæ quidem rei, sed uni natus, si factus fuerit insipidus, nulli hominum usui accommodus est, adeo ut ne in sterquilinium quidem sit utilis, quo conjiciuntur etiam ea, quæ sunt corruptissima. Adfert enim sterilitatem admixtus lætamini*, & adeo nullam adfert usquam utilitatem, ut lædat etiam, quicquid attigerit. Hoc sermone Dominus Jesus admonuit quorundam temeritatem, qui volebant videri discipuli Christi, quum non ignoraret, etiam eos, quos ex omnibus paucos selegerat, ad crucis horrorem defecturos esse. Sed ut hic sermo infigeretur animis eorum, in posterum intelligendus, adjecit: Audiat hæc, cui sunt aures talium rerum capaces. Non enim quorumlibet aures hujusmodi dicta ferre possunt.

35 Neque in terram, neque in sterquilinium utile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat.

CAP. XV.

Perdita ovis rediit: scrutatur fœmina drachmam: Et siliquis vesci cogit amara fames.

1 Erant autem appropinquantes ei publicani, & peccatores, ut audirent illum.

1 CUM autem confluerent ad Jesum universa populi multitudo, nec ille quenquam submoveret aut fastidiret, ausi sunt etiam propius ad illum accedere publicani quidam, & peccatores: quod genus hominum Pharisæi vehementer abominari solent, ad ostentationem sanctimoniæ, quum certissimum sanctimoniæ signum sit, non fastidire peccatorem, sed adniti modis omnibus, ut resipiscat, & resipiscenti gratulari.

2 Et murmurabant Pharisæi & Scribæ dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.

2 Itaque Pharisæi, qui quum essent intus pleni fastu, livore, odio, avaritia, superbia, tamen sibi justi videbantur: videntes quod Jesus non gravate sui copiam faceret publicanis, cæterisque ob palam admissa infamibus, quod genus sunt lenones & meretrices, murmurant adversus illius clementiam, dicentes: Hic qui novam quandam sanctimoniam profitetur, tamen non vitat malorum consortia, sed notos etiam peccatores admittit ad colloquium: & adeo non fugit congressum, ut cibum etiam cum illis capiat, non cogitans quod malorum contubernio contaminentur boni.

3 Et ait ad illos parabolam istam, dicens:

3 Jesus autem ut hunc fastum inclementem penitus eximeret ex animis suorum, tres parabolas proposuit, diversis argumentis eodem adhortantes: nimirum ad summam clementiam erga peccatorem resipiscentem: qui non solum repellendus non est, quum redit ad mentem meliorem, verum etiam modis omnibus invitandus est, ut resipiscat.

4 Pri-

† Alia Editio, *comperit*. * Altera Editio, *stramini*.

Digitized by Google

4 Quis ex vobis homo, qui habet centum oves: & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam?

5 Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens:

6 Et veniens domum convocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat?

7 Dico vobis, quod ita gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia.

4 Prima parabola sic habet: Quam, inquit, Deus non averſetur peccatorem reſipiſcentem, ex ſuo quiſque animo conjectare poteſt. Eſt ne veſtrum quiſquam, cui ſint oves centum? Nimirum ſua cuique res cara eſt, nec cupit aliquid inde perire. Quid faciat autem, ſi è centum ovibus contingat unam aberrare? An non unius damno tantopere commovebitur, ut relictis nonaginta novem in deſerto, ſollicitus curſitet ad illam quæ periit, neque conquieſcat, donec invenerit?

5 Quid autem, ſi contingat invenire perditam oviculam? Nimirum gaudens imponet eam humeris ſuis, & gregi junget, lætior de una recepta, cui timuerat, quam de incolumitate totius gregis, cui non metuebat.

6 Tanta eſt autem gaudii magnitudo, ut ſeſe non contineat, quin & apud alios effundat. Nam domum veniens, perinde quaſi inſigni lucro auctus, convocat amicos & vicinos, dicens illis: Gratulemini mihi, meoque gaudio velut amici gaudeatis, quandoquidem decet inter amicos eſſe communia omnia, quoniam inveni ovem, quæ mihi perierat.

7 Si hic eſt affectus boni paſtoris erga gregem ſuum, quo affectu putatis eſſe Deum erga genus hominum, quod condidit, quod alit, quod in ſui nominis gloriam æternæ felicitati deſtinavit? An ille ſpreturus eſt peccatorem, quem à grege ſeduxit Satanas? An potius, ut eſt miſericors, & amans eorum quæ condidit, nihil non facturus eſt, ut perditum aſſerat? multoque cum gaudio recipiat pœnitentem, quem doluerat periſſe? Illud affirmo vobis, quod quemadmodum paſtor ille ob unicam oviculam receptam gaudet cum amicis & vicinis ſuis, *ita magis gaudium erit* omnibus Angelis *in cœlo de uno peccatore reſipiſcente, quam de nonaginta novem juſtis, quibus non eſt opus pœnitentia.* Hæc imago peculiariter quidem deſignabat Dominum Jeſum, qui ſolus eſt ille paſtor ſumme bonus, qui collapſum genus humanum Patri reconciliavit: de ſuo dependens, quod nos commeruimus, noſtraque peccata bajulans in corpore ſuo. Quanquam autem nullam reperit nationem, quæ non eſſet multis peccatis obnoxia, tamen Judæi, ad cæteras gentes collati, videbantur habere ſpeciem juſtitiæ, quod Deum unum colerent, quod Legem à Deo traditam obſervarent. Et erant inter Judæos, qui præceptorum legalium tenaciores, ſibi videbantur non egere pœnitentia. Sed horum juſtitia minus attulit gaudii pio paſtori, quam gentes à maximis ac manifeſtis criminibus reſipiſcentes, ab idololatriis, ab adulteriis, à libidinibus prodigioſis. Et inter Judæos magis illuſtravit Dei miſericordiam Paulus, ex perſequutore factus Apoſtolus, quam ſi Chriſtum tacitus cum ſuo Judaiſmo miſcuiſſet: quod à multis tum factum eſt. Pertinet autem parabola generaliter ad Apoſtolos, & Apoſtolorum ſucceſſores Epiſcopos. Nam hos oportet Chriſti Principis affectum erga gregem ipſius repræſentare, ſi tamen mercenarii paſtores non ſunt. Fit enim frequenter, ut qui ab enormibus ac manifeſtis peccatis convertuntur ad veram pietatem, ſtudio pietatis longe præcurrant eos, qui nunquam in ejuſmodi flagitia prolapſi fuerunt. Hos non faſtidiet Euangelicus paſtor, ſed omnia tentabit, donec ad Eccleſiæ caulas reduxerit. Reſipiſcentes multo publicoque gaudio recipiet. Obmurmurent Phariſæi, qui fucata juſtitia freti, non intelligunt, quanto gratior ſit Deo miſericordia, quam ſacrificium. Qui vere juſti ſunt, qui amici boni Paſtoris, majore gaudio gratulabuntur receptæ ovi, quam multis in ſua frigida juſtitia confidentibus. Non enim imputant priſtinos errores, quos ſemel gratis condonavit & oblitus eſt Deus, ſed applaudunt ad novæ vitæ ſtudium recurrenti. Redire non poterat, niſi paſtor humeris ſuis revexiſſet, atque ideo ſanctorum chorus applaudit bonitati divinæ, non invidens alteri, quod in ſe quiſque expertus eſt: & omnium commune ducens, quod unicuipiam membro contigerit, ſeu boni, ſeu mali. Æquum autem eſt, eſſe totius Eccleſiæ communem lætitiam, quum mœror & ſollicitudo fuerit omnium communis. Hæc igitur erat prima parabola, qua Dominus taxat Phariſaicam & arrogantem juſtitiam, quæ peccatores tantum oderat, ac vitabat: quum veræ pietatis ſit omnium procurare ſalutem, peccantes ſumma cum manſuetudine revocare ad meliora, reſipiſcentes ſummo cum affectu caritatis recipere. Hac clementia ſi Chriſtus, qui ſolus peccatum non novit, uſus eſt, quanto magis decet hominem, & ipſum peccatis obnoxium, idem facere erga proximum ſuum.

8 Aut quæ mulier habens drachmas decem: ſi perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter, donec inveniat?

9 Et cum invenerit, convocat amicas & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram?

10 Ita, dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.

11 Ait autem: Homo quidam habuit duos filios:

12 Et dixit adoleſcentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me contingit. Et divisit illis ſubſtantiam.

13 Et non poſt multos dies, congregatis omnibus, adoleſcentior filius peregre profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſe.

8 Altera parabola ſic habet: *Quæ*, inquit, *eſt* inter vos *mulier, cui ſi ex decem drachmis una perierit*, negligat damnum unius nummi, quum novem ſint incolumes? Quid igitur faciet? Nimirum accendet lucernam, everret totam domum, ſcrutabitur omnes angulos, nihil non movebit loco: breviter, non faciet quærendi finem, donec inveniat drachmam perditam.

9 Quod ſi contingat invenire, tantum eſt de una recepta gaudium, ut ſibi non temperet, quin & apud amicas ſuas ac vicinas effundat, quibus convocatis dicet: *Gratulemini mihi, quod invenerim drachmam, quæ mihi perierat.* Non jactat novem drachmas, quæ non perierant: de una recepta gloriatur, & hac una ſibi videtur locupletior, quam novem illis.

10 Si mulier ſic eſt affecta erga nummos ſuos, ut doleat quicquam perire, & ut vehementer gaudeat, receptum eſſe quicquid periit, quamvis puſillum: quanto magis Deus nihil volet perire ex hominibus, pro quibus ſervandis ſeipſum impendit, quos ad imaginem ſuam condidit?

11 Tertiam parabolam adjecit, quæ quanquam & ipſa generaliter pertinet ad omnem peccatorem, poſt ingentia flagitia reſipiſcentem, tamen pro temporis illius, quo dicta eſt, ratione, peculiarius notat gentes, ad Euangelii gratiam receptas, & Judæos, qui ſibi juſti videbantur, illorum invidentes felicitati.

12 Parabola ſic habet: *Homo quidam*, inquit, *habuit duos filios, ex his qui minor erat natu*, adoleſcentiam ac ſtultitiam in conſilium adhibens, *adiit patrem, & ait illi: Pater da mihi portionem facultatum, quæ redit ad me:* experiar enim meo more, quid ex hoc lucri facere poſſim. *Pater* indulgens, *partitus eſt inter duos filios ſubſtantiam*, & unicuique data eſt ſua portio cum facultate utendi ut vellet, non tamen ſine ſpe profectus.

13 Ac major quidem haud longe ſejunctus eſt à domo paterna. *Minor* vero *intra dies paucos* divenditis omnibus, *contracta præſente pecunia, peregre profectus eſt in regionem longinquam.* Quid faceret adoleſcens & ſui juris, & ſemotus à patre, & vivens peregre? Divortium facit cum benigniſſimo Patre Deo, qui ſe facit advenam mundi. Non eſt iſta locorum ſejunctio, ſed affectuum. Corrumpunt mores bonos colloquia prava. Judaicus populus Legem acceperat, cujus ductu ſciret quid eſſet ſequendum, quid fugiendum. Habuit & gentium populus dotes ſuas, vim ingenii, cognitionem rerum conditarum, ex quibus licuiſſet cognoſcere conditorem, ſicut & cognoverunt. Quin & de ratione recte vivendi libros abſolutos ediderunt, ſed immemores, quod has ipſas opes deberent Patris benignitati: quas ille non in hoc indulſit, ut ſtulte abuterentur, verum ut ex his parentem beneficum colerent, ſuoque cultu ad largiorem munificentiam provocarent. Quantum autem aberrarant à Deo, qui ligna, lapides, qui canes, boves, ſimias, ſerpentes, cepas, & porrum colebant pro Diis? qui in eas turpitudines prolapſi ſunt, à quibus bruta quoque animantia ſemovet naturæ ſenſus? Infelix autem libertas, quam patris præſentia non moderatur.

Digitized by Google

14 Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere.

14 Quid enim accidit juveni emancipato? Inter peregrinos prodegit omnem substantiam, non ipsius qui nihil habebat suum, sed patris. Prodegit autem per luxum, alea, scortis, conviviis. Luxus enim est, quicquid extra necessitatem, carnis cupiditatibus impenditur. Hæ nimirum corrumpunt, ac vitiant, quamvis præclaras naturæ dotes. Ubi vero profudisset universam substantiam suam, per omnia morem gerens animo suo, orta est fames ingens in ea regione, in qua juvenis peregrinabatur. Nihil enim habet hic mundus, quod explere possit animum hominis præter summum illud bonum, quod non est nisi in domo patris.

15 Et abiit, & adhæsit uni civium regionis illius. Et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos.

15 Quid faceret adolescens peregrinus inter ignotos, nudus & fame periclitans? Cui grave fuerat obtemperare jussis clementissimi patris, coactus est se dare in servitutem civi peregrino & barbaro. Quum recusant homines accipere suave jugum Domini, coguntur ferre durissimum jugum Satanæ. Vis autem audire, quam sit misera servitus, servire cupiditatibus mundanis? Civis ille misit illum in villam suam, ut illic pasceret porcos suos. A quanta dignitate, in quantam contumeliam sua stultitia devenerat miser adolescens. Ex ditissimæ domus hærede factus est servus & subulcus. Nec interim crudelis ille dominus dabat quod ederet.

16 Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat.

16 Quid multis? Tanta erat fames veritatis & gratiæ divinæ, quæ sola explet animum hominis, ut cuperet implere ventrem quibuslibet vel siliquis, quibus saginantur porci. Neque quisquam erat, qui vel hoc pabulum illi daret, ut jam infelicior esset ipsis porcis, quibus serviebat verius, quam imperabat. Jam illa ipsa naturæ bona destituerant juvenem. Perierat arbitrii qualiscunque libertas, & tamen corruptissimus animi stomachus aliquid cibi flagitabat. Omnis inanis mundi voluptas ad breve tempus deliniens, nec satians, nec saginans animum, porcorum siliquæ sunt. His delectantur Dæmones, ac sibi addictos inescant verius, quam satiant. Nec harum semper est parata copia: aut si est, multo felle dolorum vitiata est.

17 In se autem reversus, dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo!

17 Jam igitur erat ventum ad extremam calamitatem: sed felix calamitas, quæ compellit ad resipiscentiam. Siquidem hic primus ad salutem gradus, reminisci unde decideris, & agnoscere quo degeneraris. Atque hic erat patris attractus. Aberat ille quidem à patre, sed pater nusquam non adest. Antea juvenis mente captus erat, dementatus hujus mundi præstigiis: fugiens ea, quæ sola fuerant expetenda: expetens ea, quæ sola fuerant fugienda. Sed bene habet, quum peccator afflatu tacito benigni patris redit ad cor. *Juvenis igitur tandem reversus ad se, sic sibi loquutus est:* Unde quo veni miser? Ex patria in exsilium, ex opulenta domo in regionem famis, à libertate in servitutem, ab amantissimo patre ad crudelissimum dominum, à dignitate filii familias ad fœdissimam conditionem, à consortio fratris & famulorum ad porcos. *Quam multi sunt mercenarii in domo patris mei, quibus* ex patris benignitate *suppetit larga panis copia. Et ego* filius familias *fame hic pereo.* Mercenarii sunt plerique Judæi, qui præcepta Legis utcunque servant, non ex affectu pietatis, sed ob metum aut præmium rerum temporalium. Et tamen est aliquid apud patrem familias tam opulentum pariter & largum vel conductitium agere, nec divelli à domo felici. Fiet enim ex mercenario filius, si filii sumserit affectum. Sancta autem invidia est, quæ juvenem provocat ad spem veniæ.

18 Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in cælum, & coram te:

18 Posteaquam enim deploravit suam infelicitatem, in qua totus jacebat, incipit erigere se, dicens: *Surgam, & ibo ad patrem meum.* Qua tandem fiducia? An habes quo te purges illi? Usus es illo indulgentissimo, flagitasti tuam portionem. Non negavit. Ultro reliquisti amantem ac propitium, prodegisti turpiter substantiam paternam, non in hoc traditam. Calamitatem istam nulli potes imputare, nisi tibi ipsi. In defensione facti mei nullum est præsidium, una spes est: quoniam novi patrem esse vere patrem, natura clementem & exorabilem, fortasse aliquid pristinæ caritatis residet in illius pectore, etiamsi ego totum filium exui. Non elevabo, non negabo culpam admissam. Plus apud illum valebit simplex confessio, & animus sibi vere displicens, quam accurata purgatio. Quo simplicius odero meipsum, hoc facilius redaccendam illius in me caritatem: postremo in summa rerum desperatione, cui me potius committam, quam patri? Solus ille potest restituere collapsum: & si quisquam volet, ille volet. Non exspectabo, ut meum crimen, ut meam calamitatem ex aliis cognoscat, qui ultro provocent ad vindictam: placabilius erit, si rem, ut est, ipse narraro. Statuat ille quicquid volet. Pater est, illius sum: & in illum peccatum est, quicquid peccatum est. *Dicam illi: Pater peccavi* supra modum, & *coram Angelis Dei, & coram te:*

19 Jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis.

19 *Nec posthac me dignum judico, qui dicar filius tuus. Mihi satis erit, si* misertus mei, *habeas me eo loco, quo habes unumquemlibet è mercenariis tuis,* liceat modo hærere in aliqua parte familiæ tuæ. Nulla sane accommodatior oratio ad provocandam optimi patris misericordiam. Quo simplicius confitetur admissum, quod nec celari, nec excusari poterat, quo vehementius sibi displicet, quo magis sese dejicit, quo magis declarat sibi nullam esse spem, nisi in una patris clementia: hoc magis illius animum in leges pertrahit suas. Atque hanc orationis formam non ars suggessit juveni, sed conscientia sibi quidem tota displicens, sed tamen non omnino pessime sentiens de bonitate patris.

20 Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum.

20 Hac igitur concepta fiducia, surgit juvenis. Hic est, ut dixi, primus ad salutem gradus, erigi. Relegit totum iter lachrymans ac gemens, qui ferox & amens à patre discesserat. Habes imaginem hominis ab extremis malis resipiscentis. Nunc mihi divinæ clementiæ simulachrum intuere. Nondum juvenis pervenerat ad ædes paternas, quum procul etiam illum pater advenientem prospiceret, ut est oculata pietas. Prior vidit, qui tenerius amabat. Vidit autem miserabili specie redeuntem, qui ferox & insolens profugerat. Videbat pannosum, macie confectum, squalidum, gementem & lachrymantem. Hæc ipsa rerum species statim commovit paternum pectus, & justam iram flexit ad misericordiam. Procurrit obviam venienti, & non exspectatis filii precibus, pietate nativa victus irruit in collum filii, & osculatus est eum.

21 Dixitque ei filius: Pater, peccavi in cælum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.

21 Hæc tametsi essent argumenta propensi ad ignoscendum animi, tamen sibi etiamnum iratus juvenis ait: *Pater, peccavi* supra modum, *& coram Angelis Dei, & coram te:* & tamen audeo venire in conspectum tuum, quum indignus sim qui posthac nominer filius tuus, quandoquidem à me omnia pietatis jura rupta sunt. Hic mihi in homine, qui ex instinctu naturæ sic afficitur erga filium, Dei bonitatem intellige, qui multo clementior est erga peccantem hominem, si modo vere & ex animo resipiscat, sibique displiceat, quam quisquam pater esse possit erga filium, quem tenerrime diligit. Nondum omnia dixit filius quæ fuerat meditatus, singultu sermonem interrumpente. Plus autem loquebantur lachrymæ, quam oratio.

22 Dixit autem pater ad servos suos: Cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum

22 Quid autem interea pater? Num intonat sævis verbis? Num minitatur verbera? Num abdicationem? Num exprobrat suam in illum benignitatem? Num fugam? Num ingluviem, aliaque vitæ dedecora? Nihil horum meminit, tantum est gaudium de recepto filio. Juvenis abdicat sese, pater restituit: filius seipsum damnat, pater absolvit. Filius abjicit sese ad indignitatem mercenariorum, pater pristinam dignitatem restituit. *Versus enim ad famulos,*

Digitized by Google

ejus, & calceamenta in pedes ejus:

los, *ait: Cito depromite huic ſtolam priſtinam, & induite illum, & addite annulum in manum ejus, & induite calceamenta pedibus ejus.*

23 Et adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur:

23 *Quin & è paſcuis adducite vitulum illum inſignem & ſaginatum, & occidite. Apparemus convivium & gaudeamus:*

24 Quia hic filius meus mortuus erat, & revixit: perierat, & inventus eſt. Et cœperunt epulari.

24 *Quoniam hic filius meus mortuus fuerat, & revixit: perierat, & inventus eſt.* Tantum valet apud Deum animus vere reſipiſcens. Nullum exigitur ſupplicium, tantum reſipuiſſe ſatis eſt amanti patri. Qui ſe reddiderat indignum oculis paternis, hunc procul etiam adventantem conſpexit pater. Qui commeruerat perpetuo excludi ab ædibus paternis, ut quas turpiter ingratus ultro reliquerat, huic redeunti proceſſit obviam pater ipſe, qui neminem habet domi ſuæ clementiorem ſe. Qui ſeſe turpibus dominis dederat in ſervitutem, hunc pater amplexu ſuo dignatus eſt. Flagra commerito datur oſculum, caritatis & pacis argumentum. Felix autem ille peccator, quem Dominus ſuo amplexu ſuoque dignatur oſculo. Culpam confeſſo, & filii nomen ob conſcientiam admiſſorum recuſanti, proferuntur omnia priſtinæ dignitatis inſignia: Perierat quicquid erat veſtium, quæ decerent filium: profertur illi prima ſtola prioris innocentiæ, quam amiſerat. Perierat omnis dignitas filii familias ſpontanea ſervitute, reſtituitur annulus. Et ne quid deſit ornatus, veſtiuntur & pedes. Nihil horum ſperare auſus eſt juvenis: & quo minus ſperat, hoc plus impetrat. Ac ne quis eum minoris faceret in domo ob erratum adoleſcentiæ, pater vitulo mactato, totam familiam ad communem lætitiam invitat, & juſtas gaudii cauſas reddit. Qualis qualis erat, inquit, filius erat: *Is mortuus fuerat, & revixit.* Peccatum enim animæ mors eſt. Et ad mortem properat, quiſquis auctorem vitæ deſerit. Deſerit autem, quiſquis amat ea, quæ ſunt hujus mundi: procul enim abſunt ejus voluptates à diſciplina Dei. Reviviſcit autem, qui reſipiſcit. Perierat irrecuperabiliter, quod ad ipſum attinebat, ſed inventus eſt. Diſcedere à familia patris, perire eſt: extra hanc enim nulla eſt ſalus. Nec eſt reditus, niſi pater ſemet in memoriam ingerat filio ad extrema deducto. Suggeſtio patris eſt beneficium: ſed quod ſuggeſtionem ſalutarem non negligit filius, hoc illi pro merito imputatur: confeſſio criminis pro ſatisfactione eſt: perierat ſuapte ſtultitia, ſed inventus eſt caritate paterna. Quoniam autem toto pectore reſipuit, quoniam totus ſibi diſplicuit, non ſolum priſtinæ dignitati reſtituit eum paterna clementia, ſed convivium etiam addidit, quo magis commendaret filium ſuum omnium ſuorum affectibus. Qualem autem ſe præbuit pater hic parabolicus in recipiendo filio, tales ſe præbere debent Paſtores & Epiſcopi erga peccatorem reſipiſcentem.

25 Erat autem filius ejus ſenior in agro: & cum veniret, & approximaret domui, audivit ſymphoniam & choros:

25 Verum ab hac imagine multum abſunt ſupercilioſi Phariſæi, qui ſuis blandientes vitiis, nihil aliud quam ſæviunt in lapſus alienos. Et ecce dum communi gaudio gratulationeque perſtrepit tota domus patris, hoc eſt, omnis Eccleſia vere ſanctorum, ſolus frater Phariſaicus invidet. Dum enim hæc geruntur, filius natu major domi non erat, ſed verſabatur in agro Legis Moſaicæ, ſudans geſtandis oneribus præceptorum, & exantlans opera Legis gravia, quum frater interim minor acceperit mitiſſimum patris jugum. Quum autem cœpiſſet eſſe vicinus ædibus paternis, audivit novum ſtrepitum præ gaudio concinentium ac ducentium choreas. Affixus enim inſipidæ literæ Legis, non noverat quantum habeat gaudiorum Euangelicus ſpiritus. Hæc dum negligit Judæus, nihil aliud quam in agro Legis fodiens ac bajulans, interim magno cum gaudio receptus eſt gentium populus in domum patris: nihil aliud ſitientis, quam ſalutem ſuorum omnium.

26 Et vocavit unum de ſervis, & interrogavit quid hæc eſſent.

26 Demiratus autem aſſectator vetuſtæ Legis, quid eſſet novæ rei, quæve cauſa inſolitorum gaudiorum, non dignatus eſt ingredi, futurus & ipſe particeps communis lætitiæ, quod quidem vehementer optabat pater. Non enim ſic receptæ ſunt gentes, ut excluſi ſint Iſraelitæ: ſed nunc quoque ſtant pro foribus indignantes, quod ob gentes ad ſalutem Euangelicam receptas ſibi gratuletur Eccleſia. Evocavit igitur unum è ſervis patris, ac percunctatus eſt: quidnam eſſet novæ lætitiæ:

27 Iſque dixit illi: Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum ſaginatum, quia ſalvum illum recepit.

27 Is reſpondit: *Frater tuus venit*, quo recepto gaviſus *pater, occidit vitulum illum inſignem, quem din ſaginarat, propterea quod illum, quem periſſe crediderat, incolumem ac ſalvum receperit.*

28 Indignatus eſt autem, & nolebat intraire. Pater ergo illius egreſſus, cœpit rogare illum.

28 Hîc mihi conſidera vere Judaicum animum, qui fratri recepto gratulari debuerat, qui patris optimi clementiam prædicare, maluit invidere fratri, & indignari patri. *Manſit itaque foris murmurans & indignabundus.* Id ubi reſcivit amantiſſimus pater, qui cupiebat domus ſuæ lætitiam omnibus eſſe communem, progreſſus eſt ad illum, ac cœpit blande rogare illum, ut omiſſo ſtomacho jungeret ſe communi convivio, ſeque paterni gaudii conſortem præberet.

29 At ille respondens, dixit patri ſuo: Ecce tot annis ſervio tibi, & nunquam mandatum tuum præterivi, & nunquam dediſti mihi hœdum ut cum amicis meis epularer:

29 Nec tanta patris optimi comitate miteſcit major ille filius, ſed arroganter expoſtulat cum patre, & impie fratrem accuſat. *Ecce, inquit, tot annos ſervio tibi, nec unquam præterivi præceptum tuum, & tamen* nulla eſt habita ratio diutini obſequii mei. *Nunquam* enim *mihi vel hœdum ullum dediſti, unde poſſem epulari cum amicis meis.*

30 Sed poſtquam filius tuus hic, qui devoravit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, venit, occidiſti illi vitulum ſaginatum.

30 *Cæterum poſteaquam iſte filius tuus, qui tuam ſubſtantiam devoravit cum ſcortis, redit domum, macta*ſti illi vitulum illum inſignem & obeſum. An non videris tibi videre filium hunc majorem indignantem ingredi, & hæc murmurantem adverſus patrem, quum Legis Phariſæos obtrectantes Chriſto, quod cum publicanis & peccatoribus cibum capiat? Judæos indignantes adverſus Græcos, quod admitterentur ad miniſterium Apoſtolorum? deſtomachantes quod gentes ab idololatria venientes, abſque Legis onere per ſolam fidem admittantur ad gratiam Euangelicam, baptiſmo donentur & Spiritu Sancto confirmentur? invidentes quod ipſis abſtinentibus à convivio, gentium Eccleſia cum inenarrabili gaudio ſpiritus, comedit vitulum illum eximium, quem Pater pro ſalute totius orbis mactari juſſit?

31 At ipſe dixit illi: Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt:

31 Quanquam & hunc murmuratorem placare conatur parentis optimi benignitas: *Fili, inquit*, nihil tibi decedit, quod in fratrem utor clementia: nam *tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt.* Non enim perinde voluptati eſt nunquam interrupta felicitas: ſed quemadmodum morbus præcedens commendat nobis redditam corporis ſanitatem, ita calamitas præcedens auxit nobis lætitiam de filio recepto.

32 Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic, mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus eſt.

32 Debes autem & tu gratulari fratri, nec abeſſe ab hujus convivii lætitia: *quia frater hic tuus mortuus fuerat, & revixit: perierat, & inventus eſt.* Itaque putato non tibi rediſſe eundem, ſed pro male frugi probum eſſe renatum. Non decet meminiſſe qualis fuerit, ſed gaudere quod talis ſit, qualem optamus. His tribus parabolis Dominus Jeſus adhortatus eſt ſuos ad clementiam, & facilitatem in recipiendis peccatoribus: nuſquam enim magis illuſtrari gloriam Dei, quam quum qui inſigniter fuit improbus, ſubito mutatus afflatu Spiritus ſit alius, ex idololatra, ſervus Jeſu Chriſti: ex raptore, ſublevator pauperum: ex libidinoſo, pudicus: ex ambitioſo, modeſtus: ex vindice, tolerans ac lenis. Porro natu minor hoc reperit animum patris propenſiorem ad ignoſcendum, quod gentes, quæ Deum non noverant, errore deliquerunt verius, quam deſtinata malitia. Solet enim adoleſcentiæ comes eſſe rerum imperitia & incogitantia. Et idcirco huic ætati libentius ignoſcimus. Porro Judæus, qui ſibi videbatur eſſe juſtus, ſibi placens ex obſervatione Legis, gravius peccat invidendo fratri, quam ille peccaverat aberrando.

Digitized by Google

CAP XVI.

Quid malus œconomus: Mammon: Servusque duorum:
Lex rata: missa uxor: pauper Abra inque sinu est.

1 Dicebat autem & ad discipulos suos: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum: & hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius.

2 Et vocavit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ: jam enim non poteris villicare.

3 Ait autem villicus intra se: Quid faciam quia dominus meus aufert à me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco.

4 Scio quid faciam, ut, cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas.

5 Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo?

6 At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam: & sede cito, scribe quinquaginta.

7 Deinde alii dixit: Tu vero, quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe literas tuas, & scribe octoginta.

8 Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filii hujus sæculi prudentiores filii lucis in generatione sua sunt.

ATQVE hæc, quæ hactenus dicta sunt, peculiariter tangebant Pharisæos, indignantes quod Dominus Jesus, velut immemor suæ dignitatis, publicanos & peccatores admitteret ad vitæ consuetudinem. Mox versus* ad discipulos suos invitat eos ad uberiorem clementiam, ut non solum non obmurmurent bonitati divinæ, verum etiam ipsi hanc modis omnibus imitentur: per omnem occasionem benefacere studentes proximo suo, sublevantes eum subsidio rerum corporalium, consolantes, exhortantes, docentes, admonentes, condonantes admissa: docens non perituram nobis benignitatem nostram, sed in futuram vitam reponi, quicquid hîc impenditur proximo: hanc sententiam hujusmodi parabola proposuit: *Homo quidam erat dives, qui rerum suarum dispensationem crediderat œconomo suo: is delatus est apud Dominum, quod* profusior, quam par esset, *dissiparet bona ipsius.*

2 *Dominus igitur accito œconomo, dixit illi: Cur isthuc rumoris audio de te? Redde rationem dispensationis tuæ, posthac enim nolim te rerum mearum œconomum.*

3 Oeconomus autem ut intellexit brevi futurum ut amoveretur à dispensandi munere, callide sibi prospexit in brevi. Aliis sunt opes, aliis eruditio, aliis rerum usus, aliis aliæ dotes. Quod autem habet quisque quo possit prodesse proximo, substantia divitis Domini est, quam oportet largiter in proximum erogare. Nullus enim est dominus earum quas habet dotium, sed dispensator duntaxat. Cito auferetur hæc dispensatio, quoniam hic omnis vita brevis est, & post hanc vitam non est benemerendi facultas. Dissipat autem facultates Domini, quisquis suis affectibus impendit quod habet, nec inde proximum sublevat. Oeconomus igitur mox amovendus à dispensatione sua, suo cum animo consultat, dicens: *Quid facturus sum, quandoquidem dominus aufert à me dispensandi facultatem?* Nec est unde vivam. Nihil enim mihi collegi dum licuit. Supersit, ut aut ad stipem diurnam fodiam in agro, aut publicitus mendicem. Ad fodiendum vires desunt, mendicare pudet.

4 Sed commodum venit in mentem, unde mihi subito prospiciam. Parabo mihi amicos ex facultatibus domini mei. Hi submotum ex officio dispensandi, memores meæ erga se benignitatis, recipient me in domos suas.

5 *Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? Is respondit: Centum batos olei.*

6 *Tum œconomus: Accipe cautionem tuam, ac cito sedens, pro centum scribe quinquaginta.* Dominus prædives est, volo ut dimidium lucrifacias opera mea.

7 Eo peracto, *dixit alteri: Tu vero quantum debes? Qui respondit: Centum coros tritici. Tum œconomus: Accipe codicillos tuos, & scribe octoginta.* Viginti coros non sentiet abductos dominus, tibi vero pauperi erunt usui. Ad eundem modum egit cum cæteris debitoribus.

8 Ea fraus si comperta fuisset illi diviti, non fuisset impune œconomo: sed tamen Dominus Jesus ad exemplum beneficentiæ laudavit apud discipulos suos œconomi illius fraudulentum, sed tamen prudens consilium: & ad hujus imitationem adhortatus est suos, taxans nostram socordiam, quod homines huic mundo servientes, in prospiciendo sibi de victu corporis providentiores sint & attentiores quam hi, qui abdicato mundo sectantur ea quæ sunt æterna, in prospiciendo sibi in vitam cœlestem. Turpe est autem illos in suo genere sapere, ac providere, quum agatur de rebus levibus ac mox perituris: quum nos cessemus officiis in proximum conferendis, nobis parare præsidia vitæ immortalis: quum ob incertum hujus vitæ terminum exspectare debeat quisque futurum, ut audiat à Domino, quod audiit œconomus ille: *Posthac non poteris dispensare.*

9 Tempus autem hoc quoniam & incertum est cuique, & alioqui nulli non breve, properandum est, ut erogatis in pauperes terrenis facultatibus, paremus nobis viaticum in vitam æternam. Sic enim futurum, ut benefactorum, quæ gesserunt alii, nos quoque reddamur participes, qui illos opibus nostris juverimus. Etenim qui facultatibus suis adjuvat Euangelii negotium agentem, hic vicissim in regno cœlorum Euangelistæ benefactis sublevabitur. Ait itaque Dominus: Et vobis in tempore consulite ad exemplum illius prudentis œconomi. *Conciliate vobis bonos amicos ex re mala, ut* quum jussu Domini cogemini decedere ab isto domicilio corporis, *illi recipiant vos in æterna tabernacula.* Felix permutatio est, quum caduca permutantur æternis. Quid autem vilius est, aut à virtute longius abest, quam opes hujus mundi? Vix unquam sine fraude parantur: nec alia est tuendi augendique ratio, quam parandi. Onerosa possessio est,* nec ea tuta interim, nec omnino diuturna. Non enim sequuntur herum suum hinc emigrantem. Sed his tamen emere licet, quod æternum est, quodque in futura vita sit usui. Ita fiet, ut quod reconditum injustum facit hominem, ac multis curis obnoxium, id erogatum fiat instrumentum Euangelicæ justitiæ, dum & sublevatur necessariis qui servit Euangelio, & merces ad largientem multo cum fœnore redit.

9 *Et ego vobis dico: facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

10 Qui dispensat opes hominis, ita demum fidelis dispensator invenitur, si quam parcissime dispenset, quod creditum est. At contra Deus, qui dives est in omnes, cupit largissime erogari, quod dispensandum tradidit: & pro infideli habet, quisquis veluti proprium tenuerit, quod Dominus voluit esse commune, quoties exigit proximi necessitas.

10 *Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est.*

11 Proinde qui in dispensanda re vilissima secus se gesserit, quam ex sententia liberalissimi Domini, nonne videbitur indignus, cui Dominus credat rerum sublimiorum dispensationem? Quicquid habemus, Domini est: divitiæ corporales, & quicquid gignit hic mundus, Dei benignitas est. Doctrina Euangelica, reliquæque dotes spiritus, Dei dona sunt: non in hoc datæ, ut his soli fruamur, sed ut in utilitatem proximi dispensemus. Verum, hoc interest, quod ea, quæ pertinent ad refocillandum corpus (quoniam extra nos sunt) nec propria sunt, neque perpetua, mundi opes sunt potius quam nostræ. Deinde quoniam speciem habent felicitatis juxta mundum, quum revera vehementer officiant veræ hominis felicitati: nec hoc sunt, quod dicuntur. Dicuntur enim bona, quum vere sint ea, quæ reddunt hominem infelicem. Igitur opes animi veræ sunt ac nostræ: non quod has Deo non debeamus, sed quod possessorem suum non deserant etiam in vita futura, si quis nunc, ut oportet, utatur. Ut autem in Republica nemo provehitur ad Consulatum, nisi prius in Ædilitate aut Prætura, aliisve minoribus Magistratibus specimen suæ integritatis dederit: & in familia non creditur dispensatio rerum pretiosarum, nisi qui prius fidelem se declararit in rebus vilioribus: ita Dominus docet non esse credendam dispensationem opum Euangelicarum, quæ vere proprieque sunt divitiæ, ei, qui pecuniam, rem ut omnium vilissimam, ita & alienam, parum fideliter dispensarit. Quisquis enim non potest contemnere divitias terrenas, insincere dispensabit animi divitias. Hæc Dominus inculcans animis suorum discipulorum, ajebat: *Qui fidelis est in minimo, hunc consentaneum est in re magna fore fidelem: Rursum*

11 *Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis: quod verum est, quis credet vobis?*

* Alia Editio, *reversus.*

* Altera Editio iuserit, *nec alia est.*

Digitized by Google

simum qui in pusillo injustus est, is & in magno erit injustus: etenim cujus animum vilissimæ rei cura sollicitare potest ad peccandum, hic multo facilius occasione majore pertrahetur ad peccandum. *Quod si in mammona iniquo*, hoc est, falsis, & ut fere fit, fraude partis divitiis, *non præbueritis vos* Domino *fideles*, qui eas dedit dispensandas: *veras* animi *divitias quis credet vobis?*

12 *Et si in alieno fideles non fuistis: quod vestrum est, quis dabit vobis?*

12 *Et si in re aliena*, quæ nulli perpetua esse potest, *parum fideles fuistis, quis committet vobis, quod* perpetuo *vestrum erat futurum?* Levius lædit, qui mala fide tractat divitias hujus mundi, quam opes Euangelicas?

13 *Nemo servus potest duobus dominis servire: aut enim unum odiet, & alterum diliget: aut uni adhærebit, & alterum contemnet: non potestis Deo servire & mammonæ.*

13 Totum hominem postulat regnum Dei. Animum postulat ab omnium mundanarum rerum amore liberum. Nec est quod quisquam tentet miscere mundum cum Euangelio, quod est regnum cœlorum. Etenim si nemo potest esse servus communis duobus dominis, quod vix inter ullos homines sic conveniat, ut unus servus utrique satisfacere possit suo obsequio, sed alterutro contemto, cogatur uni adhærere: quanto minus vos potestis Deo servire & Mammonæ, Dominis tam discordibus, ut inter illos nihil conveniat. Servit autem Mammonæ, qui magnam felicitatis partem collocat in divitiis, eaque causa magno studio laborat, ut quam plurimum possideat, ut quod partum est, tueatur, & augeat. Hic gestit accrescente re, discruciatur erepta. Deo servit, qui vel rejectis istius mundi bonis, vel neglectim possidendo summo studio curat ea, quæ faciant ad æternam salutem.

14 *Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant avari: & deridebant illum.*

14 Hos sermones omnes tametsi dicebantur his, qui se credebant esse posse Christi discipulos, onustos sollicitudine divitiarum, tamen audiebant & Pharisæi, quorum animi velut utres antiqui non capiebant hoc Euangelicæ doctrinæ mustum. Erant enim avari non solum pecuniarum, verum etiam gloriæ. Erant elati, feroces ac vindices. Proinde deridebant doctrinam Domini Jesu provocantem ad beneficentiam, ad neglectum vindictæ, gloriæ, vitæ denique.

15 *Et ait illis: Vos estis, qui justificatis vos coram hominibus? Deus autem novit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.*

15 Habet autem ac semper habebit hic mundus suos Pharisæos, qui suis freti præsidiis derideant doctrinam modestiæ, clementiæ, mansuetudinis, ac liberalitatis. Abhorret ab hoc musto cœlesti palatum assuetum vappæ mundanæ prudentiæ. Utinam & horum sannas dignetur retundere Dominus Jesus, qui Pharisæos irrisores severe redarguit, dicens: Vos, inquit, tumetis inanibus bonorum simulacris, venditantes vos apud homines, qui æstimant hominem ex opulentia, ex vestitu, ex observatione ceremoniarum, ex quibus vobis conciliatis etiam sanctimoniæ laudem, quum revera nec divites sitis, nec sancti, nec felices, nec magni. Deus enim ex ipsis animi bonis æstimat hominem, qui solus intuetur corda vestra. Atque is demum dives est, qui apud Deum dives est: is justus, qui apud Deum justus est: is magnus est, qui sibi parvus, Dei judicio magnus est. Nam fere fit, ut quod hominibus videtur sublime quiddam ac suspiciendum, apud Deum habeatur abominandum.

16 *Lex & prophetæ, usque ad Ioannem: ex eo regnum Dei euangelizatur, & omnis in illud vim facit.*

16 Vos adhuc mordicus tenetis corticem Legis, & in umbris gloriamini: quum nunc aperiendus sit nucleus, ut umbras dispellat exorta lux Euangelicæ veritatis. Desuescendum est à vappa Mosaicæ Legis, & hauriendum mustum firmioris doctrinæ. Legis figuris suum fuit tempus, exspectabatur, quod promittebant Prophetarum oracula: sed cessant figuræ, posteaquam apparuit veritas: nec exspectatur jam prophetica pollicitatio, posteaquam exhibetur id, quod illi promiserant. Ab umbris oportet ad veritatem proficere. Ex fide promissorum proficiendum est ad amorem rei jam exhibitæ. Joannes confinium fuit, dirimens Legem cum suis figuris, & Prophetas cum suis promissis ab Euangelio, quod A reipsa exhibet, & quod Lex umbris suis designarat, & quod Prophetæ Deo afflati venturum prædixerant. Prædicavit Joannes adesse regnum Dei. Hoc nimirum est quod Lex adumbravit, hoc est quod Prophetæ præcinuerunt. Videtis autem rem ipsam congruere cum Joannis prædicatione. Ab hujus enim tempore nuntiatur omnibus regnum Dei, & multi lætis animis arripiunt felix nuntium. Bibunt mustum novum, hauriunt doctrinam cœlestem: contemnunt terrena, & diteſcunt bonis cœlestibus. Abjiciunt pecuniam, sed edunt miracula: non habent arma, sed propellunt morbos. Non gerunt magistratus, sed ejiciunt Dæmonia. Non sunt opulenti, potentes, & glorioſi juxta mundum: sed modestia, mansuetudine, tolerantia, beneficentia, cæterisque bonis animi vere sunt & divites, & potentes, & glorioſi apud Deum. Ad hanc felicitatem nulli præcluditur aditus. Quod si vos Pharisæi non dignamini intrare, occupabunt alii: intrabunt gentes, intrabunt quælibet orbis nationes. Excludi non possunt, posteaquam semel apertum est ostium, irrumpunt vi, si non admittuntur. Videtis accurrentes publicanos, milites, peccatores, meretrices. Hi spretis omnibus quæ possident, contemtis omnibus hujus mundi voluptatibus, freti promissis Euangelicis, toto pectore student veris animi bonis: ac vobis, qui primi debebatis ingredi, & alios conantes inducere, foris stantibus, ardore fidei, promtitudine animi, velimus nolimus, irrumpunt. Amat enim hujusmodi violentiam regnum Dei?

17 *Facilius est autem cælum & terram præterire, quam de Lege unum apicem cadere.*

17 Nec est quod clamitent Legis amatores, abrogari Legem, antiquari Prophetas: imo hæc est Legis non abolitio, sed absolutio. Nec enim mater plorat sibi periisse filium, qui ex puero factus est vir. Stultissimum autem sit, amplecti pictam hominis imaginem, quum liceat amplecti hominem ipsum, qui pictus erat: & appellare promissorem, quum tenere liceat, id quod promissum est. Conferenda * res cum imagine, quæ si congruunt, agnosce quod adumbratum est, & amplectere quod exhibitum est. Si rerum eventus congruit cum promissis Prophetarum, libera fidem illorum, & amplectere, quod præstatur. Porro si jam multa vides evenisse, quæ Legis umbris designata fuerant, Lex enim spiritualis est, si in plerisque rerum exitus respondet ad Prophetarum vetusta vaticinia, crede simili fide præstanda & olim omnia, quæcunque Lex & Prophetæ futura dixerunt.

18 *Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.*

18 Quod erat in Lege carnale & crassum, id cedit perfectioribus: quod autem spirituale est, id non solum non antiquatur, verum etiam perficitur. Lex enim permittit marito, dato repudii libello, dimittere uxorem, & aliam domum ducere. At juxta Legem Euangelicam, *quisquis repudiata uxore duxerit alteram, committit adulterium. Et qui repudiatam duxerit, adulterium committit.* Neuter enim suam habet uxorem, neutra suum maritum. Et naturæ sensus & Euangelica sinceritas flagitat amicitiam perpetuam, & indivulsam copulam, non solum in matrimonio, verum etiam in omni amicitia. Nec est quod quisquam causetur, Euangelicam doctrinam pugnare cum præscriptis Mosi. Moses enim ob duritiam vestram non est ausus exigere, quod optabat magis, quam sperabat: & invitus indulsit divortium, ne si negatum fuisset, odium vestrum erumperet in atrociora facinora. Perficit igitur, non abrogat, qui exigit quod est perfectius. Quemadmodum pater haudquaquam secum pugnat, qui pridem indulgentior in filium tenerioris ætatis, post ab adulto plus exigit, quam exigebat antea. Illud autem affirmo vobis, *citius præteribit cœlum ac terra*, quibus nihil est durabilius, *quam unus apiculus Legis pereat*, quin perficiatur quod prædictum est, tantum abest ut venerim abolituri Legem.

19 *Homo quidam erat*

19 Quoniam autem Dominus Jesus paulo ante propo-

* Alia Editio, *conferenda*.

Digitized by Google

dives, qui induebatur purpura & byſſo: & epulabatur quotidie ſplendide.

poſita diſpenſatoris callidi parabola, cohortatus eſt ad beneficentiam erga egenos, ut poſt hanc vitam reciperent nos in æterna tabernacula: quum jam verſis rerum omnium vicibus, illi bonis omnibus abundabunt, contra divites malis omnibus cruciabuntur: velut exemplum hujus rei depingit, quo tenacius adhæreat *mentibus hominum. Erat, inquit, homo quidam prædives, cui nihil deeſſe videbatur ad abſolutam hujus mundi felicitatem: magni nominis apud homines, apud Deum obſcurus & ignotus. *Is veſtiebatur purpura & holoſericis*, non minus molliter quam ſplendide. Et ne quid deeſſet ad oblectamentum corporis, *comeſſabatur quotidie magnifice*, ſimul & ambitioni ſerviens, & luxui, & voluptati.

20 Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus,

20 Erat ſimul huic multum diſſimilis mendicus quidam, obſcurus & ignotus apud homines, ſed clarus & nobilis apud Deum. Habebat enim nomen ex re, dictus Lazarus, quod omnibus mundi præſidiis deſtitutus, Dei ſolius auxilio niteretur. Huic nec domus erat, nec veſtis, nec cibus, ac ne corporis quidem proſpera valetudo. Erat enim ulceribus plenus, qualis legitur fuiſſe Job.

21 Cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis, & nemo illi dabat: ſed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus.

21 Jacebat autem ad januam divitis, exſpectans ut aliquid mitteretur de micis, quæ cadebant de menſa divitis, quo placaret latrantem fame ſtomachum. Non admiſſus eſt ulceroſus, ne funeſto ſpectaculo contriſtaret oculos undequaque lauti convivii. Audis faſtum opulentiæ, ſed in tanto luxu, ac profuſione, tanta erat erga pereuntem proximum parſimonia, ut ne micæ quidem darentur roganti, quum canes illic panibus eſſent ſaturati †: quin & canes exprobrabant inhumanitatem delitianti diviti. *Veniebant enim & lingebant ulcera Lazari.*

22 Factum eſt autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno.

22 Quis non judicaſſet divitem illum abſolutum exemplar felicitatis, & hunc Lazarum exemplar infelicitatis extremæ? Sed nequaquam ex his, quæ contingunt in hac vita, æſtimanda eſt hominis felicitas. Subito rerum vices inverſæ ſunt. Mors enim omnibus imminens, ut divitibus finis eſt omnium voluptatum, ita afflictis terminus eſt omnium dolorum. *Evenit enim ut moreretur mendicus, & qui neglectus erat ab hominibus quum viveret, mortuus *ab Angelis Dei deportatus eſt in ſinum Abrahæ.* Hoc honore dignatus eſt eum Deus, quem dives non dignabatur tecto ſuo. *Eodem autem tempore mortuus eſt & dives ille.* Mors enim omnium communis, ſola docet hoc divites, quod homines ſunt, quemadmodum cæteri. Ac Lazaro nec honor ſepulturæ habitus eſt. Dives autem magnifica funeris pompa elatus eſt.

23 Elevans autem oculos ſuos, cum eſſet in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in ſinu ejus:

23 Quum autem uterque jam eſſet apud inferos, dives quum eſſet in gravibus tormentis, nec ibi minus dure tractaretur rerum ſuavium inopia, & omnium malarum copia, quam in vita ſeipſum tractarat molliter: *ſublatis* tandem *oculis conſpexit Abraham eminus*, agnovit *& Lazarum* illum ante ſpretum, *in ſinu illius* ſumma quiete ſolatioque fruentem in molliſſimo complexu ſanctiſſimi patris. Agnovit enim ille filium ſuum, quem dives hominem agnoſcere noluit.

24 Et ipſe clamans dixit: Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.

24 Augebat cruciatum, alienæ felicitatis conſpectus. Hic dives fruſtra blandus factus ac mendicus, miſerabili voce clamabat: *Pater Abraham miſerere mei, ac mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, quo* vel una guttula *refrigeret linguam meam, adeo diſcrucior in hac flamma.*

25 Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris.

25 Ad quem Abraham: Fili, refrigerium, quod nunc ſero petis, quum in vivis eſſes proximo refocillando tibi parare debueras, ſed tum rebus præſentibus delinitus, ne micis quidem menſæ tuæ dignabaris ſublevare Lazarum pereuntem. Agnoſce rerum vices juſte commutatas. Id agnoſcas oportet, ſi meminiſſe voles, quod tu quum viveres, tua bona receperis, Lazarus contra ſuis malis defunctus ſit in vita. Nunc inverſis rebus, hic poſt afflictiones patienter toleratas refocillatur: tu vero poſt delitias, quibus te male oblectaſti, merito cruciaris. Averſabaris ulceroſum, ipſe delibutus unguento, nunc eſt in amplexibus meis, totus nitidus. Non dignabaris illum tecto tuo, ego dignor illum ſinu meo. Tu nec cibo nec potu refocillaſti egentem, nunc reficitur æterna quiete, quæ nec famis, nec ſitis moleſtiam novit. Et qua fronte nunc petis ab hoc refrigerium, qui pridem nullum abs te refrigerium impetravit? Si tu nudum veſtiſſes, ſi eſurientem paviſſes, ſi ſitienti dediſſes potum, ſi jacentem pro foribus collegiſſes in domum tuam, ſi curaſſes ulceroſum, nunc ille viciſſim impetraret tibi ſolatium, ac relaxationem tuorum cruciatuum, ac te viciſſim reciperet in hoc contubernium. Miſer, ubi nunc eſt tua byſſus & purpura, ubi unguenta, ubi convivia, ubi choreæ, ubi tot ambitioſæ voluptates? Vivus ad omne vinum faſtidiebas, tantæ erant palati tui delitiæ, nec interim aquam impartiebas ſitienti: nunc nec aquæ guttam impetrare potes ad refocillandum incendium linguæ tuæ. Pro ſuperbis ædibus habes Tartarum: pro delitiis cruciatum æternum: pro jocis & cantionibus perennem ejulatum.

26 Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt: ut hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare.

26 Et hoc deploratior eſt veſtra calamitas, quod *ingens hiatus nos dirimit: ut ſi qui velint hinc iſtuc ire*, vobiſque opitulari, *non liceat: neque ſi quis iſthinc huc conetur adſcendere, poſſit*, poſteaquam incommutabili Dei judicio ſua quibuſque ſedes deſignata eſt. In vita tempus erat mutuis officiis ſublevare proximum, & viciſſim ab eo ſublevari. Nunc ſerum eſt hîc velle, quod fieri non poteſt. In delitiis ſolus eſſe voluiſti cum tui ſimilibus, quos nunc habes pœnæ ſocios, Lazarum ac Lazari ſimiles non paſſus es venire in tuum conſortium. Nunc paria referuntur.

27 Et ait: Rogo ergo te pater ut mittas eum in domum patris mei.

27 Hæc ubi loquutus eſſet Abraham, dives excluſus ſpe ſublevandi ſui, cupit ſaltem fratribus, quos habebat ſuperſtites, conſulere, ne ſi ſimiliter acta vita venirent in eundem locum, tali conſortio creſceret etiam miſero mali ſenſus. Sed nunc fruſtra ſupplex eſt, qui ſupplicem proximum repulit. Si chaos, inquit, obſtat, quo minus mihi ſubveniri queat: ſaltem *illud te rogo, pater, ut Lazarum mittas in domum patris mei.*

28 Habeo enim quinque fratres, ut teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.

28 *Habeo enim quinque fratres ſuperſtites, ut illos admoneat, ne*, ſi meis veſtigiis ingrediantur, *veniant in hujus calamitatis conſortium.* Quin potius opibus ſuis egentium neceſſitatem ſublevent: nec ad carnis voluptatem, ſed ad animi pietatem utantur divitiis ſuis: nec ament, quæ ad tempus delectant in vita, ſed quæ pariant æternam requiem. Ita dives, quem experta calamitas ſero jam & ſupplicem fecit & doctorem. Sed à morte nec precibus eſt locus, nec monendi facultas eſt. Nihil enim mortuis rei cum vivis.

29 Et ait illi Abraham: Habent Moyſen, & prophetas: audiant illos.

29 *Abraham itaque reſpondit:* Nihil neceſſe eſt hac gratia Lazarum avocari à quiete ſua. Fratres tui ſi volent eſſe frugi, *habent Moſen & Prophetas, audiant illos.* Loquuntur enim omnibus in ſuis libris.

30 At ille dixit: Non, pater Abraham: ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.

30 Tum dives improbus deprecator, ſed ſerus: *Nec Moſen*, inquit, nec Prophetas audient, *pater Abraham, ſed ſi quis ex mortuis redierit ad eos*, qui certa renuntiet, quam dira patiantur hîc, qui illic vitam meo exemplo tranſigunt, quod fere faciunt divites omnes, *reſipiſcent*, ſeſeque component ad meliorem frugem.

31 Ait autem illi: Si Moyſen & prophetas non audiunt; neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.

31 Ad hæc Abraham: Iſti ſunt prætextus eorum, qui nunquam volunt, quod male amant, relinquere. Major eſt apud illos Moſi & Prophetarum auctoritas, quam eſſet Lazari mendici: *quod ſi illos non audiunt, nec audituri ſint, ſi quis reſurrexerit ex mortuis.* Cauſabuntur eſſe phantaſmata, aut Dæmonium. Hoc ſermone Dominus tacite notavit incredulitatem gentis Judaicæ, quæ quoniam non vere credidit

* Alia Editio, *inhæreat.* † Eadem, *ſaturi.*

Digitized by Google

dit Mosi ac Prophetis, hodie quoque Christo è sepulchro reddito, & ad dextram Patris considenti reclamat: utique creditura quod factum est, si Mosi & Prophetis credidissent, prædicentibus hoc ita futurum. Hac parabola Dominus Jesus consolatus est suos discipulos, qui propter amorem regni cœlestis multas afflictiones perpessuri erant in hoc mundo: ac Pharisæos, Scribas, Legisperitos, Sacerdotes, primores, divites, elatos, feroces, ac sibi viventes territat, ut vel metu supplicii vitam impiam corrigerent, alioqui futurum, ut illic vicissim riderentur, qui hîc Jesum ad meliora vocantem irridebant.

CAP. XVII.

Res mala scandala: condona: fidei augmen: opusque Ne jactes: lepra: judiciique dies.

1 Et ait ad discipulos suos: Impossibile est ut non veniant scandala: væ autem illi, per quem veniunt.

1 SIC autem erat à Patre cœlesti definitum, & sic expediebat ad salutem humani generis, ut humani corporis imbecillitate, quod assumserat Dominus, offenderentur superbi Pharisæi, ut humilem ac mansuetum affligerent, atque occiderent: nihilo mitiores futuri in illius discipulos, sui præceptoris vestigiis ingredientes. Ut autem incredulorum improbitas affligit bonos, ita bonorum tolerantia malis est occasio majoris exitii. Sed tamen horum malitia Deus abutitur in bonum totius mundi. Ait itaque Jesus ad discipulos suos, inter quos erat Judas, auctor offendiculi futurus, ac Jesum juxta mundum pusillum & humilem in mortem traditurus. Sed hujus impietas salutem maturavit orbi, & hujus exîtium exemplum salutare fuit omnibus. *Fieri non potest*, inquit, *quin eveniant offendicula*, sed tamen hoc non excusat eum, cujus culpa venerit offendiculum.

2 Utilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum ejus, & projiciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis.

2 *Magis enim expediret illi, ut alligato circa collum saxo ingenti, quod in mola substernitur, præceps detur in profundum maris, quam ut offendiculo sit uni ex istis pusillis* juxta mundum. Habent enim ultorem Deum, qui se putat in illis lædi. Levius autem est malum, hîc supplicium quamvis acerbum perpeti, quam offensis pusillis, quos Deus amat, æternos cruciatus accersere.

3 Attendite vobis: Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum: & si pœnitentiam egerit, dimitte illi.

3 *Cavete igitur vos*, vestrum non est vitare, quo minus exoriantur offendicula, vestrum tamen est cavere, ne vestro vitio nascantur. Sic autem effugietis, ne vobis imputari possit offendiculum, si non solum nulli vestra culpa præbueritis occasionem offendiculi, verum etiam ab aliis oblatum, aut tollatis vestra mansuetudine, aut patientia vestra toleretis, non regeratis. Non enim ab impiis modo vobis oborientur tumultus, verum etiam inter vos, quoniam homines estis, nonnunquam orientur offensæ, quibus oportebit mederi fraterna monitione, quæ non prodit peccantem, si sanabilis est, & veniam habet paratam resipiscenti. Si itaque fors evenerit, ut aliquid admiserit in te frater tuus, noli dissimulare culpam, ne impunitas invitet licentiam, sed age fidum medicum, secreta objurgatiuncula ostende illi morbum suum, ut pudore corrigatur. Facilius audiet amicum monitorem, quam turbulentum accusatorem, quem habiturus est pro hoste. Sic enim est fere hominis ingenium, ut libentius acquiescat consiliis, quam succumbat injuriæ. Non potest non videri officium, cum quis secreto monet. Qui palam defert, & ad pœnam vocat, non videtur velle mederi malo fratris, sed traducere. Quod si frater tuus abs te monitus resipuerit, & culpam agnoverit, sit parata venia, quæ correctum placide comiterque recipiat: & adeo ne cogites de vindicando, ut pudori quoque illius, quantum potes, consulas.

4 Et si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me: dimitte illi.

4 Quod si per humanam infirmitatem relapsus fuerit in culpam, etiamsi septies eodem die peccaverit in te, ac septies in die resipuerit, teque placare studens dixerit: peccavi, pœnitet, ignosce, condona illi ex animo culpam. Hæc ignoscendi facilitas melius tuebitur inter vos pacem & concordiam, quam mutua offensarum retaliatio.

5 Et dixerunt Apostoli Domino: Adauge nobis fidem.

5 His dictis quoniam Apostoli intelligebant fontem omnium Euangelicarum virtutum esse fidem, quam adeo diligenter Dominus exigebat in edendis miraculis, quam toties comprobavit in multis etiam alienigenis, quæ nihil non impetraret, & per quam ipsi quoque morbos depulerant, & Dæmonia ejecerant: nec ignorabant fidei defectu factum, quod quendam muto obnoxium Dæmoni non quiverint liberare. Quanquam nec cæteris Euangelicis præceptis erit idoneus, nisi certam animo fiduciam conceperit aliquis. Quando enim negliget hujus mundi voluptates; quando suas opes effundet in pauperes; quando condonabit injuriam fratri; quando de male meritis bene merebitur; quando carceres, & virgas, & mortem toleranter accipiet, cui persuasum non sit, amplissimum esse præmium paratum in cœlis? Hoc, inquam, quoniam intelligebant Apostoli, dicunt Domino: Domine, quando nihil habemus boni nisi ex te, rogamus, ut adaugeas nobis fidem.

6 Dixit autem Dominus: Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro: Eradicare, & transplantare in mare: & obediet vobis.

6 Dominus autem sciens suos Apostolos adhuc esse crassos & imperfectos, & incrementum fidei potissimum in hoc petere, ut magis polleant miraculis, confirmat quidem robur ac vim fidei, si adsit sincera: sed indicat, eam cum summa modestia oportere esse conjunctam, nec proferendam ad inanem ostentationem, sed quoties urget salus proximi, aut gloria Dei. Ait autem per similitudinem: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis*, quod minutum est atque humile, nec exserit vim suam, nisi contritum aut commansum, *dicetis huic arbori Sycamino*, quæ radicibus late actis, videtur nulla vi loco avelli posse, *eradicator, & transplantator in mare: & obediet vobis.* Porro per granum sinapis Dominus seipsum indicavit, qui quum se præberet humillimum omnium, tamen occultam divinæ naturæ vim intus occultabat, quæ tum demum sese prodidit, postea quam in cruce comminutum est granum, in morte sepultum est. Hujus grani vis operabatur in discipulis, unde non oportebat ipsos sibi quicquam usurpare: quippe qui non essent auctores eorum quæ gererent, sed tantum ministri, daturi pœnas, si quod ipsis mandatum esset, cessassent peragere: cæterum omnem laudem transcripturi Deo, si quid per ipsos præclare aut magnifice gestum fuerit.

7 Quis autem vestrum habens servum arantem aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi: Statim transi, recumbe:

7 Hoc documentum Jesus parabola addita infixit animis suorum: *Quis vestrum est* tam commodus Dominus, *qui si servum habeat agricolam aut bubulcum, reverso ab agro protinus dicat: transi, accumbe:*

8 Et non dicat ei: Para quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi donec manducem & bibam, & post hæc tu manducabis & bibes?

8 *Ac non potius ita loquatur: para quod cœnem, ac præcinge te, & ministra mihi donec edero ac bibero, post hæc tu sumes cibum ac potum?* Et tamen servus ille bona fide suo functus est officio in agro.

9 Num quid gratiam habet servo illi, quia fecit quæ ei imperaverat?

9 *Num ideo Dominus habet illi gratiam, quod fecerit imperata? Non opinor*, sed pœnam exacturus erat, nisi fecisset. Quamobrem? Non ob aliud, nisi quod servi sunt, & omnem operam debent hero suo, cujus sunt etiam ipsi. Laudem autem omnium, quæ fiunt, sibi usurpat Dominus, qui ea facit, quicquid facit per eos, qui sine ipso nihil omnino boni possunt facere.

10 Non puto. Sic & vos, cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.

10 *Sic & vos*, ne vobis arrogetis gloriam benefactorum, tantum fidelem operam præstate. *Et quum omnia feceritis, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Hæc enim modestia conservabit in vobis thesaurum fidei. Cætera relinquite Domino vestro. Nemo sibi vindicet honorem, nemo Domini judicium anticipet. Novit ille tempus, nec quenquam fraudabit suo præmio. Vos interim nihil aliud vos esse memineritis, quam servos operæ debitores.

11 Et factum est, dum iret in Jerusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam.

11 *Accidit autem ut quum Dominus peteret Hieroso-*

Digitized by Google

lymam, iter faceret per Samariam & Galilæam. Gaudet enim frequenter per occasionem attingere Samariam & Galilæam, ut Hierosolymitis exprobret suam incredulitatem, qui Samaritanos pejus abominarentur quam Ethnicos, & Galilæos pro semipaganis haberent.

12 Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longe:

12 *Quum autem ingrederetur viculum quendam, occurrerunt illi decem viri leprosi.* Credas significatos homines hæreticos, intus malis affectibus totos depravatos, foris variegata cute, veluti falsa veris permiscente doctrina insincera. Contagiosum & abominandum genus, & idcirco procul arcentur ab hominum commercio. Nullum tamen est mali genus, quod non sanet Jesus, modo veniatur in illius conspectum, modo prodatur illi morbus, & adsit fiducia.

13 Et levaverunt vocem, dicentes: Iesu præceptor, miserere nostri.

13 Agnoverunt morbum suum, & ideo non accedunt propius, sed *procul stantes, voce sublata acclamant* Domino: *Jesu præceptor miserere nostri.*

14 Quos ut vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt.

14 Audiit clamorem Jesus fiduciæ testem, & advertit oculos. Felix clamor, qui facit attentum Dominum: felix intuitus, qui provocat misericordiam. Jesus autem nihil aliud respondit, quam ut abirent, & ostenderent se Sacerdotibus: nam penes hos erat auctoritas discernendi leprosum à mundo. Parent illi, & abeunt, pleni bona fiducia. *Atque inter eundum subito mundati sunt.*

15 Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum,

15 Erat par omnibus fiducia, sed dispar erat gratitudo. *Solus enim Samaritanus ubi sensit se plane liberatum à morbo*, non clam habuit divinam erga se beneficentiam, sed *illico reversus est ad Jesum, clara voce clarificans† Deum:*

16 Et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens: & hic erat Samaritanus.

16 *Ac prostratus in faciem suam, accidit ad pedes Jesu adorans eum, & gratias agens.*

17 Respondens autem Iesus, dixit: Nonne decem mundati sunt? & novem ubi sunt?

17 *Jesus autem* non ignarus beneficium ad omnes decem pervenisse, sed taxare volens illorum ingratitudinem, qui tantum Dei beneficium suffurari studuerint, *ait: Nonne decem mundati sunt? & novem ubi sunt?* Non enim novit Dominus ingratos: & indignos ostendit accepto beneficio, qui non agunt gratias benemerito. Non patitur enim Deus celari sua beneficia.

18 Non est inventus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.

18 Quum obticesceret Samaritanus, non solum gratus, verum etiam modestus, qui venerat suo futurus officio, non accusaturus alios: Jesus conversus ad circumstantes, ait: Ex decem *nullus repertus est, qui rediret & glorificaret Deum, præter hunc unum alienigenam.* Atqui magis hoc decuit alios facere, qui quum Judæi sint, jactant se Dei cultores. Et tamen ipsa re Samaritanus hic vicit illorum religionem.

19 Et ait illi: Surge, vade: quia fides tua te salvum fecit.

19 Hæc loquutus Dominus, appellavit Samaritanum humi prostratum: *Surge*, inquit, *& abi*, certus hoc meum beneficium tibi fore perpetuum, quod tua fiducia tibi impetravit.

20 Interrogatus autem à Pharisæis: Quando venit regnum Dei? respondens eis, dixit: Non venit regnum Dei cum observatione:

20 Quoniam autem Jesus frequenter habebat in ore regnum Dei, Pharisæi, qui nondum intelligebant regnum Euangelicum esse regnum spirituale, sed aliud quoddam regnum somniabant, in quo gens Judaica cæteris nationibus imperaret: adibant eum, & interrogabant, *quando venturum esset regnum Dei.* Jesus autem, quoties de supremo die fiebat mentio, ambigue respondere solitus ait: Regnum Dei non veniet more regni mundani, ut observari possit vel tempus, vel locus. Non enim est regnum corporum, sed animorum: neque constat visibilibus præsidiis, sed invisibilibus.

21 Neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.

21 *Proinde non dicetur vobis: Ecce hic, aut ecce illic.* Quid enim opus est observare locum, *quum regnum Dei sit intra vos?* Cur exspectatis foris, quod habetis intus ac vobiscum circumfertur, si vultis? Cur exspectatis venturum, quod jam adest? Ubicunque est animus superior opibus, voluptatibus, honoribus hujus mundi, vitæ denique contemtor, ubicunque est animus fide robustus, caritate flagrans, afflatus Spiritu cœlesti, ibi est regnum Dei. Superest, ut quod adest amplectamini, ne quum subito venerit ille dies, qui perficiet ac proferet regnum hoc, offendat vos imparatos.

22 Et ait ad discipulos suos: Venient dies quando desideretis videre unum diem Filii hominis, & non videbitis.

22 Hoc quum nec discipuli satis intelligerent, qui somniabant & ipsi breve proferendum esse regnum Israeliticum, conversus ad illos, ita temperavit sermonem, ut illos ad diem supremum semper redderet paratos: & temporis inquisitionem adimeret: sed armaret potius ad tempestatem imminentem crucis: *Veniet*, inquit, *omnino tempus, quum desiderabitis vel uno die frui conspectu Filii hominis*, quem nunc plerique contemnunt præsentem, nec dabitur quod optatis.

23 Et dicent vobis: Ecce hîc, & ecce illic. Nolite ire, neque sectemini.

23 Nec deerunt tamen, qui blandientes hominum cupiditati, conabuntur illum ostendere venientem, dicentes: *Ecce hîc, ecce illic:* vos autem nolite fidem habere talibus Prophetis. Si dixerint, hîc est apud nos, *nolite ire.* Si dixerint, ecce illic est procul, *nolite sectari.* Ea credite, quæ per sanctos Prophetas prædicta videtis impleri. Hoc unum Deus noluit hominibus patefieri, & ideo tempus præsciri noluit: quia sic expedit hominum saluti, quos vult in omne tempus esse paratos.

24 Nam, sicut fulgur coruscans de sub cælo, in ea quæ sub cælo sunt, fulget: ita erit Filius hominis in die sua.

24 Proinde *quemadmodum fulgur erumpens subito promicat ab una parte cœli usque ad adversam*, prius quam venturum sentiatis: *ita* magna quidem cum gloria, sed inexspectatus, *veniet Filius hominis in die*, quem ipse solus novit, vobis autem incognitum esse vult.

25 Primum autem oportet illum multa pati, & reprobari à generatione hac.

25 Sed non ante proferet majestatem suam, quam expleverit dispensationem humilitatis. Prius enim ostendenda est via ad claritatem regni cœlestis, prius aperiendum est ostium regni cœlorum, ut liceat ingredi. Alioqui parum feliciter veniret regnum Dei iis, qui se non huic præparaverunt. Ergo prius quam se proferat majestas, quam affectatis ante tempus, oportet Filium hominis multa pati, ac damnari à natione hac: ut quemadmodum flamma post fumum emicat, ita post ignominiam clarius sese proferat Dei gloria.

26 Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit & in diebus Filii hominis.

26 Porro ne quem opprimat ille dies, facile remedium est, si se quisque sic apparet, quasi jam immineat ille dies: sed homines mundo dediti, sibi promittent dilationem, aut etiam diem illum omnino non venturum, & hac spe securi vacabunt cupiditatibus suis. *Itaque idem accidet in diebus Filii hominis, quod accidit olim in diebus Noe.*

27 Edebant, & bibebant: uxores ducebant, & dabantur ad nuptias usque in diem, qua intravit Noe in arcam: & venit diluvium, & perdidit omnes.

27 *Ducebant uxores, dabantque nuptum*, quasi diluvium, quod differebatur, omnino venturum non esset. Sed malum oppressit improvisos. Solus Noe cum paucis servatus est per arcam. Cæteri omnes interierunt.

28 Similiter sicut factum est in diebus Lot: Edebant, & bibebant: emebant, & vendebant: plantabant, & ædificabant.

28 Similis erat rerum facies temporibus Lot, quoniam ultio divina differebatur, existimabant impune fore quicquid peccassent: itaque securi *edebant ac bibebant, emebant & vendebant, plantabant & ædificabant.* Sed & hos nimium securos inopinantes oppressit vindicta.

29 Qua die autem exiit Lot à Sodomis, pluit ignem & sulphur de cælo, & omnes perdidit:

29 *Nam eodem die, quo Lot reliquit Sodomos, depluit ignis ac sulphur è cœlo, ac subito perdidit omnes.*

30 Secundum hæc erit qua die Filius hominis revelabitur.

30 Eadem erit facies rerum in orbe, cum subito majestatem suam proferet Filius hominis.

31 In illa hora, qui fuerit in tecto, & vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa; & qui in agro, similiter non redeat retro.

31 Is dies ubi ingruerit, abjiciatur omnis cura rerum mundanarum. Tantum sibi quisque in præsenti periculo, qua licet, consulat. Itaque quem dies ille repererit in tecto, supellectile domi relicta, ne descendat ut auferat quod habet ibi rerum, tantum de sua salute cogitet. Itidem si quem dies ille offenderit in agro, ne fugiat domum, præsentius enim periculum erit, quam ut ullam moram patiatur.

32 Memento quid acciderit uxori Lot,

32 Unusquisque ut repertus fuerit, ita celeri fuga vitæ consulat. *Mementote quid acciderit uxori Lot*, respexit tantum, & periit, adeo nihil moræ patitur mali celeritas. Ille tutior erit, qui ad fugam fuerit expeditior.

† Altera Editio, *glorificans.*

res estote uxoris Lot.

33 Quicumque quæsierit animam suam salvam facere, perdet illam: & quicumque perdiderit illam, vivificabit eam.

34 Dico vobis: in illa nocte erunt duo in lecto uno; unus assumetur, & alter relinquetur:

35 Duæ erunt molentes in unum; una assumetur, & altera relinquetur: duo in agro; unus assumetur, & alter relinquetur.

36 Respondentes dicunt illi: Ubi Domine?

37 Qui dixit illis: Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.

1 Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare & non deficere,

2 Dicens: Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, & hominem non reverebatur.

3 Vidua autem quædam erat in civitate illa, & veniebat ad eum, dicens: Vindica me de adversario meo.

4 Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se: Etsi Deum non timeo, nec hominem revereor:

5 Tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in novissimo veniens suggillet me.

33 Tum autem ea quærere, quibus solemus in posterum vitæ consulere, veluti vestes, pecunias, domum, aut ejusmodi, vitam erit perdere. Sed qui omnibus impedimentis abjectis, neglexerit vitæ subsidia, is vitam lucrifecerit. Non enim tum erit spatium cogitandi de vita corporis, cum animæ vita vertetur in periculo. Nec res, nec locus, nec vitæ genus in eo discrimine servabit hominem, sed affectus ad exitum paratus.

34 E duobus enim conjunctissimis subito unus assumetur ad vitam, alter relinquetur exitio. *Illud affirmo vobis, ea nocte, qua veniet Filius hominis, erunt duo in eodem lecto*, quos subito dividet præmii diversitas: *alter* enim *assumetur* ad æternam felicitatem, *alter relinquetur* æterno exitio.

35 *Erunt duo molentes in eodem pistrino, quorum alter assumetur, alter relinquetur. Duo laborabunt in eodem agro, unus assumetur, alter relinquetur.*

36 Hæc quum discipuli non intelligentes, tanquam per somnium audirent, dicunt Jesu: *Ubi Domine?* Adhuc carnem somniant, & regni locum scire quærunt.

37 Jesus autem per ænigma significare volens, sanctos ubicunque reperti fuerint non disjungendos à Domino, respondit: *Ubicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* Non refert ubi sitis, modo mecum sitis, qui pascam animos vestros meipso, qui sum æternæ felicitatis pabulum.

CAP XVIII.

Supplex est vidua: hinc Pharisæe, adamatque puellos: Dives abit, linquunt omnia: cæce vides.

1 QVONIAM autem imminente supremo mundi fine, gravissima persecutio coorietur adversus pios, adeo ut, si fieri possit, etiam electi sint seducendi, quanquam nunquam non sævit malorum in bonos improbitas, Dominus Jesus docet suos, ut in malis non aliunde petant auxilium quam à Deo: nec ullam interim vindictam molientes, nec injuriam injuria repellentes. Quod si Deus non statim liberat ab afflictione, non tamen ideo desistendum à precatione. Audiet enim ille haud dubie preces suorum, quum erit tempestivum, ac dilatio cedet in bonum piorum, tantoque gravius opprimentur impii, quo magis sibi persuaserant, se impune facere, quod faciebant.

2 Hoc præceptum Dominus tali parabola infixit animis suorum: *Erat*, inquit, *Judex quidam in civitate quadam*, impius & impudens, *qui nec Deum timebat, nec hominem ullum reverebatur.* Impietas faciebat, ut non timeret Deum, potentia, ut non revereretur hominem.

3 *Erat autem in eadem civitate vidua quædam*, quæ quum opprimeretur ab adversario suo, adiit primarium illum Judicem, penes quem erat summa potestas, & interpellavit illius auxilium adversus adversarii violentiam. In bona, inquit, causa opprimor opibus & gratia adversarii mei. Vidua sum ac destituta. Tu vindica jus meum adversus adversarii mei violentiam.

4 Ad hunc modum cum frequenter interpellaretur à vidua, tamen diu dissimulavit, nec voluit opitulari viduæ, quum in hoc detur magna potestas quibusdam, ut adversus opulentos ac factiosos sublevent orphanos, pupillos, viduas ac tenues. Tandem quum illa non faceret finem appellandi, judex cœpit ita apud se cogitare: *Quanquam nec Deum timeo, nec hominem revereor:*

5 *Tamen quoniam hæc vidua mihi molesta est sua improbitate, sublevabo illam* à violentia adversarii, non quod illi bene velim, sed ne tandem redeat, ac toties spreta, convitiis suis notam aliquam inurat famæ meæ, qui quum summi Judicis locum teneam in hac civitate, tamen oppressæ viduæ pertinaciter defuerim.

6 Narrata parabola subjecit Dominus: *Auditis quid dicat Judex* impius & *improbus?* victus improbitate precum succurrit viduæ:

7 Et Deus, qui justissimus est ac misericors erga suos electos, interpellatus illorum nocturnis diurnisque precibus & clamoribus, obsurdescet, nec liberabit illos à violentia opprimentium, sed lento lenique animo patietur illos affligi impune?

8 Imo illud affirmo vobis, non patietur, sed aut convertet malorum animos, ut mutata voluntate desinant affligere, aut adimet nocendi potestatem, aut suos electos semel ab omnibus malis ereptos, transferet in requiem æternam. Certe quum venerit ille dies supremus, jam nec Satanas, nec hujus instrumenta homines mali, quicquam poterunt adversus illos, quos Deus selegit consortes regni sui. Quum enim ad summum increverit malorum impietas, tum Filius hominis subito veniet, & omnino citius opinione malorum. *Sed quum veniet Filius hominis, an reperturus est fidem in terris?* Tanta enim erit malorum & multitudo & improbitas, ut apud paucissimos sit superstes futura fides. Sed tamen apud quoscunque reperta fuerit illa constans in Deum fiducia, liberabuntur ultore Deo. Atque hæc *quidem parabola territabat illos, qui palam impii pios affligebant.

9 Cæterum erat quoddam Pharisaicum genus justorum, fidentium operibus suis, & ex eis sibi justitiæ laudem arrogantium, cum apud Deum nemo sit vere justus: neque solum sibi stulte placebant, verum etiam alios præ se despiciebant, tanquam peccatores, quum illorum modestia Deo gratior sit, quam horum opera: adversus hujusmodi Pharisaicos justos, & ad consolationem peccatorum ex animo sibi displicentium, Dominus proposuit hujusmodi parabolam.

10 *Accidit ut duo quidam adscenderent in Templum orandi gratia, quorum unus erat Pharisæus, alter Publicanus.*

11 *Pharisæus stans* vicinus propitiatorio, velut dignus qui cum Deo cominus colloqueretur, *sic orabat apud se: Deus gratias ago tibi, quod non sum similis cæteris hominibus*, qui rapto vivunt, qui fraude rem augent, qui adulterio conspurcant alienos thoros: aut denique qui infame munus gerentes, in gratiam Principum expilant populum Dei, qualis hic est Publicanus.

12 Non indulgeo luxui, quemadmodum vulgus facit, sed jejuno bis in sabbato, & in tantum non fraudo quenquam, ut omnium bonorum meorum decimam partem erogem in pauperes. Hæc erat tumidi Pharisæi precatio, qui tametsi vera commemorabat, ac Deo gratias agebat, tamen hoc ipso displicebat oculis Dei, quod sibi placebat: adulator sibi, contumeliosus in proximum.

13 *Contra Publicanus*, totus sibi displicens ob peccatorum conscientiam, *procul absistebat à sacris*, adeo pudens pœnitensque sui, *ut nec oculos auderet in cœlum attollere, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* Pharisæus tantum gratias agebat, existimans sibi nihil deesse ad perfectam pietatem, nec confitetur errata sua, quum inter ipsas preces gravissime peccaret, sua jactans ac pœnitentem despiciens: sui laudator arrogans, & proximi temerarius accusator. Contra Publicanus nihil commemorat benefactorum suorum. Tantum sua mala agnoscens, tundit pectus sibi conscium, & implorat Domini clementiam.

14 Vultis scire exitum diversæ precationis? Publicanus ille, qui peccator venerat in Templum, abiit domum in oculis Dei justior illo Pharisæo, qui sibi videbatur justissimus. *Quisquis enim semet extollit* apud sese, *dejicietur* in oculis Dei. *Et quisquis se dejecerit* apud sese, *sublimis erit* in oculis Dei.

15 Ecce autem altera occasio, qua nobis mode-

6 Ait autem Dominus: Audite quid judex iniquitatis dicit:

7 Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis?

8 Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?

9 Dixit autem & ad quosdam, qui in se confidebant tamquam justi, & asperna-bantur ceteros, parabolam istam:

10 Duo homines ascenderunt in templum ut orarent: unus Pharisæus, & alter publicanus.

11 Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi quia non sum sicut ceteri hominum: raptores, injusti, adulteri: velut etiam hic publicanus.

12 Jejuno bis in sabbato: decimas do omnium quæ possideo.

13 Et publicanus à longe stans, nolebat nec oculos ad cælum levare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.

14 Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

15 Afferebant au-

* Alia Editio, hæc.

Digitized by Google

tem ad illum & infantes, ut eos tangeret. Quod cum viderent discipuli, increpabant illos.

16 Jesu autem convocans illos, dixit: Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos. talium est enim regnum Dei.

17 Amen dico vobis: Quicunque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.

18 Et interrogavit eum quidam princeps, dicens: Magister bone, quid faciens vitam aternam possidebo?

19 Dixit autem ei Jesus: Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus.

20 Mandata nosti: Non occides: Non mœchaberis: Non furtum facies: Non falsum testimonium dices: Honora patrem tuum & matrem.

21 Qui ait: Hæc omnia custodivi à juventute mea.

22 Quo audito, Jesus ait ei: Adhuc unum tibi deest: omnia quæcunque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni, sequere me.

23 His ille auditis, contristatus est: quia dives erat valde.

24 Videns autem Jesus illum tristem factum, dixit: Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt.

stiam cum simplicitate conjunctam commendaret Dominus. Matres afferebant ad Jesum infantes suos ut tangeret ac benediceret, existimantes futurum, ut hoc pacto tutiores essent à casibus ac morbis, quibus illa ætas solet esse obnoxia. Id videntes discipuli, increpabant eas, quod Domino satis alioquin, ut ipsis videbatur, occupato, rebus hujusmodi levioribus facesserent negotium.

16 Jesus autem tametsi non ignoraret hæc ab suis officiosa quadam sedulitate geri, tamen ut nobis exprimeret exemplum simplicitatis, modestiæ & innocentiæ, simulque Pastores doceret, non oportere quenquam, quamvis humilem aut imbecillem, despicere, convocavit discipulos suos ad se, dixitque: *Sinite pueros venire ad me, nec obsistite, quo minus adducantur, talium est enim regnum Dei.* Proferatur exemplum omnibus, ut intelligant quo sit proficiendum. Nesciunt fucum, nesciunt fastum, nesciunt referire, nesciunt regerere convitium, nesciunt avaritiam, nesciunt ambitionem, mera est innocentia, mera simplicitas.

17 Illud affirmo vobis, regnum Dei non recipit, nisi ad hanc imaginem transformatos. Proinde nisi quis accesserit ad doctrinam Euangelicam ea simplicitate, qua sunt hi pueri, non intrabit in regnum Dei.

18 Rursus accessit ad Jesum quidam è magnatibus, velut explanaturus ipsa re, quid sibi vellet, quod dixerat Jesus de pueris. Ait autem: *Magister bone, quid faciam ut vitam assequar aternam?*

19 *Jesus* autem volens indicare, boni cognomen in neminem competere, nisi in solum Deum, qui suapte natura bonus est, *respondit illi: Cur me vocas bonum? Nemo bonus nisi solus Deus:* non quod Dominus non agnosceret cognomen boni, quatenus erat Deus: sed quod dives ille boni vocabulum tribueret Jesu tanquam homini, fortassis & sibi arrogaturus, si incidisset occasio. Non recte igitur bonum appellabat, quem non credebat esse Deum. Ideo vero recusavit Dominus id temporis honorem hujus tituli, quod intelligeret percunctatorem non omnino carere fastu, qui sibi videretur multis bonis operibus abundare.

20 Ut autem hominis morbum proferret Jesus, ait: *Nosti præcepta* Legis Mosaicæ, nimirum hæc: *Non occides, non committes adulterium, non facies furtum, non dices falsum testimonium, honora patrem tuum & matrem tuam?*

21 Ad hæc ille, veluti perfectæ justitiæ laudem reportaturus, ait: *Hæc omnia servavi ab adolescentia mea.* Hæc oratio non multum aberat ab illa Pharisaica, sed plurimum aberat à simplicitate puerorum.

22 Proditum igitur est unum vitium, sed suberat & aliud, quod illum reddebat inidoneum regno Dei, id quoque ut proferret Jesus, ait: *Adhuc unum tibi deest.* Quod si voles ingredi regnum Euangelicum, abi, *vende quicquid possides, & erogando pauperibus, reponito tibi thesaurum in cœlis. Eo facto* liber & expeditus *veni, & sequere me.*

23 *His auditis*, percunctator ille *mœrore affectus est: erat enim magnopere dives.* Nondum ad pueri formam redactus erat, cujus animum occuparat amor divitiarum.

24 *Jesus autem videns illum abire mœstum*, qui sic ambiebat felicitatem regni cœlestis, ut tamen opes hujus mundi non posset contemnere, versus ad discipulos, velut admirabundus, *ait: Quam difficile qui divitiis onusti sunt*, per angustam portam *intrabunt in regnum Dei.*

25 *Facilius est enim camelum transire per foramen acus, quam divitem ingredi regnum Dei.*

26 Hoc sermone conturbati discipuli dicebant: Si nemo dives ingreditur, *quis igitur potest salvus fieri?* Paucos enim invenire est, quin divitias aut habeant, aut appetant.

27 Jesus autem perturbationem suorum rursus consolatus est, dicens: *Quod apud homines impossibile est, apud Deum possibile est.* Non est humanarum virium contemnere divitias, eaque commoda, quæ divitias consequuntur. Sed hanc animi sublimitatem impartit Deus iis, qui se per credulitatem simplicem præbent aptos dotibus illius. Dives autem apud Deum esse desiit, quisquis posuit amorem pecuniæ, & sic habet, ut libenter sit relicturus, quoties id postularit ratio salutis æternæ.

28 Ex hoc sermone bonam spem concipiunt Apostoli, quorum plerique reliquerant id, quicquid erat quod antea possidebant. Horum igitur nomine loquitur Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*, præstitimus, quod ab illo divite exigebas.

29 Quanquam autem perquam exiguum erat, quod Petrus & Andreas reliquerant, relicturi majora si habuissent: Dominus collaudat illorum promtitudinem, & ne pœniteat relictorum, ostendit ingens esse lucrum, ob regnum Dei feciſſe divitiarum jacturam.

30 Siquidem pro rebus caducis ac vilibus contemtis, & hîc animus locupletatur bonis cœlestibus, & in futuro seculo rependitur æterna felicitas. Ait autem hunc in modum Dominus: *Hoc pro certo confirmo vobis*, non solum vobis cedet in magnum lucrum reliquisse possessiunculas vestras mea causa, verum etiam *quicunque ob regnum Dei reliquerit vel domum, vel parentes, vel fratres, vel uxorem, vel liberos, & in hac vita longe plura* ac meliora relictis *accepturus est, & præterea in futuro seculo vitam accipiet æternam.*

31 His dictis quum erexisset animos discipulorum suorum, assumsit secum duodecim Apostolos, quos nihil oportebat ignorare eorum, quæ gerebantur pro salute generis humani. Atque his rursus apertius etiam cœpit inculcare de morte, quam Hierosolymæ sciens ac volens esset oppetiturus, juxta vaticinia Prophetarum. Sciebat enim eos vehementer perturbandos morte Domini sui, eoque crebrius sermonem hunc inculcat, ut tandem inhæreat animo, ac paulatim assuescant ferre, à cujus mentione prorsus abhorrebant illorum aures. Atque hæc quidem non incredulitas erat, sed vehemens quidam amor erga Præceptorem. Seorsum igitur illis indicavit instare tempus mortis: *Ecce*, inquit, *adscendimus Hierosolymam, ac perficientur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis.*

32 *Tradendus est enim Gentibus, & ab illis illudetur, & flagellabitur, & conspuetur:*

33 *Postquam autem flagellaverint eum*, & omne probri genus in eum ediderint, *occident denique, sed ille tertio die resurget.*

34 Verum hic sermo quoniam ingratus erat, non descendebat in animos Apostolorum: ut difficile credimus, quæ nolimus esse vera. Nondum autem percipere poterant mysterium crucis, unde novo Dei consilio salus erat orbi proditura. Non libebat credere morte violenta periturum hominem tam carum: nec poterant credere occidendum ab impiis hominibus, qui tam admirandis factis polleret, qui toties è manibus impetentium elapsus esset: denique non dubitabant quin facilius esset illi futurum efficere, ne moreretur, quam ut à morte reviviſceret. Et satius esse ducebant, omnino non mori, quam post mortem vitæ restitui. Quanquam autem de Domini sui fide dubitare non poterant, tamen ita blandiebantur suis affectibus, & interpretabantur in his Jesu sermonibus subesse tropum aliquem, cujusmodi Dominus peculiariter uti consuevit, fallens his nonnunquam non modo populum, verum etiam ipsos

27 *Ait illis: Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.*

28 *Ait autem Petrus: Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te.*

29 *Qui dixit eis: Amen dico vobis, nemo est, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, propter regnum Dei,*

30 *Et non recipiat multo plura in hoc tempore, & in seculo venturo vitam æternam.*

31 *Assumpsit autem Jesus duodecim, & ait illis: Ecce ascendimus Jerosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis.*

32 *Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur:*

33 *Et postquam flagellaverint, occident eum, & tertia die resurget.*

34 *Et ipse nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.*

25 *Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei.* 26 *Et dixerunt qui audiebant: Et quis potest salvus fieri?*

Digitized by Google

ipſos Apoſtolos: veluti quum juberet cavere à fermento Phariſæorum: quum reſponderet ſibi eſſe alium cibum, quem eſuriret: quum doceret camelum citius tranſiturum per foramen acus, quam divitem in regnum cœlorum: quum ſignificans ſuam doctrinam eſſe penitus trajiciendam in viſcera animæ, negaret ulli fore vitam, niſi qui ediſſet carnem ipſius ac ſanguinem bibiſſet: quum promitteret ſe templum à Judæis ſolutum, in triduo inſtauraturum. Hujuſmodi ſuſpicionibus blandiebantur affectui ſuo, & ſermonem quidem audiebant, ſed tanquam in ſomnis, vim autem ſermonis penitus non intelligebant: & hoc pro temporis ratione, permittente Domino, ut paulatim aſſueſcerent ei, quod erat futurum amariſſimum, nec ante tempus à præceptore ſuo diffugerent, cujus colloquio multis de rebus adhuc erant erudiendi.

35 *Factum eſt autem, cum appropinquaret Iericho, cæcus quidam ſedebat ſecus viam, mendicans.*

35 Nondum perſpicere poterant arcana conſilii divini, quoniam oculos mentis habebant multa adhuc caligine cæcutientes. Sed magis etiam caligabant cæteri, qui minus erant Domino familiares. Fons autem ſalutis eſt cognitio Jeſu. Cognoſcere enim eſt videre. Lumen eſt fides, tenebræ ſunt terrenæ cupiditates. Et ecce caſus, qui nobis ponat ob oculos, quomodo poſſimus cernere Jeſum: & in uno cæco forma proponitur, quo pacto poſſit à multis tolli cæcitas animi. Unus occurrebat corporeis oculis captus: ſed quam multi ſectabantur Jeſum, qui multo minus videbant animo, poſteaquam & duodecim adhuc habebant oculos ſic obductos ignorantiæ tenebris, ut manifeſtum Domini ſermonem non intelligerent. *Accidit igitur ut quum Jeſus* iter faciens *Hieroſolymam, non procul eſſet ab Hiericho, cæcus quidam ſederet juxta viam publicam mendicans.*

36 *Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc eſſet.*

36 *Is quum* ex ſtrepitu vocum ac pedum *deprehenderet magnam vim hominum prætereuntem, interrogabat, quid hoc eſſet rei:* (ut eſt hoc genus eo curioſius, quod oculis careat)

37 *Dixerunt autem ei, quod Ieſus Nazarenus transiret.*

37 *Reſponſum eſt ei, quod Jeſus Nazarenus tranſiret.*

38 *Et clamavit, dicens: Ieſu fili David miſerere mei.*

38 *Ille protinus* ex his, quæ de Jeſu audierat, concepta fiducia, *clamabat, dicens: Jeſu fili David, miſerere mei.* Addidit blandimentum improbitati, idque ſatis ex more mendicorum.

39 *Et qui præibant, increpabant eum ut taceret, Ipſe vero multo magis clamabat: Fili David miſerere mei.*

39 *Porro turba, qua præcedebat* Jeſum, *increpabat cæcum, jubens eum obticeſcere,* ſuſpicans eum vulgarem eleemoſynam petere, ac metuens, ne homo ſordidus ac mendicus publicus, moleſtus eſſet Domino. *Cæcus autem,* quo magis obſtrepebat turba, *tanto vehementius clamabat, eadem iterans: Jeſu fili David, miſerere mei.* Quoniam non licebat videre Jeſum, tanto magis intendebat vocem, neſcius quantum abeſſet quem appellabat.

40 *Stans autem Ieſus juſſit illum adduci ad ſe. Et cum appropinquaſſet, interrogavit illum,*

40 *Jeſus autem,* qui ſemel atque iterum vociferantem diſſimularat, ut evidentiorem redderet hominis fiduciam, tandem *reſtitit, juſſitque cæcum adduci ad ſe,* ut omnium oculos ad miraculi conſiderationem provocaret.

41 *Dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine ut videam.*

41 *Quum autem veniſſet* ad Jeſum, *Dominus interrogavit illum: Quid vis ut faciam tibi?* Non ignorabat quid optaret cæcus, ſed mali confeſſionem exprimebat, ut evidentius eſſet miraculum. Solent enim fingere quidam cæcitatem, quo plus accipiant: & fortaſſis erant complures in turba, qui nihil aliud ſperare auderent quam ſtipem. Solet enim & Dominus, tametſi juxta mundum pauper, ex his, quæ donabantur ab amicis, aliquid elargiri pauperibus. Cæcus autem magna cum fiducia dixit: *Domine fac ut viſum recipiam.* Tribus verbis petit, quod ab homine præſtari non poterat, nihil addubitans, quin illico poſſet, tanquam potentiſſimus, vellet, tanquam elementiſſimus.

42 *Et Ieſus dixit illi: Reſpice, fides tua te ſalvum fecit.*

42 Jeſus autem illius expeditæ reſpondens fiduciæ, verbo reddidit oculos, dicens: *Recipito viſum. Fides tua te ſalvum fecit.* Fide conſpexerat Jeſum, prius quam oculis corporis cerneret. Hæc nimirum eſt, quæ nihil non impetrat à clementiſſimo Domino: hæc eſt, quæ in mediis vitiorum tenebris, tamen procul compellat Jeſum, ut miſereatur. Obſtrepit clamanti malorum conſcientia, ſed hoc acrius intendit vocem ardor fidei. Hujuſmodi mendicos amat Dominus Jeſus, & ideo differt nonnunquam quod petitur, ut plura promereatur qui mendicat. In tenebris altiſſimis verſantur qui pro Deo colunt lapides ac ligna: quibus pecunia, quibus venter Deus eſt: qui ſerviunt ambitioni, qui libidini, qui furialibus bellis tumultuantur. Hi ſi nondum poſſunt accedere ad Jeſum, quia videre non poſſunt, ſaltem ad ſtrepitum toto orbe Jeſu gloriam prædicantium interrogent: Quid eſt hoc rei? Ubi cognoverint præterire Jeſum, ne ſinant elabi præſentem occaſionem, ſed miſerabili clamore fatigent aures illius: & ſi malorum præteritorum conſcientia ſuadeat ſilentium, tanto inſtantius fidentis animi clamor pulſet aures. Non eſt cuiquam ſurdus Jeſus, qui petit cum fiducia, verbo dare poteſt quod petitur. Tranſit quidem, ſed non præteribit longius, ſi vocem intenderis. Felix autem mendicus, poſteaquam ad ipſius vocem reſtitit Jeſus. Quid miri, ſi ad vocem interpellantis reſiſtit, qui ad ovem perditam tanto itinere venire dignatus eſt? Felicior autem cæcus, poſtquam adducitur ad Jeſum: jam enim ſaluti proximus eſt. Nec diu cæcus eſſe poteſt, quiſquis acceſſerit ad fontem omnis lucis. Non adſpernatur mendicum Dominus ille fons omnis gloriæ, & homo peccator faſtidit proximum ſuum. Ubi coram veneris, ubi à te ipſo receſſeris, non eſt opus prolixa oratione, tantum dic quid velis, ſed dic cum fiducia, non de tuis meritis, ſed de illius virtute ac pari bonitate concepta, ac protinus redibit viſus una cum ſalute.

43 *Et confeſtim vidit, & ſequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.*

43 Mox enim ut dixerat Jeſus, Adſpice, vidit, & ex mendico factus eſt Jeſu ſectator, ac prædicator divinæ bonitatis. Quin & populus, conſpecto tam inſigni miraculo, tribuit laudem Deo.

CAP. XIX.

Tempori ades Zachæe: it Rex ſibi regna paratum:
Abducunt aſinum: fletque domuſque precum.

1 *Et ingreſſus pertransibat Iericho.*

1 ATQVE hic cæcus, cui Dominus lucem reddidit, non inepte deſignat populum gentium. Siquidem Judæis aliquid lucis præſtabat Lex. Gentes in altiſſimis ignorantiæ tenebris verſabantur, adeo ut apud hos plerique non crederent omnino Deum eſſe, alii crederent innumerabiles eſſe, ſed hominibus ipſis ſceleratiores. Rurſus alii putabant Deo nullam eſſe curam rerum humanarum. Nec defuerunt, qui Solem & Lunam, qui boves, canes, ſimias, denique qui porrum & cæpe pro Diis haberent. Inter hos erant, qui neſcirent certa connubia, ſed ritu pecudum uterentur promiſcua Venere. Erant apud quos pium eſſet, occidiſſe ſenes parentes. Erant apud quos fas erat, veſci carnibus humanis. Erant apud quos religio eſſet, cariſſimos filios mactare Dæmonio. Quid hac cæcitate deploratius? Et tamen hic cæcus, omnium virtutum egenus, ſenſit prætereuntem Jeſum, quem Judæorum natio ad ſe venientem repulit, intendit vocem fidei: *fili David miſerere mei.* Coegit reſiſtere Jeſum. Meruit interrogari. Confeſſus eſt cæcitatem ſuam, oſtendit votum ſuum: *Domine, ut videam.* Accepit quod ſimpliciter petebat. Ex cultore portentorum factus eſt cultor Jeſu: ex mancipio Dæmonum ac vitiorum omnium, factus eſt diſcipulus & aſſecla Jeſu: ex mendico publico, ac miſeræ ſtipis flagitatore, factus eſt præco virtutis divinæ. Frequenter autem Judæis ingeritur exemplum hujuſmodi, quo vel reſipiſcant ab incredulitate, vel palam faciant in poſterum ſe merito rejectos fuiſſe, qui ſanari nollent. Et hic quidem typus exhibitus eſt ad ingreſſum civitatis Hiericho.

2 *Et ecce vir nomine Zacheus: & hic princeps erat publicanorum, & ipſe dives:*

2 Sed mox in ipſa civitate ſeſe præbuit exemplum evi-

Digitized by Google

evidentius. *Quum* enim *ingreſſus* Dominus *iret per mediam civitatem* undique ſtipatus denſiſſima turba promiſcuæ multitudinis, *erat vir quidam*, ex re *nomen habens Zachæus*, ardens ſtudio juſtitiæ, *quum eſſet Publicanorum princeps, & idem prædives*, quum neque vitæ genus, neque fortunæ indulgentia ſatis congrueret huic animo.

3 Et quærebat videre Jeſum, quis eſſet: & non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat.

3 Tenebatur autem ingenti deſiderio videndi Jeſu, ut eum de facie quoque noſſe poſſet, de quo rumor tam admiranda ſparſerat. Credebat & amabat quod audierat, & ideo juxta votum Simeonis ac Patriarcharum, ſancta cupiditate geſtiebat & oculos explere felici ſpectaculo, majora quoque conaturus, ni modeſtia obſtitiſſet: & ob hoc ipſum dignior, cui Jeſu major fieret copia. Diu tenuerat & Herodem deſiderium videndi Jeſum. Vidit & adſpernatus eſt. Nam fruſtra videt Jeſum, qui viciſſim à Jeſu non videtur. Zachæum viderat Jeſus antequam ab ipſo videretur. Herodes videre cupiebat, qui miraculo quopiam edito delectaret curioſos Regis oculos. Zachæus ideo videre cupiebat, ut ſciret quis eſſet: nimirum unicus ille Filius Dei, totius ſalutis auctor omnibus ipſi fidentibus. Non magnum eſt videre Jeſum juxta carnem his oculis, quibus eum quotidie cernebant Phariſæi, & deridebant. Sed diſcipulorum oculi beati prædicantur, qui videre meruerunt, quod multis terræ Principibus negatum eſſet. Beatus pronuntiatur Simon Barjona, qui viderat, quis eſſet Jeſus, quum ſic pronuntiaret: *Tu es ille Chriſtus Filius Dei vivi.* Non viderant quis eſſet Judæi, qui dicebant: *Nonne hic eſt filius fabri?* Sed pio deſiderio Zachæi obſtabat pudor, quo minus ad Jeſum perrumperet, obſtabat undique circumfuſa hominum multitudo. Obſtabat humilitas corporis. *Erat enim ſtatura puſillus.* Humiles ſunt, qui rebus ſordidis ac fluxis incumbunt. Nam humile eſt, quicquid habet hic mundus, ſi conferatur ad majeſtatem Euangelicam. His non eſt conſpicuus Jeſus, niſi ſeſe ſubducat in altum. Jeſus ſublimis non conſpicietur niſi ab humilibus. Jeſus humili ac populari turbæ mixtus non cernitur, niſi ab his qui faſtigium rerum humanarum calcarint pedibus. Et ideo ut à puſillis omnibus undique gentium conſpici poſſet, ipſe poſt conſcendit ſublime lignum crucis.

4 Et præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum ut videret eum: quia inde erat tranſiturus.

4 Zachæus itaque puſillus, non ſolum corporis ſtatura, ſed animi quoque modeſtia, quo ſublimis videret humilem Jeſum, præcurrens occupavit locum, qua Jeſus erat tranſiturus. Suggeſtum præbebat arbor dicta Sycomorus, quod ficos gignat ſui generis, unde & Ficus Ægyptia dicitur, ſed foliis morum arborem referens. Judæorum turba medium cingebant Jeſum. Præceſſerat Lex, præceſſerant Prophetæ, hinc atque hinc claudebat latus illa ætas. Sequitur & hodie Judæorum natio, diſcit quæ fecerit, quæque docuerit Jeſus: nec adhuc cernere poteſt, quis ſit ille Jeſus, unde oporteat ſperare ſalutem. Zachæus præcurrens occupat hanc felicitatem, nimirum gentium typum gerens. Quid eſt in cauſa? Quia adhuc humi manet Judæus, & hærens carni Legis. Non conſpicitur autem Jeſus, niſi ab his, qui ab humili litera Legis erigunt ſeſe ad ſenſum ſublimiorem ſpiritus. Ex hoc ſuggeſto licet videre quis ſit & ubi ſit Jeſus. Alioqui ſi turbæ maneas admixtus, hoc eſt, ſi nihil eximium ſapias, frequenter audias illam fallacem vocem: *Ecce hic eſt, ecce illic eſt Chriſtus.* Phariſæi clamant: *Ecce hic eſt Chriſtus.* Sadducæi clamant: *Ecce hic eſt.* Ebionitæ clamant: *Ecce hic eſt.* Alius oſtendit aliquem è Phariſaico genere, nigro pallio, & dicit: *Adſpice, hic eſt Chriſtus.* Alius rurſus indicat alium candido pallio, & dicit: *Ecce hic eſt Chriſtus.* Alius diverſos indicans colores & formas veſtium, clamat: *Hic eſt Chriſtus.* Alius demonſtrat veſcentem piſcibus, & dicit: *Hic eſt Chriſtus.* Alius ſpadonem oſtendit, & dicit: *Hic eſt Chriſtus:* O Judaicum & incredulum genus! Vis videre Jeſum? Conſcende arborem, ſume tibi oculos Zachæi. Non ille cupit videre veſtem Jeſu, ſed faciem cupit agnoſcere. Hæc velata eſt in ſacris Litteris. Amove velum, erige intellectum ad ea quæ ſunt interna, & videbis Jeſum. Videbis unde nobis vera proficiſcatur ſalus. Incedit erectus ac ſublimis Phariſæus, ſibi placens, ſibi juſtitiæ laudem, ſibi Legis cognitionem vindicans. Et dum ſibi videtur abunde magnus ac vicinus Chriſto, non dignatur arboris uti præſidio. Zachæus autem humilis in oculis ſuis, & arborem conſcendit, & videt quod optat. Fortaſſis & hæc Ficus erat illi ſimilis, quam exſecratus eſt Dominus, eo quod foliorum virore promitteret fructum eſurienti, quum non haberet: & jam tempus erat, ut poſt Legis figuras, poſt Prophetarum oracula, proferret fructum Euangelicæ pietatis. Hæc erat illa Ficus, quam Dominus juſſerat excidi funditus, niſi admoto lætamine deſiiſſet eſſe ſterilis, & propemodum ſterilis erat, niſi illam conſcendiſſet Zachæus. Stirps illa Judaicæ Ficus producebat groſſos inſipidos & immaturos: verum, ut conſcendit arborem Zachæus, ut inſitus eſt populus gentium, jam cœpit proferre fructum, qualem amat Dominus Jeſus. A Judæis exſpectatus erat multis ſeculis, tandem venit ad illos: admixtus illis ambulavit, nec agnitus eſt. Gentium populus tantum audierat famam Jeſu, & accenſus amore cognoſcendi, quem Judæi ſuſpenderunt in ligno, præcucurrit ardore fidei: & agnita ſua injuſtitia, humilis contemſit literam Legis: contemſit ceremonias & figuras, quas & hodie Judæi pro veris amplectuntur, ac per fidem Euangelicam ſpiritualibus oculis cernit prætereuntem in Apoſtolis, & agnoſcit Jeſum: & ultro meretur habere hoſpitem, quem Judæorum incredulitas expulerat. Interea ſedet in arbore puſillus ille *Zachæus*, obviis oculis exſpectans adventantem Jeſum: nondum edoctus, quo ſigno poſſit eum agnoſcere, niſi quod ſperabat id, quod vehementer optabat. At ubi ventum eſt ad Sycomorum, fortaſſis Zachæus multis Judæorum erat riſui, dives ac publicanus ſublimis in arbore ſpectator unius hominis. Non enim cupiebat cognoſcere quenquam, niſi ſolum Jeſum.

5 Et cum veniſſet ad locum, ſuſpiciens Jeſus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe feſtinans deſcende: quia hodie in domo tua oportet me manere.

5 Jeſus autem delectatus hominis inſigni cupiditate, quam ipſo facto, quam vultu atque oculis præ ſe ferebat, quanquam & ante viderat illum, tamen ut & Judæis oſtenderet exemplum promtæ credulitatis, ſublatis in altum oculis, vidit Zachæum. Jam mihi ſalutem aliquam inſignem exſpecta, quoties obtutu ſuo quempiam dignatur Jeſus. Habent enim illius oculi ſalutare faſcinum. Ille videre tantum ambierat, ſed fruſtra videt Jeſum, quem ille * non dignatur oculis ſuis. Submove te ab humilibus ac ſordidis rebus, & ſuſpiciet in te Jeſus. Habet quiddam bonis ominis adſpectus, ſed majoris eſt felicitatis audire vocem. Quum enim Zachæus nihil aliud quam intueretur Jeſum, Dominus ultro dixit illi, ipſo etiam nomine ut notum compellans: *Zachæe feſtinanter deſcende, quoniam hodie oportet me domi tuæ manere.* Accepimus Dominum frequenter rogatum iviſſe ad convivium, nunquam autem accepimus ultro non invitatum ingeſſiſſe ſeſe. Atque id vulgo parum habetur civile. Sed introſpexerat Dominus affectum hominis, cui tanti erat vidiſſe Jeſum prætereuntem. Plura tentaturus erat, niſi propria indignitatis conſcientia obſtitiſſet. Cogitabat apud ſe: Felices, quibus contigit adhærere tali, quibus coram intueri vultum, quibus audire cominus vocem hominis. Judæorum hæc eſt felicitas. Ego Publicanus ſum. Mihi abunde magnum eſt vidiſſe prætereuntem. Nulla vox invitantis prodierat, ſed hîc animus erat urbaniſſimus invitator, ſic amat invitari Dominus Jeſus. Plus impetrat, qui quod tacite ſecum optat, propter conſcientiam imbecillitatis ſuæ

* Alia Editio addit, *viciſſim.*

non

Digitized by Google

non audet petere, quam qui veluti devincturus officio Jesum, vocat illum ad se. Nunquam enim propius accessit ad Jesum Petrus, quam quum diceret: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Efficax invitator erat & ille qui, dicebat: *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Jam in illius ædibus erat Jesus, cum sanaretur puer ejus: illic enim Jesus est, ubicunque salus est. Sitiebat Jesus salutem gentium, & ideo jubet, ut festinanter descendat Zachæus. Jam enim venerat tempus, ut salus demigratura à Judæis transiret ad Ecclesiam gentium. Illic enim oportet manere Jesum usque ad consummationem seculorum: quia non licuit manere apud Judæos. E sublimi speculatus fuerat Jesum per fidem, descendit ad officia pietatis: non enim satis est contemplari Jesum, quoties eget hospitio: eget autem, quoties eget proximus.

6 Et festinans descendit, & excepit illum gaudens.

6 Quid interea Zachæus? Nihil omnino respondet, (ingens enim affectus vocem adimere solet) sed nihil cunctatus obtemperat. *Festinanter descendit.* Non enim convenit cunctari, quoties nos vocat Jesus. Judæi vocabantur, & excusant, Zachæus gestiens & gaudens excepit Jesum in ædes suas. O miseram Synagogam, quæ perdidit hospitem Jesum! O felicem Ecclesiæ domum, quæ sua promtitudine provocavit ad se totius felicitatis auctorem Jesum! Vides initium Ecclesiæ collectæ è gentibus. Nunc considera Judaici livoris imaginem.

7 Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes quod ad hominem peccatorem divertisset.

7 *Turba* quum videret Jesum tam propensum erga Publicanum, ut ultro semet in ædes illius invitaret, *murmurabat quod ad hominem peccatorem divertisset.* O contaminatam & invisam Deo justitiam, quæ mavult fastidire, quam sanari, mavult invidere proximo, quam communicare! *Ad hominem*, inquiunt, *peccatorem:* quasi non primum omnium peccatum sit invidere proximo, & quasi bonus esse possit, qui fratri salutem invideat. Quid stas extra fores Ecclesiæ, invide Judæe? Licet & tibi ingredi. Quod si recusas, tamen apud Zachæum decretum est Jesu manere. Gloriantur gentes tali hospite, quem non exspectarant. Et hoc gratius est, quia non solum præter meritum, verum etiam præter exspectationem evenit. Ut nunc obmurmuratum est Jesu propter Zachæum, ita post obmurmuratum est Petro ob Cornelium Centurionem: *Quare introisti ad viros præputium habentes?*

8 Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.

8 Sed quid interea? Zachæus contemto murmure populi Judaici stat ante Jesum, ambiens etiam in discipulorum adsciscí numerum, ostendens quousque jam profeciisset: *Ait* enim *ad Jesum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid quem defraudavi, reddo quadruplum.* Audis, Pharisæe? non commemorat Zachæus victimas, non delectus ciborum, non jejunia, non dies festos, non sabbatismos, non lotiones, non vestem jactat aut genus, sed opera caritatis adducit. In his peccator vincit justos, ac de sua sanctimonia gloriantes Publicanus antecellit. Siquidem Pharisæus ille, prædicator suorum benefactorum, decimas duntaxat bonorum suorum dabat pauperibus. Hic dabat dimidium, nec dabat è præda, sed si quid fraude partum erat, restituebat fœnore quadrupli. Deinde de juste quæsitis largiebatur dimidium egenis. O vices rerum mire inversas! Quod intus erat in Pharisæis, id erat plenum rapina ac dolo: & Zachæum habemus justum & liberalem, hominem non solum divitem, verum etiam Publicanum, atque adeo hujus generis principem, quo magis etiam erat abominabilis apud Judæos. Sed nihil moratur titulos Dominus, mentem intuetur, & ex factis æstimat: ex his autem factis, quæ ex fide & caritate proficiscuntur. Neque vero jactanter hæc de se prædicabat Zachæus, quemadmodum ille Pharisæus suæ justitiæ buccinator apud Deum, & Publicani derisor. Zachæus non præfert suam justitiam alienæ justitiæ, sed ut homo peccator ac publicanus simpliciter aperit, sibi fuisse studium justitiæ, etiam antequam videret Jesum, ex quo discere cupit, recte fecerit, nec ne: & quid præterea foret addendum ad adipiscendam vitam æternam. Sic enim expediebat, ut hæc Zachæi vox audiretur ab invidis Judæis, & à Christo iisdem audientibus probaretur. Non enim poterat illis efficacius exprobrare suam fraudulentiam, avaritiam, rapacitatem: qui non solum ipsi nihil largiebantur egenti proximo, verum etiam prætextu pietatis, parentes fraudabant à filiis debito subsidio.

9 Ait Jesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est: eo quod & ipse filius sit Abraha.

9 Jesus itaque versus ad murmurantes Judæos, ait: Illud affirmo vobis, quod *hodie salus contigit huic familiæ*, eo quod ipsa quoque pertineat ad parentem Abraham, quo generis auctore vos gloriamini. Quisquis enim fide ac sinceritate vitæ, pietateque refert Abraham, is filius est Abrahæ, consors benedictionis, olim Abrahæ promissæ. Non obstat huic genus ab Abrahæ stirpe diversum, non vitæ genus antehac in peccatis actum, quisquis à priore vita resipiscens, amplectitur doctrinam Euangelicam: quisquis Abrahæ vestigiis ingressus sequitur veram justitiam, filius est & hæres Abrahæ.

10 Venit enim Filius hominis quærere & salvum facere quod perierat.

10 Nec enim hujusmodi fastidiet *Filius hominis*, qui *in hoc ipsum venit in mundum, ut quæreret* quod aberrarat: *servaret quod perierat.* Hi peccatores Deo gratiores sunt, quam qui falsa persuasione justitiæ tument.

11 Hæc illis audientibus, adjiciens dixit parabolam, eo quod esset prope Jerusalem: & quia existimarent quod confestim regnum Dei manifestaretur.

11 Hoc sermone Jesus declarabat, posthac non esse gloriandum in observatione Legis, sed quicquid dotis obtigisset cœlesti munificentia, id totum eo conferendum, ut quam plurimos homines pertrahamus ad salutem. Nam hoc lucro potissimum delectatur Deus, qui in hoc miserat Filium suum, ut universas orbis nationes gratis condonatis peccatis adjungeret sibi. Erant autem & inter discipulos, qui putabant, mox ut venisset Hierosolymam, cui jam cœperat esse vicinus, appariturum regnum cœlorum, de quo toties meminerat, imaginantes regnum aliquod mundano simile, quum Christus sentiret de regno spiritus Euangelici, per quem opprimitur tyrannis peccatorum. Id autem regnum non constat copiis, armis, aut vi, sed fiducia erga Deum, sed beneficentia in proximum, sed clementia, sed sincera ac liberali dispensatione sermonis Euangelici.

12 Dixit ergo: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reverti.

12 Porro majestatem hujus regni, quæ pios decorabit immortali gloria, impios æternis suppliciis addicet, non statim esse proferendam, sed suo tempore nobis incognito prodendam. Interim illud omnibus modis agendum, ut quam quisque dotem habet, primum meminerit, esse pecuniam Domini, cui debemus omnia, & in hujus lucrum eroganda bona fide quod accepimus: non quod ille ullius rei sit indigus, sed quod pro sua erga genus humanum caritate sitiat omnium salutem: magnoque sese lucro auctum existimet, si homo per hominem resipiscat à vitiis, & ad Euangelicæ pietatis studium convertatur: ut habeat quod in utroque remuneretur, & eo qui juvat beneficio, & eo qui adjutus est. Nec enim est quod hinc nobis vindicemus laudis, aut gratiæ. Servi sumus omnes, operam debemus Domino. Sors tota illius est, cujus sumus & ipsi: tantum hoc pro sua cuique virili enitendum est, ut augeat rem Domini, de præmio relinquat arbitrium Domino, qui suo tempore promtam voluntatem nostram, ac fidelem conatum, largissime remunerabitur. Parabola sic habet: *Homo quidam nobilis* ac præpotens, *profectus est in regionem longinquam, ut asseret sibi regnum*, quod alius per tyrannidem occuparat, *eoque peracto domum sese reciperet.*

13 Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem minas, & ait ad illos: Negotiamini dum venio.

13 *Sed is* priusquam ingressus est iter, *convocavit servos suos, quos habebat decem, ac tradidit illis minas decem*, sic, ut inter omnes esset æqua sortis partitio, simulque mandavit illis: Hanc, inquit, pecu-

Digitized by Google

cuniam vobis trado, non ut prodigatis, aut ſervetis otioſam apud vos, ſed ut negotiatione creſcat, videlicet ut reverſus, reperiam rem domi auctam. Hunc ad modum rebus domi ordinatis, profectus eſt.

14 Cives autem ejus oderant eum: & miſerunt legationem poſt illum, dicentes: Nolumus hunc regnare ſuper nos.

14 Cives autem ejus civitatis, cui præerat, oderant eum. Itaque profecto illo, cœperunt agitare de rebus novandis, hoc molientes, ut dum alterum regnum aſſerit, ab eo, quod poſſidebat, excluderetur. Miſerunt itaque legatos ad illum jam profecturum †, qui referrent illi, cives eſſe hujus animi, ut poſthac nollent illum habere Regem, ne rediret unde profectus eſſet.

15 Et factum eſt ut rediret accepto regno: & juſſit vocari ſervos, quibus dedit pecuniam, ut ſciret quantum quiſque negotiatus eſſet.

15 Accidit autem ut ille vindicato regno, cujus gratia profectus fuerat, rediret: ac protinus juſſit vocari ſervos ſuos, quibus tradiderat ſortem decem minarum, ut ſubductis rationibus, ſciret quantum quiſque feciſſet lucri.

16 Venit autem primus dicens: Domine, mina tua decem minas acquiſivit.

16 Prodiit primus, qui poſtulatus rationem, ait: Domine, mina tua crevit ad decem minas.

17 Cujus induſtriam ac fidem collaudans dominus, reſpondit. Euge ſerve bone, quoniam quum res meæ eſſent anguſtiores, in exigua pecunia declaraſti te fidelem, & amantem erga dominum tuum, nunc rebus meis auctis, æquum eſt, ut particeps ſis amplioris fortunæ. Sume præfecturam decem civitatum.

17 Et ait illi: Euge bone ſerve, quia in modico fuiſti fidelis, eris poteſtatem habens ſuper decem civitates.

18 Poſt hunc venit alter ſervus, qui poſtulatus rationem, ait: Domine, mina tua, quam mihi pro ſorte dediſti, peperit tibi quinque minas.

19 Et hujus induſtriam, tametſi inferiorem, collaudavit dominus: Pro modo, inquit, induſtriæ tuæ eſto & tu præfectus quinque civitatum.

18 Et alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas.

20 Quum ad hunc modum cæteri quoque reddita ratione, pro ſuo quiſque modulo donati eſſent dignitate, tandem venit ſervus unus omnium ignaviſſimus, peſſimæque fidei, qui domino exigenti rationem, reſpondit: Domine, en referam * tibi minam, quam mihi credideras. Eam hactenus habui repoſitam in ſudario, quo tibi ſicut erat, eſſet incolumis. Adeo non profudi, ut nec attigerim. Hoc malui quam venire in periculum, ne ſi male ceſſiſſet negotiatio, tecum mihi res eſſet.

19 Et huic ait: Et tu eſto ſuper quinque civitates.

21 Metuebam enim te, non ignarus quam ſis homo auſterus & lucri avidus, adeo, ut non ſolum nihil dones de tuo, verum etiam inde tollas, ubi nihil poſuiſti: & inde meſſem colligas, ubi non feceris ſementem.

20 Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repoſitam in ſudario:

22 Dominus autem non tantum offenſus ignavia ſervi, verum etiam quod culpam ſuam referret in mores Domini, commotus, ait: Serve piger, malæ fidei, & inſuper inſimulator domini tui, in tuum ipſius caput protuliſti ſententiam. Noveras, ut ais, quod homo ſim auſterus, & lucri avidus, inde tollens ubi nihil depoſui, inde metens ubi nihil ſeminavi:

21 Timui enim te, quia homo auſterus es: tollis quod non poſuiſti, & metis quod non ſeminaſti.

23 Atqui hoc ipſum te debebat ad induſtriam excitare, ut meam pecuniam traderes menſariis. Veniſſem enim haud dubie, & eam ſimul cum uſuris exegiſſem abs te, quod tibi in hoc credideram, ut per te creſceret.

22 Dicit ei: De ore tuo te judico ſerve nequam: ſciebas quod ego homo auſterus ſum, tollens quod non poſui, & metens quod non ſeminavi:

24 Ad hanc heri vocem quum obmutuiſſet ſervus inutilis, dominus dixit cæteris ſervis adſtantibus: Auferte ab illo minam, & date illi, qui habet decem minas.

23 Et quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, ut ego veniens cum uſuris utique exegiſſem illam?

25 Hoc admirantes ſervi, dixerunt: Domine, quid opus eſt huic addere? Satis beatus eſt: habet enim decem minas.

24 Et aſtantibus dixit: Auferte ab illo mnam, & date illi qui decem mnas habet.

26 Tum dominus: Veſtra nihil refert quid habeat, ſic mihi viſum eſt, & ſic æquum eſt in hac ratione, ut quiſquis induſtria fideli auxerit rem

25 Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas. 26 Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet auferetur ab eo.

† Alia Editio, *profectum*. * Altera Editio, *refero*.

domini, huic mea benignitas adjiciat aliquid, ut magis etiam abundet. Contra, qui per ignaviam nihil lucri ſibi paravit, hujus egeſtati adeo non ſubveniet mea liberalitas, ut hoc ipſum etiam quod habet, ſit auferendum. Mea ſors erat, mihi debebatur lucrum, veſtrum erat præſtare debitam operam. Nunc & ſortem vobis largior, & lucrum. Hactenus ænigmate Dominus Jeſus docuit diſcipulos ſuos, ut in negotio prædicationis Euangelicæ ſe quiſque quam maxime fidelem ac induſtrium præberet, præmium autem exſpectarent in altero adventu Domini, quum jam apparebit potens ac ſublimis, regno Eccleſiæ jam vindicato ac tradito Patri. Primum enim Deus tantum in Judæa notus, unius tantum civitatis Regulus eſſe videbatur, quum Diabolus impune regnaret in alieno, per diverſas * orbis nationes. Cupiens autem ſibi vindicare per Euangelii prædicationem, quod ſibi Satanas per tyrannidem occuparat, reliquit Judæorum terram, ac profectus eſt in cœlum: ſed prius diligenter inſtructis diſcipulis ad munus Euangelicæ negotiationis, quibus credidit Euangelici ſermonis diſpenſationem, veluti ſortem quandam, unde lucrum ingens per illos accreſceret Domino, talium lucrorum avidiſſimo. Attraherent ad regnum Euangelicum quoſcunque poſſent, publicanos, meretrices, milites, Græcos, Romanos, Scythas, Gallos, Gothos, Sarmatas. Hoc autem agerent uſque ad reditum Domini, qui rediturus eſt in fine hujus mundi, diſtributurus cuique pro ſuis factis æterna præmia. Non venturus eſt autem niſi prius ſubjecerit orbem imperio Euangelico, & in unam Eccleſiam coeant omnes totius orbis nationes. Verum dum hæc molitur per ſuos diſcipulos, Judæi, apud quos ſolos Deus hactenus regnare videbatur, propter cognitionem Legis ac religionis auctoritatem, cives illius, ex quibus & apud quos natus fuerat, quum in primis illum amare debuerint, & in vindicando regno adeſſe modis omnibus, non ſolum nullam opem addiderunt, verum etiam obſtiterunt clamantes apud Prætorem: *Non habemus Regem niſi Cæſarem.* Idem fecerunt & poſt, denuntiantes Apoſtolis cæſis, ne poſthac de nomine Jeſu facerent mentionem. Moſen volebant Regem, Chriſtum nolebant: oderant enim illum, quod adverſaretur ipſorum pravis cupiditatibus. Videmus autem & hodie, quomodo natio Judæorum ſe ſubduxerit à regno Euangelico, quamque pertinacibus odiis conſpirarit adverſus eum, cui data eſt à Patre omnis poteſtas in cœlo & in terra: *Nolumus*, inquiunt, *hunc regnare ſuper nos:* & dum nolunt ſervire Chriſto, ſerviunt omnibus hujus mundi tyrannis, ſerviunt Satanæ tyranno ſæviſſimo: quumque paſſim toto terrarum orbe videant Chriſtianos gaudere libertate ſpiritus, ipſi mordicus etiamnum tenent literam inſipidam, cui ſerviunt velut adſcripti glebæ. Sed his fruſtra reclamantibus vindicatur & confirmatur Eccleſiæ regnum, in quo parando conſtabiliendoque qui fidelem navarint operam, pro modo fructus, quem attulerunt in vinea Domini, gloria & honore coronabuntur in regno cœleſti.

* Alia Editio, *univerſas*.

27 Judæis autem pertinaciter incredulis quid erit præmii? Et hoc explicuit Dominus in reliqua parte parabolæ. Poſteaquam enim ſumſiſſet ſupplicium de ſervo malæ fidei, adjecit: Quin & cives illos meos, genere cives, animo hoſtes, qui ſeditioſa legatione miſſa, deprecati ſunt me Regem, adducite huc, ut occidantur in conſpectu meo, mihique dent pœnas rebellionis. Hæc eſt mors æterna, quæ manet omnes, qui non obediunt Euangelio Filii Dei. Tunc enim merito experientur implacabilem, qui manſuetum & clementem pertinaciter contemſerunt.

27 Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare ſuper ſe, adducite huc, & interficite ante me.

28 Hæc loquutus Dominus, pergebat ire Hieroſolymam, ubi peracturus erat illud eximium ſacrificium pro ſalute generis humani, & è ſpecula crucis velut avarus & ambitioſus Rex, omnia pertracturus ad

28 Et his dictis, præcedebat aſcendens Hieroſolymam.

Digitized by Google

ad ſe. Quanquam enim ubique multi fuerunt, & futuri ſunt, qui clament factis ipſis: *Nolumus hunc Regem ſuper nos*, tamen nulla eſt natio tam procul ſemota à Judæis, unde non plurimos pertrahat ad ſeſe. Rurſus igitur facto inculcat, quod prius deſignarat in Zachæo, quod mox prolixiore parabola explicuit. Procurat interim illud Dominus, quod & ante ſæpe procuravit, ut liqueat omnibus, ſeſe ſponte volentem ac ſcientem pati, quicquid paſſurus erat, alioqui poſſe quicquid vellet.

29 Et factum eſt, cum appropinquaſſet ad Bethphage & Bethaniam, ad montem qui vocatur Oliveti, miſit duos diſcipulos ſuos,

30 Dicens: Ite in caſtellum, quod contra eſt: in quod introeuntes, invenietis pullum aſinæ alligatum, cui nemo unquam hominum ſedit: ſolvite illum, & adducite.

31 Et ſi quis vos interrogaverit: Quare ſolvitis? ſic dicetis ei: Quia Dominus operam ejus deſiderat.

32 Abierunt autem qui miſſi erant: & invenerunt, ſicut dixit illis, ſtantem pullum.

33 Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos: Quid ſolvitis pullum?

34 At illi dixerunt: Quia Dominus eum neceſſarium habet.

35 Et duxerunt illum ad Ieſum. Et jactantes veſtimenta ſua ſupra pullum, impoſuerunt Ieſum.

36 Eunte autem illo, ſubſternebant veſtimenta ſua in via.

37 Et cum appropinquaret jam ad deſcenſum montis Oliveti, cœperunt omnes turbæ diſcipulorum gaudentes laudare Deum voce magna ſuper omnibus, quas viderant, virtutibus.

29 Quoniam autem decreverat per ſummam ignominiam ac dejectionem aſſerere ſibi ſummam apud homines gloriam, & diſcipuli, nondum ad plenum capaces hujus myſterii, neſcio quid magnificum ac præclarum juxta mundum exſpectabant à Domino, voluit ante mortem ad tempus illorum blandiri, vel illudere potius affectibus, & irridere hujus mundi gloriam: oſtendens, quam ſit inanis & infida, quum tantos applauſus, tam honorificas acclamationes, tantum populi ſtudium mox ſequuta ſit crux. Quum itaque Jeſus perveniſſet ad montem qui dicitur Oliveti, vicinus duobus oppidulis in ejus montis latere ſitis, unde jam in proſpectu eſſet Hieroſolyma, emiſit duos è diſcipulis ſuis cum mandatis:

30 *Ite*, inquit, *in oppidum quod videtis è regione. In cujus ingreſſu reperietis pullum aſinæ alligatum pro foribus, rudem adhuc ſeſſori, & cui nullus hominum inſederit, ſolvite illum & adducite mihi.*

31 *Quod ſi quis obſtiterit, interrogans, quare ſolvitis pullum? hunc in modum illi reſpondebitis: Dominus hoc opus habet.*

32 *Abiere diſcipuli, repererunt pullum alligatum.*

33 *Solvere parant. Interim aderant qui rogarent* velut obſiſtentes: *Quare ſolvitis pullum?*

34 *Illi*, ut erant juſſi, *reſponderunt: Dominus opus habet illo.* Audito nomine Domini, paſſi ſunt abduci pullum.

35 *Adduxerunt igitur ad Jeſum.* Ubi vero conſpexere Dominum velle conſcendere, quod tamen nunquam antea fuerat ſolitus, ne in nudo tergo ſederet incommodius, diſcipuli inſtraverunt ſua pallia jumento.

36 Jam autem inſidente Jeſu, & eunte, quidam etiam in via ſtraverunt ſua veſtimenta, vel honoris gratia, vel ne pullus rudis & incalceatus ad lapides offenderet ungulas.

37 Quum autem jam ventum eſſet ad pedem montis, ac recta tenderetur Hieroſolymam, mirus quidam affectus corripuit animos omnium, quorum alii comitati fuerant Jeſum, alii è Hieroſolymis proceſſerant obviam. Nam certatim viam, qua incedebat Dominus, ramis arborum undique decerptis conſternebant, magnoque gaudio, clariſque vocibus cœperunt laudare Deum ſuper omnibus beneficiis ac miraculis, quæ viderant & audierant geſta per Jeſum.

38 Reſonabant undique voces gratulantium, velut triumphatori Domino, & acclamantium: Oſanna in excelſis. *Benedictus qui venit in nomine Domini, pax in cœlo, & gloria in excelſis.* Hæc erat vox promiſcuæ multitudinis, præcipue juvenum, qui velut afflatu quodam Numinis, contemta Phariſæorum invidia, reddidere palam teſtimonium Domino Jeſu.

39 Erant autem in ea multitudine Phariſæi quidam, quos male habebat hæc acclamatio, neſcio quid præ ſe ferens homine majus. Ex his erant qui monerent Jeſum, ut ipſe ſua auctoritate cohiberet acclamationes impias, ex immodico quodam erga Præceptorem ſtudio proficiſcentes, & ob id ingratas etiam ipſi Domino, qui tam eximias laudes non agnoſceret:

40 *Magiſter*, inquiunt, *increpa diſcipulos tuos.* Jeſus autem piam ſimplicis turbæ profeſſionem non compreſſit, ſed Phariſæorum cæcitatem oblique taxavit, qui non vererentur ea, quæ magnifice gerebat Dominus, tribuere Beelzebub principi Dæmoniorum. Reſpondit autem: Qua fronte compeſcam gloriam merito canentes Deo, & quod à Prophetis olim dictum eſt, nunc piis vocibus occinentes? *Illud affirmo vobis*, adeo Deus non vult hanc laudem ſuam ſileri, *ut ſi homines conticeſcerent, ipſi lapides clamaturi ſint.* Et lapidibus duriores ſunt, qui tot beneficiis, tot miraculis provocati, non poſſunt ad prædicandam Dei gloriam permoveri. Hac itaque triumphali pompa, & hujuſmodi ſtipatu Dominus Jeſus ibat Hieroſolymam. Tantulum enim illi libuit guſtare de hujus mundi gloria, antequam ſubiret crucem: & hanc profeſſionem extorſit ab ea gente, à qua mox erat crudeliſſime perimendus, ut Judæi ſua ipſorum voce condemnarentur, quod ſuum Meſſiam ac Servatorem adegiſſent in crucem. Subeſt autem in hac rerum geſtarum hiſtoria non parum myſterii. Aſina ſtabat, ſtabat & pullus aſinæ filius. Aſina jam aſſueverat ſeſſori, Legis jugum ferre ſolita, nimirum Judæorum natio. Pullus aſinæ filius, quoniam ſalus à Judæis cepit exordium, Gentium populus adhuc rudis erat, nec Legis jugo preſſus, nec per Euangelicam obedientiam Jeſum ſeſſorem tergo vehens. Utrunque jumentum erat alligatum, quoniam & Synagoga carni Legis ſerviebat, non adſpirans ad libertatem ſpiritus, & Gentes Philoſophorum decretis, ac Dæmonum cultui erant obnoxiæ. Habebant tum communes dominos, eoſque non paucos. Siquidem in Judæorum ſimul ac Gentium populis plerique ſerviebant avaritiæ, libidini, ambitioni, invidiæ, cæteriſque fœdis & inclementibus dominis. Hos juſſu Domini ſolvunt Apoſtoli duo, Petrus doctor circumciſionis, & Paulus doctor Gentium, dum per fidem Euangelicam & baptiſmum condonant utriſque omnia peccata vitæ priſtinæ, ut ſoluti poſthac mereantur habere ſeſſorem Jeſum. Dedit enim hanc poteſtatem diſcipulis ſuis, non ſolum inter Judæos, verum etiam inter Gentes, ut quicquid ſolverent in terris, idem ſolutum eſſet in cœlis. Quid autem mirum, ſi priores illi domini non poſſunt impedire ſolutionem, quando qui ſolvunt, illius Domini juſſu ſolvunt, cujus voluntati nemo reſiſtit? Illi talibus jumentis opus eſt, talium dorſis gaudet inſidere, qui ſimpliciter obediunt, qui ſuave jugum Euangelicæ doctrinæ libenter accipiunt, qui non ferociunt adverſus ſeſſorem, qui placido inceſſu corporibus ſuis portant & glorificant Dominum Jeſum, donec pervenerit in Civitatem ſanctam & in Templum Domini, non in illam interfectricem Prophetarum, ſed cœleſtem illam, quæ neſcit rebellionem. Mundi Principes amant feroces caballos, ac bello natos & edoctos. Dominus Jeſus tales amat aſinos, qui mites mitem vehant Dominum, nec ſeſſorem tergo excutiant. Hanc vectationem rident elati Principes hujus mundi, rident ſupercilioſi Philoſophi, rident tumidi Phariſæi, ſibique videntur felices, quod tergo vehant immitiſſimum ſeſſorem Diabolum, quod tot dominis inclementiſſimis ſerviant, quum uni Domino ſervire felicitas ſit. Nihil his puſillis ac ſimplicibus felicius, poſteaquam ſemel ſoluti ſunt à ſervitute, poſteaquam ſemel tergo receperunt Dominum Jeſum. Juxta mundum aſinini generis videntur idiotæ, ſimplices, neſcii fraudis, ſed habent rectorem Dominum, qui non ſinit illos aberrare, qui non ſolum dignatur inſidere dorſis illorum, verum etiam inhabitare pectora, quæ ſuo Spiritu moderatur. Erant nuda jumenta prius, ſed Apoſtoli ſuis palliis conveſtiunt, ſua doctrina, ſanctæque vitæ exemplis ea præparantes conſcenſuro Jeſu, qui quod ſemel fecit juxta carnem, nunquam non facit juxta ſpiritualem ſenſum. Via erat aſpera, ſed hanc quoque diſcipuli

40 Quibus ipſe ait: Dico vobis, quia ſi hi tacuerint, lapides clamabunt.

38 *Dicentes: Benedictus, qui venit rex in nomine Domini, pax in cœlo, & gloria in excelſis.* 39 *Et quidam Phariſæorum de turbis, dixerunt ad illum: Magiſter, increpa diſcipulos tuos.*

Digitized by Google

substratis vestibus communiunt, ostendentes facilem esse viam pietatis, si quis per sanctorum exempla ingrediens subdat se Domino Jesu. Itur per ramos palmarum, per frondes arborum virentes, per semper florentem ac virentem memoriam martyrum, virginum, & confessorum. Quanta enim vis exemplorum offert sese undique viam pietatis ingressis? Hujusmodi magnam copiam suppeditant ipsi Judæorum libri Gentibus quoque. Aggratulantur huic pullo, quicunque Christum agnoscunt Dominum. Nec hodie desunt Pharisæi, nec unquam defuturi sunt, quos urat Christi gloria. Mallent enim acclamari sibi: *Osanna in excelsis: Benedictus qui venit in nomine Domini:* quum non veniant in nomine Domini, sed in nomine suo. Sed Judæis hodie tacentibus Christi gloriam, cui invident, lapides clamitant jam facti filii Abrahæ. Hierosolymitæ clamant: *Tolle, tolle, crucifige.* Hyberni, Scoti, Britanni, Galli, Sarmatæ, Germani, clamant: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Qui dum suæ gloriæ studeni, obscurare conantur gloriam Christi, qui privati commodi causa premunt ac depravant sinceritatem Scripturæ sacræ, dum suam magnitudinem prædicari volunt ab hominibus, & Christi gloriam sileri: hi nimirum Pharisæos illos agunt, obturare conantes ora filiorum Hebræorum, quos Deus afflaverat ad decantandam gloriam sui nominis, ac Filii sui, quem mundo dederat servatorem. Habet & illud salubrem aliquam significationem, quod ex monte descensus est, deinde iter per planiciem, mox rursus adscensus in montem Sion: nam in hoc exstructum erat Templum Domini. Nisi mons haberet oleum unde fidei lumen aleretur, non esset descensus à fiducia Legis, qua tument Judæi: à fiducia Philosophiæ, qua sibi placent Gentes. Nam initium profectus ex fide est. Oportet autem accedere ad *domum Buccæ*, nam id Syris sonat *Bethphage*. Hæc enim est bucca, non quæ tumet fastu, sed parturit confessionem admissorum. Nec procul abesse oportet à *Bethania*, quæ dicitur *domus obedientia*. Non omnes autem obediunt Euangelio. Sed hinc tamen est salutis initium. A descensu iter est per planiciem, undique constratam ramis bonorum exemplorum, donec rursus adscendatur in montem *Sion*, quæ *specula* dicitur. Nimirum hoc est illud virtutis fastigium, unde velut è sublimi specula despiciuntur omnia, quæ mundus hic ostentat veluti sublimia. Jamque animus cœlo vicinus, contemplatur ea quæ sunt æterna, quæque exsuperant omnem sensum humanum.

41 *Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam, dicens:*

41 Porro quum jam eo progressus esset Dominus Jesus, ut propius in prospectu esset Hierosolyma, videns civitatem illam ædificiis magnificam ac splendidam, viris, opibus, ac religionis opinione florentem, superbam rebus præsentibus, ignorantia venturæ calamitatis securam, misericordia motus, illachrimavit: ac verbis abruptis, veluti præ dolore singultiens, deploravit illius exitium, dicens in hanc sententiam:

42 *Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.*

42 Si tu quoque cognovisses, quemadmodum ego cognovi hunc tuum diem, quo tibi pax offertur, ac remissio priſtinorum criminum, studeres amplecti quod offertur. Nimirum hic tuus dies est, quo provocaris ad resipiscentiam, & invitat te Dei bonitas ad pœnitentiam, invitat autem extremo gradu benignitatis, ad quem nihil potest adjungi. Toties abs te spreta Dei clementia, novo quodam modo dignatur te invisere, ut saltem hac ratione miteſcas.

43 *Quia venient dies in te: & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te: & coangustabunt te undique:*

43 Veniet alius dies, non tuus, sed Romanorum, & ultionis divinæ, quo pœnas dabis omnium scelerum tuorum, quæ cumulare quam deplorare maluisti. Nunc autem nec diem tuum agnoscis, nec illum non tuum prospicis, quoniam uterque absconsus est ab oculis tuis, quos habes præsentis felicitatis temulentia cæcutientes. Nec recordaris præteritorum malorum, quæ commisisti: nec prospicis futura, quæ tibi imminent: nec agnoscis præsentem Dei erga te bonitatem, quam quoniam pertinaciſſime spernis, ô civitas immedicabilis, & interfectrix eorum, qui tibi salutis nuntium adferunt: venient alienigenæ adversum te, qui tibi adferent exitium. Aversaberis Messiam tuum, & Cæsarem tibi Regem adscisces. Senties igitur tuos Reges, longe alio apparatu ad te venientes, quam nunc ad te venit Rex tuus, salutifer ac placidus. Non recipis qui venit daturus salutem, & recipere cogeris qui venient daturi perniciem. Venient enim Romani Principes, pro Regibus hostes, quos antepoſueras tuo Regi, cum armatis copiis: ac primum circumsepient te vallo, ne qua pateat effugium: deinde viris ac machinis undique cingent te, ac prement obsidione arctiſſima: denique totam istam structuram tuam una cum Templo solo æquabunt.

44 *Et ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.*

44 Nec hoc contenti, filios tuos, quibus tu nunc superbis, ac viciſſim addis animos tuo splendore, internecione concident: totamque istam tuam gloriam sic funditus tollent, ut nec lapidem relicturi sint lapidi cohærentem, ne quod vestigium tui maneat, aut ne qua spes sit instaurandi tui. Erunt hæc quidem miseranda, sed tuo merito accident: eo quod toties provocata, olim per Prophetas diversos, nunc etiam per Joannem, ac Messiam tuum, obstinate spernas Dei misericordiam. Senties igitur tempus vindictæ, quæ tempus visitationis nosse nolueris. Poteras & ipsa amplecti salutem oblatam. Nunc saltem tuo exitio salutiferum exemplum præbebis aliis, ne simili modo spernant Dei bonitatem ad meliora provocantem.

45 *Et ingressus in templum, cœpit ejicere vendentes in illo, & ementes,*

45 Hæc loquutus Jesus, venit Hierosolymam, & *ingressus est Templum, unde ejecit vendentes & ementes, dicens:*

46 *Dicens illis: Scriptum est: Quia domus mea domus orationis est. Vos autem feciſtis illam spelunçam latronum.*

46 *In Scripturis dicit* Deus: *Domus hæc mea non negotiationi dicata est, sed precationi: vos autem veristis illam in spelunçam latronum*, spoliantes hospites, & insidiis impiis vestrum lucrum aliorum damno procurantes. Hoc facto Dominus Jesus declaravit, quantam perniciem adferant Ecclesiæ, qui sub prætextu pietatis student fœdo quæstui, qui sub titulo religionis suum agunt negotium, non pascentes gregem, sed deglubentes, & insincera doctrina perimentes animas, quas sincera debebant vivificare.

47 *Et erat docens quotidie in templo. Principes autem sacerdotum, & Scribæ, & Principes plebis quærebant illum perdere:*

47 His peractis Dominus, velut in suo regno versans, quotidie docebat in Templo, palam contemta Pharisæorum insanabili malitia. His rebus irritati, qui inter Sacerdotes primas tenebant, Scribæ ac primores populi captabant occasionem perdendi Servatorem.

48 *Et non inveniebant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum.*

48 Non deerat mala mens, sed non affulgebat spes perficiendi quod volebant. Audierant acclamationes populi, videbant & in Templo totam multitudinem suspensam pendere ab ore illius: tanta erat divini sermonis & vis & gratia. Fastidiebatur istorum frigida doctrina, veluti vappa, de lotionibus, de corbona, de decimanda menta & ruta, semel gustato musto vigoris Euangelici. Hinc metuebant auctoritati suæ, metuebant quæstui suo, metuebant regno suo. Quod autem id temporis juxta historiam accidit, id frequenter evenit juxta tropologiam, quoties hi, qui religionis arcem tenent, quique sacræ doctrinæ professione conspicui sunt, conspirant cum profanis Principibus adversus Jesum, tum imminet ingens exitium populo. Id fit, quoties auctoritas Sacerdotum, ac sacræ doctrinæ professorum, adulatur hujus mundi Monarchis, & illorum affectibus subserviunt auctoritate sua, quorum potentiam oportebat salubribus ac liberis monitis cohibere: ac viciſſim Monarchæ suis opibus, Episcoporum ac Theologorum pravas cupiditates, hoc est, avaritiam, ambitionem, tyrannidem fulciunt ac muniunt: quanquam neutri alteros amant, tamen impia collusione in perniciem Euangelicæ veritatis tradunt operas mu-

Digitized by Google

mutuas. Horum scelerata conjuratio majus exitium adfert orbi, quam tum adferebat Pontificum, Scribarum, Pharisæorum ac primorum conspiratio.

CAP. XX.

Unde est baptismus? vitis: petra: pensio: septem: Ben David: Scribas increpat hypocritas.

1 *Et factum est in una dierum, docente illo populum in templo, & evangelizante, convenerunt Principes sacerdotum, & Scriba cum senioribus:*

1 QVAERITVR igitur occasio, ut tametsi cupiditas occidendi esset impia, tamen apud homines studio justitiæ facere viderentur. Accidit itaque, ut die quodam quum Jesus doceret populum in Templo, & inculcaret illis lætum & optatum nuntium æternæ salutis, convenirent illo conjurati Sacerdotum primores, una cum Scribis ac Pharisæis & populi primatibus, ut vel auctoritate cohiberent Jesum à sacra doctrina. Non poterant illius admiranda facta damnare, quæ tam multa teste populo gesserat. Non poterant refellere doctrinam, quæ cum Lege cumque divina voluntate consentiebat. Hinc igitur meditantur calumniam, quod hanc docendi populum auctoritatem sibi sumsisset, quum ab ipsis oportuerit accipere: videlicet illud agentes, ut vel gloriam Deo debitam in se transferrent, vel Christo statuerent * calumniam motæ seditionis, qui sine publica Principum auctoritate convocaret ac detineret populum.

2 *Et ajunt dicentes ad illum: Dic nobis, in qua potestate hæc facis? aut: Quis est, qui dedit tibi hanc potestatem?*

2 Simul igitur adeunt Jesum in Templum, dicentes. Si vis ut nos quoque credamus tibi, *dic nobis, quanam auctoritate facias ista*, quæ facis. Baptizas, prædicas, sanas in sabbatis, doces in Templo, colligis discipulos, avocas ac detines populum. Nobis ignotus es, nulla potestate publica præditus es. *Quis igitur dedit tibi istam auctoritatem?*

3 *Respondens autem Jesus, dixit ad illos: Interrogabo vos & ego unum verbum. Respondete mihi:*

3 Jesus autem intelligens hanc percunctationem ab impia cogitatione proficisci, nimirum ut calumniarentur, non ut discerent, non conatus est eos docere, sed retudit illorum malitiam, veluti clavum clavo pellens. Joannem enim Baptistam plurimi fecerant, & ad hujus baptismum confluxerant. Et is collegerat discipulos, & is turbis prædicabat in desertis & circa Jordanem, instare regnum Dei: libere damnabat vitia quorumlibet, & invitabat ad pœnitentiam. Nec huic tributa fuerat auctoritas à Sacerdotibus, Pharisæis, aut primoribus populi, sed è deserto veluti novus homo prodierat, afflatus ac missus à Deo, juxta vaticinium Esaiæ. Cæterum huc tendebat insidiosa procerum interrogatio, ut si Christus respondisset eam auctoritatem sibi à Deo traditam, accusarent eum blasphemiæ, quod homo sibi vindicaret familiare colloquium aut commercium cum Deo. A Pontificibus, Pharisæis & Scribis non acceperat. Supererat juxta collectionem illorum, seditiosam esse potestatem, & ex instinctu Satanæ, quam sibi sumeret. Contendebant enim omnem potestatem divinam ad ipsos devolutam esse, neque quicquam pie geri, quod non ex ipsorum auctoritate gereretur. Et interim odio cæci, non cogitabant, quod Joannem nulla hominum auctoritate similia facientem suspexissent, adeo ut Messiam esse contenderent, nisi quod Joannes non edebat miracula. Atqui hoc nomine minus debebant obstrepere Christo. Ac ne illud quidem illis veniebat in mentem, quod jam olim Deus tradidisset hanc potestatem, loquens per Prophetas suos. Prophetarum auctoritatem recipiebant, & rem à Prophetis prædictam rejiciebant.

4 *Baptismus Joannis de cælo erat, an ex hominibus?*

5 *At illi cogitabunt intra se, dicentes: Quia si dixerimus, De cælo, dicet, Quare ergo non credidistis illi?*

4 Itaque Dominus malitiosam illorum prudentiam, & stultam fraudulentiam volens illudere †, respondit hunc in modum: Priusquam ad interrogationem vestram respondeam, *sciscitabor & ego à vobis quiddam*, quod verbo poteritis expedire. Id ubi expedieritis, respondebo & vestræ percunctationi: *Dicite mihi: Baptismus Joannis utrum erat è cœlo, an ex hominibus?* Et cujus auctoritate baptizabat, cœlitus accepta, an à vobis?

5 Sensit illico cornutam interrogationem impia Judæorum conscientia. Si vera respondere voluissent, simplex ac parata erat veritatis oratio: sed sentiunt sese eadem arte peti, qua petebant. Initur itaque consilium dolosum. Nihil enim operosius simulatione, & fraus fraudem, dolus dolum trahit. Conferunt igitur inter se: Quid ad hoc problema respondebimus? *Si dixerimus*, Joannis *auctoritatem è cœlo profectam fuisse*, illico retorquebit in caput nostrum, & *dicet: Cur igitur non habuistis illi fidem* de me testificanti? Confessus est se minorem, & indignum qui gestaret calceamenta mea. Confessus est se terrenum terrena, & humilem humilia loqui, me de cœlis profectum majorem esse omnibus. Quomodo recipitis illius auctoritatem velut à Deo profectam, & meam auctoritatem, de qua testificatus est ille, palam calumniamini?

6 *Si autem dixerimus, Ex hominibus, plebs universa lapidabit nos, certi sunt enim, Joannem prophetam esse.*

6 Quod si dixerimus, Joannem nihil egisse auctoritate Dei, sed tantum humano spiritu, *populus universus adorietur nos lapidibus, quod cuncti persuasum habeant, Joannem fuisse Prophetam*, & afflatu Numinis gessisse, quicquid gessit. Non erat illis curæ, ut verum responderent, sed ut quod ipsis esset commodum. Sic respondent falsi doctores, non quod docet Scriptura, sed interpretantes, quod ad ipsorum facit affectus. Si respondissent verum, periclitabatur apud populum illorum auctoritas: sin falsum, metuebant vitæ suæ. Formidabant homines, qui Dei timorem abjecerant.

7 *Et responderunt se nescire unde esset.*

7 Itaque respondent se nescire. Hæc una rima supererat, qua elaberentur, sed elapsi, simul à quæstione liberant Dominum.

8 *Et Jesus ait illis: Neque ego dico vobis in qua potestate hæc facio.*

8 Ait enim: Quia vos tergiversamini, nolentes respondere quod scitis, nec ego dico vobis, qua auctoritate faciam hæc, quæ videtis: quanquam nec hoc ignoratis, quod percunctamini.

9 *Cæpit autem dicere ad plebem parabolam hanc: Homo plantavit vineam, & locavit eam colonis: & ipse peregre fuit multis temporibus.*

9 Sacerdotibus autem, Pharisæis, Scribis, & populi primoribus ad eum modum confutatis, subjecit Dominus parabolam, quæ poneret ob oculos immedicabilem illorum malitiam exitio dignam, qui tot modis à Deo provocati ad resipiscentiam, semper in deterius profecissent, contemta Lege, cæsis & occisis Prophetis, occisuri post hos & extremum malorum remedium Filium Dei, & hunc rursus in Apostolis & martyribus frequenter afflicturi. Parabola sic habet: *Homo*, inquit, *quidam plantavit vineam*, quam unice caram habuit, nihil non faciens, ut aliquando fructum ex ea perciperet. Sepsit enim eam diligenter, exstruxit in ea turrim ad custodiam, effodit lacum, addidit torcular. Sic rebus omnibus bene instructam, locavit colonis, ut eam colerent, & fructum colligerent. Quo facto, peregre profectus est, diuque foris commoratus. Nimirum hæc est vinea Domini Sabaoth, quam Dominus trānstulit ex Ægypto, plantavit in terra promissionis, sepsit Legis ambitu, protexit sua custodia, ornavit Templo, addidit Sacerdotes, judices, duces, doctores: nihil omisit quod ad curam illius pertineret. Ac bene curata vinea, colonorum vitio, posteaquam erat diu exspectata, ut produceret uvas, tandem produxit labruscas. Dominus interim, qui nusquam non adest, tamen illis procul abesse videbatur, quod ageret in cœlis.

10 *Et in tempore misit ad cultores servum, ut de fructu vineæ darent illi. Qui cæsum dimiserunt eum inanem.*

10 Quum igitur tempestivum esset, ut aliquando fructum tali Dei benignitate dignum adferret populus Israeliticus, misit vineæ conditor servum suum Prophetam quempiam ad colonos, hoc est, ad Principes, ad Sacerdotes & Scribas, qui rerum habenas moderabantur, ut redderent fructum enatum. *Coloni*, qui sibi coluerant vineam, non Domino, *servum pulsatum, ac verberibus affectum*, repulerunt ac *remiserunt inanem*. In quem enim Prophetarum non sævitum est?

11 *Et addidit alterum servum mittere. Illi autem hunc quoque cædentes, & afficientes contumelia, dimiserunt inanem.*

11 Tanta autem erat Domini lenitas, ut nec tanta provocatus contumelia sæviret in colonos: sed misit alterum servum, qui tentaret, an posset illos ad

* Alia Editio, *struerent*. † Altera Ed. *eludere*.

Digitized by Google

officium revocare. At illi nihilo mitius tractarunt hunc, quam priorem tractaverant. *Nam verberibus afflictum & contumeliis affectum, remiserunt illum inanem Domino*, inanem exspectato fructu, sed onustum injuria. Quorsum enim irent nisi ad Dominum, qui dicit: *Mihi vindicta, & ego rependam?*

12 *Et addidit tertium mittere: qui & illum vulnerantes ejecerunt.*

12 Ne sic quidem irritata Domini lenitas prosiliit ad ultionem, sed *misit tertium servum. Et hunc colonui vulneribus etiam inflictis, remiserunt* inanem Domino. Siquidem Domini bonitas, quæ illos invitabat ad poenitentiam, magis irritavit illorum malitiam.

13 *Dixit autem dominus vineæ: Quid faciam? mittam filium meum dilectum: forsitan, cum hunc viderint, verebuntur.*

13 Quanquam autem omnis contumelia, qua afflixerant servos missos, merito pertinebat ad Dominum qui miserat, jamque jure plecti debebant, qui toties provocati, semper ad scelera majora profecerant, tamen ex insigni lenitate sua distulit adhuc ultionem, malens extremum experiri remedium, quam sævire in colonos. Cogitavit autem apud sese: Quid faciam, ut impios colonos reducam ad mentem meliorem, quorum culpa jam olim mihi perit fructus vineæ meæ? Misi tot servos, nihil profectum est. Quod unum supereſt id faciam. *Mittam filium meum unicum ac dilectum.* Qui servos meos contemserunt, *fortassis hunc ubi viderint*, si non amabunt, certe *reverebuntur*, meipsum in illo venerantes. Qui natura mali sunt, solent aliquoties vel pudore cohiberi à maleficio.

14 *Quem cum vidissent coloni, cogitaverunt intra se, dicentes: Hic est heres, occidamus illum, ut nostra fiat hereditas.*

14 Placuit hoc consilium clementissimo Domino, filii sui periculo venari salutem colonorum, videlicet avido servandi, ad vindictam lentissimo. Ivit filius obediens patri. Hunc ubi conspexere coloni, non solum reveriti non sunt, sed impiis animis ad extremæ dementiæ consilia sese converterunt, dicentes apud sese: Hactenus servos rejecimus. *Hic est* filius & *heres*, ulturus aliquando patris contumeliam. *Occidamus eum, & nobis vindicabimus hereditatem* hujus vineæ, contemto fortiter Domino.

15 *Et ejectum illum extra vineam, occiderunt. Quid ergo faciet illis dominus vineæ?*

15 Placuit inter conjuratos impium consilium, *ac filium ejectum è vinea interfecerunt.* Hoc sermone Dominus Jesus quum prodidisset Sacerdotibus, Scribis & primoribus suam ipsorum conscientiam, qui tum moliebantur, quod paulo post perpetrarunt, educentes Jesum, & extra civitatem crucifigentes: versus ad illos, interrogavit eos: Hæc quum sic habeant, *quid faciet Dominus vineæ talibus colonis?*

16 *Veniet, & perdet colonos istos, & dabit vineam alii. Quo audito, dixerunt illi: Absit.*

16 Illis rursus respondere tergiversantibus, adjecit Dominus: *Veniet ipse Dominus, ac male perdet colonos illos*, qui nulla lenitate vinci poterant: atque illis pro suo merito exstinctis, *vineam suam locabit aliis.* Hoc dicto significabat Dominus, sublata funditus Judæorum religione, per Apostolos Euangelii fructum transferendum in Gentes. Id abominantes Pharisæi, *responderunt: Absit.* Intelligebant enim totam hanc parabolam in ipsos dictam: & quum non abominarentur tam impium consilium, tamen detestantur impii consilii justam vindictam.

17 *Ille autem aspiciens eos, ait: Quid est ergo hoc, quod scriptum est: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?*

17 Jesus ut ostenderet & hoc, quod illi negabant eventurum, fuisse prædictum à Prophetis, intuitus est eos, & veluti compellans illorum conscientiam, ait: Si non creditis meæ parabolæ, quid est igitur quod legitis in Psalmis? *Lapis ille, quem rejecerunt ædificantes, factus est caput anguli?*

18 *Omnis qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur: super quem autem ceciderit, comminuet illum.*

18 *Quisquis inciderit in eum lapidem, conquassabitur: rursus in quem ille inciderit, eum comminuet.* Se lapidem à Deo cœlestem significat Christus, quem Judæi reprobarunt, ædificantes Synagogam absque Christo: sed Deus hunc fecit lapidem angularem, connectentem & continentem utrumque parietem, duosque populos per fidem Euangelicam absque Legis ceremoniis in unam ecclesiam copulantem. Atque hic lapis tutissimum est præsidium adversus omnes insultus mundi ac Satanæ iis, qui credentes illi inhærent & innituntur. Cæterum solidus est & invictus rebellantibus. Nulla est enim tanta potestas hujus mundi, quin conquassetur, si in hunc lapidem impegerit: impingit autem, qui repugnat ac rejicit. Porro comminuetur etiam, in quem inciderit ille. Incidit autem in eos, quos diu toleratos, vindicta Dei tandem opprimit inopinantes. Idem enim lapis salus est innitentibus, exitium adversantibus.

19 *Et quærebant principes sacerdotum, & Scribæ, mittere in illum manus illa hora: & timuerunt populum: cognoverunt enim quod ad ipsos dixerit similitudinem hanc.*

19 Hæ parabolæ Domini sic exacerbarunt animos primariorum Sacerdotum ac Scribarum, ut inibi statim voluerint illi manus injicere, sed ab impio facinore cohibuit illos populi metus, apud quem videbant Jesum adhuc plurimi fieri. Etenim homines sibi male conscii, senserant parabolam dictam in se competere: quæ ideo dicta est, ut ex ejus intellectu revocarentur à nefariis consiliis: nunc hoc ipso fiunt ad malefaciendum irritatiores, quo debuerant à malitia deterreri. Proinde metu plebis excluſi à palam patrando facinore, quod jam in animo patrarant, posteaquam decreverant, per cuniculos aggrediuntur efficere, hoc etiam sceleratiores, quod fraudem addunt malitiæ: quemadmodum sceleratior est qui veneno occidit, quam qui gladio.

20 *Et observantes miserunt insidiatores, qui se justos simularent, ut caperent eum in sermone, ut traderent illum principatui & potestati præsidis.*

20 Audi nunc, Theophile, dolos & artes impiorum Sacerdotum, qui ideo Jesum volunt exstinctum, hoc est, ideo veritatem Euangelicam volunt oppressam, quia per eam aufertur cultura vineæ, cujus dominatum sibi perpetuum atque hæreditarium promiserant. Dissimulant iram, & observant omnem occidendi occasionem. Submittunt vero quosdam, qui sese justos simularent, (nihil autem simulata justitia capitalius) ut ex illius sermonibus venarentur aliquid, quo deferri posset apud Cæsareos præfectos ac Præsidem Pilatum, qui tum in Judæa nomine Cæsaris rerum summa potiebatur, ut invidia facti transferretur in hos, quorum sententia fuisset occisus, ipsi velut innoxii temperasse viderentur à sanguine. Sed quo magis humana versutia conantur dissimulare, hoc magis ac magis traducunt suam insignem malitiam.

21 *Et interrogaverunt eum, dicentes: Magister, scimus quia recte dicis & doces: & non accipis personam, sed viam Dei in veritate doces:*

21 Adoriuntur igitur Jesum illi personati satellites Pontificum, his verbis: Magister, perspecta est nobis tua integritas, libere loqueris, & recte doces omnia: nec est apud te respectus personarum, ut in gratiam ullius quamlibet potentis mentiri velis, sed unum Deum semper habes præ oculis, quod illi gratum est, simpliciter ac libere doces.

22 *Licet nobis tributum dare Cæsari, an non?*

22 Dic igitur nobis, quid sentias tu, de quo multis est controversia: *Utrum fas est nobis, dare tributum Cæsari, an non?*

23 *Considerans autem dolum illorum, dixit ad eos: Quid me tentatis?*

23 Jesus autem intelligens fraudulentæ blanditiæ, & insidiosa interrogatio quorsum tenderent: nimirum huc, ut si, quod sperabant fore, respondisset, non esse fas, ut populus Deo sacer serviret ac censum penderet impio & idololatræ Principi, (quam opinionem Pharisæi probabant, etiamsi profiteri non auderent) rursum subornarent, qui deferrent eum apud Pilatum, Cæsaris Præsidem, læsæ majestatis: sic Euangelica prudentia fraudulentiam illorum elusit, ut & illis adimeret captatam ansam lædendi, & admoneret quid ipsos oporteret facere, quod sine dubio nemo non sine certo salutis suæ periculo foret omissurus. Nec enim in hoc venerat Christus, ut doceret quantum Cæsaribus, aut Cæsarum præfectis pendi deberet, sed quid ex spirituali censu deberetur Deo, qui Dominus est omnium. *Quid me tentatis, inquit?*

24 *Ostendite mihi denarium. Cujus habet imaginem & inscriptionem? Respondentes dixerunt ei: Cæsaris.*

24 *Ostendite mihi denarium.* Non enim agnoscit Cæsaris imaginem, qui nihil habet in terris. Exhibito nummo, rogavit quænam esset imago, & cujus haberetur inscriptio. Nec ista novit, qui vere Christianus est. Ajunt qui noverant, nimirum mundo dediti: Cæsaris.

25 *Et ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.*

25 Subjicit Jesus: Reddite igitur Cæsari, si quid ad Cæsaris jus pertinet. Neque enim hoc mea refert, quid exigant hujus mundi Principes. Cæterum

Digitized by Google

rum illud magis ad rem pertinet, ut reddatis Deo, quod illi debetis. Agnoscite illius imaginem expressam in animis vestris, agnoscite titulum illius, & inscriptionem. Totus animus illi debetur, nec alii servire debet, quam ei, qui condidit & corpus & animam. Cur autem Dei gerens imaginem datur Diabolo?

26 *Et non potuerunt verbum ejus reprehendere coram plebe: & mirati in responso ejus, tacuerunt.*

26 Mirati sunt subdoli captatores tam cautum responsum. Habet enim & Euangelica simplicitas suam prudentiam, nec tamen agnoscunt divinam in eo sapientiam, sed dolent nihil esse, quod in ejus sermone possent reprehendere.

27 *Accesserunt autem quidam Sadducæorum, qui negant esse resurrectionem, & interrogaverunt eum,*

27 His submotis accedunt Sadducæi, qui falso nomine justitiæ sese venditabant: quemadmodum Pharisæi dicebantur ab eminentia, qua sibi videbantur longe præcellere cæteris. Habet autem illud Sadducæorum secta peculiare, quod non credunt esse resurrectionem corporum, nec aliquid hominis exstare post mortem, nec ullos esse Angelos.

28 *Dicentes: Magister, Moyses scripsit nobis: Si frater alicujus mortuus fuerit habens uxorem, & hic sine liberis fuerit, ut accipiat eam frater ejus uxorem, & suscitet semen fratri suo.*

28 Hi Domino proponunt hujusmodi quæstionem: *Magister, Moses hujusmodi legem tradidit nobis, si quis, uxore ducta, decesserit absque liberis, ut defuncti frater ducat mulierem viduam,* & succedens in locum fratris, *suscitet ex eadem posteritatem fratri suo.*

29 *Septem ergo fratres erant: & primus accepit uxorem, & mortuus est sine filiis.*

29 *Evenit igitur ut fuerint fratres septem, quorum primus duxit uxorem, ac decessit absque liberis.*

30 *Et secundus accepit illam, & ipse mortuus est sine filio.*

30 *Huic natu proximus accepit uxorem relictam, ac decessit & ipse, non susceptis ex ea liberis.*

31 *Et tertius accepit illam. Similiter & omnes septem, & non reliquerunt semen, & mortui sunt.*

31 *Huic successit in conjugium tertius frater,* secundum ætatis ordinem, qui & ipse decessit absque liberis. *Atque,* ut breviter dicam, *simili modo ducta est mulier ab omnibus usque ad septimum, nec quenquam illorum fecit patrem.*

32 *Novissime omnium mortua est & mulier.*

32 *Tandem mortua est & mulier.*

33 *In resurrectione ergo, cujus eorum erit uxor? siquidem septem habuerunt eam uxorem.*

33 *Proinde in resurrectione quis è septem fratribus sibi vindicabit eam uxorem? Nupsit enim mulier omnibus,* nec tamen potest esse communis omnium. Ex hac absurditate Sadducæi putabant posse refelli Pharisæorum opinionem, qui contendebant animas superesse corporibus, & corpora quoque mortuorum aliquando revictura.

34 *Et ait illis Jesus: Filii hujus seculi nubunt, & traduntur ad nuptias:*

34 Quoniam autem horum interrogatio plus habebat stultitiæ, quam malitiæ, Jesus non dedignatus est eos docere, dicens: Erratis, inquit, imaginantes talem esse rerum statum in futura vita, qualem in hac videtis. Filii hujus seculi, in quo vicissitudo morientium ac nascentium est, necessario quærunt uxores filiis suis, ac filias maritis elocant, nec etiam alia ratione propagari potest genus humanum. Proinde matrimonium inter eos, non est felicitatis, sed necessitatis.

35 *Illi vero, qui digni habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores:*

35 Cæterum quibus contingit ea felicitas, ut digni habeantur resurrectione justorum, & illo seculo, quod mortalitatem nescit, nec uxores accersent filiis suis, nec filias suas nuptum dabunt viris.

36 *Neque enim ultra mori poterunt: æquales enim Angelis sunt, & filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis.*

36 Quid enim erit opus nuptiis & coitu, postea quam nemo jam moritur? Jam enim desierunt esse carnales, & hujus corporis incommodis obnoxii, sed recepto jam immortali corpore, non aliter victuri sunt quam vivunt Angeli, inter quos ideo non sunt nuptiæ, quia non est moriendi necessitas. Hîc qui mortales ex mortalibus nascuntur, usu matrimonii prospiciunt posteritati. Cæterum illi, jam virtute Spiritus renati factique filii Dei viventis in æternum, non desiderabunt matrimonium, quia nescient mortem, utpote jam per resurrectionem restituti ad vitam immortalem.

37 *Quia vero resurgant mortui, & Moyses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum, Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Iacob.*

37 Quoniam autem in hoc propositum erat hoc problema à Sadducæis, ut irriderent resurrectionem mortuorum, quia non credebant animas à morte corporis esse superstites, dignatus est Dominus & hac de re docere rudes illorum animos ex auctoritate Scripturæ, quam ipsi non improbabant quidem, sed parum attente legebant. Porro mortuos, inquit, posse resurgere, nec animas simul interire cum corporibus, ipse etiam * docet Moses, cujus auctoritatem quum in cæteris agnoscatis, hîc non debetis rejicere. Siquidem ille litteris prodidit, sibi Deum hunc in modum loquutum fuisse de rubo, quem citra dispendium viderat flagrantem: *Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob.*

38 *Deus autem non est mortuorum, sed vivorum: omnes enim vivunt ei.*

38 Jam Abraham, Isaac, & Jacob sepulti erant: quod si juxta vestram sententiam totus & irrecuperabiliter perit qui moritur, quomodo Deus se vocat Deum illorum qui non sunt? Quum enim Deus sit ipse vivens, imo vita ipsa: non convenit, ut se vocet Deum eorum, qui jam morte prorsus interierunt. Sed non interierunt, quorum potior pars supereſt, videlicet ea pars, qua vivimus. In cæteris animantibus mors interitus est: siquidem & corpus collabitur à vita destitutum, & anima, quæ in illis nihil aliud est, quam harmonia qualitatum corporis, soluta temperatura, evanescit. In hominibus mors nihil aliud est, quam divulsio animæ à corpore, sic, ut melior nostri pars maneat incorrupta, solum corpus ad tempus non intereat, sed corrumpatur. Id autem in resurrectione restitui virtute divina, mirum vobis videri non debet, quum quotidie videatis ex arido grano seminis in terram abjecti, atque inibi putrefacti, renasci novam ac vivam arborem, quæ latebat in exiguo mortuoque granulo jam sepulto. Proinde qui mortui sunt, vobis quidem mortui sunt, qui eos non potestis revocare in vitam: Deo autem vivunt omnes, etiam qui mortui sunt, cui in manu est, ubi volet, divulsas animas suis quasque corporibus restituere.

39 *Respondentes autem quidam Scribarum, dixerunt ei: Magister, bene dixisti.*

39 Quum ad hæc obticescerent Sadducæi, Scribæ quidam approbarunt Jesu sermonem, quod hac de re inter Pharisæos & Scribas conveniret adversus sectam Sadducæorum. Sed ut rectior erat hac in parte Pharisæorum & Scribarum opinio, quam Sadducæorum, ita sceleratior erat animus. Minus enim est ibi malitiæ, ubi plus est ruditatis.

40 *Et amplius non audebant eum quidquam interrogare.*

40 Postquam ergo frustra tentatus esset à diversis Judæorum sectis, (nam & Pharisæis responderat de maximo præcepto Legis) neque cuiquam quod tentarat successisset, nullus ausus est eum amplius quæstionibus lacessere.

41 *Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt Christum, filium esse David?*

41 Jesus igitur ultro provocavit illos simul collectos quæstione, non insidiosa, sed quæ ad illorum salutem pertinebat. Rogavit, cujus filium Scriptura pronunciaret fore Messiam. Illi non ignari prædictum, quod è stirpe David nasciturus esset, incunctanter responderunt: *David.*

42 *Et ipse David dicit in libro Psalmorum: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis,*

42 Ad hæc Jesus: Atqui David afflatus cœlesti Spiritu, sic de Messia loquitur in Psalmis: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis:*

43 *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?*

43 *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

44 *David ergo Dominum illum vocat: & quomodo filius ejus est?*

44 *Quî convenit ut Dominum appellet eum, quem agnoscit filium?* Filius enim minor est patre: ac magis convenit, ut filius patrem honoris gratia Dominum appellet, quam contra. Hanc quæstionem nemo poterat dissolvere, & id temporis satis erat Jesu, per ænigma significasse divinam naturam, juxta quam major erat omnibus Patriarchis, nimirum æqualis Deo Patri: quanquam & secundum humanam naturam præcellebat omnes. Et David memoriam habebant sacrosanctam, eum, quem David agnoscebat & filium & Dominum, adspernabantur, non ex ignoratione Legis, sed ex judicio pravis affectibus excæcato.

45 *Audiente autem omni populo, dixit discipulis suis:*

45 Horum autem malitia, quoniam erat deplorata, nullisque remediis sanabilis, restabat ut admoneretur simplex & rudis populi turba, ne horum fucis & artibus circumveniretur: qui quum essent omni

* Alia Editio addit, *vos.*

Digitized by Google

religione vacui, tamen ſummam ſimulabant pietatem, non alio ſpectantes, quam ad gloriam & quæſtum ſuum, & hac de cauſa modis omnibus obſtrepentes gloriæ Dei, ac proximorum ſaluti. Nulli ſunt enim hoſtes capitaliores veræ pietatis, quam qui ſimulatione ſanctimoniæ ſibi conciliant auctoritatem, & hac freti, ſimplicem populum avocant à vera pietate. Hoc hiſtrionum genus duplici potiſſimum morbo laborat: ambitione, quæ vergit ad † tyrannidem: & inexplebili avaritia. Hos Jeſus depinxit ſuis diſcipulis, idque toto populo audiente, ut vitarentur, qui corrigi non poſſent: & deſinerent fallere, qui nolebant reſipiſcere. Non erat hoc alienæ famæ obtrectare, ſed ſimplicium ſaluti conſulere. Nunc audi, mi Theophile, quibus coloribus eos depingat Dominus, ut cognitos vites.

46 Attendite à Scribis, qui volunt ambulare in ſtolis, & amant ſalutationes in foro, & primas cathedras in ſynagogis, & primos diſcubitus in conviviis:

46 *Cavete vobis*, inquit, *à Scribis*, cujuſmodi jam ſæpe videtis dolo me adorientes. Profitentur ſcientiam Legis, & adverſus mentem Legis pertinaciſſime repugnant. Habent Deum in ore, ſed adverſantur gloriæ Dei. Profitentur ſe curare rem populi, quum ſui commodi gratia ſimulent omnia quæ faciunt. Fugitant conſortia peccatorum, & ſi forte in illorum congreſſum inciderint, expiant ſe lotionibus, ſed ipſi intus toti madent tetrioribus vitiis, inanis gloriæ ſiti, faſtu, livore: ſed in primis avaritia, quæ eſt idolorum cultus. Quoniam autem intelligunt populum viſibilibus rebus potiſſimum commoveri, talium rerum præſtigiis captant auctoritatem apud ſimplices. Venditant ſeſe novitate veſtis, gaudentes obambulare conſpicui magnificis ſtolis ad terram uſque demiſſis, & vultibus ad gravitatem compoſitis: crebro verſantur in foro & hominum cœtibus, ut illic adorentur & ſalutentur Rabbini. In Synagogis item & conſeſſibus ambiunt primi honoris ſellas, & in conviviis appetunt in accubitu locum honoratiorem, ut magni videantur apud homines, quum apud Deum ſint exſecrabiles. Inanes tantum & ſtulti videri poterant, ſi præter popularem auram & ſalutationum fumos nihil ambirent.

47 Qui devorant domos viduarum, ſimulantes longam orationem. Hi accipient damnationem majorem.

47 Nihil eſt illis rapacius. Non exercent uſuram, non ſunt telonæ, ſed artes habent illorum arte ſceleratiores. Simpliciores venantur ad prædam, captant viduas beatas, & maritorum præſidio deſtitutas. Sexus eſt idoneus fraudi, & pium videtur adeſſe deſtitutis. His itaque facile imponunt ſimulatione ſanctimoniæ. Plurimum gravitatis præ ſe ferunt in vultu, honorantur ab omnibus, veſtitus ipſe undique clamitat ſanctimoniam. Addunt prolixas preces, idque in publico. Factum eſt hoc & à Joanne, & à veteribus Prophetis, ſed in occulto. Iſti non orant, ſed venantur. Quid igitur mirum, ſi tot fucis falluntur viduæ? Ad has poſteaquam irrepſerunt, devorant earum domos: quaſque tueri debebant, expilant: & quod erat erogandum in uſus pauperum, in ſuum quæſtum convertunt. Tales id temporis erant Scribæ & Phariſæi, qui ſine fine repugnabant Euangelio. Quanquam & hodie ſunt, & ſemper futuri ſunt Scribæ, qui dum ſuis ſtudent commodis, & populi commodis adverſantur, & Jeſu gloriæ reſiſtunt: idque falſo prætextu religionis, cultu, titulis, prolixis precationibus venantes opinionem ſanctimoniæ apud vulgum, qui nondum intelligit, quibus in rebus ſita ſit vera religio. Quid autem adverſus hos facient Chriſti diſcipuli, qui lædere neſciunt, utpote ſimplicitate columbina præditi? nimirum hîc adhibebunt & ſerpentis aſtutiam. Si moniti non reſipiſcunt, vitandi ſunt inſanabiles: & admonendi ſimplices, ut ab illorum inſidiis caveant. Manet illos ſua pœna. Quum enim ventum erit ad tribunal illius Judicis, qui non judicat ex his, quæ videntur oculis corporeis, ſed ex occultis affectibus animorum, tum gravioribus pœnis addicentur, quam qui palam ac ſimpliciter flagitioſi ſunt, hoc minus noxii, quod morbum ſuum præ ſe ferunt.

† Alia Editio, *in*.

CAP. XXI.

Æs vidua laudat: ruet ædes: ſigna diei: Mox Solymæ excidium: ſobrius eſto: vigil.

1 Reſpiciens autem, vidit eos, qui mittebant munera ſua in gazophylacium, divites.

1 QUO magis autem Dominus Jeſus hoc infigeret animis populi, homines apud Deum non æſtimari ex rebus viſibilibus, ſed ex animi ſinceritate: ſimulque taxaret Scribarum, Phariſæorum, & Sacerdotum avaritiam, qui hoc perſuadebant populo, præſertim autem mulierculis viduis, ſed beatis, ſummam eſſe ſanctimoniam, ſi quam plurimum ex opibus ſuis conferrent in corbonam, præteritis interim pauperibus, nonnunquam & liberis ac parentibus ſuis: quum ſederet in Templo, ſuſtulit oculos ad eum locum, qui dicitur gazophylacium, in quo donaria ſervabantur. Eam pecuniam Sacerdotes adeo volebant haberi ſacram, ut quum Lex in primis juſſiſſet honorari parentes, illi docerent deferendum potius patrem, quam non augendam corbonam, quum tamen ea pecunia vitio Sacerdotum jam magna ex parte verteretur in luxum ipſorum.

2 Vidit autem & quandam viduam paupercula mittentem æra minuta duo.

2 Quum autem multi divites multa miſiſſent in gazophylacium, & his veluti piis à Sacerdotibus ac Phariſæis applauderetur: acceſſit & vidua quædam paupercula, quæ miſit duos æreos nummulos, qui conficiunt quadrantem. Huic quum nullus hominum applauderet, Jeſus tamen hujus mulieris pietatem voluit eſſe notam populo.

3 Et dixit: Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper, plus quam omnes miſit.

3 Ait enim: Hæc vidua hominum judicio videtur minimum miſiſſe in gazophylacium. At ea Dei judicio plus miſit, quam illi divites, qui copioſiſſime miſerunt.

4 Nam omnes hi ex abundanti ſibi miſerunt in munera Dei: hæc autem ex eo quod deeſt illi, omnem victum ſuum quem habuit, miſit.

4 Siquidem illi ex eo liberales ſunt, quod ipſis domi ſupereſt. Hæc autem ſtudio pietatis ex ſua penuria dedit, totamque ſubſtantiam, quam domi habebat, miſit in gazophylacium. Apud Deum igitur, qui non ſpectat rei modum, ſed animum, hæc benignius contulit, quam illi. Ita Jeſus ubique per omnem occaſionem avocavit ſuos à fiducia rerum viſibilium, quibus Judæi nimium tribuebant, ad ſtudium Euangelicæ pietatis, quæ in animi ſinceris affectibus ſita eſt.

5 Et quibuſdam dicentibus de templo, quod bonis lapidibus & donis ornatum eſſet, dixit:

5 Judæi vero præcipuam gloriam habebant in Templo Hieroſolymitano, quod operoſiſſime conſtructum, magnificiſque donariis locupletatum, magna religione viſebatur, non ſolum ab omnibus Judæis, verum etiam ab alienigenis. Jam autem venerat tempus, quum ceſſaret illius Templi religio cum ſuis victimis, ac Deo pararetur templum animi, Spiritui Sancto conſecratum, in quo illi quotidie immolarentur victimæ gratiſſimæ: non pecudum, ſed votorum & gratulationum. Purus enim animus cujuslibet etiam pauperis ſanctius ac magnificentius templum eſt Deo, quam ſumtuoſiſſimum illud Templum tot annis exſtructum. Pudicitia, modeſtia, caritas, ornamenta ſunt longe pretioſiora in oculis Dei, quam illa marmora, ebur, cedrus, aurum, argentum, gemmæ, quibus ſuperbiebant Sacerdotes & Phariſæi. Quum igitur quidam oſtenderent Jeſu Templi mirabilem ſtructuram, quod lapidibus eximiis magnaque arte politis & ſculptis ſubſtructum eſſet, quodque ſplendidis donariis ornatum, reſpondit: Parate Deo templum ſpirituale, quod nec vetuſtas exedat, nec tempeſtas dejiciat, nec ignis exurat, nec ulla vis hominum demoliatur.

6 Hæc quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.

6 Nam hæc omnia, quæ nunc miramini, tanquam Deo digna, futurum eſt ut funditus diruantur, adeo ut nec lapis fiat reliquus lapidi adhærens, qui non deſtruatur.

7 Interrogaverunt autem illum, dicentes: Præceptor, quando hæc erunt, & quod ſignum cum fieri incipient?

7 Hoc audientes diſcipuli, ac vel ex hoc conjicientes imminere regnum cœlorum, quod exiſtimabant magna quadam rerum mutatione futurum, avidi cognoſcere tempus, quando hæc eſſent ventura, dicunt Domino: Præceptor, iſta, quæ narras de Templo demoliendo, de ſubvertendis Hieroſolymis, quo

Digitized by Google

quo tempore fient, aut quo signo poterimus cognoscere, jam adesse tempus illud?

8 Qui dixit: Videte ne seducamini: multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego sum: & tempus appropinquavit: nolite ergo ire post eos.

8 Jesus autem volens suos semper esse paratos ad omnes malorum incursus, ambiguis sermonibus suspendit illorum animos, commiscens multa de afflictionibus, quas essent perpessuri ob prædicationem Euangelii: de subversione ac miserabili clade urbis Hierosolymæ: de fine mundi, cujus tempus voluit omnibus esse incognitum, ut semper sint parati. Discipuli de regno cogitabant, Dominus autem hoc eos scire mavult, quod magis ad illos pertinet, & à quorum commemoratione abhorrebat imbecillium animus. Malebant enim audire jucunda, quam salutaria. Regnum illud † aliquando venturum est, & suo tempore venturum, ejus rei curam magis expedit Deo committere. Nostrum est interim sic nos gerere, ne regno videamur indigni. Nec enim pervenitur ad regni gloriam, nisi per varias afflictiones; adversus has oportet armatos esse animos nostros. Ait itaque Jesus: Omnino venturus sum, ac proditurus majestatem Euangelici regni. Sed videte ne seducamini, alium Christum pro me amplectentes. Venient enim ante tempus illud, quo venturus sum, multi qui sibi vindicabunt nomen meum, ac de se prædicabunt: Ego sum Christus. Tempus instat. Nolite talium verbis commoveri, & si quo vocabunt vos, nolite sequi.

9 Cum autem audieritis prælia, & seditiones, nolite terreri: oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis.

9 Porro quum audieritis omnia commisceri seditionibus ac bellis, multi vaticinabuntur instare finem mundi. Vos autem hujusmodi terroribus nolite terreri, quasi jam instet dies supremus. Evenient quidem ista, sed non protinus ab illis finis mundi. Siquidem hæc nihil aliud erunt, quam præludia quædam illius extremæ calamitatis, quæ malos perdet, bonos examinabit, purgabitque.

10 Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, & regnum adversus regnum.

10 Ut corporis interituri signa sunt validi morbi, ex vitiosa temperatura qualitatum exorti: ita mundi finem prædicunt horrendi tumultus, quos homines ipsi sibi conscisunt, pravis cupiditatibus inducti *. Horum perversitate concutietur ipsa rerum natura, veluti malitiam hominum detestata, & in scelerum vindictam insurgens. Magnis tumultibus insurget gens adversus gentem, regnum adversus regnum. Porro quum nihil sit calamitosius bello, tamen hanc pestem sibi conciliant, & accersunt homines ambitione, stultitia, avaritia, odiis, similibusque vitiosis affectibus.

11 Et terræmotus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, terroresque de cælo, & signa magna erunt.

11 Addet & ipsa natura graves terræmotus pluribus in locis, velut indignante mundo, quod homines tam impios ferre cogatur. Accedent & pestilentiæ, suo contagio plurimos absumturæ, velut ipso aere armato in vindictam malorum, qui in hoc datus est, ut salutari aura vitam conferat & alat omnibus. Accedet ex proventus inopia fames, veluti terra negante suam alimoniam filiis tam impiis adversus Deum, cui muta quoque famulantur elementa. Novis & insolitis tumultibus commovebitur mare, solitum & ipsum servire usibus hominum. Quin & cœlum ipsum prodigia dabit, iram Dei testantia, Sole subito verso in tenebras, Luna in sanguinem, Cometis nova specie sese proferentibus, aliisque prodigiis novis & admirandis. Verum, ut corpus hominis non statim emoritur morbis ingentibus concussum, sed tamen morbi subinde recurrentes, declarant non procul abesse mortis diem. Ita quum hujusmodi malis frequenter concutietur mundus, significationem dabunt mundi jam senescentis, & ad ruinam tendentis.

12 Sed ante hæc omnia injicient vobis manus suas, & persequentur, tradentes in synagogas & custodias, trahentes ad reges & præsides, propter nomen meum:

12 Sed antequam hæc publica calamitas orbem corripiat, antecedet insignis hominum perversitas, quæ Dei bonitatem ad iram provocabit. Vobis enim nomen meum, per quod salvi fieri poterunt, prædicantibus, injicient manus, & omni genere malorum persequentur: pertrahent in conciliabula sua, veluti nocentes ac maleficos. Conjicient in carcerem, reos peragent apud Regum ac Præsidum tribunalia, non ob ullum vestrum maleficium, sed ob ingens beneficium, videlicet ob professionem nominis mei, quod modis omnibus conabuntur abolere, quum per illud gratis liceat assequi salutem æternam.

13 Continget autem vobis in testimonium.

13 Hoc autem accidet vobis, ut & vestra probata sit constantia, & illorum intelligatur merito damnata malitia.

14 Ponite ergo in cordibus vestris, non præmeditari quemadmodum respondeatis.

14 Vos autem meo præsidio, vestraque innocentia freti, non est quod metuatis illorum tribunalia, nec quod sollicite meditemini apud vos, quomodo sitis acturi causam homines idiotæ apud consessum magnatum aut Principes.

15 Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii vestri.

15 Nec est quod rhetorem, patronum, aut jureconsultum advocatum adhibeatis. Ego per meum Spiritum vobis adero patronus & advocatus invictus, qui vobis suppeditabit & linguam & sapientiam, cui nec resistere poterunt, nec contradicere omnes adversarii vestri, quantumvis crudeles aut diserti mundana sapientia.

16 Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis:

16 Atque hæc patiemini, non solum ab ignotis & alienis, verum etiam ab his, qui vobis propinqua cognatione arctisque necessitudinis vinculis juncti sunt. Pater persequetur filium, fratres affligent fratrem, cognatus deferet cognatum, amicus in jus vocabit amicum.

17 Et eritis odio omnibus propter nomen meum.

17 Erunt autem ex vobis, quos odio mei sunt interfecturi. Tam atrox odium totus mundus concipiet in vos ob mei nominis professionem. Proinde quicquid in vos audebunt, hoc in meam contumeliam factum accipiam. Quare non est quod vos de vindicando cogitetis. Ego lædar, ego occidar in vobis. Meum erit & vobis consulere, & illorum ulcisci malitiam.

18 Et capillus de capite vestro non peribit.

18 Quantumvis autem desævierint in vos persequutionum humanarum procellæ, non est quod metuatis, videlicet me protectore. Non enim committam, ut vel pilus capitis vestri pereat: tantum abest, ut sim vobis defuturus.

19 In patientia vestra possidebitis animas vestras.

19 Ne respicite ad humana præsidia, copias, arma, machinas: sola tolerantia vestra defendetis vitam vestram. Non potest perire, qui ob mei nominis professionem occiditur. Non peribitis ante diem. Nec enim tantum permittam humanæ violentiæ. Ille vero vere servaverit animam suam, qui mea causa constanter mortem oppetierit.

20 Cum autem videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus:

20 Civitas autem hæc opulenta, qua nunc superbiunt Judæi, & in qua sibi regnare videntur, funditus subruetur à gentibus. *Quum igitur videritis Hierosolymam cingi* obsidione, *tunc intelligite imminere vastationem illius*: neque quicquam superesse, nisi ut sibi quisque quantum potest celeri fuga consulat.

21 Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes: & qui in medio ejus, discedant: & qui in regionibus, non intrent in eam.

21 Solet enim sibi quisque in bellis blandiri spe victoriæ, cavete ne quem hæc spes fallat: sed qui tum temporis fuerit in Judææ confiniis, subducat sese in loca montana & invia. Et qui in meditullio Judææ habitarint, demigrent alio. Quos vero calamitas hæc deprehenderit in exteris regionibus, ne recipiant sese in Judæam. Habeant omnia pro derelictis, tantum vitæ suæ quisque consulat.

22 Quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quæ scripta sunt.

22 Non enim hæc fient tumultibus fortuitis hominum, sed ultio divina, jam diu provocata pertinaci malitia hominum, per alienas nationes pœnam sumet de hac natione, jam olim rebellante adversus Deum. Hæc ita ventura prædixerunt olim Prophetæ, præcipue Daniel. Necesse est autem venire, quicquid prædixit eventurum Scriptura, quæ non fallit, quippe divini Spiritus afflatu scripta. Nec ideo tamen incidet hæc calamitas, quia sic foræ prædixerint Prophetæ: sed ideo prædictum est, quod Deus præviderit hominum pervicacem impietatem, qua divinam ultionem in se provocarent. Erit autem ingens malorum procella, quoniam præcessit diutina pertinaxque malitia gentis hujus, quæ tot modis provocata

† Alia Editio addit, *beatum*. * Altera Editio, *infecti*.

Digitized by Google

cata ad reſipiſcentiam, ſemper in deterius progreſſa eſt.

23 *Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus: erit enim preſſura magna ſuper terram, & ira populo huic.*

23 Involvet autem hæc tempeſtas, & noxios, & innoxios. Minus autem infelices erunt, quos illa procella malorum ingruens offenderit accinctos ad fugam. Væ autem gravidis, ac mamma lactantibus, quoniam onuſtæ ſarcina, quam deponere nec volent nec poterunt, non erunt expeditæ ad fugiendum. Nec erit niſi in fuga ſpes incolumitatis. Nec enim erit vulgaris afflictio, ſed atrox ultio Dei corripiet regionem hanc omnem, & populum hunc tot ſeculis rebellem.

24 *Et cadent in ore gladii: & captivi ducentur in omnes Gentes, & Jeruſalem calcabitur à Gentibus: donec impleantur tempora nationum.*

24 Subverſis enim urbibus, aut trucidabuntur, aut captivi ducentur diſpergendi per omnes gentium nationes: ut verſis rerum vicibus, ſerviant gentibus, quas hactenus ut abominabiles exſecrati ſunt: hoc ipſum illorum humanitati debituri, quod ullæ ſuperſunt reliquiæ gentis impiæ. Quin & Hieroſolyma hæc, & opibus & religionis opinione ſuperba, cum ſuo Templo, cujus ſtructuram ſibi promittunt æternam fore, conculcabitur à gentibus, donec expleta fuerint tempora, quibus Deus paſſurus eſt Judæorum nationem premi & affligi à gentibus incircumciſis, donec diutinis malis correcti Judæi, tandem reſipiſcant, & in ſocietatem Euangelicæ profeſſionis coeant cum gentibus. Nam id futurum eſt, antequam veniet ſupremus dies mundi.

25 *Et erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis, & in terris preſſura Gentium præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum:*

25 Hujus autem adventum ſigna multa portendent, antequam veniat. Erit enim ille dies horribilis, præſertim his, qui meum tempus placidum, & ultro beneficiis invitans ad mentem meliorem, ſpernunt. Proinde rerum elementa velut exhorreſcent ad hujus adventum. Sol ille fons luminis, ſolitus exhilarare rerum mundi faciem, ſubita caligine vultum obducet. Ne Lunæ quidem erit ſuum lumen mutuum, quod vobis impartiat. Stellæ ſanguine rubentes, de cœlo deſcendent in terras. Item vehemens animorum anxietas ac rerum deſperatio corripiet omnes gentes, intumeſcente mari, triſtique fragore reſonantibus fluctibus.

26 *Arefcentibus hominibus præ timore, & exſpectatione, quæ ſupervenient univerſo orbi: nam virtutes cælorum movebuntur:*

26 Hæc & hujuſmodi portenta, quæ ſe proferent undique ex omni parte mundi, declarabunt ingruere terribilem ultionem Dei: eoque mortales extabeſcent, & exanimabuntur metu & exſpectatione eorum, quæ mox ſupervenient univerſo orbi. Concutietur enim tota rerum natura: neque terra ſolum & mare commutabuntur, verum etiam illa ſolidiſſima mundi corpora, quæ hactenus ab elementorum mutatione fuerunt immunia, ſolitaque tantum agere in ea, quæ ſubjecta ſunt, non autem viciſſim ab illis affici, commovebuntur.

27 *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & majeſtate.*

27 Qui nunc adſpernati ſunt Filium hominis placidum, mitem ac beneficum, tunc videbunt eum, ſed ſuo malo videbunt, ſublimem venientem in nube cum ingenti poteſtate, ſummaque gloria.

28 *Hi autem fieri incipientibus, reſpicite, & levate capita veſtra: quoniam appropinquat redemptio veſtra.*

28 Porro quum hæc cœperint fieri, ſubrigite oculos, & attollite capita veſtra ad cœleſtem illam civitatem Hieruſalem: quoniam in propinquo erit regnum Dei, in quo nulla jam erit malorum afflictio, ſed perpetua tranquillitas, & æterna felicitas. Hæc erunt certiſſima ſigna jam inſtantis ſupremi diei.

29 *Et dixit illis ſimilitudinem: Videte ficulneam, & omnes arbores:*

29 Et adjecit Dominus ſimilitudinem. Exemplum ab arboribus capite, quæ ſignis certis præmonent homines ſequuturi fructus.

30 *Cum producunt jam ex ſe fructum, ſcitis quoniam prope eſt æſtas.*

30 Videtis enim Ficum & reliquas arbores, quum protrudunt gemmas ac frondes, & ex vobis ipſis intelligitis inſtare æſtatem, & incipitis ſperare fructus.

31 *Ita & vos cum videritis hæc fieri, ſcitote quoniam prope eſt regnum Dei.*

31 Ita & vos quum videritis hæc præludia mundi transformandi, concipite certam ſpem jamjam proferendum regnum Dei: nec amplius fore malis jus affligendi bonos: ſed impii pœnis æternis afficientur, pii gaudiis fruentur perennibus. Si videritis evenire, quicquid hactenus prædictum eſt vobis à Prophetis & à me, credite haud dubie & hæc ventura, quæ nunc prædixi vobis.

32 *Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.*

32 *Illud affirmo vobis, non præterierit hæc hominum ætas, priuſquam hæc omnia evenerint.*

33 *Cælum & terra tranſibunt: verba autem mea non tranſibunt.*

33 Nihil cœlo ac terra ſtabilius: ſed *cœlum ac terra citius evaneſcent, quam mea verba tranſierint* inania.

34 *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ: & ſuperveniat in vos repentina dies illa:*

34 Proinde certi venturum hoc tempus formidabile, præparate vos in adventum illius, ne vos opprimat oſcitantes. Id facietis, ſi caveritis ne corda veſtra graventur luxu ac temulentia, reliquiſque ſollicitudinibus vitæ præſentis: quin potius ita vivite, quaſi mox ſit venturus ille dies, nihil amantes in hoc mundo, ſed totis animis intenti ad cœleſtia.

35 *Tamquam laqueus enim ſuperveniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ.*

35 Sic fiet, ut dies ille vos non opprimat inexſpectatus. Cæteris enim, qui ſic vivunt, quaſi tempus hoc nunquam ſit venturum, ſic veniet ille dies, quaſi laqueus furtim ab inſidiante poſitus: & involvet omnes, qui non habent animos & oculos ſublatos in cœlum, ſed habitant ſuper faciem terræ, ubi non habemus ſtabilem ſedem, ſed ad illam æternam properamus. Atque illi quidem aliud agentes ſeſe captos ſentient, priuſquam laqueum præviderint.

36 *Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt: & ſtare ante Filium hominis.*

36 Idem ne vobis uſu veniat, fugite ſomnolentiam: nolite indormire voluptatibus & curis hujus mundi, ſed ſtudiis rerum cœleſtium perpetuo vigilate, continenter deprecantes, ut vos Deus dignetur habere in numero eorum, qui poterunt effugere hæc tanta rerum pericula, & ſubſiſtere ante judicem inevitabilem Filium hominis, qui ut nunc omnes magna lenitate provocat ad pœnitentiam, ita tum magna ſeveritate judicabit vivos & mortuos. Nemo ſuis fidat præſidiis, nemo feret hoc judicium, niſi præmunitus favore divino. Sed is non aderit, niſi qui interim ſummo ſtudio conantur ſeſe præbere dignos eo favore. Tunc enim implorare clementiam illius, ſerum fuerit his, qui nunc abutuntur illius lenitate.

37 *Erat autem diebus docens in templo: noctibus vero exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliveti.*

37 Quum autem inſtaret tempus mortis, Dominus Jeſus exemplo ſuo docuit diſcipulos, tum maxime invigilandum piis ſtudiis, quum imminet dies vitæ ſupremus. Nam quod orbi eſt dies ille ſupremus, de quo jam multa prædixerat, hoc unicuique eſt ſuus obitus dies. Proinde *Dominus interdiu docebat* populum *in Templo*, non ceſſans benefacere his, à quibus ſe noverat occidendum: noctu vero demigrabat in montem Oliveti, quo magis vacaret precationi, qua continenter Patrem pro ſalute mundi interpellabat, minimum temporis ſomno impartiens.

38 *Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.*

38 *Populus autem diluculo ventitabat ad illum in Templo, ut audiret eum* docentem.

CAP XXII.

Blanda caro Chriſti: certant: ſpondet Petrus: enſes: Orat: mox capitur: fles Petre: dant alapas.

1 *Appropinquabat autem dies feſtus Azymorum, qui dicitur Paſcha:*

QVo magis populus pendebat ab ore Domini, hoc magis ac magis incitabantur Sacerdotes, Scribæ & Phariſæi conjurati cum primoribus populi ad occidendum Jeſum. Jam autem & tempus appetebat, quo decretum erat & conveniebat immolari victimam illam pro ſalute totius humani generis. Delectus enim erat ad hoc conſilium dies apud Judæos longe omnium religioſiſſimus, quem illi vocant *Azymorum*, quod nefas eſſet Judæis per ejus feſti dies veſci panibus fermentatis: atque idem dicitur *phaſe*, ſive *paſcha*, quod Syris ſonat *tranſitum*, ab agno anniculo, cujus cruore ſummi poſtes ædium illinebantur, ut eas præteriret Angelus Domini exſtinctor omnium, qui hoc ſignum non haberent in foribus.

2 *Et quærebant principes ſacerdotum, & Scribæ, quomodo Jeſum interficerent: timebant vero plebem.*

2 Hic dies erat minime commodus Sacerdotibus & Scribis, qui maluerant mortem illius obſcuram eſſe, ac vulgari nocentium ſupplicio ſimillimam. Jeſus autem voluit ſuam mortem eſſe celebrem & ſolennem, ac per omnia Veteris Teſtamenti figuris ac Prophetarum oraculis congruere. Hic enim erat agnus ille neſcius omnis maculæ, cujus carne veri Iſraelitæ per orbem univerſum quotidie reficiuntur: cujus ſacroſancto ſanguine emundati, ſubducti ſumus

Digitized by Google

mus ab exitio, liberati à tyrannide peccati: & quotidie longius recedentes ab Ægypto, properamus ad cœleſtem illam terram, omni genere felicitatis exuberantem, abſtinentes interim à panibus fermentatis, ac verſantes in ſimplicitate ac ſinceritate ſpiritus Euangelici. Hic igitur dies ad verum illud ſacrificium delectus eſt Deo, quum non placeret Phariſæis. Mortuus eſt enim non ex arbitrio Judæorum, ſed ex Patris ſuoque arbitrio, quando voluit, ubi voluit, & quomodo voluit. Nihil enim hîc temere caſuve geſtum eſt. Nihil hactenus potuerat Phariſæorum malitia, ſubinde mortem Domino machinantium: quia tametſi non deerat prava voluntas, non eſt tamen data divinitus perficiendi quod deſtinarant facultas. Sic tamen interim illi conferunt ac miſcent ſua conſilia, quaſi ſuis præſidiis poſſent efficere quod volebant. Geſtiebat enim multis modis irritata Phariſæorum ac Sacerdotum malitia, injicere manus in Dominum, & ad mortem pertrahere. Sed obſtabat populi metus, quem videbant editis miraculis ac beneficiis illi conciliatum pendere ab ore ipſius. Unde periculum erat, ne ſi coram multitudine tentaſſent illi manus injicere, coorto tumultu per vim eriperetur ex ipſorum manibus, atque ita conatus in vanum cederet, etiam in poſterum ſibi proſpiciente, qui ſemel fuiſſet elapſus. Immemores interim erant, quod toties è manibus veſanæ multitudinis evaſiſſet incolumis.

3 Intravit autem ſatanas in Iudam, qui cognominabatur Iſcariotes, unum de duodecim.

3 Offendebat eos & dies parum ad rem gerendam idoneus, ob celebritatem & frequentiam populi: ſed præter ſpem aliunde præbita occaſio, cum impia ipſorum voluntate conjuncta, excuſſit ſcrupulum diei feſti. Satanas enim, qui prius per ſe Jeſum tentaverat, nunc eundem per ſuos miniſtros & organa perſequens, occuparat cor Judæ Iſcariotæ, qui fuit unus è duodecim illis ſelectis, quos Apoſtolos nominarat.

4 Et abiit, & locutus eſt cum principibus ſacerdotum, & magiſtratibus, quemadmodum illum traderet eu.

4 Hunc ſola pecuniæ cupiditas, quam contrectarat, huc veſaniæ perpulit, ut ultro adiret primarios Sacerdotes ac magiſtratus, (habebant enim & Sacerdotes armatam manum, ſed non in hoc datam) tractans cum illis de prodendo in manus ipſorum Jeſu: noverat enim hoc illos agitare. Nullus autem miniſter ad prodendum Jeſum magis idoneus, quam qui illi familiariſſimus eſt titulo ac profeſſione, mentis affectu hoſtis. Judas non male ſentiebat de Domino, nec ab eo fuerat offenſus, ut cauſam haberet, cur illi male vellet, ſed avaritiæ peſtis habebat animum illius.

5 Et gaviſi ſunt, & pacti ſunt pecuniam illi dare.

5 Gaviſi ſunt Sacerdotes oblatum hiſtrionem, qui hujus fabulæ primas ageret partes. Placuit Judæ conſilium, convenit de pretio, quod ille ſane mediocre poſtulavit, ne res non reſponderet prophetiæ. Illi polliciti ſunt pecuniam, hic operam.

6 Et ſpopondit. Et quærebat opportunitatem ut traderet illum ſine turbis.

6 Interea quærebat occaſionem, qua quod illi volebant, traderet illis Jeſum ſemotum à turba, ne quid à fautoribus oriretur tumultus. Noverat autem ille omnes Domini ſeceſſus.

7 Venit autem dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi paſcha.

7 Jam vero aderat ille dies azymorum Judæis ſacerrimus, in quo juxta Legis præſcriptum oportebat occidi agnum, quem Judæi à tranſitu, ut dixi, vocant *phaſe*. Verum autem *phaſe* erat Dominus Jeſus, agnus ille puriſſimus, juxta Patris æternum conſilium immolandus pro ſalute mundi.

8 Et miſit Petrum & Ioannem, dicens: Euntes parate nobis paſcha, ut manducemus.

8 Jeſus igitur quo penitus infigeret animis ſuorum mortis ſuæ memoriam, doceretque ſe præſcium ac volentem hæc omnia perpeti, voluit in extrema cœna, quam cum illis erat acturus, myſticis ſignis hoc apud eos repræſentare, quod poſtridie peracturus eſſet in cruce, non ignarus quam eſſent ſua morte perturbandi. Occupat igitur tempus, dum adhuc illorum animi monitorum eſſent capaces. Hoc negotium dat duobus Apoſtolis præcipue dilectis, Petro & Joanni: *Ite, inquit, & parate nobis agnum paſchalem, ut ſimul comedamus.* Audis Eccleſiæ exordium, & finem Synagogæ.

9 Quoniam Dominus non habebat proprium aut certum domicilium, quum eſſet conditor ac Dominus univerſorum: rogant diſcipuli, ubinam ſibi vellet adornari cœnam paſchalem. Erant autem uſque adeo hoſpites ac peregrini diſcipuli in civitate, ut vix domum aliquam certo cognitam haberent. Tales enim oportet eſſe veros Chriſti diſcipulos in hoc mundo.

9 At illi dixerunt: Ubi vis paremus?

10 Jeſus autem ut oſtenderet ſibi nihil eorum ignotum eſſe quæ mox eſſent futura, dixit illis: *Ecce quum ingreſſi fueritis civitatem, occurret vobis quidam bajulans hydriam aqua plenam. Hunc ſequimini uſque ad domum, quam fuerit ingreſſus.*

10 Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans: ſequimini eum in domum, in quam intrat,

11 *Ibi dicetis patrifamilias: Præceptor juſſit, ut ſuis verbis tibi diceremus: Ubi eſt cœnaculum, ubi paſchalem agnum comedam cum diſcipulis meis?* Agnoſcet Præceptoris titulum, ſicuti Domini vocabulum agnoverat, vobis ſolventibus aſinæ pullum.

11 Et dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi Magiſter: Ubi eſt diverſorium, ubi paſcha cum diſcipulis meis manducem?

12 *Is* nihil cunctatus, *oſtendet vobis cœnaculum ingens jam* futuro convivio *conſtratum, ibi mihi parate paſcha.* Illud interim conſidera, mi Theophile: Ignotus hoſpes eſt, qui præbet cœnaculum: & aquæ bajulus dux eſt ad hanc domum, in qua Chriſtus celebrat paſcha. Per baptiſmum enim & ſacram doctrinam ingreſſus eſt in Eccleſiam: purgat aqua viva ſermonis Euangelici, purgat & aqua ſacramenti. Paterfamilias non habet nomen, quoniam ubique Chriſti eſt Eccleſia: primum ex obſcuris initiis exorta, ſed in dies latius ſeſe diffundens in univerſum mundum.

12 Et ipſe oſtendet vobis cœnaculum magnum ſtratum, & ibi parate.

13 Quoniam autem principium omnis ſalutis eſt fides: credunt Domino, & obtemperant diſcipuli. Abeunt in civitatem, reperiunt bajulum hydriæ, ſequuntur præeuntem. Referunt patrifamilias, quæ juſſi fuerant. Ille commonſtrat cœnaculum ingens. Amplum enim ſit oportet, quod omnium orbis nationum ſit capax. Nam Judæorum Synagoga anguſta eſt. Et procul à terrenis ſubmoti debent eſſe, qui volunt veſci cibo cœleſti. Hic igitur diſcipuli cœnam parant, nimirum paſtorum fungentes officio.

13 Euntes autem, invenerunt ſicut dixit illis, & paraverunt paſcha.

14 Quum autem jam eſſet cœnandi tempus venit eo Jeſus, & accubuit cum duodecim ſelectis diſcipulis, quod cæteri nondum eſſent capaces tam retruſi myſterii, quod poſt per Apoſtolos ſuos communicari voluit his, qui jam eſſent Euangelii ſacramentis initiati.

14 Et cum facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo.

15 Quum igitur accumbentibus cibus ac potus eſſet appoſitus, Dominus quo penitus infigeret animis ſuorum, ſe nulla neceſſitate, ſed amore redimendi genus humanum paſſurum crucis ſupplicium, ait illis: *Ingenti deſiderio deſideravi, ut hunc agnum paſchalem vobiſcum comederem ante mortem meam:* cujus tempus adeſſe gaudeo, quia ſitio ſalutem hominum.

15 Et ait illis: Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar.

16 *Hoc enim affirmo vobis, poſthac non comedam* vobiſcum *hoc paſcha* juxta Legis præſcriptum, ſed aliud perfectius paſcha juxta ſpiritum perficietur in regno Dei. Hic agnus, qui quotannis mactatur ſolenniter à Judæis, typum habuit mortis meæ. Nunc adeſt veritas, & ceſſabit umbra: poſthac ſpirituale & efficax *phaſe* mihi celebrabitis, cujus eſus vos reddet immortales.

16 Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.

17 Ubi vero ſinguli guſtaſſent de carnibus agni, Jeſus *accepto poculo gratias egit* Patri, & libato *porrectoque calice dixit diſcipulis ſuis: Capite & dividite hoc inter vos.*

17 Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & dividite inter vos.

18 *Illud affirmo vobis, poſthac non bibam de fructu vitis* juxta carnis neceſſitatem, *ſed mox aderit regnum Dei.* Hæc omnia, quæ Lex habuit carnalia, ſpiritualiter exhibebuntur. Hactenus figurarum Legis eſt finis.

18 Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.

19 Sub hæc Dominus Jeſus myſtico ſymbolo ſuis conſecraturus novum Teſtamentum, *accepit panem, & gratiis actis* Patri, *fregit* manibus ſuis, *deditque*

19 Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis

Digitized by Google

datur: hoc facite in meam commemorationem.

discipulis, dicens: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis in mortem traditur.* Mors mea non iterabitur: sufficit enim unica victima pro peccatis omnium seculorum. Sed vos vobis hujus meæ erga vos caritatis memoriam frequenter renovabitis, facientes inter vos, quod nunc à me videtis fieri. Erit enim hoc sacrosanctum signum fœderis inter nos initi.

20 Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.

20 *Peracta vero cœna, sumsit & poculum, ac porrigens illis, dixit: Hoc est novum testamentum*, non vituli aut hirci, sed *meo sanguine consecratum, qui pro vobis* servandis *effunditur*. Habetis summum argumentum ac pignus meæ erga vos caritatis.

21 Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.

21 Deberet autem amor esse mutuus: sed tamen est hîc vobiscum in mensa, qui me proditurus est his, qui me quærunt ad mortem.

22 Et quidem Filius hominis, secundum quod definitum est, vadit: verumtamen væ homini illi, per quem tradetur.

22 Nec ista fiunt fortuito, sic definitum est consilio divino, sic prædictum est à Prophetis, ut hoc ordine Filius hominis redimeret genus humanum. Servit ille quidem publicæ saluti. Sed quoniam hoc animo impio facit, cedet in exitium ipsius, quod aliis adferet salutem. Non illum Dei decretum pertrahit ad impium facinus, sed sua prava cupiditate eo ducitur.

23 Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset.

23 Ea vox Jesu vehementer perturbavit omnium animos, ac cœperunt inter sese quærere, quisnam esset ille, de quo Jesus esset loquutus. Nemo sibi male conscius erat, præter unum Judam Iscariotem: nemo tamen ausus est sibi fidere. Non prodidit tamen Jesus proditorem suum, sed frequenter illius conscientiam pupugit, ut resipisceret. Et sciebat futurum, ut ille nihilominus in sua dementia perseveraret: nos interim docens, ut erga peccatores summa lenitate utamur, quibus certum esse non potest an aliquando redituri sint ad sese.

24 Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.

24 Quoniam autem Dominus in cœna meminerat de regno Dei, rursus incidit inter discipulos adhuc infirmos, & carnem ex parte sapientes, contentio, quis à morte Domini primatum haberet in regno Dei. Nam in porrigendo pane & poculo visus est omnes æquasse, dicens: *Dividite inter vos.*

25 Dixit autem eis: Reges Gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur.

25 Jesus autem quanquam & alias revocarat illos ab hoc affectu, nunc moriturus repetit & inculcat, dicens: Nolite tale quippiam imaginari in regno cœlorum, quale videtis in regnis mundanis. Longe aliud regni genus est, quod beneficiis constat, non vi: spiritualibus præsidiis obtinetur ac defenditur, non violentia: persuasione dilatatur, non necessitate. Siquidem Principes hujus mundi dominatum exercent in eos, in quos habent magistratum: non enim persuadent ut ament honesta, sed metu suppliciorum deterrent à maleficiis, & honorem à suis exigunt, etiamsi non promereantur: imo quo propius accedunt ad tyrannidem, hoc plus honoris exigunt à suis, & interim magnificis titulis honorantur à populo. Vocantur Principes, patres patriæ, servatores, consules, quod potestate sua premant inferiores.

26 Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator.

26 Tale quidem est regnum Gentium: inter vos autem, quos formo instituoque ad regnum Euangelicum, longe diversa erit ratio. Quo quisque major erit inter vos, hoc minus sibi vindicabit violentiæ potestatis aut gloriæ. Nec enim huc spectabit, ut suis dotibus, quas accepit à Deo, premat inferiores, sed prosit ac sublevet: nec sibi vindicabit laudem, sed Deo totam transcribet: non quod non sit in hoc regno futurus ordo, sed † is, qui delectus est ad primatum, ut aliis dux sit ad pietatem, adeo serviet omnium commodis, ut videatur esse minister potius, quam princeps. Favorem non ambiet, sed promerebitur animus ad benefaciendum omnibus promptissimus: auctoritatem tuebitur vitæ integritas, non supercilium, aut fastus.

27 Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat.

27 Ne pigeat autem vos inter vos eam præstare modestiam, quam ego vobis præstiti, qui meo jure poteram mihi dominatum vindicare. *Nam* illud cogitate, *uter major videtur, qui ministrat, an qui accumbit? Nonne qui accumbit?* Non quod revera major sit, quisquis accumbit: imo qui convivio accipit alios, hoc ipso major est, quod bene meretur de multis. Et tamen civilitatis gratia cæteris, quos vocavit, accumbentibus, ille obambulat, sollicitus ne quid cui desit in convivio, & unius sollicitudo omnium voluptati prospicit. Nonne ego me talem gessi inter vos? Nonne sic versatus sum inter vos, quasi minister essem omnium vestrum, de meo ministrans, & unus pro omnibus sollicitus? Quanto magis oportet vos abesse ab omni tyrannide & ambitione, qui conditione pares estis, qui de meo ministratis, qui communem habetis Dominum?

28 Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis:

28 Accepistis sacrosanctum illud symbolum Euangelicæ concordiæ: ut qua caritate vos complexus sum, ea vos invicem complectamini. Non potest autem constare concordia, ubi regnat ambitio. Interim promerendus est honor, non vindicandus. Principes enim hujus mundi, ut recte administrent munus suum: tamen quoniam honorem exigunt à suis, nihil habituri sunt apud Deum præmii. Vos autem de præmio securi, tantum de officio cogitate. Meum erit de dignitate prospicere. Si fueritis imitatores humilitatis meæ, eritis & gloriæ consortes: si fueritis afflictionum socii, eritis & immortalitatis. *Et hactenus mecum permansistis in afflictionibus meis*, quibus Pater cœlestis voluit exploratam ac spectatam esse meam obedientiam. Non vos humilitas, non paupertas, non labores vitæ, non obtrectationes hominum, non Pharisæorum insidiæ, non potentium minæ distraxerunt à meo contubernio, quum alii defecerint, alii non sint ausi profiteri sese meos discipulos.

29 Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum,

29 Quod si perstiteritis istoc animo, nec vos piguerit interim imitari meam humilitatem, quo magis profitis omnibus, ego vicissim efficiam, ut olim sitis participes gloriæ regni mei. Pater enim hanc voluit esse viam ad regnum cœleste. Eam vobis aperui hactenus, & aperiam morte mea. Per humilitatem ille me provehet ad regni gloriam: per afflictiones temporarias ad æterna gaudia.

30 Ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo: & sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel.

30 Quemadmodum autem mihi regnum est paratum à Patre, quod hîc interim juxta voluntatem ipsius ministrum ago, non dominum: & ego provectus ad regni dignitatem, vobis mea vestigia sectantibus parabo regni consortium, ut qui hîc non quæsistis honorem, sed gessistis vos ut omnium ministros, sedulo dispensantes doctrinam Euangelicam, *in regno meo* non jam velut ministri, sed velut honorabiles filii Dei *accumbatis ad mensam meam:* & qui nunc mea causa pro contemtissimis habemini inter Judæos, tunc velut primores *sedeatis super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel.* Tunc enim apparebit illorum humilitas, qui nunc videntur rerum apicem tenere, & vestra sublimitas, qui nunc videmini rejectamenta mundi. Hæc figurate loquutus est Dominus Jesus, sermonem suum ad ruditatem suorum discipulorum attemperans, quam ideo diu passus est in illis residere: partim, ut in nobis efficacius eximeret humanos affectus, quibus tum discipuli erant obnoxii: partim, ut nos alienam imbecillitatem magna lenitate toleremus, donec proficiant ad perfectiora.

31 Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum:

31 Restabat, ut animos suorum adversus imminentem tempestatem armaret, ac sui fiduciam eximeret. Nullos enim citius dejicit afflictionum procella, quam qui suis fidunt viribus. Sed qui suis, hoc est, humanis præsidiis diffisi, toti pendent à præsidio cœlesti, hi demum firmi sunt adversus omnes hujus mundi tumultus. Itaque sermonem vertit ad Petrum, ut per hunc instituret & castigaret omnes. Sciebat enim hunc esse cæteris promtioris animi, sibique plurimum fidere, pio quidem affectu, sed humano. Nondum enim acceperat illum totius virtu-

† Altera Editio inserit, *quod*.

Digitized by Google

tutis largitorem Spiritum Sanctum. *Ait igitur: Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ſtudio, ut ventilet vos cribretque veluti triticum*, diſſipaturus ſi poſſit. Et facturus erat, ſi veſtræ imbecillitati fuiſſetis relicti.

32 *Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.*

32 *Sed ego deprecatus ſum* Patrem *pro te* Petre, *ut* quamvis vacillatura ſit *fides tua, non deficiat* tamen. Hoc exemplum in te placuit edere, qui tibi plurimum fidis, *quo tu* poſt lapſum *reverſus ad te*, tuo exemplo *confirmes fratres tuos* eadem imbecillitate lapſos, ut intelligant omnes, neminem ſuis viribus parem eſſe poſſe adverſus Satanæ malitiam, niſi meo præſidio fulciatur.

33 *Qui dixit ei: Domine, tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem ire.*

33 His auditis, Petrus adhuc ſuis fidens viribus, reſpondet: Domine, quam defectionem, aut quam converſionem mihi narras? Imo ſenties me conſtantem & invictum in fide. Et quemadmodum hactenus non deſerui te, ita nec poſthac unquam ſum deſerturus, adeo ut paratus ſim tecum extremum adire periculum capitis, ſive eundum ſit in carcerem, ſive etiam in mortem.

34 *At ille dixit: Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges noſſe me. Et dixit ei:*

34 Hanc vocem à pio quidem ac ſimplici profectam animo, ſed nondum ſibi ſatis noto, Dominus illico repreſſit hujuſmodi reſponſo: Quid ais Petre? Tu mecum in carcerem & in mortem ibis? Imo aliud prædico tibi: *Futurum* eſt enim, *ut ter me abneges, & abjures te noſſe me hac nocte, priuſquam gallus cantet* bis. Tanta erit afflictionis procella.

35 *Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?*

35 Poſteaquam illis exemerat ſui fiduciam, rurſus inculcat, quod ſæpe docuerat, ne ſe commeatu præmunirent adverſus neceſſitatem: aut humanis præſidiis armarent adverſus malorum violentiam, quod oporteat cœleſtis Euangelii miniſtrum eſſe liberum à ſordidis hujus vitæ curis, nec aliis armis inſtructum eſſe adverſus omnes impiorum aſſultus, quam gladio ſpiritus, qui eſt ſermo divinus. *Quum mitterem*, inquit, *vos* experiundi gratia ad prædicandum inter Judæos inſtare regnum Dei, adeo nullo commeatu inſtructos, ut *nec loculos haberetis* reponendæ pecuniæ, *neque peram* recondendo cibo, *neque calceamenta* tuendis pedibus: *Num qua res defuit vobis?*

36 *At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc, qui habet ſacculum, tollat; ſimiliter & peram: & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium.*

36 *Reſpondent, Nihil.* Tum Jeſus, ut prorſus revelleret ex animo illorum omnem vindictæ cupiditatem, fallit eos ad tempus obſcuritate ſermonis, ſed in hoc patitur errare, quo certius & efficacius eximat omnem affectum ulciſcendi. Sciebat enim illos accendendos ad defendendi ſtudium, quum viderent tanto tumultu Dominum ſuum, quem vehementiſſime, ſed tamen humano affectu diligebant, ab armatis ſatellitibus invadi. Quem niſi caſtigaſſet evidenter, exiſtimaſſemus nobis licere adverſus impiorum violentiam armis nos defendere, ac vim vi repellere. Nunc quum Petrus reprehenſus ſit, quod adverſus impios & ſceleratos pro innocentiſſimo Domino ſtrinxerit ferrum, quæ poterit eſſe poſthac cauſa, ut homo Chriſtianus injuriam injuria repellat? Ait autem Dominus: Ad primam Euangelii prædicationem iviſtis expediti, nulloque commeatu inſtructi, ſed tamen meo præſidio nihil vobis defuit: id ſatis erat vobis, quum nulla gravis immineret procella, poſthac ad duriora parandus eſt animus. Etenim quo ſævior erit perſequutionis procella, eo oportet vos à terrenis impedimentis expeditiores eſſe. Nunc bellum ingens imminet, & gladio opus eſt. Quare ſi quis forte loculum habet, aut peram, tollat, ut emat gladium. Quod ſi hæc deſunt quæ poſſunt abjici, & quibus caruiſtis abſque incommodo, vendat tunicam ſuam & emat gladium. Ad hoc bellum oportet valde expeditum venire, nec alia re inſtructum, quam gladio.

37 *Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod ſcriptum eſt, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus eſt. Etenim ea, quæ ſunt de me, finem habent.*

37 Res ad extrema veniet. Non enim ſolum mihi injicient manus violentas, verum etiam *oportet perfici, quod de me futurum prædixit* olim Eſaias: *Et cum iniquis deputatus eſt.* Si grave eſt occidi, quanto gravius inter facinoroſos infami ſupplicio affici? Et hoc quoque manet Filium hominis. Jam enim inſtat tempus, ut quicquid de me prædictum eſt à Prophetis, perficiatur.

38 *At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladii hic. At ille dixit eis: Satis eſt.*

38 Hunc ſermonem quum non intelligerent Apoſtoli, ſuſpicarenturque Dominum admonuiſſe, ut gladium haberent paratum ad depellendam vim imminentem, ſimpliciter reſponderunt: *Domine, ecce adſunt jam duo gladii:* exiſtimantes omnino opus eſſe gladiis, ſed illud tantum verentes duos gladios non ſuffecturos ad eam pugnam. Oſtendebant affectum pugnandi pro Domino, quem ſciebant de ſuo poſſe ſupplere, ſi quid deeſſet ipſorum præſidiis, quemadmodum ante quinque panes & duos piſces auxerat, ut ſufficerent multis hominum millibus. In hoc tam craſſo affectu Jeſus id temporis reliquit diſcipulos ſuos, ut (quemadmodum dixi) illorum infirmitas nos erudiret ad perfectam tolerantiam. *Reſpondit itaque: Satis eſt.* Hoc illi ſic dictum accipiebant, quaſi duobus gladiis, quos tum habebant paratos, poſſit ſuſtineri prima pugna, quum Chriſtus ſentiret de ſpirituali pugna adverſus mundum & Satanam: in qua, victoria contingit ex animo ab omnibus terrenis cupiditatibus expedito, ſoloque gladio doctrinæ cœleſtis armato. Ea conſtat Veteris ac Novi Teſtamenti ſcriptura irrefragabili, ut duos poſſis intelligere gladios, ſed ab eodem ſpiritu porrectos.

39 *Et egreſſus ibat ſecundum conſuetudinem in Montem olivarum. Secuti ſunt autem illum & diſcipuli.*

39 Quoniam vero milites inituri pugnam, ſolent adverſus inſtantem cum hoſte conflictum reficere corpora, & excitare animos: Dominus volens oſtendere ſuis, quid illos maxime roboraret adverſus tales congreſſus imminentes, *egreſſus eſt* Hieroſolymam, *atque ex more ſuo conceſſit in montem Oliveti, comitantibus eum diſcipulis ſuis.*

40 *Et cum perveniſſet ad locum, dixit illis: Orate ne intretis in tentationem.*

40 Quum autem perventum eſſet ad ſeceſſum, in quo ſolitus eſt orare, dixit illis: Quo ſubſiſtere poſſitis adverſus tempeſtatem imminentem, vigilate & orate, ne ſi vos oppreſſerit oſcitantes & otioſos, illaqueet vos incautos, & ſuperet.

41 *Et ipſe avulſus eſt ab eis quantum jactus eſt lapidis: & poſitis genibus orabat,*

41 Hæc loquutus Dominus, *ſubtraxit ſeſe ab illis ferme ad jactum lapidis*, ſolus *oraturus* pro omnibus, quemadmodum unus pro omnibus paſſurus erat. Verum ut illius mors non profuit otioſis, ita nec precatio valere debet, niſi his, qui pro ſe quoque ſtudent orare.

42 *Dicens: Pater ſi vis, transfer calicem iſtum à me: Verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat.*

42 Utque nos doceret animum eſſe ſubmittendum, quoties cum Deo loqui paramus, *flexis in terram genibus orabat* Patrem, *dicens: Pater, ſi ſic eſt voluntas tua, transfer hoc poculum à me.* Sentio naturam, quam aſſumſi, abhorrentem à morte, ſed vincat hîc hominum ſalus? idque fiat, quod tua voluntas immutabilis decrevit, non quod hujus corporis ſuadet imbecillitas. Noverat Dominus quid vellet Pater, & cupiebat ipſe bibere poculum mortis pro ſalute mundi, ſed in ſe tranſtulit affectum ſui corporis, ac ſuis precandi formam præſcribere ſtuduit. Siquidem hæc precatio pulchre congrueret martyri ſub tempus carnificinæ: Fiat tua voluntas, non mea, ſive me vivere vis, ſive mori. Hanc autem naturæ noſtræ trepidationem Chriſtus in ſe ſuſcepit, ut à ſuis eximeret.

43 *Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat.*

43 Cæterum ut nos doceret, tum cœlitus nobis adfore auxilium à Domino, poſtquam nos totos divinæ voluntati tradiderimus, ſive ad vitam, ſive ad mortem, *apparuit illi de cœlis Angelus corroborans eum.* Ut nobis perturbatus eſt ob mortem imminentem, ita nobis corroboratus eſt per Angelum.

44 *Et factus eſt ſudor ejus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.*

44 Poſt hæc corripuit illum vehemens quidam angor, qui fere ſolet accidere jam mortem animo contuentibus. Solet autem hic affectus eſſe nonnunquam ipſa morte gravior. Nec hunc cruciatum Jeſus noſtra cauſa dedignatus eſt accipere, qui crucem noſtra cauſa non recuſavit: nos interim docens, ad quæ præſidia confugiendum ſit, quoties horror il-

Digitized by Google

le noſtram imbecillitatem ceperit. Proſtratus enim in terram, vehementius orabat. Hinc nimirum pendet tota ſpes victoriæ noſtræ. Porro ut nos eſſemus in ſuppliciis firmiores, tantus angor corripuit Chriſtum, ut toto corpore guttæ ſanguineæ defluerent in terram.

45 *Et cum ſurrexiſſet ab oratione, & veniſſet ad diſcipulos ſuos, invenit eos dormientes præ triſtitia.*

45 Ut autem ſeſe erexit à deprecatione, rediit ad diſcipulos ſuos, & reperit illos dormientes præ mœſtitudine. Non erat illa crapula, ſed imbecillitas naturæ, gravis animi mœror ſomnum adduxerat: ſed cum hac infirmitate pugnandum eſt vigore ſpiritus, qui velit in tali conflictu victor evadere.

46 *Et ait illu: Quid dormitis? ſurgite, orate, ne intretis in tentationem.*

46 Objurgat itaque Jeſus ſuos, & excitat rurſus ad orandum: *Cur*, inquit, nunc in tanto periculo *dormitis? Surgite & orate*, ne vos oſcitantes obruat ingruens tempeſtas, jam enim inſtat tempus.

47 *Adhuc eo loquente, ecce turba: & qui vocabatur Judas, unus de duodecim, antecedebat eos: & appropinquavit Jeſu ut oſcularetur eum.*

47 Nondum finierat hunc ſermonem Dominus Jeſus, jam apparuit turba ſceleratorum militum, quos Sacerdotes & Phariſæi ſceleratiores miſerant ad capiendum Jeſum. Judas autem ille, modo Chriſti ſectator & conviva, nunc dux impiæ manus, antecedebat illos ex intervallo, ſed prius illis dato ſymbolo, (ſolet hoc in bellis fieri) ut cui dediſſet oſculum, hunc ſcirent eſſe Jeſum.

48 *Jeſus autem dixit illi: Juda, oſculo Filium hominis tradis?*

48 Ubi vero propius adiſſet Jeſum, jam oſculum ex more porrecturus, Dominus pro ſua manſuetudine nec proditoris recuſavit oſculum, ſed rurſus illius pupugit conſcientiam, ut vel tanta Domini lenitate motus reſipiſceret: *Juda*, inquit, *oſculo Filium hominis prodis?* Intelligebat Judas ſe non latere, noverat innocentiam Domini, toties inaudita manſuetudine provocabatur ad mutanda conſilia: vel lapis emolliri poterat, niſi totum illius pectus jam Satanas avaritiæ morbo occupaſſet. Ac Judæ quidem impietas ipſi quidem uni exitium attulit. Cæterum qui nunc ſimili dolo veritatem Euangelicam produnt Principibus hujus mundi, graviorem perniciem adferunt, & majore ſupplicio digni ſunt, quam Judas infelix, ſero facti pœnitens, de ſe exegit. Poſt datum oſculum accurrit turba militum, ut manus injicerent in Jeſum, qui non in aliud volebant Jeſum agnoſcere, niſi ut caperent. Felices autem illi, qui ideo cognoſcere ſtudent ſermonem Euangelicum, ut Jeſum imitentur.

49 *Videntes autem hi, qui circa ipſum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, ſi percutimus in gladio?*

49 Porro cæteri diſcipuli, conſpicientes vim parari Domino, amore ſuppeditante audaciam, ajunt Domino: *Domine an vis ut feriamus gladio?* Meminerant quod de gladio emendo dixerat, ſed quoniam in eo perpetuam manſuetudinem viderant, dubitabant an paſſurus eſſet eos uti gladiis.

50 *Et percuſſit unus ex illis ſervum principis ſacerdotum, & amputavit auriculam ejus dexteram.*

50 Cæterum Petrus, qui cæteris vehementius amabat, quique præ cæteris fortia pollicitus fuerat, non exſpectato Domini reſponſo, gladio petiit quendam è miniſtris primarii Sacerdotis, qui primus tentabat manum injicere Jeſu, videlicet domini ſui ſævitiam referens: ſed moderante ictum Domini manſuetudine, tantum dextram illius auriculam amputavit. Felices ſunt, quibus amputatur auricula, quæ hactenus auſcultavit impiis Sacerdotibus ac Legi carnali: & reſtituta à Chriſto, jam auſcultat iis, quæ faciunt ad ſalutem æternam. Infame vulnus erat magis, quam periculoſum, ſed tamen inſanabile, quod cartilago ſemel deſecta non coeat rurſus.

51 *Reſpondens autem Jeſus, ait: Sinite uſque huc. Et cum tetigiſſet auriculam ejus, ſanavit eum.*

51 Jeſus autem, cui nullum vulnus ſanabile non eſt, objurgato diſcipulo, quod contra manſuetudinem Euangelicam, ſed veteris adhuc Legis memor, gladio pugnare cœpiſſet, reſtituit Malcho ſuam auriculam, ſic ut nullum vulneris veſtigium appareret. Minimum enim peccabant milites & ſervi, quorum ſtultitia, Sacerdotum, Phariſæorum & Scribarum malitiæ ſerviebat. In hos potius ſæviendum erat, niſi ſic viſum eſſet Deo, victoriam Euangelicam in tolerantia ſitam eſſe.

52 *Dixit autem Jeſus ad eos, qui venerant ad ſe, principes ſacerdotum, & magiſtratus templi, & ſeniores: Quaſi ad latronem existis cum gladiis & fuſtibus?*

52 Jeſus autem ut declararet ſeſe volentem omnia pati, converſus ad eos, quos impii Sacerdotes & Scribæ miſerant, ait illis: Quid accidit, quod nunc armati gladiis ac fuſtibus egreſſi noctu civitatem huc accurritis, veluti latronem violentum ac repugnantem expugnaturi?

53 *Cum quotidie vobiſcum fuerim in templo, non extendiſtis manus in me: ſed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.*

53 Quum quotidie fuerim apud vos in Templo, expoſitus omnibus inermis, nemo manus injecit in me: Certe eadem erat vobis tum voluntas, quæ nunc eſt, ſed obſtitit vobis ejus voluntas, cui nemo poteſt reſiſtere. Nondum enim venerat tempus, quo pati decreveram, ſed hoc eſt tempus veſtrum, tempus nocturnum, & hæc eſt poteſtas tenebrarum à Deo permiſſa.

54 *Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis ſacerdotum: Petrus vero ſequebatur à longe.*

54 His dictis, Dominus Jeſus nihil reluctans præbuit ſe vinciendum. Illi comprehenſum adduxerunt in domum Caiphæ, qui tum erat Sacerdotum princeps, totius Judaici populi peſſima pars. In hujus atrium convenerat concilium Sacerdotum, Scribarum, Phariſæorum, primorum populi, reliquaque multitudo, quæ vel metu, vel affectu, vel errore, horum malitiæ ſerviebat. Interim diſcipuli metu perculſi, alius alio diffugerant. Petrus autem parum feliciter tentata pugna, nondum tamen depoſita tota ſpe ſalutis, è longinquo ſequebatur Jeſum.

55 *Accenſo autem igne in medio atrii, & circumſedentibus illis, erat Petrus in medio eorum.*

55 Auſus eſt etiam per tenebras ingredi Pontificis atrium, ac famulorum turbæ miſceri ignotus. Quum autem in medio atrii eſſent accenſi carbones ob frigus nocturnum, inter conſidentes miniſtros aſſidebat admixtus Petrus, cumque illis ſeſe calefaciebat ad prunas.

56 *Quem cum vidiſſet ancilla quædam ſedentem ad lumen, & cum fuiſſet intuita, dixit: Et hic cum illo erat.*

56 Quem cum vidiſſet ancilla quædam, ita ſedentem, ut facies eſſet obnoxia lumini, fixius intuita agnovit eum: utque ſe declararet Domini ſui ſimilem, ſtatim exclamavit, cæteris audientibus: *Et hic erat cum illo*, qui captus eſt. Non hoc actum eſt fortuito, ſed ita placuit divinæ diſpenſationi, quo magis retunderetur Petri fiducia, qui prius tam magnifice pollicitus Domino, ſe vel in mortem cum illo iturum, nunc ad mulierculæ vocem abnegarit Dominum.

57 *At illa negavit eum, dicens: Mulier, non novi illum.*

57 Petrus enim territus hac voce mulieris, abjecte reſpondit: *Mulier, non novi illum:* Sic primum elapſus eſt Petrus, ſed mox recurrit periculum.

58 *Et poſt puſillum alius videns eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus vero ait: O homo, non ſum.*

58 Quidam enim è famulis rurſum noſcitare cœpit, & ait illi: *Et tu de numero illorum es*, quorum ducem cepimus. Rurſus Petrus ad hanc vocem exanimatus, ait: *Homo, non ſum:* adjurans ſe non noſſe Jeſum. Rurſus elapſus eſt perjurio. Nec interim venit in mentem quid prædixiſſet illi Dominus, & quid illi promiſiſſet ipſe.

59 *Et intervallo facto quaſi horæ unius, alius quidam affirmabat, dicens: Vere & hic cum illo erat: nam & Galilæus eſt.*

59 Interea Jeſus examinabatur ab impio concilio, & alapa cædebatur contra morem judiciorum: eminus ſpectante Petro, quem exitum res eſſet habitura. Sed *poſt horæ ferme ſpatium, alius quidam* è famulis, cognatus ejus, cui præciderat auriculam, intuitus Petrum agnovit illum, & *ait*: *Profecto & hic erat cum Jeſu* in horto. Negante Petro, adjecit: Verum eſſe quod dico, vel ipſius lingua declarat: *Eſt enim Galilæus.*

60 *Et ait Petrus: Homo, neſcio quid dicis. Et continuo adhuc illo loquente cantavit gallus.*

60 Ibi Petrus totus expavefactus, cœpit abjurare ac devovere ſeipſum, ſi vel intelligeret, de quo Jeſu, aut de quo horto, aut de quibus Galilæis loqueretur. Adeo ſibi exciderat ille futurus Eccleſiæ princeps Petrus. Interea dum negat, dum abjurat, dum exſecratur, dum ſe devovet Petrus, cantavit gallus iterum: quod ſignum illi dederat Dominus, ac ne ſic quidem redit ad ſeſe.

61 *Et conversus Dominus reſpexit Petrum. Et recordatus eſt Petrus verbi Domini, ſicut dixerat: Quia priusquam gallus cantet, ter me negabis:*

61 Nec erat futurus errandi finis, niſi Dominus per medios impios vertiſſet oculos ad Petrum, & intuitus illum fuiſſet. Petrus tactus adſpectu Domini ſui, recordatus eſt ſermonis, quem paulo ante dixerat Dominus: *Prius quam hac nocte cantet gallus* bis, *ter me negabis.*

62 *Et egreſſus foras*

62 Subitoque tactus dolore vehementi, *ſubduxit ſeſe foras, & flevit amare.* Quod fecit Petrus, idem erant facturi diſcipuli cæteri, ſi ſimilis incidiſſet neceſ-

Petrus flevit amare.

ceſſitas: ſed in uno Petro Jeſus docere voluit omnes, ne quis ſibi fidat, ne quis ſe malorum admiſceat conſortio. Nox erat, refrixerat in eo caritas, ad impiorum ignem ſeſe calefaciebat: ſedebat admixtus impiis in domo Caiphæ Pontificis, ipſe Pontifex futurus, ſed illi multum diſſimilis. Illic quæ ſcelera non perpetrantur? Illic per Sacerdotes, Phariſæos, Scribas & ſeniores populi conſpiratum eſt in necem Jeſu. Illinc emittuntur in eum ſatellites, illic ligatur, cæditur, velatur, illuditur, & accuſatur. Illic pejerat & exſecratur Petrus, atrox crimen, niſi excuſaret infirmitas. Non enim peccabat deſtinata malitia, quemadmodum Judas, ſed animi conſternatione. Non enim illuc venerat, ut abnegaret, ſed ut ſpectaret exitum judicii, nondum ſatis firmus ad commoriendum Chriſto. Nec dum enim venerat tempus. Quotquot igitur prolapſi ſunt in grave crimen, orent Dominum Jeſum, ut dignetur oculos ſuos flectere ad ſeſe, & protinus agnoſcent, unde quo reciderint. Subducant ſeſe à ſcelerato conſortio, & lachrymis mutatum animum teſtantibus culpam abluant.

63 Et viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes.

63 Interea nox illa tota tranſacta eſt ludibriis in Jeſum. Siquidem hi, qui ceperant Jeſum, illudebant ei, conviciis addentes verbera.

64 Et velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus: & interrogabant eum, dicentes: Prophetiza, quis eſt, qui te percuſſit?

64 Quoniam autem audierant, quod populus illum veneraretur ut Prophetam, *obvelatis illius oculis, impegerunt alapas in faciem ejus, dicentes: Divina, quis te percuſſerit:*

65 Et alia multa blaſphemantes dicebant in eum.

65 Multiſque aliis ludibriis & conviciis impia turba debacchabatur in omnis gloriæ fontem, ne quis noſtrum indigne ferat, ſi propter Euangelicum ſermonem contumeliis inceſſitur, ſi malis affligitur ab his, qui profanorum Pontificum, qui fucatorum Phariſæorum, qui ſtultorum Principum animo ſerviunt.

66 Et ut factum eſt dies, convenerunt ſeniores plebis, & principes ſacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium ſuum, dicentes: Si tu es Chriſtus, dic nobis.

66 Ut vero diluxit, jam legitimi concilii formam exhibituri, frequentes conveniunt primores Sacerdotum, Scribæ, & principes populi, & accitum in concilium ſuum, Jeſum percunctantur, venantes aliquid ex illius dictis, quod in eo criminentur.

67 Si tu es Chriſtus, dic nobis.

67 In judicio crimen quæritur, ac deſtinata morte, * circumſpiciunt, quo titulo mortis cauſa poſſit intendi. Ajunt itaque: *Si tu es ille Chriſtus*, quem juxta Prophetarum oracula exſpectamus, *dic nobis.* Jeſus autem, ſciens illos ſciſcitari non ut diſcerent veritatem, ſed ut venarentur calumniam, *reſpondit illis:*

68 Si dixero vobis qui ſim, non credetis mihi: quod ſi vos percunctor ex Scripturarum teſtimoniis, qualis ſit promiſſus Meſſias, & an ea ſigna competant in me, *non reſpondebitis mihi* ex animo, qui nec diſcere cupitis, quod verum eſt, nec docere. Nec ideo abſolvetis me, ſi declaravero meam innocentiam. Non enim hoc agitis interrogando, quod in legitimis judiciis fieri conſuevit, ut cognita veritate, vel abſolvatis innoxium, vel damnetis nocentem, ſed ut quod facere decreviſtis, juſtitiæ titulo facere videamini.

69 Ex hoc autem erit Filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei.

69 Non dicam igitur, quod ſcientes ſcire non vultis, ſed illud dicam, quod verum eſſe comperietis: *Filius hominis*, qui nunc ob infirmitatem carnis & humilitatem à vobis elatis non agnoſcitur, *poſthac erit* ſublimis, *aſſidens dexter majeſtati divinæ.* Hæc ideo dixit Jeſus, ut quoniam humilem Chriſtum, per quem ſervari poterant, occidere quam amplecti maluerunt, ſcirent ſeſe conſpecturos judicem & ultorem impietatis ſuæ, quem ſervatorem, promiſſum & exſpectatum tot ſeculis, agnoſcere noluerunt.

70 Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego ſum.

70 Ea vox viſa eſt omnibus idonea anſa calumniandi, ſi modo profiteretur aperte ſeſe Filium Dei. *Ajunt igitur: Tu ne igitur es ille Filius Dei*, de quo meminerunt Prophetarum vaticinia? Jeſus ad hæc ita reſponſum temperat, ut neque neget ſe eſſe quod erat, nec illis anſam calumniandi porrigat, nec de ſe præbeat arrogantiæ ſpeciem. Siquidem Dominus ubique maluit factis declarare naturam divinam, quam verbis profiteri. Itaque *reſpondit: Vos dicitis eſſe me:* modeſte ſubindicans, totidem verbis affirmari poſſe, quod veluti dubium interrogabant, ſi quis tantum pronuntiationem mutet.

71 At illi dixerunt: Quid adhuc deſideramus teſtimonium: ipſi enim audivimus de ore ejus.

71 At illi judicantes, hanc eſſe ſatis idoneam cauſam, cur illum accuſarent de blaſphemia, quo nullum crimen apud Judæos capitalius, dixerunt: *Quid adhuc deſideramus teſtimonium? Ipſi audivimus ex ore ejus* manifeſtam blaſphemiam. In hanc ſententiam facile pedibus diſceſſum eſt ab omnibus, qui quocunque titulo decreverant occidere Jeſum.

CAP. XXIII.

Clamant: illudunt: Barrabas: Simon: lacrimantes: Et latro: Centurio: membra ſepulta: quies.

1 Et ſurgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum.

REPERTA, ut ipſis viſum eſt, cauſa ſatis idonea, ſupererat, ut invidiam quoque mortis abs ſe transferrent in alios. Viſum eſt itaque Præſidi Pilato reum obtrudere, ut non à Judæis, ſed à Gentibus occiſus videretur. Conſurgit itaque concilium omne una cum multitudine, quam ad impii facinoris ſocietatem pertraxerant, & adducunt Jeſum ad Pilatum Judææ Præſidem. Is enim illic nomine Cæſaris magiſtratum gerebat, quum ipſe Judæus non eſſet. Hîc primum Judæorum natio Meſſiam ſuum ad ipſos miſſum tradit Gentibus, & ab ſeſe ablegat. Gentes ſibi commendatum amplectuntur & adorant.

2 Cœperunt autem illum accuſare, dicentes: Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum regem eſſe.

2 Jam præjudicio damnatus erat Dominus in concilio Judæorum, apud quos quamlibet levis prætextus ſufficiebat, nimirum magna veſania mortem innocentis ſitientes. Apud tribunal profani judicis, quoniam plus erat æquitatis, opus erat ſubornatis teſtibus, qui multa & magna crimina intenderent ei, qui ſolus omnium vacabat omni crimine. Initium autem accuſationis hoc erat: *Hunc deprehendimus ſubvertentem gentem noſtram, eo quod vetuit tributa pendi Cæſari, ſeque prædicavit eſſe Meſſiam regem.* Hæc duo crimina ſibi videbantur pulchre commenti, quæ maxime commoverent Præſidem, eo quod utrumque pertineret ad læſam Cæſaris majeſtatem: ſic oppugnant veritatem Euangelicam impudentiſſimi mendaciorum artifices. Quid enim his mendaciis impudentius? Jeſus reſponderat oſtenſo nomiſmate: *Reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris: & Deo, quæ ſunt Dei.* Regnum à Judæis delatum etiam fugit. Meſſiam ſe eſſe factis ipſis declararat: proinde etiamſi prædicaſſet ſeſe Meſſiam, non oportebat objicere criminis loco, niſi declaraſſent in eum non competere, quæ de Meſſia Prophetæ prædixerant. Victoriæ ſpes erat in multitudine conjurata, & in ſolitudine rei, denique in judice, ut ipſi putabant, impio.

3 Pilatus autem interrogavit eum, dicens: Tu es Rex Judæorum? At ille reſpondens ait: Tu dicis.

3 Pilatus quanquam idololatra, tamen multo æquior Judæorum Sacerdotibus, prius crimen de non pendendo Cæſari tributo diſſimulat, vel quia ſenſit eſſe commentitium, vel quia novum non erat hoc diſputari apud Judæos, quum tota Phariſæorum ſecta ſentiret, populum Deo peculiarem non oportere pendere cenſum Gentibus: de regno percunctatur Jeſum, in quo nullam regni ſpeciem videbat. Solus erat: cultus, facies, totuſque corporis habitus modeſtiam ac ſimplicitatem præ ſe ferebat. Itaque Præſes auditis accuſatoribus, ſeorſum *interrogavit Jeſum, an Rex eſſet Judæorum. Jeſus autem reſpondit: Tu dicis.* Sic enim ubique temperavit Dominus reſponſa ſua, ut innocentiam probaret ſuam, nec daret operam tamen, ut elaberetur è judicio, qui mori decreverat. Rex erat Judæorum, hoc negare non debuit, ſed aliud regni genus erat, quod ſibi Patrique vindicabat. Juxta divinam naturam Rex erat omnium, de qua nihil ſuſpicabatur Pilatus. De regno Euangelico non intelligebat homo Legis & Prophetarum ignarus, niſi quod audierat, à Judæis exſpectari Meſſiam, Regem, neſcio quem, cui rumori non multum tribuebat homo minime ſuperſtitioſus.

* Altera Editio addit, *poſt.*

Digitized by Google

4 *Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum, & turbas: Nihil invenio causæ in hoc homine.*

4 Quanquam itaque non intelligebat Jesu responsum, tamen non ignarus malitiæ Judaicæ, & ex ipso vultu collecta Jesu modestia, prodit ad Pontifices Judæorum, & conglomeratam multitudinem. Examinavi, inquit, hominem de criminibus objectis, *nihil in eo criminis invenio.*

5 *At illi invalescebant, dicentes: Commovet populum, docens per universam Iudæam, incipiens à Galilæa usque huc.*

5 At illi sibi conscii, quod argumentis vincere non poterant, clamorem intendunt, crimina criminibus, mendacia mendaciis connectentes. Imo & seditiosus est, † *commovet populum sua doctrina per universam Judæam, exorsus à Galilæa ad hanc usque civitatem.* Hoc nimirum est peculiare crimen Euangelicæ veritatis, commovet populum & seditionem movet, impiis adversus invisam veritatem insurgentibus. Verum non hic tumultus imputandus est Euangelii præconibus, sed hominum insanabili malitiæ, qui veritatem salutiferam obrui malunt, quam morbum animi deponere. Nec enim aliter doctrina Euangelica turbat populum, quam pharmacum concutit corpus. Nisi enim fiat concussio, totum intereat necesse est.

6 *Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si homo Galilæus esset.*

6 Hoc crimen quum leviter moveret Pilatum, videbat enim rem omnem geri à conjuratis primoribus, & quibusdam è populo horum malitiæ subservientibus, studet & reum, & accusatores ad alterius cognitionem rejicere, ut si non possit Jesum liberare, ipse saltem à causa liberaretur, arripuit ansam ex una vocula Galilææ, cujus regionis Tetrarcha erat Herodes. Percunctatus est igitur, an Jesus esset Galilæus. Responsum est, esse, quod vulgo crederetur esse Nazarenus, nam illic nutritus fuerat & versatus.

7 *Et ut cognovit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Jerosolymis erat illis diebus.*

7 Ut igitur intellexit Pilatus cognitionem de reo pertinere ad Herodem, rejecit eum ad Herodem, qui tum temporis forte erat Hierosolymis. Quanquam hæc quoque gesta sunt dispensatione consilii divini, ut ab omnibus tribunalibus Dominus Jesus referret testimonium innocentiæ suæ, magisque traduceretur Pontificum, Scribarum & primorum malitia.

8 *Herodes autem viso Iesu, gavisus est valde, erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.*

8 *Herodes ubi vidit adduci Jesum, gavisus est* eo spectaculo. *Jam enim ex multo tempore habebat hominem cupiditas quædam & libido videndi Jesum, de quo tam multa audierat. Jamque sperabat fore, ut se quoque spectante miraculum aliquod ederet,* qualia dicerat ab eo permulta gesta.

9 *Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat.*

9 Percunctabatur itaque Jesum variis de rebus, cupiens aliquid ab illo prolicere, non ut redderetur melior, sed ut suæ curiositati morem gereret. Nec enim alia scisitabatur à Jesu, quam quæ scisciturus erat à Mago quopiam. Jesus autem, qui non in hoc venerat, ut impii Principis libidini serviret, sed ut salutem omnium procuraret, nihil illi respondit: nos interim docens, aliquando non promendum sermonem Euangelicum, ubi constat indignos esse qui audiant.

10 *Stabant autem principes sacerdotum & Scribæ constanter accusantes eum.*

10 Urgent interim Pontifices & Scribæ, & acriter accusant eum apud Herodem, misere metuentes, ne qua reus elaberetur.

11 *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo: & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum.*

11 Herodes autem, tametsi Rex esset impius, tamen nihil commotus est illorum criminationibus, nimirum intelligens ab invidia proficisci quod agebatur. Sed satis habens contemnere à quo contemtus fuisset, ludibrii gratia Jesum indutum veste alba (nam id Regum erat ac Cæsarum) remisit ad Pilatum. Hanc ignominiam tulit Dominus Jesus à crasso Rege, & illius armato satellitio quo cingebatur, ne non haberent similes labra lactucas. Siquidem apud hoc hominum genus citius gloriam referret funambulus quispiam, aut præstigiator, quam veritatis Euangelicæ sincerus prædicator. Aut enim delectari volunt, aut ea discere, quæ faciunt ad ipsorum tyrannidem. Sed tamen interim Herodis civilitas damnabat Pontificum & Scribarum impietatem, & reum absolvebat, quem accusatum & obmutescentem ad objecta crimina non damnarit.

† Alia Editio addit, *inquiunt,*

12 *Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die: nam antea inimici erant ad invicem.*

12 Gratum interim erat, quod Pilatus hoc honoris habuerit sibi, ut videndi Jesu fecerit copiam. Itaque *ex eo die coiit amicitia inter Herodem & Pilatum, quum antehac inter eos fuerit simultas.* Impia vero pax est, quam conglutinat injuria veritatis Euangelicæ.

13 *Pilatus autem convocatis principibus sacerdotum, & magistratibus, & plebe:*

13 Pilatus autem ubi videt remitti reum, nec successisse quod conatus fuerat, ex judice cœpit esse patronus Jesu. Convocatisque Pontificibus, Scribis, primoribus, & populo qui illos comitabatur, sic loquutus est ad illos:

14 *Dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inveni in homine isto ex his, in quibus eum accusatis.*

14 *Obtulistis mihi hunc hominem, velut avertentem populum* vestrum ab obedientia Cæsaris, ac legum vestrarum, *& ego vobis præsentibus,* variis interrogationibus sum ab eo conatus expiscari verum, *nec reperio illum ulli horum criminum obnoxium, de quibus accusatis eum.*

15 *Sed neque Herodes: nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei.*

15 Idem accidit Herodi, qui me certius poterat his de rebus judicare, peritus legum vestrarum: nam hac de causa rejeci cognitionem ad illius tribunal. Qui si comperisset eum nocentem, non passus fuisset elabi. Nunc quoniam comperit nullam in eo culpam esse capitalem, levi pœna contentus, illusit tantum homini, nimirum absolvens à capitis periculo: proinde præstat imitari & nos Herodis æquitatem.

16 *Emendatum ergo illum dimittam.*

16 Pœna quapiam non capitali castigatum dimittam hominem. Hoc agebat Præses, sperans fore, ut conspecto Jesu tot ludibriis ac flagris affecto, mitesceret Judæorum furor.

17 *Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum, unum.*

17 Quum nec hac via profeciisset Pilatus, sed magis irritaretur Judæorum insania, reperit aliud commentum absolvendi Jesum. Erat apud Judæos solenne, ut Præses ob festi dici religionem condonaret Judæis aliquem è nocentibus, quem ipsi flagitassent. Itaque Præses præveniens illorum flagitationem, proposuit illis: utrum è duobus sibi vellent condonari diei festi gratia, Jesum, an Barrabam.

18 *Exclamavit autem simul universa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam.*

18, 19 Is enim erat insignis & facinoribus nobilis latro, qui seditione mota in civitate, trucidarat quendam è civibus, ob id conjectus erat in carcerem. In hunc Præses quoniam sciebat esse publicum civitatis odium, sperabat fore, ut citius paterentur dimitti Jesum de multis bene meritum, quam hominem publicæ tranquillitatis hostem. Sed tanta erat Pontificum & his adhærentium insania, ut postularent sibi condonari Barrabam, Jesum autem in crucem tolli: quod mortis genus, ut erat gravissimum ob diutinum cruciatum, ita habebatur & ignominiosissimum. Adeo nihil crudelitatis omissum est à Judæis. Sic visum est consilio divino, ut Jesus omnis gloriæ fons & auctor, ad hoc veniret contemtus, ut seditioso homicidæ posthaberetur, ne nos desponderemus animum, si quando ob Christi nomen ac doctrinam spernamur ab his qui diligunt hunc mundum.

19 *Qui erat propter seditionem quamdam factam in civitate & homicidium, missus in carcerem.*

20 *Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Iesum.*

20 Pilatus ubi vidit nec hac ratione quicquam profici, rursus aggressus est illos, tentans, si quo modo possit verbis illorum animos mitigare, ac Jesum innocentem liberare.

21 *At illi succlamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum.*

21 Illi rursus irritatiores facti, canunt furiosam illam cantionem: *Crucifige, crucifige eum.*

22 *Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis invenio in eo: corripiam ergo illum, & dimittam.*

22 Ac ne sic quidem Pilatus cessit illorum clamoribus, sed tertio conatus est illos compescere, dicens: Judex sum, adversus innocentes nullum habeo jus, non possum infligere mortem, in quo non invenio crimen morte dignum, quid autem admisit iste morte dignum? Exquisivi, nec ullum in eo crimen invenio morte plectendum. Si quid est offensæ levioris, dabitur hoc animis vestris, corripiam illum ac dimittam.

23 *At illi instabant vocibus magnis postulantes ut*

23 Sed adversus hanc judicis æquitatem illi pertinaciter instabant: non probationibus, sed insanis vociferationibus, flagitantes, ut dimisso Barraba, crucifigeretur Jesus.

24 Quum-

Digitized by Google

crucifigeretur: & invaleſcebant voces eorum.

24 Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum.

25 Dimiſit autem illum, qui propter homicidium & ſeditionem miſſus fuerat in carcerem, quem petebant: Jeſum vero tradidit voluntati eorum.

26 Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quendam Cyrenenſem, venientem de villa, & impoſuerunt illi crucem portare poſt Jeſum.

27 Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum: quæ plangebant, & lamentabantur eum.

28 Converſus autem ad illas Jeſus, dixit: Filiæ Jeruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros.

29 Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres, qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt.

30 Tunc incipient dicere montibus: Cadite ſuper nos; & collibus: Operite nos.

31 Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

32 Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo, ut interficerentur.

33 Et poſtquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum, & latrones, unum à dextris, & alterum à ſiniſtris.

34 Jeſus autem dicebat: Pater, dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt. Dividentes verò veſtimenta ejus, miſerunt ſortes.

24 Quumque tentatis omnibus, Præſes videret magis ac magis invaleſcere clamorem illorum, poſtulata aqua, ac teſtificatus innocentiam Jeſu, damnataque Judæorum pertinaci malitia, pronuntiat mortis ſententiam adverſus Jeſum, non ex ſuo animo, ſed ex Judæorum arbitrio, qui vitæ ac ſalutis auctorem efflagitabant ad necem:

25 Et Barrabam ſeditioſum homicidam condonavit illis, quem Jeſu prætulerant. Jeſum autem tradidit illis, ut exſequerantur in eum quæ vellent.

26 Poſteaquam omne ludibrii genus in eum exercuiſſent, ad ſaturandum odium ſuum, rurſum indutum ſuis veſtibus, quo magis agnoſceretur, à populo, educunt ad ſupplicii locum, bajulantem crucem ſuam ex more. Inter eundum forte obvium habuerunt Simonem quendam Cyrenenſem, venientem è villa ſua, huic volenti nolenti impoſuerunt Domini crucem, ut Jeſu præcedente bajularet poſt illum, non ut parcerent Jeſu, ſed ut celerius abſolverent quod agebant. Verum divino conſilio typus interim procuratus eſt Eccleſiæ ex Gentibus colligendæ, quæ Jeſu crucem amplexa eſt, & illius veſtigiis ingreſſa.

27 Comitabatur autem Jeſum numeroſa multitudo populi ac mulierum, quæ Sacerdotibus ac Scribis gaudentibus plangebant, ac lamentabantur de morte innocentis: nihil enim aliud poterant humiles & imbelles adverſus conjuratam magnatum impietatem.

28 Jeſus autem, qui ſuam mortem non lugubrem, ſed glorioſam eſſe voluit, nec eam deplorari voluit, ſed adorari, ut quæ ſponte pro ſalute totius mundi ſuſcipiebatur, compeſcuit illarum indecoram lamentationem, quanquam ab affectu pio proficiſcentem: *Filiæ*, inquit, *Hieruſalem, nolite deflere me, ſed veſtram ipſorum ac filiorum veſtrorum vicem deflete.*

29 Non enim eſt deflenda mors innocentis, ſed illorum exitium deplorandum eſt, qui pro ſuis ſceleribus & hîc miſeris cladibus afficientur, & in poſterum pœnis addicentur æternis. Imminet enim huic regioni tam miſeranda calamitas, ut homines appellaturi ſint eas mulieres beatas, quæ non genuerunt, & felices uteros, qui nullum fœtum ediderunt, feliciaque ubera, quæ nunquam lactaverunt. Gravius enim cruciatur materna pietas in malis liberorum, quam propriis.

30 Nunc exſultant quaſi re bene geſta, ſed tunc quum venerit ille dies ultionis divinæ, tanta formido malorum ingruentium corripiet animos illorum, ut *montibus dicturi ſint: obruite nos, & collibus: operite nos.*

31 *Etenim ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Hoc ænigmate Dominus Jeſus teſtabatur ſummam innocentiam ſuam, quod ſolus eſſet hominum nulla vitiorum aut cupiditatum carie vitiatus, ſed omni virtutum genere totus florens ac perpetuo germinans. Quod ſi illorum malitia tale exemplum edidit in hominem undiquaque inculpatum, quale exemplum edi convenit in eos, qui pravis cupiditatibus undique corrupti, non potuerunt ad ullam bonam frugem adduci? Hac pompa Jeſus Princeps & Rex noſter ad ſuum triumphum proceſſit.

32 Ducebantur autem ſimul & alii duo, facinoroſi, pariter cum eo damnati, ſed non eadem cauſa. Procuratum eſt & hoc à Judæis, quo magis infamem redderent Jeſum apud multitudinem, quod tali ſodalitio eſſet adjunctus.

33 Delectus eſt & locus nocentium ſuppliciis infamis ac funeſtus, cui nomen ex re *Golgotha*, quod hominum illic occiſorum craniis & oſſibus albicaret. Hic igitur crucifixus eſt Jeſus, inter duos latrones medius, veluti ſocius criminis, qui ſocius eſſet ſupplicii. Sed quicquid Judæorum malitia potuit excogitare in ignominiam Domini Jeſu, id ille vertit in gloriam ſuam, noſtramque ſalutem. Etenim qui innocens ſponte ſe dejicit ad ſervandos homines, hoc plus meretur gloriæ & apud Deum & apud homines, quo ſemet ad majorem ignominiam ſubmiſerit. Sic viſum eſt divinæ ſapientiæ, quo vel tam inſigni exemplo noſtram frangeret ſuperbiam, qui pro malefactis etiam laudem expetimus ab hominibus.

34 Jeſus autem jam ſublimis, & in eam ſpeculam ſublatus, unde eſſet omnia revocaturus ad ſe, volens ſummæ tolerantiæ perfectiſſimum exemplar edere, quum innocens, quum tot modis benemeritus, tot malis, tot ignominiis, tot ludibriis eſſet affectus, quum in cruce quoque pendentem, quæ miſerabiles facere ſolet etiam homicidas, amarulentis convitiis inceſſerent, quæ perferre gravius eſſet homini, quam perpeti mortem: adeo non ulciſcitur, adeo non regerit convitia, ut Patrem oret pro his, à quibus indigna patiebatur: *Pater*, inquit, *ignoſce illis. Neſciunt enim quid faciant.* Hæc nimirum erat illa ſancta precatio noſtri Pontificis in ara crucis, agnum paſchalem ſemel pro totius mundi ſalute immolantis. Nec fuit inefficax deprecatio. Multi enim ex his, qui per errorem adegerunt Dominum ad crucem, cognita veritate per Apoſtolorum prædicationem, profeſſi ſunt nomen crucifixi. Quanquam & Phariſæorum malitia non caruit omnino errore, ſed qui non liberet illos à crimine. Poterant enim errore carere, niſi pravæ cupiditates, quibus ſervichant, obſtitiſſent. Sed erant inter hos quoque, qui hoc animo Dominum perſequebantur, quo Paulus perſequebatur Eccleſiam Dei. Hîc ſi conſideres, optime Theophile, ſummam illam Jeſu innocentiam, ſummam in omnes beneficentiam, ſummas animi dotes, quibus erat incomparabilis: rurſus ex adverſo contemplere odium, convitia, probra, dolos, inſidias, criminationes, ignominias, cruciatus, mortis genus, quo illum Judæorum impietas affecit: & audias eum in ipſa cruce in mediis convitiis obſecrantem Patrem, ne ulciſcatur, ſed ignoſcat tanti ſceleris auctoribus: nonne vehementer impudens videbitur, qui quum ſe Chriſti diſcipulum profiteatur, peccator in peccatorem vindictam moliatur, quamvis etiam gravi laceſſitus injuria? Quantum autem degenerant ab hoc exemplo Chriſti, qui ob leve convitium ferrum ſtringunt in viſcera proximi? Qui non concoquentes dictum aliquod contumacius in ſe jactum, totas urbes, tota regna funeſtis bellis concutiunt, totaſque nationes ad mutuam ſanguinis effuſionem cogunt? Nos vero ne dimoveamus oculos noſtros ab hoc exemplo, & imitemur Regem noſtrum in cruce debellantem omnem poteſtatem tyranni Satanæ, devincentem univerſam hujus mundi potentiam, triumphantem de omnibus poteſtatibus, quæ ſeſe erigunt adverſus Euangelicam veritatem, quam non oportet aliter vincere, aliter triumphare, quam ſub vexillis ſui Principis: contemplemur Pontificem noſtrum, efficaci ſacrificio expiantem peccata totius mundi nationum, & omnium ſeculorum pœnam dependentem pro omnibus, modo nos ſincera fide complectamur, quod ille gratis offert, noſtram agnoſcentes injuſtitiam, & illius ineffabilem erga nos bonitatem exoſculantes. Quo temet avertis peccator infelix? Dominus clamat: *Pater, ignoſce illis:* & tu deſperans tui, vel laqueum paras ut Judas, vel crimina criminibus exaggeras? Non eſt quod poſthac metuas Satanæ potentiam. Vicit, & tibi vicit Chriſtus. Invitat è ſublimi ligno, nationibus omnibus conſpicuus: ipſa tria crucis cornua procul invitant & Aſiam & Europam & Africam ad æternæ ſalutis conſortium. Pendebat autem nudus in cruce Jeſus, ne quid haberet hujus mundi qui cœleſte peragebat ſacrificium, ipſa re docens, quam oporteat Epiſcopos Euangelicos affectus habere puros ab omnium rerum terrenarum cupiditate. Interea milites, qui crucifixerunt eum, quaſi revicturus non eſſet, miſſis ſortibus partiti ſunt inter ſeſe veſtes Domini. Nam hoc erat veluti præmium ſcelerati miniſterii. Hoc ſui ſpolium Jeſus voluit eſſe apud milites.

Digitized by Google

lites. Apud nos, qui nomen illius profitemur, nihil esse voluit sui carnale, ut jam eum spiritu diligamus. Sic & hodie vestes illius apud nos sunt, quemadmodum nobis quotidie pendet in cruce. Siquidem omnia illius nostra sunt, sed juxta spiritum.

35 Et stabat populus spectans, & deridebant eum principes cum eis, dicentes: Alios salvos fecit, se salvum faciat, si hic est Christus Dei electus.

35 Ad hunc igitur modum pendentem Jesum veluti victum & omni spe destitutum, scommatis incessunt Sacerdotes, Scribæ, Pharisæi, & populi primores, una cum militibus, qui crucifixerant: exprobrantes ei, quod quum miraculis suis dictus esset subvenisse multis, nunc sibi non posset esse præsidio. *Alios*, inquiunt, *servavit, sit nunc sibi servator, si modo hic est ille Christus*, quem se jactavit esse: si modo hic est ille Deo carus, & electus Filius, quem se esse prædicavit. Hæc jactabant in eum primores audiente populo, qui solebat admirari Christi miracula, quo animos illius alienarent ab eo. Quin & in totum auctoritatem illi abrogant, velut ex ipsa re convincentes, eum nec esse Messiam, nec Filium Dei, quem esse se professus fuerat, si non descenderet è cruce. At non in descensu, sed in perseverantia sita erat mundi salus. Ea plus valuit apud Jesum, quam principum convitia.

36 Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei,

36 Milites vero crassum hominum genus, & Judaicæ religionis vel ignari, vel contemtores, illudebant Jesu, quod dictus esset sibi vindicasse regnum in Judæos, provocati nimirum exemplo principum Judaicæ gentis. Et admoventes illi acetum, per ludibrium dicebant:

37 Et dicentes: Si tu es rex Judæorum, salvum te fac.

37 *Si tu es ille Rex Judæorum*, expedi potentiam tuam, & *eripe te ab isto periculo*. Jesus autem inter hæc omnia præbuit absolutissimum mansuetudinis exemplum, obticescens ad omnia convitia.

38 Erat autem & superscriptio scripta super eum litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis: Hic est rex Judæorum.

38 Erat autem & titulus additus summæ cruci, super verticem ejus, literis Græcis, Latinis, & Hebraicis, quo magis ab omnibus nationibus legi posset: *Hic est Rex Judæorum*. Id quoque ludibrii causa factum esse credebatur.

39 Unus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, & nos.

39 Ne hæc quidem satis erant. Alter è maleficis, qui pendebat ad latus Jesu, è cruce convitia jaciebat in eum, dicens: *Si tu es ille Christus* mundi servator, *serva teipsum simul & nos.*

40 Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es.

40 Cæterum alter latronum, considerata tam admirabili Jesu mansuetudine, increpabat sceleris & supplicii socium, dicens: Tu si moriturus non vereris homines, certe Deum metuere debes, qui morituro insultas, præsertim cum sis illi supplicii socius, vel hoc solum debebat te à convitiis cohibere, etiamsi socius esset criminis.

41 Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit.

41 Nunc alia est illius, alia nostra conditio. Nos pro malefactis pœnas damus, ille innoxius moritur. Bis autem inhumanum est, & morituro maledicere, & innocenti. Hoc testimonium Jesu reddidit in cruce latro, ut undequaque testata esset illius innocentia.

42 Et dicebat ad Jesum: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum.

42 Moxque conversus ad Jesum, dixit: *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Mira fides latronis, qui quum videret pendentem ac morientem in cruce, moriturus & ipse, salutem velut à Rege petit.

43 Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.

43 Jesus autem, qui mutus erat ac surdus ad omnia convitia, non est surdus ac mutus cum fiducia postulanti: *Illud*, inquit, *confirmo tibi, hodie mecum futurus es in paradiso:* nimirum requiem ac refocillationem pollicens mox à peracto supplicio. Quam felix est semper adjungi Jesu, qui nusquam non servat, si modo adsit Euangelica fiducia.

44 Erat autem fere hora sexta, & tenebræ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam.

44 *Jam erat hora diei ferme sexta* circiter meridiem. Ab hac hora, qua maxime solet fervere Sol, *tenebræ* subito *obortæ sunt per totam illam regionem* Hierosolymitanam *usque ad horam nonam.*

45 Et obscuratus est sol: & velum templi scissum est medium.

45 Sol enim detestans tantam hominum impietatem, obduxit faciem suam eo morituro, qui lux erat totius mundi: terra concussa est, saxa dissilierunt, nulla naturæ parte non inhorrescente ad tam immane facinus. Quin & *velum Templi*, quod seperabat sanctum sanctorum à reliqua Templi parte, nullo movente, *dissectum est in duas partes*, palam declarans jam cessaturas Judæorum umbras ac ceremonias, posteaquam peractum esset hoc sacrificium, quod unum sufficiebat ad mundationem omnium seculorum.

46 Et clamans voce magna Jesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, expiravit.

46 *Jesus autem ubi cum ingenti clamore dixisset, Pater in manus tuas commendo spiritum meum, efflavit animam*, ut omnibus palam esset illum non defeciisse, quemadmodum alii solent, paulatim exhausto corporis vigore, sed mox à valido clamore, ac verbis articulate pronuntiatis, veluti sponte deposuisse vitam.

47 Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens: Vere hic homo justus erat.

47 Animadvertit hoc Centurio, qui in hoc adstabat cruci, ne quis vivos tolleret è ligno. Ab hoc quoque tulit innocentiæ testimonium Jesus. Glorificavit enim Deum, qui tantam virtutem in eo declarasset, & ait: *Vere justus erat hic homo:* videlicet Judæorum injustitiam palam condemnans. Quisquis enim innocentem pronuntiat qui condemnatus est, is nocentem facit qui damnavit.

48 Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.

48 Reliqua multitudo tota eorum, qui ex more venerant ad supplicii spectaculum, (plures autem attraxerat Jesu vel studium, vel odium) visis his quæ contigerant, revertebantur, percutientes pectora sua: partim præ dolore, quod homo tam innocens ac beneficus tam indigna passus esset, partim metu vindictæ divinæ, quam sibi male conscii, ex ostentis conspectis suspicabantur imminere. Quem enim in vita viderant humilem & adspernabilem, eum in morte viderunt potentem, adeo ut omnia rerum elementa sese concuterent. Hic illud rursus animadverte, Theophile, semper in Gentibus plus inveniri bonæ mentis, quam in Judæis, qui sibi præ cæteris pietatis ac sanctimoniæ laudem vindicabant. Centurio glorificat Deum: Judæi tantum metuunt vindictam, prodigiis territi, qui tot beneficiis vinci non poterant.

49 Stabant autem omnes noti ejus à longe, & mulieres quæ secutæ eum erant à Galilæa, hæc videntes.

49 Porro qui cognatione contingebant Jesum, aut qui familiares illi fuerant in vita, consistebant eminus, spectatores eorum quæ gerebantur, præ metu non audentes propius accedere. Inter hos erant & mulieres, quæ studio ministrandi illi ac discipulis illius, sequutæ fuerant illum à Galilæa, testes ac spectatrices eorum quæ gerebantur, quæ jam omni spe destitutæ, nihil aliud quam mœrebant.

50 Et ecce vir nomine Joseph, qui erat decurio, vir bonus & justus:

50 Multis igitur argumentis cognita certa Domini morte, ne quis causari posset aut hominem verum non fuisse, aut non fuisse vere mortuum: ecce offertur per quem officium sepulturæ Dominicæ peragatur, quam Jesus voluit esse mundam & honorificam. Vita fuerat mitis & humilis, mors efficax, sepultura magnifica, resurrectio glorioſa. Commodum igitur id temporis offert sese quidam nomine Joseph, oriundus è civitate Judææ Arimathæa, vir bonus ac justus, ex eorum numero qui exspectabant regnum Dei.

51 Hic non consenserat consilio, & actibus eorum, ab Arimathæa civitate Judææ, qui expectabat & ipse regnum Dei.

51 Hic tametsi esset ex primoribus populi, (erat enim nobilis Decurio) tamen nunquam consenserat consiliis ac factis Sacerdotum, Scribarum, ac primatum populi, licet ob potentiam eorum, qui Jesum oderant, non auderet profiteri studium animi sui. Nondum enim datum erat robur illud per Spiritum Sanctum, ut contemtis omnibus, Jesu nomen profiteri possent.

52 Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu:

52 Cæteris itaque discipulis metu territis, solus Joseph una cum Nicodemo audet officium sepulturæ sibi sumere: sive quia à morte crescit in bonos viros studium, sive quia judicabat invidiam Judæorum jam esse morte saturatam. Proinde adit Pilatum, cui ob nobilitatem notus erat, & ab eo petiit corpus Jesu. Pilatus non prius donavit, quam

ex

Digitized by Google

ex Centurione compertum haberet, jam esse mortuum.

53 *Et depositum involvit sindone, & posuit eum in monumento excisso, in quo nondum quisquam positus fuerat.*

53 Accepit corpus, & de cruce depositum, deinde unguentis oblitum, involvit sindone, nihil interim sperans de resurrectione, de qua Jesus paucis modo discipulis suis significarat: sed ita, ut tum meminissent magis quam crederent. Quoniam autem Jesum existimabant virum bonum fuisse, præterque meritum occisum, memoriam illius volebant magnifica sepultura honorare. Itaque reposuerunt cadaver in monumento, quod in horto vicino erat, excisum è solido lapide, novum, in quo nullus adhuc sepultus fuerat. Hæc quum id temporis casu geri viderentur, tamen divino consilio gesta sunt omnia, ne Judæi causari possent, sepulchro perfosso, sublatum aut permutatum corpus.

54 *Et dies erat parasceves, & sabbatum illucescebat.*

54 Dum hæc aguntur, erat dies Parasceves, quod eo die præpararent quæ ad celebrandum sabbatum erant necessaria, ne qua re violare cogerentur otium sabbati.

55 *Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus ejus.*

55 Mulieres autem, quæ procul spectarant Jesum in cruce, sequuntur eundem ad sepulturam, ne nescirent ubi esset reconditum corpus Jesu, & quo loco, quove apparatu positum, ut agnoscerent reversæ.

56 *Et reversæ paraverunt aromata, & unguenta: & sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.*

56 His rebus diligenter inspectis, domum redeunt, & apparant aromata & unguenta, quo condiant corpus Domini, tametsi jam utcunque per Nicodemum fuerat oblitum myrrha. Sed mulierum pietas aliquid pretiosius volebat adjungere defuncto. Dominus autem ideo passus fuerat sibi infundi alabastrum unguenti pretiosi, quod harum unguenta non esset exspectaturus, quarum pia sedulitas tamen profuit ad confirmandam resurrectionis fidem. Dum enim quærunt ungendum mortuum, comperiunt vivum. Post Solis autem occasum usque ad vesperam diei sequentis conquieverant juxta Legis præscriptum, quod sabbato nefas erat operari. Rursus à Solis occasu perficiunt quod cœperant in apparandis unguentis & aromatibus. Eodem tempore Dominus suum sabbatum peragit, conquiescens in sepulchro, peracto jam opere salutis in die Parasceves, ut intelligeremus per eundem esse restitutum genus humanum, per quem fuerat conditum. Mundi fabricam absolvit die sexto, septimo requievit ab opere. Idem mundi redemtionem peragit die sexto, qui est Parasceves, & in monumento requievit ab opere juxta corpus humanum, donec illucesceret dies octavus, quem Judæi nesciunt, Christiani adorant. Is est dies immortalitatis, quum jam non sese vicissim excipient requies & lassitudo, opus & otium, sed erit lætitia sempiterna: neque nox diem, dies noctem vicissim excipiet: sed perpetua lux lucebit piorum oculis.

CAP. XXIV.

Dux vivit: bona mox nova: euntque duo Emmaeunta:
Fit comedendo palam Christus: & astra subit.

1 *Una autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quæ paraverant, aromata:*

1 QVOD ab opere cessarunt mulierculæ, datum est sabbati religioni. Cæterum simul atque licebat ad opus redire, statim ab occasu Solis in opere pio, sed supervacaneo, vigilabat mulierum sedulitas. Nam eo die, qui primus est à sabbato, hoc est, octavo à toto peracto sabbato, admodum diluculo properant ad monumentum, deferentes secum quæ paraverant aromata, nimirum ut hunc supremum honorem impenderent ei, quem vivum dilexerant, quum tamen non sperarent resurrecturum. Os autem monumenti occlusum erat ingenti saxo, quod vix à multis viris amoveri poterat. Additum erat signaculum: id curatum est à Pharisæis & Scribis, ne quis clam suffurari posset corpus exanime, & vanum spargere rumorem eum revixisse, qui nusquam inveniretur. Additi sunt & custodes ex cohorte præfidis.

2 *Et invenerunt lapidem revolutum à monumento.*

2 Mulieres autem dum anxie circumspiciunt, quomodo posset amoveri saxum, subito vident sublatum, & aditum monumenti patere.

3 *Et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu.*

3 Ausæ sunt ingredi, pietas addiderat audaciam sexui. Ingressæ non inveniunt corpus Domini Jesu.

4 *Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti.*

4 Ea res quum vehementer consternasset illarum animos, quod repente amoto lapide spem bonam conceperant: rursus demirabantur, quomodo sepulchrum potuit esse vacuum, quod modo viderant clausum & obsignatum: derepente adstant eis duo Angeli specie juvenili, facie læta, blandaque, veste fulguris in modum relucente. Hæc ipsa species Angelorum resurrectionis triumphum præ se ferebat.

5 *Cum timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viventem cum mortuis?*

5 Porro quum mulieres novo spectaculo expavefactæ, vultum & oculos deflecterent in terram, non audentes contra tueri majestatem visionis humana natura sublimioris, illi placido blandoque alloquio sublevant attonitarum animos: *Quid*, inquiunt, ô mulieres, *quæritis eum qui vivit, in sepulchris mortuorum?*

6 *Non est hic, sed surrexit: recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset,*

6 Hic quidem conditus erat, quum esset mortuus. Nunc quoniam revixit, non est in sepulchro, ubi quiescunt mortui, sed resurrexit & vivus inter vivos ambulat. Prædixerat se moriturum, prædixerat & tempus & genus mortis, sed idem prædixerat se tertio die revicturum. Mortuum esse creditis quia vidistis, credite & revixisse. Non enim hîc fefellerit vos, qui in altero vera prædixit.

7 *Dicens: Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere.*

7 An mœror & animi perturbatio vobis omnium, quæ prædixit ille, induxit oblivionem? Redeat vobis in memoriam, quam nihil horum, quæ gesta sunt, non prædixerit vobis, quum adhuc esset in Galilæa. Prædixit enim sic esse definitum consilio Patris, ut ad salutem humani generis, Filius hominis traderetur in manus peccatorum, ut accusaretur, cæderetur, ac ludibriis omnibus exponeretur, denique in crucem sublatus occideretur, sed idem reviviscaret tertio die à morte. Agnoscite tempus. Sub vesperam Parasceves depositus est de cruce, & in monumento hoc conditus. Is primus à morte dies supputatur. Sabbatum totum conquievit in sepulchro. Nunc tertii diei diluculum est, quem ille simul exoriens ab inferis toti mundo lætum ac faustum esse voluit. His dictis evanuerunt ab oculis Angeli.

8 *Et recordata sunt verborum ejus.*

8 Mulieres autem ex admonitu Angelico reducunt in memoriam verba Domini Jesu, quibus & mortem & resurrectionem discipulis suis prædixerat:

9 *Et regressæ à monumento nuntiavêrunt hæc omnia illis undecim, & ceteris omnibus.*

9 Itaque relicto monumento, properant ad undecim Apostolos, cæterosque discipulos, qui ob metum Judæorum sparsim collecti latitabant, obliti & ipsi fere omnium quæ dixerat Jesus, ac propemodum desperantes, eisque nuntiant quæ vidissent, quæque audissent ab Angelis. Prima mulier, à serpente decepta, virum pellexit ad culpam. Piæ mulieres, edoctæ ab Angelis, viros invitant ad credulitatem. Itaque ne sexus ob transfusam in viros mortem perpetuo male audiret, unde mortis occasio primum prodierat, inde proficiscitur & vitæ redditæ lætissimus nuntius.

10 *Erat autem Maria Magdalene, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cetera quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc.*

10 Porro mulieres, quæ hæc annuntiabant Apostolis, erant Maria Magdalene soror Lazari, Joanna uxor Chusæ procuratoris Herodis, Maria Jacobi minoris mater, quæ & soror dicta est Mariæ matris Domini, aliæque nonnullæ, quæ cum his solitæ sunt comitari Jesum.

11 *Et visa sunt ante illos, sicut deliramentum, verba ista: & non crediderunt illis.*

11 Cæterum ob rem incredibilem, quam nuntiabant, sexus infirmior non invenit fidem apud Apostolos, quos ideo Dominus passus est esse tardiores ad credendum, ut pluribus argumentis confirmaretur resurrectionis Dominicæ fides. Itaque quod illæ narrabant de subito conspectis Angelis, de repente sublato saxo ab ore sepulchri, visum est Apostolis ac discipulis muliebre deliramentum, quod is sexus ob mentis imbecillitatem imaginatione vitiata cre-

Digitized by Google

dat se nonnunquam videre, quod non videt, & audire, quod non audit.

12 *Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum: & procumbens vidit linteamina sola posita, & abiit secum mirans quod factum fuerat.*

12 Quanquam autem non crederent esse verum, quod narrabant mulieres, tamen eo profecit illarum asseveratio, ut Petrus surgens procurreret ad monumentum, & immisso capite prospiciens, non reperit corpus, sed videt linteamina, quibus obvolutum fuerat corpus Jesu, seposita. Ac ne sic quidem credidit revixisse Dominum, tam profunda cœperat illum oblivio eorum, quæ dixerat Jesus: sed abiit à monumento secum admirans, quid accidisset, dubitans num quis corpus sustulisset è monumento, variaque cogitans, à quibus, quove consilio id factum fuisset, quod corpore sublato, videret relicta linteamina, veluti per otium detracta corpori, quæ sine negotio non poterant avelli, eaque non temere disjecta, sed commode in suum reposita locum, semoto ab his sudario, quo tectum fuerat caput Jesu.

13 *Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus.*

13 *Accidit autem eodem die, ut duo* ex discipulis, quibus per mulieres nuntiatum erat de sepulchro vacuo, quanquam illarum orationi non est habita fides, relicta *Hierosolyma proficiscerentur in civitatem, cui nomen Emmaus. Abest autem ab Hierosolymis spatio stadiorum sexaginta.*

14 *Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant.*

14 Atque inter eundum varios miscent sermones, ita ut fit, præsertim ubi quid mœroris est in animo. Erant enim morte Domini vehementer perturbati, jamque propemodum animum desponderant, ac spem abjecerant. Tota autem confabulatio erat de Jesu, deque rebus omnibus, quæ viderant, quæque audierant superioribus diebus. Amaverant enim illum, ut virum insignem ac beneficum: & quanquam magnifica illa spes de restituendo regno Israelitico propemodum exciderat animo, tamen juvabat etiamnum defuncti memoriam mutua confabulatione refricare. Confusis enim illorum animis, veluti somnus quidam obrepserat, ut tanquam per somnum amarent, cujus oblivisci non poterant.

15 *Et factum est, dum fabularentur, & secum quærerent: & ipse Jesus appropinquans ibat cum illis:*

15 Tandem illis multa inter ipsos de Jesu commentantibus, & ultro citroque differentibus, ecce lupus, quod dici solet, in fabula. Jesus enim, qui promiserat sese futurum in medio ubicunque duos comperisset de se colloquentes, etiam juxta corporis præsentiam tum exhibuit, quod juxta spiritum nunquam facere desinit.

16 *Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent.*

16 Tanquam viator adjunxit se illis, & itineris socium præbuit, sed ignota specie, non quod non haberet idem corpus, quod habuerat ante mortem, sed quod ita volente Jesu impeditus sit illorum obtutus, ne quem cernebant, agnoscerent. Felix sodalitium, quoties duo nihil aliud confabulantur, nihil aliud disquirunt, quam de Jesu. Felices, quibus se socium Jesus dignatur adjungere. Quemadmodum autem adesse gaudet de se confabulantibus Dominus Jesus, ita Satanas adesse gaudet his, qui miscent confabulationes bonorum morum corruptrices, de libidine, de fraude, de vindicta, de superbia, de quæstu, de infamia proximi.

17 *Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & estis tristes?*

17 Quoniam autem sic flagrabant amore Jesu, ut de promissis illius per humanam infirmitatem dubitarent, Dominus illudens ad tempus illorum oculis, expiscatur quid sentirent de ipso, non quod illum quicquam lateret, sed ut ad nostræ fidei confirmationem mederetur illorum incredulitati. Ait itaque: *Quinam sunt isti sermones, quos inter eundum inter vos confertis*, vultu interim tristitiam ac mœrorem animi significante? Solet enim & hoc lenire mœrorem, si contingat in cujus sinum quod dolet effundamus. Habet autem illud humanus affectus, ut quod cuique valde cordi est, putet nemini ignotum esse, & nemini non esse curæ.

18 *Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Jerusalem, & non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus?*

18 Ex hoc affectu respondet unus è discipulis, cui nomen Cleopas: Res omnibus est notissima, quicunque versantur Hierosolymis: ex ea civitate quum tu quoque venias, quemadmodum & nos, qui fieri potest, ut tu solus veluti novus hospes hæc ignores hisce diebus illic acta, quæ nullus hominum ignorat?

19 *Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere & sermone, coram Deo & omni populo:*

19 Tum Jesus, quasi discere cupiens, quum docturus venisset, respondit: *Quanam sunt ista?* Illi simpliciter velut hospiti, & rerum gestarum ignaro summam negotii exponunt: ingenue profitentes, quam nihil adhuc sentirent de Jesu dignum ipsius dignitate, quamque de resurrectione spem pene omnem abjecissent: *De Jesu*, inquiunt, *Nazareno* commentabamur, *qui fuit* vir eximius, ac *Propheta potens & dictis & factis:* non solum *apud Deum*, cui erat carissimus, verum etiam *apud universum populum*, apud quem sibi miraculis, doctrinaque, ac beneficiis suis summam comparaverat auctoritatem.

20 *Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum.*

20 Hunc *primarii Sacerdotes, populique nostri primores* apud Præsidem *reum capitis peregerunt, & in crucem denique adegerunt.*

21 *Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel: & nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie quod hæc facta sunt.*

21 *Nos autem* mirificam quandam *spem de illo conceperamus, quod is esset redempturus populum Israeliticum*, persuasi hunc esse Messiam à Prophetis olim promissum. Sed mors certa & ignominiosa nobis hanc spem ademit. Quin erat & spes nonnulla injecta, futurum ut revivisceret post triduum, *sed* posteaquam damnatus est, crucifixus & sepultus, *hic hodie dies illuxit tertius, ex quo hæc contigerunt?*

22 *Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum,*

22, 23 Neque quicquam affulget certioris spei, nisi quod mulieres quædam è sodalitio discipulorum illius, nos novo & inaudito nuntio magis etiam attonitos reddiderunt, quæ ante Solis exortum profectæ ad monumentum, negant se invenisse corpus, addentes sibi apparuisse Angelos, qui dicerent illum vivere.

23 *Et, non invento corpore ejus, venerunt, dicentes se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere.*

24 Harum narrationi quum nemo fidem haberet, quidam è nostris abierunt ad monumentum, periculum facturi, num quid haberet veri mulierc ularum narratio. Et de monumento compererunt ita rem habere, quemadmodum mulieres narrarant. Reperunt enim apertum ac vacuum, linteamina reliquasque cadaveris exuvias in monumento repositas. Cæterum ipsum nusquam invenerunt.

24 *Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum: & ita invenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non invenerunt.*

25 Quum hac narratione discipuli simpliciter declarassent quam vacillarent animo, quam exigua spe essent de promissis Domini: tum Jesus nondum quidem patitur agnosci sese, sed veluti doctior quispiam Jesu discipulus objurgat illorum tarditatem, & castigat incredulitatem: O parum, inquit, dociles ad intelligendas Scripturas, & corde difficili tardoque ad credendum tot Prophetarum oraculis, quæ de Jesu prodiderunt. Cur ista vobis nunc nova videntur, posteaquam gesta sunt, quum hæc omnia tot retro seculis gerenda prædixerint Prophetarum vaticinia? Cur non illorum prædicta, cum his, quæ gesta sunt, confertis?

25 *Et ipse dixit ad eos: O stulti, & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ!*

26 Nonne docent hoc afflatu cœlesti proditæ Scripturæ, sic fuisse visum consilio divino, ut Christus hæc omnia patereturet, quæ passus est, & sic nova ratione per mortem repararet vitam, per crucem assereret regnum, per ignominiam intraret in suam gloriam? Habet hic mundus suam gloriam, nec veram, nec perpetuam. Eam qui parant, parant innubis stemmatis, titulis, opibus, munificentia, fastu, strepitu vitæ, nonnunquam & extorquent ab invitis. Christus autem gloriam suam, quam habuit ante mundum conditum, longe diversis rationibus asseret sibi apud homines, quo cunctis mortalibus ostendat, qua via sit grassandum ad veram, nec unquam intermorituram gloriam. Hac de re quum tam multa docuerit Moses, quum tam multa prædixerint Prophetæ, vos adhuc adeo crassæ mentis estis, ut Messiam ducem exspectetis curribus, equis, elephantis, ferratis copiis, balistis, catapultis, testudinibus, onagris, incendiis, cæde, sanguine sibi regnum mundanum occupantem? An nondum sentitis Scripturam esse spiritualem, ac Messiæ potentiam non constare præsidiis, quibus hujus mundi Prin-

26 *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?*

Digitized by Google

Principes ſibi regnum vel aſſerunt, vel dilatant, ſed virtute cœleſti? Quin potius excutitis Scripturas, quæ jam de Chriſto multa prædixerunt, eaſque confertis cum his, quæ Chriſtus ipſe de ſe prædixit diſcipulis ſuis, quæque ut prædixerat evenerunt? Ita fiet, ut nec in his, quæ acciderunt, quicquam videatur novum, & de his, quæ promiſit in poſterum, non ſit quod diffidatis.

27 Et incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant.

27 Quum hac objurgatiuncula Dominus reddidiſſet eos attentiores, enarravit illis Scripturas omnes, quæ palam prædixerunt hoc futurum in Chriſto, quod jam evenerat: oſtendens tantum eſſe vaticiniorum, figurarum & eventorum concentum, ut eximiæ cujuſdam tarditatis ſit, ea non animadvertere, aut inſignis diffidentiæ, non credere. Exorſus eſt autem ſermonem ſuum à Moſe & Prophetis: poſt hæc ex omnibus divinæ Scripturæ voluminibus aliquid decerpens, quod fidem adſtrueret iis, quæ acciderant, ac fidem præſtrueret iis, quæ poſt eſſent eventura. Atque hæc omnia inter ſeſe ſic contulit, ut res eſſet dilucida. Felices illi, qui meruerunt cœleſtem Doctorem audire enarrantem ea, quæ prius per Prophetas ipſius afflatos Spiritu prodiderat. Nos quoniam omnia non poſſumus, quædam ex illa felici confabulatione decerpta referemus. Quæ utinam vel nunc audiant Judæi, deſinantque Meſſiam alium exſpectare, ſed hunc, qui Servator ac Redemtor unicus datus eſt mundo, piis ſtudiis amplectantur, & ſalvi fiant: fiant liberi, ſi non à Cæſaris imperio, certe, quod eſt felicius, à Diaboli tyrannide: regnumque conſequantur cum ſuo Duce, non hujus mundi, quod caducum eſt, ſed cœleſte, quod finem neſcit. Moſen, inquit, Judæi tantum non ut Deum quendam venerantur, quod is populum Iſraeliticum eduxerit ex Ægypto, & in deſerto Legem prodiderit, cujus obſervatione ſalutem aſſequerentur, & pervenirent in terram melle & lacte manantem. Atqui iſte Moſes quid aliud fuit quam umbra quædam venturi Chriſti? Nec enim ille fuit Filius Dei, ſed ſervus: nec ille vere liberavit populum, quum poſt ſervierint Regi Babylonis. Nec ipſe prorſus omni peccato caruit. Ac ne terram quidem, ad quam duxerat populum, ingreſſus eſt. Et ſi ingreſſus fuiſſet, nihil erat magni, quum in eadem terra etiam hodie habitent idololatræ. Hæc omnia, juxta carnem intellecta, nihil habent magni. Sed Chriſtus eſt verus ille Moſes, qui propria virtute non Hebræos modo, verum etiam univerſas nationes ſibi fidentes liberat à vindicta Dei, liberat à tyrannide Diaboli, liberat à tenebris errorum, liberat à turpi ſervitute peccatorum, & ſanguine ſuo purgatos educit in libertatem ſpiritus, perpetuus & dux & comes, donec per omnia hujus vitæ diſcrimina perducat in terram illam cœleſtem, omni genere felicitatis exuberantem, qui Legem tulit ſpiritualem & Euangelicam, quæ non ceremoniis ac pecudum victimis corporalem juſtitiam traderet, ſed per fidem & caritatem, veram ac perfectam conferret juſtitiam. Atque hunc exoriturum Moſes ipſe prædixit. Sic enim ille loquitur in Deuteronomio: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies.* Ac mox Dominus Moſi promiſſum confirmat, dicens: *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi.* Habetis vaticinium Moſi, nunc conferte rem. Nullus exortus eſt poſt Moſen, qui ullo pacto æquaverit illum auctoritate, præter ſolum Jeſum Chriſtum, qui Moſen ſic retulit, ut modis omnibus ſuperarit. Fuit auctor Novi Teſtamenti, ſed æterni. Id conſecravit non ſanguine vituli, ſed ſanguine proprio. Fuit auctor novæ Legis, ſed quæ perfectam ſalutem adferat. Moſes miniſter fuit, hic Filius è cœlo deſcendit, eaque docuit, quæ vidit apud Patrem, perpetuam habens in ſe poteſtatem faciendi, quicquid velit. Moſes in monte cum Deo colloquutus eſt in nube, Chriſtus proceſſit à luce Patris. Moſes umbras rerum tradidit, Chriſtus veritatem. Moſes ſic interceſſit pro peccatis populi, ut ipſe pro ſuis quoque commiſſis egeret interceſſore: Chriſtus immunis ab omni peccato, ſeculorum omnium peccata expiavit. Moſes jejunavit quadraginta diebus, fecit idem Chriſtus, ut vel hoc indicio agnoſceretis alterum Moſen. Moſes è monte tulit Legem, Chriſtus in monte docuit Legis abſolutionem, novas illas & inauditas beatitudines pronuntians. Docuit frequenter & in Templo: quod ſitum eſt in monte Sion, videlicet juxta prophetiam Eſaiæ, quæ dicit: *De Sion exibit lex, & ſermo Domini de Hieruſalem.* Sed quum ferretur Moſaica Lex, omnia terroribus complebantur ob retundendam populi duritiem: Chriſtus venit placidus & amabilis potius quam terribilis, ratione coarguens, beneficiis provocans, manſuetudine alliciens, nulli non obvius atque expoſitus ad ſalutem conferendam, tolerantia vincens. Et talem promiſerant Prophetarum oracula. Legiſtis enim quid ſcripſerit Eſaias: *Dedi ſpiritum meum ſuper eum, judicium in gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet perſonam, nec audietur vox ejus foris. Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non exſtinguet. In veritate educet judicium: non erit triſtis, neque turbulentus, donec ponat in terra judicium, & legem ejus inſulæ exſpectabunt.* Rurſus idem alio quodam loco ſic facit loquentem Meſſiam: *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxit me, ad annuntiandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clauſis apertionem, & prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo noſtro, & conſolarer omnes lugentes, & ponerem fortitudinem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris.* Audiſtis qualem promiſerit eum prophetia: nunc reputate cum animis veſtris, an non talis advenerit. Quem ſexum, quam ætatem, quam conditionem ille ſubmovit à ſua beneficentia? non pueros, non mulieres, non publicanos, non peccatores, non meretrices. Quod morbi genus abominatus eſt? non leproſos, non Dæmoniacos, non obnoxios profluvio ſanguinis, non paralyticos. Quid manſuetius ea voce, quam ex ipſo audiſtis? *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos: jugum enim meum ſuave, & onus meum leve? Diſcite à me quod mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris?* Quæ mater unquam ſic amavit, ſic tulit, ſic fovit filios ſuos, ut ille diſcipulos? Ad hæc Moſi Lex, nec erat data populis omnibus, nec ſeculis omnibus. Chriſti Lex, ut eſt omnibus gentibus prodita, ita nullis ſeculis mutabitur uſque ad finem mundi. Conſiderate & hîc quam ſibi conſentiant omnia: primum quam dilucide præcinuerit vobis Hieremias, ceſſaturam circumciſionem corporis una cum victimis, ſabbatiſmis, obſervationibus dierum, diſcriminibus eſcarum, jejuniis, votis, cæteriſque ceremoniis, ad tempus in hoc datis, ut craſſis Judæis eſſent figuræ rerum ſpiritualium: *Novate*, inquit, *vobis novale, & nolite ſerere ſuper ſpinas, circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum, viri Juda & habitatores Hieruſalem.* Rurſus alio quodam in loco dicit idem Propheta: *Ecce dies venient dicit Dominus, & feriam domui Iſrael & domui Juda fœdus novum, non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus veſtris.* Mox adjicit manifeſtum diſcrimen inter Legem illam aſperam & importabilem, quæ merito fuit inſcripta ſaxis, ſua duritie duritiem cordis Judaici repræſentantibus, & inter Legem Euangelicam, qua per fidem gratis offertur innocentia: *Hoc*, inquit, *erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael. Poſt*

A Moſe.

Eſaiæ 42.

Eſaiæ 61.

Lex nova.

Hierem. 4.

Hier. 31.

Digitized by Google

dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam. Mox docet & Legis umbras ceſſaturas prodita veritatis luce: *Et non docebit ultra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum. Omnes enim cognoſcent me à minimo eorum uſque ad maximum, ait Dominus, quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non recordabor amplius.* An non meminiſtis Chriſtum his conſentanea loquentem ac facientem, quum adhuc viveret? Nonne palam vetuſtæ Legis finem denuntiavit, quum diceret: *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem?* Judæi Hieroſolymis adorabant. Sed quid dicebat mulieri Samaritanæ? *Veniet tempus, & nunc adeſt, quum nec Hieroſolymis, nec in hoc monte adorabunt Patrem, ſed in ſpiritu adorabunt eum.* Nonne tacite Legem abrogare cœpit, quum Sabbatis ſanaret, fruſtra reclamantibus Phariſæis, quum diſcipulos Sabbato vellentes ſpicas tueretur adverſus illorum calumniam; quum iiſdem adverſus Phariſæorum calumniam, quod non jejunarent, patrocinaretur? Sed multo magis quum abſque ceremoniis leproſum ſanaret, & quod Lex vetat, de lepra damnatum à Sacerdotibus contingeret: quum paralytico, quum peccatrici, quæ irrupit in convivium, cæteriſque nonnullis, abſque Legis remedio peccata condonavit? Lex enim juſſerat holocauſtomata offerri pro peccatis, certiſque victimis ac muneribus expiari culpam admiſſam. At Chriſtus novator vetuſtæ Legis pro holocauſto ſuppoſuit caritatem: *Dimiſſa ſunt*, inquit, *ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Suppoſuit pro victima fiduciam: *Confide*, inquiens, *fili, remittuntur tibi peccata tua.* Quin & manifeſtius etiam quodam tempore diſcrevit vobis utriuſque Legis diſcrimen: interdicens divortium, quod Moſi Lex conceſſerat: prohibens jurare, quod non prohibuerat Lex prior: jubens etiam inimicos diligere, quum vetus Lex permitteret & odiſſe & ulciſci inimicum. Nonne ſemel totam auctoritatem abrogavit Sacerdotibus, Scribis & Phariſæis, qui craſſam Legem adhuc mordicus tenerent? *Sinite*, inquit, *illos, caci ſunt duces cæcorum.* An non & hoc prædixerant Prophetæ, carnalia ceſſura ſpiritualibus? Non recordamini quid ſcripſerit Propheta Daniel? *Ut conſummetur*, inquit, *prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & prophetia, & ungatur ſanctus ſanctorum.* Quum auditis conſummari prophetias, nimirum intelligitis jam non oportere exſpectari quæ peracta ſunt: quum auditis juſtitiam ſempiternam, intelligitis juſtitiam Legis temporariam abrogatam. Quum auditis ungendum Meſſiam, qui ſanctus eſt ſanctorum, ſolus ſanctificans univerſa, videlicet intelligitis ceſſaturam corporalem unctionem, ac legale Sacerdotium cum ſuis victimis antiquandum. Jeſus enim nunquam unctus fuit ſacro illo unguento, quod Lex religioſe docuit conficere, mortem minitans his, qui eam confectionem fuiſſent imitati, aut in profanos uſus accommodaſſent. Nec enim quicquam ad rem Sacerdotum facit unctio corporis, niſi quod ſignum erat unctionis ſpiritualis, qua unctus eſt Chriſtus. Quemadmodum modo retuli ex prophetia: *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit me.* Cui concinit Pſalmographus, de Meſſia loquens: *Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, præ conſortibus tuis.* Quod Propheta promiſit, vidiſtis peractum, quum Jeſus baptizaretur in Jordane. Spiritus enim viſibili ſpecie deſcendit in illius verticem, & vox Patris audita eſt, qui Filium unxerat oleo lætitiæ, ſupra Prophetas ac Patriarchas, imo ſupra mortales omnes, qui vel fuerunt unquam, vel ſunt, vel futuri ſunt. Hæc unctio cœleſtis ac ſpiritualis finem impoſuit Sacerdotio Moſaico, quod mox Daniel dilucide ſubjicit: *Et in dimidio*, inquit, *hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium.* Nec aliud ſibi voluit Deus, loquens per Eſaiam, veluti faſtidiens illorum corporales victimas: *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus? Plenus ſum. Holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui.* Jam Daniel nonne palam prædixit ſubverſionem urbis Hieroſolymæ cum ſuo Templo? Nonne idem ſuis diſcipulis vaticinatus eſt Chriſtus, lachrymis obortis deplorans civitatis ac gentis calamitatem? Jam enim pigebat Deum, qui ſpiritus eſt, inhabitare Templum manibus hominum exſtructum: non delectabatur victimis pecudum. Aliam civitatem deſiderabat, cui vere competeret illud nomen Hieruſalem: aliud Templum ipſo dignum, ab ipſo conditum, ipſius Spiritu conſecratum: alias victimas, aliam gentem animo circumciſam, in quam vere congrueret nomen Iſraelis. Nihil autem perpetuum, quod eſt viſibile corporeis oculis. Quæ non videntur æterna ſunt, & ob hoc digna Deo, qui eſt ipſa æternitas. Sed tamen hæ rerum viſibilium umbræ datæ ſunt ad tempus rudi craſſoque populo, ut aliquando per hæc rudimenta proficerent ad ea quæ ſunt animi. Cæterum qui vetuſtæ Legis faſtidiebat & civitatem, & templum, & gentem, & victimas, qualia poſt optaret, ſatis evidenter declarat apud Prophetas: An non legiſtis quod ſcripſit Eſaias de ſpirituali Hieroſolyma? *Poſt hæc*, inquit, *vocaberis civitas juſti, urbs fidelis. Sion in judicio redimetur, & reducent eam in juſtitia.* Auditis novam ſtructuram civitatis, quæ eſt Eccleſia, è vivis lapidibus conſtructa: cujus angularis lapis, & cujus fundamentum eſt ipſe Chriſtus. Lapidem hunc deſignavit prophetia Pſalmi myſtici: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli:* & audiſtis ipſum Chriſtum, hujus Scripturæ teſtimonium objicientem Phariſæis, qui conabantur rejicere lapidem, quem Deus elegerat. Hujus meminit & alius Propheta: *Ponam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum, in fundamento fundatum.* Et huic prophetiæ nonne concinebat oratio Chriſti, quum viveret, quum proponeret parabolam de domo ſuperſtructa ſolidæ petræ, quam nullus ventorum aut fluctuum impetus potuit loco convellere, nimirum ſe fundamentum deſignans Eccleſiæ: adverſus quem nec portæ inferi prævalent, quemadmodum aliquando Petro diſcipulo ſuo pollicebatur. Solomon ædificavit Templum Hieroſolymis juxta præſcriptum Moſi. Sed quemadmodum ille Rex pacificus gerebat imaginem Meſſiæ, qui perpetuam pacem ſarſit inter Deum & homines: ita Templum illud, opera conſtructum humana, figuram habebat Templi, cujus opifex fuit ipſe Chriſtus: quemadmodum olim Dominus loquutus eſt per Nathan ad David, ſicuti legitis in ſecundo Regum libro: *Tu non ædificabis mihi domum ad habitandum, ſed ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de utero tuo, ipſe ædificabit domum nomini meo: & ſtabiliam thronum ejus uſque in ſempiternum.* Porro hæc, quæ dicta ſunt à Propheta, non convenire in Solomonem, vel illud palam arguit, quod in throno Solomonis jam nunc ſedent alienigenæ, ac brevi tota gens Judæorum in omnes nationes ſpargenda eſt. Domus illa, quam Hieroſolymis exſtruxit Solomon, erat operoſa lanienis, fumis, lotionibus, ac ſuffitibus tumultuoſa. Cæterum hæc domus, quam ædificavit Chriſtus, inviſibili fide commendatur, quæ finem neſcit. Sic enim eodem in loco loquitur Propheta: *Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum uſque in æternum, ante faciem meam, & thronus tuus erit firmus jugiter.* Hæc promiſſa vaniſſima ſunt, ſi de Solomone, ſeu David juxta literam accipiantur. David enim regnum ſuum funeſtavit adulterio juncto homicidio, & Solomon uſque ad idolorum cultum, fœminarum amoribus pertractus eſt. Conſiderate jam quomodo verba Nathan conſentiant cum ver-

Digitized by Google

verbis Esaiæ: *Vocaberis*, inquit, *civitas justi, urbs fidelis*. Nullus autem exstitit hominum præter Christum, qui pure justus dici potuerit: non solum immunis ab omni contagio peccati, verum etiam talis, ut per hunc omnes justificentur. Quid autem exigit Christus à suis nisi fidem? Et ideo suam Ecclesiam, quæ nescit opera Legis, urbem fidelem dixit, totam ipsi uni inniten tem. Hanc cum auditis redimendam in judicio, videtis sublatam legalium ceremoniarum fiduciam. Deus enim non judicat ex operibus, sed ex fide: non ex cibo aut potu, non ex veste aut otio, sed ex animi pietate. Hoc est autem judicium, quod qui crediderint Christo, per illius mortem, qui pœnam dependit pro omnibus, redimentur à peccatis suis: & per illius justitiam justificabuntur, principis sui vestigiis ingredientes. Habetis civitatem ac templum spirituale, quod digitis ostendi non potest, sicuti nec Rex & opifex ipse, quemadmodum ipse docuit, quum viveret. *Cum dixerint: Ecce Christus hic, ecce illic, nolite credere.* Judæi gloriantur in monte Sion, qui Templum sustinet: post hæc erit spiritualis Sion, sustollens animos credentium à cupiditate rerum terrenarum, ad studium rerum cœlestium, de quo vaticinatus est vobis Esaias, dicens: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super omnes colles. Et fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite adscendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem.* De hoc monte spirituali frequenter meminit & David: *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non commovebitur in æternum, qui habitat in Hierusalem.* De hoc Templo, quo nunc superbiunt Judæi, mox demoliendo, prædixit & Christus: *Relinquetur*, inquit, *domus vestra deserta.* Atque id futurum comminatus fuerat ante Deus Solomoni: quemadmodum legitis libro Regum tertio: *Et Templum, quod sanctificavi nomini meo, projiciam à conspectu meo: eritque Israel in proverbium, & in fabulam cunctis populis: & domus hæc erit in exemplum. Omnis qui transierit per eam, stupebit, & sibilabit, & dicet: Quare fecit Dominus sic terræ huic & domui huic? Et respondebunt: Quia dereliquerunt Dominum Deum suum.* Hæc est enim illa domus exasperatrix, cum qua toties apud Prophetas rixatur Deus, quæ usque adeo defecit à Deo suo, ut unicum Filium ejus in crucem suffixerit. Quin etiam pro populo carnali duræque cervicis, Propheta pollicetur populum pacificum & obedientem usque ad mortem. Sic enim loquitur Esaias: *Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. Domus Jacob, venite & ambulemus in lumine Dei nostri.* Nonne concinunt his quæ promisit Christus, se de lapidibus suscitaturum filios Abrahæ: cumque se vocaret lumen mundi, quem qui sequeretur, non ambularet in tenebris: cum in eos torqueret illud Esaiæ: *Populus hic labiis me honorat, cor autem longe est à me.* Novum autem populum sibi promittit per Osee, populum non jactantem opera sua, sed agnoscentem Dei misericordiam: *Et erit in loco ubi dicitur eis: Non populus meus vos, dicetur eis, filii Dei viventis.* Ac rursum: *Et miserebor ejus, quæ fuit absque misericordia:* gentium populum significans, qui cum antehac servierit idolis, mox accepturus est doctrinam Euangelicam à Judæis repudiatam, de quo prædixit & Psalmographus: *Populus, quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi.* Nonne Christi oratio consentiebat cum hac prophetia, cum diceret? *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere?* Nimirum novatum Sacerdotium & regnum novat omnia. Novum autem Sacerdotem promiserant Prophetarum oracula. Sic

Synagoga repudiata.

A enim habet Psalmus mysticus: *Juravit Dominus & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* Melchisedec Sacerdos & Rex, Sacerdos Dei altissimi, non enim ex Lege institutus: *Rex Salem*, hoc est, Rex pacis, Christum denotabat, qui nec initium habet, nec finem est habiturus. Is non per sanguinem vitulorum aut hircorum, sed per proprium sanguinem ingreditur sancta sanctorum, intercessurus pro peccatis totius mundi. Hoc sacrificium peregit in ara crucis, purissimam victimam offerens semetipsum Deo Patri. Nimirum hunc Sacerdotem Deus olim promiserat Heli morituro: *Suscitabo*, inquit, *mihi Sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum & animum meum faciet, & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Christis meis cunctis diebus.* Nimirum hoc est, quod vobis promisit ipse Christus: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Jam pro laniena Sacerdotum legalium, quod genus sacrificii successurum sit, non tacuit Propheta. Dicit enim afflatus Psalmista: *Sacrifica Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua, invoca me in die tribulationis, & eruam, & glorificabis me.* Rursus ibidem: *Sacrificium laudis honorificabit me.* Et illic iterum: *Ut ostendam illi salutare Dei.* Et alibi: *Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino.* Triplex audistis sacrificium: Precationum, sive votorum, de quo docuit vos Christus: *Quicquid petieritis Patrem meum in nomine meo, dabit vobis*: Laudis, quod satis constat illum solenniter peregisse, frequenter gratias agentem Patri: Justitiæ, quæ præstat * innocenti vim vitæ, & erga egentem caritatis obsequia. Hujus ipse vobis perfectum exemplar præbuit, animam suam impendens servandis ovibus, solus repertus inter homines, in quo dolus non esset. Docuit & hoc ex Propheta: *Ite*, inquiens, *& discite quid sit: misericordiam volo, & non sacrificium.* In Templo igitur spirituali, sub Sacerdote summo Christo, non jam exhibebitur visceratio è carnibus vitulorum, hircorum, aut ovium, sed ex pretioso corpore & sanguine Jesu Christi, quod semel immolavit, ut à Christis ipsius subinde sumi possit spiritualiter, grata commemoratione sibi quodammodo renovantibus mortem sui Pontificis. Nimirum hæc est victima, quæ mox toto in orbe offeretur à novis Sacerdotibus, quos unxit Deus, de qua prædixit Malachias: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non accipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Hoc est quod prædictum est & Heli sacerdoti, futurum ut quisquis veniret in Templum novum, diceret: *Dimitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem, ut comedam buccellam.* Hoc est sacrificium, quod Christus in cœna paschali tradidit discipulis suis, porrecto illis pane, quem dicebat esse corpus suum: & poculo, quod dicebat esse sanguinis sui, per quem consecravit illis novum testamentum, hoc est, fœdus amicitiæ nunquam interiturum. Hæc si non vidistis ipsi, certe à duodecim illis audire potuistis, per quos voluit hoc, quod gestum est, ad omnes pervenire. Quemadmodum Christus è cœlo profectus omnia carnalia vertit in spiritualia, civitatem, templum, sacerdotium, victimas, ita regnum quoque novum esse voluit: & ob id vocare solitus est regnum cœlorum, ne quid exspectaretis tale, qualia videtis in regno mundi. Quanquam enim ille Dominus erat omnium, etiam antequam descenderet in terras, tamen erat spirituale regnum, quod ut assereret Patri, factus est illi obediens usque ad mortem crucis. Sic enim ille devicit adversarium, sic liberavit populum suum, sic vindicavit, propagavit & constabilivit regnum Patri suo. Ac sane Regis Ducisque titulo Propheta promisit

* Alia Editio pro *innocenti vim* habet *innocentiam*.

Digitized by Google

misit Messiam, sed hujus duplicem designans adventum. Priorem, quem ipsi vidistis, humilem ac placidum. Venit enim sanaturus, non ulturus. Veniet autem in fine mundi cum majestate, cinctus multis Angelorum millibus, judicaturus vivos ac mortuos. Nunc autem quoniam venit humilis ac placidus, multi sunt offensi, adeo ut duodecim etiam illi, quos ex omnibus velut fidissimos delegerat, territi metu diffugerint, quidam etiam ipsum abnegarit. Atqui si scripta Prophetarum cum his, quæ gesta vidistis, diligenter conferretis, non esset cur offenderemini, sed esset cur agnosceretis eum, qui talis venit, qualis promissus est: considerate quid dicat Zacharias: *Ecce Rex tuus veniet tibi justus, & salvator, ipse pauper & adscendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Qui sic venit, non venit bellaturus, sed dissipaturus bella mundi, quæ geruntur sub vexillis Satanæ: subjicit enim Propheta: *Et dispergam quadrigam ex Ephraim, & equum de Hierusalem, & dissipabitur arcus belli, & loquetur pacem gentibus, & potestas ejus à mari usque ad mare.* Vidistis illum hac pompa ingredientem Hierosolymam, ut regna mundi derideret, ut vos prophetiæ commonefaceret. Jam illud animadvertite, an alium illum promiserit Esaias: *Quia*, inquit, *omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis. Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis, multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis: super solium David, & super regnum ejus sedebit, ut conservet illud & corroboret in judicio & justitia.* Quum auditis regnum & principatum humero impositum, nonne palam auditis regnum crucis, quam Christus bajulavit, debellaturus potestates aeris? Quum auditis Principem pacis, nimirum intelligitis Regem beneficiis allicientem, non vi metuque cogentem: quum auditis Patrem futuri seculi, perspicitis dissimilem hujus seculi Principibus. Nec alium describit illum alio quodam loco: *Et percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus. Habitabit lupus cum agno, pardus cum hœdo accubabit:* cæteraque quæ sequuntur, multum ab armis ac bellis Principum dissonantia. Nunc audite, quid ipse de se prædicat in Psalmo mystico: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.* Nonne palam expressit regnum Euangelici sermonis? Nimirum hic est gladius, de quo meminit alter Psalmus: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, specie tua & pulchritudine tua intende, prospere procede & regna, propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam.* Quis autem audivit Regem forma corporis feliciter rem gessisse, aut mansuetudine sibi parasse regnum? Sed hæc erat gratia divini sermonis, qua vidistis Jesum hominum multitudinem ad se pellicere: hæc erat veritas, cui Pharisæi toties frustra conati sunt reluctari. Talis erat gladius, quem moriturus ut Apostoli sibi pararent, admonuit, de quo prius dixerat, negans se venisse in terras, ut mitteret pacem, sed gladium. Tales sunt & sagittæ potentis acutæ, quibus configit pravas hominum cupiditates: quibus occidit avarum, & excitat beneficum: quibus interficit idololatram, & excitat professorem Euangelicæ pietatis: quibus interimit ferocem ac vindicem, & suscitat mansuetum ac mitem: quibus prosternit superbum, & erigit modestum. Vultis intelligere regni genus? Videte quales delegerit suæ ditionis ministros ac propagatores. Tenues, humiles, idiotas, nec opibus, nec armis, nec commeatu, nec ullis hujus mundi præsidiis instructos adversus Pharisæorum insidiosam malitiam, adversus Principum potentiam, adversus Philosophorum superbiam. Et per hos duces debellaturus est universa mundi regna: non alia panoplia, quam galea salutis, quæ est recta intelligentia sacræ Scripturæ: scuto fidei, quo, protegente Deo, tuti erunt adversus omnes impiorum assultus: lorica justitiæ, ex omnibus virtutibus Euangelicis contexta: baltheo castitatis, calceatu Euangelico, qui est animus purus ab omnibus terrenis affectibus. Sed super omnia gladio spiritus, qui est sermo divinus. Sic visum erat Deo, ut per imbecillitatem Filii ostenderet suam virtutem, per stultitiam prædicationis declararet suam sapientiam, per ignominiam crucis illustraret suam gloriam. In his interim situm est regnum Euangelicum, donec in fine mundi proferet sese majestas Christi, deposita humilitate, ac piorum felicitas, nullis afflictionibus inquinata. Et tamen hæc humilitas habet spirituale robur, efficax & idoneum ad dejiciendas omnes substructiones, erigentes sese adversus Dei gloriam. An quicquam vidistis Christo lenius, humilius, pauperius, mansuetius, popularius, & longius semotum ab omni regni specie? Et tamen quid regalius, quam verbo ejicere Spiritus impios: dicto sedare ventos ac fluctus: contactu sanare leprosos: simplici jussu pellere morborum omne genus? Quoties evasit per medium Judæorum machinantium illi mortem? Capi se passus est, sed ad hujus vocem conciderunt in terram armati satellites. Mortuus est in cruce, sed quid hac morte potentius? quæ concussit elementa mundi, quæ Solem obscuravit, saxa discidit, monumenta aperuit, mortuos excitavit? Nihil illius nativitate humilius, sed tamen hîc quoque statim emicabant argumenta dissimulatæ sublimitatis. Nascitur ex virguncula, sed opificio Spiritus divini. Reclinatur in præsepi, sed Angeli canunt: *Gloria in excelsis Deo.* Puer vagit in cunis, sed trepidat Herodes Rex, adorant Magi. Hæc adhuc non ita multis nota, olim per universum orbem prædicabuntur. Hujusmodi præsidiis instruet & Apostolos suos. Quod si Scripturas attente legeritis, & cum his, quæ vidistis & audistis, contuleritis, non potestis dubitare quin ille sit Christus, qui promissus est, Sacerdos, Rex, & Servator totius orbis, post quem non sit exspectandus alius. Reputate, quæso, cum animis vestris totam illius ætatem, quam partim spectastis oculis, partim ex cognatis ac familiaribus cognoscere potuistis. Nihil reperietis quod non fuerit & figuris Veteris Testamenti designatum, & à Prophetis prædictum. Promissus erat ex stirpe David, éque tribu Juda, ex oppido Bethlehem. De loco natali videte an obscure vaticinatus sit Micheas: *Et tu Bethlehem Effrata, parvulus es in millibus Juda: Ex te egredietur qui mihi sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio à diebus æternitatis.* Hoc futurum antequam fieret intelligebant Scribæ, qui scisitanti Herodi incunctanter responderunt: Messiam in civitate Bethlehem nasciturum. Atque hîc constat Jesum per occasionem Cæsareæ descriptionis esse natum. Rem nobilitavit Herodis sævitia. Scitis autem illum vulgo non Bethlehemitam, sed Nazarenum habitum, & Galilæum, quod in Nazareth educatus sit, usque ad adultam ætatem, illicque una cum parentibus diu versatus, adeo ut & crucis titulus inscriptionem habuerit Jesu Nazareni. Ne istud quidem indictum est Prophetis, qui subinde notant eum nomine sancti, & sancti sanctorum, quod esset unice consecratus Domino, non tantum juxta legem communem primogenitis masculinis, secundum quam & ipse delatus est in Templum à parentibus, ac Domino consecratus, verum etiam peculiari quadam prærogativa supra mortales omnes. Videbat hunc Nazaræum Jacob oculis corporis cæcutiens, sed oculis fidei perspicax, quum benediceret Joseph, qui Christi typum gerebat: *Fiant*, inquit, *in capite Joseph, & in vertice Nazarai inter fratres suos.* Quicquid

Psal. 119.

Digitized by Google

quid enim Lex Mosaica juxta carnem præscribit de Nazaræis consecrandis, hoc juxta spiritualem intelligentiam in Christo completum est. David autem
Psal. 131. Deus sic loquitur in Psalmis: *De fructu ventris tui*
Esaiæ 11. *ponam super sedem tuam.* Rursus ante hunc Esaias: *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus adscendet, & requiescet super eum Spiritus Domini.* Constat autem Mariam fuisse de tribu Juda ac familia David: nec hoc latuit Pharisæos, qui rogati à Jesu, prius quam pateretur, cujus filius esset futurus Messias, incunctanter responderunt: David. Propheta prædixit eum nasciturum è virgine. Sic enim
Esaiæ 7. vaticinatus est Esaias: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Prædixit idem tectius Daniel,
Dan. 2. enarrans quid sibi vellet lapis absciscus de monte sine manibus, qui comminuit prodigiosam illam Statuam, ex auro, argento, ære, ferro, lutoque conflatam: moxque crevit in montem ingentem, qui spatio suo occupavit omnia regna mundi, Siquidem Christus citra virilem operam natus de virgine conteret omnia regna mundi, suaque doctrina totum terrarum orbem occupabit. Nimirum hoc præsentiebat afflatus Ezechiel, quum describeret Templi portam orientalem, per quam ingressa est
Ezech. 44. majestas Domini, de qua sic loquitur: *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi.* Quum auditis templum Dei, agnoscitis uterum Mariæ Spiritu Sancto consecratum. Quum auditis portam orientalem, nonne agnoscitis claustrum virginei pudoris, quod nec vir ingrediens, nec Filius Dei ingrediens aut egrediens violavit? Hæc est autem porta orientalis, de qua processit lux illuminatura mundum universum. Hoc mysterium tametsi nondum vulgatum est apud Judæos, tamen ignotum non est his, qui cum Maria matre Jesu, cumque hujus sponso Joseph familiariter vixerunt. Is enim adhibitus est testis certissimus hujus arcani, quod suo tempore per orbem universum celebrabitur, virginem absque ullo exemplo, ex afflatu divini Spiritus peperisse puerum, utriusque naturæ, divinæ & humanæ participem. Quod si vobis incredibile videtur Deum ex homine nasci: considerate quid prædixerit Prophe-
Bar. 3. ta Baruch de filio, quem Deus, misertus humani generis, in hoc misit in terras, ut errantibus ac cæcutientibus ostenderet viam salutis: *Hic est*, inquit, *Deus noster, & non æstimabitur alius ab eo. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus versatus est.* Daniel autem etiam nativitatis tempus supputatum hebdomadibus indicat, si quis curiosius excutiat. Sed multo ante hunc Patriarcha Jacob, jam morti vicinus, & afflatus fatidico Spiritu, vaticinatus est hunc in mo-
Gen. 49. dum: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est: & ipse erit exspectatio gentium.* Jam Judæorum omnis regio Romanis Cæsaribus serviebat. Judæa Regem habebat Herodem alienigenam. Ea res satis arguebat jam venturum Messiam, si quis scrutatus fuisset prophetias. Quod autem adjecit, *& ipse erit exspectatio gentium*, quanquam olim erit dilucidius, tamen jam tum in ipsa nativitate patuit. Mox enim à partu virginis, accurrunt ductu stellæ tres Magi cum muneribus, novum Regem adoraturi. Nec hoc futurum
Esaiæ 7. tacuerat vox Prophetarum, sic enim ait Esaias: *Antequam sciat puer reprobare malum & eligere bonum, accipiet spolia Samariæ & Damasci adversus Regem Assyriorum.* Dum enim puer adhuc tres Magos ad se pertrahit stellæ ductu, & ex idololatris facit adoratores Regis Regum, nonne accepit spolia Samariæ, quæ cultura simulacrorum infamis erat? Damascus enim olim Arabiæ deputabatur, antequam ex distinctione Syriarum transscriberetur in Syrophœnicen. Abundat autem Oriens odoribus, unde ex suis opibus Magi depromserunt thus & myrrhum: depromserunt & aurum, de quo nec prophetia tacuit. Sic enim loquitur Esaias: *Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.* Meminit & Psalmi prophetia: *Et dabitur illi de auro Arabiæ.* Rursus alibi: *Reges Arabum & Sabæ dona adduvent.* Nam in illis Regionibus plerunque rerum summa penes Magos, hoc est, sapientes esse solet. Porro nomine Regis Assyriorum denotatus est Rex impius Herodes, qui ad nuntiatum Messiæ exortum perturbatus est, & à Magis elusus. Sequuta est cædes infantium in finibus Bethlehemiticis, nec hoc tacuerant prophetiæ, sic enim cecinit Hiere-
Hier. 31. mias: *Vox in excelso audita est lamentationis, luctus & fletus, Rachel plorantis filios suos, & nolentis consolari super eis, quia non sunt.* Sic enim expressit lamenta matrum deplorantium lanienam infantium suorum. Porro locum obscure denotavit nomine Rachel, cujus sepulchrum haud procul abest à Bethlehem. Angeli admonitu subductus est in Ægyptum, rursus illinc reductus est ejusdem Angeli admonitu, nonne prædixerat & hoc Osee prophetia? *Ex Ægypto vo-*
Osea. 11. *cavi filium meum.* Jam antequam auspicaretur prædicandi munus à Patre delegatum, nonne præcursor Joannes testificatus est illum mox adventurum, & jam venientem digito commonstravit populo Judæorum? An non id quoque futurum dilucide prædixerat Esaias? *Vox clamantis in deserto, parate viam Do-*
Esaiæ. 40. *mini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Certe vidistis Joannem in deserto prædicantem, audistis hoc vaticinium de se prædictum agnoscentem. Ac ne de baptismo quidem tacuit prophetia. Jam quod prædicationem suam auspicatus est, non Hierosolymis, sed in Galilæa, nonne satis dilucide prædixit Esaias? *Terra Zabulon, & terra Neptalim,* Esa. 9. *juxta viam maris trans Jordanem Galilæa gentium, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Constat autem Capernaum, ubi primum habitabat Jesus quum prædicaret, esse in confinio Zabulon & Neptalim, civitatem littoralem. Nec dissimulatum est doctrinæ genus, quo frequenter apud populum utebatur, parabolarum ænigmatis involvens sententiam. Sic enim habet Psalmus Azaph: *Aperiam in* Psalm. 77. *parabolis os meum, loquar propositiones ab initio.* Porro fore qui doctrinæ ipsius reclamarent, omnia tum dicta, tum facta illius calumniantes, prædixit Esaias:
Esa. 6. *Audite audientes & nolite intelligere: & videte visionem & nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum.* De his queritur & alibi: *Domine quis credidit auditui nostro?* Quin etiam de miraculis, quæ vidistis eum edentem, nonne palam prædixerant oracula Prophetarum? Nonne sic loquitur Esaias? *Vere languores nostros* Esa. 53. *ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Quod enim mali genus ille non profligavit à miseris? Rursus idem apertius etiam ita prædicat: *Dicite pusillani-* Esa. 35. *mes, & nolite timere. Ecce Deus vester ultionem adducet retributionis, Deus ipse veniet, & salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* An non vidistis oculis vestris hæc, & his etiam majora patrantem Jesum? Audistis ipsum agnoscentem hanc prophetiam de se proditam, quum ab Joanne missi discipuli percunctarentur eum, utrum ipse esset exspectatus ille Messias, an alius esset exspectandus, respondit: *Eun-* Matt. 11. *tes*, inquit, *renuntiate Joanni quæ audistis & vidistis: Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes Evangelii lato nuntio exhilarantur.* Quod autem his tantis

Digitized by Google

tis beneficiis magis essent exacerbandi Synagogæ
Esa. 5. principes, nonne pulchre depinxit Esaias sub parabola vineæ: quæ plurimis officiis provocata, non respondit cultori suo. *Exspectavi*, inquit, *ut faceret uvas, & fecit labruscas. Exspectavi ut faceret judicium, & ecce iniquitas: & justitiam, & ecce clamor.* An non respondet oraculo prophetico parabola, quam audistis ex ipso Jesu, de vinea septa turri, ac torculari lacuque instructa, quæ vitio colonorum non reddidit fructum Domino suo? Idem notabat ficus illa, quæ nec stercoratione admota cœpit esse frugifera. Nec aliud sibi volebat parabola de semine projecto in terram malam. Conquestus
Esa. 65. est idem & alias in Prophetis: *Expandi tota die manus meas ad populum non credentem & contradicentem.* Virtuti invidebant potentes, calumniantes ea miracula geri præsidio Beelzebub. Cæterum corporis imbecillitas, humilitas conditionis, & afflictiones, quas perpessus est, offenderunt infirmos, tametsi non malos. Quum enim caperetur à Judæis, diffugerunt etiam illi duodecim electi. Videte an & istud
Zach. 9. siluerit Propheta Zacharias: *Percutiam*, inquit, *pastorem, & dispergentur oves gregis.* Accinit huic Psalmus octogesimus septimus: *Longe feciſti notos meos à me, posuerunt me abominationem sibi.* Nonne Petrus cum detestatione abjuravit Dominum suum: cæteris idem facturis, si ingruisset simile periculum? Atque id fore prædixerat Christus priusquam fieret. Proditus est à Juda, qui fuit unus è numero duodecim. Considerate, an non & illud
Psalm. 54. prædixit Psalmus fatidicus: *Quoniam*, inquit, *si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: & si is qui oderat me, super me magna loquutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo unanimis, dux meus, & notus meus.* Jam si didicistis, quod Christus Judam ad se venientem, ut osculo fallaci proderet Dominum militibus, sic affatus sit: *Amice ad quid venisti? Osculo filium hominis prodis?* nonne palam exprobravit illi Prophetæ vaticinium? Ducem eum vocat, quod hic videretur Apostolis quodammodo præfectus, quum huic esset mandata cura rerum gerendarum. Rursus alius Psalmus di-
Psalm. 40. cit etiam dilucidius: *Etenim homo pacis meæ in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Huic vero prophetiæ videte quam congruant verba Christi, quæ de proditore loquutus est discipulis in extrema cœna: *Qui comedit*, inquit, *mecum panem, levabit contra me calcaneum suum.*
Psalm. 37. Rursus dicit alius Psalmus: *Amici & proximi mei*
Psalm. 54. *adversum me appropinquaverunt & steterunt.* Item alius: *Mollîti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula.* An non est sermo oleo mollior: *Ave Rabbi:* dictus cum osculo? An non jaculum erat toxico lethali infectum: *Ipse est, tenete eum.*? Ex ipsius Apostolis audire potuistis, & si nondum audistis, licebit discere. Judas stipulatus est à Pontificibus & primoribus triginta argenteos, qua funesta pecunia mox emtus est ager ad sepulturam pauperum. Utrumque prædixit Propheta. De pretio sic vaticina-
Zach. 11. tus est è vatibus quidam: *Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt ex filiis Israel, & dederunt eos in agrum figuli.* His ita peractis, Judas sero pœnitens suspendit sese, minuens numerum duodecim electorum, ac locum faciens in album Apostolorum surrogando. Nec hoc
Psalm. 108. tacitum est à Prophetis. Sic enim habet Psalmus mysticus: *Fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui inhabitet in ea, & episcopatum ejus accipiet alter.* Impium autem illud concilium de occidendo Jesu celebratum in domo Cajaphæ summi Pontificis per Scribas, Pharisæos, primores, & his juratos populares, videte an non hoc etiam vaticinio Psalmi pro-
Psalm. 2. ditum sit, qui dicit: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Adstiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversus Dominum,*

A *& adversus Christum ejus.* Auditis *gentes*, & scitis per cohortem Pilati crucifixum: Auditis *populos*, & agnoscitis Judæorum promiscuam multitudinem clamasse: *Crucifige, crucifige:* Auditis *Reges*, & agnoscitis Pilatum Cæsaris nomine præfectum Judææ, cujus sententia damnatus est Jesus: Auditis *Principes* terræ, & intelligitis primores Judaici populi, qui non intelligentes Legem spiritualem, terrena quærebant: & dum ab his avelli nolunt, cœlorum Regem occiderunt. Comminatur his & Esaias: *Va*, inquit, *animæ ipsorum, quia cogitaverunt cogitationem pessimam adversus seipsos, dicentes: Alligemus justum quia inutilis est nobis.* Ductus est veluti reus in
B judicium. Dixit & hoc Esaias: *Stat ad judicandum* *Esa. 3.* *Dominus, & stat ad judicandos populos. Dominus in judicium veniet cum senioribus populi sui & principibus ejus.* Judicatus est Jesus in domo Cajaphæ à primariis Sacerdotibus, Scribis, Pharisæis, & populi primoribus. Rursus apud prætorium Præsidis, populi clamore condemnatus est: *Tolle, tolle, crucifige.* Sed dum judicatur Dominus, ipsi judicati sunt, prodita modis omnibus illorum detestabili iniquitate. In ipsos pronuntiavit sententiam Pilatus: *Ego immunis sum à sanguine justi hujus, vos videritis.* Ipsi adversum se pronuntiarunt, clamantes: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.* De-
C plorat has impias adversus Christum machinationes & Hieremias: *Vidisti*, inquit, *Domine iniquitatem* *Thren. 3.* *illorum adversum me, judica judicium meum. Vidisti omnem furorem eorum, universas cogitationes eorum adversum me: audisti opprobrium eorum Domine, omnes cogitationes adversum me, labia insurgentium mihi, & meditationes eorum adversum me tota die, sessionem & resurrectionem eorum vidi.* Nonne hic plane depingit consultantes Sacerdotes & primores, quomodo Jesum dolo occiderent, venantes falsa testimonia, quibus innocentem opprimerent, objicientes blasphemiam, præjudicio condemnantes eum, considentes veluti judices, rursus surgentes, ut eum
D accusarent apud Præsidem. Scelerata sessio, sceleratior resurrectio. Quod autem illorum odio non suffecerit quævis mors, sed delecta sit omnium probrosissima simul & durissima, testatur Hieremias, *Hierem. 11.* Christi personam gerens: *Tu autem Domine demonstrasti mihi & cognovi, tu ostendisti mihi studia eorum, & ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, & non cognovi quia cogitaverunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius.* Siquidem hoc erat Pharisæorum consilium, ut Jesu nomen accusati, damnati, inter notorios maleficos suspensi, aut prorsus aboleretur,
E aut inter exsecrabilia detestabiliaque deputaretur. Jam illud in mentem veniat, Christum hæc ante mortem prædixisse vobis, quod esset tradendus in manus gentium, quod reprobandus, quod illudendus, quod flagellandus, quod crucifigendus, & agnoscitis nihil horum temere, fortuitove gestum. Apud Annam & Caipham Judæi per falsos testes intenderunt illi crimen blasphemiæ, quo non aliud est atrocius. Designatum est hoc in Joseph, quem fratres invidia conjurati detulerunt de crimine pessimo. Apud judices aut nihil, aut perpauca respondit, quum nihil esset in eo criminis, quia mori decreverat pro salute mundi. Putate hoc fortuito gestum, nisi palam id prædixit
F Esaias: *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit* *Esa. 53.* *os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Huic quam congruit Psalmi vaticinium: *Ego* *Psal. 37.* *autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, nec habens in ore suo redargutiones, quoniam in te Domine speravi.* Jam enim venerat tempus, ut semet ad omnem ignominiam exponeret, absolutum exemplum tolerantiæ suis editurus: vinctus est, cæ-

sus

Digitized by Google

ſus eſt alapis & colaphis, flagellatus eſt, conſputus eſt. Ludibrii cauſa chlamydem purpuream indutus eſt, ſpinea corona coronatus: ab Herode ſpretus, ignominiæ gratia remiſſus eſt in alba veſte, miſerabili ſpecie productus eſt ad populum, Barrabas illi prælatus eſt. Hæc quoniam volens paſſus eſt pro ſalute mundi juxta Prophetarum vaticinia, non debuit vobis gignere deſperationem, ſed potius addere ſpem. An non hæc deplorat Hieremias, dicens: Thren. 4. *Spiritus oris noſtri, Chriſtus Dominus. Captus eſt in peccatis noſtris, cui diximus: In umbra tua vivemus* Thren. 3. *in gentibus.* Audite rurſus eundem lamentantem: *Dabit*, inquit, *percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis.* In concilio Judæorum alapa cæſus eſt à ſervo Pontificis. A cohorte Pilati & alapis, & colaphis, & arundine percuſſus eſt, nec repugnavit. Pſalm. 128. Nunc audite Pſalmi vaticinium: *Supra dorſum*, inquit, *meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt* Eſa. 50. *iniquitatem ſuam.* Concinit huic ſacer Eſaias: *Dominus*, inquit, *Deus aperuit mihi. Ego autem non contradico, retrorſum non abii. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.* Jam quum legitis ejuſdem Prophetæ vaticinium in alio loco, nonne videmini videre Chriſtum ipſum, flagellatum, conſputum, coronatum ſpinis, chlamyde amictum, exhibitum populo Judæorum Ibidem 53. ludibrii gratia? Sic enim ſcribit: *Non eſt ei ſpecies, neque decor. Et vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum deſpectum, & noviſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem. Et quaſi abſconditus vultus ejus & deſpectus, unde nec reputavimus eum: vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit, & nos putavimus eum quaſi leproſum & percuſſum à Deo, & humiliatum, ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus.* Proinde Pſalm. 21. de ſe loquitur in Pſalmo myſtico: *Ego autem ſum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Nec de ſpinea corona ſiluerunt Scriptu- Gen. 3. ræ myſticæ. Siquidem primo Adæ dictum eſt: *Maledicta terra in opere tuo. Quum exercueris eam, ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Quod terra erat Adæ priori, hoc Judaicus populus fuit Adæ ſecundo, tot modis culta, tot beneficiis laceſſita, ut produceret fructum bonum, ſpinas produxit cultori ſuo. Chriſtus autem erat Sponſus Eccleſiæ, quemadmodum audiſtis & Joannem teſtificantem, filius autem Synagogæ parricidæ. Itaque in myſtico Epithalamio, pater evocat omnes ad hoc crudele ſpectacu- Cant. 3. lum ſponſi ſpinis coronati: *Egredimini*, inquit, *filiæ Sion, & videte Regem Solomonem in diademate, quo coronavit illum mater ſua in die deſponſationis illius, in die lætitiæ cordis ejus.* Nimirum ille ſponſus erat vehemens amator, qui ſuo ſanguine lavit ſponſam ſuam, ſibique vinculo indiſſolubili junxit. Atque hic erat ille deſponſationis dies, quem deſiderio deſideraverat, ſic ut amanti omnis mora longa videretur. Quum Præſes nihil non faceret, ut Jeſum abſolveret, principes Judæorum una cum populo parricidalibus & efferatis vocibus ſuclamabant: *Tolle, tolle: crucifige, crucifige.* Vide quam hoc non tacuerit Hierem. 12. Hieremias, ſub perſona Chriſti loquens: *Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manus inimicorum ejus. Facta eſt mihi hæreditas mea, quaſi leo in ſylva dedit contra me vocem.* Quicquid autem in illum factum eſt per ignominiam, hoc ille vertet in ſuam gloriam. Herodes remiſit illum ad Pilatum, amictum alba veſte, & gentium populus amplectetur olim Sacerdotem. Cohors militum induit eum chlamyde purpurea, addiderunt arundinem ſceptri vice, impoſuerunt coronam è ſpinis contextam. Pii agnoſcent & adorabunt Regem ſuum, etiam ſic vincentem ac triumphan-

tem. Colludunt Herodes ac Pilatus, Jeſum inter ſeſe veluti ſphæram mittentes. Sed interim fiunt amici, qui prius odio mutuo diſſidebant, ſic quoque commendantes conciliatorem & pacificatorem omnium quæ in cœlis, quæque in terris, de quo vaticinatus eſt Job: *Dominus reconciliat corda Principum terræ.* Jam mihi rurſum ſpectaculum illud cogitatione vobis renovate, quod nuper vidiſtis oculis, Jeſum exeuntem ad ſupplicii locum, & humeris ſuis bajulantem crucem. Nonne ſignificarat hoc futurum, quum frequenter apud diſcipulos ac multitudinem diceret? *Qui non tollit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus.* Videlicet hoc erat ſceptrum Regis Judæorum, hoc eſt, omnium confitentium: quod Eſaias vidit olim in humeris ejus, quum diceret: *Et principatus ejus ſuper humerum ejus.* Eſai. 9. Hujus typum exhibebat ante tot ſecula Iſaac, faſcem lignorum bajulans ſibi mactando in holocauſtum. Salvus eſt nobis Iſaac, tantum aries mactatus eſt, hoc eſt corpus Jeſu, quod ſolum mori poterat, ſed mox revicturum. Occiſus eſt autem extra civitatem. Significarat hoc futurum ipſe Chriſtus parabola de colonis, qui filium ejectum è vinea, occiderunt. Sed multo ante ſignificavit hoc Moſes, qui, ut in Levitico legitis, vitulum, qui immolabatur pro peccatis populi, juſſit efferri extra caſtra, atque ibi comburi. An non extra Hieruſalem, juxta allegoriam exuſtus eſt Jeſus, qui totus accenſus inæſtimabili caritatis igne erga genus humanum, ſemet totum impendit? Quum videretis Jeſum pendentem in ſublimi ligno, nonne vobis veniebat in mentem ſerpens ille myſticus, quem olim Moſes ſuſpendit in ſtipite, ſaluti futurum omnibus morſis à ſerpentibus, ſi modo in eum intenderent oculos? Oculus hominis eſt fides. Hunc quiſquis intenderit in Jeſum crucifixum, illico ſalvus erit. Prædixit autem Moſes & illud futurum, ut Judæi conſpicantes Jeſum pendentem in cruce, qui ſua morte vitam dabat omnibus, non crederent tamen illi. Sic enim loquitur in Deuteronomio: *Et erit vita tua pendens* Deut. 28. *coram oculis tuis. Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ.* Vidiſtis pendentem inter duos latrones medium, & non agnoſcitis prophetiam quæ dixit: *Et cum iniquis deputatus eſt?* Vidiſtis medio die Eſai. 53. noctem ſubito obortam ab hora ſexta uſque ad horam nonam. Chriſtus ipſe ſe prædicavit eſſe lucem mundi, & ſignificavit inſtare noctem, quum tollendus eſſet è mundo. An non hoc dilucide prædixit Amos? *Et erit in die illa, dicit Dominus: Occidet Sol* Amos. 8. *meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis.* Nec tacuit hac de re Zacharias, quum ait: *Et erit* Zach. 14. *in die illa, non erit lux, ſed frigus & gelu, & erit dies una quæ nota eſt Domino. Non dies, neque nox, in tempore veſperi erit lux.* Erat dies notus Domino, quem Judæi non agnoverunt. Dies non erat, quia ſub meridiem nox oborta eſt: non erat nox, quoniam ab hora nona rediit lux. Frigus autem & gelu erat in animis diſcipulorum diffugientium ac deſperantium, inter quos erat Petrus, qui Dominum etiam abjuravit, dum frigore correptus ad impiorum prunas caleſcit. Conferte jam quæ facta ſunt Chriſto in cruce pendente, ſitienti porrectum eſt vinum myrrhatum, & acetum, quemadmodum & in crucem tollendo obtulerant vinum myrrhatum. An non iſtud perſpicue prædixit Pſalmi vaticinium? *Dede-* Pſalm. 69. *runt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.* Audiſtis Phariſæos ac primores veluti victores inſultantes pendenti, & inter cætera convitia hoc quoque objicientes: *Dixit ſe filium Dei, confiſus eſt in Domino, liberet eum nunc ſi vult eum.* Videte quam vaticinium Pſalmi non ſolum rem ipſam prædixerit, verum etiam ipſa impiorum verba retulerit: *Ego autem*, inquit, *ſum vermis & non homo,* Pſalm. 22. *opprobrium hominum & abjectio plebis. Omnes videntes me deriſerunt me, loquuti ſunt labiis & moverunt*

Digitized by Google

caput. Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum. Vidistis agnum ab Esaia prædictum, obmutescentem ad omnia probra, atque etiam deprecantem pro mortis auctoribus, dum clamaret: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Jam videte an non & hoc prædixerit: *Loquuti sunt adversum me lingua dolosa, & sermonibus odii circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam.* Vidistis eum clavis affixum cruci, nudum pendere distento corpore. Audite nunc vaticinium dilucidum: *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* Vidistis milites inter se partientes vestimenta crucifixi Jesu. Sequitur & istud in vaticinio Psalmi: *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Reliquas vestes inter se partiti sunt: pro tunica inconsutili, quoniam dissui non potuit, sortibus est certatum. Audistis illum jam expiraturum ingenti voce dixisse, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, declarantem Psalmi vaticinium de morte sua fuisse loquutum. Vidistis duobus latronibus frangi crura, Jesu crura non fuisse fracta, ut hoc quoque signo declararet sese esse agnum paschalem verum, cujus sanguis liberavit omnes, qui credunt, ab æterna morte, de quo præceptum est in Exodo: *Os illius non confringetis.* Potuistis & illud animadvertere, quod diversis rationibus vicit præsidia mundi & Satanæ. Simplicitate vicit astutiam, mansuetudine superavit ferociam, humilitate vicit gloriam, comitate vicit superbiam, ita infirmitate vicit potentiam Satanæ. Quid enim imbecillius moriente? Et tamen hæc imbecillitas quantum habuit robur, vidistis. Conspexistis obscurari Solem, concuti terram, dissilire saxa, dehiscere monumenta, scindi velum Templi. Hæc nimirum declarabant præcipuum illius robur, quo devicit Diabolum, ac mundum, in morte fuisse expeditum: prædixerat & hoc Psalmus mysticus, dicens: *Dicite in nationibus, regnavit à ligno Deus.* Nec id tacuit Abacuc Propheta: *Splendor ejus ut lux erit. Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus, ante faciem ejus ibit mors. Egredietur Diabolus ante pedes ejus.* Auditis cornua crucis, cujus infirmitas fefellit hujus mundi principem. Absconderat enim illic Dominus Jesus virtutem cœlestem, ut Diabolum opprimeret. Triumphabat mortem, ac Satanam traduxit & ostentui fecit. Prædixerat hoc futurum & ipse priusquam moreretur: *Quum exaltatus fuero à terra, omnia pertraham ad me.* Significavit idem obscuriore quidem ænigmate Moses morti vicinus. Quum enim benediceret tribubus singulis, ac ventum esset ad Joseph, qui typum gerebat Christi, ait: *Quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus, cornua Rhinocerotis, cornua illius, in ipsis ventilabit gentes usque ad terminos terræ.* Sic visum est divinæ sapientiæ, ut Christus per cornua crucis subigat mundum universum. Nec de sepultura tacuere Prophetæ. Sic enim scribit Hieremias, Christi personam repræsentans: *Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.* Scitis enim illum sepultum in lapideo sepulchro, & ostium monumenti ingenti saxo fuisse occlusum, ne quis tolleret corpus defuncti. Die Paraseeves sub vesperam conditus est in sepulchro, sabbato illic requievit: nimirum jam perfecto opere salutis humanæ. Considerate an non & hoc prædixerit prophetia: *A conspectu*, inquit, *iniquitatis ablatus est justus, & erit in pace locus ejus.* Usque ad mortem passus est se contrectari ab impiis. A morte à nullo contrectari voluit, nisi ab amicis, nec ulli se posthac præbebat conspiciendum nisi amicis: obscuram hujus rei significationem dederat vetus prophetia Patriarchæ Jacob, qui de Juda, imo de Christo sic vaticinatur moriturus: *Accubuisti ut leo, quis suscitabit eum?* Porro quemadmodum mori voluit ac sepeliri, ita non fore ut in sepulchro computresceret, sed brevissimo tempore illic commoratus reviviscceret, nonne palam à Prophetis prædictum est? Nonne sic loquitur Spiritus Sanctus in Psalmo decimo quinto? *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Nulla aromata, nulla unguenta hoc præstant, ut nunquam putrescat corpus exanime, quum etiam aromata ipsa absumat ætas, quæ consumit & sepulchra, quamvis marmorea. Sed hoc præstat resurrectio, quæ confert immortalitatem. Cæterum totam hujus rei figuram nonne repræsentavit olim Jonas Propheta? Illi imputata est tempestas, & ne perirent omnes, ille præceps datus est in mare, quo jactura unius placaretur tempestas omnibus exitium minitans. Christus pro salute omnium mortuus est, ut expiaret omnium peccata. Jonas absorptus est à ceto, è cujus ventre redditus est die tertio præter omnium exspectationem. Christus conditus est in monumento, unde promisit sese proditurum tertio die. Promisit enim Judæis, petentibus signum è cœlo, signum Jonæ Prophetæ, seque ad illius exemplum emicaturum tertio die è latebris terræ. Quoties autem inculcavit hoc suis discipulis, se moriturum, ac tertio die revicturum? Prædixerat hoc Osee Propheta: *Vivificabit*, inquit, *nos post duos dies, in tertio die suscitabit nos.*

Quum igitur videritis hactenus omnia congruere, figuras Legis, vaticinia Prophetarum, prædictiones ipsius Christi, denique rerum eventus, quo pacto nunc veluti dormitantes ac somniantes diffiditis, ac non potius ex præteritis colligitis futura? Prædixit se tradendum gentibus, alligandum, flagellandum, illudendum, crucifigendum. Nihil horum non evenit. Vidistis & creditis, sed idem prædixit se tertio die revicturum, & aliquot dies sese ostensurum non mundo, sed discipulis. Cur igitur diffiditis his, quæ dicunt, se ex Angelis cognovisse quod resurrexisset? Adeone vos offendit mortui corporis infirmitas, ut nunc despondeatis animum, quasi interierint omnia illa magnifica promissa, de regno, de potestate cœli ac terræ tradenda Filio, de adscensu in cœlum, ac reditu ad Patrem, de consessu ad dextram Patris, de propagatione Euangelii per omnes orbis nationes, de glorioso adventu sub finem mundi, de immortalitate sanctorum, de suppliciis impiorum? Imo ad harum rerum majestatem mors aperuit aditum. Sicut vidistis illum morientem ac sepultum, ita videbitis redivivum, videbitis adscendentem in cœlum. Accipietis Spiritum cœlestem, videbitis virtutem cœlestem sese proferre in hominibus humilibus & idiotis: videbitis per eosdem Lucem Euangelicam exiguo tempore radiis suis occupare totum orbem. Ac totus mundus adorabit Jesum illum hîc spretum, consputum & irrisum, ut Deo Patri æqualem, regnique consortem. Postremo genus hominum universum videbit illum in majestate Patris cinctum agminibus Angelorum, judicantem vivos & mortuos. Is dies voluit ut esset incertus omnibus. Interea nihil voluit suis esse curæ nisi regnum Euangelicum. Hæc omnia prædicta sunt à Prophetis, designata figuris Mosaicæ Legis, magna ex parte præstita: nec oportet addubitare, quin omnia suis temporibus sint exhibenda. Hic sermo Domini Jesu non tantum feriens aures discipulorum, verum etiam in animos penetrans, sic illos occupavit, ut nec viæ sentirent laborem, nec faciem loquentis agnoscerent: nec veniret ipsis in mentem, ut apud sese cogitarent: Quis est iste, cui sic in promtu sunt Scripturæ sacræ, doctrina tota ac vita Jesu, quique nos tam efficaci sermone suspendit & afficit? Hunc inter discipulos nunquam vidimus, & tamen nihil illum fugit. Amabant tantum tanquam per somnium, & Jesum ex ipso Jesu discere gaudebant. Nunquam enim discitur felicius, quam quum ille nos dignatur docere seipsum.

Psal. 108.
Psal. 21.
Exod. 12.
Abac. 3.
Gen. 49.
Thren. 3.
Esa. 57.
Gen. 49.
Oseæ 6.

Digitized by Google

28 *Et appropinquaverunt castello quo ibant: & ipse se finxit longius ire.*

28 His aliisque fabulis itinere peracto, jam appropinquabant oppidulo, cui nomen Emmaus. Jesus autem quo magis accenderet illorum desiderium, præ se ferebat quasi nollet in Emmaunte commorari, sed longius adhuc proficisci: nam illi veluti desperantes reliquerant Hierosolymam, seque in patriam recipiebant, quum hi, qui semel vere crediderunt Christo, non habeant hîc manentem civitatem, sed perpetuo itinere properent ad illam cœlestem.

29 *Et coegerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies. Et intravit cum illis.*

29 Discipuli vero quoniam avelli non poterant à tam facundo comite, rogant, obsecrant, obtestantur: denique precibus improbis, & injecta pallio manu, recusantem compellunt, ut eam noctem apud ipsos diversaretur, jam Dominum appellantes, non quod cognoscerent esse Jesum, sed quod ex admirabili confabulatione satis conjicerent, illum non esse vulgarem viatorem. Dicebant autem: Domine præbuisti nobis hactenus jucundum & amicum viæ comitem, præbe nobis & hospitem. Cur te committis itineri longiori? Jam appetit vespera, & Sol vergit ad occasum. Merito noctem oderunt, qui diligunt Jesum: nec tamen hujus mundi noctem timere debent, qui comitem habent Jesum. Amat autem rogari ut id faciat, quod facit libenter: partim ut det promerentibus & dignis, partim ut nos doceat beneficium etiam ingerendum & obtrudendum egenti proximo. Quidam enim sic offerunt beneficium, quasi metuant ne non recusetur cui defertur: & eo vultu dant, ut videantur inviti dare. Ingressus est itaque oppidum, nec gravatus est illorum uti hospitio. Illi læti tanto hospite, quum exhibuissent quicquid gratis hospitibus solet exhiberi, apparaverunt & mensam, proque sua tenuitate quod habebant, apposuerunt. Frugalis erat apparatus, sed ante omnia vultus accessere boni, animo sinceriſſimo respondentes.

30 *Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.*

30 Posteaquam autem Jesus accubuisset cum illis, accepit panem, benedixit, fregitque, deinde porrigebat illis. Hunc morem quoniam sciebant esse Christo peculiarem, ut ante cibum ageret gratias Patri, deinde suis manibus fractum partiretur in discipulos, duo discipuli velut expergefacti cœperunt cogitare de Jesu.

31 *Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum: & ipse evanuit ex oculis eorum.*

31 Mox sublato impedimento, quod hactenus obstiterat quo minus agnoscerent eum, agnoverunt illum esse Jesum. Dumque subitus quidam stupor corripit illorum animos, Jesus evanuit ex illorum conspectu. Paulatim enim ac parce faciebat sui corporis copiam à morte, vel quod imbecillitas humana non ferret redivivi corporis majestatem, vel ut sensim assuescerent carere corporis conspectu, quod mox esset abducendum, quo jam amarent illum juxta spiritum. Porro non agnoscunt Jesum nisi in domo, quæ est Ecclesia: non agnoscunt nisi ipso porrigente panem sermonis Euangelici. Is enim aperit oculos, quibus agnoscitur Jesus. In via fregerat, ac porrexerat illum panem mystice, quum illis aperiret Scripturas. Et quod illic fecerat juxta spiritum, post corporali signo renovavit. Sublato corpore Jesu, jam melius illum videbant, quam tum quum esset corpore præsens. Tenebantur oculi, quia non credebant. Nunc absentem vident oculis fidei.

32 *Et dixerunt ad invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?*

32 Post abitum Jesu, ipsi inter se non desinunt de Jesu confabulari, dicentes: Qui factum est, ut tam sero agnoscceremus Dominum? Somnus quidam habebat animos nostros: benedictio, fractus ac porrectus panis primum excussere somnum: sed nisi dormitassemus, poteramus vel ex illius pariter colloquio conjicere, ipsum esse Jesum, qui nobis de Jesu tam multa tam mirabiliter disserebat. Nonne quum nobis familiari colloquio per viam exponeret è Scripturis, figurarum & prophetiarum ænigmata, sensimus admirabilem quendam ardorem animi, qualem non solet gignere in auditorum animis Scribarum & Pharisæorum oratio? Sed talis esse solet oratio Domini Jesu his, qui simpliciter audiebant. Pungebat, afficiebat, rapiebat, urebat, inflammabat, relinquebat scintillas & aculeos quosdam in animis auditorum.

33 *Et surgentes eadem hora regressi sunt in Ierusalem: & invenerunt congregatos undecim, & eos qui cum illis erant,*

33 Quumque uterque alteri fassus esset se pariter affectum fuisse, nec jam dubitarent, quin ille esset Jesus à morte redivivus, continuo reliquerunt Emmauntem, tametsi jam vergente die: magnaque celeritate redierunt Hierosolymam, ut tanti gaudii reliquos quoque discipulos redderent participes, mutuaque collatione fides omnium confirmaretur. Sic enim Dominus cupit sua munera propagari inter homines, ut mutuis officiis & gliscat inter ipsos caritas, & crescant merita, quæ remuneretur Deus. Lenti erant, quum relinquerent Hierosolymam: quoniam Jesus confabulator & fallebat viæ tædium, & eximebat hospitii desiderium. Sed aviditas & renuntiandi quæ contigerant, & cognoscendi vicissim quid aliis accidisset, redeuntium pedibus addidit alas.

34 *Dicentes: Quod surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni.*

34 Ubi ventum est eo, offenderunt undecim Apostolos, (jam enim Judas decesserat numero duodecim) aderant autem cum his & alii complures discipuli, qui non exspectata narratione duorum, ultro gaudio gestientes indicabant illis, quod post incertam spem, quam mulieres omnium primæ fecerant de Domini resurrectione, compertum esset eum vere resurrexisse. Nam apparuerat & Simoni Petro. Hujus oratio, quoniam inter Apostolos primas tenebat, plus habebat fidei apud discipulos quam sermo muliebris. Hunc enim primum Dominus Jesus consolari voluit, & confirmare sua præsentia, quem sciebat præter commune diffidentiæ malum, etiam abjurati Domini conscientia gravari.

35 *Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via, & quomodo cognoverunt eum in fractione panis.*

35 Hoc nuntio læti duo discipuli vicissim & ipsi narrant, quemadmodum proficiscentibus Emmauntem adjunxerit sese ipsis quidam ignotus specie viatoris, qui per occasionem multa commemorasset de Jesu, repetens ex Mosi litteris ac Prophetarum, quicquid de Jesu prædictum esset: simulque commemorans, quid eveniſſet, & eventurum esset in posterum: nec prius agnovissent illum, quam ex peculiari consuetudine benedicendi, frangendi, & porrigendi panem.

36 *Dum autem hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis: ego sum, nolite timere.*

36 Dum hujusmodi sanctis colloquiis sese vicissim consolantur, & exhilarant, quibusdam credentibus, quibusdam etiamnum dubitantibus, ingressus est subito Dominus Jesus foribus clausis: nec visus est advenire, sed repente constitit in medio illorum. Sic enim apparent Angeli subito, cum volunt, conspicui: rursum subito, quum libet, evanescentes. Quemadmodum autem boni Spiritus quum apparent, ne quid conturbetur imbecillitas humanæ naturæ, consueverunt blando alloquio terrorem eximere: ita Dominus quoniam & subitus, & profunda jam vespera sese conspicuum reddidit, blanda salutatione compellat illos, dicens: *Pax vobis, ego sum, nolite timere.*

37 *Conturbati vero, & conterriti, existimabant se spiritum videre.*

37 Hæc oratio quanquam merito debebat omnem propulsare formidinem, tamen erat tanta quorundam discipulorum imbecillitas, uti metu exanimati atque expavefacti, non crederent esse Jesum, sed existimarent sese videre Spiritum. Viderant paulo ante mortuum ac sepultum: videbant illum non ingressum per ostium, sed subito apparuisse. Itaque non potuerunt sibi persuadere, corpus esse Jesu quod videbant, sed Spiritum. Vulgus enim narrat hujusmodi fabulas, spiritus defunctorum nonnunquam apparere quibus volunt, ac speciem quidem quandam corporum exhibere mortalium oculis, cæterum non habere solidum ac verum corpus. In hac sententia erat Thomas, qui negarat se fidem habiturum discipulis, narrantibus quod vidissent Dominum, nisi digitis immissis in latus explorasset omnia vestigia clavorum & lanceæ. Nec aliud sensisse videntur cæteri discipuli.

38 *Et dixit eis: Quid*

38 Jesus igitur ut certam fidem faceret omnibus se

Digitized by Google

turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra?

& vivum esse, & verum gestare corpus: nec aliud corpus, quam quod ante gestaverat, ait illis: Quid adhuc velut spectrum expavescitis, quum me conspiciatis oculis & formam agnoscatis, quum audiatis vocem vobis notam ac familiarem? Et tamen adhuc diffidentiæ cogitationes oboriuntur animis vestris, quales solent vulgo venire in mentem.

39 Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum: palpate, & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.

39 Satisfacite omnibus sensibus vestris, contemplemini manus & pedes, habent manifesta vestigia clavorum: contrectate latus, habet lanceæ vulnus. Palpate corpus, admovete oculos, & desinite suspicari Spiritum. *Spiritus enim nec carnem habet, nec ossa, quemadmodum conspicitis habere me.* Quod ingressus sum foribus clausis, quod quum volo conspicior, quum volo sum inconspicuus: non est præstigium, sed dos corporis jam immortalis facti. Talia erunt & vestra corpora post resurrectionem.

40 Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & pedes.

40 His verbis quum Jesus exemisset illis pavorem, & animos addidisset, exhibuit eis inspiciendas manus ac pedes, aperuit latus ut contrectarent manifesta vulnerum vestigia. Nam ea Dominus servare voluit, ut his argumentis apud suos assereret corporis humani veritatem: simulque & olim in extremo die exprobraret Judæis suam incredulitatem juxta prophetiam, quæ dicit: *Videbunt in quem compunxerunt:*

41 Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur?

41 Porro quum etiam tum essent, qui nondum plane crederent esse corpus idem quod viderant mortuum, sed ebrietas quædam lætitiæ teneret illorum animos, ut nec suis oculis, nec auribus, nec manibus satis fiderent, (timemus enim nonnunquam credere, quod misere optamus esse verum, metuentes, ne nos ipsos in falsum conjiciamus gaudium, quo mox simus spoliandi) Jesus non dedignatus omnibus argumentis illorum incredulitati mederi, ne quid in nobis resideret diffidentiæ, ait: *Habetis ne hic quippiam quod possit edi?* Nullum enim certius argumentum hominis vivi, quam cibum capere. Et ideo Dominus Jesus puellæ revocatæ in vitam jussit dari cibum, similiter & Lazaro. Non quod esurituri simus resuscitati ad immortalitatem, sed ut discipulis suis pro tempore probaret corporis humani veritatem.

42 At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & favum mellis.

42 Complures illic aderant discipuli, & tamen admodum exiguus erat commeatus. Itaque quod habuerunt, ferunt, partem piscis assi, & favum mellis.

43 Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.

43 Jesus autem in conspectu omnium comedit ex his quæ apposita sunt.

44 Et dixit ad eos: Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.

44 Quumque jam omnibus illorum sensibus fidem fecisset, se non esse phantasma, sed verum ac vivum hominem, eundem quem ante viderant & viventem & morientem, redit ad Scripturas sacras, quibus erat habenda fides, etiamsi sensus hominis reclamarent. Mirari, inquit, non oportet quæ videtis esse facta. Nescit mentiri Scriptura, cœlestis afflatu Spiritus prodita. Quicquid hactenus factum est, id prædictum ac præfiguratum erat in Libris Mosi, in Prophetis, in Psalmis. Nam ego sum ille, quem Mosaicæ Legis figuræ denotabant. Ego, de quo tam multa promisere sancti Prophetæ; Ego, cujus exortum, progressum & consummationem describunt Psalmi mystici. Neque minore fide præstabuntur & reliqua omnia, quæ in iisdem Scripturis prædicta sunt, de reditu in cœlum, de mittendo Spiritu cœlesti, qui vos, hoc corpusculo sublato, reddet firmiores: de Euangelio per universum orbem spargendo, de supremo fine mundi hujus. Hæc sunt, quæ vobis toties inculcavi, quum adhuc mortalis agerem inter mortales. Tum ea non insederant animis vestris, nunc non potestis addubitare, posteaquam videtis mea dicta consentire cum arcanis Scripturis, & rerum eventus cum utrisque. Hactenus pro tempore indulsi imbecillitati carnis vestræ, & crassioribus argumentis ingessi vobis rei veritatem. Posthac proficite ad spiritualem intelligentiam Scripturarum. Ibi me posthac videbitis, ibi me audietis.

45 Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas.

45 Quoniam autem mysticæ litteræ non intelliguntur, nisi Deus aperiat nobis mentem, Jesus aperuit illis oculos cordis, ut quod scriptum esset legerent, crederent & intelligerent. Non enim intelligit, nisi qui credit.

46 Et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die:

46 Hoc, inquit, ordine visum est Patri restituere genus humanum, & quod ille decreverat, ipsius afflatu proditum est divinis libris. Idem à me prædictum est antequam fieret, nec aliter potuit evenire: quia decreta Dei sunt immutabilia, & sacræ Scripturæ tam nesciunt mentiri, quam ipse Spiritus, cujus afflatu proditæ sunt. Per mortem & ignominiam crucis iter erat ad gloriam, resurgendum erat tertio die, ut sciretis vos habere Dominum ac patronum vivum posthac non moriturum. Is relatus in cœlum, inde mittet vobis Spiritum cœlestem.

47 Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Ierosolyma.

47 Tunc oportebit in nomine Jesu Christi prædicare pœnitentiam anteactæ vitæ, & sine Mosaicæ Legis observatione remissionem omnium peccatorum. Ea donabitur omnibus per solam fidem Euangelicam. Ego dependi pœnam omnium nomine, tantum credant & gratis assequentur innocentiam. Hæc autem oportebit prædicari, non solum Judæis, verum etiam universis mundi nationibus, sed ita ut ab Hierosolymis sumatis initium.

48 Vos autem testes estis horum.

48 In Judæa natus sum, illic edidi miracula: Hierosolymis docui, ac mortem obii. Apud hos invenietis animos jam multis modis ad fidem præparatos. His redigetis in memoriam, quæ vidistis & audistis. Meam doctrinam, quam acceptam à Patre vobis tradidi, transfundetis in illos. Reclamabit mundus vestro testimonio, quemadmodum mihi perpetuo reclamabat.

49 Et ego mitto promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.

49 Sed ego, ut dixi, mittam vobis à Patre Spiritum, quem olim per Prophetas missurum esse promisit, loquens per os Johelis: *Et erit posthac, effundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ.* Quem optavit & sanctus David, dicens: *Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Is reddet vos fortes, & invictos adversus omnia mundi terriculamenta. Idem addet eloquentiam, cui nemo poterit contradicere. Addet virtutem ad edenda miracula, ut sit efficax vestrum de me testimonium. Vos interim conquiescite, simulque congregati, sedete in hac civitate Hierosolyma, Ecclesiæ nascituræ concordiam auspicantes: vosque invicem sanctis colloquiis exhortemini, deprecantes, & gratias agentes Deo, donec è sublimi veniat ille Spiritus, qui vos instruet virtute roboreque cœlesti.

50 Educit autem eos foras in Bethaniam: & elevatis manibus suis benedixit eis.

50 Itaque posteaquam Jesus variis argumentis confirmasset veritatem resurrectionis suæ, adduxit discipulos suos in Bethaniam, jamque abiturus in cœlum, *sublatis manibus benedixit illis:* & in hoc Patriarcharum ac Mosi referens exemplum.

51 Et factum est, dum benediceret illi, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum.

51 Atque interea dum bene precatur suis discipulis sublatus est à terra, & in omnium conspectu ferebatur in cœlum.

52 Et ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno:

52 Discipuli vero procumbentes adoraverunt Dominum, oculis illum, quo ad licuit, prosequentes. Magis autem animis prosequuti sunt, posteaquam corpus oculis ademtum est. His ita gestis, reversi sunt Hierosolymam, quemadmodum præceperat Dominus. Reversi sunt autem cum ingenti gaudio. Jam enim fides excusserat omnem mœrorem, & certa spes promissorum addebat alacritatem.

53 Et erant semper in templo, laudantes & benedicentes Deum. Amen.

53 Interea frequentes erant in Templo, jam tunc Euangelicas victimas immolantes, laudibus ferentes divinam benignitatem erga genus humanum, & gratias agentes ei, qui tanta beneficia decrevisset per Filium suum gratis largiri mortalibus.

PARAPHRASEOS IN EVANGELIVM SECVNDVM LVCAM

FINIS.

VER-

Digitized by Google

VERSVS MEMORIALES
EVANGELII LVCAE.

Angelvs hic: Bone Chriſte puer: Chriſti quoque ſtemma.
Damon tentat atrox: En Petre piſcis adeſt.
Fratri ignoſce: Gemitque Naima: Hic ſemina verbi:
Ibant bis ſeni: καὶ δύο ἑβδομάδες.
Laxque precum: Mox fermentum: Nunc de Siloam inſit:
Obſtat ſabbatho hydrops: perdita ovis redit.
Quinque mali fratres: Redit unus: Stantque telones:
Tum Chriſti adventus: Vinea: Benque David.
Adventus ſignum: Bona Chriſti cuna: Crucis mors:
De nece ſurgit: Habet membra ter octo Lucas.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI
D. FERDINANDO,
AVSTRIAE ARCHISTRATEGO, CAROLI CAESARIS GERMANO,
ERASMVS ROTERODAMVS
S. D.

Anno ſuperiore Paraphraſim in Euangelium Matthæi, magis ex auctoritate R. D. Matthæi Cardinalis Sedunenſis, quam ex animi mei judicio ſuſceperam, Ferdinande Principum integerrime: partim quod ipſa majeſtas operis, religione quadam animum meum ab attrectatione ſubmoveret: partim quod & alioqui plurimæ variæque difficultates imbecillitatem meam ſibi probe conſciam ab aggrediendo deterrerent. Jamque mihi videbar in totum hujus generis ſcriptione defunctus. Tamen neſcio quo pacto rurſus huc me perpulit, tum ſuperioris audaciæ ſucceſſus, tum ſummorum virorum auctoritas, quorum voluntati non ſatisfacere, mihi vehementer ſit inhumanum: juſſis non parere nefas quidem erat, ut Joannis Euangelium ad eundem modum explicarem. Non me fugiebat quanto etiam auguſtior eſſet hujus argumenti majeſtas, quod magna ex parte verſatur in abditis illis naturæ divinæ myſteriis enarrandis, & hujus admirabili cum noſtra commercio. Quis enim hominum vel cogitatione conſequi poſſit, quomodo Pater Deus ſine initio, ſine fine ſemper gignat Filium Deum: in quem generans ſic ſe totum effundit, ut ipſi nihil decedat: à quo ſic naſcitur Filius, ut ab eo, qui producit, nunquam recedat: rurſum quomodo ab utroque procedat Spiritus Sanctus, ſic ut inter omnes ſit ejuſdem naturæ perfectum conſortium, non confuſa perſonarum proprietate? Quis ingenio complecti queat, quo nexu ſumma illa & ineffabilis natura hominem ſibi copularit: ut idem qui ſemper fuerat ex Deo vero Deus verus, homo verus ex homine naſceretur? In hujuſmodi rebus explicandis, in quibus nonnunquam verbum mutaſſe, piaculum ſit inexpiabile, ubi Paraphraſeos libertas? Ad hæc, videbam mihi fore iter per loca crebris ac variis difficultatibus impeditiſſima, ſalebris interſepta, ſaltibus ac lamis impervia, eluvionibus ac voraginibus intercisa. Nullum enim eſt Euangelium, unde natæ ſint plures, aut operoſiores de fide quæſtiones: aut in quo vehementius ſudatum ſit ab eximiis Veterum ingeniis: denique in quo enarrando magis varient interpretes, quod ego ſane non illorum tarditati vel imperitiæ, ſed vel ſermonis obſcuritati, vel rerum difficultati tribuo. Accedebant & illæ peculiares huic negotio difficultates, quod totus fere ſermo, quem Euangeliſta tribuit Domino Jeſu, ſit ænigmatis involutus: quæ ſi explices Paraphraſi, jam non cohærent quæ reſpondentur ab his, qui quod dictum erat, non intellexerant. Sic enim multa dicuntur à Domino, ut non prius intelligenda ſciret, nec prius intelligi vellet, quam rerum eventus quod dictum erat explanaret. Porro quum Paraphraſtæ ſit, quod adſtrictius eſt dictum, id explicare fuſius, ne temporis quidem modus mihi ſervari potuit. Etenim quum extremam cœnam Dominus noctu legatur peregiſſe cum diſcipulis, atque inter cœnandum interim laverit ſuorum pedes, tamen à cœna tam prolixum ſermonem habet cum ſuis, ut mirum ſit tempus tot verbis ſuppetiſſe: præſertim quum ex aliorum Euangeliſtarum narratione conſtet & alia multa nocte eadem, tum dicta tum facta fuiſſe. Modus igitur temporis mihi ſervari non potuit, cui illa omnia erant prolixius etiam explicanda. Poſtremo habet Joannes ſuum quoddam dicendi genus, ita ſermonem velut anſulis ex ſeſe cohærentibus contexens, nonnunquam ex contrariis, nonnunquam ex ſimilibus, nonnunquam ex iiſdem ſubinde repetitis, ut Paraphraſis has orationis delitias non poſſit reddere. Quod genus eſt: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* In his tribus membris, verbum verbo, Deus Deo ſuccinitur: ac mox repetito principio circulum abſolvit: *Hoc erat in principio apud Deum.* Ac rurſum: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt, in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* In his liquet, ut orationis quodque membrum ſemper excipiat prius, ſic ut prioris finis ſit initium ſequentis, ac tale quiddam hîc agnoſcas, quale Græcorum ἀνάκλασις ſolet affectare: quibus de rebus nonnihil dictum eſt nobis in argumentis. Hanc peculiarem ſermonis gratiam intelligebam mihi frequenter in Paraphraſi perituram. Itaque quum has hiſque conſimiles difficultates multas perſpicerem, tamen aggreſſus ſum provinciam, tot nimirum ac tantis viris ſuo hortatu huc vocantibus, auctoritate compellentibus: præſertim autem ſuperioris obſequii verius quam audaciæ ſucceſſu fretus. Nec enim hactenus modo ſucceſſit, quod undique candidus lector pro hoc officio mihi gratias agit, verum etiam quod Carolus Cæſarum, quos octingentis ab hinc annis habuit mundus, ut maximus, ſi ditionis amplitudinem ſpectes, ita & optimus, ſi quum alias illius vere Cæſareas virtutes, tum præcipue religionis ac pietatis ſtudium contemplere, laborem hunc meum, nam illi dicaram, non tantum vultu & oratione, ſed litteris etiam non minus honorifice quam amanter ad me ſcriptis ſibi multo gratiſſimum fuiſſe teſtatus eſt.

Proinde mihi convenire viſum eſt, ut quoniam Matthæus Carolo conſecratus eſſet, Joannes Ferdinando,

Digitized by Google

velut alteri Carolo dedicaretur. Ac ſane bona quædam ſpes blanditur animo meo, futurum pollicens, ut quemadmodum illud ſucceſſit Caroli Cæſaris auſpiciis, ita & hic conatus Ferdinandi ſuccedat auſpiciis. Sunt duo nomina hujus ævi feliciſſima, eſt fratrum par hujus ætatis auſpicatiſſimum. Nec dubitandum arbitror, quin ſanctiſſimorum Principum pia ſtudia, divini Numinis favor bene fortunet. Licet enim, opinor, bene ominari de his, in quibus adhuc adoleſcentibus egregius virtutum proventus, magnificæ ſpei, quam de ſe primæ ætatis velut herba præbebat, reſpondet. Nam & pueritiæ tuæ nova quædam & admirabilis indoles, jam tum ejuſmodi prudentiæ, moderationis, manſuetudinis, integritatis, religionis ac pietatis ſcintillas oſtendebat, ut nemo non ſibi polliceretur eximium quendam ac numeris omnibus abſolutum Principem. Jam vero publicam orbis de te ſpem quum hactenus non fefelleris, illud inſuper efficis, ut votis etiam omnium, non ſolum ſpei, jam factus natu grandior, cumulatiſſime ſatisfacturus eſſe credaris. Libellum *de Principe Chriſtiano*, qualis qualis eſt, jam pridem adoleſcens ſtudioſis omnibus commendaſti, poſteaquam tua lectione dignatus es. Et hunc igitur proprie tuo nomini dicatum, juvenis hujus ſeculi florentiſſimus, multiſque nominibus orbi gratioſiſſimus, dignaberis commendare: nec id adeo, quo vel tibi gloriæ quippiam, vel mihi commodi nonnihil accedat, quum nec iſtius fortunæ ſplendor, nec iſtius ingenii modeſtia, laudem humanam vel deſideret, vel affectet: nec hic animus quicquam ambiat, præter Chriſti favorem: ſed ut his, quibus hoc laboris deſudatum eſt, deſudatum eſt autem in commune omnibus, uberiorem adferat fructum. Etenim quæ per ſe recta ſunt, tum demum adferunt magnam utilitatem, ſi ſuperato livore favorem publicum meruerint. Ad hanc rem plurimum adferet momenti, ſi declararis hoc munus meæ lucubrationis tibi non ingratum fuiſſe. Nec enim metus eſt, opinor, ne iſtos audiendos exiſtimet tua prudentia, qui fortaſſe dicturi ſunt, quum viderint Euangelicam Paraphraſim Ferdinando dicatam: quid profano Principi, quid juveni cum Euangelio? meque, juxta vetus Græcorum proverbium, βατράχῳ οἰνοχοεῖν cavillabuntur. Quaſi vero ſoli omnium Principibus apta munera deferant, qui de venatu, de alendis canibus, de habendis equis, de machinis bellicis, aut fortaſſe de luſu aleæ libellos barbarica quapiam lingua elucubratos offerunt. Ego contra ſic exiſtimo, Philoſophiam Euangelicam, quum omnibus & ſummatibus, & infimatibus, & medioximis ſit in primis frugifera, nullis tamen magis eſſe neceſſariam, quam potentiſſimis orbis Monarchis. Nam quo major eſt negotiorum moles quam ſuſtinent, quo periculoſior eſt rerum tempeſtas quam moderari debent, quo plures ſunt illis occaſiones, quæ ſolent & recta ac bene nata beneque inſtituta ingenia corrumpere, hoc diligentius oportet eos Euangelicæ doctrinæ ſanctiſſimis certiſſimiſque præceptis inſtructos ac præmunitos eſſe, qui non niſi magno totius orbis malo peccant. Epiſcoporum peculiare munus eſt, ex Euangelicæ ſapientiæ largiſſimo penu populum alere, unde & *paſtores* appellantur. Fateor. Attamen Homerus non ſine cauſa à viris etiam apud Chriſtianos laudatiſſimis laudatus eſt, quod Regem appellet ποιμένα λαῶν, id eſt, *paſtorem populorum*. Quanto magis oportet hoc cognomen in Chriſtianum Principem competere? Princeps non docet Euangelium, ſed præſtat, docet autem etiam quiſquis præſtat. Cæterum quo pacto præſtabit, ſi neſciat? Quo modo ſciet, niſi diligenti crebraque lectione verſet, niſi magno ſtudio penitus infigat animo? Quibus magis oportet eſſe perſuaſum, cœleſtem eſſe Regem hujus mundi gubernatorem, quem nihil fugiat, cujus oculos nemo poſſit fallere, cujus potentiæ nemo poſſit reſiſtere, qui pro ſuis quemque meritis ſit judicaturus, quam ſummis Principibus, qui ob potentiam neminem metuunt: & facile, ſi velint, fallant: & ſi quid peccant, non modo non vocantur ad hominis tribunal, ſed laudantur etiam ob flagitia, Quorum animis altius oportet eſſe infixum, poſt hanc vitam, quæ nec Regibus vel ad unius diei ſpatium certa eſt, nec ulli poteſt eſſe longa, ſupereſſe vitam nunquam finiendam: in qua ſine conditionis aut dignitatis ullo delectu, niſi quod gravior erit illorum cauſa, qui hîc potentia cæteris antecelluerunt ad incorrupti judicis inevitabilem ſententiam, ita quiſque meſſurus eſt, ut hîc ſementem fecerit, neque quiſquam elapſurus eſt, quin aut pro benefactis coronam referat æternæ beatitudinis, aut pro malefactis perennibus gehennæ ſuppliciis dedatur, quam horum, quibus undique ſecundæ res, quibus hominum applauſus, & præſentium rerum amorem, & futurorum oblivionem ſuadent? Quibus penitius impreſſum eſſe refert, à Chriſto denuntiatum? *Væ divitibus ac potentibus, qui ſolatium habent in hoc ſeculo:* quam his, quibus omnium rerum copia, quæ ſolent evirare mortalium animos, affatim adeſt? Quibus magis inculcatum eſſe par eſt, ſuum cuique creditum talentum in lucrum Domini, rationem ab omnibus exacturi, ſollicite diſpenſandum eſſe, quam his, quibus ob potentiam à Deo traditam in manu eſt, vel plurimum prodeſſe, vel plurimum nocere rebus mortalium? Quibus oportet certius eſſe perſuaſum, homines quamlibet magnos ac ſublimes ex ſeſe nihil poſſe, ſed omnia, quæ vere bona ſunt omnibus, à Chriſto proficiſci, ab illo petendum, quicquid Chriſtianis votis optari poteſt, ad illum unum referendam omnium rerum bene geſtarum gloriam, quam his, quibus ob ea bona, quæ Chriſtus docuit eſſe ſpernenda, mundus applaudit ut felicibus, quos ob inania quædam bonorum ſimulacra, vulgus hominum tantum non ut Deos adorat ac ſuſpicit? Quibus magis oportet eſſe perſuaſum, ferociam eſſe Deo inviſam, injuriam non eſſe retaliandam injuria, nihil eſſe pace melius, nihil manſuetudine clementiaque Deo gratius, quam his, quos tot res quotidie ad tumultus, ad bella, ad vindictam ſollicitant? Quorum mentibus convenit intimius impreſſum eſſe, nec vitæ cupiditate, nec mortis metu deflectendum ab honeſto, nec in hac vita cuiquam pro benefactis ſperandum eſſe præmium, quum in futuro ſeculo nulli ſua merces ſit defutura, quam Principum, quos tot illecebræ, tot rerum tumultus, tot occaſiones identidem ad inhoneſta ſollicitant? Talis nimirum animus, unde pendet orbis publica vel felicitas, vel calamitas, gravibus ac ſolidis Philoſophiæ decretis munitus ſit oportet, quo poſſit erectus & illabefactus adverſus omnes hujus mundi machinas ſubſiſtere. Sed hujuſmodi dogmata, quæ, veluti ſaburra navim, ita non ſinunt animum, fortunæ rerumque fluctibus jactari, non aliunde, nec melius, nec certius, nec efficacius hauriuntur, quam ex Euangelicis litteris. Quod ſi Princeps profanus, quoniam in craſſioribus negotiis plerunque verſatur, & ob publicam tranquillitatem tuendam, non ſemper ea poteſt obtinere, quæ perſpicit eſſe rectiſſima: tamen hoc illi certe præſtabit ſemel hauſta penitus Euangelica Philoſophia, ut quantum poteſt ſemper ad ea, quæ Chriſti præceptis ſunt proxima, nitatur, & quam minimum à ſcopo deflectat. Id quum in omnibus optemus, qui res humanas in terris moderantur, tamen in te, Ferdinande, magnopere ſperamus etiam, ut quem noverimus à primis annis mire propenſum ad Euangelicæ lectionis amorem: quippe qui non ſolitus ſis hoc temporis, quo ſacrum peragit Sacerdos, vel ſuperſtitioſis precatiunculis, vel frivolis alloquiis terere: quemadmodum plerique magnatum ſolent, ſed aperto codice Euangelico reverenter inſpicere, quid doceret ejus diei vel Epiſtola, vel Euangelium. Nec dubitamus, quin iſti pueritiæ tuæ ſpecimini multum adjecerit ætatis acceſſio. Nec mediocris ſpes eſt, futurum, ut tuum iſtud exemplum quam plurimi mortalium paſſim æmulentur. Etenim ut vitiorum contagia faciſſime ſerpunt ad plurimos, à ſummatibus viris profecta: ita virtutis exemplum celerrime commendatur omnibus, ſi à claris auctoribus fuerit exortum.

Quan-

Digitized by Google

Quanta fuerit olim Euangelicæ doctrinæ majeſtas, vel ritus illi, quos ex antiquitate traditos etiamnum ſervat Eccleſia, docere nos poterunt. Codex habetur auro, ebore, gemmis pulchre ornatus: inter ſacra religioſe ſervatur, non ſine veneratione ponitur aut ſumitur. Petitur à Sacerdote pronuntiandi facultas: fit ſacer è thure, ſtacte, myrrha, & galbano ſuffitus: frontes & pectora ſignantur crucis imagine: ſubmiſſis cervicibus defertur gloria Domino: aſſurgitur ab omnibus: adſtatur erecto corpore, nudatis capitibus, arrectis auribus, venerabundis oculis. Ad Jeſu nomen quoties incidit, curvantur genua: mox magna religione pectori admotus codex circumfertur, oſculo ſingulorum adorandus, tandem inter ſacra reverenter reponitur. Hæ ceremoniæ, quid aliud nobis loquuntur, quid aliud monent, quam nihil oportere Chriſtianis antiquius eſſe, nihil carius, nihil venerabilius, quam cœleſtem illam Philoſophiam, quam omnibus Chriſtus ipſe tradidit: quam tot jam ſeculis totius orbis conſenſus comprobavit, quæ ſola nos reddit adverſus hunc mundum, & hujus mundi principem, invictos? Sed quemadmodum optimo jure reprehenditur Judæorum inanis ac præpoſtera religio, qui Legis ſuæ codicem mira veneratione proſequuntur: ſubſternunt mundiſſima lintea, procidunt, adorant, non contrectant niſi puris manibus, quum ea, quæ præcipue Lex docet, impie negligant: ita nobis curandum eſt, ne quam ſumus in ceremoniis religioſi cultores Euangelii, tam reperiamur in non obſervando profani. Quorſum enim attinet codex ebore, argento, auro, ſerico, gemmis exornatus, ſi noſtra vita ſordibus vitiorum, quæ exſecratur Euangelium, oblita ſit: ſi animus noſter nullis Euangelicis virtutibus niteat? Quid prodeſt liber admotus pectori, ſi quod docet, procul abeſt à pectore: ſi quod damnat, regnat in pectore? Quid ſibi vult ſuffitus odoratus, ſi nobis ſordet illius doctrina, ſi noſtra vita odor eſt lethalis? Quid prodeſt ſubmiſſa ad codicem cervix, ſi noſtræ cupiditates erectis cervicibus pugnant adverſus ejus præcepta? Quid confert aſſurrexiſſe, nudo vertice adſtitiſſe, ſi tota vita noſtra talis eſt, ut palam Euangelicæ doctrinæ contemtum præ ſe ferat? Qua fronte codicem exoſculatur Euangelicum, qui libidini, qui avaritiæ, qui ambitioni, qui gulæ, qui iracundiæ ſerviens, conſpuit Euangelica monita? Qua fronte dat oſculum libro, nihil aliud docenti quam pacem, quam manſuetudinem, quam caritatem: qui contemta Chriſti doctrina, totus livore tabeſcit, odio madet, ira fervet, ulciſcendi libidine fertur, rapitur, furit in proximum ſuum: qui dum ſuo morem gerit animo, furialibus bellis miſcet orbem? Quo ore complectitur & adorat Euangelicum codicem, qui totis vitæ ſtudiis huic mundo fœderatus eſt, quem velut hoſtem exſecratur Euangelica Philoſophia? Puris manibus ac religioſe contrectamus Euangelicum codicem, & impuris animis deſpicimus Euangelica præcepta? Quin hæc magis admovemus pectori, hæc exoſculamur animo, his cervicem inflectimus? Quidam etiam Euangelii ſecundum Joannem partem deſcriptam de collo ſuſpenſam circumferunt adverſus morbos, aut triſtes alioqui caſus, remedium. Quin magis Euangelii doctrinam animo circumferimus, adverſus omnes vitiorum morbos remedio futuram? Non improbo ceremonias, non exagito vulgi ſimplicis religionem; ſed tum demum iſta fuerint nobis uſui, ſi quod ſignis viſibilibus admonemur, re præſtiterimus. Si vere Chriſtiani ſumus, hoc eſt, ſi legitimi Euangelicæ doctrinæ profeſſores, totum hoc, quod illic foris geritur, intus in animis noſtris peragatur. Audio morem eſſe apud quoſdam, ut Princeps nudatum enſem manu tenens adſtet Euangelicæ lectioni, cæteri manu capulo admota. Quo pacto autem gladio defendet Euangelium, cujus animus hoſtis eſt Euangelii: qui totus ſpirat mundum: cui nihil contemtius quam nobile illud margaritum Euangelicum: cui nihil inviſius, quam id quod ſolum Chriſtus docuit expetendum? Qui populum expilat: qui tenues opprimit: qui bellis res humanas ac divinas miſcet: qui tot malis cauſam præbet: in cujus ambitionem tantum humani ſanguinis funditur, enſem vibrat, quo defendat Euangelium Chriſti? Prius ipſe ſe reconciliet Euangelio: prius Euangelico gladio pravas cupiditates reſecet ab animo ſuo: tum, ſi videbitur, in hoſtes Euangelii minax ſtringat ferrum.

Et hæc quidem, Illuſtriſſime Princeps, admonendi gratia dicta ſunto, citra cujuſquam contumeliam. Rem tantum oſtendimus, non notamus perſonas: & hoc liberius hæc ſcribimus, quod in tuam integritatem ne levis quidem horum malorum ſuſpicio poſſit competere. Neminem ſecundum Epiſcopos magis decet Euangelica religio, quam Principes. Sed horum ſimplicitas ſæpenumero fallitur religionis imagine. Siquidem perſuaſi nonnunquam ab his, qui perfectæ religionis profeſſione commendantur, exiſtimant ſummam eſſe pietatem, ſi quotidie precum, quas horarias vocant, penſum abſolvant: ſi nullus dies abeat abſque ſacro. Atque hæc quidem, ut in profano ſimul & juvene Principe, fateor argumentum aliquod eſſe piæ mentis, ita permulta ſunt, quæ propius ad Chriſtiani Principis officium attinent. Etenim ſi proſpiciat, ne belli tempeſtas oriatur, ne publica libertas violetur, ne populus tenuis ad famem adigatur, ne Magiſtratus corrupti creentur, mea quidem ſententia, ſacrum Deo gratius obtulerit, quam ſi ſex annis recenſuerit preculas illas. Et tamen hoc quoque laudo, ſi modo quod eſt præcipuum acceſſerit. Cæterum ſi Princeps exiſtimet nihil ſibi deeſſe ad veram pietatem, fretus obſervatione talium rerum, neglectis aliis, quæ propria ſunt regiæ functionis, hæc nimirum vera peſtis eſt religionis, hæc eſt Reipublicæ pernicies: & qui talia perſuadent, nec Principibus bene conſulunt, nec populo. Pium eſt adeſſe ſacro, ſi quis modo purus accedat. At quo pacto purus accedam ad commemorationem illius veri ſummique Principis, qui pro ſalute ſuorum vitam impendit: ſi ob iram, ſi ob ambitionem, ſi ob ſocordiam meam tot hominum millia vel affliguntur, vel intereunt? Nec * dicam interim, quod vix ullum tempus magis vacuum, minuſque ſollicitum eſt Principibus, quam quo vacant rei divinæ. Quid autem magni eſt preces illas ſtatis horis dictas eſſe Principi, cui nullum tempus ſatis magnum curandis Reipublicæ negotiis? Abunde multum precatus fuerit, ſi quotidie recenſeat & ex animo recenſeat illam ſapientiſſimi juvenis precationem: *Domine, da mihi ſapientiam & intelligentiam, ut ingrediar & egrediar coram populo tuo.* Aut huic ſimillimam, quam idem, ni fallor, recitat in libro, cui titulus, *Sapientia: Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, ut mecum ſit, & mecum laboret, ut ſciam quid acceptum ſit apud te. Scit enim illa, & intelligit omnia, & deducet me in operibus meis ſobrie, & cuſtodiet me in ſua potentia, & erunt accepta opera mea, & diſponam populum tuum juſte, & ero dignus ſedium patris mei. Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum Sanctum tuum de altiſſimis: & ſic correcta fuerint ſemita eorum qui ſunt in terris, & quæ tibi placent, didicerint homines?* Atque hanc ſapientiam, quam optat ſapientiſſimus ille juvenis, maxime reperire licet in litteris Euangelicis, ſi quis ex animo, ſi quis pia curioſitate rimetur. Alioqui quî factum eſt ut Chriſtianorum mores, partim in vitam pluſquam Ethnicam reciderint, partim in Judaiſmum quendam degenerarint, niſi ex Euangelicæ doctrinæ neglectu? Quanquam, ut ingenue fatear, nullis ſeculis defuerunt, apud quos Euangelio ſuus conſtiterit honos, ſed tamen his annis quadringentis vigor illius apud pleroſque refrixerat. Quo magis omnibus ſtudiis adnitendum, ut igniculum illum pro ſua quiſque virili ἀναζωπυρῶμεν, quem æterna veritas Dominus noſter Jeſus miſit in terram: nec aliud optat, quam vehementer accendi, quam latiſſime vagantem omnia corripere. In moribus ſeculi tam corruptis, in tantis opinionum diſſidiis, quibus nunc miſcentur omnia: quo potius

* Alia Editio, *Ne.*

Digitized by Google

tius confugiendum eſt, quam, quod recte monet divus Hilarius, ad puriſſimos divinæ Scripturæ fontes, quorum puriſſima & illibatiſſima pars ſunt Euangelia? Neque vero debet Monarchis hoc nomine ſuſpectum eſſe Euangelium, quod, ut quidam jactitant, ſeditioſos reddat eos, quos oportet Principibus dicto audientes eſſe: imo Principibus hoc præſtat, ut pro tyrannis ſint veri Principes; & populo præſtat, ut bono Principi libentius obtemperet, parum commodum manſuetius ferat. Denique non debet Euangelio verti vitio, ſi quis re per ſe optima non optime utatur. Pacis Euangelium dicitur, primum Deo nos reconcilians, deinde nos inter nos mutua concordia copulans. Si quis in hunc lapidem impegerit, ſibi imputet, non Euangelio. Nulla vis eſt hominum, nullum ingenium, nulla conſpiratio, quæ veritatem Euangelicam poſſit opprimere, tum potiſſimum exſerentem ſeſe, quum maxime premitur.

Sed hiſce de rebus vereor ne jam plus ſatis dictum ſit. Nunc quo majore cum fructu legatur, de auctoris conſilio pauca loquutus, finem faciam. Cum vita doctrinaque Domini Jeſu Chriſti, jam Apoſtolorum prædicatione, ac cæterorum Euangeliſtarum litteris late per orbem eſſet divulgata, Joannes, ille Jeſu amore nobilis, poſtremus omnium hoc Euangelium ſcribendum ſuſcepit: non tam ut Euangelicam texeret hiſtoriam, quam ut quædam ab aliis Euangeliſtis prætermiſſa ſuppleret, quum non indigna cognitu viderentur. Præcipuam autem cauſam fuiſſe putant, cur ſcripſerit hoc Euangelium, ut Chriſti divinitatem aſſereret adverſus hæreſes, jam tum velut malam zizaniam in bona ſegete ſuppullulantem*: ſed præcipue Cerinthianorum & Ebionitarum, qui præter alios errores, docebant Chriſtum nihil aliud fuiſſe quam hominem: nec omnino fuiſſe prius quam de Maria naſceretur. Expediebat autem in primis, ut orbis ſciret & crederet Chriſtum eundem & verum Deum, & verum hominem fuiſſe. Quorum poſterius primum † ad amorem hominum in illum excitandum facit: libentius enim amamus nobis cognata: deinde ſtimulos ad imitandum acriores ſubjicit. Quis enim conetur æmulari, quod ab Angelo per ſpeciem modo, non etiam vere geſtum eſſet? Porro quoniam ut ſunt ardua quæ præcipit, ita ſumma ſunt quæ promittit, oportebat non ignorari divinam ejuſdem naturam, ut confidamus, illum haud dubie præſidio futurum ſuis, quos ſic dilexit: nec fruſtraturum in promiſſis, qui quicquid vult, nutu poſſit efficere. Superiores autem Euangeliſtæ de Divinitate Domini Jeſu pene nihil attigerant. Nam hanc opinor eſſe ſapientiam, quam Paulus loquebatur inter perfectos: inter cæteros nihil ſe ſcire profitens, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Forte nondum ferebat tempus tam ineffabile myſterium vulgo litteris prodere, ne rideretur ab impiis, quod nec credere poſſent, nec intelligere. Quanquam & alioqui Veteres omnes quoties de rebus divinis verba faciunt, & parciſſime & religioſe loquuntur: copioſiores in his, quæ magis conducunt ad vitæ pietatem. Hæreticorum itaque temeritate Apoſtolus compulſus eſt, apertius aſſerere Chriſto divinam naturam: quemadmodum Arianorum audacia compulſi ſunt orthodoxi Patres certiora quædam de rebus iiſdem definire, quum maluerint ab ejuſmodi rebus definiendis abſtinere, quæ & longe ſuperant humani captum ingenii, nec niſi magno periculo definiuntur. Atque hæc pars merito beato Joanni relicta eſt, Jeſu ἀγαπητῷ καὶ ἐρασμίῳ, quem ut ille, qui fons eſt omnis ſapientiæ, præ cæteris magis dilexit, ita credendum eſt, quod plenius arcana quædam ſuis, ut ita loquar, delitiis inſpirarit. Hunc igitur χειροφίλον imbibamus omnes, ut & ipſi φιλόχριστοι fieri mereamur. Tantum illud lectorem admonitum eſſe volo, me quidem in hoc Opere probatiſſimos Eccleſiæ Doctores ſequutum fuiſſe: verum nec paſſim, nec in omnibus, quandoquidem & ipſi inter ſeſe non raro diſſentiunt: ſemper tamen bona fide profero, quod mihi germani ſenſus eſſe videbatur, quum perſpicerem ab auctoribus vetuſtis, contra hæreticorum opiniones dimicantibus, quædam violentius detorqueri. Nolim tamen ut quiſquam huic Paraphraſi plus tribuat, quam tributurus erat commentario, ſi commentarium ſcripſiſſem, quanquam & Paraphraſis commentarii genus eſt. Allegorias, in quibus video Veterum quoſdam ad ſuperſtitionem uſque fuiſſe diligentes, parcius, nec ultra quam ſatis eſſe judicabam, attigi. Valeto, Princeps ornatiſſime, totiſque ſtudiis Euangelii gloriæ faveto, ſic Chriſtus Opt. Max. viciſſim tuis votis dexter adſpiret. Baſilea, 5. Januarii. Anno 1523.

* Alia Editio, *ſuppullulantes.* † Eadem *plurimum.*

VITA SANCTI JOANNIS
PER DIVVM HIERONYMVM.

JOANNES Apoſtolus, quem Jeſus amavit plurimum, filius Zebedæi, frater Jacobi Apoſtoli, quem Herodes poſt paſſionem Domini decollaverat, noviſſimus omnium ſcripſit Euangelium: rogatus ab Aſiæ Epiſcopis adverſus Cerinthum, alioſque hæreticos, & maxime Ebionitarum dogma conſurgens, qui aſſerunt Chriſtum ante Mariam non fuiſſe. Unde & compulſus eſt divinam ejus nativitatem edicere. Sed & aliam cauſam hujus ſcripturæ ferunt: quod quum legiſſet Matthæi, Marci & Lucæ volumina, probaverit quidem textum hiſtoriæ, & vera eos dixiſſe firmaverit, ſed unius tantum anni, in quo & paſſus eſt, poſt carcerem Joannis hiſtoriam texuiſſe. Prætermiſſo itaque anno, cujus acta à tribus expoſita fuerant, ſuperioris temporis antequam Joannes clauderetur in carcerem, geſta narravit: ſicut manifeſtum eſſe poterit iis, qui diligenter quatuor Euangeliorum volumina legerint. Quæ res etiam διαφωνίαν, quæ videtur Joannis eſſe cum cæteris, tollit. Scripſit autem & unam Epiſtolam, cujus exordium eſt: Quod fuit ab initio, quod audivimus & vidimus oculis noſtris: quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ: *quæ ab univerſis eccleſiaſticis & eruditis viris probatur. Reliquæ autem duæ, quarum principium eſt:* Senior electæ dominæ & natis ejus, *& ſequentis:* Senior Cajo chariſſimo, quem ego diligo in veritate: *Joannis presbyteri aſſeruntur, cujus & hodie alterum ſepulchrum apud Epheſum oſtenditur, & nonnulli putant duas memorias ejuſdem Joannis Euangeliſtæ eſſe, ſuper qua re, quum per ordinem ad Papiam auditorem ejus ventum fuerit, diſſeremus. Quartodecimo igitur anno, ſecundam poſt Neronem perſequutionem movente Domitiano, in Pathmum inſulam relegatus, ſcripſit Apocalypſim, quam interpretantur Juſtinus Martyr & Irenæus. Interfecto autem Domitiano, & actis ejus ob nimiam crudelitatem à Senatu reſciſſis, ſub Nerva Principe redit Epheſum, ibique uſque ad Trajanum Principem perſeverans, totas Aſiæ fundavit rexitque eccleſias, & confectus ſenio, ſexageſimo octavo poſt paſſionem Domini anno mortuus, juxta eandem urbem ſepultus eſt.*

IN

Digitized by Google

IN EVANGELIVM JOANNIS PARAPHRASIS,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

CAP I.

Æternus caro fit: teſtatur præco: rogatur: Monſtrat: ſejungit par tibi, Chriſte, duplex.

[1] *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.*

NATVRA divina quoniam in immenſum ſuperat imbecillitatem humani ingenii, quamlibet alioqui felicis ac perſpicacis: nec ſenſibus noſtris, ut eſt, poteſt percipi: nec animo concipi, nec imaginatione fingi, nec verbis explicari: quanquam autem in rebus conditis veſtigia quædam ſublucent divinæ potentiæ, ſapientiæ, ac bonitatis: fit quidem ut ſimilitudines ductæ ab his rebus, quas utcunque ſenſibus ingenioque complectimur, adducant nos in tenuem aliquam, & umbraticam rerum incomprehenſibilium cognitionem: ut eas veluti per ſomnium ac nebulam utcunque contemplemur: nulla tamen ſimilitudo duci poteſt à rebus ullis conditis, ſive ſpectes Angelos, ſive cœlorum machinam, ſive hæc inferiora corpora, noſtris ſenſibus ita familiaria, ut tamen nec ipſa ad plenum à nobis comprehendi poſſint, quæ per omnia quadret ad rationem, ac naturam eorum, ad quorum cognitionem præſtandam illæ collationes adhibentur. Itaque convenit hominem huc omne ſtudium mentis intendere, ut amet Dei bonitatem, potius quam ut ſuſpiciat, aut comprehendat illius ſublimitatem, quam ne Cherubin quidem, aut Seraphim, ad plenum aſſequuntur. Et quanquam Deus in omnibus operibus non poteſt non eſſe mirabilis, tamen maluit nobis ob bonitatem amabilis haberi, quam ob celſitudinem ſtupendus. Cæterum plenior divinæ naturæ cognitio futuro ſeculo ſervatur his, qui hîc per innocentis vitæ pietatem purgarunt cordis oculos. *Nemo Patrem*, ut eſt, *novit, niſi Filius: & ſi cui Filius voluerit revelare.* Itaque rationibus humanis ſcrutari divinæ naturæ cognitionem, temeritas eſt: loqui de his, quæ nullis verbis explicari queunt, dementia eſt: definire, impietas eſt. Si quid hinc interim datur contueri, ſimplici fide comprehenditur verius, quam humanæ ſapientiæ præſidiis. Et ſatis eſt interim ad conſequendam ſalutem æternam, ea de Deo credere, quæ palam ipſe de ſe prodidit in ſacris Litteris, per ſelectos ad hoc viros, Spiritu ſuo afflatos: quæque poſt verſans in terris, ipſe diſcipulis aperuit: ac demum per Spiritum Sanctum iiſdem in hoc ſelectis diſcipulis patefacere dignatus eſt. Hæc ſimplici fide tenere, Chriſtiana Philoſophia eſt: hæc puro corde venerari, vera religio eſt: per hæc tendere ad cœleſtis vitæ meditationem, pietas eſt: in his perſeverare, victoria eſt: per hæc viciſſe, ſumma felicitatis eſt. Cæterum hominem ultra hæc humanis rationibus de rebus divinis veſtigare, periculoſæ cujuſdam atque impiæ audaciæ eſt. Quanquam autem ſatis eſſe videbatur, quod à cæteris Euangeliſtis, & ſermone fideli prædicatum eſt, & litteris proditum: qui nativitatem Jeſu Chriſti ſecundum carnem, vitam ac mortem ordine deſcribentes, aſſeruerunt illi veram hominis naturam: deinde recenſendis illius ſermonibus, commemorandis miraculis, ac reſurrectione ex mortuis, pro temporum illorum ratione, ſic declararunt ejuſdem naturam divinam, ſilentes interim de nativitate divina, qua ſine initio non enarrabili modo naſcitur à Patre, & à manifeſto Dei cognomine temperantes: ut & pios ac dociles non lateret veritas: nec infirmis ac rudibus Judæis daretur anſa reſiliendi ab Euangelica doctrina: qui hoc ex majorum traditione, atque ex ſacris etiam Moſi Voluminibus, ſibi penitus perſuaſum habebant, Dei vocabulum impie tribui, præterquam uni Deo, quem illi ſemper coluerant: nec gentibus, quæ Deos innumeros colebant, etiam ex hominibus Deos factos, præberetur occaſio perſiſtendi in errore ſacrilego, ſi ſenſiſſent etiam in Euangelicis litteris, Dei cognomen pluribus eſſe commune: quod Judæorum aures hujus incapaces myſterii, prorſus incommunicabile putantium, initio nullo pacto laturæ fuerant: & gentium animus, opinione multorum Deorum imbutus, non protinus perdoceri poterat, tres eſſe Perſonarum proprietate diſtinctos, quorum quiſque vere Deus eſſet, & tamen non niſi unus eſſet Deus, ob eandem naturam divinam tribus ex æquo communem. Sic autem viſum eſt Deo, ut quo firmior eſſet Euangelica fides, paulatim pro temporum profectu, atque hominum capacitate diſpenſaretur mortalium generi. Sic Judæorum natio multis ſeculis Deum Patrem religioſe coluit, Filii ac Spiritus Sancti ignara. Et ipſe Dei Filius, quum in terris mortale corpus circumferret, ac nobis teſtibus eſuriret, ſitiret, dormituriret, doleret, fleret, iraſceretur, miſereſceret, diu ſuſtinuit à ſuis etiam diſcipulis nihil aliud haberi, quam homo. Quin & poſt reſurrectionem quædam illos neſcire voluit. Ne per Spiritum Sanctum quidem patefecit omnia, ſed ea duntaxat, quæ faciebant ad perſuaſionem Euangelicæ doctrinæ, & ad ſalutem humani generis. Quum enim natura rerum divinarum ſummis etiam hominum, aut Angelorum ingeniis ſit incomprehenſibilis, & Euangelica profeſſio ad omnes mortales ex æquo pertineat, de rebus divinis tantum aperuit nobis per Filium ſuum Pater cœleſtis, quantum ſatis eſſe voluit ad conſequendam ſalutem. Itaque periculoſæ cujuſdam temeritatis eſt, quicquam affirmare de natura divina, præter ea, quæ nobis vel Chriſtus ipſe, vel Spiritus Sanctus aperuit. Sed quoniam his temporibus, ut crevit Euangelici ſermonis triticum in cordibus piorum, ita ſuccrevit & impiorum zizania: quorum exſecranda temeritas eo prorupit, ut quidam non veriti ſint Jeſu Chriſto adimere naturam humani corporis, pro homine ſpectrum inane, ac præſtigium hominis ſubjicientes: quidam è diverſo, divinam naturam eidem detraherent, mentientes tum demum cœpiſſe, quum naſceretur ex Maria virgine: quod excæcati terrenis affectibus, non aſſequerentur divini conſilii myſterium, quomodo Deus verus, hominem verum aſſumſerit, ut idem eſſet utrumque, neque quicquam interim decederet incommutabili naturæ divinæ, & conſtaret integritas naturæ humanæ: nonnulla explanatius prodemus hoc Euangelio, quantum Chriſti Spiritus nobis aperire dignatus eſt, quantumque ſatis ipſe judicavit ad ſalutem conſequendam, per fidem Euangelicam.

[2] Porro quemadmodum dicere cœperam, ut rerum nec intelligibilium cuiquam, nec explicabilium aliquam cognitionem impartiamus, abutendum eſt vocabulis rerum noſtro ſenſui familiarium, quum nihil uſquam ſit in omnibus rebus conditis, unde duci poſſit comparatio, quæ ad unguem quadret ad veritatem naturæ divinæ. Itaque quemadmodum arca-

[2] *Hoc erat in principio apud Deum.*

Digitized by Google

næ Litteræ ſummam illam mentem, quã nihil cogitari poteſt neque majus, neque melius, Deum vocant: ita hujus Filium unicum, ſermonem illius appellant. Filius enim quum non ſit idem qui Pater, tamen ſimilitudine Patrem quaſi refert, ut utrumque in altero liceat intueri, Patrem in Filio, Filium in Patre. Sed gignentis ac geniti ſimilitudo, quæ in humana generatione multis modis imperfecta eſt, in Deo Patre & hujus Filio perfectiſſima eſt. Nec eſt alia res, quæ plenius & evidentius exprimat occultam mentis imaginem, quam oratio non mendax. Hæc enim vere ſpeculum eſt animi, qui corporeis oculis cerni non poteſt. Quod ſi cui volumus animi noſtri voluntatem eſſe cognitam, nulla re certius id fit, aut celerius, quam oratione, quæ ex intimis mentis arcanis depromta, per aures audientis, occulta quadam energia, animum loquentis transfert in animum auditoris. Nec eſt alia res inter mortales efficacior ad omnem animorum motum excitandum, quam oratio. Quod ſi adſit auctoritas, oratione compendio præſcribitur, quid fieri velimus. Filius itaque dicitur, quod cæteris omnibus par ei unde naſcitur, ſola perſonæ propietate diſcernitur. Sermo dicitur, quod per hunc Deus, qui in ſuapte natura nulla ratione comprehendi poteſt, nobis voluit innoteſcere: nec aliam ob cauſam voluit innoteſcere, niſi ut ex ipſius cognitione felicitatem æternam aſſequeremur. Non eſt hæc temporaria nativitas, nec ſermo ſimilis humano. Nihil corporeum eſt in Deo, nihil tempore fluidum, aut loco circumſcriptum: neque quicquam omnino initio, progreſſui, ſenio, aut ulli mutationi obnoxium. Totus ac ſemper in ſe eſt: & qualis eſt ipſe, talis ab eo ſemper naſcitur Filius, æternus ab æterno, omnipotens ab omnipotente, optimus ab optimo: denique Deus à Deo, nec poſterior ſe gignente, nec inferior: æternæ mentis ſermo æternus, quo ſibi ſemper velut arcana cogitatione loquitur Pater, etiam ante conditum hunc mundum: nulli notus, niſi ſibi uni & Filio. Sibi nunquam non genuit Filium: ſibi nunquam non promſit ſermonem omnipotentem. Non egebat ille rebus conditis, cujus felicitati nihil poteſt accedere, ſed ex ſua nativa bonitate condidit univerſam hanc mundi machinam, & in hac mentes Angelicas, & humanum genus velut ex Angelis ac pecudibus medium, ut ex rebus mirifice conditis, atque etiam ex ſeipſo potentiam, pietatem, ac bonitatem opificis colligeret.

3 Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt.

3 Quemadmodum autem ſi quis eſſet Rex omnipotens, quicquid is fieri juberet, id protinus factum eſſet: ita Pater vere omnipotens per Filium ac ſermonem ſuum condidit univerſa. Atque hac ratione primum depromſit ſermonem ſuum, per quem nobis veluti loquutus innoteſceret: ſeſeque per admirationem pulcherrimæ machinæ cognitum, in affectus noſtros inſinuaret. Multum igitur aberrant à vero, qui Dei ſermonem ſic putant eſſe poſteriorem eo qui promit, quemadmodum apud nos mens antiquior eſt proloquio: quique Dei ſermonem, quo Pater Deus condidit univerſa, numerant inter res conditas. Sed craſſior eſt illorum error, qui tum demum arbitrantur Dei Filium, ac ſermonem eſſe cœpiſſe, quum corporeus è virgine Maria naſceretur. Quicquid creatum eſt, initium ſumſit in tempore; ſed Filius Dei bis natus eſt, ſemel à Patre ante tempora, vel potius ſine tempore: ex Deo vero, verus Deus: rurſus tempore ab æterno deſtinato, ex Maria virgine, ex homine, verus homo. Nam hoc modo viſum eſt Deo, nobis rurſum depromere ſermonem ſuum, ut craſſius ac familiarius noſci poſſet. Impius igitur eſt, qui contendit Jeſum Chriſtum nihil aliud fuiſſe quam hominem, aut qui contendit eum inter cæteras creaturas fuiſſe conditum. Eundem Filium aliter genuit Pater: eundem ſermonem aliter depromſit: ſemel in tempore, ſed ſemper extra tempus omne. Nam antequam hæc univerſitas rerum terreſtrium ac cœleſtium conderetur, jam cum Patre æterno, ſermo erat æternus, atque hic ſermo ſic prodibat à Patre, ut nunquam à Patre diſcederet. Sic erat individuſæ naturæ cum Patre, ut juxta perſonæ proprietatem eſſet apud Patrem: nec ſic adhærebat Patri, quemadmodum accidens adhæret ſubſtantiæ, ſed Deus erat ex Deo, Deus erat in Deo, Deus erat apud Deum, ob communem utriuſque Divinitatis naturam. Duos per omnia pares nulla res diſcernebat, niſi proprietas gignentis & naſcentis, proloquentis ac depromti proloquii. Sicut erat Filius unigenitus ab unico Patre, ſic erat unicus ſermo ab unico promente. Et quanquam hic ſermo erat Deus omnipotens ex omnipotente, tamen perſonæ proprietate diſcretus, non naturæ diſſimilitudine, erat apud Deum Patrem: non in tempore prolatus, ſed ante omnia tempora ſemper ita proficiſcens à mente paterna, ut tamen ab ea nunquam recedat. Neque conditus eſt à Patre, ſed per hunc ſibi coæternum ſermonem ſuum Pater condidit univerſa, quæcunque condita ſunt, ſive viſibilia, ſive inviſibilia: per eundem gubernat univerſa, per eundem inſtauravit univerſa: non velut inſtrumento utens, aut miniſtro, ſed ut ejuſdem naturæ, ejuſdemque virtutis Filio: ut ex Patre velut auctore ſummo prodirent omnia quæcunque ſunt, ſed per Filium, quem ſibi per omnia parem ab æterno genuerat, ac ſine fine gignit.

4 In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum:

4 Nec ſolum in hoc Dei ſermone vis erat, nutu ſuo condendi rerum viſibilium & inviſibilium univerſitatem, verum etiam in eodem erat vita vigorque omnium quæ condita fuerant, ut per eundem unumquodque nativo ſuo vigore ageret, ſeſeque vi ſemel inſita, perpetua propagatione tueretur. Nihil enim eſt otioſum aut iners in tanta rerum multitudine. Sua cuique herbæ atque arbori vis indita: ſuum cuique animanti ingenium eſt. Sed quemadmodum omnia, quæ condidit, ſua providentia vi quadam inſititia inſtruxit ad actum cuique peculiarem, & ad perpetuitatem ſui generis: ita non reliquit pulcherrimam hujus mundi fabricam abſque lumine. Siquidem ut eſt fons vitæ omnibus, ita eſt & fons lucis, nimirum Patre per æternam nativitatem in eum transfundente naturæ divinæ plenitudinem, adeo ut ſolus vitam reſtituat etiam mortuis, & animorum quamlibet denſam noctem luce ſua diſpellat.

5 Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.

5 Quod igitur Sol eſt rebus corporeis, hoc ſermo divinus, qui eſt Chriſtus Jeſus, eſt mentibus mortalium, quibus per peccatum in altiſſimas tenebras & mortem collapſis, ineffabili caritate ſuccurrere ſtuduit. Prius enim vivebant homines in ignorantia, peccatorumque tenebris verſantes, mutas ſtatuas pro Deo vivo colentes, cæcis animorum cupiditatibus turpiter immerſi, nec habebant cordis oculos, quibus æterna veritas conſpicitur. Inſperſerat Deus animis hominum ſcintillulam aliquam ingenii perſpicacis: ſed hanc affectus corporales, & vitiorum tenebræ obcæcaverant. Ac prorſus tanta erat hujus mundi caligo, ut nec humana philoſophia, nec Moſaicæ Legis religio, nec Prophetarum faces, hanc diſcutere quiverint. Tandem venit Sol ille noſter æternus, cujus invincibili luci, nulla caligo non cedit. Venit autem ut vitam reſtitueret omnibus hominibus: non Judæis tantum, ſed univerſis orbis nationibus, & peccatorum abſterſa caligine, redderet omnibus oculos, ut per fidei lumen agnoſcerent Deum Patrem ſolum colendum, ac diligendum, & hujus unicum Filium Jeſum Chriſtum. Sol hic corporeus non lucet omnibus: habet enim ſuas vices: verum hæc lux ſua genuina vi lucet etiam in craſſiſſimis mundi tenebris, omnibus ſeſe offerens, ut reviviſcant & videant æternæ ſalutis viam, quæ nulli non patet per fidem Euangelicam. Et quanquam mundus excæcatus peccatorum ſordibus, & cupiditatum

tatum turpium caligine nolit adſpicere lumen hoc, tamen nullis hujus mundi, quantumvis denſis, tenebris inquinari potuit. Solus enim ille purus erat ab omni vitiorum inquinamento: nec aliud erat, quam lux undique pura & illibata. Pugnant enim aſſidue hujus mundi tenebræ adverſus lucem, quam odit, ut operum ſuorum proditricem, & multorum radios vel exſtinguunt, vel obſcurant: ſed adverſus hanc vivam & æternam lucem nihil valuerunt. Tumultuatum eſt à Judæis, à Philoſophis ac potentibus: ab his qui ſeſe rebus caducis totos dediderunt, ſed vincit lux iſta: lucet adhuc in mediis mundi tenebris, ſemperque lucebit, nulli non ſe communicans, qui modo ſeſe præbeat lucis capacem.

6 Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Joannes.

6 Quid autem facias his, qui ſcientes ac volentes lucem oblatam ab ſe depellunt? qui invitati ad lucem, ultro claudunt oculos ne videant? Certe nihil ab ipſo factum non eſt, uti ne quiſquam eſſet expers ſui luminis. Non enim ingeſſit ſe ſubito mortalium oculis, ne magis etiam illos exocularet ob incredulitatem. Quis namque rem tam admirandam credidiſſet, niſi paulatim multis modis præparaſſet hominum mentes ad credulitatem? Itaque non contentus hac admirabili mundi fabrica declaraſſe mortalibus, & omnipotentiam ſuam, ſapientiamque, & bonitatem immenſam, atque eximiam erga genus hominum caritatem: nec contentus tot Prophetarum oraculis, tot vetuſtæ Legis ſimulacris ac figuris, veluti præludere adventum ſuum: denique miſit virum omnibus Prophetis excellentiorem, cui nomen erat Joannes: qui tametſi primam ſanctimoniæ laudem meruit inter homines ad id ætatis uſque natos, atque ob muneris pluſquam prophetici dignitatem Angelus dictus eſt, tamen nihil aliud erat quam homo, plurimis quidem Dei donis largiter inſtructus, ſed quæ divinæ liberalitatis eſſent, non naturæ ſemel impartitæ.

7 Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.

7 Hic tamen in hoc delectus ac miſſus eſt à Deo, ut juxta prophetiam, quæ de ipſo præceſſerat, teſtimonium præberet de illo lumine divino, quod humano corpore diſſimulatum verſabatur in mundo: non quod qui Deus eſſet, & paterna voce prædicatus eſt, opus haberet hominis teſtimonio, ſed ut omnibus modis ſeſe inſinuaret in credulitatem mortalium, Joannem voluit eſſe præcurſorem lucis, quemadmodum Lucifer Solis exortum prævius nuntiat mundo, ſuaque prædicatione præpararet animos hominum ad excipiendum lucem jamjam venturam. Quoniam autem peccata obſtant, quo minus admittatur lumen cœleſte, invitavit Joannes ad pœnitentiam, clamans inſtare regnum cœlorum. Primus enim ad lucem gradus eſt, odiſſe tenebras ſuas.

8 Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine.

8 Erat autem hic Joannes, ob eximiam vitæ ſanctimoniam, tantæ apud Judæos auctoritatis, ut à pleriſque Chriſtus haberetur: quo magis voluit hujus teſtimonio pro tempore commendari Judæis, ut ſenſim humano more irreperet in animos hominum. Alioqui ſolet qui minor eſt, majoris teſtimonio commendari. Promiſerat autem Eſaias, Chriſto veniente lucem quandam eximiam exorituram his, qui verſabantur in tenebris & umbra mortis. Itaque priuſquam Chriſtus inclaruiſſet miraculis, multi ſuſpicabantur Joannem eſſe lucem illam à Propheta promiſſam: verum præco tantum veræ lucis erat Joannes, non ipſa lux. Chriſtus igitur pro temporis diſpenſatione abuſus eſt errore Judæorum, & auctoritate Joannis, ad animos omnium Euangelicæ fidei præparandos.

9 Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

9 Erat quidem Joannes lux quædam, nimirum *lucerna ardens, & lucens:* ardens pietate, lucens vitæ ſanctimonia: ſed non erat illa lux, quæ toti mundo vitam adferret: verum Sermo Dei, de quo nobis in præſentia ſermo eſt, erat illa lux vera, ſemper manans à Deo Patre, fonte lucis omnis, unde lumen mutuatur, quicquid lucet in cœlis & in terris. Sive inter homines, ſive inter Angelos, ſi qua ſcintilla ingenii, ſi qua cognitio veri, ſi quod fidei lumen, ab hoc fonte proficiſcitur. Quemadmodum abſque Sole cæcus eſt hic mundus, ita abſque hac luce caligant univerſa. Mundus autem ubique regnante peccato, & abominandis erroribus, undique tenebricoſus erat. Et in his tenebris ſubinde emicuerunt viri ſanctimonia præcellentes, veluti ſtellulæ in denſiſſima noctium caligine, ac ceu per nebulam, lucis nonnihil oſtenderunt, ſed Judæis tantum, aut Judææ finitimis: verum hæc lux vera, lucem impartit non uni tantum nationi, ſed omnibus hominibus prodeuntibus in hujus mundi tenebras. Judæi lucem hanc ſibi proprie vindicare ſunt conati, quod his proprie videretur promiſſa, quod ex iiſdem, & apud eoſdem juxta carnem exorta: ſed illa venerat, ut per Euangelicam fidem illuceſceret cordibus omnium totius orbis nationum. Non excluditur Scytha, non Judæus, non Hiſpanus, non Gothus, non Britannus; non Reges, non ſervi. Quantum eſt in ipſa luce, venit illuſtrandis omnibus. Quod ſi qui perſeverant in tenebris ſuis, non lucis eſt culpa, ſed ejus, qui perverſe tenebras amat, lucem horret. Lucet autem omnibus, ne quis excuſationem poſſit prætexere, quum volens ac ſciens ſuo vitio pereat: veluti ſi quis impingat in meridie, quod oculos nolit attollere.

10 In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit.

10 Semper hic ſermo Dei fuit in mundo: non quod qui immenſus eſt, ullo locorum ambitu contineatur: ſed ſic erat in mundo, quemadmodum ingenium opificis eſt in opere: quemadmodum gubernator eſt in eo, quod moderatur. Lucebat & tum hæc lux in mundo, per ea, quæ mirifice condita fuerant, virtutem, ſapientiam ac bonitatem divinam utcunque patefaciens, atque hac ratione tum etiam quodam modo loquebatur hominum generi. Sed plerique felicitatem ſuam in viſibilibus hujus mundi rebus collocantes, quos ob id merito Dominus Jeſus mundum appellare conſuevit, quum ipſe doceret æterna, excæcati cupiditatibus terrenis, non agnoverunt conditorem ſuum. Tanta erat caligo mentium, ut opificem mundi, mundus non agnoſceret: ſed ſerpentes, boves, hircos, porrum & cepe, imo quod his etiam vilius eſt, ligna ac lapides adorarent, eo contemto, unde quicquid erant, aut habebant, acceperant. Aſſueti tenebris, abhorrebant à luce: ac peccatis occæcati, pro vita mortem amplectebantur. Quin ubi familiarius ſeſe præberet mundo, humano corpore verſans & convivens inter homines, non eſt agnitus ab his, qui mundo huic ſe totos devoverant.

11 In propria venit, & ſui eum non receperunt.

11 Nec adeo mirum eſt, ſi Gentes idolorum cultores, & hujus vitæ commodis omnia metientes, Prophetarum ac Legis rudes, non agnoverunt humana ſpecie viventem. Illud magis mirandum, quod quum peculiariter ad ſuam gentem veniſſet, cui tot Prophetarum oraculis fuerat promiſſus Meſſias: cui tot figuris fuerat adumbratus: cui tot ſeculis fuerat exſpectatus: quæ vidit edentem miracula, quæ docentem audivit: tamen adeo non eſt receptus à ſuis, ut quibus ſervandis peculiariter venerat, efferatis animis exitium moliti ſint, & mortem machinarentur innoxio, qui gratis vitam afferebat nocentibus. Videntes non videbant, & audientes non audiebant, & intelligentes non intelligebant, qui perverſo ſtudio Legis cooriebantur in eum, quem Lex promiſerat. Horum igitur malitia factum eſt, ut lux, quæ credentibus afferebat vitam æternam, his majoris cæcitatis eſſet occaſio. Sed horum perverſitas non potuit officere ſaluti credentium. Imo Judaicæ gentis cæcitas, aditum patefecit Gentibus ad lucem Euangelicam. Qui hactenus habebantur populus Dei, qui veri Dei cultu, qui Legis religione, qui patrum cognatione, qui divini Teſtamenti promiſſis, ſoli gloriabantur, venientem Dei Filium averſati ſunt: ac

Digitized by Google

proinde merito abdicatis Judæis Euangelio rebellibus, Euangelii gratia ad Gentes demigravit, ut versis rerum vicibus, qui ante falsa religionis imagine tumebant, palam declararent impietatem suam, rejicientes ejus Filium, quem pro Deo colebant: & qui prius prorsus alieni à vera religione, pecudes, & ligna colebant pro Diis, pietatem Euangelicam per fidem amplecterentur. Quanquam hac occasione sic Gentes admissæ sunt ad salutem Euangelicam, ut nec Judæis, nec ullis omnino nationibus sit præclusus aditus, si modo deposita pervicacia se præbeant obedientes fidei, quæ prima ac sola janua est ad salutem æternam.

12 Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus:

12 Quanquam autem ex Gentibus pariter ac Judæis plerique, qui mundum magis amabant quam Deum, aversati sunt lucem hanc, tamen non fuit otiosus illius adventus. Primum prodita est illorum infelicitas, qui suapte culpa sese tantis bonis ultro delatis orbarunt. Neque cuiquam jam dubium esse poterat, quin justo Dei judicio relinquerentur æterno exitio. Deinde factum est, ut è diverso magis liqueret, quam insignis esset divini Numinis benignitas, qui simplici promtaque fide reciperent sermonem Euangelicum. Nam ideo Dei Filius ac Deus ipse sese demisit ad humilitatem nostram, ut nos per fidem ad suam sublimitatem eveheret. Ideo suscepit in se nostræ mortalitatis ignominiam, ut nos divinæ gloriæ faceret consortes: ideo homo ex homine nasci voluit corporeus, ut nos ex Deo renascaremur spirituales: ideo descendit in terras, ut nos subveheret in cœlum. Rejecti sunt ob incredulitatem supercilioſi Scribæ, & Pharisæi: rejecti sunt elati Reges ac potentes: rejecti sunt turgidi Philosophi. Sed ad hanc summam dignitatem admissi sunt humiles, tenues, obscuri, idiotæ, servi, barbari, peccatores, quos mundus habet pro nihilo: à quibus nihil exigitur præter sinceram fidem: non eruditio, non generis nobilitas, non Mosaicæ Legis religio: sed quicunque, cujuscunque nationis, cujuscunque conditionis receperunt sermonem hunc, his vicissim hoc dignitatis contulit, ut per fidem ac baptismum insiti Christo, & illius nomen professi, fierent & ipsi filii Dei, ut quod Christus esset per naturam, illi fierent adoptione. Quid autem hoc honore sublimius, ut qui prius erant filii Diaboli, hæredes gehennæ, per solam fidem fierent filii Dei, fratres Jesu Christi, cohæredes regni cœlestis?

13 Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

13 Juxta carnem nascebamur omnes filii iræ, ex primo nostræ gentis auctore Adam: sed per sermonem Dei eximimur ab infelici cognatione peccatoris, ac juxta spiritum feliciter renascimur per Jesum Christum ex Deo. Nam hos demum filios agnoscit Deus, non qui per corporeum semen, aut coitus libidinem nascuntur filii Abrahæ, sed qui per fidem nascuntur ex Deo. Infeliciter nos genuerat primus ille generis auctor Adam. Genuerat enim morti ac gehennæ. Et qui juxta carnem nascuntur, non eadem sorte nascuntur. Quidam enim regno nascuntur, quidam servituti. Sed novæ generationis auctor Christus Jesus, omnes ad eandem dignitatem ex æquo regenerat, ut deposita servitute peccati, abjecta humilitate mortalitatis, per fidem & gratiam fiant filii Dei viventis.

14 Et verbum caro factum est, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis.

14 Nec mirum si homo transformatur quodammodo ad divinæ naturæ consortium, cum Sermo divinus sese hac gratia demiserit, ut nostram carnem, hoc est, mortale corpus assumeret ex virgine, duo quædam dissimillima conjungens in sese, Deum, & hominem. Quid humana carne fragilius, aut contemtius? Quid Deo potentius aut sublimius? Ne mireris hæc potuisse conjungi. Deus est qui fecit: nec diffidas homines posse fieri filios Dei, quum sic dilexerit nos, ut nostra causa voluerit fieri filius hominis. Nec enim assumsit corpus imaginarium. Quis enim amaret inane spectrum, aut fallax præstigium? Sed vere corpus hominis assumsit, hoc est, totam naturam hominis assumsit, nec eam partem fastidiens, qua morti sumus obnoxii, & quam minimum differimus à brutorum genere. Nec assumsit ad tempus, mox depositurus quod assumserat: sed quo certam fidem faceret humanæ naturæ, non per fucum assumtæ, diu versatus est in terris, sitiit, esuriit, afflictus est, mortuus est, oculis conspectus est, auribus auditus est, manibus contrectatus est. Atque ut hæc dignitas humano generi esset perpetua, adhuc habitat in nobis, carnem humanam gestans Divinitas, atque in ea jam glorificata considens ad dextram Patris omnipotentis. Neque tamen tum, cum in terris mortale corpus circumferret, carebat divina majestate. Nos enim qui familiariter cum eo viximus, utriusque rei testes sumus. Vidimus esurientem, sitientem, dormientem, flentem, afflictum, morientem. Audivimus humana voce loquentem: contrectavimus cum manibus nostris, atque omnibus argumentis verum hominem comperimus. Sed iidem vidimus divinam illius gloriam, plane dignam unigenito Filio Dei, quanta nec Angelorum cuiquam, nec Prophetarum ulli, nec Patriarchis unquam exhibita est, sed qua Deus Pater unicum Filium suum honestare voluit. Hanc autem gloriam vidimus in edendis miraculis, in promenda cœlesti doctrina, in visione montis Thabor, quando transfiguratus est coram oculis nostris: quum etiam eadem vox paterna, cœlitus delapsa, Filium unice carum professa est: quemadmodum idem Pater in baptismo voce sua signoque columbæ Filium illustravit, ac rursus ante mortem rogatus à Filio, ut se clarificaret ea gloria, quam habuisset ante mundum conditum, voce cœlitus demissa Filium agnovit: *Et clarificavi*, inquit, *& clarificabo.* Denique vidimus in resurrectione, cum jam redivivus nobis corpus palpabile quidem, sed nullis malis obnoxium exhiberet, cum nobis spectantibus eveheretur in cœlum. Nec his rebus tantum emicuit nobis illius gloria, verum etiam mors ipsa divinæ virtutis habebat argumenta, cum velum Templi scinderetur, terra tremeret, saxa rumperentur, aperirentur monumenta, mortui reviviscerent, Sol obtectus subitam noctem inveheret mundo: dum protinus à valido clamore animam exhalaret, veluti sponte, non defectione virium animam deponens. Hac morte tam admirabili glorificavit Patrem, adeo ut & latro supplicii socius, & Centurio, agnoscerent Filium Dei. Et quanquam in terris versans cum nostræ salutis negotium ageret, maluit nobis modestiæ, mansuetudinis, & obedientiæ exemplum exhibere, quam suam ostentare magnitudinem, tamen omnis illius oratio, omnia facta, gestus etiam ipse ac vultus, declarabant illum esse plenum omnibus divinis dotibus, plenum æterna & irrefragabili veritate. Nam tametsi Deus aliis quoque sanctis hominibus largas gratiæ suæ ac veritatis dotes impartiat, tamen in hunc velut in unicum Filium, totum cœlestium donorum fontem transfuderat, ut in uno esset, quod omnibus sufficeret. Ac talis nobis usque ad adscensionem conspectus est.

15 Joannes testimonium perhibet de ipso, & clamat: dicens: Hic erat, quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est: quia prior me erat.

15 Nunc persequemur, quomodo primum innotuerit mundo, cum antea, ne à fratribus quidem suis, aliud esse crederetur, quam homo. Voluit enim paulatim innotescere, ne res tam nova fidem inter homines non inveniret, si repente fuisset exorta. Ac multa quidem præcesserant, quæ poterant animos mortalium ad credulitatem aliquo modo præparare: Prophetarum auctoritas, Legis umbræ, Angelorum in nativitate concentus, Pastorum pietas, Stella index, Magorum religio: turbatus ad novi Regis exortum Rex Herodes, cum tota Hierosolyma: Simeonis & Annæ prophetiæ: denique quædam præter humanæ naturæ modum ab eo gesta, quæ mater & Joseph apud se mirabantur quid sibi vellent:

ta-

tamen quum adeſſet tempus, quo jam ab æterno deſtinatum erat palam aggredi negotium prædicandi regni cœlorum, viſum eſt, ut diximus, ad tempus & Joannis teſtimonio commendari : non quod egeret hominis teſtimonio, ſed quod ſic expediret, vel ad invitandam Judæorum credulitatem, quorum nemo non ſentiebat magnifice de Joanne : vel ad impiorum incredulitatem coarguendam, quum nec illi de Chriſto teſtificanti crederent, cui tantum alioqui tribuebant, ut eum ſuſpicarentur eſſe Meſſiam vatum oraculis promiſſum, liberandæ genti Iſraeliticæ. Quum igitur Joannes multos jam diſcipulos collegiſſet, plurimos quotidie baptizaret, ſummaque auctoritate floreret apud omnes, prædicans inſtare regnum Dei, de Jeſu vero malignior eſſet hominum opinio, palam apud multitudinem inculcat, ac repetit, quod ſæpius de illo fuerat teſtificatus: ac juxta vaticinium Eſaiæ, quod prædixerat illum fore vocem clamantis in deſerto, parate viam Domini: non jam privatim apud diſcipulos ſuos, ſed apud promiſcuam multitudiuem, quæ quotidie baptiſmi doctrinæque gratia, frequens ad illum confluebat : & tum etiam deſtinatis animis aderat, ut certum audiret, quid vir tantus ſentiret de Jeſu : clara voce clamabat, dicens: Hic eſt ille, de quo vobis antehac ſæpe loquutus ſum : cui vos me per errorem anteponitis, quum dicerem eſſe quendam, qui me ætate ac prædicationis tempore ſequeretur, ſimulque multitudinis opinione foret inferior, is nunc antevertit: & qui poſterior videbatur, prior eſſe cœpit: nec mirum, quum etiam tum me dotibus omnibus prior eſſet, quamvis hominum judicio videretur inferior.

16 Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.

16 Hic eſt fons omnis veritatis & gratiæ. Nos, quos vos tantopere ſuſpicitis, nihil aliud ſumus quam rivuli. Siquidem hoc ipſum, quod habemus pro ſuo quiſque modulo, de hujus plenitudine hauſtum eſt, unde promanat omnibus, ſi quid ad æternam ſalutem pertinet. Quicquid virtutis fuit in Patriarchis, quicquid in Prophetis, quicquid in Moſe, ab hujus fonte profectum eſt. Ego nihil aliud ſum, quam præcurſor venientis. Hic verus eſt præco ſimul & auctor Euangelicæ gratiæ, quæ veram & æternam ſalutem confert omnibus per fidem. Huic hoc ipſum debemus, quod Prophetarum vocibus inſtituti ſumus ad pietatem, quod Legis præſcripto prohibiti ſumus à maleficiis, quod veræ religionis velut umbram accepimus. Nunc per eundem offertur omnibus uberior gratia, quæ per fidem Euangelicam gratis condonat omnia peccata, ac mortem commeritis largitur vitam æternam.

17 Quia Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.

17 Nam Moſes, cujus vobis eſt ſacroſancta auctoritas, nullo nomine cum hoc conferendus eſt. Ille Legis delator erat duntaxat, non auctor: & Legem tulit inefficacem, auſteram, ac rigidam, quæ figuris & umbris præluderet ad Euangelii lucem poſt venturam: peccata proderet magis, quam tolleret: & ſanitati præpararet verius, quam ſanitatem conferret, promiſſis invitaret. Sed nunc pro ſeveritate Legis, gratia exhibita eſt per Jeſum Chriſtum: qui per fidem Euangelicam gratis condonat omnibus omnia peccata. Pro umbris exhibita eſt veritatis lux, cujus ille non ſolum eſt præco, verum etiam auctor, ut cui Pater Deus tradiderit omnem poteſtatem.

18 Deum nemo vidit unquam: unigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarravit.

18 Atque hæc ſunt arcana Dei Patris, hæc ſunt recondita divinæ mentis conſilia, quibus illi viſum eſt ex Deo facere hominem, ex hominibus quodammodo facere Deos: ſumma miſcere infimis, & infima ad ſumma ſubvehere. Hæc nulli Veterum ad plenum aperuit, quanquam illis aliquando per Angelos, per ſomnia, per viſiones quaſdam ſuæ lucis ſcintillas aperuit. Nam Deum, ut eſt, nemo mortalium, quamlibet magnus, vidit unquam, niſi per ænigmata. Et quanquam Moſi, Patriarchis, & Prophetis aliquam ſuorum arcanorum portionem quadantenus patefecit, tamen hanc gratiæ & veritatis plenitudinem ſolus unigenitus Filius accepit: qui ſic ad nos deſcendit, factus homo, ut per divinam naturam ſemper ſit in ſinu Dei Patris. Ille nobis quod aliis per partes, quod per involucra, & veluti per ſomnum utcunque ſignificatum erat, craſſius & explanatius abſque involucris enarravit, quicquid pertinebat ad æternam ſalutem conſequendam.

19 Et hoc eſt teſtimonium Joannis, quando miſerunt Judæi ab Hieroſolymis ſacerdotes & Levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es?

19 Hujuſmodi teſtimonio quum ſæpe privatim Joannes ornaſſet Chriſtum, tunc palam qualis eſſet, declaravit: integri famuli fungens officio, qui nec Domini ſui gloriam Judæis deferentibus voluerit uſurpare, nec illum fraudare ſua: quanquam non ignorabat eam rem ſibi, non ſolum auctoritatis hactenus poſſeſſæ jacturam, ſed etiam gravem apud Judæos invidiam allaturam, qui maluiſſent Joanni hoc honoris deferre. Cujus etiam nativitas fuerat apud Judæos celebris, qui generis nobilitate (nam Sacerdotis erat filius) commendabatur : qui novitate victus, qui pilis camelorum, qui ſolitudine, qui baptiſmo, qui diſcipulorum frequentia, plebis admirationem in ſe provocarat: quum Chriſtus ob humilitatem generis, ob vitam ac veſtitum à populo nihil differentem, id temporis adhuc contemneretur. Quum igitur ſuperbis Phariſæis non placeret humilis ille Chriſtus, & ob hoc ipſum cœpiſſent ſubinvidere Joanni, quod de Chriſto bene prædicaret, miſerunt ex Hieroſolymis viros auctoritate præditos, Sacerdotes, & Levitas, ut præſente multitudine percunctarentur eum, quiſnam eſſet ipſe, de quo variabat multitudinis ſuſpicio. Nam quidam dictitabant illum eſſe Chriſtum, Judaicæ gentis liberatorem : alii ſuſpicabantur Eliam eſſe, quem juxta Malachiæ prophetiam exiſtimabant rediiſſe, ut præcurſor eſſet Meſſiæ venturi. De Chriſto, ob generis ac vitæ humilitatem, perpauci bene ſentiebant, etiamſi quidam cœperant invidere. Atque hoc jam tum agebat Phariſæorum aſtutia, ut Chriſtum ad ſuas cupiditates attemperarent. Id futurum arbitrabantur, ſi non fuiſſet approbatus, niſi ipſis auctoribus. Quod ſi docuiſſet affectibus ac vitiis ipſorum repugnantia, reprobaſſent, & ademiſſent auctoritatem apud populum, cujus doctrinam ſenſiſſent ſuis commodis adverſam. Hæc eſt mundanæ ſapientiæ ſtulta prudentia. At Chriſtus, cujus tota doctrina cœleſtis eſt, noluit quicquam humanæ auctoritatis admiſceri ſuæ doctrinæ Euangelicæ. Quidam etiam ſperabant futurum, ut Joannnes, etiamſi Chriſtus non eſſet, tamen nomen tam honorificum ultro delatum agnoſceret. Sciebant ipſi, addictiſſima gloriæ mancipia, peſtem hanc etiam ſanctiſſimis viris inſidiari : non ignorabant, quantus fuiſſet futurus orbis applauſus, ſi Joannes Meſſiæ nomen agnoviſſet, quod illi jam ultro bona pars Judæorum tribuebat. Si agnoviſſet apud populum, habebant quo Chriſtum ob humilitatem exoſum excluderent: ſi non agnoviſſet, habebant paratam calumniam. Rogant igitur apud populum, ex auctoritate Sacerdotum ac Phariſæorum, dicentes: *Tu quis es?* Jam enim & illius auctoritate gravari cœperant, ac ſubinvidere gloriæ.

20 Et confeſſus eſt, & non negavit: & confeſſus eſt: Quia non ſum ego Chriſtus.

20 Ille non ignarus, quod hæc odio Chriſti percunctarentur, non ſtatim aperuit ſuam de illo opinionem, ſed falſam de ſe ſuſpicionem, quæ Chriſti gloriæ poterat apud plebem officere, repulit : ac forti animo contemta falſi nominis gloria, confeſſus eſt ſe non eſſe Meſſiam, qui multis videbatur eſſe: nec inficiatus eſt eſſe ſe id quod erat, paratus indicare, quis eſſet ille, cui nominis hujus gloria debebatur: in quorum altero erat opinionis propriæ jactura, in altero Phariſaici livoris periculum. At vir integritatis incorruptæ, utroque contemto, palam faſſus eſt, ſe non eſſe Meſſiam, Prophetarum oraculis, & Moſi voce promiſſum, haudquaquam negans jam adeſſe Meſſiam, ſed non ſum ego, inquiens,

Digitized by Google

quiens: ſignificavit hoc cognominis alteri potiori deberi, qui tamen illorum opinione contemtior erat. Atque hæc Phariſæorum malitioſa diligentia ad nihil aliud profecit, quam ad Euangelii fidem confirmandam.

21 *Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit: Non.*

21 Hoc igitur gradu fruſtrati, pergunt ſciſcitari, ſi quod ſummum eſt, quodque plerique tibi tribuunt, non es, quum præter auctoritatem Scribarum & Phariſæorum, uſurpes novam auctoritatem, & populum in admirationem tui rapias, non ſine jactura publicæ Sacerdotum & Phariſæorum auctoritatis, certe debes eſſe quiſpiam Meſſiæ proximus. Legimus autem in Malachia Propheta, priuſquam veniat Meſſias, venturum Eliam Thesbitem, qui reſtituet omnia. Num igitur ille Elias es tu? Joannes negabat ſe Eliam eſſe: non quod non eſſet aliquo modo Elias, qui ſpiritu Eliæ præcurſor erat Chriſti, ſed quod non eſſet ille Elias Thesbites, igneo curru raptus in aera, quem in hoc ſervari ſenſit Propheta, ut præcurſor ſit ſecundi adventus Jeſu Chriſti. Legerant illi prophetiam, ſed non intellexerant: nec erant digni, qui myſterium hoc diſcerent, quod animo maligno ſciſcitarentur. Quoniam autem ſciebant Moſen promiſiſſe Prophetam quendam exoriturum è gente Judaica, quem audiri juſſerat: nec ignorabant quidam hunc Prophetam fore Meſſiam ipſum, ad hæc nonnulli jactabant aliquem è vetuſtis Prophetis revixiſſe, atque hunc eſſe Joannem ſuſpicabantur, rogabant, num eſſet ille Propheta promiſſus à Moſe, aut aliquis denique è numero Prophetarum, qui redivivus ſibi ſumeret eam auctoritatem. Ille ingenue faſſus eſt, ſe nihil eſſe tale, quale multi ſuſpicabantur.

22 *Dixerunt ergo ei: Quis es, ut reſponſum demus his, qui miſerunt nos? quid dicis de te ipſo?*

22 Jam vero cum illos defeciſſet percunctandi materia, conſumtis hominum de Joanne ſuſpicionibus, urgent ut ipſe de ſe profiteatur, quiſnam ſit: & ne diutius tergiverſetur, urgent auctoritate Sacerdotum, quo vel metu poteſtatis fateretur quis eſſet. Videmus te, inquiunt, uſurpare tibi quiddam ſupra Phariſæos, Sacerdotes & Scribas. Conſumſimus divinationem noſtram, & tamen aliquid reſponſi referendum eſt his, qui nos huc miſerunt. Si populus totus varie de te ſuſpicans fallitur, dic ipſe quis ſis: certe ipſe tibi notus es. Quem tu te eſſe profiteris?

23 *Ait: Ego vox clamantis in deſerto: Dirigite viam Domini, ſicut dixit Iſaias propheta.*

23 Hic Joannes, quoniam Legis peritis loquebatur, ne ſibi videretur hoc ipſum, quod erat, humana temeritate arrogare, ex ipſa Eſaiæ prophetia, Phariſæis non ignota, ſimul docebat & ſe nihil aliud eſſe, quam Chriſti præcurſorem, & jam ipſum Dominum adeſſe, quem oporteret purgatis cordibus ſuſcipere: quem ipſi livore, ambitione, & ſuperbia excæcati, erant crucifixuri: Ego, inquit, nec ſum Meſſias, nec Elias, nec ullus Prophetarum revocatus in hanc lucem: nec tamen hoc muneris mihi meapte auctoritate ſumſi, cum ante plurimos annos auctoritate Dei deſtinatus fuerim huic provinciæ. Sum enim ille, de quo ſcripſit Eſaias, *Vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini.* Videtis deſertum, auditis clamantis vocem. Quod ſupereſt, vos abjectis mundanis cupiditatibus, præparate veſtros animos in illius adventum, ut vobis ſalutifer adveniat. Moſes vobis illum adumbravit, Prophetæ olim venturum vaticinati ſunt. Ego vobis jam advenientem oſtendo.

24 *Et qui miſſi fuerant, erant ex Phariſæis.*

24 Porro qui miſſi fuerant ad Joannem, erant ſectæ Phariſaicæ. Nam hi tum temporis peritia Legis, opinione ſanctimoniæ, & auctoritate præcellebant cæteris. Nec multum aberant ab Euangelica doctrina, quippe qui crederent etiam immortalitatem animarum, & aliam vitam poſt hanc vitam ſupereſſe. Sed ambitio, avaritia, & invidia corruperat illorum animos. Quanquam hominum livor id temporis nondum eo exarſerat, ut palam Chriſto adverſarentur, ſed mox ubi doctrinam illius ſenſiſſent adverſari gloriæ, lucris ipſorum, & auctoritati, prorſus in rabiem acti, Meſſiam ſuum, quem populo promiſerant ex prophetiis, & cujus cognitione ſeſe venditarant, ad crucem adegerunt. Adeo peſtifera res eſt etiam ſacrarum Litterarum cognitio, niſi adſit animus liber ac vacuus à terrenis cupiditatibus. Sed divina prudentia, ſapientior humanis ingeniis, novit hominum impiorum malitia ad piorum ſalutem abuti. Hæc Phariſæorum tam invida, tamque inſidioſa percunctatio, noſtram credulitatem confirmavit.

25 *Et interrogaverunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta?*

25 Jam igitur magis etiam irritati, & non ſolum Chriſto, quem ſemper contemſerant, ſed etiam Joanni, quem hactenus venerati fuerant, invidentes, ad calumniandum ſe vertunt: Quid igitur, inquiunt, ſumis tibi jus baptizandi populum, ſi neque Chriſtus es, quem vaticinia docent aboliturum peccata populi ſui, nec Elias Meſſiæ præcurſor, nec eximius ille Propheta, quem promiſit Moſes, nec alius quiſpiam è numero Prophetarum? Unde tibi ſumis iſtam auctoritatem abolendi peccata, quam nec habes divinitus, nec ex Sacerdotum decreto, quorum auctoritatem obſcuras novis ritibus?

26 *Reſpondit eis Joannes, dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.*

26 Ad hanc calumniam Joannes manſuete reſpondit, ſed ita, ut libere, & ſuam humilitatem agnoſceret, & Chriſti dignitatem profiteretur: Meus, inquit, baptiſmus talis eſt, qualis eſt mea prædicatio. Nam quemadmodum prædicatio mea perfecta non eſt, ſed tantum præparat animos veſtros Euangelicæ Philoſophiæ: ſic baptiſmus meus, qui tantum aqua conſtat, non abluit ſordes mentium, ſed imagine quadam veri baptiſmi præparat rudes, ut ſuperioris vitæ pœnitentia præparati, capaces ſint illius baptiſmi, quo Meſſias per Spiritum ſuum ſemel abluet omnes ſordes omnium, qui crediderint ipſius cœleſti doctrinæ. Atque is jam non procul abeſt, ſed jam nunc adſtat in hac populi multitudine, & tanquam unus è numero populi verſatur in medio veſtrum. Et ob id à vobis vel deſpicitur, vel ignoratur, quod juxta mundi æſtimationem humilis eſt, & obſcurus, nulla pompa earum rerum ſeſe venditans, ex quibus mundi cultores æſtimant hominem. Nondum illi viſum eſt exſerere virtutem ac magnitudinem ſuam, ſed re ipſa longe alius eſt, quam videtur.

27 *Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt: cujus ego non ſum dignus ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti.*

27 Ego, qui populi judicio viſus ſum eſſe aliquid magni, ad illius ſublimitatem nihil ſum. Is ipſe eſt, de quo dixeram, quod me poſterior hominum opinione, dignitate antevertiſſet. Cujus dignitati adeo non ſum æquandus, ut ipſe me judicem indignum, qui apud illum infimi mancipii fungar officio, vel corrigiam calceamentorum illius ſoluturus.

28 *Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem, ubi erat Joannes baptizans.*

28 Tam plenum, tamque magnificum teſtimonium Joannes perhibuit de Chriſto, Phariſæis, Sacerdotibus ac Levitis, teſte copioſa populi multitudine: idque in loco celebri, nimirum in Bethabara, qui locus haud ita procul abeſt ab Hieroſolymis trans Jordanem, propter aquæ paratam copiam, ac deſertum proximum, Baptiſtæ, & pœnitentiæ præconi accommodus, quo quotidie ſolita eſt magna vis hominum è diverſis Judææ regionibus confluere baptiſmi gratia. Nam illic & prædicabat Joannes, & baptizabat. Atque hactenus ita teſtificatus eſt de Jeſu, ut in turba ſtantem, nec nominaret, nec digito oſtenderet, quo minus concitaret in illum Phariſæorum invidiam, ac ſimplicium animos magis accenderet deſiderio cognoſcendi, de quo tam magnifice vir tantus prædicaſſet.

29 *Altera die vidit Joannes Jeſum venientem ad ſe, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.*

29 Itaque quum jam è populo multi ſtudioſe quærerent, quiſnam eſſet ille tantus, cujus dignitati in tantum cederet Joannes, omnium judicio ſummus vir habitus, Jeſus poſtridie redit eodem, nec jam ſe continuit admixtus turbæ, ſed ſeorſim ipſum adiit Joannem: partim officii gratia, ut cognatum ſalutaret: partim ut ſuum Baptiſtam agnoſceret: ſed mul-

Digitized by Google

multo maxime, ut illi præberet occasionem, clarius etiam apud populum testificandi de Christo, ne adhuc ignotus, hoc animo videretur adire Joannem, quo cæteri, nimirum baptizandus, aut docendus, aut confitendi peccata gratia. Nam quod ab eo baptizatus est, id humilitatis exemplo datum est. Cæterum, ne quis suspicaretur illi fuisse opus baptismo, aut aliquid in eo fuisse maculæ, quod Jordanis abluerent undæ, semotus à turba, Joannem adiit. Is admonitus Spiritu, quid esset agendum, conspicatus Jesum venientem ad se, versus ad populum, digito demonstrat illis Jesum, ut jam de facie quoque notum mirari atque amare consuescerent, & illum potius quam se sequerentur, illius ambirent baptisma potius quam suum. Nam animi puritas Spiritu Sancto pleni, in ipsis etiam Jesu oculis, ipsoque vultu relucebat: ipso incessu, totoque corporis habitu semet exserebat, quemadmodum ex adverso, furiosus ac vitiis obrutus animus proditur ipsa corporis imagine: Ecce, inquit, hic est ille, quem plerique vestrum viderunt à me baptizari, quum illum non purificarit Jordanis, sed ipse potius Jordanis aquas sanctificarit. Est enim solus omnium ab omni peccatorum labe immunis. Hic enim est purissimus ille agnus, quem Deus juxta vaticinium Esaiæ, sibi gratissimam victimam destinavit, ad expianda peccata totius mundi, omnium vitiorum genere inquinati. Hic est, quem agnus ille Mosaicus adumbrabat, cujus innoxius cruor filios Israel ab Angeli vindice gladio tutos reddidit: ipse adeo non obnoxius ulli peccato, ut unus idoneus sit universa totius orbis peccata tollere: adeo carus Deo, ut solus illius iram possit vertere in misericordiam: adeo mansuetus, & amans salutis humanæ, ut paratus sit pro peccatis omnium pœnas dependere, & in se recipere mala nostra, ut nobis conferat sua bona.

30 Hic est, de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est: quia prior me erat.

30 Hic est ille, de quo prius semel atque iterum, ceu per ænigma dixi, esse quendam post me venturum, qui dignitate ac virtute prævertens, me reliquisset à tergo: propterea quod quanquam videretur nativitate humana, ac tempore prædicandi, denique & auctoritate posterior: tamen divinis dotibus me longe prior erat. At nec ipse prius quantus esset, aut quid esset, certo noveram.

31 Et ego nesciebam eum, sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.

31 Tantus enim est, ut ego, quem vos suspicitis, nullo modo sim ad hunc conferendus. Ille Dominus est & auctor totius salutis: ego nihil aliud sum, quam famulus illius, ac præcursor: nec baptismus meus, nec prædicatio mea quicquam est aliud, quam præludium cœlestis doctrinæ, cœlestisque virtutis, quam ille vobis est allaturus. Nec in aliud jussu Dei missus sum, nisi ut prædicarem pœnitentiam superiorum delictorum, annuntiarem instare regnum cœlorum, & aqua vos tingerem, ut ille veniens, vestris animis, jam rudimentis hujusmodi præparatis, facilius innotesceret, posteaquam mihi quoque certis indiciis esset à Patre demonstratus. Versabatur humilis, nec ulla re insignis inter homines, velut unus quispiam è populo multitudini admixtus: venit ad baptismum, veluti peccatis obnoxius.

32 Et testimonium perhibuit Joannes, dicens: Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum.

32 Non igitur ex habitu corporis, nec humana conjectura certum quivi cognoscere, quod is esset unicus Filius Dei, & agnus ille purissimus, per fidem aboliturus omnia peccata mundi: sed ex insigni symbolo cœlitus didici, hunc esse, cui ego præcursor essem datus. Quod autem esset hoc signum, Joannes palam aperuit apud multitudinem: Quum, inquit, ipse humilitatis exemplum mundo volens exhibere, peccatorum turbæ mixtus, veniret baptizandus, Pater illum cœlesti signo honestavit. Nam ipse vidi Spiritum Sanctum columbæ specie descendentem in illius verticem, ac manentem super eum. Ante id tempus non certo noveram eum, cujus essem præcursor. Occultabat enim illius cœlestem sublimitatem corporis humilitas. Nondum enim venerat tempus, quo palam vellet eum innotescere populo.

33 Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.

33 Igitur quum scirem afflatu Patris jam adesse Messiam, ne quid erroris esset in persona, aut ne quid ambiguitatis haberet humana conjectura: is, cujus jussu susceperam ministerium vos baptizandi aqua, certo signo me docuit, cujus indicio cognoscerem, quis esset ille, qui vos efficaci baptismo baptizaturus esset, ac per Spiritum Sanctum, quo plenus est, conferret gratis omnibus sibi fidentibus remissionem omnium peccatorum. Etenim prius quam ad me veniret baptizandus Jesus, Pater cœlestis sic me præmonuerat: Hoc indicio certo cognosces Filium meum: Inter multos, quos aqua tinxeris, super quem videris specie columbæ descendentem ac manentem Spiritum Sanctum, eum esse scito, cui potestas est baptizandi Spiritu Sancto. Nam homo tingit aqua, solus ille cœlesti virtute, sublatis peccatis, confert justitiam.

34 Et ego vidi: & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.

34 Hoc signum quemadmodum promiserat Pater, vidi in baptizato, & ideo mihi videre datum est, ut meo præconio vos quoque cognosceretis vestræ salutis auctorem. Proinde quemadmodum & ante testificatus sum, ita & nunc palam testificor, hunc esse Filium Dei, unde velut è cœlesti fonte vobis petenda sunt omnia, quæ pertinent ad justitiam, ac æternam felicitatem. Non enim patiar vos de me majora suspicari, quam promereor: nec hunc ignorari, quem noviisse salus est. Hujusmodi testimoniis Joannes frequenter Jesum adhuc ignotum populo commendabat, suamque auctoritatem in illum velut in majorem transferebat, ut posthac se deserto, illius adhærerent magisterio: illud interim agente divina providentia, ut nobis in utroque pararetur salutare exemplum Euangelici doctoris. Siquidem Joannes, nec tantæ gloriæ ultro se offerentis lenocinio corruptus est, ut alienam laudem sibi vindicaret: nec Sacerdotum ac Pharisæorum invidia deterritus, quorum ambitiosus livor, & ambitio livida non ferebat, quenquam præter se magnifieri, tacuit Christi gloriam: nec spectavit quid sibi conduceret, sed quid expediret populo, docens nimirum Euangelii præconem, non solum adversus luxum & avaritiam, verum etiam adversus omnem ambitionem usque ad vitæ contemtum animum confirmatum & infractum habere oportere. Porro Jesus Christus, dum velut unus è plebe venit ad baptismum, dum inter Joannis discipulos se velut discipulum gerit illius, quum esset omnium Dominus, nos docuit per summam animi dejectionem ac modestiam perveniri ad veram gloriam: neque quenquam esse magistrum idoneum, nisi qui bonum gesserit discipulum: neque quenquam oportere ad docendi munus prorumpere, nisi fuerit omnibus modis spectatus ac probatus, atque huc veluti divinitus adscitus.

35 Altera die iterum stabat Joannes, & ex discipulis ejus duo.

35 Jam quo magis eluceat eximia Joannis integritas, non sat habuit populi studium à se divertisse in Christum, suos etiam discipulos, quos habebat peculiares, à se alienatos Christo studet tradere. Nam postridie quam hæc, quæ modo narravimus, acta sunt apud populum, rursum stabat Joannes, & aderant magistro discipuli duo.

36 Et respiciens Jesum ambulantem, dicit: Ecce agnus Dei.

36 Jesus autem illinc haud procul inambulabat. Idque factum est, non sine mystica significatione rei. Nam Legis Mosaicæ typum gerebat Joannes, Christus Euangelicæ professionis erat auctor. Lex igitur quæ jam ad summam lineam pervenerat, stabat, veluti non progressura longius, sed mox cessatura, & Christo venienti cessura, suosque discipulos illi traditura, sed interim constanter testificans de Christo, ac Synagogam veluti tradens vero sponso, ut illi sit Ecclesia. Christus obambulat, veluti semper in majus progressurus, & undique cœlestis doctrinæ discipulos colligens. Joannes igitur stans, quum intuitus esset Jesum ambulantem, nec ignarus illum sitire salu-

Digitized by Google

lutem humani generis, ac discipulos captare idoneos sublimi doctrinæ, versus ad duos discipulos, qui præceptori adstabant, ut eos Jesu meliori se magistro traderet, digito demonstrans ambulantem: Ecce, inquit, ille est agnus Dei, de quo jam toties testificatus sum, qui solus tollit omnia totius mundi peccata. Huic ego vos præparavi. Quisquis verum & efficacem baptismum desiderat: quisquis amat veram innocentiam: quisquis veram ac perfectam salutem desiderat, hujus magisterio se tradat oportet. Quoniam qui veri cultores fuerant Legis Mosaicæ, Legis ipsius testimonio profecerunt ad Euangelicam perfectionem, hoc est, ex fide in fidem, quum Pharisæi perverso Legis studio persequuti sint eum, quem Lex illis commendarat.

37 Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Jesum.

37 Porro Joannis discipuli non respondant suo magistro, sed fidem habentes illius sermoni, relicto Joanne Euangelii præcursore, sequuti sunt Jesum Euangelicæ salutis auctorem. Sequebantur autem taciti, flagrantes amore sublimioris doctrinæ, cujus spem ex Joannis testimonio conceperant, sed interpellare non audent eum, qui cum nulla intercesserat familiaritas.

38 Conversus autem Jesus, & videns eos sequentes se, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei: Rabbi, (quod dicitur interpretatum Magister) ubi habitas?

38 Jesus igitur intelligens quo animo sequerentur, ut declararet, quam esset obvius iis, qui sinceris animis sitiunt Euangelicam doctrinam, non exspectata interpellatione, ultro sublevat, & invitat illorum verecundiam: ac versus ad illos, jamque conspicatus eos sequentes se, non quod ignoraret quem sequerentur, aut quo animo sequerentur, sed ut aliis illorum affectum Euangelio dignum ostenderet, compellat eos, rogatque quid sibi vellent, ut horum nota cupiditas, & aliorum animos accenderet. At illi ipso statim nomine professi, se teneri desiderio discendi: *Rabbi*, inquiunt, quæ vox Syris sonat *magistrum*, *ubi habitas?* Nimirum magistrum appellantes, se discipulos illius profitentur: & dum domicilium illius ubi sit, percunctantur, declarant se familiarius secretiora quædam velle discere, quæ fortassis in publico dicturus non esset.

39 Dicit eis: Venite, & videte. Venerunt, & viderunt ubi maneret, & apud eum manserunt die illo: hora autem erat quasi decima.

39 Hic Dominus Jesus delectatus illorum pio discendi ardore, non excusat instantem noctem: non jubet eos redire postridie: nec signis indicat domum suam, si quando per opportunitatem se velint invisere, sed comiter blandeque ad domesticum colloquium invitat eos: *Venite*, inquiens, *& videte*. Senserat enim illorum ardenti desiderio moram omnem molestam futuram esse. Illi læti tam optato responso, venerunt, ac non solum viderunt domicilium ubi habitabat Jesus, sed eo die commorati sunt apud illum: sacroque ejus colloquio sic inflammati sunt, ut non solum ipsi sibi gratularentur, sed alios etiam ad hujus felicitatis consortium invitarent. Porro quum adirent domicilium Jesu, erat hora diei ferme decima, jam Sole vergente ad occasum. Nullum enim tempus, nullus locus non opportunus est discendis iis, quæ spectant ad æternam salutem, semperque debet esse parata doctoris Euangelici copia. Talem enim decet esse, qui se Christianæ Philosophiæ, quæ sola supercilium nescit, magistrum profitetur.

40 Erat autem Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus, qui audierant à Joanne, & secuti fuerant eum.

40 Horum autem, qui Joannis hortatu sequuti fuerant Jesum, alter erat Andreas, frater natu major Simonis Petri, cui licet natu minori, Jesus ob excellentem fidei ardorem postea pollicitus est claves regni cœlorum, & eidem ter amorem professo, commisit pascendas oves suas. Habet illud Euangelica pietas longe diversum ab ingenio mundano *, si quem egregium thesaurum nacta est, non celat, aliis invidens. Nam multi non putant se possidere, quod habent cum multis commune, sed gestit suum bonum aliis esse commune.

41 Invenit hic primum fratrem suum Simonem, & dicit ei: Invenimus Messiam. (quod est interpretatum Christus.)

41 Andreas tanta felicitate gestiens, quod ex indicio Joannis, sed multo magis ex domestico Jesu colloquio certum comperisset, illum esse agnum illum cœlestem, qui solus tolleret peccatum * mundi, illum esse Filium Dei, reconciliatorem unicum humani generis, illum esse Christum à Prophetis promissum, & tot jam seculis exspectatum, ut primum nactus est Simonem Petrum, fratrem suum, cujus præsentiam in hoc magnopere desiderabat, ut illi, quem sciebat ingenti ardore exspectasse Christi adventum, tam certæ cognitionis felicitatem communicaret: *Invenimus*, inquit, *Messiam* illum, quem redemtorem orbis Prophetæ promiserant: Messias autem Syrorum lingua sonat *Christum*, hoc est, *unctum*, quod unctio Regum sit, ac Sacerdotum. Solus autem Christus unctus est à Deo: soli data est potestas omnis in cœlo & in terra: solus est ille Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec, qui sui corporis hostia, generi mortalium universo reconciliavit Deum.

42 Et adduxit eum ad Jesum. Intuitus autem eum Jesus, dixit: Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.

42 Simon lætus tam optabili nuntio, nec audisse contentus, gestit & ipse videre Jesum. Andreas jam Domini Jesu comitatem ac benignitatem expertus, illico adducit eum ad Jesum. Jesus autem intuitus Petrum, non solum faciem hominis contemplatus, in qua tamen relucebat pectoris sinceritas, sed animum potius columbina simplicitate præditum & ob hanc aptum Euangelicæ gratiæ, delectatus sincero illius affectu, simul & patris nomen indicat, jam tum declarans sibi nihil occultum esse, simulque piam animi simplicitatem collaudat ex paterni nominis argumento: & ex commutati nominis ænigmate, prædicit olim in eo futuram invictæ fidei soliditatem. Nam Jona *columbam* sonat, aut *gratiam*; Simeon † *obedientem* sonat. Siquidem ab obedientia Mosaicæ Legis gradus est ad Euangelicam fidem. Jesus igitur intuitus eum, & præsentem illius simplicitatem amat, & futuram firmitatem velut ænigmate subindicat, dicens: *Tu es ille Simon, filius Ioanna* ‡, tuo simul & paterno nomini respondens. *Sed* ubi fides ista robur collegerit, ut adversus omnia Satanæ tentamenta possit inconcussa consistere, *vocaberis Cephas*, quod Græce sonat *Petrum*, Latine *saxum*. Atque hoc erat primum rudimentum Ecclesiæ Christi: hoc erat Euangelicæ Scholæ primordium.

43 Incrastinum voluit exire in Galilæam, & invenit Philippum. Et dicit ei Iesus: Sequere me.

44 Erat autem Philippus à Bethsaida, civitate Andreæ & Petri.

43, 44 *Postero die visum est Jesu proficisci in Galilæam*, qua non alia Judææ regio tum erat contemtior, quod ex ea nemo magni nominis unquam fuisset exortus, circa quam tamen primum exorituram Euangelii lucem Esaiæ vaticinium prædixerat. Idque sic visum est divino consilio, ut ab humilibus, indoctis, & rudibus viris, & è sterili contemtaque regione oriundis, suam auspicaretur Ecclesiam. Nam & Petrus atque Andreas, qui non vocati secuti sunt Christum, Galilæi erant. Quod autem frater fratrem attraxerat ad Jesum, felix erat Ecclesiæ nascentis auspicium, quæ constat fraterna caritate, concordiaque mutua. Jesus igitur abiturus in Galilæam, comitatus jam duobus Galilæis discipulis, quo veniret aliquanto comitatior, adsciscit & alios duos, ejusdem gentis ac nobilitatis. Reperit autem Jesus Philippum quendam ortum è civitate Galilææ Bethsaida: ea est juxta Lacum Genezareth, patria Andreæ & Simonis, cui nomen additum est Petri. Jam & patriæ consortium, omen habet Euangelicæ concordiæ, & omnium gentium diversitates in unam Ecclesiam velut in unam civitatem coituras. Videbatur forte obvius factus Philippus, sed res tota gerebatur divina providentia, cui jam ab æterno decretum erat, quos vellet Ecclesiæ primores esse. Itaque obvio Philippo dixit Jesus: *Sequere me*. Ille nihil cunctatus illico secutus est Jesum, de quo jam multa & Joannis testimonio, & populari rumore cognoverat. Efficax erat sermo loquentis, & suapte sponte promtus erat audientis animus.

45 Invenit Philippus Nathanael, & dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, invenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth.

45 Evenit autem, ut quemadmodum Andreas Simonem fratrem attraxerat, ita Philippus jam lætus ma-

* Alia Editio, *humano*.

* Alia editio, *peccata*. † Eadem, *Simon*. ‡ Altera Editio, *Iona*.

Digitized by Google

magisterio Jesu, quum reperisset Nathanaelem, quem noverat incredibili desiderio teneri Messiæ venturi, & ob hoc in Legis ac Prophetarum oraculis diligentissime observare solitum, unde & quando esset venturus, ut illi gaudium, quo totus gestiebat, communicaret, dicat*: *Invenimus* verum *illum* Messiam, *de quo Moses scripsit*, quod esset exoriturus Propheta ex Israelitico genere, & de quo Prophetarum vaticinia tam multa cecinerunt. *Is est Jesus filius Joseph Nazarenus.* Nam id temporis Jesus ab omnibus adhuc credebatur filius Joseph, & hujus nomine notior erat quam Mariæ matris. Deinde *Nazarenus* vulgo dicebatur, non quod illic natus esset, quum Bethlehem illius cunabulis sit consecrata, sed quod illic à puero cum parentibus versatus sit, & educatus.

46 Et dixit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni, & vide.

46 Hoc ubi audivit Nathanael, favet quidem lætissimo nuntio, sed offenditur scrupulo, quem illi tacite movebat prophetia, quæ palam promittit Christum exoriturum è Bethlehem: cupiens ergo certius edoceri, dicit Philippo: *Num à Nazareth potest aliquid boni exoriri*, cujus non meminerunt Prophetarum oracula? Hunc nodum quum ipse Philippus, rudis adhuc, & præter simplicem fidem nihil habens, explicare non posset, invitat eum ad fontem ipsum, non dubitans quin viso & audito Jesu, statim sit crediturus: Si dubitas, inquit, mihi credere, *veni ipse, & vide.*

47 Vidit Jesus Nathanael venientem ad se, & dicit de eo: Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.

47 Jesus autem, qui nondum miraculis editis inclaruerat, ut cognitione rerum occultarum subindicaret divinam virtutem suam, conspicatus Nathanaelem venientem ad se, prius quam esset per Philippum de illo admonitus, aut antequam esset ab illo appellatus, versus ad suos, demonstrato Nathanaele: *Ecce*, inquit, *vere Israelita, in quo dolus non est.* His verbis Jesus simul & collaudavit Nathanaelis simplicem credulitatem, & sincerum cognoscendi studium, cum hi, qui falso se jactabant Israelitas, calumniandi studio soleant esse curiosi.

48 Dicit ei Nathanael: Unde me nosti? Respondit Jesus, & dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te.

48 Nathanael intelligens Jesum his verbis significare, se non latere colloquium, quod de ipso habuisset cum Philippo, & admirans, unde hoc ad illius conscientiam permanasset, nam Jesum nihil adhuc aliud suspicabatur esse quam hominem: *Unde*, inquit, *me nosti?* Jesus autem evidentius etiam declarans, se non latere quantumvis occultas hominum cogitationes: *Priusquam*, inquit, *Philippus te vocaret, quum esses sub ficu, jam videram te.* Colloquium fuerat duorum, neque quisquam erat arbiter, qui potuisset renuntiare. Locus expressius est, & in mysterio obiter notata est ficus, primæ transgressionis conscia, unde discedant oportet, qui volunt Christum agnoscere. Ex his indiciis palam erat, & totius colloquii argumentum Jesu non ignotum fuisse: cujus tamen non refricat mentionem, ne verecundo, & simpliciter percunctanti, videatur exprobrare incredulitatem.

49 Respondit ei Nathanael, & ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel.

49 Hæc simulatque audivit Nathanael, cui persuasum erat, soli Deo esse perspicua cordium secreta, & homine majus esse quod audiret, nihil jam offensus scrupulo de loci natalis vocabulo, plena fide testimonium reddidit Christo: *Rabbi*, inquiens, *tu es ille Filius Dei*, per quem Pater decrevit liberare populum suum: *tu es ille Rex Israel*, Prophetarum vaticiniis olim promissus.

50 Respondit Jesus, & dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis: majus his videbis.

50 Jesus tam promtam & alacrem viri fidem, ac professionem tam Euangelicam libenter amplectens, confirmat etiam Nathanaelis de se opinionem, & apertius jam indicans divinam naturam, ait: Ex hoc concepisti fidem, quod sim Messias ille promissus, & Rex Israel, quia dixi te mihi visum fuisse, tum quum esses cum Philippo sub ficu, atque ideo magnifice de me sentis. Videbis olim evidentiora signa: ex his crescet tua de me opinio.

51 Et dicit ei: Amen, amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra Filium hominis.

51 Moxque Jesus conversus & ad reliquos discipulos, quorum nullus adhuc de ipso pro dignitate sentiebat, ait: *Illud habetote pro certo, Videbitis aliquando cœlos apertos, & Angelos Dei adscendentes ac descendentes super Filium hominis.* Hoc ænigmate Dominus Jesus, simplicem licet ac sinceram suorum fidem, sed tamen rudem adhuc, & quæ procul abesset à perfecta cognitione sublimitatis Christi, excitabat ad exspectationem majorum miraculorum, & ex his cognitionem sublimiorem. Nam tametsi discipuli veluti per somnum admirabantur quiddam in Christo majus homine, tamen nondum ad plenum credebant in eo plenitudinem esse Divinitatis. Nathanael professus est eadem, quæ post Petrus professus est, sed quia non eodem animo, idcirco non audivit eadem, quæ ille audivit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cœlorum:* propterea quod in Litteris sacris, excellenti sanctimonia viri filii Dei vocantur, & alii quoque per afflatum divini Spiritus etiam futura prospiciunt nonnunquam, ut non usque adeo mirandum sit, si Christus ea nullo nuntio cognovit, quæ clam inter duos discipulos gesta sunt. Præterea quod, ceu magnifico titulo volens honorificare Jesum, appellavit illum Regem Israel, significat eum adhuc de regno terreno somniasse. Terrenum autem est & humile quiddam, regnum habere in mundo: sed longe sublimius est, Regem esse totius orbis, atque etiam Angelorum. Id innuit, quum ait Angelos veluti sedulos ministros, obsequii studio, sursum ac deorsum commeaturos super Filium hominis. Quanquam autem discipuli sermonem hunc Jesu, id temporis nondum intellexerant, tamen ceu semen recondidit in animos illorum, suo tempore progerminaturum. Post enim cognovimus Angelos frequenter obsequiis agnovisse Regem omnium, quum Gabriel illius conceptum nuntiaret, quum in nativitate canerent: *Gloria in excelsis Deo:* quum subinde apparentes Joseph, incolumitatem pueri procurarent: quum post tentationem Satanæ ministrarent illi: dum in agone sudanti solatium exhibent: dum in resurrectione frequenter apparent. Rursum quum omnibus spectantibus sublatus est in cœlum, aderant Angeli, promissi reditus sponsores. Sed id tum potissimum fiet, quum venturus est in nubibus, cum majestate Patris, cum universo Angelorum exercitu, judicaturus vivos & mortuos, ac traditurus regnum Deo & Patri.

CAP. II.

Baccho mutat aquam: fugit emtor: solvite templum: Interiora hominum pectora Christe vides.

1 Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: & erat mater Jesu ibi.

1 NEQVE diu commoratus est in Galilæa, quin edito miraculo inciperet declarare, non fuisse vanum Joannis de se testimonium. Erat quidem Jesus notior in Galilæa, quam in cæteris Judææ regionibus: sed tamen nihil adhuc præclari de illo sentiebant, cum fratrum etiam & cognatorum adhuc esset maligna de ipso opinio. Die igitur ab adita Galilæa tertio, celebrabantur nuptiæ in Cana, id est oppidum ejus regionis.

2 Vocatus est autem & Jesus, & discipuli ejus, ad nuptias.

2 Ad has ob affinitatem vocata fuerat mater Jesu, atque hac occasione vocatus est & Jesus ipse, una cum quatuor discipulis, quos modo collegerat.

3 Et deficiente vino, dicit mater Jesu ad eum: Vinum non habent.

3 Porro quum convivium incaluisset, ac deficiente vino, pudore periclitaretur sponsus, quod parum liberaliter apparasset nuptias: simulque metus esset, ne convivium redderetur parum hilare, sollicitis hac de causa convivis, mater Jesu Maria, muliebri quadam sollicitudine cupiens huic incommodo mederi, quum jam ex multis argumentis, atque etiam ex Joannis testimonio, non ignoraret virtutem filii sui, audet illum compellare, dicens: Fili, *vinum non habent.* Quod audet appellare, maternæ erat auctoritatis: quod nihil præscribit quid fieri vellet, reverentiæ est erga filium.

4 Et dicit ei Jesus: Quid mihi, & tibi est mulier? nondum venit hora mea.

4 Jesus autem jam aggressurus cœleste negotium Euangelii, cujus solum Patrem auctorem esse volebat, non patitur ullam humanam auctoritatem admisceri.

* Alia Editio, *ait.*

Digitized by Google

Non enim in hoc gerebat miracula, ut suorum cognatorum affectibus serviret, sed ut apud incredulam nationem signis corporalibus spirituali doctrinæ fidem præstrueret. Durius itaque matri respondet: non quod hanc talem non unice diligeret, qui sic amabat universum hominum genus, sed ut miraculorum auctoritatem ab humanis affectibus assereret, ac divinæ virtuti totam gloriam vindicaret. Hoc enim expediebat hominum saluti, quam sitiebat Jesus. Itaque non abnegans matrem, sed ab hujus negotii, quod gerendum erat, auctoritate declarans alienam, respondit: *Quid mihi tecum rei est, mulier?* Est mihi tempus præscriptum à Patre, quando, & quibus modis agere debeam negotium humanæ salutis, id nondum venit. Hactenus tuæ voluntati me præbui morigerum. Quod nunc restat, ex arbitrio Patris gerendum est, non ex humano præscripto. Alibi mater fuisti, posthac mihi nihil aliud eris quam mulier, quoties versor in Patris negotio. Hujus gloriæ quoties erit serviendum, nihil opus erit tua interpellatione. Ultro faciam, quod res ipsa postulabit: habeo tempus à Patre præscriptum. Sic & ante matrem admonuerat, adhuc puer, quod in Templo disputantem interpellassent. Sic rursum admonuit, quum apud populum concionantem evocari jussisset.

5 Dicit mater ejus ministru: Quodcumque dixerit vobis, facite.

5 Maria vero mater Jesu, nec offensa duriore responso filii, nec diffidens interim de illius bonitate pariter ac virtute, nihil ipsi quidem respondit: cæterum accitis ministris clam in aurem dicit: *Quicquid vos facere jusserit, facite.* Nimirum illud procurabat matris pia sollicitudo, ne famulorum incredulitas, aut non paratum obsequium obstaret, quo minus convivio subveniretur. Cæterum temporis ac rei gerendæ arbitrium filio relinquit tacita. Hæc nequaquam fortuito gerebantur, sed consulto Jesus differebat miraculum, quo magis omnibus innotesceret vini defectus, & necessitati, non ostentationi datum videretur. Sic enim omnia sua miracula gessit Dominus, ut non ad laudem humanam affectata, sed sublevandis hominum malis impensa viderentur, ita temperato rerum ordine, ut majore certioreque fide geri non possent.

6 Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas.

7 Dicit eis Jesus: Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum.

6,7 Jam igitur exspectantibus convivis, & ob vini inopiam sollicitis, Jesus tempus adesse sentiens, quo suis innotesceret, ministris mandat, ut sex hydrias lapideas, quæ illic stabant in eum usum, ut si quis juxta Judæorum consuetudinem, lotione se purgare vellet, haberet paratam aquæ copiam, quod ea regio siticulosa, nec ubivis fontibus ac fluviis irrigua sit, implerent aqua. Nimirum & hoc faciebat ad miraculi fidem, quod earum hydriarum solennis esset usus, nec alium liquorem unquam accepissent, præterquam aquæ. Quin & magnitudo vasorum faciebat ad miraculi fidem: nam singulæ capiebant binos aut ternos cados, ut nec loco facile moveri possent. Paruere famuli, & ut jussi fuerant, impleverunt hydrias aqua usque ad summum.

8 Et dicit eis Jesus: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt.

8 Id ubi factum esset, quo plures haberet miraculi testes, jussit ut haurirent ex hydriis, & quod hausissent, offerrent Architriclino, qui convivio curando præfectus erat: & partim quia sobrius, nam cui cura mandata est apparatus, is cæteris bibentibus abstemius esse consuevit, partim saporum peritus, & palati judicio callidus, majore fide pronuntiare poterat de vino, quam cæteri convivæ, quorum palata tam multo vino videri poterant obsurduisse.

9 Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam: vocat sponsum architriclinus,

9 Architriclinus autem simulatque gustasset vinum ex aqua factum, nec sciret unde esset haustum, suspicans errore ministrorum esse factum, quod tale vinum distulissent in extremum convivii, præter aliorum morem, vocat ad se sponsum, discere cupiens, quanam occasione is error accidisset.

10 Et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit: & cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est: Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.

10 Cæteri, inquit, qui solenne convivium exhibent, initio convivii optimum quodque vinum apponunt: post ubi jam temulenti, minus dijudicant palato, & hauriunt intemperantius, apponunt id quod deterius est. Tu contra vinum hoc, quo nullum adhuc appositum generosius est, servasti usque ad finem convivii. Atque hac occasione rei gestæ miraculum paulatim ad plures dimanavit, ac post, re ex famulis perquisita, cognitum est non solum aquam versam in vinum, sed etiam in vinum optimum. De hydriis nulla erat suspicio, quin soli aquæ fuissent consecratæ. Ministri aquam aquæ addiderant usque ad summum, iidem ex eo, quod infuderant, haustum obtulerant Architriclino sobrio. Sponsus agnoscit tale vinum apparatum non fuisse. Itum est ad hydrias, & compertum est ejusdem generositatis vino plenas esse.

11 Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ: & manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli ejus.

11 *Ab hoc facto Dominus Jesus auspicatus est in Cana Galilææ miraculorum gestionem*, paulatim prolaturus mundo divinæ suæ virtutis argumenta. Nam primum hoc in re non perinde seria, & privatim gestum est, ac propemodum matris ac cognatorum affectibus indultum est: qui hoc contemtius sentiebant de Jesu, quod essent illi sanguinis propinquitate conjuncti. Atque hoc signum tum temporis non ita multis animadversum est, sed post majore cum fide res manavit ad plures. Interim tamen discipulorum fides, qui aderant, confirmata est de Jesu, qui majora pollicitus, præstitit quod promiserat. Nec tamen hoc signum, quo veluti præluxit ad cætera, fuit otiosum. Primum enim sua præsentia voluit honestare nuptias, præscius olim exorituros, qui eas ut spureas damnarent, quum res sit Deo gratissima honorabile connubium, & thorus immaculatus. Deinde veluti typo quodam nobis adumbravit Jesus, quod tum aggrediebatur. Jam enim tempus erat, ut pro insipida ac diluta Legis Mosaicæ littera, biberemus generosum illud vinum Euangelici spiritus, Christo videlicet, quod erat inefficax & inutile nobis, vertente in melius. Lex enim Judæis absque Christo, non solum insipida est, verum etiam exitiabilis. Qui non crediderunt Euangelio, adhuc bibunt aquam Legis Mosaicæ: qui crediderunt Christo, spiritualis doctrinæ musto feliciter ad vitæ cœlestis amorem incalescunt, ac vegetantur. Nec id factum est prius quam Christus sibi jungeret Ecclesiam sponsam suam. Aderat illic & mater Jesu, Synagogæ typum gerens, cujus auctoritas minuitur: admonet tamen de vino, sed ipsa non præstat. Genuit tamen nobis eum, qui mentes nostras sui spiritus mero lætificat. Rei mysterio adstipulantur & ipsa locorum vocabula. Siquidem *Cana Galilææ* sonat *possessionem transmigrationis*. Jam enim collectum erat seminarium populi novi, qui à littera Legis ad spiritum Euangelicum, à mundo ad cœlum transmigraret.

12 Post hoc descendit Capharnaum ipse, & mater ejus, & fratres ejus, & discipuli ejus: & ibi manserunt non multis diebus.

12 Hoc signo Jesus in obscuro oppido inter cognatos, virtutis suæ declarationem auspicatus, descendit Capernaum. Ea civitas est in eadem Galilæa gentium, juxta Lacum Genezareth, finitima Zabulon & Neptalim, propter opum affluentiam, luxu diffluens, & superbia tumens. Porro juxta Philosophiam Euangelicam, quod altum est apud mundum, hoc abjectum est apud Deum. Descendunt una mater ejus, fratres, ac discipuli, atque ibi commorati sunt dies perpaucos, nec ullum miraculum est editum. Verum, hoc officii interim datum videtur matris & cognatorum affectibus, quos jam circumferri diutius nolebat: nimirum aggressurus majora: ne quæ gerebantur in gloriam Patris cœlestis, hinc sibi quicquam vindicaret affectus humanus. Cognatis igitur Capernaum relictis, Jesus quærit tempus ac locum idoneum palam declarandæ virtutis, ac auctoritatis suæ, quam à Patre cœlesti, non ab hominibus, acceperat.

13 Et prope erat Pascha Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam:

13 Etenim jam instabat celeberrimus ille dies Judæorum, qui dicitur Pascha, quod Hebræis *transitum* sonat. Hunc quotannis celebrabant ob veteris historiæ

riæ memoriam, quod majores eorum incolumes transiissent ex Ægypto, petituri terram à Deo promissam. Porro quod illi typo celebrabant, hoc per Christum vere agebatur: nimirum ut homines per Euangelicam fidem relictis errorum tenebris, ac vitiorum caligine, transferrentur ad innocentiam, ad lucem, ad immortalitatem. Quum igitur id temporis ingens esset Hierosolymis hominum frequentia, qui ad diem festum ex cunctis Syriæ regionibus confluxerant, Jesus eo se contulit, jam adscendens ad Patris negotium, qui Capernaum descenderat, cognatis obsequens.

14 Et invenit in templo vendentes, boves, & oves, & columbas, & nummularios sedentes.

14 Mox Templum ingreditur, qui locus religionis causa à plurimis solet frequentari. Christus autem veræ religionis erat magister. Quum autem esset ingressus Templum, religioni & cultui divino dicatum, offendit illic non Templi, sed fori speciem. Reperit enim illic permultos, qui in loco sacro sordidum atque iniquum etiam quæstum exercerent, & religionis occasionem verterent in rapinam. Siquidem hospitibus, ut esset quod offerrent, magno vendebant oves, boves, columbas, aliaque hujus generis, quæ juxta Judæorum consuetudinem solent offerri, sive donari Sacerdotibus: sed interim pacti cum Sacerdotibus & Levitis, ut eadem animantia accepta ab his qui obtulerant, rursum ipsis venditoribus revenderent, sed minoris, ut iterum cum lucro possent aliis hospitibus vendere: ita fiebat, ut spoliatis hospitibus, turpe lucrum, subinde ex eodem animante rediens, inter mercatores & Levitas dividerétur. Quoque paratior esset negotiatio, id quod in profano mercatu fieri consuevit, aderant & nummularii, sive collybistæ, qui minutiore moneta mutarent majorem, aut aurum argento, aut peregrinam pecuniam ejus loci moneta verterent: atque hinc quoque quæstus erat sordidus, nec multum abhorrens ab usura.

15 Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque, & boves, & numulariorum effudit es, & mensas subvertit.

15 Jesus jam tum ipso facto docens, quanta pestis Ecclesiæ sit, turpe lucri studium, & quantum ab hoc morbo abesse oporteat eos, qui se religionis Euangelicæ proceres profitentur, *contexuit sibi veluti flagellum è funiculis*, tanquam canes è domo Dei profligaturus, magnaque indignatione, simul & auctoritate, *omnes illos exegit è Templo*, negotiatores una cum suis mercibus exturbans. Neque enim solum ejecit homines, sed oves etiam ac boves, ne quid talium sordium hæreret. *Quin & collybistarum æs effudit in terram, ac mensas etiam subvertit*, docens hæc prorsus esse conculcanda religionis veræ cultoribus.

16 Et his qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.

16 *Cæterum his, qui columbas vendebant*, indignabundus *dixit: Auferte ista hinc, & ne ex domo Patris mei feceritis domum negotiationis.*

17 Recordati sunt vero discipuli ejus quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me.

17 Discipuli vero quum viderent Jesum, alioqui placidum ac mitem, hîc tanta severitate profligantem, qui Templi religionem sordido quæstu profanabant, recordati sunt ejus prophetiæ, quam habet Psalmus sexagesimus octavus: *Zelus domus tuæ comedit me.*

18 Responderunt ergo Judæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis quia hæc facis?

18 Porro Judæi cum audissent, quod domum Patris sui nominans, peculiari quadam ratione se declararet Filium Dei, viderentque palam, tanta cum auctoritate sævientem in eos, qui videbantur rem Sacerdotum ac religionis adjuvare, obstrepunt illi, ac dicunt: Si Deus Pater tuus est, & si Patris contumeliam vindicas, ede miraculum aliquod, ut intelligamus, te Patris auctoritate hæc facere. Si ista facis auctoritate tua, temeritas est: si divina, quod signum profers, ut credamus tibi?

19 Respondit Jesus, & dixit eis:

19 Jesus autem sciens eos calumniaturos, etiamsi quod miraculum ad ostentationem edidisset, quum ille nullum unquam miraculum ediderit, nisi ad sublevandam egentium necessitatem, ut quod esset divinæ virtutis argumentum, idem esset & humanæ necessitatis beneficium: sub ænigmate promisit eis signum, quod si tum palam fuisset eloquutus, non erant crediturí, quando ne tum quidem crediderunt, quum esset exhibitum. Id erat signum mortis & resurrectionis. Idem erat signum Jonæ, quod post multis editis miraculis & adhuc flagitantibus signum de cœlo, promisit. Nunc autem idem rudibus adhuc tectius etiam promittit. Sermonis occasionem, Templum, in quo versabantur, præbebat, de quo Judæi supra modum gloriabantur. *Solvite*, inquit, *templum hoc, & in triduo excitabo illud.* *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.*

20, 21 Hoc ænigmatis ne Apostoli quidem tum intelligebant. Sed cognita tandem resurrectione, ex re compererunt sensum orationis. Jesus enim sentiebat de templo corporis sui, quod illi per suam malitiam morte essent soluturi, ipse virtute divina intra triduum resuscitaturus. Hoc Judæis non solum absurde, verum etiam impie dictum videbatur. Nam jubere solvi Templum tantæ religionis, impium erat; tam operosam fabricam intra triduum excitare, dictu absurdum videbatur. Qualis autem erat illorum intellectus, talis fuit responsio: *Quadraginta sex annis*, inquiunt, *fudatum est in hoc Templo* post Babylonicam captivitatem *instaurando, & tu triduo excitabis illud?* *20 Dixerunt ergo Judæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? 21 Ille autem dicebat de templo corporis sui.*

22 Ad eam objectionem non respondit Dominus Jesus, sciens se nihil profecturum, si sermonis involucrum explicuisset, quando nec post tot editis signis, tot prædicationibus instructi discipuli potuerunt ferre mentionem mortis, nec credere mysterium resurrectionis. Hæsit tamen hoc dictum ceu semen quoddam in animis auditorum, sed in aliis alium fructum protulit. Siquidem Judæi memores, hunc sermonem veluti capitale crimen objecerunt illi apud Sacerdotes impios. Discipuli quod assequi non poterant, tamen recondentes in pectore, quid sibi vellet admirabantur, donec peracta resurrectione Spiritus Sanctus doceret illos, Christum templi vocabulo suum ipsius corpus significasse. Id erat multo sacratius Templo, quod religiose venerabantur Judæi, ut in quo inhabitaret plenitudo Divinitatis. Et tamen saxeum illud Templum violare sacrilegium erat: at sacratissimum illud templum sanctissimi corporis nihil veriti sunt impie demoliri. Sed idem Solomon, qui sibi ex virgine Maria condiderat templum hoc, ab illis solutum restituit intra triduum, juxta Prophetarum vaticinia. Tum itaque discipuli conferentes Scripturas cum sermone Jesu, intellexerunt hoc esse maximum signum, quo Judæis declararet suam Divinitatem: Quanquam enim legimus aliquot homines revixisse, nemo tamen præter unum Dominum Jesum excitavit seipsum ad vitam. Solus enim in se potestatem habebat deponendi animam suam, & eandem resumendi, quum vellet. Atque his quidem initiis Jesus excitavit totius Judaicæ gentis in se exspectationem instante die festo. *22 Cum ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli ejus, quia hoc dicebat, & crediderunt scripturæ, & sermoni, quem dixit Jesus.*

23 Cæterum quum per aliquot dies Paschæ Hierosolymis commoratus, & signis & doctrina jeciisset aliqua semina fidei Euangelicæ, multi fidem habuerunt dictis illius, credentes eum esse Filium Dei, quem se esse prædicabat, magis commoti miraculis quæ perpetrabat, quam verbis. Nam Judæi non tam ratione commoventur, quam visis prodigiis. *23 Cum autem esset Hierosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa ejus, quæ faciebat.*

24 Cæterum Jesus jam tum formam & imaginem nobis ostendens Euangelici doctoris, cujus prudentiæ est, non statim omnia mysteria doctrinæ sublimis rudium animis committere, cujus mansuetudinis est, infirmos adhuc & imperfectos tolerare, donec proficiant ad sublimiora, quoniam sciebat fidem illorum adhuc esse rudem & ancipitem, & animos illorum nondum esse capaces mysteriorum Euangelicæ Philosophiæ, ne subito versis populi studiis, tumultus aliquis nasceretur, non sese credebat promiscuæ multitudini. Complures enim erant, quos urebat hæc auctoritas, præsertim qui Jesu doctrinam & gloriam suo quæstui & auctoritati offecturam arbitrabantur. Nondum eruperat Pharisæorum & Scribarum livor *24 Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes,*

Digitized by Google

in manifestam calumniam, sed tamen invidiam ac malevolentiam in corde premebant, captantes occasionem lædendi. Eoque, quia nondum prodesse poterat Jesus, ne præberet malis occasionem majoris mali, subduxit sese ab illis, eo quod ipse nosset omnium tacitas cogitationes:

25 Et quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.

25 Nec opus haberet, ut quisquam apud eum testificaretur de homine. Ipse enim, quem nihil fugiebat, ex sese sciebat quid lateret in recessu cordium uniuscujusque. Nec interim suæ saluti consulebat Jesus, qui sponte in hoc venerat, ut pro salute mundi mortem oppeteret, sed illorum malitiæ peccandi materiam subtrahebat.

CAP. III.

Christe doces Nicodemum: lucem perditus odit: Joannem minui, crescere Christum opus est.

1 Erat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum.

1 INTER multos autem, qui ex conspectis Jesu miraculis nonnullam de eo opinionem conceperant, erat quidam nomine Nicodemus, sectæ Pharisaicæ, ex eorum ordine, qui apud Judæos primores habebantur.

2 Hic venit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.

2 Hic non ignorans esse permultos sui ordinis ac sectæ, qui Jesu subinviderent & insidiarentur, adiit Jesum, sed nocte, re declarans quod imbecillus ac vacillans adhuc esset in amore erga Jesum, quem hactenus admirabatur, ut tamen nollet ejus causa suæ gloriæ jacturam apud homines facere, nec ejus gratia in sui ordinis invidiam pertrahi. Metus autem erat potius, quam impietas: & pudor humanus vecrius, quam perversitas. Atque hic pudor in quorundam animis tantam vim habet, ut qui rem & vitam possunt contemnere, affectum hunc, generosis ingeniis potissimum insitum, non possint vincere. Pudebat enim eum, qui inter Judaicæ gentis principes dignitate præminebat, humilis Jesu discipulum videri: timebat ne cui primus confessus in Synagoga tribuebatur, ejiceretur è Synagoga. Jesus autem mansuetissimus doctor, qui *calamum confractum non comminuit, nec linum fumigans exstinguit*, non repulit timidum atque intempestivum salutatorem, sed comiter accipit imbecillem quidem, sed malitiæ expertem, & ob hoc dignum qui paulatim ad sublimiora provehatur: statimque quantum ex ejus miraculis conspectis profecerit aperiens, hac præfatione captat benevolentiam Jesu: Rabbi, inquit, jam illud perspectum habemus doctrinam istam tuam non esse talem qualis est Pharisæorum. Res enim ipsa loquitur, ipsam * docendi auctoritatem non ab homine traditam, sed à Deo. *Nullus enim posset hæc edere miracula, quæ tu profers, nisi Deum habuerit sibi præsentem* & opitulantem. Hanc opinionem de Jesu Nicodemus ut magnificam ac præclaram proposuit, quum longe esset infra illius dignitatem. Nihil enim aliud eum esse suspicabatur, quam Prophetam aliquem, cui Deus faveret, & adesset in edendis miraculis, quasi suapte virtute non ea patraret.

3 Respondit Iesus, & dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.

3 Jesus autem nec hominis imperfectam de se opinionem refellit, nec statim se jactat quantus sit, sed blanda comitate docilem paulatim provehit ad Euangelicæ doctrinæ penitiora mysteria. Judæi, qui tantum adhuc aquam Mosaicæ Legis biberant, qui præter Joannis baptismum nihil noverant, nec adhuc gustarant vinum Euangelicæ doctrinæ, nec dum per Spiritum & ignem baptizati fuerant, præter carnem nihil sapiebant, & ob id ad Euangelicam Philosophiam, quæ tota spiritualis est, admodum rudes. Proinde Dominus non exprobravit illi suam ruditatem, non animum utroque claudicantem, & mundo Deoque sese partientem: nondum protulit illud, quod post à provectioribus discipulis exigit: *Quem mei puduerit apud homines, hujus & me pudebit apud Patrem meum*: sed obscuris dictis elicit hominis ruditatem, ut paulatim erudiat, & ab affectu carnali transferat ad intelligentiam spiritualem: Illud, inquit, habeto pro indubitato, Nicodeme, *nisi quis denuo* velut in novum hominem *renascatur, non potest videre regnum Dei.* Adeo nova est hæc doctrina, quam cupis ex me discere.

4 Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci?

4 Id quum dictu absurdum videretur Nicodemo, crasse quidem, sed simpliciter respondens, ait: *Qui fieri potest, ut homo jam ætatis provectæ*, quemadmodum ego sum, *nascatur denuo? Num qua fieri potest, ut rursus introeat in uterum maternum, & inde nascens denuo prodeat?*

5 Respondit Iesu: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

5 Ne hoc quidem tam crasso responso offensus Jesus, gravatur interpretari, quid sit nasci denuo, sive è supernis: Verissimum est, inquit, Nicodeme, quod dixi: Renascendum est ei, qui velit esse capax Euangelicæ doctrinæ: sed aliud nativitatis genus est, de qua loquimur: non enim est carnalis, sed spiritualis; nec constat propagatione corporum, sed transformatione animarum. Nec hac nativitate rursus efficimur filii hominum, sed filii Dei. Itaque pro certo habe quod modo dixi: *Nisi quis denuo natus fuerit per aquam & Spiritum Sanctum*, & ex carnali fiat spiritualis, *non poterit ingredi regnum Dei*, quod prorsus spirituale est. Simile nascitur de simili.

6 Quod natum est ex spiritu, spiritus est.

6 *Quod è carne nascitur, nihil aliud est quam caro*: cæterum *quod è spiritu natum est, spiritus est.* Quantum autem interest inter carnem & spiritum, inter corpus & Deum, tanto præstantior est hæc, de qua loquor, generatio, ea quæ corpus propagat è corpore. Qui juxta carnem nati, nihil aliud quam carnem sapiunt, nihil esse credunt, nisi quod sensibus percipiunt. Atqui ea, quæ nec videntur, præstantissima sunt, vimque maximam habent, quum caro sit infirma & impotens.

7 Non mireris quia dixi tibi: oportet vos nasci denuo:

7 Quare quum alia sit nascendi ratio, non est quod mireris, homini secundum carnem nato, ut esset filius hominis, eidem secundum spiritum invisibiliter esse renascendum, ut possit esse filius Dei, qui Spiritus est: & aptus regno cœlorum, quod spirituale est, non carnale.

8 Spiritus ubi vult spirat: & vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat: sic est omnis, qui natus est ex spiritu.

8 Quod si nondum animo consequeris, sume tibi imaginem ab his rebus, quæ cum spiritualibus nonnullam habent congruentiam, & tamen corporeis sensibus percipiuntur. Deus simplicissimus est Spiritus, proculque semotus ab omnibus sensibus corporeis: sed hic aer, quo vegetamur, & cujus tantam vim & utilitatem sentimus, quoniam ad nostra corpora collatus, subtilior est, spiritus dicitur. Atque hic spiritus non cohibetur hominum arbitrio, sed impetu suo fertur quo visum est, per omnia se diffundens, mirificam vim inserens rebus corporalibus, nonnunquam vitam adferens, nonnunquam mortem: nunc tranquillus ac tacitus, nunc rursus violentior: interim ab Oriente spirans, interim ab Occidente, interim ab aliis atque aliis mundi partibus: & effectu se prodit: ac vocem illius audis, quum nullum corpus videas, nec sit quod manibus possis apprehendere: sentis præsentem, nec vides venientem, nec vides quo se proripiat abiens. Tale quiddam habet hæc spiritualis nativitas. Arcanis afflatibus mentes hominum à Dei Spiritu rapiuntur ac transformantur. Vis & effectus ineffabilis sentitur, nec tamen oculis cernitur id, quod agitur. Et qui sic renati sunt, non jam aguntur humano carnalique spiritu, sed Spiritu Dei, qui vivificat ac moderatur omnia.

9 Respondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri?

9 Nicodemus adhuc crassior, non repugnans quidem Jesu, sed sermonis intelligentiam non assequens, & planius etiam exponi cupiens quæ audierat, dicit Jesu: *Qua ratione possunt ista fieri*, ut homo corporeus renascatur in spiritum, & ex Deo nascatur divinus.

10 Respondit Iesus, & dixit ei: Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?

10 Jesus ostendens ea, quæ cœlestis doctrinæ sunt, non percipi rationibus humanis, sed fide potius comprehendi, & ad hæc indociles esse mundi Philosophos, humana sapientia turgidos, & Pharisæos, qui litteram Legis magno supercilio profitebantur, quum spi-

*Alia Editio, *istam*.

Digitized by Google

ſpiritum Legis ignorarent: ſed hanc eſſe ſapientiam, quam Pater cœleſtis celaret prudentes hujus ſeculi, & aperiret his, qui juxta mundum humiles eſſent & idiotæ, reſpondit Nicodemo: *Tu haberis magiſter in Iſrael*, & profiteris te doctorem populi, *& hæc*, quæ potiſſimum oportebat ſcire, *ignoras?* Quantum igitur abeſt populus à ſpirituali doctrina, ſi tu tantus populi doctor hæc non aſſequeris?

11 *Amen, amen dico tibi, quia quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis.*

11 Sed interim credidiſſe profuerit, quod intellectu non potes aſſequi. Fides præſtabit, ut hæc ſentias, etiamſi non videas. Etenim ſi aeris hujus naturam & impetum cum ſentias, non potes ingenio conſequi, quomodo conſequeris hæc longe ſublimiora, & ab omni ſenſu corporis ſemotiora? Siquidem divina cum ſint, longe ſuperant humanas mentes, niſi & ipſæ divino Spiritu afflentur. Mihi vero tuto credas, qui hæc, quæ cœleſtia ſunt, non ſolum afflatu ſentiam, aut audierim, quemadmodum Prophetæ ſenſerunt, quorum de numero tu me eſſe credis, ſed comperta certaque loquimur, & quod vidimus in cœlo, hoc vobis teſtificamur in terris. Sed vos, qui nondum eſtis renati per ſpiritum, hæc ſpiritualia non creditis. Creditis homini, de his, quæ corporeis oculis vidit, teſtimonium ferenti, & non creditis ei, qui cœleſtis ipſe cœleſtia vidit oculis ſpiritualibus. Ut certius ſunt cœleſtia quam terreſtria, ita certius cernuntur ab eo, qui cœleſtes habet oculos. Hæc autem dicebat Dominus Jeſus ſub involucro, ſignificans ſibi divinam eſſe naturam, quanquam corpus mortale circumferret: atque hoc teſtimonium, quod ipſi tribuerat Nicodemus veluti magnificum, quod à Deo miſſus eſſet, juxta ſenſum illius, qui proloquutus eſt, longe eſſe infra ipſius dignitatem. Siquidem Nicodemus nihil adhuc altius ſentiebat de Jeſu, niſi quod ſic eſſet miſſus à Deo, quemadmodum cæteri Prophetæ leguntur à Deo miſſi, & quemadmodum Joannes miſſus erat à Deo: ſed longe ſublimius Filius miſſus erat à Deo, qui ſemper fuiſſet apud Patrem ante quam mitteretur, & jam tum eſſet apud Patrem juxta divinam naturam, qua non recedit unquam à Patre.

12 *Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo, ſi dixero vobis cæleſtia, credetis?*

12 Quoniam autem ad hujus myſterii ſublimitatem, quomodo in eodem divina natura conjuncta eſſet cum humana, ut idem in terris ageret homo mortalis, & idem apud Patrem eſſet Deus immortalis, quæ hactenus dixerat de renaſcendo per aquam & ſpiritum, craſſiora videri poterant, ſubjecit Dominus Jeſus: Si mihi, terrena quædam adhuc vobis prædicanti, ob carnalem animi ſenſum non creditis, quomodo crediturus ſitis, ſi prædicavero vobis ea quæ plane cœleſtia ſunt, quæ tamen ipſe & vidi, & certius cognovi, quam quæ vos oculis corporeis videtis?

13 *Et nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis, qui eſt in cælo.*

13 Quis autem hominum, aut Angelorum, tantus fuit, ut adſcenderet in cœlum, cœleſtia contemplaturus, & ipſam divinam naturam, ut eſt, coram adſpecturus? Nemo prorſus adſcendit in hoc cœlum, niſi Filius hominis, qui è cœlis deſcendit in terras, qui idem jam nunc verſatur in cœlis, nunquam à divinitatis contemplatione ſecluſus, licet interim humilis & obſcurus videatur in terris. Sed ita viſum eſt divino conſilio, Dei gloriam per ſummam ignominiam & humilitatem declarare mundo, ut homines relicta falſa gloria, eadem via properent ad veram atque æternam gloriam. Quod ſi quis roget: Quæ neceſſitas compulit Dei Filium deſcendere de cœlis, & in terris humilem & abjectum verſari? nihil aliud in cauſa fuit, quam ſumma caritas Dei Patris erga genus hominum, cui ſervando Filium ſuum unigenitum tradidit in mortem, & mortem juxta mundi exiſtimationem probroſam.

14 *Et ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto; ita exaltari oportet Filium hominis:*

14 Unum impendere voluit omnium ſaluti. Nec hoc ſubitum aut novum tibi, Nicodeme, videatur. Hoc ipſum eſt, quod futurum adumbravit Moſes, quum pereunte populo ſerpentium incurſu, ſerpentem æneum ſuſpendit in ſtipite, ut quicunque ſexiſſent huc oculos ſuos, incolumes eſſent à morſu lethali. Quemadmodum igitur æneus ille ſerpens ſpeciem quidem habens venenatæ beſtiæ, ſed adeo veneno carens, ut alios etiam veneno tactos liberaret, ſuſpenſus eſt in deſerto, quo conſpicuus eſſet omnibus ad ſalutem: ita oportet exaltari Filium hominis:

15 *Ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

15 Ut omnes, qui huc per fidem ſuſtulerint oculos, à lethifero peccati veneno liberentur: ut non ſolum Iſraelitæ, ſed omnino quiſquis hominum ſincero pectore fiduciam in illo collocet, non pereat peccato obnoxius, quod mortem adfert æternam: ſed per mortem unius innocentis, vitam obtineat æternam. Hujuſmodi quibuſdam ænigmatis Dominus Jeſus aſſumti hominis & orbis per crucem redimendi myſterium aperuit, nondum licet earum rerum capaci: ſimul interim aperiens, quantum intereſſet inter eos, qui Legem carnaliter legerent, præter hiſtoriam nihil animadvertentes: & eos qui Spiritus afflatu, de quo fuerat mentio, ſenſum arcanum ſub Scripturæ tectorio latentem perciperent. Sed tamen hæc fidei ſemina, tum Dominus Jeſus injecit in animum Nicodemi, ut poſt intelligeret hoc non fortuito, ſed divino conſilio geſtum eſſe, atque ita bonum ſemen exceptum in terram bonam, fidei fructum produceret ſuo tempore, non ſolum in ejus pectore, qui hæc audivit, verum etiam in omnium animis, ad quos per Nicodemum referentem hæc erant permanatura.

16 *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

16 Quis enim crediturus erat, tantam fuiſſe Dei caritatem erga mundum Deo rebellem, & tot flagitiis obnoxium, ut non ſolum non ulciſceretur admiſſa ſcelera, ſed Filium etiam unicum è cœlis dimitteret in terras, atque hunc in mortem, & mortem crucis probroſiſſimam traderet, ut quiſquis hominum, ſive Judæus, ſive Græcus, ſive Barbarus in hunc crederet, non periret, ſed per fidem Euangelicam vitam conſequeretur æternam?

17 *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.*

17 Quanquam enim olim Pater per Filium judicaturus eſt univerſum mundum in adventu poſtremo, tamen hoc tempore, quod clementiæ datum eſt, non miſit Deus Filium ſuum ut condemnet mundum pro ſuis ſceleribus, ſed ut ſua morte mundo per fidem conferat ſalutem gratuitam: & ne quis ſponte periens haberet quod prætexeret ſuæ malitiæ, facilis aditus datus eſt omnibus ad ſalutem.

18 *Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus eſt: quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.*

18 Non enim exigitur pro prioribus admiſſis ſatisfactio, non Legis obſervatio, non circumciſio, tantum qui credit illi, tutus eſt à condemnatione, nimirum illud amplexus, per quod ſalus æterna datur omnibus, quantalibet peccatorum ſarcina gravatis, ſi modo poſt Euangelicam profeſſionem abſtineat à vitæ prioris flagitiis, & juxta doctrinam ejus, cujus nomen profeſſus eſt, proficere nitatur ad perfectam pietatem. Porro quiſquis non credit Euangelio, tantam Dei erga ſe caritatem contemnens, & ſalutem gratis oblatam ab ſeſe repellens, nihil opus habet, ut à quoquam judicetur, quum ipſe palam condemnet ſeipſum, & æternæ pœnæ reddat obnoxium, hoc à ſe repellens, per quod licebat aſſequi vitam æternam. Deus per unigenitum Filium ſuum ſalutem omnibus obtulit, idque per fidem, ut illum ſalutis auctorem agnoſcamus ac veneremur, & in illo totius felicitatis noſtræ fiduciam collocemus. Hoc qui recuſat, & Dei tam obviam bonitatem adſpernatur, & Filium, quem Pater honorificari voluit, contumelia afficit, & mortem illius pro nobis obitam, pro nihilo ducit, re nimirum ipſa declarat ſe ſe dignum æterno ſupplicio.

19 *Hoc eſt autem judicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim eorum mala opera.*

19 Quis enim non intelligit, illum merito & ſuapte culpa perire, qui volens ac ſciens amplectitur id, per quod perit: & averſatur id, per quod ſalus poterat reſtitui? Error & peccata tenebræ ſunt animorum, & peccata mortem gignunt æternam. Filius Dei lux eſt mundi: lux enim eſt veritas. Huic

Digitized by Google

credere ſalus eſt. Itaque quum benignitate Dei lux venerit in mundum, ignorantia veri & innumeris vitiis caligantem, ut cognita veritate reſipiſceret ac ſervaretur, homines magis amarunt ſuas tenebras, quam lucem cœlitus miſſam. Si perit ægrotus, qui medicum celat morbum ne ſanetur, nonne ipſe de ſe pronuntiat, quod ſuo vitio perit? Sic homines mundo dediti, lucem oblatam averſabantur, quod mala eſſent ipſorum opera.

20 Omnis enim qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus:

20 Ut enim is, qui rem dedecoroſam patrat, noctem amat, ac Solem fugit, ne prodantur ipſius facta: ita qui ſibi male conſcii ſunt, oderunt lucem Euangelicæ veritatis, per quam produntur ea quæ turpia ſunt, ut emendentur. Neque enim ſanari poteſt, qui morbum amat ſuum. Sibi diſpliceat oportet peccator, ut Deo placeat.

21 Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus, quia in Deo ſunt facta.

21 Cæterum cujus opera recta ſunt, is amat Solem, ut ex recte factis laudem inveniat. Ita qui ſibi bene conſcius eſt, aut certe qui ſanari cupit, nec diſſimulat ſua peccata: nam hæc quoque veritas eſt, agnoſcere tuum malum quod habes, & ambire bonum quod non habes: ultro ſe offert Euangelicæ luci, ut palam fiant ipſius opera, & quæ bona ſunt, laudem habeant, quæ *non ex mundi ſpiritu, ſed ex Deo profecta ſunt: & quæ mala ſunt, corrigantur. Cæterum qui ex Legis obſervatione ſibi perfectam juſtitiam arrogant, cum intus madeant vitiis animi, qui in Philoſophiæ præſidiis, qui in hujus mundi commodis felicitatem conſtituunt, aut in magnis verſantur tenebris, ſi hoc ex animo ſentiunt: aut in majoribus etiam, ſi quod ſentiunt eſſe malum, excæcati ſuis cupiditatibus mordicus tenent, & quod vident eſſe ſalutiferum, pertinaciter averſantur. Hujuſmodi myſteriorum ſemina quædam Dominus Jeſus recondiderat in pectus Nicodemi. Atque hic eſt ille Nicodemus, qui poſt auctoritate ſua patrocinatus eſt Jeſu adverſus Phariſæorum calumnias, dicens neminem eſſe condemnandum, niſi perſpectis ipſius operibus: quique mortuo ſepulturæ officium exhibuit.

22 Poſt hæc venit Ieſus, & diſcipuli ejus, in terram Iudæam: & illic demorabatur cum eis, & baptizabat.

22 His igitur Euangelicæ gloriæ fundamentis jactis in Galilæa & Hieroſolymis, Jeſus quo magis ac magis propagaretur, profectus eſt in terram Judæam, cui nomen peculiariter inditum à Juda tribus auctore, unde genus ducit & Jeſus: atque illic aliquandiu commorabatur cum diſcipulis ſuis, iiſdem initiis exordiens prædicationem Euangelicam, unde cœperat Joannes. Provocabat enim ad pœnitentiam, & baptizabat.

23 Erat autem & Ioannes baptizans in Ænnon, juxta Salim: quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur.

24 Nondum enim miſſus fuerat Ioannes in carcerem.

23, 24 Atque id temporis baptizabat adhuc & Joannes. Nondum enim ab Herode conjectus erat in carcerem. Baptizabat autem non jam in Jordane, ut ſolet, ſed in obſcuriore loco, cui nomen Ænon, non procul à Salim, quod Syris ſonat *ſcatebras*, unde illic baptizandis ſuppetebat aquæ copia. Eo loci multi ſe conferebant, & ab Joanne baptizabantur: nonnulli ſe conferebant ad Jeſum, & à diſcipulis illius baptizabantur.

25 Facta eſt autem quæſtio ex diſcipulis Ioannis cum Iudæis de Purificatione.

25 Atque hinc invidia orta quibuſdam diſcipulis Joannis adverſus Jeſum, quod cum ipſe nuper baptizatus eſſet à Joanne, ſeque veluti pro diſcipulo illius geſſiſſet, ac illius teſtimonio fuiſſet populo commendatus, nunc repente ſeſe æquaret illi, imo ſe illi anteponeret, cujus diſcipuli ſibi ſumerent, quod hactenus ſolus Joannes feciſſet. Ac primum conati ſunt populum à baptiſmo diſcipulorum Jeſu avertere, perſuadere conantes, Joannis baptiſmum efficaciorem eſſe peccatis abluendis, quam baptiſmum Jeſu.

26 Et venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.

26 Id cum populo non perſuaderent, adierunt Joannem, querelam ad illum deferentes, & exiſtimantes illum indigne laturum, & aliquo modo cohibiturum hanc æmulationem. Atque hic humanus affectus diſcipulorum Joannis profecit ad Chriſti gloriam, & evidentius etiam Joannis de Chriſto teſtimonium elicuit. Deferunt autem rem his verbis: *Magiſter, is qui* nuper *apud te fuit*, cum baptizares *juxta Jordanem*, & abs te baptiſmum ſuſcepit, *quemque tuo teſtimonio ornaras* apud multitudinem, cum omnibus eſſet ignotus, *nunc* idem ſibi ſumit quod tu, *palam baptizans*, atque *omnes ad illum confluunt*: ita futurum eſt, ut per illum auctoritas tua obſcuretur. Hæc diſcipuli Joannis ſtudio quodam humano, cupientes ſui præceptoris gloriam in dies augeri, & hac gratia Chriſto invidentes, cujus auctoritas videbatur offectura Joannis opinioni.

27 Reſpondit Ioannes, & dixit: Non poteſt homo accipere quidquam, niſi fuerit ei datum de cælo.

27 Hæc cum audiſſet Joannes, ſic diſcipulorum ſuorum pravo affectui mederi ſtuduit, ut oſtenderet ſeſe non ſolum non ægre ferre, quod Jeſu gloria in dies creſcens ſuam obſcuraret, verum etiam vehementer gaudere, ſe munus delegatum expleviſſe, nunc adeſſe Chriſti tempus, qui longe ſublimiora præſtaturus eſſet. Reſpondit igitur hunc in modum: Quid humano affectu vultis in me gloriari? An poſtulatis ut me ipſum majorem faciam quam ſim? *Non poteſt homo quicquam accipere, niſi fuerit ei datum cœlitus.* Hæc enim non geruntur humanis præſidiis, ſed auctore Deo. Quod muneris ille mihi delegarat juxta modum meum, id bona fide peregi. Præcurſorem geſſi, provocavi ad pœnitentiam, denuntians inſtare regnum Dei. Aquæ baptiſmo præparavi multos ad baptiſmum ſpiritus & ignis: indicavi, quem poſthac oporteret ſequi, & unde perfectam ſalutem petere.

28 Ipſi vos mihi teſtimonium perhibetis, quod dixerim: Non ſum ego Chriſtus: ſed quia miſſus ſum ante illum.

28 Si mea valet apud vos auctoritas, cur meis dictis fidem non habetis? *Ipſi teſtes eſtis*, quod non ſemel palam *profeſſus ſim, me non eſſe Chriſtum*, quem multi putabant eſſe: nec in aliud eſſe miſſum, quam ut præcurrens illi venienti viam præpararem. Famulus illius ſum: ille Dominus eſt omnium. Quod ſi ille jam innoteſcit mundo, ſuaque gloria meam obſcurat, gaudeo meum teſtimonium verum eſſe. Nam illud unice erat in votis, ut huc proficeret meus famulatus.

29 Qui habet ſponſam, ſponſus eſt: amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Hoc ergo gaudium meum impletum eſt.

29 Quemadmodum enim ei debetur ſponſa, qui vere ſponſus eſt: cæterum qui ſponſus ipſe non eſt, ſed tantum amicus ſponſi, non invidet ſponſo ſuam felicitatem, neque præripit illi ſponſam ſuam, ſed gratulatur ei, cui favet ex animo, & adſtat illi tacitus, magnoque animi gaudio audit ſponſi vocem cum ſponſa colloquentis: ita ego, cui nihil erat optatius, quam ut ille tantus agnoſceretur eſſe, quantus eſt, & ego deſinerem major videri, quam eſſem, gaudio perfundor, intelligens rem bene ſuccedere.

30 Illum oportet creſcere, me autem minui.

30 Illum, qui hactenus longe minor habitus eſt, quam eſt, oportet creſcere; me, qui major habitus ſum, quam eram, decet minui. Sic expedit hominum ſaluti, & meam opinionem obſcurari, & illius gloriam in dies augeſcere, & à me deſciſcere diſcipulos, & ad illum demigrare, ad cujus potentiam mea diluta eſt & inefficax, tantoque inferior baptiſmus, quanto eſt ignis aqua potentior. Æquum eſt terrena cedere cœleſtibus, humana divinis, imperfecta perfectis.

31 Qui deſurſum venit, ſuper omnes eſt. Qui eſt de terra, de terra eſt, & de terra loquitur. Qui de cælo venit, ſuper omnes eſt.

31 Qui è terra profectus eſt, terrenus eſt, ac terrena humiliaque loquitur. Quid enim aliud poteſt homo, quam humana loqui? Cæterum is, qui è cœlo profectus eſt, ſuperat omnes, etiam quamlibet magnos homines.

32 Et quod vidit, & audivit, hoc teſtatur: & teſtimonium ejus nemo accipit.

32 Nos tenuem aurulam cœleſtium rerum hauſimus, &, ut poſſumus, teſtificamur. Cæterum ille, quod in cœlis vidit & audivit apud Patrem, certiſſima fide apud homines teſtificatur. Ac me tanto inferiorem mirantur homines, illius teſtimonium vix quiſquam recipit: meum, qui famulus ſum, de illo teſtimonium requirunt, & illius de Patre teſtimonium rejiciunt. Et tamen ſi quis mihi diffidit, diffidit homini: ſi quis non credit illi, qui Filius eſt unicus, id quod Pater ſua voce teſtatus eſt, facit

* Alia Editio, *quia*.

Deum

Deum mendacem. Judæi Patrem adorant, & Filium ab illo missum afficiunt contumelia, sed omnis in Filium contumelia, recidit in Patrem.

33 Qui accepit ejus testimonium, signavit quia Deus verax est.

33 Quisquis igitur accipit testimonium Filii, is credens Filio, certo confirmat Deum esse veracem, qui loquitur in Filio.

34 Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad mensuram dat Deus spiritum.

34 Filius enim, qui missus est à Patre, non loquitur humana, sed verba Dei. Locutus est Deus & per Prophetas, & unicuique pro suo modulo Spiritum suum impartiit: sed huic unico Filio suo non dedit Deus Spiritum suum ad certum modum, sed totam plenitudinem sui Spiritus effudit in eum, adeo ut nihil habeat Pater, quod huic desit: & quicquid huic detraxerit hominum incredulitas, id Pater sibi detractum putet.

35 Pater diligit Filium: & omnia dedit in manu ejus.

35 Pater enim Filium unicum unice amat, ac rerum omnium summam tradidit illi in manum, non se spolians sua potentia, sed huic eandem, quam habet, virtutem communicans.

36 Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

36 Quicquid autem conferre voluit humano generi Deus, hoc per Filium largiri voluit. Offert autem omnibus rem non mediocrem. Offert enim vitam æternam, sed per eum, qui solus est fons vitæ æternæ. Sed hujus tam eximii muneris se reddit incapacem, qui recusat accipere. Recusat autem, qui non credit, Filium posse largiri quod pollicetur, simulque mendacii Patrem insimulat, qui per Filium vana polliceatur. Magna est igitur merces credulitatis, & atrox damnum incredulitatis. Etenim quisquis fiduciam suam ponit in Filio, jam habet Filium: quisquis habet Filium, habet vitam æternam. Contra, qui diffidit Filio, quoniam ipse sibi velut oculos occludit, ne lucem adspiciat, non videbit vitam, quoniam hæc lux vita est hominum, sed ipse permanens in peccatis suis, manet obnoxius ultioni divinæ, hoc est, æternæ morti.

Cap. IV.

De Samaritana hic: alba de messe: Propheta Nemo domi carus: Regule, febris abit.

1 Ut ergo cognovit Jesus, quia audierunt Pharisæi quod Jesus plures discipulos facit, & baptizat, quam Joannes,

1 ATQVE hujusmodi dictis Joannes discipulorum suorum immodicum erga se studium, & malignam de Jesu opinionem castigavit, tacite provocans eos, ut se neglecto jam illum sequerentur, unde omnibus petenda essent omnia. Ut igitur cognovit Jesus, quem nihil omnino fugiebat, sibi quoque contigisse, quod inter homines solet evenire, ut gloriam comitetur invidia, jamque hoc male habere Pharisæos, quod plures alliceret discipulos, & plures ad illius baptismum confluerent, quam ad Joannis;

2 (Quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus)

2 Tametsi Jesus ipse non baptizabat, jam tum ostendens præclarius esse munus euangelizandi, quam baptizandi, sed discipuli ejus: & hoc magis urebantur, quod tantum sibi sumerent hujus discipuli, quantum vix ferebant in Joanne, cui tribuebant plurimum:

3 Reliquit Judæam, & abiit iterum in Galilæam.

3 Partim ne magis exacerbaret illorum invidiam, si illis veluti contemtis, illic diutius fuisset commoratus: partim ut jam tum præluderet futurum, ut Euangelii gratia, à Judæis repulsa, ad profanos populos deferretur, relinquit Judæam, jactis illic Euangelicæ doctrinæ rudimentis, & reverti parat in Galilæam, unde venerat.

4 Oportebat autem eum transire per Samariam.

4 Sed interim erat illi eundum per Samariam, quam olim profanæ gentes, expulsis Israelitis, occuparant, inductis in eam convenis hinc atque hinc contractis. Hi tandem multis afflictionibus eruditi divinitus, aliqua ex parte Judæorum religionem amplexi sunt: Deum unum colere cœperunt, licet ritu diverso, & ad Jacob Abrahæ nepotem genus suum referunt, quod is habitaverit olim apud Chaldæos. Solius Mosi libros recipiebant, Prophetas non admittebant. Nomen autem genti inditum à monte Samor. In hos igitur atrox ac publicum odium erat gentis Judaicæ, ob memoriam per vim occupatæ regionis, & incolarum sedibus suis ejectorum, ritusque in plerisque diversos. Sic enim receperant Mosi Legem, ut veteris superstitionis superessent multa vestigia.

5 Venit ergo in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar: juxta prædium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo.

5 Cum igitur veniisset ad Samariæ civitatem, quæ dicta est Sichar, ac deesset cibus, nam discipuli tantum inhiantes Domino, de commeatu non prospexerant, ipse quidem Jesus non ingressus mediam civitatem, ne Judæis probabilem calumniandi causam præberet, quod Israelitis neglectis sese transferret ad gentes profanas & impias, quemadmodum post gravis convitii loco *Samaritanum*, & *Demoniacum* appellabant, discipulos passus est abire in civitatem emendorum cibariorum gratia. Ipse solus ibi commoratus est, partim ut reditum suorum opperiretur, partim ne deesset occasioni miraculi. Noverat enim quid esset eventurum. Erat autem illic prædium, quod dederat Jacob Joseph filio suo. Locus erat sacer ac celebris apud Samaritanos ob veteris historiæ memoriam, quod illic Levi & Simeon magna strage incolarum ulti fuissent contumeliam Dinæ constupratæ.

6 Erat autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta.

6 Erat inibi fons quoque, vel ob hoc celebris apud eam gentem, quod Jacob, quo, ut dixi, generis auctore gloriantur Samaritani, eum fodisset. Jesus igitur è longinquo fessus itinere, quod pedes, non equis aut vehiculis, confecerat, nobis jam tum exemplum præbens, qualem oporteat esse Euangelii præconem, sedebat illic, ut se dabat locus, fonti imminens, ac veluti ex aura fontis refocillationem captans. Erat autem hora ferme sexta juxta Judæorum supputationem, cum jam Sol vergens ad meridiem, æstu suo laboris molestiam conduplicat. Atque his indiciis Jesus declarabat se verum hominem esse, iisdem affectionibus obnoxium, quibus obnoxia sunt corpora cæterorum hominum.

7 Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Iesus: Da mihi bibere.

7 Interim ingressa est mulier quædam Samaritana, ut ex eo puteo, cui assidebat Jesus, hauriret aquam. Cui Jesus ut statim colloquii præberet argumentum, & ex hoc ipso, quod agebat mulier, veneretur illam ad salutem, dicit illi: *Mulier, da mihi bibere.*

8 (Discipuli enim ejus abierant in civitatem ut cibos emerent.)

8 Commodum autem interim abierant Apostoli, quod Jesus illi quædam arcana dicturus esset, quæ apud alios dixisse, petulantiæ videri poterat. Qua quidem in re Dominus Jesus civilitatis & mansuetudinis exemplum exhibuit Euangelicis doctoribus, qui peccatricem, & non uni prostitutæ pudicitiæ mulierem adeo non dedignatur alloquio suo, ut etiam pudori impudicæ solitudine consuluerit.

9 Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.

9 Mulier è cultu linguaque deprehendens Jesum esse Judæum, nec ignara quantopere Judæi soleant abhorrere à commercio Samaritanorum, adeo ut occursu quoque & colloquio se putent contaminari, admirata quod & ultro compellaret, & potum ab ipsa peteret, respondit: *Quî fit, ut tu Judæus quum sis*, quemadmodum è sermone cultuque conjicio, præter Judæorum morem, *à me muliere Samaritana poscas potum*, cum soleatis vos Judæi à commercio Samaritanorum abhorrere, nefas esse ducentes, si quid habeatis consuetudinis nobiscum?

10 Respondit Iesus, & dixit ei: Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.

10 Jesus autem, qui non tam sitiebat aquam illam, tametsi vere juxta carnis naturam sitiebat, quam animarum salutem, sensim pellicit mulierculam ad cognitionem Euangelicæ gratiæ, respondens hunc in modum per ænigma, quo magis accenderet in illa discendi studium: *Si nosses* quam eximium sit *donum, quod nunc vobis offert Deus, & si nosses eum, qui nunc aquæ potum abs te petit, tu potius petisses ab eo, & is dedisset tibi* longe potiorem aquam ista, videlicet *aquam vivam.*

11 Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est: unde ergo habes aquam vivam?

11 Hoc quum esset dictum de spiritu, quem hausturi erant credentes Euangelio, mirum non est, si muliercula Samaritana non intellexit, quum Nico-

de-

demus & Judæus & Rabbinus non potuerit assequi, quod aliquanto clarius dixerat Jesus de renascendo è supernis. Quin ille crassius etiam respondit, quam hæc mulier: *Nunquid*, inquit, *potest homo iterum in ventrem matris introire, cum sit senex, & nasci denuo?* Hæc autem quum magnificum quiddam concepisset ex eo quod dixerat Jesus, *Si scires donum Dei*, & *si nosses quis esset*, & *daret aquam vivam*, non indigne tulit contemni puteum Jacob, de quo religiose sentiebat, non irrisit magnificam orationem & hospitis, & ignoti, & Judæi: sed discere cupiens, quid esset hoc, quod ceu novum ac præclarum ostentabat, honoris gratia Dominum eum appellat, ut jam non humili de illo concepta opinione. Atque interim hoc mulierculæ Samaritanæ exemplum dispensatione divini consilii procuratum est ad coarguendam ac traducendam Judæorum perversitatem, qui in tantum non præbebant se dociles Domino Jesu, ut beneficia quoque illius, & salutarem doctrinam impie calumniarentur, quum hæc mulierçula civiliter ac mansuete responderit ad omnia, doceri gestiens, adeo ut in æstu commorans, & oblita ejus rei, cujus gratia venerat, penderet ab ore ignoti hominis & alienigenæ, de quo nihil adhuc præclari audierat. *Domine*, inquit, tu mihi polliceris aquam hac præstantiorem. Atqui *ne vas quidem habes, quo haurias aquam, & puteus profundus est. Unde igitur suppetit tibi aqua viva copia*, quam promittis?

12 *Nunquid tu major es patre nostro Jacob*, quem & vos veneramini? *Is nobis* ceu præclarum munus *dedit hunc puteum*, & adeo non contemsit hanc aquam, ut ipse ex ea bibere sit solitus, & tota familia ejus una cum pecoribus.

13 Jesus videns docilem esse mulierem, quæ non magum suspicata est aut incantatorem, sed magnum aliquem virum, quem cum Jacob, de quo magnifice sentiebat, conferendum putaret: non dedignatur illam paulatim allicere ad majorem sui admirationem, ostendens aquam esse spiritualem, de qua loquebatur, quæ non reficeret pecora, sed animas: Qui biberit, inquit, ex hac aqua, quam vobis dedit Patriarcha Jacob, ad breve modo tempus sitim corporis sedat, mox recursuram.

14 Cæterum ut intelligas, quanto magnificentius sit hoc donum Dei, de quo loquutus sum, dono Jacob, quantoque præstantior aqua, quam ego polliceor, ista aqua quæ scatet è terræ venis; *Si quis biberit ex hac aqua, quam illi*, si desideret, *daturus sum, non sitiet in æternum:* nec unquam postea siti periclitabitur, nec subinde aliunde petenda erit aqua, sed semel hausta permanebit in eo qui bibit, & in eo gignet fontem perpetuo scatentem usque ad vitam æternam. Hæc per ænigma dicebat Jesus, sciens mulierem nondum capacem mysterii de fide, per quam datur spiritus, qui semel acceptus, nunquam deficit, sed usque proficit, donec provehat hominem ad vitam æternam.

15 Tanta erat autem mulieris simplicitas, ut quum Judæi soleant hujusmodi parabolas siniştre interpretari, illa non intelligens quid esset dictum, tamen credens & amans diceret: *Domine, imparti* quæso *mihi istam aquam, ne subinde recurrente siti cogar hunc adire puteum, & haurire.* Hæc quanquam erat crassa responsio, tamen animum arguebat ad credulitatem pronum. Proinde quoniam jam non humilem opinionem conceperat de Jesu, majoribus suæ divinitatis argumentis provocat, ut magnificentius etiam de ipso sentiat.

16 Jesus igitur veluti non communicaturus rem tantam, nisi marito præsente, jubet ut virum suum accersat, atque illo comitata mox ad se redeat.

17 Hoc audito mulier existimans sese apud hominem tantum loqui, muliebri pudore cupiens dissimulare turpitudinem suam: *Domine*, inquit, *virum non habeo:* inficians matrimonium, sed dissimulans stuprum. Hic Jesus & suam declarans divinitatem, & mulieris vitam comiter arguens: *Recte*, inquit, *dixisti tibi non esse virum.*

18 *Etenim quum quinque vires habueris* ad libidinem, nullum tamen habuisti legitimum: *atque hic ipse, quem nunc habes, non est vir tuus* legitimus. *Nihil igitur hîc mentita es.*

19 Mulier ubi sensit vitæ suæ domestica probra non latere Jesum, hospitem & Judæum, qui, quod narrabat, ex hominum narratione scire non poterat: non resilit ab illo pudefacta: non irritata regerit contumeliam, sed magis etiam in illius admirationem inflammatur: quum si quid tale Jesus dixisset Pharisæis, clamaturi fuerint: Magus est, & Dæmonium habet. Quid autem hæc pia peccatrix Samaritana? *Domine*, inquit, *ut video, Propheta es tu.* Huc profecit mulieris credulitas: primum Judæum duntaxat appellat: miratur non perinde tenacem religionis Judaicæ, quod præter aliorum morem à Samaritana postularet potum. Mox Dominum appellat. Nunc Prophetici tituli honorem tribuit, quod ex sese nosset aliorum arcana.

20 Moxque omisso de rebus humilioribus sermone, cupiens è Propheta sublimiora quædam discere, proponit quæstionem veluti inexplicabilem de ratione adorandi Deum, quod hîc longe diversum sentirent Judæi & Samaritani. Quum enim utraque gens Deum eundem adoraret, tamen Judæi contendebant Deum nusquam adorandum, nisi Hierosolymis in Templo, quasi Deus alibi non audiret vota precantium. Contra, Samaritani simili, sed diversa, superstitione, negabant Deum usquam adorandum, nisi in monte Garizim, quod is locus à Mose decretus esset, ubi Patriarchæ benedicerent populo servanti præcepta Dei. Quum autem utraque gens, suis ritibus delectata, alterius religionem contemneret, mulier velut è Propheta, talium rerum non ignaro, cupit discere utrius nationis sanctior esset cultus, quasi sequutura quod melius cognovisset. Ait itaque: Majores nostri in hoc monte soliti sunt adorare, nec alibi fas esse putant Deum colere, quum vos Judæi contra ducatis abominandum in excelsis ac lucis immolare: nec alibi fas esse adorare Deum, quam Hierosolymis in templo, quo gloriantur illi, quasi Deus ædificio manibus facto concludatur.

21 Hæc mulieris interrogatio quoniam ad veram pietatem discendam pertinebat, Jesus aperit illi, prodito per Euangelicam doctrinam vero & spirituali Dei cultu, prorsus abolendam gentium superstitiosam Deorum ac Dæmonum religionem: abolendum & Samaritanorum cultum, qui nec de Deo sentirent, ut oportet, sed ceu præcipuum quendam Dæmonem crederent, & hujus cultui Dæmonum cultum admiscerent, gentium impiam superstitionem Dei cultui velut ignem aquæ confundentes, & ad illarum exemplum in lucis ac montibus sacra peragentes: & Judæorum religionem, quæ pro temporis ratione fuerat hactenus crassa & carnalis, atque umbras modo quasdam veræ pietatis habebat verius quam pietatem ipsam, in melius profecturam: & posthac Deum plenius cognitum per Filium & Spiritum Sanctum, non solum in Judæa, sed toto terrarum orbe colendum: idque in sacratioribus templis, quam erat illud Hierosolymitanum, videlicet in puris hominum animis, quos ipse Deus sibi suo Spiritu consecrasset: nec jam nidore pecudum deliniendum, sed sanctis precibus, sed piis votis, sed castis affectibus. Verum hoc Euangelicæ pietatis mysterium aperturus, præfatur fidem, sine qua nullus est idoneus auditor Euangelicæ doctrinæ, nec idoneus cultor Euangelicæ religionis. Fides enim sola purificat corda, redditque idonea, quibus credantur Philosophiæ cœlestis arcana: Mulier, inquit, fidem habe mihi, si vere Prophetam existimas, jam adesse tempus, quando

12 *Nunquid tu major es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filii ejus, & pecora ejus?*

13 *Respondit Iesus, & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum:*

14 *Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.*

15 *Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire.*

16 *Dicit ei Iesus: Vade, voca virum tuum, & veni huc.*

17 *Respondit mulier, & dixit: Non habeo virum. Dicit ei Iesus: Bene dixisti, quia non habeo virum:*

18 *Quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir: hoc vere dixisti.*

19 *Dicit ei mulier: Domine, video quia Propheta es tu.*

20 *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Ierosolymis est locus, ubi adorare oportet.*

21 *Dicit ei Iesus: Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem.*

Digitized by Google

do & Samaritanorum impurus cultus abolebitur, & Judæorum carnalis religio transferetur in melius: neque posthac adorabitis Patrem in hoc monte, qui non solum hujus montis Deus est, sed totius orbis, neque Hierosolymis: sed ubicunque erit piorum hominum congregatio, ibi futura est Hierosolyma.

22 Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est.

22 Nos interim vobis in hoc præstamus, quod Deum per Legem cognitum adoramus, quem confitemur omnium rerum ac gentium Dominum: nec illius, qui solus adorandus est, cultum aliorum Deorum cultu contaminamus. Vos adoratis quod nescitis, existimantes Deum non esse Deum nisi Judæorum ac vestrum: & talem ut Dæmonum admittat consortium, cui soli debentur divini honores. Hæc Judæos docuit Lex, & unius Dei cultui Templum ipsius jussu constructum est Hierosolymis, quod Templi spiritualis haberet imaginem. Instituti sunt Sacerdotes: ad hæc sacrorum ritus, velut umbris quibusdam designantes Euangelicam pietatem. Hoc igitur vobis præstamus Judæi, quod melius quam vos de Deo sentimus: quod illius cultum nullo profano Deorum cultu contaminamus: quod in loco ab ipso Deo præscripto, quod ritibus ab eo traditis illum colimus. Quanquam hæc interim religio, tametsi perfecta non est, tamen ad perfectam pietatem gradus est. Et idcirco salutis initium à Judæis profectum est, qui per Prophetas tenent promissa

23 Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum.

venturi Messiæ: qui per Legem tenent figuras & umbras Euangelicæ pietatis.

23 Nunc tempus est, ut falsa religio gentium cedat, & carnalis cultus cedat spirituali, & umbræ Legis cedant Euangelicæ luci. *Jam* enim, inquam, *instat tempus, imo jam adest, quando veri adoratores Patrem adorabunt*, non in Templis, non pecudibus, non rebus corporeis, sed *spiritu*: non umbris, sed *veritate*.

24 Spiritus est Deus: & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.

24 Deus enim quum spiritus sit, non delectatur puritate corporali, nec Templorum parietibus, nec pecudum victimis, sed spirituales adoratores amat, à quibus adoretur juxta spiritum ac veritatem. Hactenus enim satis umbris ac figuris Mosaicæ Legis datum. Posthac ubicunque mens erit, per fidem Euangelicam à vitiis pura, ibi templum erit Deo dignum: ubicunque vota cœlestia, preces puræ, cogitationes sanctæ, ibi victimæ, quibus litatur Deo.

25 Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit (qui dicitur Christus) cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.

25 Hoc Jesu sermone tantum profecit simplex & patiens mulieris credulitas, ut quem prius *Judæum*, mox *Dominum*, deinde *Prophetam* appellarat, nunc ipsum Messiam esse suspicetur. Nam & Samaritani ex Mosi promissis Prophetam illum eximium exspectabant è Judæis exoriturum. Itaque respondet hunc in modum: *Scio Messiam venturum*, quem exspectant Judæi, de quo jam apud Judæos rumor est. *Is* igitur *ubi venerit, explicabit nobis hæc omnia*, quæ de novo Dei cultu dixisti, neque quicquam nos patietur ignorare.

26 Dicit ei Jesus: Ego sum, qui loquor tecum.

26 Jesus videns mulieris docilem credulitatem, & ardens cognoscendæ veritatis studium, quale non repererat in suis Judæis, dignatur illi aperire quis esset: Exspectas, inquit, Messiam venturum, hunc scito venisse, jamque vides illum: nam *ego sum, qui loquor tecum*.

27 Et continuo venerunt discipuli ejus: & mirabantur quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: Quid quæris, aut quid loqueris cum ea?

27 Simulque his dictis aderant discipuli redeuntes ex oppido: & prius quam accederent, conspicati illum cum muliercula Samaritana colloquutum, mirabantur tantam illius humanitatem. Nemo tamen ausus est illum interrogare, quid rei peteret à muliercula, aut qua gratia cum illa colloquutus esset.

28 Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in civitatem, & dicit illis hominibus:

28 Porro mulier stupefacta sermone Domini Jesu, nihil quidem respondit, sed relicta apud puteum hydria: jam enim aquæ sitis exciderat, gustata aqua, quam promiserat Christus, properat in civitatem: & ex Samaritana peccatrice subito facta est Apostola: narrat palam omnibus, ut plurium conscientia suam fidem confirmaret.

29,30 *Venite*, inquit, *& videte hominem* admirandum, & occultarum rerum conscium: *qui* quum hospes sit, & nunquam mihi visus, tamen *narravit mihi* secreta *omnia quæ fecerim: fieri potest, ut is sit Messias.* Nolite fidere dictis meis, ipsi potius facite periculum, & me non vanam esse comperietis.

29 Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci: numquid ipse est Christus?

31 Hunc rumorem dum mulier spargit inter cives Sichar, interea discipuli suspicantes Jesum jam fame cruciari, invitant ut cibum caperet, quem emerant.

30 Exierunt ergo de civitate, & veniebant ad eum.

32 Jesus autem ubique captans occasionem, homines à corporalium rerum cura ad spiritualium studium evehendi: quemadmodum mulierem ex mentione aquæ pellexerat ad cognitionem Euangelicæ fidei, ita discipulos adhuc rudes ex occasione cibi provocat ad studium euangelizandi: & tum forte non sitiebat aquam putei: & si sitiebat, magis sitiebat hominum salutem: & tamen ex affectu mulieris, quæ venerat aquam haustum, captata est sacri sermonis occasio. Ita tametsi tunc esuriret secundum carnis naturam, tamen major quædam fames habebat illum servandi generis humani, cujus gratia venerat è cœlo. Discipulis igitur ad corporis refectionem invitantibus: Mihi, inquit, alius est cibus, quem edam, quique mihi magis est cordi, quam iste, quem vos adfertis.

31 Interea rogabant eum discipuli, dicentes: Rabbi, manduca.

32 Ille autem dicit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.

33 Hoc dictum quid sibi vellet, admirantes discipuli, nec audentes tamen interrogare pro reverentia præceptoris, ne quid offenderetur, inter se loquebantur. Quid hoc sibi vult? An interim dum nos abfuimus, alius quispiam attulit ei cibum?

33 Dicebant ergo discipuli ad invicem: Numquid aliquis attulit ei manducare?

34 Jesus autem quo magis infigeret in animos eorum quod prius obscure dixerat, dicit apertius: Me, inquit, levissimè movet iste cibus corporum: est alius cibus, qui mihi præcipue curæ est: nimirum ut perficiam id, cujus gratia me huc misit Pater cœlestis: hæc est mea fames, hæc est mea sitis, ut obeam quod ille mandavit. Tempus urget, & hominum pronæ mentes ad Euangelicam fidem flagitant operam prædicatorum.

34 Dicit eis Jesus: Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.

35 Si vos, qui rei corporum studetis, nostis instare metendi tempus, postquam à semente facta quatuor menses præterierint: quanto magis oportet nos non negligere spiritualis nostræ messis tempus? Quemadmodum autem ipsa seges jam flavescens falcem & messorum operam quasi flagitat: ita si sustuleritis oculos vestros, & observaveritis humanarum mentium segetem, etiam apud Samaritanos & Ethnicos properantium ad Euangelicam doctrinam, intelligetis regiones undique velut albescere ad messem Euangelicam, & operam ac studium nostrum flagitare. Quod si fructus spes facile provocat messorem ad operam, quanto magis oportet nos alacres esse ad hanc messem Patri colligendam, quæ & messori præmium in cœlis ampliſſimum parabit, & Deo colliget, non triticum in horrea, sed animas hominum in vitam æternam. Atque ita futurum est, ut pariter gaudeat, & qui sementem fecit, & qui metit.

35 Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis: Levate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem.

36,37 Nam vobis usu venit, quod vulgato proverbio dici solet: *Alium esse qui serit, alium qui metit* *. Plus est sudoris in semente, quam in messe. Proscindenda tellus, rastro sarculoque comminuendæ glebæ, lætamine stercorandus ager, jaciendum semen, occandum ac tuendum, revellenda zizania. Cæterum ubi jam seges maturuit, non magno negotio demetitur. Paratus autem ipse fructus lenit laboris tædium. Cæterum hîc secus accidit, quam in messe corporali. Nam illic quoties juxta vulgi proverbium ad alium devenit fructus messis, quam ad eum qui sementem fecerat, gaudet quidem messor, sed discruciatur seminator. Hîc contra fit. Nam simul gaudet & qui sementem fecit, & qui messem colligit, neuter enim caret fructu suo.

36 Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: ut, & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit.

37 In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminat, & alius est qui metit.

* Ἄλλος μέν ἐστιν ὁ σπείρων, ἄλλος δ' ἀμήτων, recensetur & inter Græcorum proverbia.

Digitized by Google

38 *Ego misi vos metere quod vos non laborastis: alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis.*

38 *Ego vos misi ad metendum segetem, in qua vos non laborastis.* Prophetæ suis laboribus subegerunt arva, & mundum adhuc intractabilem sua doctrina præpararunt Euangelio: vos nunc in eorum laborem succeditis, & rem paratam aggredimini, mundo jam ultro se præbente cœlesti doctrinæ, & mortalibus in regnum cœlorum vel per vim irrumpere conantibus.

39 *Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quæcumque feci.*

39 Dum hujusmodi sermonibus Dominus Jesus cohortatur suos discipulos ad negotium Euangelicum, res ipsa declarat esse verum, quod dixerat de messe jam albescente. Nam in civitate multi Samaritani crediderant venisse Messiam, quum mulier illa nihil aliud esset testificata de Jesu, nisi quod aperuisset sibi occulta vitæ dedecora. Cæterum nec ipsum loquentem audierant, nec ullum viderant ex eo miraculum. Tam prona erat etiam eorum credulitas, qui videbantur à Prophetarum promissis alieni.

40 *Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies.*

40 Procurrit igitur multitudo Samaritanorum è civitate, ut oculis cernerent, de quo tanto affectu prædicaverat muliercula. Nec minuit opinionem præsentia: nec offenduntur humili cultu, raroque & tenuium ac idiotarum discipulorum comitatu, quum Judæi tot visis miraculis, tot sermonibus auditis, tot beneficiis affecti, vel calumniarentur illum, vel convitiis incesserent, vel saxis ejicerent. Denique Samaritani ad mulierculæ testimonium obviam procurrunt non suæ gentis homini, quem nondum loquentem audierant, à quo nihil præclari gestum viderant: & precibus invitant, ut urbis suæ hospitio dignaretur uti. Quid autem clementissimus Jesus? Noverat Judæorum invidiam, noverat odium in Samaritanos: & nondum aderat tempus, ut illis ob invincibilem incredulitatem repulsis, Euangelii prædicatio demigraret ad Gentes. Proinde sic temperavit negotium, ut nec probabili quapiam specie præberet suis occasionem querendi se spretos ab eo, sibique antepositos Samaritanos, quum prophetia promisserit Messiam ipsis venturum esse, nec Samaritanorum piam credulitatem omnino destitueret. Nam quod per Samariam fecerat iter, necessitatis erat: quod ab ipsis rogatus commoratus est illic biduum duntaxat, humanitatis erat, quam nemo jure poterat calumniari.

41 *Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem ejus.*

41 Jamque audito Jesu, multo plures illic crediderunt: & eorum credulitas confirmata est, qui ex mulierculæ verbis præclaram opinionem conceperant de Jesu.

42 *Et mulieri dicebant: Quia jam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus, & scimus, quia hic est vere Salvator mundi.*

42 Jamque plenum & vero Judæo dignum testimonium ferunt de Jesu, dicentes mulieri: Tu parcius de illo prædicaras, quam res habet. Nos enim jam non tuis verbis adducti credimus hunc esse Messiam, sed ipsi ex ejus sermonibus admirandis certum habemus, quod hic est vere Messias ille Judæis exspectatus, qui salutem adferet non Judaicæ genti tantum, sed toti mundo. Hoc tam alacri, tamque pleno testimonio Samaritani & suam declararunt credulitatem, & Judæorum impiam incredulitatem coarguerunt.

43 *Post duos autem dies exiit inde: & abiit in Galilæam.*

43 Jesus igitur, ne Judæis daret odii majoris & invidentiæ materiam, nullum miraculum edidit apud Samaritanos: nec nisi obiter ac rogatus ad eos divertit: nec nisi biduum illorum hospitio est usus, sed mox institutum iter peragit, ac proficiscitur in Galilæam.

44 *Ipse enim Iesus testimonium perhibuit, quia Propheta in sua patria honorem non habet.*

44 Porro quum hîc haberet obviam patriam suam, non tamen eo deflexit: non quod eam contemneret, sed quod ob contemtum & incredulitatem suorum, quibus secundum carnem erat notus, & cognatus, non speraret aliquem Euangelii fructum, & prædicatio crimen incredulitatis conduplicasset. Nunc enim leviore culpa diffidebant doctrinæ Jesu. Rogatus autem Dominus, quare non se conferret ad suos, ostensurus quantus esset, usurpavit illud tritum vulgi sermone proverbium: *Prophetam nusquam esse contemtum, nisi in sua patria*, & inter cognatos suos. Sic enim est affectus hominum, ut familiaritas contemtum pariat, & pleræque res illis non ob aliud in pretio sint, quam quod è longinquo venerint.

45 *Cum ergo venisset in Galilæam, excepterunt eum Galilæi, cum omnia vidissent quæ fecerat Hierosolymis in die festo: & ipsi enim venerant ad diem festum.*

45 Cæterum quum in Galilæa jam ob Joannis testimonium ac miraculum, quod illic nuper ediderat, rumor satis honestus de illo sparsus esset, quum eo venisset, exceperunt eum Galilæi: præsertim quod Hierosolymis vidissent eum ejicientem ementes & vendentes è Templo, cæteraque quæ illic tum teste populo magna cum auctoritate gesserat. Nam & hi Galilæi tum convenerant Hierosolymam ad diem festum. Nimirum hæc omnia condemnant incredulitatem Pharisæorum, & Euangelicam gratiam ad Gentes demigraturam præludunt. Samaritani ad prædicationem mulierculæ credunt, alienigenam ad hospitium pertrahunt, Messiam mundique liberatorem profitentur, quum nullo miraculo eos fuisset dignatus Jesus. Galilæi crassa & Legis imperita natio, apud quam nullus unquam exstiterat Propheta, visis miraculis credere cœperunt. Hierosolymitani, Sacerdotes, Pharisæi, & Scribæ, qui videbantur & religionis apicem tenere, & Legis peritia præcellebant, tum facta, tum dicta Jesu pervicaciter calumniabantur. Itaque quo quisque sibi videbatur esse justior ac religiosior, hoc longius aberat ab Euangelica pietate: & quo quisque videbatur juxta judicium humanum longius abesse à Prophetarum ac Legis cognitione, quæ Christum promittebat: quoque magis alienus à religione, hoc erat ad Christum, quem Lex promiserat, propensior, ac doctrinæ Euangelicæ capacior.

46 *Venit ergo iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum. Et erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.*

46 Itaque Jesus Galilæam ingressus, recepit se in Canam Galilææ, ubi ante dies aliquot verterat aquam in vinum. Id miraculum initio paucis cognitum, post populari rumore divulgatum, nonnihil bonæ opinionis conciliaverat Jesu: sed tamen quæ non responderet ipsius dignitati. Perpauci enim credebant illum esse Messiam, plerique Prophetam esse suspicabantur. Canam igitur repetebat Jesus, non ut ex miraculo illic edito laudem aucuparetur, sed ut ex ea semente, quam occulte fecerat, nunc messem aliquam meteret. Hoc enim erat quod ille sitiebat, hominum fidem Euangelio dignam.

47 *Hic cum audisset quia Iesus advenisset à Iudæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum ut descenderet, & sanaret filium ejus: incipiebat enim mori.*

47 Et hîc rursus exortum est argumentum Judæis suam incredulitatem exprobrandi. Erat enim id temporis in Galilæa Regulus quidam, profanum aliquem Cæsaris nomine magistratum gerens, nec Judæus, nec Samaritanus, sed Ethnicus, & ab omni religione Judæorum alienus. Huic erat filius unice carus, qui periculose ægrotabat in civitate Capernaum. Is cum audisset, quod Jesus relicta Judæa se recipere ret in Galilæam, ipse profectus è civitate Capernaum, domi relicto filio, venit ad eum, precibus ab eo contendens, ut una secum proficisceretur Capernaum, ac sanaret filium ipsius. Major enim erat morbi vis, quam ut ad Jesum ægrotus deferri potuerit. Jam enim cœperat agere animam, quum abiret Regulus.

48 *Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.*

48 Porro Jesus indicans adhuc imperfectam esse Reguli fidem, qui nondum crederet filium sanari posse, nisi Jesus eo se contulisset, quasi medicum accerseret, aut quasi non posset & mortuo vitam restituere: sed magis arguens quorundam Judæorum incredulitatem, qui nec miraculis visis crederent, ait Regulo: Illorum, inquit, fiducia mihi gratissima est, qui nudo sermoni nullis miraculis confirmato credunt. *Vos mihi non creditis, nisi videritis signa & prodigia.*

49 *Dicit ad eum regulus: Domine, descende prius quam moriatur filius meus.*

49 Regulus ut erat totus intentus periculo filii morientis, nihil ad hunc sermonem Domini Jesu respondet, quod existimaret hujusmodi colloquio tempus eximi, quum morbus poscret præsens remedium. Urget igitur, ut properet venire Capernaum priusquam moreretur filius, quasi frustra venturus, si post exhalatam semel animam venisset: quum

Digitized by Google

quum nihilo difficilius esset Jesu, animam semel elapsam revocare, quam exire parantem in corpore retinere.

50 Jesus itaque non objurgata fide Reguli, re ipsa ostendit se longe plus posse, quam ille se posse confideret: Nihil, inquit, opus est, ut hac gratia me conferam Capernaum, *abi, jam filius tuus*, quem morientem reliquisti, *vivit* ac valet. Hoc dicto nonnihil confirmata est Reguli fides. Nam is fretus sermone Jesu, domum properat.

51 Quum autem eo proficisceretur, occurrerunt illi servi, rem lætam nuntiaturi patri de filio, quod modo morti proximus subito revaluisset, ne jam sollicitaret Jesum, cujus opera nihil esset opus. Suspicabantur enim puerum casu quopiam convaluisse, ignari quid actum esset inter Regulum & Jesum. Hic vero diffidentia Reguli, mixta fiduciæ, fidem asseruit miraculo.

52 Regulus enim certum scire cupiens, casu ne, an virtute Jesu revaluisset filius, sciscitatus est à famulis, quanam hora filius cœpisset habere melius. Tum illi: *Heri*, inquiunt, *hora septima* subito *reliquit eum febris*, & illico valuit filius.

53 *Agnovit pater hanc fuisse horam, qua sibi dixisset Jesus: Abi domum, filius tuus vivit.* Jamque certum habebat, non casu, sed virtute Jesu revixisse puerum. Nec fructu suo caruit hoc miraculum, quanquam in hominem Ethnicum collocatum. Non solum enim ipse Regulus credidit Christum esse Messiam, verum etiam illius persuasione & exemplo credidit universa familia, quam frequentem ac numerosam fuisse oportuit, utpote hominis opulenti, & magistratu fungentis, quum Jesus apud suos populares & cognatos multis editis miraculis vix paucos Euangelio lucrifecerit.

54 *Hoc* denuo *secundum signum fecit Jesus, quum rediisset à Judæa in Galilæam*, ut prius miraculum, quod ediderat in Cana, rursus altero majore confirmaret, & hominis profani exemplo suos ad fidem provocaret: jam tum ceu præludens per occasionem, & Judæos ob suam incredulitatem repellendos, & Gentes per fidem ad Euangelii gratiam recipiendas.

Cap. V.

En piscina: Patri par natus: corpora surgent: Non quaro testem: volvite scripta Dei.

1 His rerum initiis jactis apud Samaritanos & Galilæos, Jesus rursum se confert Hierosolymam, idque sub diem festum Pentecostes, nimirum ob populi frequentiam pluribus declaraturus suam auctoritatem, & Pharisæis falsa sanctimoniæ scientiæque persuasione turgentibus exprobraturus suam incredulitatem, qui tanto intervallo à Samaritanis & Ethnicis superarentur.

2 Erat autem Hierosolymis piscina, sive lacus quidam, quæ Græcis dicitur *probatica*, nimirum à pecudibus, quod illic Sacerdotes hostias immolandas abluere soleant: & ab eodem argumento Hebræis dicitur *Bethesda*, quasi dicas *domum pecualem*. Lacus hic *habet imminentes sibi quinque Porticus.*

3 *In his decumbebat magna vis hominum, variis corporum morbis laborantium: preterea cæcorum, claudorum, mancorum vis ingens, qui motum aquæ exspectarent.*

4 *Nam statis temporibus Angelus Domini descendebat in piscinam, simulque movebatur aqua. Porro post aquam ab Angelo motam, qui primus descendisset in piscinam, is liberabatur à morbo*, seu corporis vitio, *quocunque teneretur.* Atque hæc jam tum erat imago baptismi, quo sordes morbique animarum, quamlibet capitales, semel abluuntur, quoties ad elementum aquæ, baptizantis opera, & divina vis cœlitus accesserit.

5 Nec dubium est, quin hac occasione tum temporis ingens hominum frequentia in eo loco versatur, vel eorum qui ad spectaculum convenerant: vel eorum, qui curam agebant ægrotorum in quinque Porticibus decumbentium. Ex his omnibus Jesus, quo miraculum esset insignius, unum elegit omnium maxime deploratum, ut qui morbo periculoso, peneque immedicabili, deinde vetustissimo teneretur: postremo qui maxime desideraret alienum subsidium: & adeo tenuis erat ægrotus, ut neminem parare posset, à quo tempestive deferretur in aquam. Nec ex ea turba sanabatur quisquam, præter unum, cui contigisset primum in aquam descendere. Hujus calamitas ad miraculi magnitudinem erat prosectura, & ejusdem fides conducebat ad exemplum. Siquidem triginta* jam annos rem habebat cum paralysi, ut nos doceret, nullum esse morbum animi tam capitalem, tamque inveteratum, quem non facile tollat baptismus, & fides in Jesum.

6 Hunc igitur omnibus deploratum paralyticum cum misericordissimus ille Jesus conspicatus esset, solutis morbo membris jacentem, & cognovisset malum hoc esse deploratius, quod jam triginta* totos annos detinuisset miserum, misericordia tactus, *dixit illi: Vis ne salvus fieri?* videlicet fidem hominis ac tolerantiam circumstantibus volens ostendere, præterea vim morbi omnibus conspicuam facere, simulque subindicans neminem ab animi vitiis sanari posse, nisi morbum suum oderit, & salutis desiderio teneatur.

7 Neque enim dubium erat, quin ille cuperet sanitatem, qui tot annis obsederat piscinam pertinaci spe salutis, nec toties frustratus spem abjecerat. Paralyticus itaque non respondebat ad id, quod rogarat Jesus, & tamen aliquid bonæ spei ex illius tam alacri interrogatione concipiens, ostendit sibi non deesse voluntatem, nec se diffidere ob morbi magnitudinem ac vetustatem, quin delatus in piscinam, posset sanari, sed ait sibi deesse hominis bajuli opem, per quem mature deportaretur in piscinam, simul atque moveretur aqua. Nam ubi sensissent alii moveri piscinam, pro se quemque properare, ut primus ingressus salutis beneficium solus auferret: ipsum vero morbo tardum, ac bajulo destitutum, frustra jam prorepere in lacum, quum alius prior descendisset. Hæc autem paralytici verba eo tendebant, ut verecunde rogaret Jesum, uti ipse, qui validus erat, ac, ut videbatur ex compellatione, misericors, quum tempus esset, sese deferret in piscinam. Id quidem non audebat palam ab eo petere, tamen exposita necessitate subindicabat, quid obstaret ad salutem. Nec enim noverat ægrotus Jesum.

8 Jesus autem delectatus hominis tolerantia, qui quod plerique calamitosi solent, non vociferaretur, non devoveret seipsum, non exsecraretur diem, in qua natus esset, nec offensus interrogatione Jesu, an vellet sanus fieri, clamaret sese ab eo haberi ludibrio: simulque commotus Dominus tam pertinaci spe salutis adipiscendæ: denique volens ostendere, & eos qui motu piscinæ sanabantur, sua virtute sanari: sibique in promtu esse, solo nutu omnes & corporum & animorum morbos posse tollere, dixit illi: *Surge, tolle grabbatum tuum & ambula.*

9 Simulque cum dicto sanatus est homo, ut non solum liber esset à morbo alioqui languidus & imbecillis, quemadmodum solent qui Medicorum arte sanantur, sed ut absque hominis adminiculo subrigeret sese in pedes, lectulum suum in humeros sustolleret, atque ita robustus lecti sui bajulus ambularet, ac diuturni morbi monumentum cunctis videntibus domum referret.

10 Erat autem Sabbatum cum hæc faceret paralyticus, atque inde calumniæ seminarium Pharisæis: qui quæ Legis erant carnalia, & non nisi ad tempus data, superstitiose tuebantur, neglectis iis, quæ erant

* In Textu habetur, *triginta octo.*

50 *Dicit ei Jesus: Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus, & ibat.*

51 *Iam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, & nuntiaverunt, dicentes, quia filius ejus viveret.*

52 *Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris.*

53 *Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus: Filius tuus vivit: & credidit ipse, & domus ejus tota.*

54 *Hoc iterum secundum signum fecit Jesus, cum venisset à Judæa in Galilæam.*

1 *Post hæc erat dies festus Judæorum, & ascendit Jesus Hierosolymam.*

2 *Est autem Hierosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethsaida, quinque porticus habens.*

3 *In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum.*

4 *Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam: & movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate.*

5 *Erat autem* quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate sua.

6 *Hunc cum vidisset Jesus jacentem, & cognovisset quia jam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri?*

7 *Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit.*

8 *Dicit ei Jesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.*

9 *Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo.*

10 *Dicebant ergo Judæi illi qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.*

præcipua, ac perpetuo duratura. Sabbatorum otium violasse, nefarium erat apud illos: proximum fraudasse Sabbato, nullius erat momenti. Sabbato sustulisse grabbatum, impium videri volebant: invidere misero sanitatem, culpa non erat. Noverant paralyticum, sciebant multis annis decubuisse: constabat eum jam esse validum, nec ulla morbi vestigia præ se ferentem. Ex tanto miraculo & glorificare Deum debuerant, & sanato gratulari, nisi vere impii fuissent erga Deum, & invidi erga proximum. Adoriuntur igitur eum, qui sustulerat grabbatum, & objurgant perverse religiosi: *Sabbati dies est*, inquiunt, cui debetur otium. *Non est fas tibi tollere grabbatum tuum.*

11 Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula.

11 Ille non dissimulans beneficium acceptum, & Jesu auctoritate criminis invidiam à se depellens, significans eum, qui rem tantam verbo præstare potuerit, homine simul & Sabbato majorem videri, respondit calumniantibus Judæis: *Is, qui me* simplici verbo *sanum fecit, jussit ut grabbato sublato ambularem.*

12 Interrogaverunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula?

12 Hoc audito, cum jam ob miraculum credere debuerint, non solum invidebant sanato, verum etiam restitutæ sanitatis auctori moliuntur insidias: *Quis est, inquiunt, iste homo, qui dixit tibi, tolle grabbatum tuum & ambula?* Volebant enim violati Sabbati crimen in eum impingere, quod & alias non semel fecerunt.

13 Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Jesus enim declinavit à turba constituta in loco.

13 Cæterum is, qui sanatus fuerat, non noverat de nomine Jesum, de facie tantum nosse poterat: sed tum quidem commonstrare non poterat, quod Jesus loquutus paralytico, statim subduxit sese à turba: partim ne sua præsentia magis irritaret Judæorum invidiam, partim ut ipso absente, miraculum majore cum fide cognosceretur ex eo, qui sanitatis beneficium senserat.

14 Postea invenit eum Jesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

14 Porro jam cognito compertoque miraculo, Jesus auctorem quoque cognitum esse volens, cum obvium habuisset eum, cui tribuerat beneficium sanitatis, ait illi: *Ecce sanitatem es consequutus*, depulso morbo corporis, qui tibi natus erat ex animi morbo, utrumque sustuli malum. *Tu cave posthac ne recidens in pristina peccata, gravius aliquod malum tibi accersas.*

15 Abiit ille homo, & nuntiavit Judæis, quia Jesus esset, qui fecit eum sanum.

15 Itaque posteaquam cognoverat is, cui contigerat sanitas, eundem esse, qui prius jusserat tolli grabbatum, & qui nunc testatus se esse sanitatis auctorem, admoneret, ne peccatis iteratis recideret in morbum aliquem graviorem, eique nomen esse Jesum: abiit ad Judæos calumniatores, & indicavit Jesum esse, cui deberet suam sanitatem, existimans illud multorum interesse, ut omnibus notus esset, qui verbo posset sic mederi morbo deplorato.

16 Propterea persequebantur Judæi Jesum, quia hæc faciebat in sabbato.

16 Atque hîc quoque se prodit Judæorum exitio digna perversitas. Etenim cum Samaritani Jesum ad mulierculæ testimonium honorifice excepissent: cum Galilæi, inter Judæos ob ignobilitatem & Legis imperitiam vulgo male audientes, Christo credidissent: cum Regulus Ethnicus ob unicum miraculum cum tota familia Jesum mundi servatorem esset professus: Hierosolymitæ, & urbis nobilitate, & Templi religione tumentes, & exacta Legis peritia sese venditantes, Jesu struunt calumniam adeo destinata malitia, ut quum sanitatis beneficium evidentius esset, quam ut negari posset, esset & sanctius, quam ut reprehendi posset, (quid enim sanctius, quam homini calamitoso gratis dare salutem corporis?) illud impingant Christo, quod neglecto Sabbato jussisset tolli grabbatum: quasi homo conditus esset ob Sabbatum, ac non potius Sabbatum hominis causa repertum: aut quasi non oporteat Legis ceremonias ubique cedere præceptis & officiis sanctioribus. Quanta autem cæcitas, indignari Jesu, quod hominem miserandum sanasset Sabbato, cum ipsi, qui sibi videbantur Legis tenacissimi, non vererentur asino in puteum delapso succurrere die Sabbati? In homine sublevato calumniantur offensum Deum, sine cujus auxilio non poterat homo sanari, in asino sublevato non existimant violari Sabbati religionem. Hæc est præpostera religio Judæorum, speciem religionis amplectentium, & ob id veræ religionis caput subvertentium, mordicus tenentium Legis umbras, & eum, cujus gratia Lex erat scripta, obstinatis animis persequentium. Non enim solum calumniabantur Jesum, verum etiam persequebantur, non ob aliud, nisi quod rem sanctam ac piam feciisset in Sabbato.

17 Jesus autem ut ostenderet se Sabbati Dominum esse, non servum: auctorem, non subditum, simulque declararet Judæorum calumniam, quam impingebant Filio, ex Patris auctoritate facienti quæ faciebat, ad ipsum Patrem recidere, his verbis retundere conatus est Judæorum calumniam: Pater, inquit, meus cœlestis, cujus vos videri vultis religiosi cultores, quique vobis Sabbati fuit auctor, quum orbe sex diebus condito, septimo requievisset ab opere, non ita se obligavit otio, quin quoties visum est, possit quæ velit operari. Nam cum illius Sabbatum adhuc duret, non cessat tamen ab opere, quo gubernat omnia quæ condidit, quo subinde res alias ex aliis progenerat, quo collapsa restituit. Quemadmodum igitur ille ob religionem Sabbati, quo dicitur ab opificio mundi conquievisse, non desinit quotidie benefacere mortalibus ac rebus creatis omnibus: ita ego, qui Filius illius sum, ab eo & potestatem, & exemplum habens operandi quæ faciunt ad generis humani salutem, non impedior religione Sabbati, quo minus ea perficiam, quæ Pater mandavit. Quod si me damnatis ob Sabbatum violatum, eadem opera damnatis & Patrem meum, qui mihi & exemplum est, & auctor hæc agendi. Quod si illum absolvitis, & glorificatis ob salutem homini deplorato restitutam, cur mihi Sabbati violati crimen impingitis, ac non potius agnoscitis virtutem, Sabbati religione majorem? Ego vitam misero restitui, vos mihi ob tantum beneficium mortem machinamini

monstrat ei, quæ ipse facit: & majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini.

quæ facit ipse. Exemplar ab illo proficiscitur, cæterum operatio communis est utriusque. Condidit ille mundum, & idem mundum etiam Sabbatis moderatur. Condidit hominem, idem etiam Sabbatis servat hominem. Quisquis igitur calumniatur opera Filii, Patrem afficit contumelia. Hæc, quæ videtis me facientem Sabbatis, auctore Patre, ac Patre præscribente, facio. Quod si mirandum videtur, atque humanis viribus majus, dicto restituere sanitatem paralytico: Pater, ad cujus præscriptum Filius facit omnia quæ facit, declarabit quod suo Filio his etiam majora demonstravit* opera, quo magis etiam miremini.

21 Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat: sic & Filius, quos vult, vivificat.

21 Nam longe potentius est excitare mortuos ad vitam, quam ægroto restituere sanitatem. Et hanc quoque potestatem Pater tradidit Filio. Tradidit autem perpetuam ac propriam, ut quemadmodum Pater solo nutu suscitat mortuos, & ad vitam revocat: sic & Filius eadem potestate, quos vult, ad vitam revocet. Quicquid enim agit Pater, per Filium agit: quicquid agit Filius, ex voluntate Patris agit.

22 Neque enim Pater judicat quemquam: sed omne judicium dedit Filio,

22 Eadem autem est Patris, Fillique voluntas, quemadmodum est eadem & potestas. Summa præcipuaque Dei auctoritas est, judicare mundum: Rex enim est, ac Dominus universorum. Et tamen hanc quoque totam potestatem impartivit Filio, cui tradidit omne jus judicandi, quicquid in cœlo est, quicquid in terra, quicquid subter terram. Quemadmodum Pater omnia condidit per Filium, omnia moderatur per Filium, omnia restituit per Filium: ita nihil judicat, nisi per Filium, ut uterque alterum illustret ac decoret.

23 Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem, qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.

23 Pater innotescit per Filium, per quem operatur: Filius vicissim Patris majestatem declarat, unde habet quicquid operatur, ut utroque per alterum cognito, omnes honorificent Filium, quemadmodum honorificant Patrem. Par est enim esse consortium honoris, inter quos est consortium potestatis, ac voluntatis. Nolite putare, quod Patrem habeatis vobis propitium, si sitis à Filio alieni. Quisquis honorat Patrem in Filio operantem, idem honorat & Filium ex Patre operantem: quisquis autem non honorat Filium Patri carissimum ac simillimum, idem nec Patrem honorat, qui in hoc misit Filium, ut per illum honorificetur. Nihil enim inter illos commune non est, sive quid est honoris, sive quid est ignominiæ.

24 Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transit à morte in vitam.

24 Qui Filio diffidit, diffidit & Patri, à quo missus est in mundum, & cujus voluntate ac præscripto facit, quicquid facit, ac per quem mundo Pater loquitur. Quemadmodum non mediocre præmium erit credenti, ita non levis erit pœna diffidenti. *Illud enim pro certo dico vobis, quisquis audit sermonem meum, & credit ei qui me misit*, & per me loquitur, jam *habet vitam æternam*. Quisquis enim justificatus est à peccatis, & per justitiam vivit Deo, Deum habet, & vitam æternam habet: nec huic metuenda erit damnatio mortis æternæ, quæ manet incredulos, imo quæ jam habet incredulos: sed ablutus à pristinis flagitiis, per fidem demigrat à morte ad vitam. Plus est animam peccato mortuam revocare ad vitam, quam corpus exanimum vitæ restituere. Sed utriusque rei potestatem Pater dedit Filio.

25 Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei: & qui audierint, vivent.

25 *Hoc habete pro certissimo, quod instat tempus, imo jam adest, quo mortui quoque audituri sunt vocem Filii Dei: & qui audierint, vivent.* Exciti enim velut à somno prodibunt è sepulchris, ac mirantibus vobis declarabunt sese vere vivere. Sic reviviscunt & animæ mortuæ, si vocem audierint Filii Dei. Non audit autem, qui diffidens audit. Olim reviviscent & omnium corpora defuncta ad vocem Filii Dei: nunc in paucis ad vitam revocandis edito specimine futuræ resurrectionis, id quod majus est agitur, ut ad ejusdem vocem reviviscant animæ. Ut nihil est

* Alia Editio, *demonstravit*.

A vita pretiosius: ita nihil est divinius, quam dare vitam, aut reddere.

26, 27 Non est quod diffidat quisquam potestati Filii, si fidit potestati Patris. Nemini dubium est, quin Deus fons sit omnis vitæ, unde fluit omnibus ut vivant, sive in cœlis, sive in terris. Sed quemadmodum Pater habet vitam in semetipso, ut eam, quibus velit, impartiat, aut restituat: ita dedit & Filio, ut in sese totius vitæ fontem habeat, simulque tradidit illi jus judicandi vivos & mortuos. Hujus enim sententia inevitabili, qui paruerint ipsius doctrinæ, transferentur in vitam æternam: contra, qui parere noluerint, addicentur æternis suppliciis.

26 Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit & Filio habere vitam in semetipso:

27 Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.

B 28 Tantam potestatem esse traditam homini, nolite mirari, quum idem sit Filius Dei. Hoc traditum est illi, quod semper habuit cum Patre commune. Interim date operam, ut per credulitatem digni sitis vita. *Siquidem venturum est tempus, ut omnes, qui mortui sunt & sepulti, audiant* omnipotentem *vocem Filii Dei*, atque illico reviviscent corpora: & qui mortui fuerunt, & humo conditi, prodibunt è latebris terræ, sortituri credulitatis, aut incredulitatis diversa præmia.

28 Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei:

29 Nam qui hic bona fecerunt, tum reviviscent ad vitæ immortalis hæreditatem: rursum, qui mala patrarunt, reviviscent ad æterna mortis supplicia.

29 Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.

C Fons autem malorum omnium est incredulitas, quemadmodum fons bonorum omnium est fides.

30 Nec est quod quisquam calumnietur Filii judicium velut iniquum. Si Patris judicium iniquum esse non potest, nec Filii judicium, quod idem est cum Patris judicio, potest iniquum esse. Nec enim aliud judicat Filius, quam quod præscripsit Pater. Qui metuit Patris judicium, metuere debet & Filii judicium. *Non ego possum à meipso facere quicquam. Sicut* à Patre *audio, ita judico, eoque justum est judicium meum:* quia non est mihi alia voluntas, quam quæ est Patris, ut aliquo pacto corrupta voluntas corruptum pariat judicium.

30 Non possum ego à meipso facere quidquam. Sicut audio, judico: & judicium meum justum est: quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.

D 31 Apud homines levis est fides illi, qui testimonium fert de seipso: & arrogans habetur, qui sua ipsius voce sibi magna vindicat. Quod si solus ego mihi testis sum, sit apud vos vanum testimonium meum.

31 Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.

32 Sed est qui de me testimonium perhibuit, cui vos plurimum tribuitis in cæteris, hîc parum vobis constantes, non creditis, cum sciam verum esse illius testimonium, quia non ex sese protulit, sed ex afflatu Patris.

32 Alius est, qui testimonium perhibet de me: & scio quia verum est testimonium, quod perhibet de me.

33 Non potestis tergiversari, leve pondus habere apud vos Joannis testimonium. Ipsi viros graves ad illum misistis, tanquam à certissimo auctore per certos homines cognituri, num ipse esset Messias. Ille E non vindicavit sibi falsam laudem, quam illi volebatis tribuere, sed veritatem professus est: palam testificans se non esse, qui putabatur, sed me esse Messiam, qui tolleret peccata mundi, & vitam daret mundo. Hujus certe testimonium, cui tantum tribuebatis, ut eum credederetis esse Messiam, apud vos pondus habere deberet, præsertim quum à me non sit procuratum, sed à vobis ipsis expressum.

33 Vos misistis ad Joannem: & testimonium perhibuit veritati.

34 Ego quod ad me pertinet, non opus habeo commendari hominis testimonio, sed Joannis de me testimonium vobis ingero: non ut ego pluris apud vos fiam, qui nihil moror humanam gloriam, sed F ut vos, apud quos tanta est Joannis auctoritas, credentes ei, de quo ille testificatus est, vitetis incredulitatis condemnationem, & per credulitatem assequamini salutem.

34 Ego autem non ab homine testimonium accipio: sed hæc dico ut vos salvi sitis.

35 Magnus quidem erat Joannes, sed lux illa promissa mundo non erat, tantum erat lucerna, de nostro igni ardens, de nostro lumine lucens. Vos autem cum illius indicio debueritis properare ad lucem veram, quæ semper illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, maluistis ad breve tem-

35 Ille erat lucerna ardens, & lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce ejus.

Digitized by Google

pus in illius luce gloriari, quam veram amplecti lucem: quæ gloriam largitur perennem, nec unquam obſcuratur, occiditve. Præluxit ille, Soli mox ceſſurus, & vero lumine emicante obſcurandus. Voluiſtis illum eſſe Meſſiam, qui ſe negabat dignum, qui ſolveret corrigiam calceamentorum Meſſiæ. Cur ergo teſtimonium illius apud vos nunc leve eſt, quod de me tulit, quum alioqui tam magnifice de illo ſenſeritis? Non pendeo à Joannis teſtimonio: ſed tamen optarem apud vos habere pondus, ne pereatis ob incredulitatem. Et tamen ſi illius teſtimonio diffiditis, ego ex meipſo certius habeo teſtimonium: nimirum Patris mei, qui major eſt Joanne, cujus teſtimonium refelli non poteſt. Nullum eſt certius teſtimonium ipſis factis. Ea ſi videtis eſſe digna Deo, ſi videtis à me fieri, ſatis de me teſtificantur, me nihil ex meipſo facere, ſed ex eo, qui me ſalutis veſtræ cauſa miſit in mundum. Non eſt igitur quod excuſetis incredulitatem veſtram, meamque fidem elevetis, quod ipſe * duntaxat ſim teſtis, quod magna de me prædicem. Habetis Joannis apud vos graviſſimum teſtimonium, quanquam ille magis eget meo teſtimonio, ne falſo videatur teſtificatus.

36 Ego autem habeo teſtimonium majus Joanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea; ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me:

36, 37 Habetis operum meorum teſtimonium, ut jam non neceſſe ſit dictis cujuſque credere, quum ipſa † facta conſpiciatis. Quod ſi ne hoc quidem incredulitati veſtræ ſatis eſt, audiſtis apud Jordanem Patris vocem è ſublimi teſtificantem de me. Pater autem cum ſpiritus ſit, nec vocem habet, quæ poſſit auribus humanis percipi; nec ſpeciem, quæ cerni poſſit oculis corporeis. Nam Moſi non talis apparuit & auditus eſt, qualis eſt ſuapte natura, quemadmodum vos exiſtimatis. Sic enim ſoli Filio viſus eſt atque auditus, & tamen aliqua voce, aliqua ſpecie, ſe veſtris ſenſibus inſinuavit. Locutus eſt Prophetis, per Prophetas locutus eſt vobis: Joanni locutus eſt, per Joannem vobis: mihi vero ut eſt ſuapte natura, locutus eſt, per me loquitur vobis. Quod ſi non tergiverſamini Joannis teſtimonium palam fuiſſe redditum, cur illi non creditis? Si putatis Moſi & Prophetis vere locutum ac viſum Deum: cur his, quæ per illos locutus eſt, non creditis?

37 Et qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me: neque vocem ejus umquam audiſtis, neque ſpeciem ejus vidiſtis.

38 Et verbum ejus non habetis in vobis manens: quia quem miſit ille, huic vos non creditis.

38, 39 Certe creditis Scripturas eſſe profectas à Deo: quumque in his ſcrutandis diligenter verſemini, atque in his vitæ ſpem ac felicitatem collocetis, tamen quemadmodum Joanni, cui in cæteris plurimum tribuiſtis, de me teſtificanti fidem habere noluiſtis, ita Scripturis in eo, quod eſt omnium caput, non creditis. Promittunt enim illæ vitam, ſed per me. Teſtificatur illic Pater de me, ac promittit ſe miſſurum Filium, per quem ſalus ſit danda mortalibus.

39 Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me:

40 Sed quemadmodum audiſtis Joannem, nec creditis: audiſtis vocem Patris, nec creditis: ita nec Legis ac Prophetarum teſtimonium hæret animis veſtris: cum libros ſemper habeatis in manibus, cum verba ſemper in ore, tamen eum, quem illæ litteræ promittunt, rejicitis: ei, quem Pater juxta Prophetarum promiſſa miſit, non creditis: cumque non ſit aditus ad vitam, niſi per me, tot teſtimoniis comprobatum, tamen omnibus contemtis, non vultis venire ad me, ut minimo negotio vitam habeatis. Nam credidiſſe Filio, quem miſit Pater, ſalutis eſt janua.

40 Et non vultis venire ad me ut vitam habeatis.

41 Non eſt quod teſtimonio Joannis aut Prophetarum vener apud vos humanam gloriam: ſed veſtrum exitium doleo, qui vobisipſis incredulitate veſtra vitam invidetis æternam, ſimulque adimo vobis omnem excuſationem, ſi non credideritis. Tot teſtimonia protuli, quibus vos aliis in rebus plurimam tribuitis auctoritatem, in me ſolo, cujus gratia ſcripta dictaque ſunt omnia, non recipitis.

41 Claritatem ab hominibus non accipio.

42 Sed cognovi vos, quia dilectionem

42 Dei cultum & amorem præ vobis fertis: Prophetas, per quos ille locutus eſt, veneramini: & tamen à Deo promiſſum, & operibus ſe declarantem quis ſit, adſpernamini. Hoc nimirum eſt argumentum, quod Deum ficta religione colitis: nec vere diligitis Deum, quem Lex jubet ex tota anima, totiſque viribus, diligi, quum illius Filium contemnatis. Incredulitas ergo veſtra non eſt ex inopia teſtium, ſed ex inopia veræ caritatis in Deum. Amatis gloriam humanam, amatis pecuniam, amatis voluptates, & ad hæc abutimini ficta religionis ſpecie.

Dei non habetis in vobis.

43 Filium autem Dei perſequimini, quod ea doceat, quæ pugnant cum iſtis veſtris pravis cupiditatibus, quanquam cum Patris voluntate conſentiunt. Hæc arguunt vos non ex animo diligere Patrem. Etenim qui diligit, credit & obtemperat: & qui Patrem diligit, non poteſt odiſſe illi cariſſimum Filium: & qui legantem amat, non poteſt adſpernari legatum: præſertim cum ego nec gloriam, nec regnum, nec opes ambiam apud homines: tantum ambio gloriam Patris, & in hoc ambio, ut vos ſervemini. Videtis opera digna Deo, & tamen hominum gloriam non mihi vindico, ſed Patri, cujus ſunt opera per me geſta. Quum igitur videri velitis religioſe colere Patrem, tamen me, qui illius nomine veni, nec aliud ago, quam ille præſcripſit, non recipitis. Et quam eſtis perverſe increduli mihi, qui Patris nomine veniens, gratis vitam ac ſalutem offero: tam eritis ſtulte creduli, ſi quis ſuo nomine veniens, ſibi Dei gloriam arrogans, ſuumque non Dei negotium agens, vobis adferat ea, quæ pertrahant in mortem æternam. Si vobis Deus carus eſt, cur illius gloriam quærenti obſtrepitis? Si vitam æternam amatis, cur auctorem vitæ repellitis? Si impius eſt qui ſibi vindicat Dei gloriam, cur recipitis, qui Dei gloriam falſo arrogat ſibi? Quid igitur ſupereſt, niſi ut fateamini fictam eſſe veſtram pietatem erga Deum? Verbis, cultu, ceremoniis Deum colitis, revera odiſtis. In ore eſt, Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini: in corde eſt pecunia. In ore ſunt Lex & Prophetæ: in corde eſt ambitio laudis humanæ. In ore ſunt verba Legis: *Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum ſicut teipſum:* in corde eſt livor, & odium, & homicidium. Vera laus eſt, meruiſſe laudem apud Deum: Vera pietas eſt, omnem gloriam Deo transſcribere.

43 Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.

44 Quomodo igitur poteſtis credere mihi, nihil aliud prædicanti, quam gloriam Dei, quum vos contemta vera gloria, quæ à Deo proficiſcitur, venemini falſam gloriam apud homines, invicem vobis adulantes, & Deo ſuam gloriam invidentes: captantes falſam religionis ſpeciem apud homines, contemta ſincera conſcientia, quam intuetur Deus? Venantes ſordidum hujus mundi lucrum, perditis vitam æternam. Mirum igitur non eſt ſi habetis Deum iratum, cui tam pertinaciter obſiſtitis.

44 Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis; & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis?

45 Nolite putare, quod ego cupiens ulciſci contemtum mei, vos delaturus ſim apud Patrem. Nihil opus eſt me delatore: Moſes ipſe vos deferet, cujus auctoritatem apud vos ſacroſanctam fingitis, & in quo ſummam fidem collocatis, habentes pro oraculo quicquid ille ſcripſerit.

45 Nolite putare quia ego accuſaturus ſim vos apud Patrem: eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis.

46 Sed quemadmodum ficte Joannem venerabamini, cujus de me teſtimonio non creditis: quemadmodum ficte veneramini Prophetarum oracula, nunc eum perſequentes, quem illi promiſerant: quemadmodum ficte Deum colitis, cujus opera non agnoſcitis, cujus Filium odiſtis: ita Moſen ficte colitis, cujus auctoritas vobis levis eſt in eo, in quo maxime debebat valere. *Siquidem ille de me ſcripſit.* Etenim quum majores veſtri offenſi terribili voce Dei, & igni pernicioſo, deprecarentur ne poſthac Dei vocem audirent, aut ignem formidabilem experirentur: Deus approbavit poſtulationem veſtram, ac Moſi promiſit ſe ſuſcitaturum de fratribus veſtris eximium Prophetam, ipſi ſimilem, cujus vocem placidam ac mitem, nec territantem minis, ſed ad ſalu-

46 Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: de me enim ille ſcripſit.

* Alia Editio inſerit, *mihi.* † Altera Edit. *ipſi.*

Digitized by Google

lutem invitantem oporteret audire. Cæterum hujus dictis non obtemperanti, pœnam comminatus est Deus, dicens: *Qui autem non audierit verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, ego ultor exsistam.* Rursum: *Qui Prophetam audierit in suo nomine venientem, & ea loquentem, quæ Deus illi non mandavit, eum jubet interfici.* Nemo igitur alius vos magis accusabit apud Deum, quam Moses amicus vester, cujus scripta contemnitis. Ille me promisit placidum, mitem, & omnia, quæ Deus voluerit, loquentem. Talis adsum, & repellitis. Ille jubet interfici qui suo nomine venerit, & suo spiritu loquatur. Talem odio mei complectimini, ut magis congruentem vestris depravatis cupiditatibus. Non solum igitur estis contumaces in me, verum etiam in Mosen ipsum: cujus promissis diffiditis. *Etenim si fidem haberetis Mosi,* nimirum *& mihi credaretis,* quem ille promisit, & cujus dictis credi jussit.

47 Si autem illius litteris non creditis: quomodo verbis meis credetis?

47 Non igitur mirandum est, si meis dictis non creditis, quem palam ut humilem contemnitis, quum nec Mosi scriptis fidem habeatis, cujus auctoritatem tantam videri vultis apud vos, & de quo tam magnifice sentitis. Hujusmodi dictis Dominus Jesus, lux & veritas, coarguit ac prodidit fictam Judæorum religionem, qua nihil esse potest adversius Euangelicæ pietati: ut qui nec tot tantisque de ipso testimoniis commoverentur, nec benefactis ac benignis verbis allicerentur, nec minis terrerentur, nec æternæ vitæ desiderio provocarentur ad fidem, nec gehennæ metu resipiscerent ab incredulitate, certe palam esset omnibus eos suo merito perire. Atque hæc si loquutus fuisset Dominus Jesus apud Samaritas, aut Ethnicos, præsertim miraculis sermoni fidem conciliantibus, conversi fuissent ad pœnitentiam. At Hierosolymitæ, Scribæ, Pharisæi, & Sacerdotes nihil ad hæc respondent, quæ refelli non poterant: persistunt tamen in parricidialibus suis cogitationibus, & æternæ vitæ beneficium offerenti, mortis struunt consilia.

CAP VI.

Fracta replent cophinos: Rex esse recusat Jesus: Manna dedit: carnem nunc dabit ipse suum.

1 Post hæc abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis:

1 JESVS igitur ad tempus cedens illorum vesaniæ, à simulatæ religionis opinione, & imperita Legis peritia tumidis se subducens, reddit sese simplicioribus, denuo proficiscens in Galilæam: non jam rursus in Cana, sed in eam quæ est ultra Lacum, quæ ob civitatem Tiberiadem, à Tiberio Cæsare conditam, Lacui imminentem, dicitur Tiberiadis.

2 Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his qui infirmabantur.

2 Atque huc proficiscentem sequuta est ingens hominum multitudo: partim allecta cupiditate miraculorum, quia viderant eum insolita virtute tollentem morbos hominum: partim ut ab eo sanarentur, qui morbis immedicabilibus tenebantur: partim illius inhiantes doctrinæ.

3 Subiit ergo in montem Jesus: & ibi sedebat cum discipulis suis.

3 Quum autem videret tantum ardorem promiscuæ multitudinis, ut obliti commeatus sese procul in loca deserta sequerentur, jam miraculo suos discipulos præparans, quibus volebat id, quod facturus erat, maxime compertum & infixum esse, nam adhuc rudes erant, in montem subducit sese una cum discipulis, ipsa re docens, eum, qui populi pastorem profiteatur, quanquam ut prosit suis, sese plerunque miscet etiam infimis, tamen nonnunquam oportere mentem ad sublimiora quædam erigere, quoties sacro studio aut precatione provocandus est animus ad rerum cœlestium contemplationem. Turba manet in humiliori loco, soli discipuli comitantur Jesum, quod Episcopos oporteat à sordidis temporalium rerum curis vacuos esse: atque ea, quæ populus rudis miratur, velut è sublimi despicere. Itaque semotus aliquantulum à turba, consedit in monte Jesus, cum discipulis suis: sed ita, ut turba esset in prospectu. Non enim oportet Episcopos à Christo recedere, etiamsi populus hæreat in humilioribus. Et in monte sedendum, hoc est, in studiis cœlestibus conquiescendum: in humilioribus, quæ ex caritatis affectu pro tempore tractantur, ambulandum potius quam sedendum. Nec sic oblectandus est animus contemplatione sublimium, ut multitudinis cura nobis excidat. Nam Episcoporum secessus in hoc ipsum adhibendus est, ut alacriores & instructiores redeant ad populi commodis consulendum. Nec enim convenit eos, qui Christi vices gerunt, ad liberiores compotationes, ad Venerem, aleam, venatum, aut similes voluptates secedere: sed in hoc, ut in otio animum negotiis crassioribus fatigatum, purioribus votis, continuis precibus, sacris studiis, sanctis colloquiis ad Euangelii munus instaurent.

4 Erat autem proximum Pascha, dies festus Iudæorum.

4 Porro quum hæc geruntur in Galilæa, proxime instabat Paschæ dies, Judæis cum primis religiosus. Atque magis jam conveniebat illum versari Hierosolymis, si religionis opinionem sibi voluisset conciliare. Verum, ut imagine quadam rerum significaret, fore ut ob incredulitatem Hierosolymitis, adversus Deum rebellibus, sua domus relinqueretur deserta: deinde prodita jam Euangelica pietate, cessaturum omnem carnalem illorum cultum, atque ibi demum pure celebratum iri Pascha, ubicunque relictis mundanis affectibus, ad cœlestium rerum amorem transferretur animus, maluit esse apud Galilæos in desertis, quam Hierosolymis in Templo.

5 Cum sublevasset ergo oculos Iesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi?

5 Quum ergo Jesus apertis in populum oculis, vidisset supra modum numerosam esse multitudinem, sic præparat animos discipulorum suorum ad certam miraculi fidem, ut primum velit eis notam & animadversam esse cibariorum penuriam, ac multitudinem, quæ subjecta erat oculis, esse innumerabilem: & panes, quos ipsi suis manibus porrigerent Jesu, ac populo distribuerent, esse perpaucos. Postremum cophinos, quos iidem è convivii reliquiis colligerent, esse multos ac plenos, ne quid vel non intelligerent, vel non animadverterent, vel post non meminissent. Noverat enim suorum rudes adhuc, & oblivioſos animos. *Ait itaque Philippo, tentans illius animum,* & paulatim ad miraculi futuri fidem formans: *Unde,* inquit, *mercabimur panes, ut sit isti* tam numerosæ *multitudini quod edant.*

6 Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus.

6 Hæc percunctatus est Dominus Jesus: non quod ipse nesciret, quantum esset panum aut obsonii: sed partim ut, quemadmodum modo dictum est, Apostolos attentos redderet ad miraculi considerationem: partim ut omnes discerent, quam non solliciti fuerint discipuli Jesum sequentes de commeatu, quamque plebejo vilique cibo contenti essent.

7 Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.

7 Philippus autem nondum exspectans miraculum, tametsi viderat illum in nuptiis aquam vertentem in vinum, quum expenderet, quam exiguum esset ipsis pecuniæ subsidium: ad hæc quam ingens esset hominum multitudo, respondit: Domine, quid quæris de panibus emendis? *Etiamsi ducentis denariis emamus panes, vix suffecerint:* non dicam ad saturandos istos, qui jam longa inedia famelici sunt, sed ut vel paululum gustantes singuli famis periculum effugiant.

8 Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri:

8 Hæc ubi dixisset Philippus, Andreas frater Simonis Petri, aliquanto prudentior, jam utcunque ad spem miraculi animum arrexerat, sed nondum plena fiducia. Viderat enim aquam versam in vinum, nec omnino diffidebat & panes posse crescere, sed ad moderatam portionem, sic ut ex paucioribus minus, ex pluribus plus accresceret: quum Jesus ad panes creandos nulla opus haberet materia, qui vel ex nihilo quod vult, & quum vult, creat. Ait igitur Andreas:

9 Est puer unus hic, qui habet quinque panes ordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos?

9 *Est hic puer quidam, qui habet quinque panes hordeaceos ac pisces duos: sed quid tantulum ad tantam multitudinem* jam famelicam?

10 Je-

Digitized by Google

10 *Dixit ergo Iesus: Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia.*

10 Jesus autem ubi vidit illis non ignotam ciborum inopiam, & animadversam immensam multitudinem, animos illorum erigere volens ad exspectationem miraculi, mandavit Apostolis, curarent ut populus discumberet in gramine: nam erat illic graminis magna copia. Discipuli vero jam non responsant, quid opus est discubitu, quum nihil sit quod apponatur? nam hoc quod habemus, vix nobis sufficerit: sed simpliciter obedientes Jesu jussis, digerunt populum in certos ordines, ac velut ad convivium jubent discumbere. Quin & populi simplex erat fiducia, parentis Apostolorum vocibus, quum nullum viderent apparatum. *Erant autem qui discubuerunt ferme quinque millia.*

11 *Accepit ergo Iesus panes: & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter & ex piscibus quantum volebant.*

11 *Jesus itaque quinque panes* hordeaceos *acceptos, postquam* ex suo more *gratias egisset* Patri, *fregit, tradiditque discipulis, ut distribuerent populo:* jam tum illos fingens ac formans, ut imagine corporali consuescerent pastores agere: & sermonis Euangelici dispensatores, animos gregis Christiani cibo spirituali pascere. Nam ille panis est, qui de cœlo descendit, & vitam æternam impartit avide vescentibus. Hunc tradunt quidem ac dispensant Episcopi populo, sed non aliunde quam è Christi manibus acceptum: nec nisi gratiis actis Patri cœlesti, cui convenit acceptum ferri, quicquid ad salutem humani generis pertinet, & ad quem velut ad auctorem Dominus Jesus omnia referebat, quæcunque gessit in terris admiranda: nos interim admonens, ut si quid in nobis fuerit egregiæ virtutis, ne laudem vindicemus nobis, sed omnem gloriam transferamus in Deum: unde proficiscitur, quicquid vere laudem meretur. Jam quod fecerat de quinque panibus, idem fecit de duobus piscibus, distribuens discipulis, ac inter distribuentis manus, ipsius arbitratu crescebat obsonium, quantum sciebat omnibus saturandis sufficturum, etiam usque ad largam redundantiam, quo certior esset miraculi fides.

12 *Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant.*

12 Porro cum jam esset expleta cibo multitudo, Jesus alio quoque argumento procurans certitudinem facti, ne quis præstigium aut imaginationem esse causaretur, *dixit discipulis suis: Colligite reliquias* convivii, *ne quid pereat.*

13 *Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus ordeaceis, quæ superfuerunt his qui manducaverant.*

13 Tantum autem reliquiarum compertum est superfuisse saturis omnibus, ut ex his impleti sint cophini duodecim. In tantam copiam Jesu benignitas auxerat exilem commeatum quinque panum ac duorum piscium, obiter nos docens, non oportere parcam esse in pauperes beneficentiam, sed multo magis eum, qui pascendi gregis Dominici curam suscepit, largiter oportere suppeditare ex divite penu Scripturæ divinæ, quicquid ad erudiendos, admonendos, consolandos, animandos pertinet, qui hujusmodi indigent cibo.

14 *Illi ergo homines cum vidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum.*

14 Porro qui saturati fuerant, quum non ignorarent non repertos fuisse nisi quinque panes, eosque hordeaceos, & duos pisces, jamque viderent tantum cophinorum supersesse, cœperunt magnifice prædicare de Jesu, dicentes: *Hic est vere Propheta ille*, jam diu exspectatus, *qui venturus erat in mundum.* Hoc est plebis ingenium, citius sentit ventris, quam mentis beneficium. Viderant majora miracula, nec tamen unquam tam magnificum elogium illi tribuerunt. Saturitas hanc vocem extorquere potuit.

15 *Iesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.*

15 Jamque ut erant rudes adhuc & crassi, Messiam in hoc exspectantes, ut regnum mundanum sibi vindicaret, consultarunt inter sese ut Jesum raperent, sibique Regem constituerent, ubertatem rerum, annonæ copiam, opes, libertatem, cæteraque hujus mundi commoda sibi pollicentes, si talis Rex contigisset. Jesus autem, qui longe aliud regnum ambiebat, quique in hoc venerat, ut nos doceret, opes, voluptates, & gloriam mundi contemnere: non ignarus quid agitarent, rursus subduxit sese in montem, unde pasturus eos descenderat. Subduxit autem sese solus clanculum, sic ut non sentiretur aufugisse. Ad regnum vocantibus furtim subduxit sese, ad crucem rapientibus ultro occurrit: evidens exemplar exhibens his, qui vices ipsius essent gesturi. Non enim potest sincere dispensare sermonem Euangelicum, quisquis amat regnum & gloriam apud homines: quæ adeo non sunt affectanda pastoribus, ut etiamsi ultro deferantur, fugere oporteat. Non enim convenit regno cœlorum cum regno mundi: non profecto magis quam luci cum tenebris.

16 *Ut autem sero factum est, descenderunt discipuli ejus ad mare.*

16 Discipuli vero cum diu exspectassent in monte Dominum, jamque vespera appeteret, ne in locis desertis nox occuparet, descendunt ad Lacum, ut trajicerent in civitatem Capernaum, nam ibi domicilium habebat Jesus: sperantes fore, ut vel inter navigandum occurreret alia navi, vel in civitate eum offenderent.

17 *Et cum ascendissent navim, venerunt trans mare in Capharnaum: & tenebræ jam factæ erant: & non venerat ad eos Iesus.*

17 Quum autem adornarent navigationem, jam erant tenebræ, nec interim venit ad suos, diu multumque exspectatus Jesus: non ignarus quanto sui desiderio cruciarentur discipuli: sed absentia sua magis accendere voluit suorum desiderium: simulque docere quantum periculi sit nobis, quantæ tenebræ, quanta tempestas immineat hujus mundi, quoties à Jesu sejungimur. Atque interim majori miraculo parabatur argumentum.

18 *Mare autem, vento magno flante, exurgebat.*

18 Lacus erat ingens, sic ut ab illis Mare diceretur, cui nox horrorem addidit: & ne simplex esset periculum, venti vehementes, & iidem adversi, magno tumultu concitabant Lacum, & tamen desiderio Magistri sui audent navigare discipuli.

19 *Cum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta, vident Iesum ambulantem supra mare, & proximum navi fieri, & timuerunt.*

19 Quum igitur procul abessent à littore, jam remigio emensi stadia ferme viginti quinque aut triginta, propeque in summa desperatione versarentur, aderat inexspectatus Dominus Jesus. Vident enim per tenebras pedibus ambulantem super undas Lacus, perinde quasi solidam terram calcaret: ut se non terræ solum, sed omnium elementorum Dominum declararet. Habet autem etiam in tenebris oculos Euangelica caritas: & ibi nox non est, ubi adest Jesus: nec tempestas illic exitialis est, ubi in propinquo est is, qui serenat omnia. Quum autem jam factus esset vicinus navi Dominus, pavefacti sunt discipuli, suspicantes, quoniam per tenebras non certum perspiciebant, nocturnum esse spectrum, qualia navigantibus noctu multa conspici credit vulgus.

20 *Ille autem dicit eis: Ego sum, nolite timere.*

20 Jesus autem ut voce jam nota ac familiari metum omnem illis adimeret, loquutus est illis: *Ego sum, nolite timere:* significans nullam, quamlibet atrocem mundi tempestatem formidandam esse his, quibus adest Dominus Jesus. Adest autem omnibus suis usque ad finem seculi, qui simplici, firmaque fiducia pendent ab ipso.

21 *Voluerunt ergo accipere eum in navim: & statim navis fuit ad terram, in quam ibant.*

21 Discipuli vero, receptis animis ad Magistri vocem, cupiebant illum in navim recipere, nonnihil & illi metuentes, ut erat illorum imbecillis ac vacillans fiducia. Cæterum ut Dominus Jesus demonstraret suis virtute divina geri totum quod gerebatur: nec eam tempestatem casu fuisse sedatam, navis, quæ paulo ante hinc atque hinc procul aberat à littore, subito appulerat terræ, quam petebant. His argumentis miraculum hoc diligenter infixum est animis discipulorum, quorum credulitas omnibus modis erat formanda, confirmandaque.

22 *Altera die, turba quæ stabat trans mare, vidit quia navicula alia non erat ibi nisi una, & quia non introisset cum discipulis suis Iesus in navim, sed soli discipuli ejus abiissent:*

22 Cæterum ne turbam quidem omnino latuit hoc prodigii. Nam postridie quam hæc gesta sunt, turba, quæ remanserat in ulteriore ripa Lacus, quum vidisset quod illic nulla esset navicula, præter unam, qua transmiserant Apostoli: quos quum vidissent solventes à littore, certum habebant cum illis non fuisse navim ingressum Jesum, sed solos discipulos abisse: mirabantur quonam ille se subduxisset, quod ne ma-

Digitized by Google

mane quidem usquam appareret, diu multumque desideratus à populo, quem pridie paverat. Suspicantes autem illum non diutius abfuturum à suis discipulis, qui præcesserant, decreverunt & ipsi trajicere, si forte illum in ulteriore ripa possent invenire.

23 Alia vero supervenerunt naves à Tiberiade, juxta locum ubi manducaverant panem, gratias agentes Domino.

23 Jam autem aderant illic naves aliquot, quæ venerant, non à Capernaum, sed à Tiberiade: quæ civitas & ipsa littoralis, haud procul aberat ab eo loco, ubi pasti fuerant quinque panibus hordeaceis, & affatim saturati gratias egerant Deo, qui talem Prophetam misisset populo suo.

24 Cum ergo vidisset turba quia Jesus non esset ibi, neque discipuli ejus, ascenderunt in naviculas, & venerunt Capharnaum quærentes Jesum.

24 Quum igitur hæ naves adessent ad turbam trajiciendam, nec Jesus multum quæsitus, usquam inveniretur, conscensis navigiis trajecerunt Capernaum: ibi quæsituri Jesum, quod illic haberet domicilium, & quod scirent Apostolos eo trajecisse.

25 Et cum invenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti?

25 Hic ubi repertus esset Jesus, viderentque illum trajecisse Lacum, quum scirent nullam fuisse navem, qua potuerit trajicere, demirantes quo pacto transisset Lacum, rogant eum: Magister, *quando huc venisti?* cupientes ex ipso tempore colligere, quomodo transisset. Suspicabantur enim & hic rem miraculo peractam, quemadmodum pridie paverat immensam multitudinem. Jam autem ardor ille superioris diei refrixerat, quo conabantur illum vel invitum ad regnum rapere.

26 Respondit eis Jesus, & dixit: Amen, amen dico vobis: quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.

26 Jesus autem ne videretur ostentare virtutem suam, ad ea nihil respondet, ut miraculum majore cum fide discerent ex discipulis, & ex compertis argumentis. Cæterum affectum multitudinis, non solum inconstantem, sed etiam crassum minimeque dignum Euangelica doctrina, corrigit objurgatione severa: quod quum majora vidissent miracula, divinam virtutem arguentia, tamen magis illos commoverit saturitas unius convivii, quam æternæ salutis desiderium: pluriscque facerent corporis pabulum, quam rei paulo post perituræ, subinde & ad tempus succurritur, ac non multo magis esurirent illum cibum, sine quo perit in æternum anima. Deinde quod de se tam crasse sentirent, ut existimarent ipsum in hoc edere miracula, quo mundanum regnum pro merito reciperet à tumultuaria multitudine, qui non in aliud pro temporis ratione miraculis aliquot specimen præbuit divinæ virtutis suæ, quam ut per hæc, quæ sensibus corporeis perspiciebantur, fidem conciliaret suæ doctrinæ, quæ ea pollicebatur, quæ sensibus corporeis percipi non poterant, & hac ratione rudes adhuc & imbecilles, gradibus quibusdam ad sublimiora subveheret. Quemadmodum fidus Præceptor optaret, si fieri posset, discipulum illico capacem esse totius artis: tamen interim fingit ac format ingenium rude quibusdam elementis, donec ad exactam artis cognitionem provexerit, ut jam rudimentis illis non sit opus. Et quanquam qui docet, non sine tædio sumit operam in tradendis elementis, tamen hoc tædium spe profectus devorat, modis omnibus adnitens, ut quam minimum temporis in crassioribus illis conteratur. Jesus itaque ut hîc quoque suam declararet Divinitatem, quod non ignoraret illorum cogitationes, quum videret turbam ad se rursus confluere, similibus miraculis inhiantem, quæ ventrem explerent potius, quam mentem erudirent, ex occasione cibi semel præbiti, docet qui cibus illis potissimum sit expetendus. Loquutus est autem in hanc sententiam: Profecto verum est, inquit, hoc quod dicam. Appellatis me Magistrum, non quod avidi sitis meæ doctrinæ, quæ tota spiritualis est, sed quod humana leviaque commoda venemini: quæ vobis pluris sunt, quam ea, quæ sunt longe potiora. Et nunc avidis studiis me quæritis, non perinde ob signa, quæ vos ad sublimiora provocare debuerant, sed hesterna saturitas vos magis commovet, quam admiratio divinæ virtutis: ac rem magnam existimatis, si quis vobis corporalem cibum gratis suppeditet. Non magnum est, corpus hoc, & alioqui periturum, pascere: nec deerit cibus inhiantibus Euangelicæ doctrinæ.

27 Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus.

27 Quin omnem curam convertite ad eum cibum parandum, qui sumtus non perit concoctione, nec corporis vitam ad tempus breve prorogat: quemadmodum cibus panum mox recurrente fame, sed permanet in homine spirituali pabulo vegetans animam, tribuens illi vitam æternam. Hunc panem tam eximium dabit vobis Filius hominis, si viderit vos hujus appetentes ac famelicos. Siquidem hunc hominis Filium, Deus volens humano generi largiri salutem æternam, in hoc peculiariter consignavit, jus illi tribuens, & miraculis illi concilians auctoritatem, ut spiritualem cibum impartiat omnibus avidis æternæ vitæ. Non enim in hoc venit in mundum, ut vel sibi paret honorem hujus seculi, vel alios hujusmodi commodis beet: sed illud magis agit negotium, ut homines à sordidis curis evehat ad curam rerum cœlestium.

28 Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus ut operemur opera Dei?

28 Hæc rudis turba quum non intelligeret, ac ne animadverteret quidem tota intenta ventris negotio, respondit hunc in modum: Quoniam admones nos, ut operemur cibum quendam, qui maneat in nobis adferens vitam æternam, *quid igitur faciemus, ut operemur ea, quæ Deo digna sunt*, & vitam promereamur æternam, quorum gratia te dicis venisse in mundum?

29 Respondit Jesus, & dixit eis: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.

29 Jesus nihil offensus tam crasso responso, pergit eos paulatim evocare ad perfectiora: Si quæritis, inquit, quod sit opus, quo demereamini Deum, qui Spiritus est, & spiritualibus delectatur: non est immolatio victimarum, non observatio Sabbati, non lotiones, non ciborum delectus, non vestitus religio, non cætera, quæ corporalibus constant ceremoniis: sed hoc est opus, quod à vobis flagitat Deus, ut credatis Filio suo, quem ille misit, & per quem vobis loquitur, ne plane ingratis, vel indignis potius, vitam æternam vobis largiri videatur.

30 Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum ut videamus, & credamus tibi? quid operaris?

30 Ad hæc turba, quæ sibi ex observatione Legis Mosaicæ, mirificam quandam religionem vindicabat, jam non crasse solum, sed & ingrate, atque impie respondit: Si tibi, inquit, vindicas peculiarem auctoritatem supra majores nostros, quorum auctoritatem hactenus sequuti sumus, præbe specimen ac documentum auctoritatis à Deo traditæ: ut eo conspecto, credamus non verbis tuis, sed factis. Neque enim æquum est, ut sine prodigio credamus tibi, verbis auctoritatem istam arroganti. Neque patribus nostris temere credidissemus, nisi signo cœlitus edito nobis auctoritatis divinæ feciissent fidem.

31 Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de cælo dedit eis manducare.

31 Sub duce Mose, *majores nostri comederunt manna in deserto.* Hic nimirum erat panis Dei, & panis cœlestis, qui non putrescebat: quemadmodum scriptum est in Psalmis: *Panem cœli dedit eis ad vescendum.* Hoc igitur ostento tanto commotus populus, obtemperavit Mosi: Tu si quid potes simile, aut etiam majus, credemus & tibi.

32 Dixit, ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum.

32 Nec hæc tam crassa, tam ingrata, tam impia populi responsio, Jesu mansuetudinem defatigavit, ab alliciendis† ad cognitionem rerum spiritualium. Primum ostentum efflagitant, quasi prius nullum vidissent miraculum: nec quodvis miraculum recipiunt, sed ceu præeuntes illi præscribunt, cujus generis signum sibi velint edi: denique ex tam multis, quæ priscis Hebræis exhibita leguntur, illud potissimum eligunt, quod ad pastum facit, usque adeo de ventre solliciti sunt. Jesus igitur dissimulans plebis ruditatem, sic paulatim ad sensum rerum spiritualium adducit: Si Mosi, inquit, ideo gravis * est apud vos auctoritas, quod manna vobis de cœlo dederit, atque eum cibum ut cœlestem suspicitis, quod è cœlo venerit, Deo potius hæc debetur gratia, unde manna fluxit, & cui debetur omnium miraculorum gloria. Neque enim Moses hoc ex se præstare poterat, qui nihil aliud erat, quam Dei minister. Nec ille panis, tametsi cœli panis dictus est

† Alia Editio addit, *illis*. * Altera Editio, *gravior*.

Digitized by Google

Psalmographo, vere panis erat cœlestis. Neque enim è cœlo venerat, sed ex aere depluebat: quemadmodum aves, in aere viventes, cœli dicuntur: sed panis vere cœlestis imaginem duntaxat habebat. Quemadmodum autem carnali populo Deus per Mosen famulum suum terrenum, panem dabat corporalem: ita nunc Pater meus spirituali populo per Filium suum cœlestem largitur vobis panem illum vere profectum è cœlis: nec corpora modo satiat ad tempus, sed eis, qui sumserint, donat animorum immortalitatem.

33 Panis enim Dei est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo.

33 Panis ille corporeus erat, & corporibus duntaxat ad tempus vitam proferebat: nec hoc quicquid erat beneficii, profuit, nisi unico populo. Verum hic panis, de quo loquor, nec est corporeus, nec ex aere depluit, sed ab ipso Deo proficiscitur: & tam efficax est, ut det vitam, nec corporalem, sed animarum: nec uni populo, sed toti mundo. Quod si vos movet auctor, pro Mose, quo gloriamini, Deum habetis, hujus muneris auctorem: pro famulo Dei, Filium habetis Dei. Si munus spectatis, tantum interest, quantum inter corpus & animam, quantum inter vitam hanc brevi desituram, & vitam in cœlis perennem.

34 Dixerunt ergo ad eum: Domine, semper da nobis panem hunc.

34 His auditis, Judæi ne sic quidem eriguntur ad amorem rerum cœlestium, sed adhuc ventris negotium somniantes: *Domine, inquiunt, semper da nobis panem hunc.* Saturitatem amabant, potius quam salutem: & saturatorem requirebant, potius quam servatorem.

35 Dixit autem eis Jesus: Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet umquam.

35 Jesus igitur ut excuteret illis somnium cibi corporalis, apertius eis explicat, se non loqui de pane qui dentibus manditur, & per gulam in stomachum trajectus, corporis famem ad tempus sedat: sed de pane cœlesti, qui est sermo divinus, aitque: *Ego sum panis ille, vitæ* largitor æternæ. *Qui* hunc esuriens *ad me venerit*, eumque in animæ viscera per fidem trajecerit, *non esuriet rursum*, recurrente post saturitatem famis molestia, sed permanebit in eo qui sumsit usque in vitam æternam: & sermo meus fontem habet aquæ spiritualis, quæ per fidem hauritur animo, non corpore. Itaque *qui credit in me*, non solum non esuriet, verum *ne sitiet* quidem *in æternum*.

36 Sed dixi vobis, quia & vidistis me, & non creditis.

36 Non oris hiatu, sumitur hic panis, sed animi credulitate. Hæc ideo loquutus sum vobis, ut intelligatis vos vestra culpa perituros, si perstiteritis in incredulitate vestra. Panis hic nulli negatur à Patre, & vobis omnium primis oblatus est, sed magis vos tangit panis interituri sollicitudo. Vidistis me majora præstantem, quam si vos manna pavissem, & feliciora polliceor, & tamen non creditis.

37 Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum, qui venit ad me, non ejiciam foras:

37 Nec tamen otiose miserit Pater hunc panem in mundum, etiamsi vos per incredulitatem eum fastidieritis. Non deerunt quibus hic panis vitam æternam sit allaturus, etiamsi tota Judæorum natio Filium rejecerit: ob hoc ipsum & in Deum impia, quod Filium, quem ille ad totius orbis salutem misit, adspernetur. Pater enim meus non solum Judæorum, sed & omnium gentium Deus est. Ex me nihil habeo: quicquid autem mihi dederit, cujuscunque gentis sit, hoc ad me per fidem veniet, etiamsi sit à Lege Mosaica alienum. Quisquis autem ad me venerit, eum non ejiciam foras: atque utinam omnes veniant.

38 Quia descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.

38 Vult enim Pater, quantum in ipso est, omnes homines per fidem fieri salvos. Et in hoc ipsum descendi de cœlo, non ut faciam quod ipse volo, velut dissentiens à Patre, sed quod vult Pater, qui misit me, à cujus voluntate mea voluntas non potest dissidere, quum sit eadem voluntas.

39 Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.

39 Hæc est autem voluntas Patris qui misit me, ut quicquid ille mihi per fidem tradiderit, nihil ex eo depereat, me servante: ne quod Pater tradidit ad vitam, mundus rapiat ad mortem. Quod etiamsi corpus humanæ naturæ lege moritur, supereſt tamen melior hominis pars vivens anima: atque ut rursum totus homo vivat per me, vult & illud Pater, ut corpus quoque defunctum vitæ reddam in novissimo die.

40 Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.

40 Hæc est enim voluntas Patris mei, qui misit me, ut per Filium vitam æternam largiatur omnibus: idque non per Legem Mosaicam, sed per fidem Euangelicam. Nihil agit Pater, nisi per Filium. Proinde qui non agnoscit Filium, is nec Patrem agnoscit: & qui resistit Filio, resistit & Patri. Pater est invisibilis, sed videtur in Filio. Quisquis igitur videt Filium, & agnoscit eum, & illius dictis credit, non patietur illum perire Filius: sed etiamsi mortuus fuerit corpore, ex voluntate Patris resuscitabit eum in novissimo die, ut jam totus & anima & corpore vivat una cum Filio, cui credidit. Hanc potestatem Pater dedit Filio, ut mortuis etiam vitam restituat.

41 Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi.

41 Hæc quum dixisset Jesus, populus, qui hactenus cibi spe ferebat utcunque sermonem, nunc postea quam vident ademtam spem pastus corporalis, vertuntur ad calumniam: & quem saturi volebant Regem facere, nunc ut humilem contemnunt, atque ut arrogantem criminantur, non adhuc quidem palam, sed inter ipsos murmurantes, præsertim de hoc dicto, quod omnium maxime debebant amplecti: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Inhiabant enim cibo corporis, atque hoc dicto sibi videbantur delusi, quum res longe præstantior offerretur, quam illi exspectarant. Offendebat autem eos imbecillitas humani corporis, quod tantum cernebant oculis corporeis, quum ex factis dictisque divinam virtutem perspicere potuissent, si habuissent oculos fidei:

42 Et dicebant: Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de cælo descendi?

42 *Nonne, inquiunt, hic est filius Joseph* fabri, *cujus nos* etiam de facie *cognovimus patrem & matrem*, homines humiles & tenues? Porro quum nuper sit hic apud nos natus in terris, homo ex hominibus, quemadmodum nos, qua fronte dicit se descendisse è cœlis? Aut quem alium patrem nobis memorat?

43 Respondit ergo Jesus, & dixit eis: Nolite murmurare invicem:

43 Hæc illis inter sese mussitantibus, Jesus subinde declarans, sese non latere cogitationes hominum, superiorem sermonem explanat, pariter & confirmat, dicens: Non est quod inter vos murmuretis de his, quæ vobis locutus sum. Ideo sermo meus non hæret animis vestris, quoniam obstat incredulitas. Videntes, non videtis: & audientes, non auditis: & præsentes, estis absentes.

44 Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: & ego resuscitabo eum in novissimo die.

44 Quisquis autem ad me venerit, vitam æternam assequetur: sed fide venitur ad me. Ea non contingit temere, sed Patris afflatu: qui quemadmodum per Filium attrahit ad se mentes hominum, ita secretis inspirationibus fidei trahit ad Filium, ut per utrumque veniatur ad utrumque. Non impartit ille tantum munus, nisi volentibus & avidis. Quisquis autem promeruerit sua promta voluntate, pioque studio, ut attrahatur à Patre, per me vitam æternam consequetur. Nam ego mortuum etiam ad vitam, ut dixi, revocabo, quum venerit ille supremus dies, quo consummabitur piorum felicitas, & impiorum exitium. Rem magnam accipit, qui mihi credit, sed hoc ipsum debet Patri, sine quo nemo potest credere. Nec tamen interim excusantur à crimine, qui non credunt, eo quod non fuerunt attracti. Pater enim quod in ipso est, cupit omnes attrahere. Qui non attrahitur, ipse in vitio est, quia se subducit attrahere volenti. Humana discuntur humano studio: hæc Philosophia cœlestis non percipitur, nisi arcanus Patris afflatus reddat illi cor docile.

45 Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.

45 Nimirum hoc est, quod olim etiam fore prædictum est à Prophetis: *Et erunt omnes à Deo docti.* Sed indociles reddunt multos hujus mundi cupiditates: quæ dum demergunt in hæc terrena, non sinunt animum erigi ad cœlestia. Donum est Dei, sed vester est conatus. Frustra quis audit corporeis auribus sermones meos, nisi prius intus audiat secretam Patris vocem, quæ mentem afflat insensibili gratia fidei. Proinde quicunque se præbent idoneos huic afflatui, hos sic attrahit Pater, & is demum venit ad me, qui sic fuerit attractus.

46 Deus

Digitized by Google

46 *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo, hic vidit Patrem.*

46 Deus enim Spiritus est, nec auditur, nec videtur, nisi spiritualibus. Et sic vidisse, sic audisse, salus est. Filium multi videbunt, & audient suo malo. Quanquam vos gloriamini, Mosi & Prophetis conspectum & auditum Deum. Deum ut est, nemo mortalium vidit, aut audiit; hoc soli Filio datum est, qui solus à Deo profectus est, apud quem semper fuit antequam veniret in hunc mundum.

47 *Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam æternam.*

47 Excutite igitur ex animis vestris sordidas curas hujus vitæ corporalis, adnitentes ut vitam æternam spiritualium bonorum aviditate consequamini. Excidat vobis panis ille, quo satiantur corpora: appetite panem cœlestem, qui vitam largitur æternam. Is fide sumitur, & fides à Deo Patre est impetranda. Illud habete pro indubitato: Quisquis fiduciam habet in me, is jam habet vitam æternam, quum fontem habeat immortalitatis.

48 *Ego sum panis vitæ.*

48 Ego sum ille panis, qui vitam præstat, non corporalem ac temporariam, sed animæ & æternam. Me quum habeatis præsentem, tamen manna desideratis, ceu rem mirificam.

49 *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt.*

49 Atqui manna, quod ad dies aliquot ederunt vestri majores in deserto, quanquam è cœlo defluxerit, ut vos putatis, nihil tamen aliud illis præstitit, quam panis triticeus præstat, aut hordeaceus. Ad breve tempus famem corporis pepulit, mox recursuram, ac denuo cibum flagitaturam, non autem præstitit eis immortalitatem. Nam majores vestri quamlibet felices, quotquot illo manna vescebantur, mortui sunt.

50 *Hic est panis de cælo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.*

50 Hic panis vere descendit è cœlo, ac cœlestem à Deo vim habet efficiendi, ut si quis eo vescatur, totus vivat in æternum, nec unquam morti sit obnoxius. Non est igitur necesse, ut ullum manna flagitetis è cœlo, quum panem habeatis vere cœlestem, præsentem ac paratum vobis, qui vitam æternam largitur, si modo per fidem velitis sumere.

51 *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi.*

51 Nam ipse ego sum panis ille vitæ immortalis largitor, qui solus de cœlo descendi, quem vos, offensi corporis hujus infirmitate, nihil aliud esse putatis, quam Joseph & Mariæ filium. Sum enim sermo Dei Patris, cui qui crediderit, vitam habebit immortalem.

52 *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

52 Si quis hunc panem cœlestem trajecerit in animæ suæ viscera, vegetabitur, & adolescet in vitam æternam. Quod si nondum assequimini spiritualia, quippe carnales, dicam etiam aliquid crassius, & affine carni. Panis vitalis est & hæc caro, quam videtis, quam impendam ac tradam in mortem pro redimenda totius mundi vita. Credite, sumite, & vivite. Hoc sermone Dominus Jesus per ænigmata quædam subaperuit illis mysteria Divinitatis suæ, per quam semper fuit apud Patrem Deum, & mortis suæ, qua mundum erat liberaturus à mortis tyrannide: postremo mystici corporis, cui nisi quis per fidem insitus fuerit, & inhæserit, sicut palmes inhæret viti, non habebit in se vitam. Nec ignorabat, horum sermonum id temporis nondum esse capaces Judæos, sed tamen hæc mysteriorum semina condita in animis bonorum, futurum sciebat ut olim enascerentur, & fructum copiosum afferrent.

53 *Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?*

53 Quum igitur hæc illis absurda dictu viderentur, nec auderent appellare Dominum, orta est inter ipsos opinionum dissensio, aliis aliter atque aliter interpretantibus quod dicebatur. Etenim quemadmodum Nicodemus non capiebat sermonem Jesu de cœlesti renascentia, nec Samaritana mulier intelligebat ænigma Jesu de aqua saliente in vitam æternam: ita crassior populus disceptabat, qui fieri posset, ut homo daret carnem suam aliis edendam, sic ut ea sufficeret omnibus ad vitam æternam. Invitarat enim omnes ad edendum panem cœlestem, ac denique dixit carnem suam esse panem. Quomodo vescemur, inquiunt, hominis vivi carne?

54 Rursum Jesus non ignarus, qua de re disceptarent, nondum ostendit, qua ratione possit sumi caro vice panis, sed quod illi judicabant absurdum, & fieri non posse, hoc nunc confirmat esse necessarium: Illud, inquit, habetote pro certo, nisi me totum sumseritis, hoc est, nisi pro pane comederitis carnem Filii hominis, & pro vino biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis.

55 Contra, quisquis edit carnem meam, ac bibit sanguinem meum, habet ex esu potuque vitam æternam. Nec solum vivet anima felix hoc cibo potuque, verum etiam resuscitato corpore, totus homo mecum vita æterna fruetur. Quemadmodum enim cibus humanus trajectus in stomachum, ac per membra digestus, transit in substantiam corporis, ut jam idem sit cibus, & homo vescens eo: ita vice versa, qui me comederit, spiritualiter in me transformabitur. Porro quum ipse sim auctor ac princeps resurrectionis, non patiar mea membra divelli à me. Sed quisquis mihi per hunc cibum ac potum insitus fuerit, eum resuscitabo in novissimo die, ut quoniam totus mihi credidit, totus etiam mecum vivat in æternum. Hoc non præstat cibus corporalis, neque manna, quo vos gloriamini, sed hoc præstat esus corporis mei, & potio sanguinis mei.

56 *Proinde caro mea vere est cibus, qui præstat immortalitatem, & sanguis meus vere est potus, qui confert vitam æternam, non corpori tantum, sed toti homini.*

57 Quemadmodum autem vita corporis, quod alitur cibo quotidiano, ut ne deficiat ante diem, omnibus corporis membris communis est, propter individuam inter se partium omnium societatem: quod quum sint diversa corporis membra, unum tamen corpus sit, quoniam eadem vegetantur anima: ita qui carnem meam edit, & sanguinem meum bibit, sic mihi copulatur & cohæret, ut nec ego ab illo, nec ille à me divelli possit. Nam ego sum in illo per Spiritum meum, per quem illi vitam impartio: & ille in me est, velut membrum in corpore, aut palmes in vite societate indissolubili.

58 Pater, qui misit me, principalis fons est omnis vitæ. Huic quisquis jungitur, vitæ fit particeps. Quemadmodum igitur Pater est in me, & mihi vitam impartit, ac vitam aliis tribuendi potestatem: ita qui me comedit, mihique mystico esu potuque sic jungitur, ut mecum unum fiat, huic & ipse vitam impartiam non ad breve tempus duraturam, sed æternam. Quicquid terrenum est, idem & temporarium est, & parum efficax.

59 Manna, quod sub duce Mose vobis è cœlo fluxit, quoniam corporis erat cibus, non potuit majoribus vestris æternam præstare vitam. Quum enim illo vescerentur omnes, tamen mortui sunt, neque quisquam è tanto numero supereſt: plerique etiam secundum animam mortui sunt, quod multis modis Deum provocarint ad iram. Verum hic panis, qui vere de cœlo descendit, cœlestem habet vim, ac vescenti dat vitam æternam.

60 Hujusmodi sermonibus Dominus Jesus erudiebat rudem & crassam multitudinem, ab amore rerum visibilium & corporalium subvehere cupiens illos ad studium rerum cœlestium & æternarum. Loquutus est autem hæc in Synagoga, frequenteque plebis conventu, doctoris personam gerens.

61 Quanquam tantum aberat ut crassus populus horum mysteriorum cœlestium capax esset, ut discipuli quoque complures offensi, pararint à suo Magistro desciscere, murmurantes inter sese: Durus est hic sermo de comedenda carne vivi hominis, & bibendo sanguine. Cujus aures ferant hujusmodi doctrinam?

62 Jesus intelligens, quid inter se murmurarent, mederi conatur illorum offendiculo, prædicens majora conspecturos oculis suis, quam nunc audiant ipsum de se prædicantem: & sermonem, quem dixe-

54 *Dixit ergo eis Jesus. Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

55 *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in novissimo die.*

56 *Caro enim mea, vere est cibus: & sanguis meus, vere est potus.*

57 *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

58 *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse vivet propter me.*

59 *Hic est panis, qui de cælo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

60 *Hæc dixit in synagoga docens, in Capharnaum.*

61 *Multi ergo audientes ex discipulis ejus, dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?*

62 *Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis: Hoc vos scandalizat?*

Digitized by Google

rat de carnis ſuæ eſu, deque ſanguinis potu nequaquam abſurdum eſſe nec abominandum, ſed blandum ac ſalutiferum, ſi non juxta craſſam illorum intelligentiam, ſed juxta ſpiritualem ſenſum acciperetur. Converſus igitur ad diſcipulos, quos ob conſuetudinem actam cum Jeſu, viſaque miracula, conveniebat ultra vulgus hominum ſapere, hunc in modum objurgavit illorum tarditatem: An hic ſermo veſtras aures offendit, quod dixerim me panem eſſe profectum è cœlo, qui vitam daret mundo? Utrum eſt difficilius juxta craſſum humani ſenſus intellectum, deſcendiſſe è cœlo, an adſcendere in cœlum?

63 Si ergò videritis Filium hominis aſcendentem ubi erat prius?

63 Quid ergo, ſi videritis olim hunc Filium hominis, quem videtis humano corpore indutum, adſcendere in cœlum, ubi prius erat antequam deſcenderet, priuſquam hoc haberet corpus mortale? Hoc datum eſt ſenſibus veſtris, non ut ſemper ſapiatis carnem, ſed à carne proficiatis ad ſpiritum. Spiritus deſcendit de cœlo, & corpus humanum aſſumſit: caro jam ſpiritualis facta, ſubducetur in cœlum, ne ſemper ametis carnem, ſed per carnem inſtituti proficiatis ad cœleſtia.

64 Spiritus eſt, qui vivificat: caro non prodeſt quidquam: verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.

64 Nam caro per ſe nihil prodeſt, ſpiritus eſt qui donat vitam. Quid eſt enim corporis humani moles, ſi non adſit ſpiritus? Ita ſermo meus, ſecundum carnem intellectus, non conferet vitam, niſi veluti cœleſtem ſpiritualiter intelligatis. Carnem & ſanguinem meum appello doctrinam meam, quam ſi per credulitatem avide ſumſeritis, ac in viſcera mentis trajeceritis, vegetabit animos veſtros, voſque mecum unum efficiet, ſic ut meo ſpiritu vivatis in æternum: quemadmodum ejuſdem corporis membra, quam diu cohærent, communi ſpiritu vivunt. Atque hujus ſocietatis vobis myſticum ſymbolum relicturus ſum carnem meam, & ſanguinem meum, quod ne ipſum quidem ſumſiſſe profuerit, niſi ſecundum ſpiritum ſumſeritis. Proinde nolite ſermonem meum averſari, ſi carnales adhuc nondum ut oportet intelligitis, ſed potius date operam, ut intelligatis. Nam verba quæ loquutus ſum vobis, non ſunt carnalia, quemadmodum vos interpretamini, ſed ſpiritus ſunt & vita: quia ſpiritualiter intellecta, vitam conferunt animæ. Hæc qui recte ſumit, is edit carnem meam, & bibit meum ſanguinem, & vitam æternam mihi copulatus, lucrifacit. Qui vero reſpuit, perſeverat in morte ob delicta vitæ priſtinæ, & ob incredulitatem, mortis damnationem ſibi conduplicat. Reſpuit autem panem hunc oblatum, qui ſermonibus meis non credit.

65 Sed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Jeſus qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum.

65 Scio quibuſdam hæc fruſtra dici, non ignarus eſſe quoſdam inter vos, qui fidem non habent dictis meis, & vitam oblatam averſantes, ſibi perniciem adſciſcunt. Hæc ideo loquutus eſt Dominus Jeſus, quem nihil fugiebat, etiam antequam hæc verba faceret, quinam ex diſcipulis eſſent crediturі. Quin & illud ſciebat, inter duodecim diſcipulos, quibus Apoſtolici cognominis honorem indulſit, quoſque ſibi peculiariter veluti certiſſimos amicos delegit, unum fore qui ſe Judæis proderet ad necem.

66 Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.

66 Hos igitur notans Jeſus, quod quum eundem cum cæteris ſermonem audirent, & unus è duodecim ex eodem pane comeſurus eſſet cum cæteris, ex eodem poculo bibiturus, tamen non conſequerentur vitam, quod panem cœleſtem non ſpiritualiter, ſed carnaliter ſumerent, adjecit: *Propterea* paulo ante *dixi vobis, neminem poſſe venire ad me, niſi fuerit ei datum* cœlitus *à Patre meo.* Nihil eſt hanc audiſſe vocem, nihil eſt hoc corpus vidiſſe & contigiſſe, niſi Pater cœleſtis dederit oculos fidei, quibus ſalubriter conſpicior: niſi dederit aures mentis cœleſtes, quibus cum fructu audior.

67 Ex hoc multi diſcipulorum ejus abierunt retro: & jam non cum illo ambulabant.

67 Hæc verba Jeſu plena ſalutiferæ doctrinæ non deſcenderunt in animos eorum, quibus mens erat terrenis cupiditatibus occupata, quique præter craſſam Moſaicæ Legis religionem nihil cœleſte capiebant. Itaque poſt hunc ſermonem complures, non ſolum è populo, verum etiam ex Jeſu diſcipulis, qui hactenus illum ſecuti fuerant, defecerunt à Magiſtro: & unde proficere debuerant, ſi recte accepiſſent, facti ſunt deteriores, adeo ut etiam à conſuetudine convictuque Jeſu ſe ſubducerent, ipſo facto veluti damnantes illius doctrinam.

68 Dixit ergo Jeſus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire?

68 Jeſus autem, jam tum formam exhibens Euangelicis doctoribus, nec abjecte laborat ut remaneant, ne, quod cæteri ſolent, videatur egere comitatu illorum: nec convitiatur abeuntibus, ne ſuam gloriam quæſiſſe videatur magis quam illorum ſalutem: nec prorſus tamen alienat à ſe, qui fortaſſis poſt erant ſeſe ad mentem meliorem converſuri: ſed illis diſcedentibus, ut oſtenderet eos ſuo vitio offenſos abire, nec ſermonem prorſus ſuo fructu cariturum, etiamſi qui per incredulitatem ſe redderent indignos cœleſti dono, converſus ad duodecim, quos adſciverat ſibi peculiares teſtes ac præcones omnium quæ gerebat, ſic elicuit illorum profeſſionem, ut nec hos blanditiis retineret, veluti ſuum agens negotium, potius quam illorum, nec minis aut jurgiis territaret, ne coacti magis qaum perſuaſi, Jeſum ſequi viderentur. Nullus enim ad fidem Euangelicam compellendus eſt, & Jeſus mavult aperte deficientem, quam fictum & fucatum comitem. Diſcedentibus itaque cæteris, dicit Jeſus illis duodecim: *Num & vos vultis abire?* Liberum eſt, niſi intelligitis veſtra referre ut permaneatis. Equidem cupio munus hoc cœleſte omnibus contingere per me, ſed nec averſantibus dandum eſt, quia non promerentur, nec quiſquam accipere poteſt, niſi fuerit appetens. Ut autem appetat aliquis, & hoc Patris donum eſt.

69 Reſpondit ergò ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.

69 Hîc Simon Petrus, ſimplicis & ardentis fidei ſemper in Jeſum, totius Eccleſiæ perſonam gerens, cæterorum quoque nomine magna alacritate reſpondit: Abſit, Domine, ut te deſeramus: alioqui quum ſimus avidi ſalutis æternæ, quumque non ignoremus, quam frigida ſint ea quæ docent Phariſæi, quumque audierimus Joannem de te teſtificantem, ad quem alium abibimus? Solus enim loqueris quæ vitam conferunt æternam. Non abiges nos ſemel admiſſos, qui nullum non recipis: neque nos cupimus mutare Dominum, mutaturi in pejus, quemcunque delegerimus.

70 Et nos credidimus, & cognovimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei.

70 Nos enim non ſolum tuis dictis freti credimus, verum etiam ex ipſis factis cognitum habemus & compertum, te eſſe Chriſtum illum Filium Dei, à quo ſolo ſperanda ſit omnibus æterna ſalus.

71 Reſpondit eis Jeſus: Nonne ego vos duodecim elegi: & ex vobis unus diabolus eſt?

71, 72 Hanc tam magnificam Petri de ſe prædicationem nec admiratus eſt Jeſus, ne laudibus hominum capi videretur: nec reſpuit, ne quod verum erat, abnegaret, ſed omnes adhortans, ut in ea profeſſione perſeverarent, quam Simon omnium ediſſet nomine, ſubindicavit unum ex illis paucis futurum, qui non ſolum abiret à ſe, quemadmodum cæteri diſcipuli fecerant, verum etiam pactus cum adverſariis, proderet Magiſtrum ſuum in mortem. Id autem tecte ſignificare maluit, ut nec Judam proderet, ne cui merito putaretur ultus Dominum, hoc convitio provocatus: & eodem ſermone redderet omnes ſollicitos, ne ſua culpa in tam impium facinus prolaberentur. Quid, inquit, miramini jam aliquot à me diſcipulorum abiiſſe? Nonne ego vos ut eximios ex omnibus delegi? Et tamen è tam paucis & ſingulariter delectis unus diabolus eſt, delaturus eum, cujus corpus ederit & ſanguinem biberit juxta carnem, non juxta ſpiritum, cujus audierit ſermonem, cujus miracula conſpexerit. Nolite igitur deficere ab iis quæ cœpiſtis, quemadmodum illi fecerunt, quos vidiſtis abire, ſed ſemper ad meliora proficientes perſeverate, donec efficiamini digni qui veſcentes ſpiritualiter cibo doctrinæ meæ cœleſtis, & per hanc in me transformati, vitam æternam conſequamini.

72 Dicebat autem Judam Simonis Iſcariotem: hic enim erat traditurus eum, cum eſſet unus ex duodecim.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VII.

Grande instat festum: murmur: doctrina: sitim explet Christus: dissidium: tu Nicodeme sapis.

1 Post hæc autem ambulabat Jesus in Galilæam, non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere.

1 CÆTERUM ubi Dominus Jesus hujusmodi sermonibus cœlestia quædam, & homine majora sonantibus, editisque miraculis sibi magnam conflasset invidiam apud suos, quibus hoc erat contemtior, quod domestice quoque notus esset: exacerbabat autem invidiam domus ac parentum humilitas, versatus est in Galilæa. Non enim illi jam tutum erat in Judæa vivere, quod ejus regionis homines jam dudum vitæ illius molirentur insidias, non quod mortem metueret Jesus, aut illi non fuerit in manu, quoties visum fuisset, è mediis insidiis elabi: sed hominis personam gerens, discipulis suis imaginem quandam futurorum objecit, quibus eventurum erat, ut ob Judaicæ gentis malitiosam incredulitatem ad Gentes demigrare cogerentur.

2 Erat autem in proximo dies festus Judæorum, Scenopegia.

2 Instabat autem dies Judæis cumprimis festus ac religiosus, quem Græci Scenopegiam appellant, ob memoriam priscorum Patriarcharum, qui vitam agebant in tabernaculis, subinde mutantes sedem, typo quodam jam tum adumbrantes, qualem oporteat esse vitam eorum, qui profiteantur Euangelicam doctrinam.

3 Dixerunt autem ad eum fratres ejus: Transi hinc, & vade in Judæam, ut & discipuli tui videant opera tua, quæ facis.

3 Quoniam autem ad diem festum magna vis hominum ex universa Syria, ac finitimis etiam regionibus confluere solet Hierosolymam ob Templi celebritatem, cujus religio tum apud Ethnicos etiam erat venerabilis: cognati Jesu rudes adhuc, & humanis affectibus obnoxii, freti propinquitatis jure, confidentius quam par est, hortantur eum, veluti gloriæ quidem avidum, sed subtimidum, animoque minus quam oporteret præsenti: ut si fideret suis præsidiis, non latitaret inter Galilæos alienigenas, sed Hierosolymis in media hominum luce frequentiaque præstaret ea, quæ tam magnifice de se fuisset loquutus: Instat, inquiunt, dies celebris, relicta Galilæa, in qua jam nimium diu latitas, confer te in Judæam florentissimam regni partem, & Hierosolymam, totius Judaicæ gentis caput. Illic licebit plures discipulos colligere, si viderint omnes quæ facis.

4 Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse: si hæc facis, manifesta te ipsum mundo.

4 Nullus enim, si velit haberi magnus, ea facit in occulto, per quæ parari possit apud homines opinio. Si de cœlo descendisti, & tanta potes, quanta de te prædicas, fac ut mundo sis notus.

5 Neque enim fratres ejus credebant in eum.

5 Nemo vero miretur hanc orationem cognatorum Domini Jesu, carnalem, arrogantem, atque etiam impiam. Siquidem id temporis, ne hi quidem tum credebant ei, qui illi fratres erant, & arcta familiaritate jungebantur: quorum aliquot tamen post in Apostolorum numero, Christi gloriam constantissime prædicarunt.

6 Dixit ergo eis Jesus: Tempus meum nondum advenit: tempus autem vestrum semper est paratum.

6 Jesus itaque pro sua singulari mansuetudine leniter suorum confidentiam correxit, significans in eo, quod pro salute generis humani gerebat in terris, nihil habere juris carnalem propinquitatem: sed totum hoc quoniam erat cœleste, ex Patris cœlestis auctoritate temperandum esse: se nec metuere mortem, quam volens pro salute generis humani suscepturus esset: nec affectare gloriam hujus mundi, cujus odium in se provocaret vera loquendo, & affectibus mundanis contraria: *Tempus*, inquit, *meum nondum advenit.* Id ubi hortabitur, non erit opus vestris monitis. Quomodo, & quando me oporteat innotescere mundo, ex Patris cœlestis pendet decreto, non ex humano consilio. Ego qui Patris arbitratu veni, meum habeo tempus. Vestrum autem tempus, qui humano affectu ducti, gloriam hujus mundi quæritis, & me juxta mundanum sensum gloriari vultis, semper paratum est.

7 Non potest mundus odisse vos: me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala sunt.

7 Tuto potestis ire quo lubet, quando mundus vos ut sibi consentientes diligit. Ego non venor gloriam apud mundum hoc affectu, quo vos venamini: nam gloriam Patris mei quæro, & salutem hominum molior. Tantum autem abest, ut apud mundum captem gloriam, aut laudem, ut odium potius illius in me concitem, dissentiens ab illius cupiditatibus, ac palam testificans, quod mala sunt opera illius, in quibus tamen ille fictam pietatem, & falsam felicitatem collocat. Habent Judæi suos dies festos, quos jam olim abominatur Deus. Immolant enim victimas ingratas, & invisas Deo, quum manus interim habeant sanguinis plenas: & in diebus his, quos volunt videri puros & sanctos, moliuntur necem innocentibus. Mihi unus dies vere festus est spiritualiter celebrandus, quo Pater delectatur. Is nondum advenit, ubi venerit, occurram ultro.

8 Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum: quia meum tempus nondum impletum est.

8 *Vos*, qui carnales adhuc estis, & mundum sapitis, *adscendite ad hunc festum diem. Ego non adscendo vobiscum ad istum diem festum, quia tempus meum nondum impletum est.* His dictis Dominus Jesus ablegavit ab se cognatos suos secundum carnem, quorum auctoritatem & affectus semper solitus est submovere, qnoties Euangelicum esset agendum negotium: quod quoniam totum Patris arbitrio volebat adscribi, non patiebatur humanis rebus inquinari. Sic matris auctoritatem coercuit in nuptiis: ac rursum à sermone Euangelico indignatur sese per matrem & cognatos evocari foras: & aliquantisper in Capernaum commoratus cum propinquis suis, relictis illis aggreditur prædicandi negotium. Denique pendens in cruce, matrem mulierem appellat, velut in eo negotio matrem non agnoscens. Quin & puer adhuc duodecim natus annos, indignatus videtur, quod illorum auctoritate ab his, quæ Patris ipsius erant, avocaretur. Illi igitur existimantes Jesum non venturum ad diem festum metu Judæorum, soli profecti sunt.

9 Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa.

9 Ipse vero, adscendentibus illis, remansit in Galilæa: sic omnes actiones suas temperans, ac dispensans, ut nunc humanæ naturæ præberet argumenta, ne non verus homo fuisse putaretur: nunc divinæ virtutis proferret indicia, ne tantum homo crederetur.

10 Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc & ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto.

10 *Postea quam autem abissent fratres ejus ad diem festum, tum profectus est & ipse:* ut satis esset perspicuum, se non tam metu Judæorum abstinuisse à conventu solenni, quam ut fugeret comitatum suorum cognatorum, quos adhuc carnales nolebat Euangelico negotio admiscere. Venit autem Hierosolymam, non ostentans sese, sed veluti furtim & occulte, videlicet magis irritaturus exspectationem sui, & majore fructu, suo tempore proditurus in publicum. Noverat enim animos Pharisæorum, quod jampridem hoc agerent clanculariis consiliis, ut in die festo per occasionem illi manus injicerent.

11 Judæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant: Ubi est ille?

11 Quum igitur adesset quidem Hierosolymis, cæterum non prodiret in publicum hominum cœtum, quemadmodum consuevit, Judæi observabant illum, si veniisset ad diem festum: quumque desideraretur illius conspectus, quærebant inter se, ubinam esset.

12 Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant: Quia bonus est. Alii autem dicebant: Non, sed seducit turbas.

12 Jamque in eum velut absentem varii sermones in populo ferebantur, quod non esset eadem omnium de Jesu opinio, nec eadem omnium studia. Nonnulli siquidem populares, qui miraculis ab illo editis interfuerant, qui sermones audierant, qui mansuetudinem è congressu fuerant experti, dicebant: Jesum esse bonum virum, & indignum in quem aliquid acerbius molirentur. E diverso Sacerdotes ac Pharisæi, quos jampridem male urebat Jesu gloria, negabant illum esse bonum virum, qui turbam veluti seditiosus ad se pelliceret, & ab Sacerdotum, Scribarum & Pharisæorum reverentia revocaret.

13 Nemo tamen palam loquebatur de illo, propter

13 Hæc vero clancullariis susurris spargebantur de Jesu, quum interim nemo palam auderet de illo bene prædicare, quanquam erant non pauci, qui bene de illo sentirent. Metuebant enim Judæorum pro-

Digitized by Google

mentum Iudæorum.

ceres, quibus intelligebant Jesum esse vehementer inviſum, quod ipſorum auctoritatem ſuis dictis factisque videretur imminuere. Porro quod ad tempus latitavit Jesus, manſuetudinis erat ac modeſtiæ, ne livorem Phariſæorum, nihil præter occaſionem occidendi captantium, ultro provocaſſe videretur. Quod prodiit, datum eſt his, quos ſciebat ſua doctrina profecturos ad ſalutem, quum non ignoraret Phariſæos & Scribas nihil aliud quam efferatiores etiam futuros ex his, quæ dicturus aut geſturus eſſet pro ſalute mundi. Optabat enim Dominus, humanæ ſalutis avidiſſimus, ſi fieri potuiſſet, ſuam doctrinam omnibus ſalutiferam eſſe: tamen non erat tantum tribuendum quorundam perverſitati, ut ſimplicibus Euangelica doctrina ſubtraheretur.

14 Iam autem die feſto mediante, aſcendit Ieſus in templum, & docebat.

14 Itaque quum jam dimidium feſti peractum eſſet, Jesus palam ingreſſus eſt Templum, atque illic docebat populum, non Phariſaicas conſtitutiones, aut Legis ceremonias mox deſituras, ſed Philoſophiam Euangelicam.

15 Et mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit?

15 Judæi vero quum doctrinam illius calumniari non poſſent, tamen auctoritatem apud populum ſtudent adimere: admirantes, quum eſſet idiota, & litterarum rudis, (nunquam enim inſtitutus fuerat in doctrina Phariſaica, cujus profeſſione turgebant illi) unde nactus eſſet ea, quæ è ſacris Voluminibus magna ſapientia depromebat: velut inſimulantes eum, quod Dæmonium haberet, aut alia quavis arte magica ſcientiam eſſet conſequutus earum litterarum, quas ab hominibus non didiciſſet: *Quomodo*, inquiunt, *hic* faber, fabri filius, *litteras ſcit, quum eas nunquam didicerit?*

16 Reſpondit eis Ieſus, & dixit: Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me.

16 Jesus autem, ut nobis manſuetudinis ac modeſtiæ præberet exemplum, ſuſpicionem tam impiam leniter ſubmovet, oſtendens, ſuam doctrinam non eſſe profectam ab homine, ſed nec à Dæmonio, ſed à Deo, quem ipſi quoque colerent, & cujus gloriæ deberent favere, ſi vere pii vellent haberi: ipſum vero nec doctrinam, quam admirabantur, nec gloriam, cui invidebant, ſibi vindicare, ſed totum eſſe Patris cœleſtis, cujus negotium ageret. Porro quum Legis à Deo traditæ perfectam ſcientiam ſibi arrogarent, alioſque ceu indoctos & idiotas faſtidirent, æquum erat, ut ſi vere tenerent Scripturarum ſcientiam, agnoſcerent doctrinam ab eodem profectam, unde Lex erat profecta, ni livor & odium, propriæ gloriæ ſtudium, quæſtus amor, ſimileſque cupiditates pravæ, mentis judicium excæcarent: nec enim Deum ſibi contrarium eſſe, ut nunc aliud doceat per Filium, quam antea tradiderit per Legem. Reſpondit igitur Jesus, omnium arcanorum conſcius, illorum clanculario murmuri in hanc ſententiam: *Mea doctrina*, quam admiramini unde mihi contigerit, quum ab homine litteras non didicerim, *non eſt mea*, (non enim novam aliquam humanam doctrinam vobis adfero, diverſam à voluntate Dei, ac mente Legis à Deo traditæ) *ſed eſt Patris mei, qui me miſit* in mundum: ut mundus, ſeductus variis hominum doctrinis, & impiis cupiditatibus obcæcatus, per me cognoſcat illius voluntatem, cognitam ſequatur, & ſequendo vitam aſſequatur æternam. Hæc eſt autem illius voluntas, ut credentes dictis Filii, per quem ille vos docet ac loquitur, ſalutem æternam adipiſcamini. Id quo minus velint multi, livor, odium, ambitio, quæſtus, cæteræque cupiditates malæ in cauſa ſunt.

17 Si quis voluerit voluntatem ejus facere: cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo ſit, an ego à meipſo loquar.

17 Quod ſi quis depulſa malitia, ſimplici corde voluerit voluntati Patris obtemperare, potius quam ſuis pravis affectibus, is facile agnoſcet, doctrinam meam non eſſe hominis, aut Dæmonis novum inventum, ſed à Deo profectam eſſe: nec me quod loquor ex humano ſenſu loqui, ſed ex mente Patris, cujus legatus ſum.

18 Qui à ſemetipſo loquitur; gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam ejus, qui miſit eum, hic verax eſt, & injuſtitia in illo non eſt.

18 Homines, qui ſuæ gloriæ ſtudent magis quam Dei, quo pluris fiant apud mundum, novas ac ſuas doctrinas anteponunt doctrinæ Dei. Malunt enim auctores haberi doctrinæ humanæ, cujus tota gloria in ſolidum ad ipſos redeat, quam divinæ doctrinæ præcones: maluntque ea docere, quæ ipſis gloriam ac lucrum concilient, quam quæ gloriam & honorem pariant Deo, aut ſalutem proximo. Cæterum qui non quærit propriam gloriam, ſed ejus à quo miſſus eſt, hic omnia ſincere loquitur: nec hujus doctrina vel erroribus obnoxia eſt, vel ambitionis, avaritiæ, livoris, odii, cupiditatibus vitiata.

19 Nonne Moyſes dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem?

19 Ego non aliud doceo, quam quod per Legem vos docuit Deus, ſi quis Legis mentem recte intelligat: nec aliud facio, quam quod Lex præſcripſit. Vobis, qui me contemnitis, ſacroſancta eſt Moſi auctoritas. An non ille vobis tradidit Legem acceptam à Deo? Legis ſcientiam & obſervationem vobis arrogatis, quum nemo veſtrum ſit, qui vere ſervet Legem ſecundum Dei, qui Legem tradidit, voluntatem: imo Legis prætextu ea molimini, quæ maxime punit ac deteſtatur Lex. Mihi blaſphemiam impingitis, quia Dei gloriam quæro magis, quam gloriam hominum. Sabbati violationem objicitis, qui in Sabbato ſervarim hominem, quum vos Sabbati religio non cohibeat, quo minus exitium moliamini innocenti, nec innocenti ſolum, verum etiam benemerenti. An iſtud eſt magnificare Moſen, quem mihi præfertis? An hoc eſt revereri Deum Legis auctorem, quem ficta religione colitis? Nonne Lex exſecratur eum, qui ſanguinem fundit innoxium? Nec permittit occidendi jus, niſi in maleficos: nec in hos, niſi legitime convictos ac damnatos. Mihi vero, qui miſſus à Deo, voluntatem illius vobis juxta Legis mentem prædico, qui non meam, ſed illius gloriam quæro: qui non mihi regnum, aut opes affecto, ſed omnibus gratuitam ſalutem offero: qui lædo neminem, benefacio omnibus, quare contra Legem molimini necem?

20 Quid me quæritis interficere? Reſpondit turba, & dixit: Dæmonium habes: quis te quærit interficere?

20 Hæc Jesu vox duplici nomine perturbavit animos Phariſæorum: primum, quod animadverterent clancularias licet machinationes ſuas non latere conſcientiam illius, quem credebant facilius è medio tolli potuiſſe, ſi quod moliebantur fefelliſſet: deinde quod illos, qui ſe videri volebant Legis obſervantiſſimos, Legis impie violatæ reos ageret apud populum. Non verebantur Dei conſcientiam inſidiantes innoxio ſanguini, ſed populi conſcientiam metuebant. Itaque ut apud multitudinem tam impii facinoris conſcientiam confidentia diſſimulent, ad manifeſta convitia confugiunt: qui mos eſt improbis in maleficio deprehenſis, quod excuſari non poſſit: Dæmonium, inquiunt, habes, cum Patrem Deum jactes doctrinæ tuæ auctorem. Deus verax eſt, tu Dæmonis inſtinctu mentiris. Quis tibi machinatur necem?

21 Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Unum opus feci, & omnes miramini.

21 Ad tam veſanam blaſphemiam Dominus Jesus non regeſſit convitium, ne furorem adderet furentibus: ſed nobis lenitatis exemplum præbens, manſuete facti ſui, quod calumniabantur, reddit rationem. Siquidem quum ipſi Legem violarent in omnibus, tamen Jesum violatæ Legis inſimulabant, quod paralyticum ſanaſſet in Sabbato: Ego, inquit, die Sabbati unum quoddam opus feci, neque malum, neque ſordidum, ſed quo ſalutem homini calamitoſo contuli, quod vos quoque non poſſetis non approbare, ſi non fuiſſet factum in Sabbato. Verum, illi magis violant Sabbatum, qui hoc moliuntur in Sabbato, quod quovis die factum impium eſt. Non eſt tanta Sabbati religio, quin his rebus debeat cedere, quæ majoris ſunt momenti, & quovis die piæ ſunt.

22 Propterea Moyſes dedit vobis circumciſionem: (non quia ex Moyſe eſt, ſed ex patribus) & in ſabbato circumciditis hominem.

22 Hoc exemplum ſi vobis ipſe Moſes, cui tantum tribuitis, ante me præbuit: ſi Lex ipſa docet opus fieri poſſe, non violato Sabbato, aut me abſolvatis neceſſe eſt, aut ſimul mecum damnetis & Moſen, imo Legem ipſam, ſi quicquid ille tradidit, Lex eſt. Moſes enim vobis tradidit circumciſio-

Digitized by Google

fionem: non quod simul cum Lege nata sit circumcisio, sed quod ante Legem fuerit à Deo tradita Patriarchis: & hoc nomine majoris momenti videtur circumcisio, quam Sabbatum: quia Legem præcesserit, ac Legis veluti caput sit. Sed idem Moses, qui præcepit circumcisionem, præcepit Sabbatum. Vos in Sabbato circumciditis hominem, nec videmini vobis violare Sabbatum, ob circumcisionis dignitatem, cui putatis æquum ut cedat Sabbati religio: quemadmodum & in Templo Levitæ & Sacerdotes operantur ea, quæ pertinent ad rem divinam, nec sibi videntur violare Sabbatum, quod existiment id quod agunt sanctius esse, quam ut ob Sabbatum debeat omitti.

23 Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi: mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato?

23 Quod si vos circumciditis hominem in Sabbato, ne præputio differat à vobis: nec hoc opere putatis violari Sabbatum, cur meo opere clamatis indignabundi, violatum Sabbatum, qui non unam hominis partem curarim, sed totum hominem servarim in Sabbato? Circumcisio tametsi Lege prior, & Legis quodammodo caput esset, tamen perpetua non est. Erant enim homines Deo cari, prius quam esset præputii circumcisio: & erit tempus, quum Deus aversabitur carne circumcisos, mente incircumcisos. Cæterum proximo miserabili salutem corporis & animi conferre, quemadmodum majus ac sanctius est opus, quam circumcidere hominem: ita perpetuo bonum, ante Legem, sub Lege & post Legem, quia suapte natura bonum est.

24 Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.

24 Cur in simili causa, imo cur in causa, quod ad me pertinet, potiori, Mosen veneramini, me veluti nefarii facinoris reum peragitis? Non enim nunc disputo uter altero major sit. Sit vobis Moses, ut est, vir eximius. Sim ego, qualis vobis videor, humilis, & contemtus: tamen si rem spectare vultis, aut uterque vobis damnandus est, aut absolvendus uterque. Siquidem hoc quoque vos Lex ipsa docet, ut in judicando rem spectetis, non personam: & exsecrabilis est, qui diviti favens, pauperem opprimit. Proinde nolite judicare secundum personæ æqualitatem, sed ex ipsa re justum ferte judicium, si vultis videri Legis Mosaicæ tenaces.

25 Dicebant ergo quidam ex Jerosolymis: Nonne hic est, quem quærunt interficere?

25 Hæc atque hujusmodi multa, quum à Domino Jesu tam mansuete dicerentur, ut animum quamlibet ferocem lenire possent, tam vera, ut à nemine, quamvis impudenti possent refelli, obticescunt quidem Pharisæi, sed nihilo secius persistunt in sua malitia: nihilo mitiora prementes animis suis, quod apud multitudinem ausus esset sic à se crimen violati Sabbati refellere, ut in ipsos crimen longe gravius regereret. Tam arrogans erat Pharisæorum supercilium, ut hoc quoque vellent auctoritati suæ tribui, ut innoxius accusatus, veritatis causam desereret potius, quam aliquid ipsorum apud populum detereretur auctoritati: & Dei gloria taceretur, ne quid ipsorum gloriæ decederet. Et invenit hoc hominum genus in populo multos, qui mallent horum perversæ ambitioni servire, quam divinæ obtemperare voluntati. *Quidam enim Hierosolymitæ dicebant: Nonne hic est, cui* Pharisæi & Scribæ *machinantur mortem*, ut qui modo creditus est horum metu latitare, nec prodire ad diem festum?

26 Et ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Numquid vere cognoverunt principes quia hic est Christus?

26 *Ecce* palam in Templo ac *libere loquitur* illis in os, *nec illi respondent quicquam*. Quid sibi vult illorum silentium? *An principes persuasi sunt hunc esse Messiam*, & nunc silentio confitentur, quod prius oppugnabant?

27 Sed hunc scimus unde sit: Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit.

27 Atqui non est verisimile, principes hoc sentire: *siquidem omnes novimus, unde hic profectus sit.* Non sunt ignoti parentes, humiles & idiotæ: non est ignota patria, non fratres, reliquique cognati. *Cæterum Messias ubi venerit, ita venturus est, ut nemo sciat unde prodierit.* Jesus autem videns tantam illorum cæcitatem, ut quum prophetia prædixisset è Bethlehem venturum Messiam, ubi natus erat Jesus, reliquaque prophetiarum in eum signa competerent, tamen excæcati malitia, ob hoc ipsum se negant eum scire, quod scirent: & ideo mentiuntur Christum ita venturum, ut nemo sciat unde veniat, ne cogantur eum agnoscere.

28 Clamabat ergo Jesus in templo docens, & dicens: Et me scitis, & unde sim scitis: & à meipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis.

28 Jesus, cujus conscientiam nulla latent hominum secreta, ut hanc multitudinis primorum affectibus corruptæ insciliam coargueret, quæ hoc sponte nesciret, quod scire poterat, nisi mala mens obstitisset judicio, voce jam clariore, ut non solum à propinquis, verum etiam à toto populo posset exaudiri, qui in Templo versabatur (nam is locus potissimum congruit prædicandæ gloriæ Dei) palam docere cœpit, qui esset, & à quo missus esset: nec à quoquam ignorari posse, nisi qui aut sponte mallet inscius esse, aut id, quod sciret, ob animi malitiam nollet profiteri: nos interim suo facto admonens, ut nonnunquam cedendum est hominum malitiæ, ne magis irritata peccet atrociora, graviusque Dei judicium in se provocet: ita posteaquam nihil non tentatum est, quod ad illos corrigendos pertinet, veluti deploratos suo morbo relinquendos esse: nec propter illorum obstinatam impietatem, celandam esse Dei gloriam, ac proximi salutem negligendam: Si ideo, inquit, non videor vobis ille Messias, quem ex Prophetarum oraculis exspectatis, quod sciatis unde venerim, hoc ipsum vos docere poterat me esse illum, qui sic venerim, & ex eo loco sim ortus, unde Prophetæ Messiam venturum prædixerunt. Audistis Joannis de me testimonium, videtis miracula, auditis me veritati perhibentem testimonium, nulli rei studentem, nisi gloriæ Dei, & vestræ saluti. Itaque non potestis me nescire, nisi sponte quod scitis, nescire malitis. Et quo modo dicitis ita venturum Messiam, ut nemo sciat unde veniat, quum Prophetæ & genus & patriam illius designent? Hæc vobis non ignota poterant ad prophetiæ intelligentiam proficere: quanquam magis refert illud scire, unde missus sim, quam unde prognatus. Ne id quidem vos latere poterat, si puris ac sinceris oculis me consideraretis. Nec enim è mundo profectus modo sum, quemadmodum vos calumniamini, sed ab eo qui me misit in mundum, ut resipiscat & servetur. Sum enim ab eo missus, qui vobis est incognitus, quod neque conspiciatur oculis corporeis, nec auribus audiatur, nec ullo sensu percipiatur humano: sed in hoc missus ab illo sum, ut per me discceretis & illum, quatenus ab homine cognosci potest. Quanquam nec hunc aliquo modo scire potestis, nisi pietate promereri studeatis, ut ipse sui notitiam vobis impartiat. Nesciunt enim illum, qui non obtemperant illius voluntati. Non enim satis est verbis Deum nosse, si factis illum negetis. Si vere Patrem nosse vultis, à Filio discatis oportet.

29 Ego scio eum: quia ab ipso sum, & ipse me misit.

29 Ego solus vere novi eum, quoniam ab ipso profectus sum, & apud illum fui priusquam venirem in mundum: & ab illo missus sum in mundum, ut per me discatis illum, & salvi sitis vestra credulitate. Nec enim à meipso veni, quemadmodum alii faciunt, suæ studentes gloriæ potius quam Dei: sua docentes commenta, non doctrinam Dei. Nam verus est is, qui me misit: & quoniam quicquid loquor, ex illo loquor, veri sunt & sermones mei.

30 Quærebant ergo eum apprehendere: & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus.

30 His verbis irritati primores, magis etiam fremebant animis, quod tantum auctoritatis sibi vindicaret apud populum, & ipsos palam impiæ perversitatis argueret. Gestiebant illi manus injicere. Jam enim ira in rabiem versa, non morabatur lentum illud consilium, quo decreverant eum clanculum è medio tollere. Quum autem adesset promta voluntas impii maleficii, nemo tamen id temporis injecit illi manum, ita volente Christo: quia nondum venerat tempus à Patre præscriptum, quo sua morte mundo salutem pararet. Quemadmodum enim volens mortuus est, ita non nisi volens apprehendi potuit.

In

Digitized by Google

In manu illi erat animos hominum cohibere, quamlibet ferocientes: nec ulla poteſtas hominum valere potuiſſet adverſus illum, niſi ſic viſum fuiſſet illius immenſæ erga homines caritati, pro mundi ſalute crucifigi.

31 De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Chriſtus cum venerit, numquid plura ſigna faciet quam quæ hic fecit?

31 Sacerdotibus autem, Scribis, Phariſæis, ac populi primoribus, quos ob religionis profeſſionem, ac Legis ſcientiam oportebat in primis Chriſtum agnoſcere, ob corruptos animorum affectus in impio conſilio perſeverantibus: nonnulli plebeji, ac Legis ignari, qui ut minus habebant auctoritatis ac litterarum, ita plus habebant bonæ mentis, utcunque crediderunt ſermonibus ac miraculis Domini Jeſu: nondum quidem plane perſuaſi Jeſum eſſe Meſſiam, ſed huc tamen adducti rerum ab eo geſtarum magnitudine, ut perſuaſibiles viderentur: Si hic, inquiunt, non eſt Chriſtus, quemadmodum exiſtimant Phariſæi, mirandum tamen eſt unde illi ſuppetat tanta vis edendi miracula. Etenim ſi veniret ipſe verus Meſſias, num majora facturus ſit, quam quæ hic facit?

32 Audierunt Phariſæi turbam murmurantem de illo hæc: & miſerunt Principes & Phariſæi miniſtros, ut apprehenderent eum.

32 Phariſæi vero cum ſenioribus, quorum partes erant, imperitam multitudinem ad Chriſtum allicere, poſteaquam ſenſerunt multos eſſe in turba, qui viderentur in eum eſſe propenſiores, eo veſaniæ deducti ſunt, ut quocunque modo ſtatuerent eum eſſe perdendum, qui gloriam ipſorum videretur obſcuraturus. Tanta peſtis eſt ambitio, religionis ac doctrinæ prætextu fucata. Verum interim non pudor, aut pietas, ſed periculi metus eos à facinore manifeſto coercebat. Subornant igitur Satellites publicos, qui Jeſu coram populo manus injicerent, ac velut nocentem captum adducerent.

33 Dixit ergo eis Jeſus: Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum: & vado ad eum, qui me miſit.

33 Jeſus autem qui non ignorabat quid illi clanculum molirentur, nec teneri tamen poterat, niſi voluiſſet ipſe, verborum ænigmatibus quibuſdam illis ſignificat, fore ut ipſe ſponte ſeſe morti, ad quam tum fruſtra petebatur, offerret. Interim tanto avidius uterentur ipſo dum adeſſet: futurum enim tempus, ut fruſtra deſiderarent abſentem, quem præſentem perſequerentur: præſertim quum illis non eſſet futura facultas eo conſequendi, quo ſe ſubducturus eſſet. Ibat enim in mortem, quo nondum illi ſequi poterant. Redibat in cœlum, quo mortale corpus illum perſequi non valeret. Loquutus eſt autem hunc in modum: *Breve tempus reſtat, quod vobiſcum verſor, reverſurus ad eum qui me miſit.*

34 Quæretis me, & non invenietis: & ubi ego ſum, vos non poteſtis venire.

34 *Tum abſentem requiretis, nec invenietis: nec erit eo conſequendi facultas, quo ego proficiſcor.* Hæc autem dixit tectius, quemadmodum multa ſolitus eſt dicere Dominus Jeſus: ut non prius intelligerentur, quam eſſent peracta. Obſcuritas autem ſermonis excitat inquirendi diligentiam, & certiorem invenit fidem ſermo rebus exhibitis. Denique in hoc proficiebat, ut conſtaret omnibus, quicquid paſſus eſt Dominus, conſulto paſſum eſſe pro nobis, non caſu: volentem paſſum eſſe, non neceſſitate. Quanquam enim hic ſermo dictus eſt omnibus, peculiariter tamen pupugit miniſtros à Phariſæis miſſos, ut Jeſu manus injicerent, in quem ſentiebant ſe nihil poſſe, niſi voluiſſet ipſe. Et dum tacite tangit illorum occultam conſcientiam, declarat ſe ſcire quicquid quantumlibet abſtruſum eſt in cordibus hominum: & interim civilitate ſibi conciliat illorum animos, quorum conatus impios non prodat populo.

35 Dixerunt ergo Judæi ad ſemetipſos: Quo hic iturus eſt, quia non inveniemus eum? numquid in diſperſionem Gentium iturus eſt, & docturus Gentes?

35 Hunc igitur ſermonem quum multitudo non intelligeret, diſceptabant inter ſeſe. Quid ſibi vult quod dicit: Quo ego vado, vos non poteſtis venire? Num ſe clam ſubducturus eſt, & aliquo in longinquam gentium regionem abiturus? An ſuſtinebit relicta hac terra ſancta, & populo ſancto, inter impias & profanas gentes vitam agere, quo nos non exiſtimet ſequuturos: aut ita vagus errabit inter gentes procul diſſitas, ut à nobis inveniri non poſſit?

36 *Quid enim* alioqui *ſibi vult: Quæretis me, & non invenietis, & ubi ego ſum, vos non poteſtis venire?*

36 Quis eſt hic ſermo, quem dixit: Quæretis me, & non invenietis: & ubi ſum ego, vos non poteſtis venire?

37 Porro quum jam adeſſet ultimus dies ejus feſti, qui ſumma frequentia, ſummaque religione celebrari conſuevit, quo peracto ſuam quiſque domum repetere gaudet: ſtabat Jeſus in Templo velut ipſe quoque relicturus Judaicam regionem, & magni feſti diem eximium inſigni ſermone conſecrat, ſimulque iter ingreſſuris, viaticum parat Euangelicæ fidei. Nec jam loquebatur tantum aperte, verum etiam intenta voce clamabat, rem eſſe declarans, quam magnopere referret ab omnibus exaudiri. Phariſæi populum ſimplicem, ficta frigidaque religione dementabant, & humanis conſtitutionibus illaqueatum tenebant. Et in Jeſu quidem multitudo præter miracula fere nihil admirabatur. Cæterum, quoniam ſpiritum Euangelicum nondum hauſerant, non ita multum proficiebant. A Phariſæorum igitur frigidis doctrinis omnes palam ad ſe invitat, ſpiritum pollicens, quo ſemel hauſto, non ſolum ipſi ſint veram & Euangelicam doctrinam aſſequuturi, verum etiam in alios ſua prædicatione copioſam ſapientiæ vim effuſuri: Ego, inquit, fons ſum omnis ſalutiferæ ſapientiæ. Qui ſitit, non eſt quod petat à Moſe, aut Phariſæis, Scribis, aut Sacerdotibus. Veniat ad me, bibatque de fonte hoc. Bibit autem, quiſquis credit ſermonibus meis.

37 In noviſſimo autem die magno feſtivitatis, ſtabat Jeſus, & clamabat, dicens: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.

38 Quiſquis igitur crediderit mihi, avideque imbiberit ſermones meos, quemadmodum jubet Scriptura, de me teſtificans, non areſcet incredulitate, ſed hauſtus divini Spiritus pariet in ipſius corde fontem perennem & copioſum, ſic ut è medio cordis illius emanet, non tenuis modo rivus, verum etiam copioſa flumina, quibus irrigetur ariditas gentium ad Euangelici profectus fœcunditatem.

38 Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.

39 Hoc ænigmate Jeſus ſignificabat Spiritum illum uberem & copioſum, quem poſt eſſent accepturi, qui in ipſum credidiſſent: quo accepto, mox Apoſtoli magna fiducia, variis linguis, orbi terrarum prædicare cœperunt Euangelicam Philoſophiam, & cœlitus hauſtum Spiritum in omnium credentium animos diffundere. Quanquam enim id temporis nonnulla * fidei rudimenta conceperant, nondum tamen cuipiam contigerat efficax ille & copioſus Spiritus, propterea quod Jeſus nondum erat morte & reſurrectione glorificatus, nec in cœlum adſcenderat, conſeſſurus ad dexteram Patris, unde Spiritum illum miſſurus erat Apoſtolis. Ante peragendum erat crucis myſterium, quod peragi non poterat, niſi ad tempus diſſimulata gloria: & illius divini Spiritus capaces eſſe non poterant, niſi prius multis miraculis, multiſque dictis ac factis ad id eſſent formati. Ad hunc igitur fontem aquæ vivæ Dominus Jeſus invitat omnes, nec quenquam compellit nolentem, neque quenquam excludit, modo ſitiens veniat.

39 Hoc autem dixit de Spiritu, quem acceperuri erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus.

40 Hæc atque hujuſmodi plura quum loquutus eſſet Dominus Jeſus, quanquam nondum ad plenum intelligebantur, tamen varie afficiebant multitudinem. Quidam enim conſpectis tot miraculis, tantaque ſermonum auctoritate, *dicebant: Hic vere Propheta eſt:*

40 Ex illa ergo turba, cum audiſſent hos ſermones ejus, dicebant: Hic eſt vere propheta.

41 Rurſus *alii* magnificentius etiam de illo ſentientes, *dicebant: Imo hic eſt ille Meſſias*, quem Prophetæ promiſerunt ſuis vaticiniis.

41 Alii dicebant: Hic eſt Chriſtus. Quidam autem dicebant: Numquid à Galilæa venit Chriſtus?

42 Contra, alii Phariſaico fermento corrupti, refellere conabantur iſtorum opinionem ex ipſis Prophetarum verbis, quæ Meſſiam prædixerant oriturum è tribu Juda, & è vico Bethlehem. Chriſtus vulgo putabatur eſſe natus in civitate Nazareth, quod illic eſſet educatus, & ibidem haberet parentes, quodque à Galilæa cœpit prædicationis exordium, atque illic plerunque verſaretur. Porro Hieroſolymitæ & tribus Judaicæ Judæi Galilæos, ut gentibus vicinos & admixtos, pro ſemipaganis habebant, quod nec Legis peritia præcellerent, nec ullum unquam Prophe-

42 Nonne Scriptura dicit: Quia ex ſemine David, & de Bethlehem caſtello, ubi erat David, venit Chriſtus?

* Alia Editio, *nonnulli.*

Digitized by Google

phetam habuissent, de quo merito gloriari possent. Tribui vero Judæ promissum esse Messiam, non Galilæis, è semine David, qui regiam habuerat Hierosolymis: atque ita Christi venturi gloriam sibi vindicabant, qui venientem persequebantur, nimirum invidia corrupti. Dicunt igitur: Non est verisimile hunc esse Messiam, si prophetias expendatis. *Num Christus* ubi venerit, *à Galilæa* nobis *proditurus est*, quemadmodum hic prodit *Nazareus?* An non prophetica Scriptura palam dicit, Messiam proditurum ex semine David, qui nimirum fuit ex tribu Juda? Quin & natalis oppidi nomen addidit, docens eum nasciturum in Bethlehem, quæ est civitas David, tribus Juda. Quum igitur prophetia palam declaret eum proditurum è semine regio tribu totius Judææ sanctissima, ex oppido regio, quî convenit hunc videri Messiam, qui ex obscuris parentibus, ex ignobilis regionis Galilææ obscuro oppido nobis prodit?

43 Dissensio itaque facta est in turba propter eum.

43 Ad hunc modum variantibus sententiis disceptatum est in turba de Jesu. Nec huic disceptationi sese Jesus admiscuit, quod non ea sinceritate disputabant, ut doceri mererentur: & tempus nondum advenerat, quo sese, quantus esset, declararet. Nam si vere sitiissent scire quis esset, poterant & ipsi discere à cognatis Jesu, quod non in Nazareth, quemadmodum plerique credebant, sed in Bethlehem natus esset, quodque à David duceret genus. Neque enim parum multi hæc sciebant: sed quoniam Jesus non adferebat ipsorum cupiditatibus accommoda, maluerunt suis affectibus servire quam illum agnoscere. Nam si simplex ac sincerus fuisset eorum animus, licuisset vel ab ipso Jesu scisitantibus discere, quod inter sese disceptabant.

44 Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum: sed nemo misit super eum manus.

44 Erant autem in turba nonnulli, quos usque adeo livor & odium excæcaverat, ut destinarint apud se manus injicere Domino Jesu. Cæterum nihil habebat virium humana malitia adversus eum, in cujus potestate sunt omnia.

45 Venerunt ergo ministri ad Pontifices, & Pharisæos. Et dixerunt eis illi: Quare non adduxistis illum?

45 Satellites itaque, quos suæ vesaniæ ministros miserant Pharisæi, ut Jesum caperent, mutatis animis redeunt ad illos efferatis animis exspectantes, ut captum adducerent eum, quo tandem odium in illum suum saturarent. Atque illud interim mire divino consilio, quod longe superat omnem humanam astutiam, procuratum est, ut quicquid moliretur Pharisæorum malitia, id in ipsorum capita recideret, & ad Jesu proficeret gloriam. Imperita multitudo, Galilæi rudes, Samaritani, Cananæi, Ethnici, commoti dictis ac miraculis Jesu, credebant illi. Soli Scribæ, Pharisæi, Seniores, & Sacerdotes, penes quos Legis ac Religionis totius erat professio, non solum non commovebantur ad resipiscentiam, sed modis omnibus reddebantur efferatiores. Supererat autem ut & satellites, immite genus hominum, & ad omne facinus mercenarium, & Jesu testimonium honestum ferrent, & illorum immedicabilem cæcitatem coarguerent. Non viderant edi miracula, tantum pauca loquentem audierant: & conversis mentibus, contemtis Pharisæorum jussis, redeunt ad eos, non adducto Jesu.

46 Responderunt ministri: Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo.

46 Expostulantibus cur non obiissent mandata, non excusant metum multitudinis, non alia, quæ comminisci poterant, causantur, sed ingenue fatentur, se quidem hoc animo adisse Jesum, ut eum captum adducerent, sed brevi sermone, verum efficaci, sic velut incantatos ac transformatos, ut quod decreverant, reluctantibus animis, efficere non potuerint: *Nunquam*, inquiunt, *audivimus hominem sic loquentem ut ille loquitur.* Quis possit hujusmodi viris manus violentas injicere? Quod testimonium ferri potuit in Synagoga, quod magis gravaret ac traduceret Pharisæorum obstinatam malitiam? Hoc illi totis viribus agebant, ut subverterent doctrinam Jesu, sed conatu in diversum exeunte, dum modis omnibus exstinguere moliuntur, confirmant & illustrant.

47 Responderunt ergo eis Pharisæi: Numquid & vos seducti estis?

47 Dissimulant tamen adhuc furorem animi sui, ac ministris mitius potius, quam pro cogitationum vesania loquentes: Quid accidit, inquiunt? Num vos quoque, qui nostri estis, nec ad promiscuam multitudinem pertinetis, ab illo seducti estis? An non sentitis impostorem esse?

48 Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis?

48 Si verax esset, an non existimatis viros eximios doctrina simul & auctoritate præstantes, illius sermones approbaturos fuisse? Nunc videtis-ne quenquam ex optimatum numero, penes quos est Religionis auctoritas, aut ex Pharisæis, pene quos est exacta Legis peritia, sermonibus illius fuisse persuasum?

49 Sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt.

49 An vos movet exemplum quorundam è media fece plebis hominum? Ista turba rudis, ac Legis ignara, Deo exsecrabilis est. Hæc divina dispensatione sic gesta sunt, ut nos certo doceremur, nihil pertinacius obsistere veræ Religioni, quam eorum malitiam, qui falsæ religionis imagine fucati sunt: nullum esse capitaliorem hostem Euangelicæ doctrinæ, quam qui sacras Litteras ad suos pravos detorquet affectus: nec ullos esse deploratius impios, quam qui specie pietatis, qui persuasione doctrinæ, qui publica auctoritate muniti sunt adversus Euangelicam veritatem. Verum quicquid molitur hic mundus omnibus suis machinis adversus cœlestem veritatem, cedit in gloriam Domini nostri Jesu Christi.

50 Dixit Nicodemus ad eos, ille qui venit ad eum nocte, qui unus erat ex ipsis:

50 Jam illud mihi considera, prudens lector, nusquam esse majorem penuriam eorum, qui Christianæ veritati ex animo faveant, quam inter Religionis ac doctrinæ proceres. In tam frequenti concilio, Pharisæorum, Scribarum, Seniorum, ac Sacerdotum, non erat quisquam præter unum Nicodemum, qui in tam sceleratis molitionibus innocenti Domino patrocinaretur. Is erat unus ex primoribus Sectæ Pharisaicæ, crassus quidem, ac cæteris indoctior, sed mentis minus corruptæ: qui metu Judæorum noctu adierat Jesum, quemadmodum ante narravimus, aliquid ab eo certius cognituras secreto colloquio. Is ex eo congressu tantum profecerat, ut existimaret Jesum virum bonum, tametsi mysterium sermonis non ad plenum intellexerat.

51 Numquid lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognoverit quid faciat?

51 Hic quum videret eos gladiatoriis animis tendere in exitium Jesu, atque ita faveret innocentiæ, ut tamen illorum timeret malitiam auctoritate armatam, moderatus est patrocinium suum, ea loquens pro Jesu, quæ pro malo quoque viro, sed nondum convicto, dici poterant: Nos, inquit, Legem profitemur, quæ ne maleficum quidem condemnat, nisi prius auditum, & excussis iis, quæ facit is qui defertur. Saltem hoc tribuatur huic juris, quod commune est omnium, & ab ipsa Lege datur etiam maleficis.

52 Responderunt, & dixerunt ei: Numquid & tu Galilæus es? Scrutare Scripturas, & vide quia à Galilæa propheta non surgit.

52 Ad hoc tam æquum, tam civile Nicodemi patrocinium, quum non haberent quod hiscerent, non solum non resipiscunt aut placantur, sed ipsius etiam auctoritate contemta, convitio petunt hominem: *Etiamne tu quoque*, inquiunt, *Galilæus es?* Turbæ & imperitis venia dari poterat: at non pudet te primatem ac Legis doctorem, discipulum esse istius impostoris Galilæi, cui nullus adhæret, nisi & abjectissimus apud homines, & apud Deum exsecrabilis? Tu qui Legis cognitionem profiteris, excute Scripturas, & si usquam comperies, vel exortum à Galilæa Prophetam, vel exoriturum, crede hunc esse Prophetam. Hæc Pharisæorum responsio non solum erat impia, verum etiam stulta. Nec enim Nicodemus affirmarat esse Prophetam, sed quisquis esset, non tamen juxta Legem publicam oportere condemnari, nisi prius cognita causa. Sed nullum est judicium, ubi mentem occupavit livor & odium.

53 Et reversi sunt unusquisque in domum suam.

53 His ultro citroque dictis, dimissum est concilium, ac suam quisque domum abiit, dilata non mu-

tata sacrilega voluntate. Nondum enim venerat tempus Jesu.

CAP. VIII.

Hic mœcha est: autem principio quod dixi ego sum: vos Servos libero: Abra sum patre major ego.

1 Jesus autem perrexit in Montem oliveti:

1 JESVS itaque jam imminente nocte, concessit in montem oliveti, in quo erat Bethania, gratum Domino hospitium, quum Hierosolymis locus non esset quietus: illud interim nos docens, secessum convenire præconibus Euangelicis, nec usquam minus esse locum veritati, quam in urbibus opulentis ac felicibus, & tamen huc quoque se nonnunquam conferet Euangelicæ Philosophiæ prædicator, non ut opes aut honores assequatur, sed ut prosit aliis, vel sui capitis periculo.

2 Et diluculo iterum venit in templum, & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos.

2 Huc igitur postridie diluculo reversus Jesus, non jam stans, quemadmodum pridie, sed sedens docebat in Templo, palam præ se ferens, se nihil metuere Pharisæorum impias conspirationes. Confluxit autem universus populus ad illum, partim superioribus miraculis ac sermonibus in admirationem illius adductus, partim insidians, & occasionem captans adversus illum.

3 Adducunt autem Scribæ, & Pharisæi, mulierem in adulterio deprehensam: & statuerunt eam in medio,

3 Quoniam autem animadverterant in eo miram quandam erga plebejos, humiles, & afflictos clementiam ac mansuetudinem, hinc unde debuerant eum amare, venantur ansam criminandi. Mosi Lex severum exemplum statuerat adversus adulterium, nimirum ut si qua mulier deprehensa esset cum altero viro consuetudinem illicitam habere, populi manibus lapidaretur. Atque interim viri sibiipsis indulgentes, sæviebant in mulieres, quasi ipsi innocentes essent apud Deum, aut æternas pœnas essent evasuri, si quum graviora peccarent, non darent pœnas legibus. Lex non punit nisi publica crimina. Superbiam, fastum, invidiam, odium non punit: sed hæc magis exsecratur Deus, quam illa quæ punit Lex. Adducunt igitur ad Jesum, in Templo sedentem id temporis, mulierculam in adulterio deprehensam, ipsi scilicet justitiæ tenaces, ac Legis studio severi in criminosos, cum intus longe gravioribus vitiis maderent. Mulierculam in medio statuunt, ut si Christi sententia fuisset damnata, decederet nonnihil multitudinis erga illum studio, quod lenitate, mansuetudineque sua, potissimum populi favorem conciliasset: sin absolvisset, quod futurum exspectabant, haberent quod in ipsum intentarent crimen, qui non veritus fuisset, adversus Mosi constitutionem adulteram absolvere: sperantes fore, ut pro muliere, tumultu coorto, lapidibus obrueretur ipse.

4 Et dixerunt ei: Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio.

4 Sic autem apud judicem Jesum peccatricem accusant, ipsi sceleratius peccatores: *Hæc*, inquiunt, *mulier* modo *deprehensa est in adulterio.*

5 In lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?

5 *Moses autem statuit nobis legem, ut ejusmodi lapidarentur.* Hanc igitur tradimus populo lapidandam, nisi tu dissentis. *Tu igitur quid censes?*

6 Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum. Jesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.

6 Jesus autem, qui noverat arcana cordium, & cujus conscientiam nihil omnino, quantumvis occultum, fugiebat, divina sua sapientia sic elusit illorum malitiam, ut peccatricem è manibus lapidantium eriperet, nec absolveret tamen, ne videretur abrogare Legem Mosaicam, necessario maleficiis coercendis adhibitam, qui venerat ut Legem consummaret, non abrogaret: nec rursus condemnaret, quod in mundum veniisset, non ut perderet peccatores, sed ut servaret. Siquidem in his constitutionibus, quas mundus etiam pro conservanda tranquillitate publica necessario servat, Jesus sic ubique moderatur suam orationem, ut nec probet admodum, nec improbet, sed per occasionem admoneat, omne scelus esse fugiendum, non solum ea quæ leges Principum puniunt. Esse siquidem apud Deum judicem his atrociora crimina, quæ leges non puniunt, quæ tamen Dei vindicis pœnam non possunt effugere. Jesus igitur, nec recusavit judicium delatum, quum sit judex omnium, nec ream addixit lapidatoribus jam accinctis, nec à causa liberavit, quæ pœnam commeruerat, sed silentio patrocinatus est ei, quæ rapiebatur ad pœnam, ut servaretur ad pœnitentiam, ac resipisceret ad salutem. Oratione nihil respondit, sed ipso facto plus loquebatur. Sciebat mulierculam ream esse peccatricem, sed noverat accusatores, qui se justos videri volebant, multo sceleratiores esse, quam esset illa. Non abrogabat Mosaicam Legem, sed ostendit Euangelicæ Legis, cujus ipse conditor esset, clementiam. Admonebat illos, qui ream ad pœnam crudelem pertrahebant, ut in se descenderent, & juxta divinam Legem suam excuterent conscientiam, ac talem se quisque exhiberet erga proximum lapsum, qualem experiri vellet Deum judicem erga se: hac ipsa re nos docens Dominus Jesus, inclinavit se deorsum, significans, ut demisso fastu ac supercilio, quo sibi quisque blandiebatur, & animo supino proximum despiciebat, descenderet in sese: *& inclinatus scribebat in terra*, videlicet admonens Legis Euangelicæ, secundum quam Deus unumquenque judicaturus esset. Lex in tabulis scripta reddidit illos falsa justitia superbos & arrogantes: Lex in terra scripta facit unumquenque infirmitatis suæ conscientia modestum ac misericordem erga proximum.

7 Cum ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis: Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat.

7 Quum vero instarent Judæi, ut suam pronuntiaret sententiam, quanquam facto jam pronuntiaverat, erexit se Jesus. Erectus explicuit, non intelligentibus quid faceret: *Si quis*, inquit, *inter vos est immunis à peccato, primus in hanc jaciat lapidem.* Hoc dicto non absolvit ream, sed omnium percussit conscientiam. Metuebat autem quisque sibi male conscius, ne Jesus, cui videbant etiam occulta non esse incognita, proderet in publicum ipsorum facinora.

8 Et iterum se inclinans, scribebat in terra.

8 Hoc aculeo animis illorum injecto, *rursus inclinatus scribebat in terra*, facto suo depingens, quid ab illis vellet fieri. Notabat illorum arrogantiam, qui sibi vindicarent sanctimoniam, quum essent longe sceleratiores iis, quos immani pœna Lex puniret. Illa enim quam publicis manibus lapidandam produxerant, non occiderat maritum suum, sed alteri viro per carnis infirmitatem, corporis sui copiam fecerat. Illi pleni livore, odio, calumnia, avaritia, ambitione, fraude, totius Legis Dominum, qui solus omnium liber ac purus erat ab omni peccato, captabant ad mortem.

9 Audientes autem unus post unum exibant, incipientes à senioribus: & remansit solus Jesus, & mulier in medio stans.

9 Ad hoc igitur Domini responsum, sibi quisque male conscius, ac sibi quisque metuens, ne proderetur, exibat è Templo, Senioribus, Pharisæis, ac Scribis, Sacerdotibus, cæterisque primoribus præcedentibus, & post hos reliquis sequentibus. Nam qui inter eos videbantur religionis ac justitiæ columina, hi maximis vitiis intus madebant. His digressis, eorum nullus erat absque crimine, remansit solus Jesus, qui solus omni culpa vacabat. Jamque clementem judicem experta est mulier peccatrix eum, qui nihil unquam peccaverat, quum sævos fuisset habitura carnifices, qui ipsi gravioribus flagitiis erant obnoxii. Horum igitur sævitiam metuens, misera peccatrix sola remansit, apud solum Jesum, peritura apud servatorem, peccatrix apud omnis sanctimoniæ fontem. Trepidabat ex conscientia, sed spem bonam præbebat Jesu clementia, quæ sese ipso etiam vultu proferebat. Atque interim Dominus velut aliud agens, scribebat in terra, ut illi non Domini minis territi, sed ipsorum conscientia condemnati fugisse viderentur.

10 Erigens autem se Jesus, dixit ei: Mulier, ubi sunt, qui te accusabant? nemo te condemnavit?

10 *Tandem erectus* Dominus *Jesus, ubi videt solitudinem, & mulierem solam* ac trepidam, blande compellans illam, *dicit: Mulier, ubi sunt qui te accusabant? Num quisquam te condemnavit?*

11 Illa

11 Quæ dixit: Nemo, Domine. Dixit autem Jesus: Nec ego te condemnabo: Vade, & jam amplius noli peccare.

11 *Illa respondit: Nemo Domine. Tum Jesus: Nec* A *ego* futurus sum illis inclementior, ut qui servandis omnibus venerim, condemnem, quam illi reliquerunt indemnatam. Legis severitas pœnam infligit ad terrorem: Euangelii gratia non quærit mortem peccatoris, sed magis ut resipiscat, & vivat: *Abi igitur, & posthac noli peccare.* Hoc exemplo Dominus Jesus docuit eos, qui se Pastores populi & Euangelicos Doctores profitentur, quanta lenitate, quantaque mansuetudine debeant uti adversus eos, qui per infirmitatem prolabuntur in peccatum. Quum enim is, in quo nullum omnino fuit peccatum, tam clementem se præbuerit erga peccatricem publicam, quanta debet esse lenitas Episcoporum erga delin- B quentes, quum ipsi nonnunquam magis egeant Dei clementia, quam illi, in quorum errata sæviunt: aut si non tenentur paribus vitiis, certe non sunt omnino puri ab omni vitæ macula: certe per humanam imbecillitatem, in omne vitium prolabi possunt.

12 Iterum ergo locutus est eis Jesus, dicens: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.

12 Ablegatis igitur delatoribus, & proditis suis cuique sceleribus, ac dimissa peccatrice, pergit Jesus ex hac occasione sermonem inceptum pertexere. Tenebræ peccata sunt. Qui veri sunt ac simplices, nec aliud videri student quam sunt, adeunt lucem, & liberantur à tenebris, quemadmodum mulier adiit Jesum peccatrix. Sed quia non inficiata est quod commiserat, decessit justificata. Contra, primores ac Pharisæi, quoniam justi videri volebant, quum C essent scelesti, fugêre lucem, ne proderetur illorum morbus, ac sanaretur. Hortatur igitur Jesus omnes, ut quisquis sit obsitus peccatis, ad se veniat, modo veniat sui pœnitens: se sequatur potius quam Pharisæos, qui cæci, erant duces cæcorum: & ne quis conscientia facinorum non ausit accedere, paulo ante docuit in adultera, quam neminem ab se submoveat, qui cupiat sanari: Ego, inquit, sum id toti orbi, non solum Palæstinæ, quod Sol est toti mundo. Sublato Sole, caligant simul omnia. Ille corporibus prælucet, ego animis puris illucesco. Ille vitam ac vigorem præbet omnibus corporibus, ego idem multo præsentius præsto animabus. Qui Solis ductu D ambulat, non impingit in tenebris. Qui me sequitur, meæque fidit doctrinæ, non hærebit amplius in tenebris errorum & criminum, sed purgatus à vitiis, & illustratus Euangelica doctrina, habebit lucem veram, quæ vitam præstat animæ. Mortuorum enim est in tenebris condi, vivorum est in luce versari. Cognitio mei vita est animæ. Contra, peccatum & ignorantia mei, mors est æterna.

13 Dixerunt ergo ei Pharisæi: Tu de te ipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum.

13 Hanc magnificam, licet verissimam, Christi de se prædicationem, non tulit livor Pharisæorum, præsertim quum se tecte notari sentirent: & quicquid gloriæ Jesu accederet, id suæ detrahi putarent. Protinus igitur obstrepunt illi apud multitudinem, me- E tuentes ne ipsis desertis sequeretur Jesum. Et ut fidem adimant, impingunt mendacii crimen: *Tu* inquiunt, *ipse tibi testis es*, ac magnifice de te prædicas, sed nemini de se testificanti credi debet. Arrogantis est, non veracis, suam jactare gloriam. Proinde *testimonium istud*, quod ipse de te fers, *non est verum.*

14 Respondit Jesus, & dixit eis: Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum: quia scio unde veni, & quo vado: vos autem nescitis unde venio, aut quo vadam.

14 Ad tam atrox convitium, sed quod magis officere poterat saluti multitudinis, quam ipsius nocere gloriæ, Jesus severe respondit: Verum est, inquiens, inter homines, pondus non habet testimonium, quod ipse de se perhibet qui & falli potest, & fallere. Ego non solus mihi testis sum, qui Joannis de me testimonium, qui Legis & Prophetarum F testimonium proferre possum: & tamen si nullum esset hominis de me testimonium, qui nullius egeo testimonio, si solus ipse de me testificarer, tamen si plane sciretis qui sim, & unde venerim, non possetis refellere testimonium meum. Illorum testimonium oportet in dubium vocare, qui cum nihil aliud sint quam homines, & ex humano sensu de se prædicent, falli possunt, & volentes etiam mentiri possunt. In me non eadem ista cadunt. Nihil enim ex me loquor, sed ex eo unde sum missus: nec alio tendo, quam ad illius illustrandam gloriam. Ille mentiri non potest, & illius unius testimonium sanctius est omnibus humanis testimoniis. Quisquis autem ab illo profectus est, cunctaque ex illius animo loquitur, mox ad eundem unde venit rediturus, non opus habet humano testimonio, quum ipsis factis declarare sit in promtu quis sit? Vos autem excæcati livore, quod scire licet, volentes nescitis: & quoniam perverse de me judicatis, æstimantes ex his quæ conspicitis in me cum cæteris mortalibus communia, non animadvertitis unde venerim, nec quo vadam. Hoc enim non perspicitur, nisi submotis improbis affectibus animi, secundum spiritum judicent: & ex iis quæ facio, quæque loquor, collatis Prophetarum oraculis, credulæ mentes videant rem esse cœlestem, non humanam.

15 Vos autem, quoniam mundanis affectibus estis corrupti, secundum carnem judicatis, damnantes impie in vestrum ipsorum exitium, quod amplecti debueratis ad salutem æternam. Judicium igitur vestrum, quoniam non proficiscitur à Deo, sed ex humanis cupiditatibus, corruptum est ac falsum. *Ego interim non judico quenquam.* Nondum enim judicii tempus est, sed conferendæ salutis.

15 *Vos secundum carnem judicatis: ego non judico quenquam;*

16 *Et tamen si judicarem* de vobis, *judicium meum,* quoniam non dissentit à judicio Dei, *verum esset.* Non enim solus ferrem sententiam, sed ego simul & Pater, qui me misit, idem pronuntiaremus, cum idem per omnia velimus. In causis humanis plus habet ponderis apud homines plurium quam unius judicium: cæterum, unius Dei judicium antecellit universi generis humani judicio. Si meum judicium contemnitis ut hominis, certe Dei judicium, etiamsi solus judicet, non potestis contemnere. Quod si Dei judicium non contemnitis, nec meum potestis rejicere, cum illius judicio per omnia consentiens, nisi communi contumelia simul utrumque velitis afficere, tum illum, qui misit, tum me, qui missus sum ab illo. Nihil aliud loquor aut ago, nisi quod ille mandavit.

16 *Et si judico ego, judicium meum verum est, quia solus non sum: sed ego, & qui misit me, Pater.*

17 Itidem inter homines gravius est plurium testimonium, quam paucorum, atque secundum Legem vestram, apud judices non admittitur testimonium, nisi duorum. Atque interim plus habet ponderis, si quis testificetur de altero, quam si de seipso: & tamen vitari non potest, quin inter homines sæpe falsa sint judicia, falsaque testimonia, etiamsi mille consentiant homines, sed homines tantum: vel quod per errorem ignorent verum: vel quod affectibus corrupti, non secundum rectum animi judicium, sed secundum pravas animi cupiditates pronuntient. Verum ubi vel unus de se pronuntiat, si quod de se testificatur, non ex se pronuntiat, sed ex Deo, quoniam Deus nec falli potest, nec corrumpi, non potest non esse verum judicium ac testimonium.

17 *Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est.*

18 Ego testimonium perhibeo de meipso, sed ex auctoritate Patris, qui & ipse testimonium perhibet de me: nec aliud de me pronuntio, quam ille testificatus est, qui me misit in mundum, ut testis sim veritatis, quam ille solus novit. Si meum testimonium rejicitis, & illius rejiciatis oportet. Si meum judicium rescinditis, & illi contradicatis necesse est. Duo sumus, sed duorum idem est testimonium, idem judicium. Sed ex his duobus unus est, qui si solus esset, tamen esset illius irrefutabile judicium. Quod si quæritis, quando Pater testificatus sit de me, testificatus est in Lege vestra, cujus vocem agnosceretis, si quod scriptum est, incorruptis animis intelligeretis: testificatus est de me apud Jordanem, testificatur ipsis factis, quæ videtis ab illo geri per me: denique cum tempus erit, evidentioribus testimoniis me glorificabit.

18 *Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso: & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.*

19 Dicebant ergo ei: Ubi est Pater tuus? Respondit Jesus: Neque me scitis, neque Patrem meum: si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.

19 His dictis, quoniam Judæi subinde audierant nomen Patris, unde missus esset, & cujus auctoritate se communiret, demirantur, si de Joseph fabro, cujus filius tum vulgo credebatur, tam magnifice prædicaret. Si de illo non sentiebat, cupiunt expiscari, quisnam esset alter ille pater, unde venisset & ad quem iret: Ubi est, inquiunt, iste pater tuus, de quo tam mira prædicas? Jesus autem subindicans se nondum illis notum esse juxta divinam naturam, quum nihil aliud suspicarentur esse quam hominem, & tamen ut homini credidissent atque amassent, nisi judicium illorum carnalibus affectibus fuisset vitiatum: cæterum nec Patrem vere cognosci, nisi per Filium, nec Filium plene cognosci, nisi cognito Patre: non enim oculis corporeis cognosci Filium, sed fide: nec Patrem humanis sensibus ostendi posse, sed piis animis spiritualiter insinuari: respondit hunc in modum: *Neque me nostis, neque Patrem meum*: & dum me nosse non vultis, nec Patrem nosse potestis. Mihi credite, & me noveritis & Patrem. Dicitis quod me novistis, quia patriam, domum, parentes & fratres novistis. At istuc non est vere nosse Filium, quem si plene nossetis, non postularetis vobis exhiberi Patrem, sed cognito Filio simul & Patrem meum nossetis.

20 Hæc verba locutus est Jesus in gazophylácio, docens in templo: & nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora ejus.

20 Hujusmodi sermonibus non intellectis, quum Dominus Jesus vehementer in se provocaret animos Pharisæorum palam docens in Templo, idque in loco Templi frequentissimo, qui dicitur *Gazophylacium*, quod eo conferrentur donaria, servarenturque donata Templo, quæ tamen omnia veluti Deo consecrata vertebantur in luxum & quæstum Sacerdotum ac Pharisæorum: nemo tamen injecit illi manus, non quod deesset illis impia voluntas, sed quod Dei nutu non esset data facultas. Nondum enim venerat tempus, quo decreverat pati Jesus: nec pati volebat, nisi peracta doctrina, quam Pater tradiderat dispensandam ad hominum salutem.

21 Dixit ergo iterum eis Jesus: Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire.

21 Obticescentibus igitur illis, sed impias ac parricidales cogitationes in animo volventibus, perrexit loqui Jesus, tacite percutiens illorum conscientias, quo vel sic resipiscerent, quum agnoscerent illi nihil occultum esse, quod homini puro nunquam datum fuit: Nullius, inquit, impietas impedire potest, quod ago jussu Patris mei. Hoc peracto, vado ad eum qui me misit, ac tum me frustra quæretis, & absentem desiderabitis, quem præsentem incessitis, & invidetis. Tunc intelligetis ex eventu qui sim: optabitis præsentiam meam, nec continget. Cæterum vos, qui nunc persequimini præconem veritatis æternæ, si perstiteritis in incredulitate, in peccato vestro moriemini. Nam suo vitio perit, qui salutem gratis oblatam obstinate rejicit, & sibi mortem adscisit, qui vitæ fontem adspernatur. Ego vado, non quo me vestra compellit impietas, sed volens eo vado quo vos non poteritis insequi. Hoc ænigmate Dominus Jesus multa significavit: primum se sponte iturum ad mortem: deinde per mortem ac resurrectionem evehendum in cœlum, quo nullus juxta mundum sapiens evehi posset.

22 Dicebant ergo Judæi: Numquid interficiet semetipsum, quia dixit: Quo ego vado, vos non potestis venire?

22 Hoc sermone cum nonnihil terrerentur Judæi, nec intelligerent quid sibi vellet: non ausi sunt tamen illum percunctari, sed inter sese mussitabant: Quid est quod iste non semel jam minatur nobis se abiturum, quo nos non queamus insequi? An ipse sibi vim afferet, ac mortem consciscet, atque ita se nobis subducet?

23 Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.

23 Ad hoc tam crassum & impium murmur, Jesus, omnium cogitationum conscius, ita responsum attemperat, ut quod diceret, non intelligeretur, nisi peracta morte ac resurrectione, & in cœlum adscensu. Nam illi nihil aliud suspicantes esse Jesum quam hominem, nihil aliud divinare poterant, quam eum iturum in mortem, atque ita liberandum à molestiis persequentium: quum ille se significaret è cœlis profectum juxta divinam naturam, ac mox devicta morte rediturum eo, unde fuerat profectus: Vos, inquit, ex hoc mundo profecti, mundum sapitis, & juxta carnalem mundi sensum loquimini. Ego non sum ex hoc mundo profectus, ac sublimiora loquor, quam ut vos possitis assequi: nec assequemini unquam, nisi relicta incredulitate dociles vos præbueritis.

24 Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris: si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.

24 Et ideo modo dixi vobis, & iterum atque iterum dico: nisi malitiam istam abjeceritis, moriemini in peccatis vestris. Unica via est effugiendi peccatorum tenebras, si lucem recipiatis: unica est via ad vitam, si agnoscatis eum, qui solus per fidem Euangelicam à morte liberat. Quod si pertinaciter recusetis credere, me esse illum, per quem Pater velit omnes vitam ac salutem consequi, vestra culpa moriemini in peccatis vestris. Nec hic sermo Domini Jesu descendit in animos Pharisæorum, usque adeo mentes illorum excæcaverat hic mundus nimium adamatus.

25 Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Jesus: Principium, quod & loquor vobis.

25 Itaque malitiose, perinde quasi nihil hactenus viderint aut audierint, unde scire possent quis esset, dicunt Jesu: *Tu quis es?* Jesus autem præscius illos calumniaturos quicquid respondisset, qui perverso studio scisciteabantur, simul eos judicans digniores qui audirent, quid essent ipsi, quam quid esset ipse, respondit hunc in modum: Cupitis scire qui sim, credite. Non credetis autem, nisi crassos & mundanos affectus abjeceritis, alioquin etiamsi vobis dixero qui sim, vestro malo dicam: non enim solum non reddemini meliores, sed quum sitis mali multis nominibus, hoc reddemini pejores. Et hoc ipsum, quod nunc loquor vobis, accedet ad cumulum condemnationis vestræ. Ego salutem hominum sitio, non exitium.

26 Multa habeo de vobis loqui, & judicare. Sed qui me misit, verax est: & ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo.

26 Alioqui multa possum loqui de vobis, multisque nominibus vos condemnare, sed non ita visum est Patri, qui me misit in mundum: non ut ex malis fiant pejores, sed ut qui mali sunt, resipiscant ad salutem. Verax est Pater, qui me misit, huic si credideritis, salutem consequemini. Credetis autem, si mihi credideritis: Mihi vero tuto credetis, qui nihil loquor apud vos, nisi quod audivi à Patre meo, apud quem fui antequam venirem in mundum. Ille mihi mandavit ut vera loquar, sed ea quæ conducunt servandis hominibus, non perdendis. Quod si quis perit, suo vitio peribit, qui salutem oblatam sibi inviderit.

27 Et non cognoverunt quia Patrem ejus dicebat Deum.

27 Tam autem erat crassa Judæorum cæcitas, ut quum toties memorasset Patrem suum, unde missus esset, & ad quem iret, & unde testimonium haberet, & unde audisset quæ loqueretur, nondum tamen intelligerent quod de Patre cœlesti loqueretur, quod nihil adhuc in eo credere poterant supra hominem. Nam hi sermones tum veluti semina condebantur in auditorum memoria, ut tum fructum adferrent, quum jam omnia essent impleta quæ de Jesu scripserant Prophetæ. Expediebat adhuc hominem credi, donec perageretur pro mundi salute summum illud in ara crucis sacrificium. Sic enim placitum erat Patri, ut per mortem illustraretur gloria Dei.

28 Dixit ergo eis Jesus: Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, & à meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor:

28 Hoc interim significans Dominus Jesus, ita loqui perrexit, ænigmate subindicans futurum, ut per illos volens in crucem suffigeretur: *Quum exaltaveritis*, inquit, *Filium hominis, tunc demum intelligetis qui sim*: posteaquam exstinctum putabitis, tunc denique * cognoscetis virtutem meam. Si quidem intelligetis, rem non humano modo geri, sed Patris mei virtute, ex cujus arbitrio gero quicquid in terris facio ad hominum salutem: neque quicquam loquor, nisi ex illius animo.

29 Et qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum: quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper.

29 Quanquam autem ab eo missus sum in mundum, non tamen ab illo deseror, sed ille semper adest mihi, per me vobis loquens & operans. Summus enim inter nos consensus est. Ille per me glo-

* Aliæ Editiones *demum*.

rifi-

Digitized by Google

rificatur, ego vicissim per illum: sed ille auctor est, ego legatus: cæterum optima fide fungens mea legatione, sic ut quæ ille mandavit, quæque illi sunt decreta, perpetuo faciam. Moses enim ac David, quos suspicitis, multa loquuti sunt, multa fecerunt ex voluntate Dei, sed iidem nonnunquam offenderunt illum factis suis. Ego nusquam dissentio à placito Patris mei.

30 *Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum.*

30 Hos sermones quum id temporis nullus ad plenum intelligeret, tamen erant in turba non pauci, quibus hæc non impie dicta viderentur, ac nonnulli, spe bona ex his quæ promittebat Jesus concepta, crediderunt illi: non tamen perfecte, rudes enim adhuc erant, sed ut tum erant Euangelicæ doctrinæ capaces. Jam enim gradus aliquis jactus erat ad fidem, etiamsi nondum eo profecerant, quo post erant provehendi.

31 *Dicebat ergo Jesus ad eos, qui crediderunt ei, Judæos: Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis:*

31 Hos igitur hortatur Dominus Jesus, ut in eo, quod utcunque cœperant, perseverarent, donec proficerent ad perfectam sui cognitionem. Fides enim bonorum etiam illa credit, quæ non intelligit. Pharisæorum malitia semper erat in pejus profectura. Vos, inquit, ne quid moveat sponte pereuntium exemplum: Bene cœpistis utcunque credere dictis meis, à quibus si vos non abducat aliorum incredulitas, & si in eo, quod cœpistis, perstiteritis, agnoscam vos germanos, verosque discipulos meos, qui cœlestem veritatem non Pharisaicas doctrinas profiteor:

32 *Et cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.*

32 Ac progressu temporis cognoscetis omnem veritatem, qui hactenus umbras Mosaicæ Legis pro veris estis amplexi: & cognita veritas reddet vos liberos.

33 *Responderunt ei: Semen Abrahæ sumus, & nemini servivimus unquam: quomodo tu dicis: Liberi eritis?*

33 Judæi vero non intelligentes, quod Jesus sentiret de libertate doctrinæ Euangelicæ, quæ non mutat statum fortunæ, corpus eximens à jure heri, sed animum liberat à vitiis, à pravis ac mundanis cupiditatibus, à tyrannide Diaboli, à metu mortis, à servitute Pharisaicarum constitutionum, à jugo Legis juxta carnem observandæ, respondent indignabundi: (tumebant enim nobilitate majorum juxta carnem) *Nos*, inquiunt, *posteritas Abrahæ* Patriarchæ *sumus*, ingenui ex ingenuis prognati: nec solum ingenui, verum & nobiles, *nec ulli unquam servitutem servivimus.* Quam igitur libertatem tu nobis promittis, quasi servi simus manumittendi? Hæc responsio crassitudinem declarat gentis Judaicæ, quæ in rebus carnalibus ponebat fiduciam & gloriam suam, spiritualium, quæ nos Deo commendant, negligens. Puritatem constituebant in lotionibus corporis, calicum & vasorum, quum animum haberent vitiis conspurcatum. Alios præ se contemnebant, quod præputii pelliculam haberent amputatam, quum mentem haberent incircumcisam. Sancti sibi videbantur, quod in latis phylacteriis legem inscriptam circumferrent, quum Deo sancti sint qui Legem habent mentibus suis inscriptam, eamque factis non phylacteriis exprimunt. Ita nunc efferuntur animis, quod juxta carnem genus ducerent ab Abraham: perinde quasi magnum esset è sanctis prognatum esse, quum apud Deum nobiles sint, qui undecunque prognati sanctorum mores referunt. Proinde quum Jesus illos duobus nominibus taxasset, & quod veritatis essent ignari, & quod servitutem servirent, prius dissimulant, & ad id, quod levius est ac minoris momenti, stomachantur. Siquidem ignorantia veri, mentis est vitium: servum esse, fortunæ malum est, non animi.

34 *Respondit eis Jesus: Amen, amen dico vobis: quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.*

34 Itaque Dominus Jesus aperte docet, quam servitutem senserit: Vos, inquit, indignamini, quod libertatem pollicear, quum vestra opinione sitis liberi, nimirum ingenui filii Abrahæ. Sed est aliud servitutis genus longe turpius & calamitosius, à quo neminem asserit majorum quamlibet magna nobilitas. Non habetis hominem Dominum, unde sitis manumittendi: *sed illud pro certo confirmo vobis, quisquis committit peccatum, seipsum peccato servum reddit*, ac sui juris esse desinit. Is vere liber est & ingenuus, qui nulli turpitudini est obnoxius. Hæc est ingenuitas, de qua merito gloriari possitis apud Deum. Cæterum quisquis addictus est peccatis, hic Diabolum habet Dominum: & hujus arbitratu ducitur, agiturque, etiamsi genus referat ad patres sanctissimos. Non enim aliena sanctitas tollit posterorum servitutem, sed suis quisque factis æstimatur. Hanc libertatem non potest impartire servus conservo, qui & ipse peccato est obnoxius: sed ille solus liberos reddit & ingenuos, qui solus nulli peccato est obnoxius. Servus enim tametsi pro tempore quædam agit in domo, tamen quoniam servus est, non hæres, non habet jus perpetuum, sed exigitur domo, quum visum est Domino. Filius autem quoniam hæres est ac Dominus domus, perpetuum habet jus in domo: nec solum ipse vere liber est ab omni servitute, verum etiam alios potest libertate donare.

35 *Servus autem non manet in domo in æternum: filius autem manet in æternum.*

35 Proinde si hanc libertatem desideratis, non est quod eam exspectetis à Mose, aut Patriarchis, aut Sacerdotibus vestris, quorum administratio fuit ad tempus: neque quisquam horum fuit prorsus immunis ab omni peccato: neque quisquam jus habuit abolendi peccata, neque quisquam ad plenum novit veritatem. Verum si quis adhæserit Filio, cui tota perpetuaque domus potestas tradita est, is undecunque prognatus erit juxta carnem, veram libertatem sperare poterit. Non igitur Abraham vos liberos genuit, non Moses, non Sacerdotes suis victimis vos reddunt liberos.

36 *Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis.*

36 Si Filius vos ab erroribus ac peccatis liberos reddiderit, vere pleneque liberi eritis.

37 *Scio quia filii Abrahæ estis: sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis.*

37 Vos vobis isto nomine placetis, quod sitis Abrahæ filii. Scio vos esse prognatos ex Abraham juxta carnem, sed ista levis ac popularis est gloria, & omnium communis, qui Judaico nomine censentur. Si vultis vere videri posteritas Abrahæ, & sanctissimi patris non degeneres filii, factis declarate vos esse illius filios. Nam hoc est ingenuæ germanæque prolis, referre parentis ingenium. Abraham adeo credidit Deo, ut non dubitarit ad illius jussum unicum mactare filium Isaac, quum per hunc esset illi promissa numerosa posteritas. Vos autem videte quantum absitis à moribus patris vestri, qui meipsum conamini interficere, non ob aliud, nisi quod excæcati carnis ac mundi cupiditatibus, non assequimini sermonem meum, qui spiritualis est. Abraham nihil hæsitans de promissis, quanquam reclamante natura, tamen credidit Angelo, per quem illi Deus loquebatur. Mihi, quem videtis, & per quem Deus vobis loquitur, majora pollicens, quam olim pollicitus est Abrahæ, non solum non creditis, sed etiam malitiosis consiliis necem machinamini. Nolite igitur vobis arrogare patrem Abraham. Ejus quisque filius est apud Deum, cujus mores ac facta refert. Abit enim exemplum parentum domi conspectum in mores filiorum.

38 *Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor: & vos quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis.*

38 Ego dictis ac factis doceo me filium ejus à quo missus sum. *Quod enim vidi & audivi apud Patrem meum, hoc loquor. Vos item quæ vidistis apud patrem vestrum, ea facitis.*

39 *Responderunt, & dixerunt ei: Pater noster Abraham est. Dicit eis Jesus: Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.*

39 Hoc dictum Domini Jesu quum indigne ferrent Judæi, sic respondent, ut convitium aliquod in Abraham conentur elicere: quod si fieret, populum ad lapides provocassent. Etenim quum palam testatus esset, illorum esse mala opera, & adjecisset illos ea facere, quæ vidissent apud patrem suum, nec alium patrem agnoscerent quam Abraham, taxatus hoc dicto videbatur Patriarcha, qui talis fuisset ipse, quales habebat filios. Jesus autem nec durius quicquam dixit in Abraham, sed diversum ratiocinatur, ideo Judæos non esse filios Abrahæ, quod ejus es-

Digitized by Google

sent dissimillimi: Si veri, inquit, vultis videri filii Abrahæ, referte patrem factis, credite sermoni Dei. Quandoquidem ille ob insignem erga Deum fiduciam justitiæ promeruit elogium.

40 Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi à Deo: hoc Abraham non fecit.

40 Nunc quum sine fine jactetis patrem Abraham, tamen me studetis interficere hominem, ut nihil aliud sim quam homo, tamen innocentem: & ideo vultis interficere, quia veritatem vobis loquor, non quam ex me comminiscor, sed quam audivi ex Deo, ut quisquis mihi diffidit, idem & Deo diffidat necesse sit. At Abraham non agnoscet vos filios, qui rem impiam molimini, & ab illius moribus longe dissidentem.

41 Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione non sumus nati: unum patrem habemus Deum.

41 Quod si quisque ejus est filius, cujus æmulatur facta, & vestra facta plurimum dissident à factis Abrahæ, alium habeatis patrem oportet, quisquis is est, cujus ingenium exprimitis. His dictis irritatiores etiam facti Judæi, jam ceu præsagientes, quo tenderet sermo Domini Jesu, & quem patrem illis designaret, respondent: Quem tu patrem alium nobis assignas, qui parentem adimis Abraham? *Nos ex stupro non sumus prognati:* liceat nobis de hoc gloriari, quod est omnium Judæorum commune, qui non solum sumus posteri Abrahæ, verum etiam filii sumus Dei, qui Israel appellat primogenitum suum. Et nos Israelitæ sumus. Quod si nobis adimis patrem Abraham, si alium patrem tribuis, quam totius gentis nostræ communem patrem Deum, non in nos solum, sed in universam Judæorum gentem contumeliosus es.

42 Dixit ergo eis Jesus: Si Deus pater vester esset: diligeretis utique me. ego enim ex Deo processi, & veni: neque enim à me ipso veni, sed ille me misit.

42 Hoc responsum quum haberet impiam impudentiam, (quid enim impudentius, quam se jactare filios Dei, qui sibi talium scelerum erant conscii, quique Filium Dei captarent ad necem?) severius retudit: *Si Deus*, inquit, *vobis pater esset*, hoc est, si veri germanique essetis *Israelitæ*, *me nimirum diligeretis*, veluti fratrem, & communi parente prognatum, ac patris mores exprimentem, ita ut germano filio dignum est. Nec enim aliud exprimo, quam Patrem Deum, nec alterius negotium ago, quam Patris, à quo processi, & veni in hunc mundum. Neque enim ex me loquor aut facio quicquam: neque enim ipse me legavi, sed ille me misit, quem vobis communem asseritis patrem.

43 Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum.

43 Quod si vera dicitis, cur ejusdem parentis filii non agnoscitis linguam ejus, qui verus est Filius: & apud Patrem fuit, antequam veniret in mundum: neque quicquam loquor, nisi ex Patris præscripto? Cur usque adeo non potestis ferre sermonem meum, quum per me vobis loquatur Deus? Si creditis Deum veracem, beneficum, salutiferum, amicum piis, inimicum impiis, quum in dictis factisque meis nihil conspiciatis ab hisce rebus degenerans, cur non agnoscitis mores & ingenium patris vestri?

44 Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere. ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo, cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater ejus.

44 Quod si cupitis audire nomen patris vestri, cujus ingenium ac facta refertis, vos nec ex Abraham, nec ex Deo prognati estis, sed ex Diabolo. Hujus germani estis filii, cujus ingenium & indolem spiratis, cujusque voluntati paretis. Nam & veritatem odistis, & innocenti necem molimini. Hoc Diaboli patris vestri exemplum est. Siquidem ille princeps, & mendacii & homicidii fuit auctor, qui suo mendacio primos humani generis parentes pellexit in mortem, non alia re provocatus, quam invidia felicitatis alienæ: atque idem morbus vos quoque stimulat in cædem hominis innocentis ac benefici. Ille invidit homini feliciter condito, vos invidetis homini ad felicitatem, unde excidit, restituendo. Ille per suam superbiam excidit à veritate: & sic excidit, ut non sit spes ad meliora resipiscendi: sed persistens in malo, peccata peccatis accumulat, per vos nunc oppugnans veritatem Dei: & per vos idem agens quod egit in initio mundi, quum principes humani generis pertraheret in mortem. Quisquis igitur odit veritatem, & amat mendacium, satis declarat, quo patre prognatus sit. Quicunque mendacium loquitur, ab illo loquitur, qui fons est omnis mendacii. Quicquid ille loquitur, mendacium loquitur, & ex sese loquitur: quia non solum mendax est, sed mendacii pater ac princeps. Quemadmodum è diverso, Deus fons est omnis veritatis, & quisquis veritatem ad Dei gloriam loquitur, non ex se loquitur, sed ex Deo.

45 Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi.

45 Quod si vos ex Deo prognati estis, auctore veritatis, potius quam ex Diabolo, patre mendacii: quum ego veritatem cœlitus acceptam loquar vobis, cur filii Abrahæ non creditis Deo? cur filii Dei non agnoscitis & amatis Dei veritatem? Si in dictis meis ullum deprehenditis mendacium, si in factis ullum crimen, diffidite sermonibus meis.

46 Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?

46 Sed quis est ex vobis omnibus, qui mihi peccatum ullum possit impingere? Vos quales sitis, ipsi vobis estis conscii. Quod si à Deo est quicquid rectum est ac verum, neque quicquam in me potestis convincere, quod à recto veroque dissideat, cur mihi diffidentes, diffiditis Deo, præsertim quum vos jactetis Dei filios?

47 Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

47 Quod si vere gloriamini, Dei sermonem agnosceretis, sin falso, mendacem patrem exprimitis. Quisquis ex Deo prognatus est, ut germanus filius, audit verba Dei patris sui. Et illud arguit, vos ex Deo patre non esse prognatos: quia veritatem ab illo profectam audire non sustinetis.

48 Respondent ergo Judæi, & dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?

48 Hujusmodi sermonibus magis etiam efferati Judæi, ut solet hominum malitia rationibus concluſa, ad insana maledicta confugere, respondent: *Nonne recte de te pronuntiamus*, id quod tu nunc re declarans, comprobas nostram de te sententiam, *quod Samaritanus sis, ac Dæmonium habeas*, quum Judæus videri velis, & Deum patrem jactites?

49 Respondit Jesus: Ego dæmonium non habeo: sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me.

49 Ad tam insanam contumeliam quid respondit clementissimus Jesus? Ad *Samaritani* convitium, quanquam vulgo magni probri loco habebatur, tamen quoniam nihil aliud erat quam impotentis iræ maledictum, perinde quasi fungum illum vocassent aut bulbum, nihil omnino respondit: verum, ad *Dæmoniaci* vocabulum intentatum respondet, sed ita, ut non regerat maledictum, quod in illos merito possit retorqueri, sed mansuete depellat ab se: nos interim docens, ut quoties agitur de gloria Dei, quoties adversus impios defendenda est Euangelica veritas, vehementes simus & acres: quoties nos ipsi convitiis incessimur, lenitatem præstemus, sic ut nec ad omnia respondeamus, sed ea tantum à nobis depellamus, ad quæ sine periculo fructus Euangelici non possiemus obticescere. Referebat autem hoc ad fructum Euangelicum, ut intelligeret populus, Christum quicquid ageret, non auctore Dæmone, sed Deo patre auctore agere: Mihi, inquit, cum nullo Dæmone commercium est: nec ideo me jacto de Patre Deo, ut ex mendacio mihi gloriam conciliem, sed ut per me Pater apud homines glorificetur. Vos autem quum gloriemini vobis eundem Deum esse patrem, tamen me probris afficitis, qui nihil aliud quæro quam illius gloriam, cujus vos cultores videri vultis.

50 Ego autem non quæro gloriam meam: est qui quærat, & judicet.

50 Ego non affecto gloriam propriam apud homines: nec me lædit vestra contumelia, sed vobis potius adfert exitium. Est enim qui, quemadmodum cupit glorificari apud homines per me, ita me vicissim cupit habere gloriam per ipsum: non quod vel illi vel mihi sit opus hac gloria, sed quod sic expediat vobis, ut evitetis mortem, & assequamini salutem. Ego quidem ut non sum affectator gloriæ meæ, quanquam mea gloria, Patris est gloria: ita non sum ultor meæ contumeliæ, nec ob id tamen existimetis vobis impune fore, quod me probris afficitis. Est enim qui & quærat gloriam meam, & contumeliam ulciscatur, nisi resipueritis. Nihil vobis proderit generis auctor Abraham, nihil Moses, ni-

Digitized by Google

nihil Sacerdotes, aut Pharisæi, nihil Deus Pater, ut verbis gloriamini.

51 *Amen, amen dico vobis: si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.*

51 Illud habetote pro certissimo, si quis obtemperaverit sermonibus meis, quemadmodum frequenter dixi, mortem non videbit in æternum. Sola credulitas via est & aditus ad immortalitatem.

52 *Dixerunt ergo Judæi: Nunc cognovimus quod dæmonium habes. Abraham mortuus est, & Prophetæ: & tu dicis: Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum.*

52 Hoc tam mansueto responso quum placari debuerint, hoc tanto præmio quum invitari debuerint ad credulitatem, tamen pro sua crassitudine, quod juxta spiritum dictum erat de vita animæ, de vita corporum interpretantur: & quod dictum erat ad illos erudiendos, seditiose depravant ad contumeliam Patriarcharum, undique studentes aliquid invidiæ conflare Domino Jesu apud multitudinem. Respondent autem hunc in modum: Ex illo tuo sermone certius etiam cognovimus te Dæmoniacum esse, & furiosum, ac lymphatum, qui hoc promittas servantibus tuum sermonem, quod nec laudatissimis contigit Patriarchis, quibus loquutus est ipse Deus. Abrahæ loquutus est Deus, quemadmodum & Prophetis. Obtemperarunt illi verbis Dei, & nihilo secius mortui sunt omnes, & tu promittis immortalitatem iis qui servaverint ea quæ doces? Qua fronte tu promittis aliis, quod ipse non habes? Ipse mortalis, aliis promittis immortalitatem?

53 *Numquid tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est? & Prophetæ mortui sunt. Quem te ipsum facis?*

53 *Num tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est? Quin & Prophetæ* omnes *mortui sunt.* Nihil illi tale sunt ausi polliceri cuiquam. Quid tibi arrogas? *Quem teipsum facis?* Anteponis te Prophetis & Abrahæ, & quod Dei est pollicens, Deum te facis.

54 *Respondit Jesus: Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est: est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est,*

54 Ad hæc Judæorum insana convitia sic responsum suum temperavit Dominus Jesus, ut quoniam nondum erant capaces tanti mysterii, subindicaret quidem se majorem esse Prophetis, & ipso Abraham, & unum se ex divina virtute posse præstare quod polliceretur, cæterum apud rudes arrogantiæ speciem vitaret. Sed mitigavit orationem, ne commotos magis etiam irritaret: Ego, inquit, nihil arrogo mihi falso. Etenim si more hominum captarem gloriam meam apud homines, mendax & inanis esset gloria mea. Et si gloriam affectarem, non esset opus illam apud homines venari. Est enim Pater, unde proficiscitur omnis vera gloria, qui me glorificat. Ab hoc qui glorificatur, hunc non dehonestant hominum opprobria. Et si vultis scire quis sit ille Pater meus, is ipse est, quem vos jactatis vobis quoque Deum esse simul & patrem: cujus si vere essetis filii, nimirum agnosceretis illius legatum: si vere cultores essetis, faveretis illius gloriæ: nec eum afficeretis contumelia, quem ille vestræ salutis causa misit in mundum.

55 *Et non cognovistis eum: ego autem novi eum. Et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum, & sermonem ejus servo.*

55 Verum, ut falsa religione colitis eum, ita falso vindicatis vobis illius notitiam. Ille spiritualis est, & vos nihil aliud sapitis, quam carnalia. Ego vero, qui vere Filius illius sum, novi illum, quod non falso mihi arrogo, sed quod verum est loquor: & si negem me nosse illum, tam sim futurus mendax, quam vos estis vani, profitentes vos scire Deum, quum Deum ignoretis. Ab illo missus sum, & apud illum fui, antequam venirem in mundum. Itaque novi eum, & quicquid ille mihi mandavit servo. Quisquis autem contemnit sermonem meum, Deum contemnit, cujus nomine legatione fungor, idque bona fide. Quisquis autem Dei sermonem adspernatur, is nec novit Deum, nec eum habet pro Deo.

56 *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum: vidit, & gavisus est.*

56 Porro quod sine fine jactatis patrem Abraham, cujus estis dissimillimi, mihique conciliatis invidiam, quod illi me præferam, equidem nec meam jacto magnitudinem, nec illius dignitatem imminuam. Illud modo dicam, quod Abraham, quem vos miramini potius quam imitamini, quantus quantus fuit, tamen exsultavit, sibique felix futurus est visus, si contigisset videre diem meum. Ac vidit quod optavit, & magnopere gavisus est vir tantus sibi contigisse diem meum, quem vos adspernamini. Hoc ænigmate Jesus significavit, Abraham quum pararet immolare filium Isaac, per prophetiæ spiritum vidisse Dominum Jesum, in mortem crucis à Patre tradendum pro mundi salute, nec tamen ob mortem interiturum, sed post triduum ad immortalitatem revicturum.

57 *Dixerunt ergo Judæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?*

57 Hoc mysterium nondum intelligentes Judæi, rursum juxta carnalem sensum calumniantur, nihil aliud suspicantes Jesum esse, quam hominem, nec ante fuisse, quam de Maria nasceretur: *Nondum*, inquiunt, *annos natus es quinquaginta, & Abraham*, ante tot ætates mortuum, *vidisti?*

58 *Dixit eis Jesus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.*

58 Tandem Dominus Jesus, veluti provocatus eorum convitiis, subaperit divinæ naturæ scintillam, juxta quam non novit tempus, neque secula, sed semper idem fuit ante omnia secula, quemadmodum Deus Pater nesciens tempus, semper est quod est. Sic enim loquitur ad Mosen: *Ego sum qui sum*, æternitatem & indemutabilem naturam significans. Paterno itaque verbo usus Filius: *Illud*, inquit, *etiam atque etiam confirmo vobis*, licet nondum crediturus, *antequam Abraham nasceretur, ego sum.*

59 *Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum: Jesus autem abscondit se, & exivit de templo.*

59 Ad hanc vocem veluti palam blasphemam, quod homo mortalis sibi videretur æternitatem, soli Deo competentem, arrogare, non amplius temperarunt manibus, sed sublatis lapidibus aggressi sunt eum saxis obruere. Jesus autem se Deum professus, ut hominem quoque demonstraret, cessit illorum furori: non quod illorum violentiam metueret, quam illi in manu fuerat cohibere, sed nos interim docens, ubi tempus postulat, gnaviter ac fortiter esse prædicandam Euangelicam veritatem: rursus ubi nostro simus officio functi, non esse sine fructu provocandam malorum vesaniam. Noverat enim Dominus Jesus, non dicam crassæ multitudini, sed nec discipulis persuaderi potuisse, si se palam prædicasset Deum & hominem, atque eundem simul & mortalem esse juxta corpus humanum, & immortalem juxta naturam divinam, juxta carnem in tempore natum hominem ex homine, juxta divinam virtutem ante omnia tempora semper fuisse Deum ex Deo. Hoc enim tam arcanum mysterium magis erat miraculis, morte, resurrectione, in cœlum adscensione, Sancti Spiritus afflatu, suo tempore persuadendum mundo, quam ante tempus apertis verbis non crediturus ingerendum. Subduxit itaque sese Jesus illorum furori, & clanculum egressus est Templum, ipso facto præludens, futurum ut Euangelica lux, ab impiis ac suapte sponte cæcis Judæis repulsa, demigraret ad Gentes, & illis, qui sibi soli videbantur religionis cultores, relinqueretur sua domus deserta, alio se conferente Jesu, qui solus est veræ pietatis auctor.

CAP. IX.

Inspicit hic cæcus lucem: violata queruntur Sabbata Judæi: lisque suborta calet.

1 *Et præteriens Jesus vidit hominem cæcum à nativitate,*

CESSIT igitur Dominus Jesus ad tempus illorum furori, quos adhuc videbat insanabiles; ac miraculis declarare potentiam suam divinam aggreditur, quam oratione nondum poterat persuadere. Et ecce statim obvium est argumentum non abhorrens ab iis quæ gesta fuerant in Templo. Siquidem illic cum cæcis fuerat concertatio, sed animo cæcis, non corpore, quod infelicissimum est cæcitatis genus, atque hoc etiam infelicius, quod quum essent plus quam cæci, tamen sibi viderentur oculati, ut non solum essent infelices, verum etiam immedicabiles. Minus enim erat miser ille cæcus, quem Jesus præteriens vidit, qui corporis tantum oculis erat captus, idque à nativitate, ut medicis quidem esset insanabile malum, non etiam Christo. Mentis oculos habebat.

a Hunc

2 *Et interrogaverunt eum discipuli ejus: Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?*

[2] Hunc igitur quum esset intuitus Jesus, veluti misereſcens hominis ob infelicitatem, discipuli, qui meminerant quod paralytico sanato dixisset, *Vade noli posthac peccare, ne quid accidat tibi gravioris mali*, suspicantes omne corporis vitium ex animi vitio nasci, de cæco itidem percunctantur, cujus vitio accidisset, ut cæcus nasceretur. Quum enim nemo peccare potuerit antequam nasceretur, quisquis cum morbo vitiove corporis nascitur, videtur ob alienam culpam puniri, quod præter æquum esse videretur: Rabbi, inquiunt, unde huic tantum malum, ut cæcus nasceretur? Utrum ex ipsius peccato, aut parentum?

3 *Respondit Jesus: Neque hic peccavit, neque parentes ejus: sed ut manifestentur opera Dei in illo.*

[3] Respondit Jesus: Nec hic suo peccato commeruit, ut cæcus nasceretur, qui peccare non potuit, quum nondum esset, nec parentes ejus. Non enim punit Deus liberos ob delicta parentum, quemadmodum docet Lex, ni filii parentum æmulentur vitia. Sed huic casu quopiam accidit cæcitas, nullius vitio, quemadmodum multa multis accidunt in vita mortalium. Verum hujus infelicitas in hoc prohibita non est, ut per eum declararetur hominibus potentia bonitasque Dei, cui cæci Judæi tam pertinaciter reclamant. Quo malum est insanabilius, hoc illustrior erit mali depulsi gloria.

4 *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.*

[4] Ego in hoc missus sum in mundum, ut procurem gloriam Dei factis hujusmodi, quæ incredulis fidem faciant me vera loqui, ut qui crediderint, sanentur à cæcitate sua. Hoc mandatum mihi gnaviter exsequendum est, quamdiu dies est. Nam luce solent homines operari, si quid habent operis. Nox enim ad opus inutilis est. Interim igitur dum præsens dies operandi præbet facultatem, quæ ad salutem æternam pertinent, non est cessandum. Ventura est enim nox, cum jam frustra velint homines operari, nec possint.

5 *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.*

[5] *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.* Si homines properant, ut opus, quod ob hujus vitæ usum aliquem obeunt, absolvant ante Solis occasum, quanto magis adnitendum est omnibus, ut dum me præsentem habent, peragant æternæ salutis suæ negotium, cujus gratia sit à me quicquid interim operor in hoc mundo. Quid enim aliud ago, quam ut omnes per oculos fidei videant & agnoscant Deum, & hujus Filium, quem misit in mundum? Brevi sum abiturus, tum frustra desiderabunt lucem, qui nunc operari noluerunt. Hoc sermone Dominus Jesus tecte submonuit eos qui aderant, ut abjecta incredulitate properarent credere Filio Dei, quem juxta carnem non essent diutius visuri: porro qui aliter non poterant ad credulitatem adduci, nisi ex auditis ipsius sermonibus & conspectis miraculis, frustra desideraturi forent sublatum, quem præsentem contemserunt, & ad cujus lucem, omnium ingestam oculis, oculos suos occluserunt: porro qui obstinatis animis persisterent in spontanea cæcitate mentis, eos ut deploratos & insanabiles aliquando relinquendos suo malo in æternum exitium, videlicet ingruente calamitate miserabili, quæ perderet eos potius, quam sanaret: ad hæc olim venturum horribile judicium, cum jam impii frustra cupient operari salutis suæ negotium, nec licebit. Nox enim illa non patietur, cum diem, in quo licebat, neglexerint. Porro dum quisque in vita corporis est, etiam post sublatum in cœlos Christi corpus, tamen habet illius lucem ex Apostolis, sacrisque Litteris, quæ facultatem præbent operandi, quod ad salutem pertinet. Cæterum, semel exstincto corpore, jam illi dies suus occidit, nec amplius potest operari, sed superiorum operum merces est exspectanda. Hæc tum obscure Dominus Jesus, tardos ad credendum homines metu futuri exstimulans.

6 *Hæc cum dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus,*

[6] Jam vero miraculum exspectantibus discipulis, Jesus *exspuit in terram, ac* sputo commixto pulveri, *fecit lutum, id illevit oculis cæci*, paternum videlicet ac suum verius opificium referens; quo primum hominem ex argilla, humore macerata, finxerat. Ejusdem autem erat auctoris restituere quod perierat, qui condiderat quod non erat. Et majoris est virtutis, sarcire quod corruptum est, quam gignere quod natum non est. Sed interim hujus malagmatis novitas, omnium animos attentos ac suspensos reddidit ad miraculi futuri considerationem: simulque cæci constantem fiduciam arguit, qui nihil obmurmurat illinenti, sed simpliciter obtemperat facienti quod vellet, nihil addubitans de beneficio, quocunque modo daretur.

7 *Et dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloë (quod interpretatur Missus.) Abiit ergo, & lavit, & venit videns.*

[7] Nec statim recepit oculos cæcus, sed ut erat oblitus luto, jubetur ire ad piscinam Siloæ, atque illic aquis proluere lutum oculis oblitum: quo simul & illustrior esset omnibus cæci fiducia, nihil detrectantis quod juberetur facere: & novitas spectaculi, nec non longioris itineris mora, plurimos evocaret miraculi testes. Cæcus enim non procul à Templo sedebat, juxta viam mendicans: & Siloæ fons, unde piscina nascitur, est ad radicem montis Sion, de cujus aquis mentionem facit & Esaias, queriturque eas fuisse contemtas: non quod ex illis aquis quisquam salutem sit assequutus, sed quod divinæ Scripturæ typum gerant. Quæ cum absque strepitu mundanæ eloquentiæ placide leniterque fluant, tamen quoniam ex abstrusis divinæ sapientiæ cavernis scatent, cœlestem vim habent depellendi quamvis inveteratam humanæ mentis cæcitatem, & eos oculos aperiendi, quibus videtur Deus, quem vidisse felicitas est. Nam *Siloa* Syriaca lingua sonat *missus*. Unus enim est unice missus à Patre, qui solus illuminat mentes hominum. Fons enim ille Christum ipsum repræsentabat, qui nunc quoque in Scripturis arcanis virtute latitans aperit oculos cæcorum, si modo suam agnoverint caliginem. Plus quam cæcus fiat oportet, qui velit accipere lucem à Christo. Qui mundo sapit, nimium abest à spe sapientiæ cœlestis: qui sibi est oculatus, nec dignatur luto Jesu occludi sibi oculos, non est quod speret lucem Euangelicam. Quum huc igitur, ut erat jussus, iret cæcus, ob mendicitatem vulgo notissimus, quod talis esset natus, dubium non est quin euntem magna vis populi non sine risu comitaretur, lutatis oculis, ac bis cæcum incedentem ad aquas nullo miraculo nobiles. Ubi ventum est ad aquas, abluit lutum ab oculis, ac domum rediit apertis oculis clare videns.

8 *Itaque vicini, & qui viderant eum prius quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic est, qui sedebat, & mendicabat? Alii dicebant: Quia hic est.*

[8] Itaque vicini, cæterique qui prius eum noverant: neque enim parum multis notus esse poterat, quum publicus esset mendicus: quum faciem agnoscerent, oculos autem mutatos conspicerent, dicebant: *Nonne hic est ille, quem vidimus* ante Templum *sedentem* juxta viam, *ac mendicantem*? *Nonnulli dicebant, is ipse est:*

9 *Alii autem: Nequaquam, sed similis est ei. Ille vero dicebat: Quia ego sum.*

[9] *Alii* contra, *non est ille, sed est alius illi similis.* Dissentientibus illis inter sese, cæcus ipse: Imo, inquit, sum idem ille mendicus & cæcus à nativitate, quem sæpe vidistis: ut vox quoque agnita fidem faceret miraculo.

10 *Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi?*

[10] Atqui nos te cæcum vidimus, inquiunt, nunc videmus apertis oculis cernentem. Unde accidit, ut tibi prius clausi, nunc aperti sint oculi?

11 *Respondit: Ille homo, qui dicitur Jesus, lutum fecit: & unxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoria Siloë, & lava. Et abii, lavi, & video.*

[11] *Homo ille, inquit, qui dicitur Jesus, lutum fecit, eoque unxit oculos meos: quo facto, dixit: Abi ad piscinam Siloa, atque illic lava oculos. Abii, lavi, & video.*

12 *Et dixerunt ei: Ubi est ille? Ait: Nescio.*

[12] Tum illi quærentes occasionem calumniandi Dominum Jesum, quod temperato luto & oculis inuncto, nonnihil operis fecisset in Sabbato, rogant ubinam esset ille, qui hoc fecisset. Is quum respondisset se nescire quis esset: non enim noverat Jesum, nisi de nomine, de facie non noverat:

13 *Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat.*

[13] Adducunt eum, qui ex cæco factus est videns, ad Pharisæos, ut apud hos re simpliciter narrata proderet Jesum, quod violasset Sabbatum.

14 Nam

14 *Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos ejus.*

15 *Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi quomodo vidisset. Ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit super oculos, & lavi, & video.*

16 *Dicebant ergo ex Pharisæis quidam: Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit. Alii autem dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos.*

17 *Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia propheta est.*

18 *Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuisset, & vidisset, donec vocaverunt parentes ejus, qui viderat.*

19 *Et interrogaverunt eos, dicentes: Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt?*

20 *Responderunt eis parentes ejus, & dixerunt: Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est:*

21 *Quomodo autem nunc videat, nescimus: aut quis ejus aperuit oculos, nos nescimus: ipsum interrogate: ætatem habet, ipse de se loquatur.*

22 *Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judæos: jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret.*

23 *Propterea parentes ejus dixerunt: Quia ætatem habet, ipsum interrogate.*

24 *Vocaverunt ergo rursum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo: nos scimus quia hic homo peccator est.*

25 *Dixit ergo eis ille: Si peccator est, nescio: unum scio, quia cæcus cum essem, modo video.*

26 *Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos?*

27 *Respondit eis: Dixi vobis jam, & audistis: quid iterum vultis audire? numquid & vos vultis discipuli ejus fieri?*

28 *Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu discipulus illius sis: nos autem Moysi discipuli sumus.*

29 *Nos scimus quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus unde sit.*

30 *Respondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis unde sit, & aperuit meos oculos:*

31 *Scimus autem quia peccatores Deum non audit, sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.*

14 Nam Sabbatum erat, quum Jesus aperiret oculos cæci.

15 Rursus igitur Pharisæi percunctantur hominem quomodo ex cæco factus esset videns. Ille nihil metuens, simpliciter ut res habebat narrans: *Lutum*, inquit, *temperatum saliva inunxit oculis meis: jussitque lavi in Siloa, deinde video.*

16 Hoc audito, *quidam è Pharisæis dicebant: Non est hic* Jesus *à Deo*, tametsi Patrem Deum habet in ore. Nam si Deum haberet auctorem, non violaret hujusmodi factis Sabbatum, quod Deus jussit observari. Nefas est violare diem sanctum. Cum hujusmodi Deus non habet commercium. Sic illi perverse increduli, quoniam factum tam manifestum inficiari non poterant, neque tam beneficum damnare, ex diei religione mutuantur calumniam. Rursus alii sanabiliores: Si hic, inquiunt, non esset Deo gratus, & ob violatum Sabbatum nefarius esset, quomodo posset hæc edere miracula? Res ipsa loquitur, hæc præsidio Dei fieri. Neque enim hoc primum nunc edidit miraculum. Ad hunc modum de Jesu variatum est inter illos sententiis.

17 Pharisæi igitur, qui captabant undecunque calumniandi ansam, rursus appellant eum, qui cæcus fuerat: *Tu*, inquiunt, *quid sentis de illo, qui tibi aperuit oculos?* Illud venabantur, si male prædicasset de Jesu, quod non ignorabat illos velle, haberent quod objicerent illis, qui de Jesu mediocriter sentiebant: sin bene, sævirent in ipsum hominem, ejicientes è Synagoga. Mendicus autem simpliciter & intrepide pronuntiat de Jesu, quid sentiret: *Mihi, inquit, videtur esse Propheta:* magnum quempiam & insignem virum hoc titulo significans, cujus & famam acceperat, & virtutem in se fuerat expertus.

18 Erant itaque permulti Judæi, quibus persuaderi non poterat, hunc esse eundem illum, qui nuper sedisset ad fores Templi mendicans, à nativitate cæcus, quum hunc constaret apertis oculis clare cernere. Vocati sunt igitur parentes, qui peculiaribus etiam indiciis filium suum nosse poterant. Atque hîc malitiosa Pharisæorum curiositas proficiebat ad gestæ rei fidem simul & gloriam.

19 Dicunt igitur parentibus: *Num hic est ille vester filius, quem vos dicere soletis cæcum fuisse natum? Et quid accidit, ut nunc videat.*

20 Illi, ut sunt timidi quibus res est angusta domi, sentientes Pharisæos ansam venari calumniæ, caute respondent: Hoc quod habemus, inquiunt, indubitatum, testari possumus: *Scimus hunc esse filium nostrum*, scimus *cæcum fuisse natum.*

21 *Caterum redditi visus neque modum novimus, neque auctorem.* Hoc ipse certius quam nos testabitur. Nec enim puer est, ut nesciat quid ipsi acciderit. *Habet ætatem, ex ipso magis percunctemini: ipse de se loquatur, quod novit.*

22 Hæc dicebant parentes, non quod nescirent, quid accidisset filio, sed maluerunt illum unum venire in periculum, quam communi periculo involvi cum filio. *Jam enim Judæi conspiraverant, ut si quis anderet Jesum profiteri Messiam, ejiceretur è Synagoga,* quod apud Judæos magni probri loco ducebatur. Unde & apud Euangelii professores severissimum pœnæ genus est, ut si quis à sua professione degenerans, in crimen aliquod insigne prolapsus fuerit, à reliquorum consortio semoveatur, ut à cæteris devitatus, pudore resipiscat, qui salubribus monitis corrigi non potuit. Sed hoc exemplum clementis sævitiæ, quod in eos duntaxat conveniebat exhiberi, qui se vitiis suis redderent exsecrabiles, ac pestilentes, Judæi vertebant ad suæ tyrannidis stabilimentum, quemadmodum & cæteris omnibus bene institutis, ad quæstum suum & ambitionem abutebantur. Telum enim quod tantum in malos torqueri debebat, & eos quidem sanandos magis quam perdendos, id vertebant in eos, qui Christum profiterentur.

23 Hoc metuentes parentes, invidiam testimonii rejiciebant in filium: *Ætatem habet*, inquiunt, *ex ipso scisscitemini.*

24 Revocatus est igitur is qui fuerat cæcus, ut sibi testis esset ac patronus, simulque gloriæ Christi præco. Totam enim Pharisæorum malitiam Jesus vertere solet in Dei gloriam. Cum enim factum evidentius esset, partim parentum testimonio, partim ipsa re, quam ut dissimulari negarive posset: tamen ut facti laudem à Christo, quem oderant, avertant: Quod ex cæco, inquiunt, factus es videns, noli adscribere Jesu, cui nihil debes, sed gloriam istius beneficii tribue Deo. Nos enim certum habemus, quod hic Jesus homo sceleros sit, cui cum Deo nihil est commercii. Pharisæi separare conabantur, quod separari non poterat, videlicet gloriam Patris à gloria Filii, & impietati suæ summæ pietatis umbram prætexunt: velut illis scilicet curæ sit, ne pereat Deo sua gloria, quum propriam gloriam quærerent in omnibus, divinæ gloriæ negligentes.

25 Ad hæc cæcus fortiter simul & circumspecte respondens: *An homo sceleros sit*, inquit, *alii viderint*, de hoc pronuntiare non est meum. *Unum illud vere testari possum*, quod ipsa re comperi, *me prius fuisse cæcum, & nunc videre.*

26 Hic quum Pharisæis nulla satis idonea daretur ansa, vel calumniandi Jesum, vel in hominem sæviendi, circumspecte cauteque loquutum, ad superiores percunctationes revolvuntur, undique venantes, unde Jesum spolient sua gloria: *Quid, inquiunt, fecit tibi, aut quibus modis aperuit tibi oculos?* sperantes fore, ut ex re aliter narrata aliquid decerperent, unde persuaderent hoc laudis non deberi Christo.

27 Adversus tam impudentem Pharisæorum malitiam, jam mendicus factus confidentior, respondit: Modo dilucide, sicut res habet, narravi, semel audistis. Quorsum attinet eadem repetere? Si animo sincero percunctamini, jam rem exposui, meoque testimonio, quod à me flagitabatur, satisfeci: sin minus, iniquum fuerit eadem iterare. An ideo tam diligenter percunctamini facti modum, ut re exacte cognita, vos quoque velitis illius fieri discipuli, per quem Deus tanta operatur, quemadmodum ego virtutem illius expertus, multique alii discipuli illius sumus?

28 Hac tanta mendici confidentia Pharisæi irritati, non responsum reddunt, sed convitium ingerunt, id imprecantes homini, veluti summum malum, quo solo poterant ipsi quoque felices reddi: & à se per abominationem depellentes, quod summis votis erat optandum, nisi tam animis essent cæci, quam antea corpore fuerat ille mendicus Euangelista: Tu, inquiunt, sceleste, sceleste illius discipulus esto. Nos talem magistrum abominamur, qui Mosi sumus discipuli, cum quo Jesus iste non est conferendus.

29 Certum enim habemus, quod Mosi loquutus sit Deus, quodque quicquid nos docet, ex Deo doceat. Jesum autem istum cur audiamus, qui unde profectus sit, nescimus? Doceat ac probet nobis auctoritatem suam, & fortasse credemus illi.

30 Crevit inter disputandum mendici fiducia: quumque sentiret illos omnibus technis moliri perniciem adversus Jesum, tamen fortiter contemtis omnibus periculis, illius causam agit, ex miraculo reddita luminis colligens, & convincens non esse obscurum, unde profectus esset Jesus: Admiror, inquit, cur dicatis vos nescire, unde sit Jesus, quum illud negari non possit, per eum mihi apertos esse oculos, quos natus etiam habebam clausos.

31 Certe illud extra controversiam est, nec vos dissentitis, *Deum non audire vota peccatorum. Verum si quis illum pie colit, & ejus* quem colit religione *voluntati obtemperat, hunc audit.* Quod si Deus per Jesum mihi cæcitatem ademit, tametsi præcipua gloria Deo tribuitur, tamen pius Dei cultor, & amicus

Digitized by Google

Deo sit, oportet, ad cujus vota beneficium tam insigne mihi præstitit.

32 *A seculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.*

32 Nec enim vulgare est, aut mediocre miraculum, quod in me factum videtis. Multa memorantur prodigia, quæ Deus olim gessit per majores nostros, sed sanctos, non peccatores. *Verum*, si repetamus ab orbe condito, *quis unquam audivit exstitisse quenquam, qui cæco nato aperiret oculos*, & depulsa perpetua nocte, lucem infunderet?

33 *Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quidquam.*

33 *Quod nisi Jesus iste profectus esset à Deo*, nisi Dei virtus illi adesset, *ex se nihil omnino posset efficere.* Non enim humanarum virium est, quod tamen factum cernimus.

34 *Respondentes, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et ejecerunt eum foras.*

34 Hac mendici fiducia prorsus efferati Pharisæi, quum jam spes non esset fore, ut ille vel corruptus, vel metu territus desisteret à prædicando Jesu, ad extrema veniunt. Exprobrant ei pristinam cæcitatem, exprobrant fortunæ tenuitatem: quasi hæc illi ob scelera sint divinitus inflicta, quasique sceleros naſcatur, qui pauper, aut cæcus, aut alioqui vitiato corpore naſcitur: *Tu, inquiunt, in peccatis natus es totus, & nos doces*, qui religionis arcem, & Legis professionem tenemus? Et qui paulo ante stipem emendicabas, hîc apud tantos viros audes philosophari? Nec diutius illum passi sunt dicere, & pudebat sic ab homine paupere & idiota sibi obturatum os. Ejecerunt igitur hominem è Synagoga, velut impii magistri discipulum impium. Sed quos Pharisaicum supercilium è Synagoga ejecit, Christus recipit in suam Ecclesiam. Ab impiorum enim communione secludi, jungi Christo est, & ab his, qui suam justitiam falsam stabilientes, veram Dei justitiam oppugnant, damnari, probari est: & ab his, qui suæ studentes gloriæ, Jesu gloriam obscurare nituntur, affici contumelia, summæ est gloriæ: & exsecrabilibus exsecrabilem esse, est Deo carum esse.

35 *Audivit Jesus quia ejecerunt eum foras: & cum invenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei?*

35 Renuntiatum est igitur Jesu, de suæ gloriæ præcone quam fortiter sese gessisset apud Pharisæos. Jam enim res populi rumore spargebatur, quod ejectus esset. *Ut igitur nactus est illum obvium*, quo fidem illius faceret omnibus magis conspicuam, *ait illi:* Heus tu, *credis-ne in Filium Dei?* Jam enim apud Pharisæos professus fuerat, illum à Deo profectum esse, qui rem tantam perfeciſſet. Nec id latebat Dominum Jesum, sed propter alios elicit hominis professionem, exemplum procurans cæteris.

36 *Respondit ille, & dixit: Quis est, Domine, ut credam in eum?*

36 Cæterum is, qui cæcus fuerat, quum Jesum de facie nondum noſſet, magno tamen affectu sic quoque nosse cupiens eum, quem diceret Filium Dei: *Quis est, inquit, ille, Domine, ut* si norim, *credam in illum?* Crediderat in eum etiam non conspectum: nec hæc vox est diffidentis, sed ardentis videre tanti beneficii auctorem.

37 *Et dixit ei Jesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est.*

37 Jesus itaque modestis verbis significans se esse, de quo loqueretur, ait: *Quem videre cupis, jam vidisti: & qui nunc loquitur tecum, ipse est*, in quem oportet credere.

38 *At ille ait: Credo Domine, Et procidens adoravit eum.*

38 Ad hæc ille nihil cunctatus, magna alacritate professus est se credere: simulque cum dicto accidit ad genua Jesu, & adoravit eum, re nimirum ipsa declarans, quid de eo sentiret.

39 *Et dixit Jesus: In judicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.*

39 Jesus itaque quo magis hujus exemplo accenderet aliorum animos qui aderant: Ego, inquit, qui lux sum mundi, ideo veni in hunc mundum, ut invertantur rerum vices, prodita nimirum per Euangelicam lucem falsæ sanctitatis, ac fucatæ cognitionis imagine: *ut qui antehac non videbant, videant: & qui nunc vident, excæcentur.* Hoc dicto notavit Jesus Pharisæorum perversum judicium, qui quum sibi viderentur soli scire, quid esset religio, quid esset Lex, quid esset justitia, turpius cæcutiebant, quam quivis è media plebe: nimirum mundi cupiditatibus animi judicium obfuscantibus, quum pauperculus ille cæcus, humilis, & idiota, quemadmodum donatus erat luce corporis, ita tantum animo cerneret, ut ipsorum etiam Pharisæorum concilium veritate vinceret.

40 *Et audierunt quidam ex Pharisæis, qui cum ipso erant, & dixerunt ei: Numquid & nos cæci sumus?*

40 Neque fefellit hujus sermonis aculeus aliquot è Pharisæis, qui tum Jesum animo non sincero comitabantur, sed calumniandi potius ansam undique captantes. Hi non recedentes ab arrogantia, quo vel honorificum de se testimonium extorquerent à Domino, vel haberent unde deferrent illum apud Pharisæorum ordinem, dicunt illi: *Num & nos cæci sumus?*

41 *Dixit eis Jesus: Si cæci essetis, non haberetis peccatum: nunc vero dicitis; Quia videmus. Peccatum vestrum manet.*

41 Jesus autem ad hanc tam insidiosam pariter & arrogantem interrogationem sic respondet, ut ostendat eos, qui sibi viderentur admodum oculati, plus quam cæcos esse: non enim corpore, sed animo cæcos esse: & hoc insanabilius esse cæcos, quod sibi viderentur oculati: Si vere, inquit, essetis cæci, ac mentis insciti am agnosceretis, daretur venia simplicitati. Nunc vero quum re vera cæci sitis, & tamen arrogatis vobis apud populum eruditionis laudem, insanabiliter estis cæci. Quemadmodum hic cæcus, quoniam agnovit vitium corporis, assequutus est lucem: vos quum excæcati cupiditatibus carnis vestræ, sponte vestra cæci sitis, sanari non potestis, sed perseveratis in peccato incredulitatis, quum idiotæ, qui prius ignorabant veritatem, conspectis miraculis & auditis sermonibus meis, amota caligine, lucem veritatis amplectantur. Qui sibi Legis cognitionem arrogat, oppugnans eum, qui summa est totius Legis, plus quam cæcus est, totaque errat via. Hactenus in umbris versati sunt omnes, nec ulla patet ad lucem via, nisi per fidem Euangelicam. Populus ideo facilius visum recipit, quia non perinde sibi videtur perspicax: & si quid caligat, ruditas est verius quam malitia. Cæterum qui quum ipsi sint bis cæci, tamen se profitentur doctores plebis, hoc est, duces cæcorum, pernicioſius & immedicabilius cæci sunt. Nam nec ipsi veniunt ad lucem, & alios seducunt ob falsam opinionem, ac speciem eruditionis & sanctimoniæ.

CAP. X.

Caro pro grege pastor obit: dic, Christus es ipse? Pecco-ne si dico me Patrem habere Deum?

1 *Amen, amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro.*

ET tamen quum tales essent, indignabantur, & invidebant Domino Jesu, quod populum alliceret ad se, & à Pharisæorum ac Sacerdotum obedientia sevocaret: qui quum auctoritatem suam honestis rationibus tueri diutius non possent, fucis, terroribus, insidiis, minis, impiis conspirationibus tyrannidem suam contendebant defendere, non servientes populi commodis, quemadmodum par erat facere, qui se populi doctores ac duces pastoresque profiterentur, sed populi malo sua captantes commoda. Jesus itaque, qui prius multis similitudinibus invitaverat omnes ad se, nunc panem se vocans cœlestem, unde qui ederet, viveret in æternum: nunc aquam vivam, unde qui biberet, conciperet in sese fontem aquæ salientis in vitam æternam: nunc lucem mundi, quæ illuminat omnium mentes: nunc Filium ac legatum Dei Patris, cui qui crederet, salutem æternam consequeretur: hoc loco idem agit alia parabola, quo magis & altius insideat animis omnium, quod est totius salutis humanæ caput: neminem esse posse ducem ac pastorem populi, nisi prius ipse sit ovis Christi, veri Pastoris omnium ovium, quæ collocandæ sunt à dextris in die supremo. Ovis autem Christi non est, qui non est membrum Christi: membrum Christi non est, qui mundum hunc, qui gloriam suam anteponit gloriæ Christi. Porro Pharisæi, quoniam sine Christo pastores esse volebant, latrones ac fures erant, non pastores: quanquam sibi pastorum nomen ac supercilium vindicabant. Hos igitur notans: *Illud*, inquit, *pro certo vobis affirmo, quisquis intrat in caulas ovium, non per ostium, sed aliun-*

Digitized by Google

aliunde irrumpit, vel transſcenſis ſeptis, vel perfoſſis muris, *is non paſtor eſt, ſed fur eſt, & latro.* Fur, ut fraude ſurripiat aliquid: latro, ut vi perdat.

2 Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ovium.

2 *Cæterum quiſquis intrat per oſtium*, quoniam nihil doli meditatur ovibus, *is paſtor eſt.*

3 Huic oſtiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim, & educit eas.

3 Et huic per oſtium ingredi volenti aperiet is, qui ſolus jus habet aperiendi oſtium. Hujus vocem, quoniam veri paſtoris eſt, agnoſcunt & audiunt oves, quum ad latronis & furis vocem incognitam expaveſcant. Quanquam enim ovis ſimplex eſt animal, & ab alieno pendens præſidio, tamen agnoſcunt vocem paſtoris, unde ſentiunt utilitatem, & horrent vocem luporum, unde metuunt mortem. Paſtor igitur per oſtium ingreſſus in ſepta, non terret oves, ſed agnoſcitur, & viciſſim agnoſcit oves ſuas, adeo ut nominatim etiam ſingulas vocare norit, & illæ vocatæ parent vocanti. Vocantur enim ad pabulum, non ad lanienam. Et vocantur amica notaque voce, non protruduntur: ultro parentes, adducit in paſcua.

4 Et cum proprias oves emiſerit, ante eas vadit: & oves illum ſequuntur, quia ſciunt vocem ejus.

4 Quumque jam eductæ è ſeptis, quibus continebantur, prodierint in liberos campos, ne quid aberrent, paſtor ille verus ac notus præcedit gregem ſuum: grex præeuntem conſequitur. Non enim præcedit mutus, ſed ſubinde voce ſua provocat oves ad ſequendum, & ab errore revocat. Agnoſcunt autem ſui paſtoris vocem, ad quam ſe dirigunt.

5 Alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo: quia non noverunt vocem alienorum.

5 Cæterum paſtorem alieni gregis non ſequuntur, ſed abhorrent ac refugiunt ab ignoto, propterea quod non agnoſcunt niſi proprii paſtoris vocem.

6 Hoc proverbium dixit eis Jeſus. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis.

6 Hoc ænigmate Dominus Jeſus taxavit Judæos*, Scribas, Sacerdotes, ac primores populi, qui indignabantur, quod eſſent multi qui mallent adhærere Jeſu quam ipſis, qui ſe duces credebant populi. Porro qui ſues erant, aut hirci, audiebant illorum vocem. Cæterum qui vere oves, doli expertes, ſimplices & innoxii, agnoſcebant vocem Domini Jeſu, qui verus erat paſtor: cui Pater oſtiarius aperuerat oſtium, ut oves ſibi parentes adduceret in æternæ vitæ paſcua.

7 Dixit ergo eis iterum Jeſus: *Amen, amen dico vobis, quia ego ſum oſtium ovium.*

7 Cæterum quum Phariſæi non intelligerent, quid ſibi vellet hæc parabola, dignatus eſt aperire: quæ tectius ideo dixerat, ut magis redderet attentos, & altius inſideret animis auditorum, quod per ſimilitudinem eſſet infixum: *Pro certiſſimo confirmo vobis*, inquit, *quod ego ſum illud oſtium*, de quo loquutus ſum, per quod oves ingredi & egredi oportet, ſi velint incolumes eſſe. Per hoc ingrediatur oportet, qui paſtoris munus velit obire. Non enim ſatis eſt intra ſepta Eccleſiæ, quacunque via irrupiſſe: non ſatis eſt ad paſtoris titulum ac dignitatem quomodocunque penetraſſe.

8 Omnes quotquot venerunt, fures ſunt, & latrones, & non audierunt eos oves.

8 Hujuſmodi quotquot fuerunt, qui perverſis rationibus irruperunt in ovile populi Dei, non paſcendi, ſed ſpoliandi animo, quoniam per me, qui ſum oſtium, ingreſſi non ſunt, non ſunt paſtores, ſed fures ſunt & latrones: nimirum quæſtus avidi, & tyrannide violenti. Sed iſtorum omnium vocem audierunt ſues & hœdi, qui mundum hunc diligunt. Cæterum oves æternæ vitæ paſcuis deſtinatæ, & Euangelici pabuli avidæ, non audierunt vocem iſtorum, quod veri paſtores non eſſent, nec in eis agnoſcerent vocem Euangelicam. Vox enim non ſonabat paſtorale quiddam, ſed prædonis magis ac lupi.

9 Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, ſalvabitur: & ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet.

9 *Ego*, inquam, *ſum oſtium.* Non eſt ſalutaris aditus in Eccleſiam ac regnum cœlorum, niſi per me, ſive paſtor eſſe velis, ſive ovis. *Per me ſi quis introierit, ſalutem* æternam *aſſequetur*: nec erit illi periculum à furibus ac latronibus, ſed hoc paſtore tutus ingredietur in caulas, fruiturus otio felici contemplationis, egredietur in paſcua, proditurus ad officia caritatis, nec deerunt uſquam paſcua, ſed ubique dabitur materia benefaciendi, quo ſimul & aliis proſit, & ipſe benefactis in caulas redeat ſaginatior. Habetis igitur unam notam, qua poſſitis ovem ab hœdo, verum paſtorem à falſo, dignoſcere. Qui mihi non credit, & tamen ſe facit populi paſtorem, ab hoc cavendum eſt. Tum autem vox prodet qualis ſit, ſi quæ loquitur, non ſapiunt Dei gloriam, non populi ſalutem, ſed propriam gloriam, ſed quæſtum, ſed humanam aſtutiam, ſed tyrannidem, ab hoc ſibi caveant oves: fur enim eſt & latro, non paſtor: & hoc pernicioſior, quod perſonam paſtoris mentitur.

10 Fur non venit niſi ut furetur, & mactet, & perdat. Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.

10 Quod ſi vox non ſatis evidens erit indicium, obſerva quid agant. Fur non in aliud venit, niſi ut furetur, & è gregis alieni malis ſibi turpe lucrum comparet. Latro non venit niſi ut laniet, ac perdat, & in gregem, cui prodeſſe debebat, tyrannidem exerceat. Tribus igitur argumentis licebit dignoſcere verum paſtorem, & furem, aut prædonem: ſi per oſtium non ingrediatur: hoc eſt, ſi me non agnoſcat, per quem unum ſalutis æternæ ſpes eſt: ſi non loquatur ea quæ congruant doctrinæ divinæ: ſi ſpectet alio, quam ad ea quæ pertinent ad Dei gloriam, ac populi ſalutem.

11 Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.

11 Horum ſi nihil competit in me, ſi Pater aperuit oſtium: ſi loquor ea quæ cum Legis ac Patris voluntate conſentiunt: ſi nuſquam venor lucrum aut gloriam meam, ſed Patris obtemperans voluntati, nihil aliud ſitio, quam ſalutem omnium, intelligite me eſſe verum paſtorem, & agnoſcite auctorem meum, † vocem meam, & agnoſcite ſtudium meum. Qui ſe jactant eſſe paſtores, hoc agunt, ut ex veſtris incommodis, ſua comparent commoda: quibus tum optime eſt, quum gregi eſt peſſime. Ego per oſtium ingreſſus, non in aliud veni, niſi ut oves morbidæ ſanentur, mortuæ vivant, ac vivæ ſaginentur omni virtutum genere. Bonus paſtor habetur, qui vivit quidem de proventu gregis ſui, qui bona fide reducit oves in ſepta, qui educit in paſcua: qui nihil furatur, nihil mactat. Sed longe vincit hanc integritatem paſtor Euangelicus. Non enim ſolum non ſpoliat gregem uti fur: non ſolum non laniat uti prædo, verum etiam vitam ſuam impendit pro tuendis ovibus ſuis: tantum abeſt, ut lucri gratia lædat gregem ſuæ fidei concreditum, aut perdat quod ſervandum ſuſcepit. Proinde cæteri, qui ſe paſtores jactant, lupi ſunt, non paſtores. Quod ſi quæritis exemplum ac ſpecimen boni paſtoris: ego ſum paſtor bonus, qui non ſolum ipſe nihil venor commodi ex malo gregis, verum etiam mea bona gratis confero, & adverſus eos, qui gregem infeſtant, vitam etiam meam impendo. Hoc quod amicus non præſtat amico, præſto ovibus meis.

12 Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cujus non ſunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit, & diſpergit oves:

12 Non poteſt eſſe verus paſtor, niſi purus ab omni cupiditate commodi privati, niſi vitæ quoque ſuæ contemtor, ſi quando periculum ingruat gregi. Multa ſunt enim, quæ ſalutem gregis infeſtant. Itaque qui verus eſt paſtor, & cui grex ex animo curæ eſt, non ob aliud, niſi quod amat gregem, obtemperans illi, qui ſervandum dedit, non ſpoliandum, aut mactandum, is ſuæ quoque vitæ diſpendio ſalutem defendit ovium. Contra, qui mercenarius eſt, & ſui compendii gratia gregis curam ſuſcepit, etiamſi bona fide rebus tranquillis gregem procurat, tamen ſi vitæ ingruat periculum, hoc eſt, ſi lupum viderit irruentem, proditis ovibus, ſuæ vitæ fuga conſulit, gregem lupo diſſipandum ac dilaniandum relinquit.

13 Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ovibus.

13 Quid in cauſa? Nihil aliud niſi quod mercenarius eſt, non paſtor. Caritas vera non ſpectat mercedem. Ubi mercedis eſt ratio, ibi caritas aut nulla eſt, aut imperfecta: & ſi quod præſtatur officium, non præſtatur ex animo veri paſtoris. Ubi vero res maxime deſiderat paſtorem germanum, ibi grex proditur, fugiente conductitio paſtore. Quamobrem? Quia ſubducta juxta ſenſum humanum ratione, ſatius eſſe ducit, perire gregem alienum, quam ſe venire in capitis diſcrimen. Atque hic quidem paulo melior eſt his, qui

* Alia Editio, *Phariſæos.*

† Eadem addit, *audite.*

Digitized by Google

ipsi lupos agunt in gregem, pastores mentiti. Sunt enim qui rebus secundis satis bona fide gregis curam agunt, sed tamen ob insigne periculum gregem produnt lupo dispergendum, ac dilaniandum. Cogitat enim, quid tum si pereant? Mihi nihil perit. Merces in tuto est, & si quid perit mercedis, hoc perire malo, quam pro pecudibus alienis decertare cum lupo. Reperietur alius grex, cui mercede præficiar, si hic perit suo Domino. Neque enim gregis interitus discruciat animum mercenarii. Ita fit, ut simul & Domino pereat, quod unice diligit, & grex veniat in exitium, qui servari poterat.

14 *Ego sum pastor bonus: & cognosco meas, & cognoscunt me meæ.*

[14] Non mirum igitur, si talium pastorum vocem non agnoscunt oves Euangelicæ. Non oves in culpa sunt, sed pastorum malitia. Nec indignandum est, si quos Pater attraxit, me sequuntur, desertis pastoribus mercenariis, furibus, & latronibus. Sentiunt enim, quod ego modis omnibus sum pastor bonus, usque ad vitæ dispendium. Agnosco meas oves velut à Patre traditas, cujus omnia mea sunt: ac vicissim oves, attractæ Patris afflatu, pastorem suum agnoscunt, diligunt, ac sequuntur, nimirum intelligentes sibi non esse spem salutis, nisi per me.

15 *Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem: & animam meam pono pro ovibus meis.*

[15] Me Pater agnoscit ut germanum Filium, suæque voluntati per omnia obsequentem: & ego vicissim agnosco Patrem, qui cupit omnes salvos fieri. Ex illius mandato vitam meam impendo saluti mearum ovium, quas mihi servandas tradidit, nec committam, ut me pastore quicquam possit in eas hic mundus, aut hujus mundi princeps Diabolus: sed ut mei sint incolumes, ipse me tradam in mortem, hac via lupi vires fracturus, & oves mihi parentes ex illius faucibus erepturus.

16 *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus pastor.*

[16] Nec Patris voluntati, nec meæ caritati satis est, si servem has oves, quas ex Israelitico populo primum servandas mihi tradidit Pater, latius se porrigit mea cura. Sunt & in aliis gentibus oves dispersæ, ac luporum, furum & latronum insidiis obnoxiæ: nec conquiescam, donec has quoque ad communes caulas reduxero. Et quanquam non audiunt vocem Mosi, aut Prophetarum, agnoscent tamen & audient vocem meam, si quæ sint oves saluti destinatæ: non enim natio secludit à salute. Quisquis audit vocem Filii Dei, qui verus est pastor, salvus erit. Hactenus dispersus fuit Dei grex, ob multitudinem falsorum pastorum. Omnes salutem pollicentur, & suam quisque vocem habet, & alius alio vocat. Interim grex destitutus, huc & illuc dispergitur, variisque perit modis. Verum simul atque omnes audierint me, vocem veri pastoris agnoscent, & ex omni terrarum plaga convenient. Itaque fiet omnium idem ovile: nec erit pastor nisi unus. Extra hoc ovile qui fuerit, salvus esse non poterit. Hunc pastorem qui non agnoverit, in exitium ibit. Atque id ne mea culpa fiat, usque ad vitæ jacturam ago bonum pastorem. Patri nihil perit, etiamsi pereant omnia condita: nullius enim eget, sed ob gratuitam caritatem erga genus humanum misit Filium suum in mundum, ut omnibus, si fieri possit, salutem æternam conferat.

17 *Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.*

[17] Quoniam autem eodem animo sum quo Pater, ideo me diligit unice, veluti Filium, non mercenarium: quia mea sponte pro salute gregis paterni vitam impendo meam: tantum abest, ut ex gregis malo mihi commodum vener. Summa caritas est apud homines, si quis ingruente periculo se non subducat. Ego plus præsto, qui me volens & ultro in mortem dedam. Sunt qui insidientur vitæ meæ, horum malitia nihil in me posset, nisi mihi decretum esset pro salute meorum ultro mortem oppetere. Habent isti quidem voluntatem homicidii, non occiderent tamen nisi volentem. Igitur illi non auferent mihi vitam, sed ego volens vitam impendam ovibus meis, mea morte vitam illis redemturus æternam. Ne credite me sponte tradere meipsum in mortem, nisi vitam sponte depositam, mea virtute quum voluero, resumsero. In hoc igitur laus est veri pastoris, quod ultro pro salute gregis morti semet objicit, quum in manu sit illi mortem effugere, si velit.

18 *Nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam: Hoc mandatum accepi à Patre meo.*

[18] Nulla vis est hominum, quæ mihi nolenti vitam auferret: sed ipse volens eam impendo saluti gregis. Alii moriuntur, quum nolint, & mortui non reviviscunt. Etsi quisque sibi manus adferre potest, ut scelerata morte pereat, non potest tamen vitam semel elapsam in corpus revocare. Ego utriusque rei potestatem habeo, & animam hanc emittendi è corpore, & eandem in hoc ipsum corpus revocandi: Hoc si vobis videtur incredibile, ut volens quispiam alienam vitam sua morte redimat: sic visum est Patri meo, qui me misit in mundum, ut hac ratione procurem negotium humanæ salutis. Ejus jussis volens & gaudens obtempero, qui cum mihi voluntas est eadem, quique mihi potestatem hanc impartiit, ut quod volo, possim.

19 *Dissensio iterum facta est inter Iudæos propter sermones hos.*

[19] Hæc quum proloquutus esset Jesus, nova, inaudita, ac longe supra vulgarem hominum sensum, rursus in populo variatum est sententiis.

20 *Dicebant autem multi ex ipsis: Dæmonium habet, & insanit: quid eum auditis?*

[20] Nam plerique dicebant, quod jam & ante non semel dixerant, si quando prodebat illorum secreta consilia, aut si quid humanis viribus majus diceret, faceretve, *Dæmoniacus est, & insanit.* Carent enim sensu communi, quæ loquitur: *Quid istum juvat audire?*

21 *Alii dicebant: Hæc verba non sunt obnoxii malo Dæmoni.*

[21] *Rursus alii dicebant: 'Hæc verba non sunt obnoxii malo Dæmoni.* Sapiunt enim virtutem divinam, præsertim quum dictis adstipulentur facta: qualis est oratio, talia sunt facta. Loquitur excedentia sensum humanum, sed idem facit excedentia virtutem humanam. Num insanus, & malo Dæmoni obnoxius, potest aperire cæcorum oculos? Exoculare videntem, Dæmonum est: sed oculos aperire cæco nato, virtutis est divinæ. Id quum constet ab hoc esse factum, non potest ejus oratio proficisci à noxio Dæmone, cujus facta constat à benefico Deo proficisci. Ad hanc controversiam nihil respondit Dominus Jesus: nos interim docens, non esse semper contendendum cum improbis, & factis potius declarandum quid possimus quam verbis: & nonnunquam malorum furori cedendum est, nec unquam oportet Euangelicæ mansuetudinis oblivisci.

22 *Facta sunt autem Encænia in Ierosolymis: & hiems erat.*

[22] Post hæc festus dies præbebat novam congrediendi materiam. Aderat enim dies festus, quem Encænia vocant, ob Templum post Persicum exsilium Hierosolymis instauratum, ac renovatum. Nec huic festo deerat Jesus, innovator Legis, ac novi Templi, quod est Ecclesia, architectus. Erat autem hyems, videlicet tempus illorum animo conveniens, qui frigidæ Legis studio, non arderent Euangelica caritate.

23 *Et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis.*

[23] Jesus igitur jam non in intimis Templi versabatur, sed inambulabat in porticu, quæ Templo adhærebat, cui cognomen erat Solomonis: ut locus ipse loqueretur adesse pacificum illum, omnia conciliaturum, quæ in cœlis, & quæ in terris. Inambulabat autem Euangelicæ Legis auctor, Mosaica jam cessatura.

24 *Circumdederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam.*

[24] Hîc igitur inambulantem, ne posset elabi cinxerunt Judæi, multis illius dictis ac factis irritati, nec satis inter se concordes: quibusdam malitiose calumniantibus omnia, quibusdam ex ipsis factis ac dictis suspicientibus in eo quiddam humana virtute sublimius. Adorti sunt autem illum his verbis: *Quousque dictis ambiguis suspensos detines animos nostros,* & hac ambiguitate populi seditionem concitas? *Si tu es ille Messias,* quem exspectamus, *dic nobis palam.*

25 *Respondit eis Iesus: Loquor vobis, & non*

[25] Jesus autem tametsi non ignoraret illos animo perverso percunctari, quod & sæpius audierant, & ex factis ipsis deprehendere poterant, tamen man-

Digitized by Google

creditis: opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me:

fuete respondet, magis erudire cupiens, quam irritare: Quid opus, inquit, fuerit, me de meipso, qui sim, toties profiteri: præsertim quum si profitear, arrogantiam interpretemini veri testimonium? Si mihi fidem haberetis, jam dixi qui sim: si verbis meis non creditis, tamen non potestis ignorare, quod ex me scire cupitis. Nullum est certius argumentum, quam ex factis. Videtis opera mea, quæ vobis testibus facio ex voluntate Patris mei, non Dæmonii, quemadmodum quidam calumniantur. Hæc si videntur digna Deo, credite me missum ab eo.

26 Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.

26 Sed vos nec factis, nec dictis meis creditis, cujus rei non sim ego causa, sed vester animus insincerus, minimeque simplex.

27 Oves meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me:

27 Qui simplici sunt animo, nullaque mundi hujus malitia vitiato, credunt verbis meis, ac velut oves agnoscunt boni pastoris vocem: atque ego vicissim illas, licet humiles juxta mundum, pro meis agnosco. Vos autem ideo non agnoscitis vocem meam, quia non estis de numero ovium mearum, quarum simplicitas docilis est, quum vos habeatis animos ambitione turgidos, odio fermentatos, livore corruptos, avaritia infectos, variisque mundi hujus cupiditatibus vitiatos, quibus malis si repurgaretis animos vestros, nimirum audiretis & ipsi vocem meam, nec id gratuito faceretis.

28 Et ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.

28 Primum enim vitarctis exitium, quod imminet omnibus rebellantibus adversus Dei Filium, deinde vitam æternam consequeremini. Siquidem oves illæ meæ quamlibet juxta mundi judicium simplices & idiotæ, in exitium abeuntibus his, qui magni felicesque habentur in mundo, dum me pastorem agnoscunt, dumque me ducem sequuntur, ex mea munificentia vitam consequuntur æternam. Oves sunt simplices, innoxiæ, imbelles, omnibus hujus mundi præsidiis destitutæ. In has mundus omnibus suis machinis ac viribus insurget. Sed nulla futura est tanta Satanæ potestas, ut eas rapiat è manibus meis. Mundus habet Pharisæorum auctoritatem, Sacerdotum dignitatem, habet Reges armatos, præfectos, judices, tribunalia, carceres, catenas, virgas, secures, equuleos, exsilia, mortes, & quicquid terrorem constantibus etiam animis solet immittere. Habet ex adverso opes, voluptates, honores, dignitates, & quicquid animos quamlibet incorruptos solet corrumpere. His omnibus machinis utitur mundus, ut extorqueat oves meas de manibus meis, sed me protegente nemo poterit eas mihi subducere. Quicquid mundus molietur, cedit in bonum ovium, & in gloriam Patris mei. Non rebellabimus armis, non venenis, non regeremus convitia, sed absque præsidiis hujusmodi novo genere vincemus tamen.

29 Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei.

29 Unicum illud præsidium, quod mihi ad tuendas oves meas dedit Pater, majus ac potentius est omnibus, quibus mundus coorietur in me meosque. Nec me destituet Pater, nec ego meas oves deseram. Quod est in manibus meis, idem est in manibus Patris mei. Quoniam autem nulla potestas mundi tanta est, quæ possit quicquam ex illius manibus extorquere, qui nutu potest omnia: nec de meis manibus ulla res avellere poterit, quod ille servandum tradidit.

30 Ego & Pater unum sumus.

30 Inter Patrem & me sicut est absolutum potestatis consortium, ita summus est voluntatis consensus. Prorsus unum sumus, pariter potentes, idem volentes, idem nolentes.

31 Sustulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum.

31 His dictis irritati Judæi, non ferentes quod toties haberet in ore Patrem suum, cujus præsidio tanta polliceretur, sustulerunt rursum lapides, ut lapidarent Jesum. Nemo tamen impetiit illum, quod nondum venisset tempus, quo decreverat extrema pati pro salute generis humani, sed placidis verbis illorum furorem corrigere tentat:

32 Respondit eis Jesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?

32 In publicos maleficos, inquit, populi manus A lapidibus ad ultionem solent armari. Ego tantum beneficiorum contuli in vos ex benignitate Patris mei. Docui errantes: consolatus sum afflictos: pavi famelicos: mancos restitui: leprosos mundavi: ægrotos sanavi: Dæmoniacos liberavi: paralyticos & contractos erexi: febres depuli: omne morborum ac malorum genus profligavi: mortuos in vitam revocavi: totaque mea potestas & auctoritas, quam mihi tradidit Pater, juvandis vobis impensa est, & impensa est gratis. In his omnibus, quodnam est illud, quod vos dignum arbitramini lapidatione? Si lapidatur beneficus, quid fiet scelerosis & maleficis?

33 Respondent ei Judæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: & quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum:

33 Judæi tandem huc provocati, ut vel crimen proferrent, vel amentiam suam agnoscerent, ne nihil prætexerent suæ vesaniæ: Non, inquiunt, ob benefacta solemus quenquam lapidare, sed te lapidatione dignum existimamus ob omnium immanissimum scelus, blasphemiam: atque in hac re Legis auctoritatem sequimur, quæ jussit hujusmodi saxis obrui. Quis enim diutius ferat, quod tu quum sis homo, facis teipsum Deum, subinde patrem tuum Deum habens in ore, quasi nos omnes filii Dei non simus, tuque nova quadam ac peculiari ratione sis Dei Filius, ut tibi cum Patre sit rerum omnium consortium? An non hoc est Divinitatem quandam arrogare? Cæterum quum unus sit Deus, quisquis hominum divinæ potestatis consortium sibi arrogat, erga Dei majestatem injurius est, ac rebellis.

34 Respondit eis Jesus: Nonne scriptum est in lege vestra: Ego dixi, dii estis?

34 Ad hoc crimen intentatum ea temperatura respondit Dominus Jesus, ut blasphemiæ culpam procul abs se depelleret: deinde ut illorum insaniam verbis atrocioribus non amplius irritaret, & tamen sibi summa cum modestia vindicaret, quod negare non debuit, quia nobis non ignotum esse voluit: Vos, inquit, mihi blasphemiæ crimen impingitis, quod Deum Patrem meum appellem. Nonne scriptum est majus quiddam in Lege vestra, nimirum in Psalmis: *Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes?*

35 Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura:

35 Si Deus ipse dignitatem sui nominis impartiit iis, ad quos sermo Dei factus est, non solum illos filios Dei appellans, sed Deos, non læsa tamen unius Dei majestate, nec falsum esse potest, quod in divinis Litteris proditum est:

36 Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas: quia dixi: Filius Dei sum?

36 Quomodo mihi blasphemiæ crimen intenditis, quod me, quem Pater unice sanctificavit, ac misit in mundum, ut per Filium omnes sanctitatem assequerentur, dixerim Filium Dei? Si Dei colloquium cum hominibus ex hominibus facit Deos ac filios Dei, non ferendum videtur, si me dixero Filium Dei, qui sum ipse sermo Dei, quique apud illum fui, antequam venirem in mundum, qui cum illo rerum omnium habeo consortium? Modestum est quod verbis arrogo, nimirum quod & in alios plurimos competit ex auctoritate Scripturæ.

37 Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.

37 Cæterum ex ipsis factis magis convenit æstimare quid tituli mihi debeatur. Si quæ facio, non videntur esse homine majora, si non divinæ virtutis specimen habent, nolite credere, quod sim Filius Dei, quod mihi cum illo per omnia conveniat.

38 Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre.

38 Quod si videtis Deum Patrem in me proferentem virtutem suam, si dictis meis fidem habere non vultis, certe factis ipsis, quæ videtis oculis, credite, & arrogans habear, nisi longe plus factis præsto, quam mihi verbis sumo. Ea si sinceris animis perpenderitis, fiet ut verbis quoque meis fidem habeatis, non amplius dubitaturi, quin Pater in me sit, & ego in Patre, quod uterque alteri individua societate cohæreat, dum ille per me, quicquid vult, operatur, & ego ab illius exemplo jussuque nusquam recedo, ut qui mihi credit, illi credat, qui mihi repugnat, illi repugnet.

39 Quærebant ergo eum apprehendere: & exivit de manibus eorum.

39 His auditis Judæi sermonibus, unde corrigi debuerant, irritatiores effecti, conati sunt illi manus injicere, perfecturi quod jam sæpius fruftra tenta-

rant. Sed Jesus, ut ostenderet multis modis se volentem passurum, ubi tempus adesset, elapsus est è manibus illorum.

40 Jesus igitur, quum satis illic docuisset, cessit ad tempus malorum immedicabili vesaniæ, ac rursus transmisso Jordane, rediit ad eum locum, ubi Joannes primum cœperat baptizare: nam, quemadmodum diximus, post mutato loco, baptizavit apud aquas Sichem. Hîc igitur commoratus est Jesus in deserto velut perosus civitatum impietatem.

41 Huc quoque multi confluxerunt ad illum è finitimis locis, quorum animos fama Jesu, sermones auditi, & miracula conspecta accenderant. Atque hos quidem protinus ipse locus commonuit, ut Jesum, qui jam sui specimen dederat, cum Joanne, quem prius noverant, conferrent. Quumque meminissent, Joannem fuisse in summa auctoritate, nec aliud tamen quam prædicasse baptismum pœnitentiæ, & nullis editis miraculis, tantam opinionem sibi conciliasse apud multitudinem, ut Christus esse crederetur.

42 Contra, Jesum, tot proditis miraculis, declarasse potentiam humanis majorem viribus, toties prudentibus & efficacibus responsis os obturasse Scribis & Pharisæis: postremo Joannem ipsum toties tam magnifice testificatum fuisse de Jesu, palam confitentem, quod ipse non esset dignus, qui calceamenti illius corrigiam solveret, dicebant inter se: Joanni, cum nullum ediderit miraculum, fides à Judæis habita est: huic igitur multo magis fides habenda est, qui tot prodigiis admirandis fidem suis dictis conciliat. Et si parum antehac creditum esset Joannis de hoc testimonio, tamen nunc res ipsa declarat, verum fuisse testimonium illius, cum plura præstet, quam ille de eo sit pollicitus. Itaque partim ob testimonium Joannis, cui non levis erat apud Judæos auctoritas, partim ob sermones divinæ sapientiæ plenos, partim ob facta divinam virtutem testantia, multi crediderunt Jesum esse Messiam, Pharisæis, Scribis, & Sacerdotibus in sua malitia persistentibus.

40 *Et abiit iterum trans Iordanem, in eum locum, ubi erat Ioannes baptizans primum: & mansit illic.*

41 *Et multi venerunt ad eum, & dicebant: Quia Ioannes quidem signum fecit nullum.*

42 *Omnia autem quæcumque dixit Ioannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum.*

CAP. XI.

Letho functus eras, iterum nunc, Lazare, vivis:
Uni pro toto mors subeunda grege est.

1 Ac mox offertur occasio, per quam maxime redderetur illustris Christi Patrisque gloria, simul & ad homicidium irritaretur Pharisæorum malitia. Siquidem dum apud Jordanem commoratur Jesus, accidit ut in oppidulo Bethania morbo decumberet quidam nomine Lazarus. Hæc erat patria simul & ejus qui morbo tenebatur, & duarum sororum Mariæ & Marthæ.

2 Porro Maria erat illa, quæ insigni amoris erga Jesum testimonio unxit * caput illius in convivio accumbentis pretioso unguento, ac pedes, lachrymis irrigatos, capillis extersit †. Unde cum hac familia singularis quædam amicitia intercedebat Domino Jesu.

3 Proinde quum Lazarus gravi morbo periclitaretur, sorores fretæ familiaritate, quæ fuerat ipsis cum Jesu, mittunt ad illum qui nuntient amici morbum, non dubitantes, quin pro sua mirifica in omnes humanitate, amico periclitanti succurreret: *Ecce*, inquiunt, *ille quem amas, agrotat*. Satis enim putabant nuntiasse amanti, proinde nihil apprecantur.

4 Quibus respondit Jesus: *Morbus iste non est capitalis, sed ideo permissus est accidere, ut* per ejus occasionem *illustretur gloria Dei*, & hujus virtute depulso malo, mutua gloria glorificetur Filius Dei.

5 *Amabat autem Jesus Martham ac Mariam, harumque fratrem Lazarum*, & tamen hunc Jesus passus est in morbum, atque etiam in mortem incidere, ne nobis indignum videretur, si quando boni veræque pietatis cultores, hujus mundi calamitatibus affliguntur, Deo veluti dissimulante, vel quia sic expedit ipsis qui patiuntur, vel quia sic conducit ad illustrandam Dei gloriam: non quod Deus humanis malis procuret suam gloriam, sed quod mala, quæ nobis juxta conditionis humanæ legem casu ve obveniunt, vel in nostram salutem, vel in suam gloriam, hominum causa vertere soleat. Non ignorabat morbum amici sui, etiam prius quam nuntiaretur, sed ad miraculi futuri magnitudinem discipulorum animos expediebat præparari.

1 *Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania, de castello Mariæ, & Marthæ sororis ejus.*

2 *(Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & exterfit pedes ejus capillis suis: cujus frater Lazarus infirmabatur.)*

3 *Miserunt ergo sorores ejus ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur.*

4 *Audiens autem Iesus dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.*

5 *Diligebat autem Iesus Martham, & sororem ejus Mariam, & Lazarum.*

6 Postquam igitur renuntiatum est Jesu de morbo amici, non statim profectus est, sed eodem in loco biduum adhuc est commoratus, haud quidem negligens amici periculum, sed exspectans copiosius argumentum edendi miraculi, quo simul ipse paulo post moriturus, discipulorum adhuc imbecillium animos ad spem resurrectionis erigeret.

7 Discipulis autem metu tacentibus, quod nuper elapsus è manibus Judæorum, in deserto tutior esse videretur, Jesus ait illis: *Eamus rursus in Judæam.*

8 Audito nomine Judææ, discipuli memores, quam esset atrox Pharisæorum in illum odium, & quoties sustulissent in illum lapides, quoties conati fuissent illi manus injicere, non solum Domino metuunt, verum etiam sibi. Nondum enim acceperant Spiritum Sanctum, & Jesum humano quodam affectu prosequebantur, ipsi quoque ob imbecillitatem à morte abhorrentes. Dehortantes igitur à repetenda Judæa, dicunt: *Domine, num excidit tibi, quod ante paucos dies illic Judæi te lapidaturi fuerant*, nisi te subduxisses? *Et rursus eo proficisceris*, manifesto periculo temet objiciens?

9 Jesus autem ænigmate formidinem illorum consolatus est, significans nihil esse metuendum iis, qui Christo adhærent, qui lux est mundi. Nox enim habet inanes formidines: dies nescit hujusmodi terrores: *Nonne dies*, inquit, *habet horas duodecim?* Non veniet nox ante tempus suum. *Interim quisquis ambulaverit in die, non impingit:* siquidem præstat hoc illi Sol conspectus, ut videat, vitetque offendicula.

10 *Ceterum quisquis*, sublato Sole, *ambulat in nocte, impingit, eo quod luce careat.* Ego sum lux mundi, meum ductum vos sequi par est, non præire luci. Nolite metuere ante tempus. Quamdiu vobis luceo, nihil est periculi. Veniet nox, quando à me semoti conturbabimini.

11 Hoc sermone Jesus, mitigata Apostolorum formidine, causam aperit profectionis: *Lazarus*, inquit, *amicus noster dormit: abeo igitur, ut à somno illum excitem.*

12 Discipuli metu perturbati, quum suspicarentur Jesum non de morte, sed de somno vulgari loqui, respondent: Domine, si dormit, non est cur eo te conferas: nam in ægrotis somnus esse solet redituræ sanitatis argumentum. Abhorrebant discipuli à repetenda Judæa, & idcirco profectionis causas, quantum possunt, resecant.

13 Jesus autem paulatim præparabat animos suorum ad miraculi futuri contemplationem. Nam primum ideo dormientem, quam mortuum maluerat dicere, ut juxta sacræ Scripturæ consuetudinem, ostenderet spem resurrectionis. Dormiunt enim verius, quam mortui sunt, qui revicturi quiescunt. Neque nostrum cuiquam tam facile est excitare dormientem, quam facile erat Domino ad vitam revocare mortuum.

14 Itaque discipulis non intelligentibus, quod de somno & expergefaciendo dixit, ut cognoscerent nihil rerum occultarum ipsum latere, apertius ait: *Lazarus mortuus est*, nec addidit, quod jam dictu magnificentius erat, de excitando. Nam id significatum esse maluit, quam explicatum: & præstare maluit, quam promittere, ubique nobis parans exemplum modestiæ.

6 *Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.*

7 *Deinde post hoc dixit discipulis suis: Eamus in Iudæam iterum.*

8 *Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?*

9 *Respondit Iesus: Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt:*

10 *Si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.*

11 *Hæc ait, & post hæc dixit eis: Lazarus amicus noster dormit: sed vado ut à somno excitem eum.*

12 *Dixerunt ergo discipuli ejus: Domine, si dormit, salvus erit.*

13 *Dixerat autem Iesus de morte ejus: illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret.*

14 *Tunc ergo Iesus dixit eis manifeste: Lazarus mortuus est:*

15 Quo-

* Altera Editio, *unxerat*. † Eadem, *exterserat*.

Digitized by Google

15 *Et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi: sed eamus ad eum.*

15 Quoniam autem responderat iis, qui morbum amici nuntiarant, non esse lethalem, sed in hoc accidisse, ut per eum illustraretur gloria Dei, ac Filii ipsius, simile quiddam indicat discipulis: *Gaudeo*, inquiens, *quod illic non adfuerim*, dum amicus ægrotat ac moritur: *idque vestra causa*, ut vestra fiducia, quam adhuc imbecillem video, confirmetur evidentiore miraculo. Etenim si me præsente convaluisset ægrotus, poterat casus videri, si recens defunctum, interpellantibus sororibus, excitassem: Pharisæi, qui nihil non calumniantur, causari poterant, stuporem fuisse, non mortem. Nam id accidit aliquoties in morbis nonnullis, ut corpora, multis horis consopita, reviviscant. Nunc quum mors sit certa, copiosius erit argumentum credulitatis. *Eamus igitur ad illum.* Non placebat discipulis profectio, propter metum Judæorum, qui penitus inhærebat animis illorum, & tamen itineris causam piam & gravem refellere non poterant. Quanquam autem Jesus non ignarus, quid perturbaret animos discipulorum, metum etiam illorum hoc argumento lenierat, quod diceret se Bethaniam ire, non Hierosolymam: tamen imbecilles terrebat etiam loci formidati vicinia.

16 *Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus & nos, & moriamur cum eo.*

16 Sollicitis igitur ac mœstis discipulis, nec audentibus tamen detrectare Domini jussum: *Thomas, qui* Græcis *dicitur Didymus*, Latine *Geminus*, cæteris imbecillior, *ait ad condiscipulos: Eamus & nos*, si ita certum est, *ut moriamur cum illo:* quandoquidem hæc illi sedet sententia, sese suosque in manifestum vitæ periculum adducere, cum liceat utrorumque incolumitati consulere.

17 *Venit itaque Jesus: & invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem.*

17 *Profectus est* igitur cum discipulis suis *Jesus in Bethaniam, ac reperit Lazarum, quatriduo jam sepultum.*

18 *(Erat autem Bethania juxta Jerosolymam quasi stadios quindecim.)*

18 *Aberat autem Bethania ab Hierosolymis stadiis plus minus quindecim.* Atque hinc discipulis illa formido, atque hinc etiam occasio, quæ fecit ut miraculum plures haberet testes ac spectatores.

19 *Multi autem ex Judæis venerant ad Martham & Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo.*

19 Siquidem ob loci viciniam *complures eo confluxerant ex* Hierosolymis, nimirum officii gratia, *ut Mariam & Martham consolarentur de fratris decessu.* Quod officii genus divitibus etiam honoris gratia præstari consuevit.

20 *Martha ergo ut audivit quia Jesus venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat.*

20 Martha, quæ sedulitate quadam obambulabat, *ubi resciisset* ex quopiam *adventare Jesum, prodiit obviam illi: Maria domi se continebat.*

21 *Dixit ergo Martha ad Jesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus:*

21 Martha igitur ubi venisset in conspectum Jesu, nonnulla bona spe de fratre ad vitam revocando concepta, flebili voce *dicit illi: Domine, nisi hinc abfuisses, frater meus non esset mortuus*, nam facile morbum dicto depulisses.

22 *Sed & nunc scio, quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.*

22 Quanquam ne nunc quidem res est omnino extra spem: *Scio enim, quod quicquid à Deo poposceris, nihil tibi sit negaturus*, etiam si mortuo sepultoque vitam poposceris. Hæc à Martha dicta sunt, nec desperante, nec prorsus tamen fidenti animo.

23 *Dicit illi Jesus: Resurget frater tuus.*

23 Jesus igitur ut illius fiduciam confirmaret, ait: *Bono animo esto, revivisset frater tuus.*

24 *Dicit ei Martha: Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.*

24 Nec hæc promissio satis erat animo Marthæ, quæ quod misere speraret fratrem revicturum, non potuit non timere. Verebatur autem, ne quemadmodum nuntiis respondens, morbum non esse capitalem, ambiguo responso fefellerat, ita nunc quoque lateret aliquid in illius dictis, quod spem ipsius eluderet: *Scio*, inquit, *quod revicturus sit frater meus, sed in novissimo die, cum resurgemus omnes.* Nam hanc resurrectionem futuram credebant plerique Judæi, præsertim qui factionis erant Pharisaicæ.

25 *Dixit ei Jesus: Ego sum resurrectio, & vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet;*

25 Jesus igitur quo mulieris de se fiduciam & opinionem paulatim ad majora provehat, seque declaret eum esse, qui non solum à Deo possit precibus impetrare vitam mortuo, quod & ab aliis sanctis viris factum legebatur, sed ipsum esse fontem simul & auctorem omnibus, vitæ & datæ, & reddendæ: nec ullam mortem metuendam iis, qui fiduciam & spem in ipso collocassent, propterea, quod etiamsi mors accideret, nihil posset lædere fonti omnis vitæ adhærentem. Marthæ respondit hunc in modum: Credis, Martha, quod precibus meis impetrare possim à Patre meo vitam mortuo fratri tuo? credis quod frater tuus revicturus sit cum cæteris in novissimo die? Verum, hoc quoque debes credere, qui resurgent in novissimo die, per me revicturos: nec quenquam omnino vivere, nisi dono meo: neque quenquam reviviscere, nisi per me: non solum juxta mortem corporis, quæ non magnopere formidanda est, sed juxta mortem animæ, quæ maxime metuenda est. Et anima quæ vivit, per me vivit: & quæ reviviscit, per me reviviscit. Ego enim sum ipse resurrectionis & vitæ fons.

26 *Et omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc?*

26 Qui mihi per fidem adhæserit, etiamsi corpore fuerit mortuus, tamen vivet. Nec hoc de fratre tuo tantum dictum accipe, sed quisquis omnino mortalium fiduciam habuerit in me, non morietur in æternum, etiamsi corpus ad tempus exanime conquiescat. Martha, credis-ne quod dico?

27 *Ait illi: Utique Domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.*

27 Martha jam tota intenta fratri revicturo, non admodum apte respondit ad sermonem Jesu, sed tamen in genere professa est, quam magnifice de illo sentiret: *Credo*, inquit, *Domine.* Ego credo *te esse Messiam illum Filium Dei vivi, qui* promissus à Prophetis, ac multis jam seculis exspectatus *veneris in mundum.*

28 *Et cum hæc dixisset, abiit, & vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te.*

28 His dictis, Martha jussa redire domum, ac Mariam sororem accersere, jam luctu sedato, jam alacris ac plena bonæ spei, relicto Jesu, domum properat, ac sororem è turba circumsedentium clam sevocat, eique clanculum rem lætam insusurrat in aurem: *Magister*, inquiens, *adest, & accersit te.*

29 *Illa ut audivit, surgit cito, & venit ad eum:*

29 Illa simul atque cognovit advenire Jesum, & sororem videret alacriorem, concepit & ipsa nonnihil bonæ spei: tametsi jam sero videretur venire Jesus, quem ideo non interpellarant per nuntium sæpius, quod satis esse judicarent, si periculum amici nosset, cætera illius arbitrio permittentes. Maria itaque non temere esse rata quod adveniret, absque mora surrexit, occursura priusquam ingrederetur domum. Sic enim expediebat ad miraculi prodendi dispensationem.

30 *Nondum enim venerat Jesus in castellum: sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha.*

31 *Judæi ergo, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cum vidissent Mariam quia cito surrexit & exiit, secuti sunt eam dicentes: Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi?*

30, 31 Expediebat enim adesse multos Pharisæos, qui quanquam officii gratia visissent Mariam ob privatam amicitiam, tamen oderant Jesum. Hi videlicet non comitati fuissent Mariam, si cognovissent illam obviam ire Jesu. Itaque Judæi, qui Mariæ aderant in ædibus consolantes eam, quum vidissent quod tanta cum celeritate surrexisset, & exiret domum, comitati sunt illam euntem, suspicantes quod erumpente vi doloris, iret ad monumentum, atque ibi lachrymis satiaret animi mœrorem. Maria itaque progressa, reperit Jesum nondum ingressum oppidi mœnia, sed eo in loco commorantem, ubi dudum occurrerat illi Martha. Illic enim Mariam, quam accersi jusserat, operiebatur, locum deligens edendo miraculo idoneum, quod illinc haud procul abesset monumentum, sicuti tum mos erat, juxta vias publicas defunctorum monumenta ponere.

32 *Maria ergo, cum venisset ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, & dicit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.*

32 Huc ubi venisset Maria, simul atque Jesum conspicata est, ut erat luctus plena, accidens ad pedes Jesu, lachrymabili voce dixit idem quod dixerat soror: *Domine, si* in tempore *hic adfuisses, frater meus non fuisset mortuus*, & hoc miserabili luctu careremus.

33 *Jesus ergo, ut vidit eam plorantem, & Judæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, & turbavit seipsum.*

33 Jesus autem videns Mariam totam in luctu esse, Judæos item, qui illam comitabantur, una flentes, non philosophatur cum ea, quemadmodum fecerat cum sorore Martha, cui semota turba fuerat colloquutus: neque quicquam pollicetur, quum jam locus ac tempus adesset re præstandi quod erat Marthæ

Digitized by Google

thæ pollicitus, primum *infremuit ſpiritu, ac ſemetipſum turbavit*, videlicet humanæ naturæ veritatem præ ſe ferens, mox divinæ virtutis indicium prolaturus. Non erant affectus fucati, quod animo inhorruit, quod turbatus eſt: ſed hoc intererat, quod hos affectus in ſeſe recepit, non ex infirmitate naturæ, ſed ex rationis arbitrio: nec eadem erat cæterorum flentium, ac Jeſu turbati ratio. Illi humano quodam affectu mortem corporis deplorabant: Jeſus magis indignabatur peccatis hominum, per quæ tam multæ perirent animæ: turbabatur ob invincibilem Judæorum incredulitatem, qui corporis mortem flebant in amico, quum ipſi ſecundum animam æternæ morti eſſent obnoxii, nec deplorarent ſeipſos. Ab hac morte cupiebat Jeſus omnes homines reviviſcere, & indignabatur in multis perituram doctrinam, miracula, & mortem ſuam.

34 *Et dixit: Ubi poſuiſtis eum? Dicunt ei: Domine, veni, & vide.*

34 Poſtquam igitur horrore ſpiritus & animi turbatione, vultu, oculis, totoque corporis habitu manifeſtum ſpecimen dediſſet humanæ naturæ, ſimul interim docens, non oportere hujuſmodi affectibus ſuccumbere, aut ab his, quæ virtutis ſunt, avocari, cohibita animi turbatione, dixit: *Ubi poſuiſtis eum?* non quod ignoraret, ſed ut à miraculo ſecluderet omnem ſuſpicionem fuci. Reſpondent cognati: *Domine, veni & vide.*

35 *Et lacrymatus eſt Jeſus.*

35 Ea vox arguebat monumentum non procul abeſſe, jamque velut ad ſepulchrum commonſtratum, renovato dolore lachrymatus eſt Jeſus. Fremitus ac turbatio præceſſerat, indicium doloris in animum irrumpentis. Lachrymæ jam animi vulnerati victique veluti ſanguis eſt: ſed hæ lachrymæ non ab animo victo proficiſcuntur. Non enim Lazaro mortuo impendebantur, ſed nobis, ut illum crederemus verum hominem fuiſſe: ſimulque diſceremus, quam miſeranda, quam deploranda ſit mors animæ, quam tamen homines perinde nec horrent, nec deplorant.

36 *Dixerunt ergo Judæi: Ecce quomodo amabat eum.*

36 Judæi vero credentes Jeſum non ob aliud ſic affici, quam ob mortem amici, qui cum habuerat conſuetudinem: Ecce, inquiunt, quam unice dilexit Lazarum, quem ſic flet mortuum, quum illi tamen ſanguine junctus non ſit.

37 *Quidam autem ex ipſis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur?*

37 Erant autem qui hoc quoque verterent in calumniam, quod lachrymis teſtaretur amorem non vulgarem erga Lazarum, dicentes: Nonne hic nuper aperuit oculos cæci mendici, qui cum nihil erat illi familiaritatis? Cur igitur non effecit, ne tantus amicus moreretur? Si noluit, cur nunc lachrymis teſtatur intempeſtivum amorem? Si non potuit id quod facilius eſt, quomodo præſtitit id quod eſt difficilius? Ægrotum ſæpenumero Medicus in vita retinet: cæco nato nullus unquam aperuit oculos.

38 *Ieſus ergo rurſum fremens in ſemetipſo, venit ad monumentum: erat autem ſpelunca: & lapis ſuperpoſitus erat ei.*

38 Jeſus autem jam vicinus monumento, quo plane doceret horrendum eſſe ſtatum hominis, jam in peccatis inveterati, quantaque pœnitudine, quot lachrymis ſit opus, ut per Dei miſericordiam reſipiſcat ad vitam innocentiæ, rurſus infremuit, ac ſemetipſum turbavit: in ſe videlicet exprimens imaginem rei, quam in nobis oportet exhibere, ſi velimus à malis, quibus diu aſſuevimus, reſipiſcere. Jam itaque ventum eſt ad monumentum. Erat autem ſpelunca, cujus os ſaxo impoſito erat occluſum, & hoc ad miraculi fidem, ac præſtigii ſuſpicionem excludendam faciebat.

39 *Ait Ieſus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha, ſoror ejus qui mortuus fuerat: Domine, jam fœtet, quatriduanus eſt enim.*

39 Quæ quo certior etiam redderetur, ſi res non ipſius aut diſcipulorum, ſed cognatorum manibus perageretur, in quos non cadebat ulla præſtigii ſuſpicio, Jeſus ad cognatos converſus: *Tollite*, inquit, *lapidem*. Augebat miraculi certitudinem, & Marthæ ſororis defuncti ſimplicitas. Jam enim oblita quid illi pollicitus eſſet Jeſus, ex lachrymis ac mœrore Jeſu redierat in priſtinum affectum, ac pene diffidentiam quandam imbiberat. Verebatur autem, ne ſublato lapide, fœtor cadaveris offenderet nares circumſtantium: non animadvertens, quod qui in reſurrectione ſuſcitaturus ſit omnium corpora, jam tot ſeculis in cinerem redacta, poſſet & recens putrefactum cadaver excitare: *Domine*, inquit, *jam fœtet. Hic enim eſt quartus dies, quod mortuus eſt.*

40 *Dixit ei Ieſus: Nonne dixi tibi, quoniam ſi credideris, videbis gloriam Dei?*

40 Jeſus ergo mulieris vacillantis fidem objurgatiuncula ſuſcitat: An excidit, inquiens, quod tibi modo dixi: Si credideris, futurum ut per fratris tui mortem illuſtraretur gloria Dei?

41 *Tulerunt ergo lapidem: Ieſus autem elevatis ſurſum oculis, dixit: Pater gratias ago tibi quoniam audiſti me.*

41 Cunctis igitur ad novæ rei miraculum ſuſpenſis, juſſu Domini Jeſu ſubmotus eſt lapis. Moxque ſuſpenſis omnium animis atque oculis, Dominus Jeſus ſuſpiciens in cœlum, ut nos doceret, quicquid magnificum geritur à nobis ad Deum auctorem oportere referri, ſimulque declararet circumſtantibus, ſe divina virtute facere, quicquid faceret, dixit: Pater, ago tibi gratias, quod audieris votum meum: non quod hoc mihi novum ſit, aut temporarium.

42 *Ego autem ſciebam quia ſemper me audis, ſed propter populum, qui circumſtat, dixi: ut credant quia tu me miſiſti.*

42 Novi enim quod quum eadem ſit voluntas tua meaque, nunquam non audis, ſi quid abs te peto. Nec enim ego quicquam volo, quod tu nolis, ſed ob turbam circumſtantem hac utor oratione, ut conſpecto miraculo, credant me ex tua voluntate facere, quicquid in terris facio: quodque ſum abs te miſſus in mundum, ut illuſtrem apud homines gloriam tui nominis.

43 *Hæc cum dixiſſet, voce magna clamavit: Lazare veni foras.*

43 Hæc eloquutus Patri, magna voce nominatim inclamans, mortuum evocat: *Lazare, prodi foras.* Poterat & ſolo nutu perficere, ut revixiſſet ac prodiſſet ſepultus: ſed magna vox, magnæ virtutis indicium eſt, qua peccatrix anima, quæ procul abeſt à conſpectu Dei, ſepulta in tenebris criminum, & putrefacta flagitiorum inquinamentis, reviviſcat, & in lucem veritatis prodeat.

44 *Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata. Dixit eis Ieſus: Solvite eum, & ſinite abire.*

44 Nec mora, ſtatim ad vocem inclamantis prodiit ſub omnium oculos, qui fuerat mortuus ac ſepultus. Prodiit autem corpore quidem ſano, ſed cum toto ornatu ſepulchrali: quo magis agnoſcerent omnes, hunc ipſum eſſe, quem ante triduum ipſi tali cultu ſepelierant. Erant enim juxta funerum conſuetudinem pedes illi vincti inſtitis, & manus ſepulchralibus vinculis colligatæ, tum facies erat obvincta ſudario. Jam hoc ipſum mirum, non paulatim palpitaſſe defunctum, & vitæ redeuntis præbuiſſe ſpecimen, quemadmodum fere ſolet accidere in aliis, quos à ſanctis viris excitatos legimus: ſed ſubito ad vocis juſſum revixit quatriduo mortuus, & quod acceſſit miraculo, vinctus & obligatus repente prodit ex altiſſimis ſpeluncæ latebris. Tum Jeſus, ne quid deeſſet ad pleniſſimam miraculi fidem, ait amicis: *Solvite illum & ſinite abire*, ut motus & alacer inceſſus oſtenderet hominem etiam valere, non ſolum vivere. Poterat efficere Jeſus, ut vincula ſuapte ſponte ſolverentur. Sed dum omnia ſuo miniſterio peragunt, omnibus argumentis & fuci ſuſpicionem excludunt, & miraculi certitudinem confirmant. Sorores per alios morbum fratris abſenti Jeſu renunciant. Abſente Jeſu mortuus eſt, ſepultus eſt, ſervatus eſt uſque ad fœtorem. Solenni multorum frequentia fletur. Sorores ipſæ mortem renuntiant: comite turba commonſtratur ſepulchrum: alienis manibus ſubmovetur ſaxum: alienis manibus ſolvitur, qui prodierat. Hîc nihil relictum eſt incredulis, quod poſſent cauſari. Nec Jeſus, tam inſigni miraculo edito, verbum ullum de ſe magnificum proloquitur. Non exprobrat turbæ, quod frequenter miracula ſua ſoleant calumniari: non exigit gratiam à Lazaro, aut ſororibus.

45 *Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit Ieſus, crediderunt in eum.*

45 Proinde multi, qui venerant officii gratia ad Martham ac Mariam Lazari ſorores, conſpecto tam inſigni prodigio, crediderunt illum eſſe Meſſiam, adhærentes illius doctrinæ, cujus tam efficacem virtutem coram ſpectaverant.

46 *Quidam autem ex ipſis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis quæ fecit Ieſus.*

46 Nonnulli vero reverſi Hieroſolymam, referunt Phariſæis, quæ Jeſus feciſſet juxta Bethaniam.

47 Hoc

Digitized by Google

47 Collegerunt ergo Pontifices & Phariſæi concilium, & dicebant: Quid faciemus, quia hic homo multa ſigna facit?

47 Hoc igitur facinore tam inſigniter prodigioſo audito, Pontifices & Phariſæi, qui pro divinæ virtutis tam evidenti declaratione Jeſum colere debuerant, & Deo gratulari, invidiæ ſtimulis acti, jam ſibi non temperant ampliùs, ſed impio concilio convocato, quo res legitimis modis peragi videretur, conſultant inter ſeſe, qua ratione tantis periculis poſſit occurri. Quum enim privati commodi reſpectus, & animi morbus eos in rabiem ageret adverſus Jeſum in omnes beneficum, tamen videri volunt hoc negotium ad totius incolumitatem populi pertinere: Quid ſuadetis faciendum, inquiunt? Hic homo multa facit admiranda, & edendis miraculis quotidie ſeipſum vincit.

48 Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem.

48 Si patimur eum pergere qua cœpit, futurum eſt, ut quemadmodum nunc multi è populo magnifice de illo ſentiunt, ita mox omnes ſint illum habituri pro Meſſia. Quod ſi factum fuerit, & hujus rei rumor ad Romanos pervenerit, Judaicam gentem, deſerto Cæſare, deſciviſſe ad novum Regem ſuum, qui non ignorant ab ipſis jam olim exſpectari Regem quendam ſuæ gentis liberatorem, ſævient armis in nos, & ſimul locum hunc ſanctum profanæ gentes occupabunt, & totum Judaicum genus internecione delebunt.

49 Unus autem ex ipſis Caiphas nomine, cum eſſet Pontifex anni illius, dixit eis: Vos neſcitis quidquam.

49 Hæc conſultatio quum eo tenderet, ut prætextu publicæ ſalutis occideretur omnis ſalutis auctor Jeſus Chriſtus, tamen Caiphæ viſa eſt ſegnior ac dilutior. Is erat Pontifex illius anni. Jam enim ea dignitas, veluti mox in totum deſitura, perpetua eſſe deſtiterat: ſed in ſingulos annos à Principibus redimebatur venale Sacerdotium. Is igitur, qui ſe religionis antiſtitem profitebatur, cæteris omnibus magis impius, increpat illorum ignaviam, qui lentis conſiliis adhuc deliberabant, an Jeſus eſſet occidendus, quum id, omnibus rebus omiſſis, quam primum eſſet agendum:

50 Nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.

50 Vos, inquit, qui ſedetis conſultantes, an occidendus ſit iſte, qui talia facit, nequaquam videmini rem, ut habet, perpendere, nec cogitatis hoc omnium intereſſe, ut hic unus moriatur pro populo, potius quam hoc incolumi tota gens pereat.

51 Hoc autem à ſemetipſo non dixit: ſed cum eſſet Pontifex anni illius, prophetavit, quod Jeſu moriturus erat pro gente,

51 Hæc oratio non proficiſcebatur ex animo Pontificis, qui ſceleratus erat, & parricidii plenus, ſed ob Sacerdotii munus, quod gerebat, prophetiæ ſpiritus per os impii pium vaticinium prodidit, futurum ut Jeſus ſua morte redemturus eſſet ſalutem gentis Judaicæ:

52 Et non tantum pro gente, ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum.

52 Nec hoc ſolum effecturus, ut qui ex Judæis credidiſſent, ipſi ſalutem conſequerentur, verum etiam ut qui inter gentes erant diverſis regionibus toto terrarum orbe vitam agentes, ſed in hoc deſtinati, ut aliquando per Euangelicam fidem fierent filii Dei, congregarentur in unum, & in communis Eccleſiæ ſocietatem coiret Indus, Æthiops, Græcus, Scytha, Britannus.

53 Ab illa ergo die cogitaverunt ut interficerent eum.

53 Hac igitur ſceleroſi Pontificis voce confirmati Phariſæi, quod prius per occaſionem ſæpe tentaverant, nunc certo animi decreto ſtatuunt Jeſum quovis pacto de medio tollere, veluti Reipublicæ conſulentes incolumitati: ac ne parum eſſet impium facinus, pietatis fuco prætexunt, jam cauſam ſe nactos rati, quæ populum etiam univerſum permovere poſſet ad palam ac legitime necandum Jeſum, ceu toti genti Judaicæ pernicioſum; nec opus eſſet ullo crimine, quod in illum intenderetur, nec ulla nova occaſione.

54 Jeſus ergo jam non palam ambulabat apud Iudæos, ſed abiit in regionem juxta deſertum, in civitatem quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum diſcipulis ſuis.

54 Jeſus igitur, quem nihil fugiebat, etiamſi Phariſæorum ac Sacerdotum deſtinatam malitiam populi rumor ad eum non pertuliſſet, hominem agens, quamdiu verſabatur in Judæa, à publico abſtinebat, ne furorem adderet furori. Sed longius ſubduxit ſeſe à vicinia urbis Hieroſolymæ Prophetarum interfectricis, & conceſſit in civitatem Ephraim, cui vicinum erat deſertum, ipſo facto deſignans, Judæis impiis ſuam Synagogam eſſe relinquendam: ac novum populum, qui non infrugiferis operibus Moſaicæ Legis, ſed Euangelica fide niteretur, in Eccleſiam eſſe colligendum: quique juxta vocis Hebrææ præſagium, ex minimis initiis creſceret in immenſum: Ephraim enim Hebræis *creſcentem* ſonat. Hîc igitur commoratus eſt Jeſus, cum paucis diſcipulis ſuis, qui tametſi miſere ſibi quoque metuerent, tamen non auſi ſunt deſerere Dominum.

55 Proximum autem erat Paſcha Iudæorum: & aſcenderunt multi Ieroſolymam de regione ante Paſcha, ut ſanctificarent ſeipſos.

55 Jam autem aderat & tempus à Patre præfinitum, quo Chriſtus pro ſalute generis humani victima immolaretur. Inſtabat enim dies ille Judæis religioſiſſimus, quem illi *phaſe*, hoc eſt, *tranſitum*, vocant: ipſo nomine, facti memoriam illis renovante, quod olim ſanguis agni poſtibus illiti ſervarit Hebræos à gladio Angeli perimentis Ægyptios, ac eas tantum domos tranſeuntis, quæ ſanguine agni notatos haberent poſtes. Jam itaque ſub feſtum, quod proxime inſtabat, multi è diverſis Palæſtinæ regionibus ſeſe conferebant Hieroſolymam, ut illic legitimis ritibus ſanctiſſimum diem puri celebrarent.

56 Quærebant ergo Ieſum: & colloquebantur ad invicem, in templo ſtantes: Quid putatis, quia non venit ad diem feſtum? Dederant autem Pontifices & Phariſæi mandatum, ut ſi quis cognoverit ubi ſit, indicet, ut apprehendant eum.

56 Atque ut intelligamus Judaica religione, quæ rebus viſibilibus conſtat, nihil eſſe magis irreligioſum, dum magna ſuperſtitione cavent, ne quid prætereant, quod à Moſe præſcriptum erat, ſive quod à Phariſæis erat additum: in omnium ſanctiſſimo die non abhorrent ab eo, quod eſt omnium impiiſſimum, nimirum ab effundendo ſanguine hominis innoxii. Quum igitur adeſſet frequens multitudo, & pleriſque jam notus eſſet Jeſus, qui ſolitus erat hujuſmodi feſtis intereſſe, demirabantur, quod tum non adeſſet: & in Templo ſtantes inter ſe colloquebantur, quidnam eſſet cauſæ, quod præter morem Jeſus abeſſet à tanta ſolennitate. Cui tamen non erat defuturus, ſed quo veniret exſpectatior, diſtulit uſque ad tempus ſuum. Porro Pontifices & Phariſæi ſuſpicantes illum alicubi latere metu, dederant negotium, atque etiam cum auctoritate mandaverant, ut ſi quis noſſet ubi lateret Jeſus, indicaret ipſis, ut poſſet capi. His ſanctis ritibus Pontifices & Phariſæi, religionis duces ac Legis magiſtri, præparabant ſeſe diei feſto, ſed interim inſcientes ſalutem totius orbis procurabant.

Cap. XII.

Murmur de nardo: cave Lazare: vox ruit altè: Aut non credunt, aut credere diſſimulant.

1 Ieſus ergo ante ſex dies Paſchæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem ſuſcitavit Ieſus.

1 JESVS * igitur, ſciens illos certum conſilium cepiſſe de ſe occidendo, & jam inſtare tempus, quo volens decreverat immolari agnus immaculatus pro ſalute mundi, noluit latere diutius, ſed velut occurrens ad victimam, ſeptimo ante Paſchæ feſtum die, quo Judæi ſoliti ſunt ſplendidiore cœna agnum paſchalem ceu prælibare, reverſus eſt in Bethaniam, ſimul ut recentis miraculi memoriam renovaret, & reſurrectionis ſpem diſcipulorum animis imprimeret, quos ſciebat ſua morte vehementer eſſe perturbandos. Illic enim habitabat Lazarus, quem ante paucos dies revocarat in vitam. Et locus ob Hieroſolymam vicinam celebrior erat.

2 Fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha miniſtrabat, Lazarus vero unus erat ex diſcumbentibus cum eo.

2 Illic igitur parata eſt Jeſu cœna. Cœnanti Martha miniſtrabat. Lazarus autem unus erat de numero accumbentium in eo convivio, quo certius eſſet omnibus, non fuiſſe phantaſma, quod pridem viſus eſſet è ſepulchro domum abire, quum multis jam diebus vixiſſet à morte, quumque cum cæteris ſermonem miſceret, ac cibum etiam caperet.

3 Maria ergo accepit

3 Ibi Maria, quæ ſingulari quodam amore flagra-

* Vide Theophylactum.

Digitized by Google

libram unguenti nardi pistici, pretiosi, & unxit pedes Iesu, & extersit pedes ejus capillis suis: & domus impleta est ex odore unguenti.

bat in Dominum Jesum, tum ob alia multa, tum ob recens in fratrem beneficium, accessit ad convivium, ac magnam vim unguenti cum primis pretiosi, quod ex nardo generosiore confectum erat, ad libræ mensuram effudit in caput Jesu discumbentis, adeo ut unguenti fragrantia totam impleret domum. Nec hoc erat contenta mulieris inaudita caritas, unxit unguento ac lachrymis rigavit pedes illius, & capillis suis extersit. Non quod crederet Jesum hujuscemodi delitiis capi, cujus frugalitatem noverat, sed amor impotens suo indulgebat animo, nesciens quidem quid ageret: sed tamen hoc officio Jesu mortem ac sepulturam prænuntians, & Ecclesiæ typum gerens, quæ spretum à Synagoga Dominum, divinis honoribus amplecteretur.

4 Dixit ergo unus ex discipulis ejus, Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus:

4 Movit hujus unguenti jactura discipulorum animos, sed præcipue Judæ Iscariotæ: cui cum ut omnium deterrimo fuissent crediti loculi, ut vir pessimus rei pessimæ dispensator esset, solitus est juxta morem eorum, qui pecuniam tractant communem, inde sibi furtim subtrahere nonnihil: non sincera mente pendens à magisterio Jesu, sed jam tum sibi peculium prospiciens, quo viveret ab illius consortio semotus.

5 Quare hoc unguentum non venit trecentis denariis, & datum est egenis?

5 Is igitur obmurmurans Mariæ dixit: Quorsum attinebat rei tam pretiosæ facere jacturam? Neque enim Dominus capitur hujusmodi delitiis, neque nostro convivio convenit hæc magnificentia. Quod si decretum erat fœminæ largiri rem tam caram, poterat donata vendi, & pretium dari pauperibus. Hoc nimirum sanctius erat, ac Magistro nobisque dignius.

6 Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat.

6 Hæc quum simpliciter dicerent & Apostoli cæteri, tamen Judæ quum similis esset oratio, longe dissimilis tamen mens erat: nihil enim illi curæ erat pauperum negotium; sed loculos habebat, & id quod spontanea benignitas amicorum misisset, mala fide servabat: atque hinc nonnihil suffurabatur, jam tum specimen de se præbens, quam non sit idoneus Euangelicæ doctrinæ dispensationi, cujus animum obsidet pecuniæ cupiditas.

7 Dixit ergo Iesus: Sinite illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud.

7 Jesus autem ita compescuit murmur discipulorum, ut tamen Judæ malitiam non proderet, & sic patrocinatus est Mariæ, ut significaret se suapte sponte moriturum. Id enim maxime persuasum esse voluit omnibus Dominus Jesus, se non ex humana violentia, sed suo ipsius consilio mortem pro salute hominum obisse, quomodo voluit, & quando voluit: Nolite, inquit, hujus mulieris officio obmurmurare. Non perit hæc impensa, sed sepulturæ meæ tribuitur hoc honoris, quem ista nunc prævenit, quoniam tum non erit ungendi facultas. Bene sentitis de me, quod vivus hujusmodi delitias semper respui, mortem tamen meam ac sepulturam honorificam esse volo. Nolite hoc honoris invidere mihi, quod mox abituro impenditur.

8 Pauperes enim semper habetis vobiscum: me autem non semper habetis.

8 Vulgarium istorum pauperum semper erit vobis parata copia, quorum inopiæ possitis subvenire, mei brevis erit copia.

9 Cognovit ergo turba multa ex Iudæis quia illic est: & venerunt, non propter Iesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit à mortuis.

9 Quoniam autem Bethania propter viciniam ab Hierosolymitis frequentabatur, & Lazarus ob nobilitatem ac divitias multis cognitus, propter recentis miraculi famam multis erat notior, non latuit Jesum esse in Bethania: moxque complures ex urbe eo confluebant, partim ut Jesum viderent, cujus famam majorem in modum auxerat tam insigne miraculum: partim ut ipsum etiam Lazarum conspicerent, quem audierant excitatum è mortuis. Suadebat hoc insita mortalium ingeniis curiositas.

10 Cogitaverunt autem principes sacerdotum ut & Lazarum interficerent.

10 Porro Sacerdotum ac Pharisæorum animos sic excæcaverat livor & odium in Jesum, ut jam illorum malitiæ non satis esset occidere Jesum, sed de Lazaro quoque tollendo cogitarent, in quem ne speciem quidem ullam criminis intentare poterant. Cæcum, quia fortiter patrocinatus fuerat apud ipsos gloriæ Jesu, ejecerant è Synagoga: nunc eo malitiæ creverat illorum invidia, ut Lazarum, virum nobilem ac potentem, à quo nullo facto dictove fuerant unquam provocati, & in quem ne fingere quidem quicquam poterant, voluerint occidere:

11 Quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum.

11 Non ob aliud, nisi quod multi Judæi commoti tam evidenti miraculo descisserent à conspiratione Pharisæorum, & crederent Jesu.

12 In crastinum autem, turba multa, quæ venerat ad diem festum, cum audisset quia venit Iesus Hierosolymam:

13 Acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei, & clamabant: Hosanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel.

12, 13 Postero vero die quum ingens hominum turba, quæ festi diei gratia Hierosolymam convenerat, resciisset Jesum, relicta Bethania, advenire Hierosolymam, honoris gratia obviam illi prodierunt, decisis ab arboribus palmarum ramis, quibus incedenti viam insternerent. Nam hæc arbor victorum erat corona ac triumphalis, perpetuo virens, procera, & adscensu difficilis, sed fructu suavissimo, genuina quadam naturæ vi insurgens adversus onus impositum. Acclamatum est autem, quemadmodum populus solet publicum testari gaudium, illud quod est in Psalmis: *Osanna, sit laus & honor illi, qui* nobis exspectatus *venit in nomine Domini.*

14 Et invenit Iesus asellum, & sedit super eum, sicut scriptum est:

14 Jesus quoque semper antehac humilis, & omnis mundanæ gloriæ contemtor, tum nova pompa voluit venire Hierosolymam. Nactus enim asinum, insidebat illi, quum solitus esset antehac pedibus iter conficere: partim ut suos doceret, quam esset inanis hujus mundi gloria: partim ut Esaiæ de se vaticinium confirmaret. Scriptum est enim:

15 Noli timere filia Sion: ecce rex tuus venit tibi mansuetus, insidens pullo asinæ.

15 *Nolis timere, filia Sion, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, insidens pullo asinæ.* Talis nimirum pompa decet Regem Hierosolymæ spiritualis, quæ est Ecclesia.

16 Hæc non cognoverunt discipuli ejus primum: sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt, quia hæc erant scripta de eo, & hæc fecerunt ei.

16 Hæc tum quidem Apostoli non intellexerunt, opinantes hæc agi fortuito: sed postquam morte, resurrectione, missoque Spiritu Sancto, glorificatus est Jesus, tum rem gestam cum Prophetæ dictis conferentes, animadverterunt hoc de illo scriptum fuisse, quod acclamatum est à turba, quodque ipse sic adveniens gessit. Erant enim plerique, qui talem exspectarent Regem, quales habet hic mundus. Horum exspectationem Christus irrisam esse voluit, demonstrans regnum Euangelicum mansuetudine cœlestique doctrina constare, non præsidiis hujus mundi.

17 Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo quando Lazarum vocavit de monumento, & suscitavit eum à mortuis.

17 Hoc tam insigne populi studium excitarant multi, qui pridem adfuerant juxta Bethaniam, quum Dominus Jesus excitaret Lazarum è monumento: & quod oculis suis conspexerant, cæteris narrarant.

18 Propterea & obviam venit ei turba: quia audierunt eum fecisse hoc signum.

18 Et hinc tam frequens hominum multitudo prodierat obviam Jesu, quod ex his, qui viderant, cognovissent hoc insigne miraculum ab illo proditum, quale non erat auditum ab orbe condito. Id quia palam divinam quandam virtutem præ se ferebat, honos quoque exhibitus, qualis nulli Prophetarum fuit exhibitus.

19 Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos: Videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abiit.

19 Ea res Sacerdotum ac Pharisæorum animos propemodum in desperationem adegit: nec tamen ab impio cœpto resipiscunt, sed inter se commurmurant, dicentes: Videtis quod omnibus machinamentis adversus illum nihil proficimus, sed quo magis obsistimus, hoc magis & illius auctoritas inclarescit, & populi studium accenditur. Antea paucos habebat discipulos, ecce nunc totus mundus defecit à nobis ad illum, ut nobis jam nec satis tutum sit, palam illi manus injicere. Hæc ideo dicebant impii Pharisæi, quo se mutuo cohortarentur, ad majoribus præsidiis dolisque adoriendum Dominum Jesum: unde non prius peregerunt hoc facinus, nisi magno Pharisæorum, Scribarum, Sacerdotum, ac Seniorum consensu, plebe quoque, ut est animi mobilis, iisdem accensa furiis, adjuncta & Pilati Præsidis auctoritate: nec sine dolo tamen, per Judam proditorem addito.

20 Erant autem qui-

20 Tantus autem id temporis erat populi favor erga

dam Gentiles, ex his qui ascenderant ut adorarent in die festo.

ga Jesum, ut Ethnici quoque, qui religionis gratia venerant Hierosolymam, ut illic adorarent, videndi Jesu desiderio tenerentur. Tanta enim erat ejus Templi veneratio, ut è longinquis etiam regionibus eo religionis gratia multi proficiscerentur. Jam tum autem imago quædam futuri præbebatur, quod ad Ecclesiam, cujus typum illud Templum Hierosolymitanum gerebat, gentes antea idololatræ concurrerent, & Jesum, à Pharisæis rejectum, debita religione complecterentur.

21 Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galilæa, & rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Jesum videre.

21 Hos igitur quum ingens haberet desiderium videndi Jesum, de quo tam admiranda audierant, (pudor autem obstabat, quo minus illum adirent: cupiebant enim illum non solum obiter in turba videre, sed cominus etiam salutare, & loquentem audire) adeunt Philippum, cui ob patriæ viciniam (nam erat natus in civitate Bethsaida, quæ est Galilææ gentium) erant noti, ut is sibi aditum aperiret ad Jesum. Significabant enim se illius videndi magna cupiditate teneri.

22 Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rursum & Philippus dixerunt Jesu.

22 Philippus rem Andreæ communicat ejusdem civitatis collegæ: nam is majoris erat apud Dominum auctoritatis, quod primus omnium esset vocatus, Ambo igitur adeuntes Jesum, exponunt illi quosdam esse, non Judæos, sed Ethnicos, qui tamen illius videndi desiderio flagrarent, si dignaretur eos admittere.

23 Jesus autem respondit eis, dicens: Venit hora, ut clarificetur Filius hominis.

23 Jesus autem ubi cognovit ex discipulis, Ethnicos quoque sui videndi desiderio teneri, quum tam impie sperneretur à Pharisæis ac Sacerdotibus, hac occasione cœpit discipulis suis aperire mortem suam, & quantum illa fructus esset allatura, non solum Judaicæ genti, sed universo mundo: quod quemadmodum unius Lazari suscitati miraculum, non solum Judæorum plurimos, verum etiam Ethnicos ad amorem sui attraxerat, ita mors ipsius & resurrectio, omnes totius orbis nationes esset attractura. Discipulis igitur exponentibus Ethnicorum pium affectum, respondit Jesus: Audistis Judæos acclamantes: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Videtis Gentes simili cupiditate accurrere: quoniam nunc instat tempus, ut quum Pharisæi credent Filium hominis prorsus exstinctum esse, tum maxime glorificetur apud universas orbis nationes. Novum gloriæ genus est, & nova ratione parandum est. Vivus paucos attraxi, mortui latius diffundetur fama, plures attractura, quam attraxerit corporis præsentia.

24 Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, 25 ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

24, 25 Vos abhorretis à mentione mortis: tamen illud pro certissimo habete, nisi granum frumenti projiciatur in terram, atque ibi sepultum putrescat, mortuumque fuerit, nihil ex sese fructus prodit, sed unicum ac solum manet incolume. Quod si mortuum fuerit, ac sepultum in terra, emergit rursum cum copioso fœnore, pro uno grano centum reddens: jamque læta seges late campos occupat, & ubere proventu regionem ditat. Magis id expetendum, quod pluribus utile est: & multorum salus, paucorum morte redimenda. Sic vitam impendere, non interitus est, sed lucrum: & hoc est vitam non amittere, sed servare. Non enim perit anima, quæ discedit à corpore: nec in totum perit corpus, olim felicius & immortale revicturum. Quisquis igitur amat hanc vitam in hoc mundo, dum male servat, perdit. Contra, quisquis odit vitam suam in hoc mundo, proque Euangelii proventu objicit eam periculis ac mortibus, is non amittit vitam quam impendit, sed servat eam, pro mortali, brevique, ac misera vita, perennem ac felicem vitam recepturus in resurrectione. Sic qui servat granum tritici, perdit, & alioqui periturum: qui vero defodit in terram, is demum bene servavit, paulo post cum lucro recepturus, quod perdidisse videbatur.

26 Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.

26 Non est igitur quod vos perturbet mors mea, quæ quondam erit etiam imitanda, quo sitis & gloriæ, & immortalitatis consortes, qui mortis imitatores fueritis. Ego velut auctor Euangelici negotii, vitam meam volens impendam pro salute mundi, proque Patris mei gloria. Vos eritis ejusdem negotii ministri, vestra prædicatione per universum orbem spargentes, quæ feci, quæque docui. Quod mihi nunc machinantur Pontifices & Pharisæi, hoc vobis molientur impii, qui mundum hunc magis diligunt, quam Deum: qui dum vitam hanc stulte servant, perdunt vitam æternam, & in mortem æternam sese præcipitant. Si quis se profitetur discipulum meum, si quis ministrum, me magistrum ac Dominum sequatur oportet. Par est enim ministrum à Domino non divelli, nec in lætis, nec in tristibus. Quos habuero consortes ac socios afflictionum, eos non sejungam à consortio felicitatis: sed ubicunque ego fuero, illic erit & minister meus. Me, quamlibet à mundo rejectum, tamen Pater evehet ad gloriam. Quod si quis se mihi fidum ministrum præbuerit, hunc pro temporariis malis, proque ignominia, qua apud homines affectus est, Pater æterna felicitate veraque gloria decorabit. Agnoscet enim Pater non me solum, sed unici Filii ministros etiam agnoscet: & simili præmio dignabitur, quos similia passos noverit. Habet quidem præsens afflictio cruciatum suum, propter humani corporis infirmitatem: sed hanc humanæ naturæ trepidationem vincere debet considerata multorum salus, considerata vitæ perennis felicitas, quæ brevi cruciatu redimuntur. Quod si olim senseritis naturam ab intentatis suppliciorum ac mortium terroribus abhorrentem, nolite protinus ab Euangelico negotio fracti resilire, sed vincat humanæ naturæ imbecillitatem animi fortitudo, semper à cœlestis Patris præsidio pendentis.

27 Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc.

27 Quin & mihi ob instantem mortis diem sentio turbatam animam. Video gravissimam tempestatem imminere. Quid dicam, aut quo me vertam? An obtemperabo corporis imbecillitati mortem horrentis? an ad mundi præsidia confugiam? an amore vitæ meæ, mundi vitam negligam? Nequaquam. Ad Patris voluntatem me accommodabo. Dicet illi naturæ infirmitas, mortis horrore conturbata: *Pater, si fieri potest, salvum me fac ex hoc instanti periculo mortis.* Sed mox addet humanæ salutis avida caritas: Imo si sic expedit, veniat optata mors, quando volens ac sciens juxta spiritus voluntatem, quæ nusquam à tua dissentit, memet obtuli in mortem.

28 Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cælo: Et clarificavi, & iterum clarificabo.

28 Tu præsta, ut mea mors, meaque resurrectio, clarum reddat nomen tuum apud omnes orbis nationes: ut te cognito, te glorificantes, salutem æternam consequantur. Hæc ubi, sublatis in cœlum oculis, precatus est Dominus Jesus, venit vox Patris è cœlo, dicens: *Et clarum reddidi nomen meum, & posthac amplius illustrabo.* Jam enim tot miraculis inclaruerat apud homines, per Filium suum, sed potissimum resuscitato Lazaro, moxque auctorus erat gloriam sui nominis apud omnes orbis nationes, per crucem, per resurrectionem, per adscensum in cœlum, per Spiritus Sancti missionem, per Apostolorum prædicationem.

29 Turba ergo, quæ stabat, & audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alii dicebant: Angelus ei locutus est.

29 Porro turba, quæ non procul stabat, quum audisset vocem cœlitus emissam, quoniam parum fuerat attenta, nec satis constabat, ad quem ea vox pertineret, variabat sententiis. Quidam enim interpretabantur tonitruum fuisse, quod videbatur auditum: vox enim è nubibus prodierat. Rursus alii benignius interpretabantur, dicentes: *Angelus quispiam ei loquutus est.*

30 Respondit Jesus, & dixit: Non propter me hæc vox venit, sed propter vos.

30 Jesus autem, quo magis eos redderet attentos, & gloriæ suspicionem ab se depelleret: Hæc, inquit, vox, quæ nec tonitrui est, nec Angeli, sed Patris, qui preces meas audivit, non venit propter me, qui novi Patris animum in me, sed propter vos, ut intelligatis mihi cum Patre convenire: & quicquid facio, illo auctore, vestræ salutis causa facere.

31 Nunc judicium est

31 Audistis quid de morte mea promisit Pater. Nunc instat extrema colluctatio Satanæ, qui prin-

mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.

ceps, vel tyrannus potius est hujus mundi: qui per peccatum hactenus in morte detinuit omnes, qui diligunt hunc mundum. Nunc mundi causa protrahitur in judicium. At redarguta falsitate, clarescet veritas: & princeps ille mundi, mortis auctor, dum se victorem credet, per mortem depelletur à sua tyrannide. Condonabitur enim omnibus peccatum per fidem Euangelicam.

32 Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.

32 Eo sublato, fractæ sunt vires tyranni, qui non alio telo potens est: & quemadmodum ille, qui vicisse videbitur, subito pelletur è regno, ita ego, qui videbor exstinctus, *exaltatus à terra, omnia* undique *pertraham ad me:* mihi jure vindicans, quod hactenus ille per tyrannidem occupavit.

33 (Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturum.)

33 Porro quod Christus dixerat, *Quum exaltatus fuero à terra*, quoniam sermo erat anceps, & tamen ad rem exprimendam accommodatior, mortis genus, quam erat obiturus, significare voluit. Etenim qui suffiguntur in crucem, in alto pendent, quo procul sint omnibus conspicui: simulque submonuit veteris historiæ, quæ narrat æneum serpentem Christi typum in sublimi stipite suspensum, omnibus quiad ipsum verterent oculos, quamvis è longinquo, contra lethifera serpentium vulnera præsentem opem attulisse.

34 Respondit ei turba: Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum: & quomodo tu dicis, Oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis?

34 Et tamen erant in turba, qui, quoniam mentio mortis præcesserat, divinarent illum de crucis supplicio fuisse loquutum. Atque hinc ratiocinari contendunt, illum non esse Messiam, qui se prædicaret moriturum, quum Scriptura tribuat potestatem & regnum æternum. Sic enim scribit Daniel: *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum ejus, quod non corrumpetur.* Rursum Propheta Micheas ita loquitur: *Et egressus ejus ab initio à diebus æternitatis.* Item Esaias: *Et pacis ejus non erit finis.* Quin & Psalmorum prophetia promittit ei Sacerdotium perenne: *Tu es*, inquiens, *Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec.* Dicunt igitur illi: *Nos ex Lege cognovimus, quod Messias quum venerit, non sit ullum habiturus finem. Quid igitur sibi vult quod ais futurum, ut Filius hominis exaltetur à terra?* Quod si exaltari à terra, mori est: & si quoties dicis Filium hominis, teipsum vis intelligi, aut non morieris, aut ille Filius hominis non est Messias, si verum dicit prophetia.

35 Dixit ergo eis Jesus: Adhuc modicum, lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant: & qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.

35 Ad hæc, quoniam animo malitioso dicebantur, non respondit Jesus. Poterat enim respondere, se non hominem esse tantum, verum etiam Deum, & juxta corpus humanum se moriturum quidem, sed mox resurrecturum: nec hanc mortem obstare regni perennitati, quod non esset mundanum, sed spirituale. Sed nec illi capaces erant horum mysteriorum, nec tempestivum erat illa prodere. Tantum hortatur eos, ut omissa cæcitate mentis desinant obstrepere luci veritatis, præsertim quæ mox esset auferenda. Non quod lux Euangelica foret unquam abolenda, sed quod ipsius doctrinam non essent ex ejus ore posthac audituri: nec visuri miracula peragentem, quæ lucem illis præbere poterant ad resipiscentiam: *Ad breve*, inquit, *tempus lumen inter vos versatur.* Quare dum hujus lucis est copia, ambulate proficientes in melius, dum est occasio, ne subito sublata luce, nox occupet, jamque frustra desideretis ademtum, quod nunc oblatum adspernamini. Qui sequitur cæcos affectus animi sui, in tenebris ambulat, nec scit quo vadat: dumque se credit pie recteque facere, impingit in mortem. Ego sum lux mundi: qui mihi crediderit, non aberrabit à vero. Qui noctis sunt filii, lucem refugiunt.

36 Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. Hæc locutus est Jesus: & abiit, & abscondit se ab eis.

36 *Vos*, igitur, *quandiu lucem habetis vobiscum, credite luci, ut filii lucis esse videamini.* Qui credit, videt: qui non credit, videns cæcus est. Nec amplius illis id temporis loquutus est Jesus, ne furorem illorum, quem sciebat ad omne facinus esse promtissimum, magis irritaret: sed abiit, & abscondit se ab illis, velut absentia silentioque suo mitigaturus illorum efferatam insaniam: simul & nos obiter admonens exemplo suo, ut quoties cum obstinatis res est, nec ulla spes est proficiendi, cedamus ad tempus, ne non solum nihil fructus referamus, verum etiam alios reddamus sceleratiores.

37 Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum,

37 Quid enim Judæorum illorum animis deploratius? Cum tam multis, tamque evidentibus & insignibus miraculis, sub oculis illorum editis, Dominus Jesus dictis suis fidem certissimam conciliasse debuerit, tamen perstiterant in incredulitate sua: nimirum livore, odio, ambitione, avaritia, cæterisque pravis animi cupiditatibus excæcati.

38 Ut sermo Isaiæ prophetæ impleretur, quem dixit? Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui revelatum est?

38 Atque hujusmodi futuros quosdam, jam olim Esaias afflatu divini Spiritus prædixerat: *Domine*, inquiens, *quis credidit verbis nostris, & brachium Domini cui revelatum est?* Siquidem ideo non perspiciebant in factis Jesu virtutem divinam, quia malitia sua excæcati, non credebant.

39 Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias:

39 Non poterant autem credere, quoniam pravas cupiditates nolebant abjicere. Et hoc rursus prædixit Esaias:

40 Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ne videant oculis, neu corde intelligant, & convertantur, & sanem eos.

40 *Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ne videant oculis, neu corde intelligant, & convertantur, & sanem eos.* Videntes enim non videbant, & intelligentes non intelligebant, & adversus suam ipsorum salutem omnia moliti sunt in eum, à quo solo salus erat speranda.

41 Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus est de eo.

41 Hæc olim prædixerat Esaias, quum afflatus arcano Spiritu, vidit oculis propheticis gloriam Filii Dei, quam olim in corpore humano esset habiturus: & quod vidit, vaticinatus est: & quod ille vaticinatus est futurum, nos factum credimus.

42 Verumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è synagoga non ejicerentur.

42 Nec horum tamen incredulitas excluſit aliorum salutem qui crediderunt. Nam multi crediderant Jesu, non solum è plebejis, verum etiam è primoribus: sed tamen primores non audebant palam profiteri, ob metum Pharisæorum, qui decretum ediderant, ut quisquis se profiteretur discipulum Jesu, submoveretur è Synagoga.

43 Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.

43 Porro qui dignitate præeminent apud mundum, non ferunt ignominiam. Nondum enim erat illorum firma perfectaque fides: sed tamen erat tum jam aliquod Euangelicæ mentis rudimentum, bene sentire de Jesu, licet timor ac pudor obstaret, quo minus id præ se ferrent. Aliis livor obstabat, aliis avaritia, aliis ambitio, quo minus toto pectore Christo adhærerent, cujus gratia sunt omnia contemnenda. Sed quoniam Spiritus Sanctus nondum erat datus, qui robur Euangelicum absolveret, multi timide credebant, magis adhuc diligentes gloriam hominum, quam gloriam Dei. In Synagoga locum habere honoratiorem, magnificum erat apud homines, sed ob Christum ex impiorum ejici synagoga, gloria fuisset apud Deum. Sed in hominibus, natura imbecillibus, timor & infirmitas facile veniam impetrat. Cæterum, qui sic excæcati fuerant pravis cupiditatibus, ut scelerata conscientia reclamarent Christo, populum ab hoc averterent, insidias tenderent, denique mortem machinarentur, hos perire necesse fuit, quia servari noluerunt.

44 Jesus autem clamavit, & dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.

44 Rursus alio tempore, Jesus prodiens in conspectum Judæorum, quum jam furorem illorum mitiorem esse factum oportuit, quo magis hortaretur omnes ad credendum, nec ullam excusationem reliquam faceret iis, qui suapte malitia perirent, ostendens quantus esset fructus credentibus; quanta pernicies in sua incredulitate persistentibus, clamavit, & dixit: Omnes profitemini vos credere Deo: atqui quum à Deo sim profectus, nec quicquam dicam aut faciam, nisi illo auctore, quisquis mihi credit, non mihi credit, qui ex me nihil ago, sed ei, qui me misit in mundum.

45 Et qui videt me, videt eum, qui misit me.

45, 46 Mundus tenebris errorum ac vitiorum plenus est. Atque ideo à Patre, qui fons est omnis

46 Ego lux in mun-

Ju-

Digitized by Google

mundum veni: ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat.

luminis; velut à Sole radius descendi in mundum, ut discussis erroribus, sublatis peccatis, lux essem mundi. Per fidem autem aperiuntur cæcorum oculi, ut lucem videant, nec amplius impingant in tenebris. Huc igitur spectat omnis mea doctrina, huc miracula, huc quicquid feci, facturusve sum, ut qui mihi credit, & in me fiduciam omnem collocat, non maneat in tenebris, sed illustratus cognitione veritatis, purgatus ab omnibus pristinæ vitæ vitiis, lucis ductu per Euangelicam pietatem proficiat in vitam æternam.

47 Et si quis audierit verba mea, & non custodierit: ego non judico eum: non enim veni ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum.

47 Quod si quis audierit verba mea, nec his obtemperaverit, huic adeo nihil profuerit ad salutem, audisse, ut ob incredulitatem gravius etiam exitium sit habiturus: non quod ego sim illum condemnaturus. Non enim nunc in hoc veni, ut condemnem mundum ob illius scelera, sed ut per fidem purgatum mundum salvum faciam.

48 Qui spernit me, & non accipit verba mea: habet qui judicet eum, sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.

48 Nec tamen effugiet horrendum judicium, si quis sermones meos auditos rejecerit ac spreverit. Nunc quidem nihil omitto, quo cunctos ad æternam salutem pertraham, nec quisquam meo vitio periturus est. Sed quisquis salutem oblatam adspernatus fuerit, eum hic ipse sermo, quem nunc loquor, condemnabit: & coarguet in novissimo die, quod suapte malitia perierit. Invitavi præmiis, deterrui suppliciis, allexi beneficiis, excitavi miraculis, neminem à salute repello, aditum cuivis facilem ad vitam aperio.

49 Quia ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar.

49 Quid igitur in extremo die prætexet is, qui tot modis provocatus ad credulitatem, in sua cæcitate perseveraverit? Si Dei cultores estis, sicut vobis videmini, si Legem veneramini, meos sermones non potestis adspernari. Nec enim ex meipso loquutus sum, eorum more, qui ad suam gloriam aut quæstum, quæ volunt, comminiscuntur: nec adversa Legi doceo, sed quæ Lex adumbravit typis, promisit vaticiniis, præsto. Porro Pater, qui est Legis auctor, & unde huc profectus sum, mihi præscripsit quid dicam, & quomodo dicam. Hujus igitur mandatis quum in omnibus obsequar, quomodo potestis illum honorare, quum ejus legatum adspernemini?

50 Et scio quia mandatum ejus vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.

50 Quod autem mihi mandavit, non ob aliud mandavit, nisi vestri caritate: ut credentes his quæ per me vobis loquitur, vitam æternam assequamini. Quemadmodum Pater sitit salutem omnium, nec ullius quærit interitum: ita & ego sitio salutem omnium, nec quenquam patiar interire, quod quidem in me erit. Proinde quoniam mihi certum est, ad salutem vestram pertinere, quicquid me loqui voluit, ideo nihil eorum taceo, quæ mihi præscripsit ut loquar. Huic animo Dei Patris in vos, huic animo meo cum Patris animo per omnia consentienti, videte ne desitis ipsi, perniciem vobis accersentes ultro, quum possitis salutem assequi perennem.

CAP. XIII.

Nunc lavat ipse pedes: Judæ quoque porrigit offam: Munus amoris obit: culpa notata Petri.

1 Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.

1 HUJUSMODI sermonibus Dominus Jesus adhortatus est impiam turbam, ut saluti suæ consulerent, & ab impio conatu desinerent, quum nihil alioqui reliquisset intentatum, quo potuissent ad meliorem mentem revocari. Jam supererat, ut discipulos suos, quos peculiariter selegerat, quos esset brevi relicturus, quosque noverat morte Magistri sui vehementer exanimandos, adversus ingruentem tempestatem instrueret, atque ex illorum animis penitus revelleret illas Euangelicæ puritatis pestes, livorem, odium, fastum, ambitionem: atque his diversos affectus insereret, absolutæ caritatis indicia proferens, cujus exemplum mutuo inter ipsos amore æmularentur, tum inauditæ mansuetudinis & humilitatis formam præbens, quo sese vicissim mutuis officiis prævenirent. Itaque pridie Paschæ, quod, ut dictum est, Hebræis *phase*, id est, *transitum* sonat, quum sciret Dominus Jesus, quem nihil fugiebat, jam adesse tempus, quo & ipse festi diei vocabulo respondens, transiret ex hoc mundo, & ad Patrem, unde fuerat profectus, rediret: quum semper dilexisset suos Apostolos, quos ut domesticos & amicos peculiariter sibi delegerat, qui nondum erant exituri è mundo, sed ingens ac longum certamen habituri cum mundo, perpetuam erga illos caritatem declaravit. Nec instans mortis tempestas affectum, quem gerebat erga illos, excussit, sed in ipso digressu potissimum exhibuit rari cujusdam amoris indicia: non quod eos minus dilexerat antea, sed ut quæ discessurus impressisset animis illorum, tenacius hærerent.

2 Et cœna facta, cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ:

2 Posteaquam igitur suprema illa & mystica cœna parata esset, in qua dato corporis & sanguinis sui sacro symbolo, perpetuam sui memoriam pacturus erat, & amicitiæ nullis unquam modis intermorituræ fœdus sancire constituerat: quum non ignoraret, hoc suggerente Diabolo, jam agere Judam Iscarioten, ut se proderet Judæis capiendum, cujus mentem sic avaritiæ pestis occuparat, ut tanta Magistri erga se lenitate comitateque non posset à nefario scelere revocari.

3 Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exivit, & ad Deum vadit:

3, 4 Quumque sciret quod Pater nihil horum pateretur interire, quæ sibi servanda tradidisset, sibique conscius esset, quod mox ad Patrem esset iturus, unde profectus erat: tamen ut omnem ambitionis affectum penitus eximeret ex animis discipulorum suorum, surgit à cœna jam instructa, positisque vestimentis, quo plane ministri gereret imaginem, accepit linteum, eoque sese præcinxit.

4 Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: & cum accepisset linteum, præcinxit se.

5 Deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.

5 Mox ipse misit aquam in pelvim, & abjectissimam juxta mundum officii functionem aggressus, cœpit lavare pedes discipulorum suorum. Solet quidem hoc officii juxta morem Hebræorum præstari hospitibus & amicis: sed hoc, quod Christus gessit, non solum habebat exemplum absolutæ modestiæ, verum etiam typum intelligentiæ mysticæ: nimirum eos, qui sese accingerent ad prædicationis Euangelicæ munus, qui Dominicæ mensæ participes esse vellent, oportere purissimos esse ab omnibus terrenis affectibus: sed hanc puritatem nemini contingere, nisi Domino Jesu sua bonitate sordes omnes imbecillitatis nostræ detergente, qui solus expers fuit omnis maculæ: quique sic versatus est inter homines homo, ut nihil humanæ labis ex commercio vitæ contraheret.

6 Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes?

6 Quum igitur hoc habitu Dominus omnium, qui in cœlo & qui in terra, omnium præscius, & omnia sibi tradita habens à Patre, servili habitu præcinctus, nudus, pelvim gestans, venisset ad Simonem Petrum, eique procumberet, loturus pedes illius: exhorruit Petrus inauditum humilitatis exemplum, hinc suam agnoscens imbecillitatem, hinc Domini dignitatem considerans, quam ex miraculis, ex admirabili doctrina utcunque perspexerat, etiamsi nondum ad plenum divinam in illo naturam cognoverat: nondum viderat resurrexisse: nondum in cœlos adscendisse: nondum assidere dextrum Patri cœlesti: nondum toto orbe divinis honoribus coli, sed hæc post cognita magis commendarunt exemplum tam insignis modestiæ. Petrus igitur hoc animo refugiens à Magistro lavari, quo Baptista detrectaverat eidem impertiri baptismum, dixit: *Domine*, quid istuc est rei, quod paras? *Tu-ne mihi lavas pedes?* Novi qui sim, & novi qui sis.

7 Respondit Jesus, & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.

7 Moxque detrectanti respondit Jesus: Sine me, Petre, quod facio facere. Non leve est, non otiosum est quod ago. Hoc quid sibi velit, nondum quidem intelligis, sed post intelliges: & tunc cognosces, quod ego nunc ago, tibi fuisse necessarium.

Digitized by Google

8 Ne hoc quidem responso, quoniam non intelligebat, coercitus Petrus, magis etiam refugit, dicens: *Nunquam patiar, ut* tu tantus *mihi* tali *laves pedes.* Dominus autem ut hanc vehementem recusationem, licet ab amore proficiscentem, veluti clavum clavo pelleret, minis cohibuit, quando nondum erat docilis Petrus, dicens: Quid mihi reluctaris, Petre? *Si non lavero te, non potes esse consors mei.* Aut lavaberis, aut à mensæ fœderisque mei consortio semoveberis. Purus sit oportet, quem admittam in meum contubernium. Hoc autem dixit Jesus, non de lavandis pedibus corporeis, sed de imitatione tam insignis modestiæ, de puritate mentis, quam oportet esse summam in his, qui doctrinam Euangelicam profitentes, Ecclesiastici gregis curam suscipiunt.

9 Petrus autem, qui fervido quodam in Domino amore tenebatur, dura siquidem est amanti divortii mentio, tametsi tum non intelligebat, quid sibi vellet sermo Jesu, tamen quum audiret fore, ut ab illius secluderetur consortio, quem unice diligebat, subito vehementior etiam factus est in admittendo, quam ante fuerat in recusando: *Domine*, inquit, potius quam abs te divellar, *non solum* permitto tibi lavandos *pedes*, quando ita vis, *sed & manus, & caput.*

10 Ad hæc Dominus: *Qui semel lotus est, non opus habet ut denuo lavet. Jam enim reliquo est corpore mundus, nihil supereſt, nisi ut pedes lavet*, qui subinde contactu terræ, sibi nonnihil colligunt sordium. Hoc nimirum ænigmate significabat Dominus Jesus, Euangelico præconi non sufficere communem illam puritatem, quam omnibus præstat baptismus, & Euangelicæ fidei professio, nisi pedes, hoc est, affectus animi subinde purgentur ab omnibus inquinamentis hujus mundi, à quibus tamen vix quisquam purus esse potest homo, nisi subinde per Christi misericordiam contagium ex hominum commercio contractum studeat abluere. Vobis igitur, inquit, non lavo rursum corpus reliquum, tantum pedes abluo: *Estis enim mundi, tametsi non omnes.* Hac exceptione Dominus Jesus taxavit Judæ Iscariotæ conscientiam.

11 Noverat enim à quo foret prodendus Judæis. Tanta erat Jesu mansuetudo, ut cognitum nec proderet cæteris, nec à lotione pedum secluderet, nec à sacro convivio, nec à corporis & sanguinis sui communione repelleret: tantum tangit ipsius, qui sibi notus erat, conscientiam, ut vel sic resipisceret, posteaquam intelligeret se non latere Dominum, quem destinarat prodere. Ob hunc itaque dixerat: *Mundi quidem estis, sed non omnes.*

12 Hoc igitur officio perfunctus Jesus erga duodecim Apostolos suos, recepit vestimenta sua, cumque suis accubuit, cœnam sumturus. Sed interim exemplum modestiæ, quod illis exhibuerat, rursum infigit illorum animis, ne per oblivionem posset elabi, quod cum primis erat necessarium. Ait enim: Intelligitis-ne quid sibi velit, quod vobis omnibus lavi pedes?

13 *Vos appellatis me Magistrum & Dominum, idque merito facitis: sum enim* vere quod me dicitis.

14 *Quod si ego vestros lavi pedes, qui* vere *Magister sum & Dominus:* vos qui inter vos fratres estis & conservi, multo magis non gravabimini mutuis officiis invicem inservire.

15 Nam ideo tanto major exemplum hoc vobis exhibui, ne vos inter pares pigeat imitari, quod ego discipulis ac servis exhibui: pudeatque fratrem in fratrem, & conservum in conservum sumere tyrannicum supercilium, quum ipse, qui merito mihi possim hujus dignitatis fastigium vindicare, memet usque ad lavandos pedes vestros abjecerim.

16 Nec est quod quisquam dicat, humile est, abjectum est, servile est quod ago. Quo quisque major est, hoc se magis oportet demittere. Pestis ambitionis etiam Euangelicis virtutibus obrepit. Quum edetis miracula per nomen meum: quum ejicietis Dæmonia: quum mortuos vitæ restituetis: quum vaticinabimini, tum maxime vobis oportebit in mentem venire, quod hodie feci vobis. Non supercilio, neque fastu, neque violentia vobis erit auctoritas Euangelica defendenda. Rationibus aliis ea continget. Illud certe negari non potest, quod communi quoque sensu notissimum est: *Non est servus major Domino suo: nec qui legatus est* ad negotium alienum obeundum, *major est eo, à quo legatus fuit.* Me Dominum agnoscitis, & posthac magis agnoscetis. Mei estis Apostoli, ego legationis sum auctor. Turpe fuerit igitur vobis, in gregem vobis credendum, aut etiam inter vos turgere fastu, sævire violentia, quum me tam mitem, tam modestum Dominum ac Magistrum sitis experti.

17 Hoc quoniam nunc intelligitis, si post feceritis, beati eritis, juxta doctrinam meam, quam frequenter vobis iterans inculcavi, ne qua possit elabi.

18 Sed hæc beatitudo non erit omnium vestrum. Elegi quidem vos omnes ad Apostolici nominis honorem, sed non omnes respondebunt hujus muneris dignitati. Beati futuri sunt, qui meum æmulantes exemplum, fungentur Apostolico munere. Sed est inter vos, qui in tantum hoc non æmulabitur in fratres & conservos suos, quibus hactenus æquatur, ut in me quoque Dominum ac Magistrum talem ac tantum sit erecturus cervicem. Sed hoc fore jam olim prædixerat Psalmi vaticinium: *Qui comedit panem meum, tollet adversum me calcaneum suum.*

19 *Jam nunc hoc vobis prædico futurum, prinsquam fiat, ut quum videritis factum*, quod Scriptura prædixit, *credatis me esse illum*, de quo vaticinata est: nec quicquam in me temere geri, sed divino consilio negotium hoc omne temperari. Quemadmodum autem beatus est, quisquis meum exemplum imitabitur, ita infelix erit, qui proditorem illum, quisquis est, maluerit æmulari. Nam habiturus est & ille multos olim æmulos suæ malitiæ, quibus carior erit pecunia, quam nominis mei gloria: quique sub Apostolici nominis honore, proditorem agent Apostolici muneris.

20 Porro quo major est hujus muneris dignitas, hoc gravius est crimen, professionis honore ad proditionem abuti: *Nam illud profecto vobis confirmo: Quisquis recipit eum, quem ego mitto, meipsum recipit. Et quisquis me recipit, recipit eum, qui me misit.* Quemadmodum enim ego Patris Apostolus, non aliud ago, quam ex voluntate Patris: ita vos, qui mei estis Apostoli, si bona fide, quod vobis mandatum est, exsequemini: sic à piis omnibus recipiemini, veluti me per vos loquente, quemadmodum Pater per me loquitur, nihil aliud docentem, quam quod ille præscripsit.

21 Hæc quum dixisset Jesus, consolans animos suorum, mox quo magis eos à proditoris exemplo deterreret, quoque vehementius urgeret proditorem ad resipiscendum, turbatus est spiritu, velut exhorrens exitium illius, qui suapte malitia sibi mortem æternam tendebat accersere. Et quod ante dixerat, rursum cum asseveratione testatur omnino futurum: *Etiam*, inquit, *atque etiam dico vobis, quod unus è vobis*, qui hîc pauci, eadem in mensa mecum accumbitis, *me proditurus est.* Hic sermo toties iteratus, expergefecit animos discipulorum, quos alioqui mœror ingens occuparat, ob prædictum Domini decessum. Consolabatur unumquemque cæterorum sua conscientia, quod unus notaretur futurus proditor, sed perturbabat quod adjecerat, *ex vobis*: nec dubitabant, quin quod Dominus prædixerat futurum, aliquando fieret, & tamen nemo poterat de alio tantum suspicari nefas, videlicet ex suo animo cæte-

8 Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Jesus: Si non lavaro te, non habebis partem mecum.

9 Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos, sed & manus, & caput.

10 Dicit ei Jesus: Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes.

11 Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum: propterea dixit: Non estis mundi omnes.

12 Postquam ergo lavit pedes eorum, & accepit vestimenta sua: cum recubuisset iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis?

13 Vos vocatis me Magister, & Domine: & bene dicitis: sum etenim.

14 Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus, & Magister: & vos debetis alter alterius lavare pedes.

15 Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.

16 Amen, amen dico vobis: Non est servus major domino suo: neque Apostolus major est eo, qui misit illum.

17 Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea.

18 Non de omnibus vobis dico: ego scio quos elegerim: sed ut adimpleatur Scriptura: Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum.

19 Amodo dico vobis, prinsquam fiat: ut cum factum fuerit, credatis quia ego sum.

20 Amen, amen dico vobis: Qui accipit si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui me misit.

21 Cum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu: & protestatus est, & dixit: Amen, amen dico vobis: Quia unus ex vobis tradet me.

Digitized by Google

cæteros omnes æstimans, nisi quod interim suspecta esset cuique humanæ naturæ imbecillitas. Solus Judas sibi conscius, nec exhorruit, nec pudefactus est, nec veritus est sacris epulis interesse, & potuit interim ferre oculos Domini sui, cui noverat non ignotum esse, quid secum agitaret in animo. Tanta erat avaritiæ pestis, & adeo libuit abuti jam nota Domini lenitate.

22 *Aspiciebant ergo ad invicem discipuli hæsitantes de quo diceret.*

22 Itaque cæteri discipuli mœrentes ac solliciti, vicissim se contuebantur, si quod indicium ex vultu possent colligere, quem hic sermo Jesu notasset, non dubium quin illico sævituri in eum, qui tam impium facinus animo concepisset.

23 *Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus.*

23 Ardebat quidem hic animus Simoni Petro, quo nemo ferventius amabat Dominum, sed fere parum bene successerat hactenus audacia, quam illi suggerere solet amor in Magistrum. Audierat ante: *Vade post me, Satana, non sapis ea quæ Dei sunt.* Audierat modo: *Non habebis partem mecum.* Itaque quum vehementer cuperet hac sollicitudine liberari, certoque nosse tanti facinoris molitorem, nequaquam passurus eum admisceri convivio, non ausus est tamen ipse percunctari Jesum, quis esset ille proditor, quem notaret.

24 *Innuit ergo huic Simon Petrus: & dixit ei: Quis est, de quo dicit?*

24 Sed nutu significavit discipulo cuidam, quem Dominus familiarius amabat, atque id temporis recumbebat in pectus Domini, hac familiaritatis indulgentia mœrentem, atque exanimatum ob instantem ipsius mortem, consolantis ac refoventis, ut sciscitaretur, quis nam esset, de quo dixisset Jesus.

25 *Itaque cum recubuisset ille supra pectus Jesu, dicit ei: Domine quis est?*

25 Discipulus igitur ille, ut tum accumbebat in pectus Jesu, secreto dixit illi: Domine, quis est ille, qui tantum audebit facinus?

26 *Respondit Jesus: Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotæ.*

26 Jesus illi clanculum respondit: *Is est, cui offulam intinctam porrexero. Cumque panem intinxisset juri, dedit offulam Judæ Simonis Iscariotæ.* Nec sic erubuit, aut resipuit infelix proditor, sed perfricta facie, contemtaque Domini conscientia, spreta tanta lenitate, accepit de manu Domini signum amicitiæ, quem mox ob exiguum pretium erat proditurus.

27 *Et post buccellam, introivit in eum satanas. Et dixit ei Jesus: Quod facis, fac citius.*

27 Ac post acceptam buccellam, Satanas totum illius animum occupavit, & ex impio reddidit insanabilem. Jesus autem ubi videret destinatam Judæ malitiam, nec pudore, nec metu flecti, (jam enim pene proditus erat, nec abfuisset à periculo, si Jesus illum prodidisset) ablegat eum à convivio, & patrandi facinoris, quod jam certa voluntate concepta patrarat, potestatem facit: *Quod facis*, inquit, *fac citius.*

28 *Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei.*

28 Id dictum solus Judas sibi conscius intellexit, cæterorum accumbentium nemo sensit, quamobrem hoc dixisset Jesus.

29 *Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus: Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum: aut egenis ut aliquid daret.*

29 Nam ut est minime suspiciosa probitas, non poterat hæc suspicio descendere in pectus cujusquam: illum, cui Jesus tot amoris argumenta præbuisset, quem, creditis loculis communibus, cæteris quodammodo præferre visus esset, qui vicinior accumbebat in eo convivio, cui modo buccellam intinctam porrexerat Dominus, tam immane facinus ausurum, ut eum ad mortem proderet. Quidam autem sic interpretabantur, quod dixerat Jesus: *quod facis, fac citius*: quoniam noverant Judæ creditos esse loculos, Dominum admonuisse, ut emeret aliquid earum rerum, quibus ad celebrandum diem festum opus esset, aut ut egenis daret aliquid. Nam hoc frequenter solitus erat illi mandare Jesus: nos interim ad benignitatem in pauperes instituens & exstimulans.

30 *Cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo. Erat autem nox.*

30 Judas autem, accepta buccella, dissimulatoque Domini dicto, protinus exivit è conclavi. Non enim decebat jam, ut qui se totum tradidisset Satanæ, seque Jesu toties præstitisset immedicabilem, amplius interesset collegio sanctorum. Erat autem nox, tempus arguens mentem illius avaritiæ tenebris excæcatam, qui se subduceret à luce: & ad opus principis tenebrarum adeo festinaret, ut nec temporis intempestivitate commotus, facinus conceptum prorogaret. Non defuerat illi & antea prava voluntas; sed nondum à Jesu fuerat data facultas, ut hic quoque palam esset, neminem adversus illum quicquam valiturum fuisse, nisi ipse voluntati impiæ potestatem fecisset exsequendi facto, quod animo destinarat.

31 *Cum ergo exisset, dixit Jesus: Nunc clarificatus est filius hominis: & Deus clarificatus est in eo.*

31 Submoto igitur illo, qui se fecerat hoc indignum contubernio, Jesus multa loqui cœpit discipulis suis, quæ partim illos consolarentur, confirmarentque: partim adversus tempestatem imminentem armarent, infigens penitus animis eorum, quæ tum quidem primum rudes, deinde mœrore somnoque gravati, non poterant ad plenum capere; sed tamen post essent intellecturi. Ac primum significavit mortem suam instare: quæ licet juxta mundum ignominiæ plena videretur, tamen Patris simul & suam gloriam esset illustratura: Nunc, inquit, hoc potissimum agitur, quod audistis me deprecantem. Nunc enim adest tempus, quo Filius hominis, qui hactenus humilis visus est, & contemtus, novo modo clarus redditur apud homines, & per illum illustrabitur & Patris gloria. Quemadmodum enim ille non quæsivit gloriam suam, sed per suam infirmitatem illustravit gloriam Patris: ita vicissim Pater, qui est fons omnis veræ gloriæ, glorificabit Filium suum apud homines: non per Angelos, nec Archangelos, nec ullam aliam creaturam, sed per semetipsum mundo declarans, unam esse Patris Filiique gloriam; quo duorum opera mutua sic vicissim apud homines innotescat: non ut illis aliquid accedat, sed ut homines, cognita utriusque gloria, veram gloriam assequantur.

32 *Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso; & continuo clarificabit eum.*

32 Glorificabit autem olim totum Filium suum in adventu supremo coram universis terrarum ac cœlorum incolis: sed interim protinus quoque glorificabit illum ipsa morte, quæ potentior erit universa virtute mortalium, mox resurrectione & adscensione.

33 *Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me: & sicut dixi Judæis: Quo ego vado, vos non potestis venire: & vobis dico modo.*

33 Quare filioli mei, ne vos exanimet mea mors, quæ tametsi videtur infirmitatis esse, tamen erit potentior mea vita: tametsi videbitur ignominiosa, tamen illustrabit gloriam & meam, & Patris: tametsi videbitur abolitio mei, tamen salutem adferet & vobis, & universo mundo. Hæc consolentur animi vestri mœrorem. Expedit enim vobis, ut hoc corpus mortale vestris oculis subducatur: jamque instat tempus, ut id fiat. Interim fruamini me tanquam mox abituro: & quæ vobis mando, cordibus vestris imprimatis. Alioqui, quemadmodum dixi Judæis, sublatum frustra quæretis: mox enim abeo, tum illuc abeo, quo in præsentia non potestis consequi. Supereſt igitur, ut abitum meum fortiter feratis, & doctrinam meam, meique memoriam animis vestris impressam, teneatis. Hoc est quod vos felices reddet potius, quam corporis hujus mortalis conspectus.

34 *Mandatum novum do vobis: Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem.*

34 Multa sunt Mosaicæ Legis præcepta, ego discessurus unicum ac *novum præceptum vobis mando, ut quemadmodum ego vos dilexi, sic vos invicem diligatis.* Non exercui tyrannidem in vos, non affectavi gloriam, non quæstum, non quicquam humani commodi messui ex vobis. Vestram salutem amavi, & amavi gratis, & usque ad mortem amavi. Siquidem hanc animam volens impendam pro vobis, sic & vos invicem diligite. Cæterorum discipuli, titulis, cultu, certisque constitutionum observationibus dignoscuntur. Nihil istarum rerum à me didicistis.

35 *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.*

35 Una nota cognoscent homines, quod germani mei discipuli sitis, si talem caritatem mutuam habueritis inter vos, qualem ego vobis omnibus præstiti. Rarum est hoc inter mortales: sed hic est fructus bonæ arboris, quo discernitur.

36 Pe-

Digitized by Google

36 Dicit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis? Respondit Iesus: Quo ego vado, non potes me modo sequi: sequeris autem postea.

36 Petrus, qui totus flagrabat amore Domini sui, quanquam mortem ejus iniquo ferebat animo, tamen quoniam semel audierat, *Vade post me Satana*, non audebat eadem de re rursus interpellare. Sed illud discruciabat animum amantis, quod quum ille divelleretur ab amicis, negaretur sequendi facultas. Est enim ingens solatium, si quem vere diligas, in omnem fortunam, quoquo terrarum se verterit, persequi. *Rogat igitur Petrus: Domine, quo vadis*, ut non liceat te consequi? *Tum Jesus: Quo vado, non poteris in præsentia me consequi, sequeris tamen postea.*

37 Dicit ei Petrus: Quare non possum te sequi modo? animam meam pro te ponam.

37 Petrus nondum intelligens, quid sibi vellet hic sermo Jesu, quum de morte sentiret sua, ad quam perferendam illi nondum essent idonei: *Domine*, inquit, *quare non possum te sequi*? Quid periculorum pro te recusem pati, qui vitam etiam meam paratus sum tibi impendere? Hanc vocem fortiorem viribus expresserat sincerus quidem, sed humanus adhuc, nec sibi satis dum notus amor.

38 Respondit ei Iesus: Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi: Non cantabit gallus, donec ter me neges.

38 Jesus igitur ut paulatim successorem suum formaret, & humanarum virium fiduciam penitus revelleret è suorum animis, quemadmodum ante submovit ac repulit, quum confidentius dehortaretur à perpetienda morte: rursum correptus est, quum se præcipitasset in aquam, ac mox dubitasset: ac modo cohibitus est, quum non obtemperaret paranti lavare pedes: ita nunc docetur non suis viribus fidere, nec suis affectibus credere, sed sibi diffisus, à præsidiis pendere Christi: Quid ais, inquit, Petre? quam magnifica de te nobis polliceris? *Tu mihi vitam impendes?* Imo res ipsa docebit te, quam verus sit sermo, qui paulo ante dictus à me, fidem apud te non promeruit: *Quo ego vado, vos non potestis me nunc consequi*: nec procul abest experimentum: *Illud enim certissimum habeto, prius quam gallus* hac nocte *cantet*, hoc est, primo gallicinio, *ter me negaturus es*, tantum aberit, ut tua vita meam possis redimere. His verbis Dominus cohibuit Petri magniloquentiam, licet ex amoris magnitudine proficiscentem: simulque cæteros admonuit, ut in periculis non fiderent viribus suis, sed intelligerent virtutis muneriscque divini esse, si quid hujusmodi præstarent. Ad hæc Petrus obticuit, nondum satis liber à sollicitudine proditionis, de qua meminerat Jesus.

CAP. XIV.

Omnis abesto timor: via cœli ego: crede Philippe: Spiritus adveniet: mox rediturus eo.

1 Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite.

1 Ex hoc sermone, qui novam quandam & atrocem tempestatem imminere significabat, quæ Petrum quoque fortissimum omnium ad tantum erroris adigeret, ut eadem nocte ter Dominum esset abnegaturus, quum vehementer essent animis perculsi discipuli, ac Petri exemplo sibi quisque metueret, clementissimus præceptor oratione blandiore consolatur discipulos suos perturbatos ac mœrentes. Erunt quidem, inquit, hæc omnia quæ prædixi: verum, non est quod ob ea despondeatis animum, aut perturbemini. Atrocia sunt, quæ fient in me, quæque post edentur in vos: neque me fugit quanta sit imbecillitas humanæ naturæ, sed si vestram omnem fiduciam collocaveritis in Deo & in me, non est quod ullos impiorum hominum insultus formidetis. Deus enim omnipotens est, & unus plus potest omnibus qui vos impugnant. Certe illi fiditis, etiam juxta Mosaicam doctrinam. Quod si illi vere fiditis, mihi quoque debetis fidere. Vincam ego per illum, & vos per me vincetis, si vestris diffisi præsidiis, in me fiduciam omnem ac spem fixeritis. Nec mors ipsa nos poterit distrahere. Quemadmodum eritis aliquando consortes afflictionum, sic eritis & coronæ consortes. Primus ipse certandi vincendique formam ac specimen exhibebo. Per me dabitur vobis robur, per me dabitur gloriæ consortium. Tantum mihi confidite.

2 In domo Patris mei mansiones multæ sunt: si quo minus dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum.

2 Jam in domo Patris mei multæ mansiones paratæ sunt victoribus. Nec enim uni mihi parata sunt præmia, nec solus Petrus me sequuturus est, sed omnibus, qui mihi per caritatem ac fidem Euangelicam adhæserint, sua cuique præmia parata sunt. Quod ni certo scirem jam paratas esse vobis mansiones, quæ vos brevi ex hujus mundi tumultibus exemtos recipiant in æternæ vitæ felicitatem, jam præmonuissem vos, me ideo præcedere ad Patrem, quo vobis quoque, quos à me distrahi non patiar, illic parem locum. Nunc quoniam certum scio suam cuique mansionem paratam in regno Patris, de præmio non est cur sitis solliciti: tantum illud agendum, ut fortiter certetis.

3 Et si abiero, & præparavero vobis locum: iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.

3 Quod si maxime abirem vobis paraturus locum, non est tamen quod interim vobis destituti videamini. Rursus enim ad vos venturus sum, ut vos totos ad me recipiam, nunquam posthac à me distrahendos, ut jam ubicunque sim ego, sitis & vos.

4 Et quo ego vado scitis, & viam scitis.

4 Non est quod diffidatis vos eo perventuros, quo ego nunc præcedo. *Siquidem & scitis, quo vadam, nec viam ignoratis.* Nam hoc ænigmate Dominus subindicabat se proficisci ad Patrem, sed per mortem crucis. Optabile erat, quod adibatur, sed iter videbatur inamabile. Hoc discipuli nescire non poterant, toties auditum à Domino: sed mœror & oblivio faciebat, ut quod sciebant, nescirent.

5 Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quo vadis: & quomodo possumus viam scire?

5 Itaque Thomas avidus certo cognoscendi, quonam esset abiturus Dominus: *Domine*, inquit, *quum nesciamus quo vadas, quî possumus nosse viam*? Imo utrumque nescimus, quod ais utrumque scire nos. Hoc vehementi quidem, sed rudi, sermone Thomas veluti compellebat Dominum, ut apertius diceret, quonam esset abiturus, quod omnes jamdudum misere cupiebant discere.

6 Dicit ei Iesus: Ego sum via, & veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me.

6 Jesus autem suos paulatim erudiens ac fingens, docet quidem quod scire desiderant, sed tectius adhuc, ut altius inhæresceret quod vix tandem didicissent: nimirum se relicta mortalitate redire ad Patrem unde venerat, antequam mortale corpus assumsisset. Ad Patrem autem nulli patere aditum, nisi per Filium, qui solus viam in cœlos aperiret, qui solus cœlesti cognitione fidem hominum instrueret, solus esset immortalitatis fons, cui quisquis inhæreret, huic non esset formidanda mors: Qui fit, inquit, Thoma, ut neges te nosse viam? nisi forte me totum adhuc ignoras. Siquidem *ego sum via, veritas & vita.* Jam dixi me redire ad Patrem, ad hunc aditum solus omnibus aperio. Et quoniam ad hunc factis Deo dignis pervenitur, in me habetis exemplum: tum autem, quoniam sine fide nemo pervenit ad Patrem, ex me didicistis veritatem. Quod si interim perturbat animos vestros formido mortis, scitote certam vobis immortalitatem esse, quum ego sim vita. Tantum quo ego præcedo, vos sequamini: quod ego docui, credite ac tenete: quod polliceor, certo sperate. Si quæritis quo vadam, ad Patrem eo: si viam, qua consequi possitis, nosse cupitis, *nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Proinde nostis utrumque, & quo vadam, & qua sit iter, nisi forte me prorsus ignoratis.

7 Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis: & amodo cognoscetis eum, & vidistis eum.

7 Etenim *si me cognovissetis*, nimirum *& Patrem cognovissetis.* Imo jam aliquo pacto cognovistis Patrem, quem vobis ignotum esse creditis: nec cognovistis solum ex Legis institutione, verum etiam vidistis eum. Videlicet hoc ænigmate Dominus Jesus submonuit suos, Patrem quidem invisibilem esse: nec invisibilem tantum oculis corporeis, verum nec animo juxta suam naturam percipi posse: sed tamen quodam modo visum fuisse in Filio, dum illum in Filio conspiciunt imperantem ventis & mari, imperantem Dæmoniis, verbo propellentem morbos quamlibet immedicabiles, verbo mortuos ad vitam evocantem.

8 Sed

8 *Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.*

8 Sed hæc mysteria nondum assequebatur Apostolorum ruditas. Et tamen perinde quasi verum non esset, quod à Domino dictum non intellexerant, ita gestiunt videre Patrem, imaginantes sic posse conspici Patrem, quemadmodum conspiciebant Filium: tanta adhuc erat illorum simplicitas, quanquam nec Filium viderant, qui corporeis oculis illum adspexerant. Philippus igitur cæteris avidior discendi: Domine, inquit, ais nobis visum esse Patrem, imo hoc utinam nobis largiaris, ut liceat conspicere Patrem tuum, satis factum esset votis nostris, nec quicquam desideraremus. Audivimus quidem de eo multa, tantum supereſt adspectus.

9 *Dicit ei Jesus: Tanto tempore vobiscum sum: & non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem?*

9 Tam rudem Philippi postulationem Dominus corrigit, dicens: *Philippe, tantum jam temporis vobiscum versor, & nondum cognovisti me?* Non ideo me nosti, quia faciem vides, sed quoniam virtutem ac veritatem meam intelligis. Hæc non videtur oculis corporeis, sed animo cernitur. Quum igitur sim imago Patris, illi per omnia similis, meque ex factis dictisque jam nosse debueris, (porro, novisse, vidisse est) qua fronte mihi dicis: *ostende nobis Patrem*? quasi qui me viderit, non idem viderit & Patrem meum: non quod non alius sit Pater quam ego, sed quod inter duos nulla sit dissimilitudo juxta naturam sublimiorem. Si ratione consequi non potes quod dico, videt etiam qui credit. Audisti me loquentem, vidisti me miracula patrantem: in his nimirum Patrem audisti, Patrem vidisti.

10 *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera.*

10 *An nondum credis, quod* inseparabili naturæ, voluntatis & virtutis consortio *Pater in me est, & ego in Patre*? Quicquid loquor, ex illius animo loquor: quicquid facio, ex illius facio sententia. Semper itaque sum in illo, propter individuam naturæ voluntatisque societatem, & ille semper in me, per me loquens, per me miraculis suam declarans virtutem. Nec enim ex me loquor quicquam, quod idem non loquatur per me: nec ex me facio quicquam, quod ille per me non simul operetur. Quomodo igitur tu separas inseparabiles, & altero conspecto alterum desideras conspicere: altero cognito, credis ignotum alterum? An nondum vos quoque cæteri creditis omnia Patris esse, quæ per me dicuntur, aut geruntur, & nullum inter nos duos esse discrimen?

11 *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est?*

11 Hoc mihi toties docenti credere debueratis, & si dictis meis parum habueretis fidei, certe facta, quæ vidistis Deo digna, & homine majora, vobis fidem facere debuerant, Patris esse quicquid ex me proficiscitur. Si Pater ipse vobis loqueretur, non aliud vobis quam ego loquor, loqueretur: si Pater per se operaretur, non aliud operaretur quam ego operor. Eadem nobis mens est, eadem voluntas, eadem vis & natura.

12 *Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet: quia ego ad Patrem vado.*

12 Hoc igitur credite, hoc tenete, hoc animis vestris infixum habete. Quod si feceritis, nihil detrimenti vobis adferet hujus corporis subductus conspectus. Oculis fidei melius cernetis absentem: & quod nunc videtis Patrem per me agentem, cui modis omnibus inhæreo, idem agam per vos, si mihi per fidem & caritatem inhæseritis. Imo clarius etiam exseram vim meæ Divinitatis, posteaquam hanc infirmitatis speciem vobis subduxero. Imo quisquis se mihi junxerit per fidem Euangelicam, quemadmodum ego per naturam à Patris consortio nunquam sejungor, is per me majora quoque facturus est, quam ego facio, quoties gloria Dei poscet miraculum. Nam ipse per vos operabor, quemadmodum Pater operatur nunc per me. Quoniam autem sic expedit hominum saluti, ut redeam ad Patrem, vos in vices Euangelicæ functionis succedetis.

13 *Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio.*

13 Nec hoc solum fiet, sed quicquid alioqui petieritis à Patre per nomen meum, quod ad Patris meique nominis gloriam pertinebit, hoc faciam, ut per vos quoque glorificer apud homines, quemadmodum Pater hactenus per Filium est glorificatus.

14 *Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.*

14 Ne vos igitur perturbet abitus meus, qui lucri quoque non parum vobis est allaturus. Tum maxime sum vobis adfuturus ad omnia, quæ faciunt ad veram salutem, quum hoc corpusculum vobis subduxero. Tantum petite quod voletis, audiet Pater vota vestra, & ego patronus assiduus apud illum, efficiam ut quicquid petieritis, impetretur. Etenim ut ille nihil mihi negat, nihil agenti nisi quod ad illius gloriam facit: ita nihil vobis sum negaturus, hoc agentibus, quod ad mei nominis gloriam conducet. Suggeret enim vobis Spiritus meus, quid oporteat petere. Non istuc est Euangelicæ charitatis argumentum, ob meum abitum discruciari. Sic enim homines exanimantur ob discessum amici, cujus mox sunt obliturі.

15 *Si diligitis me, mandata mea servate.*

15 Si me vere diligitis, quemadmodum ego diligo Patrem, ipsa re declarate caritatem erga me: declarabitis autem, si servaveritis præcepta mea. Ita futurum est, ut quemadmodum Pater amat me, nihilque negat: ita vos quoque per me diligat obsequentes jussis meis, quæ eadem sunt jussa Patris. Sic expedit totius orbis saluti, ut hanc præsentiam vobis subducam, nec tamen abiens destitutam vos desolatos.

16 *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.*

16 Imo si perstiteritis in amore mei, si mea jussa servaveritis, exorabo Patrem, posteaquam ad illum rediero: & ille, qui mihi nihil negat, alium consolatorem mittet vobis, qui semel missus nunquam abeat à vobis: quemadmodum ego nunc, quod ad corporis præsentiam attinet, à vobis divellor, sed perseverabit vobiscum in æternum.

17 *Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscetis eum; quia apud vos manebit, & in vobis erit.*

17 Is erit Spiritus meus ac Patris, qui vos ex carnalibus reddet spirituales, & istum affectum humanum, quo me nunc prosequimini, vertet in amorem cœlestem: quique vobis arcanis afflatibus suggeret omnium veritatem, quæ nunc veluti per somnium ac nebulam intelligitis. Hoc mei pignus erit vobis peculiare. Nam ego interim malis ac bonis memet exhibui communiter, ne quis excusare posset se non invitatum ad salutem. Cæterum Spiritum illum, quoniam cœlestis est ac verax, mundus hic, qui terrenis ac falsis bonis inhiat, non potest accipere. Quamobrem non potest? Quia quum habeat oculos crassos, qui non amant nisi crassa terrenaque, non videt illum, neque novit illum. Tacitus enim illabetur arcanis animi sensibus, sicubi sedem congruam repererit. Vos autem si spretis hujus mundi præstigiis, vera bona sectabimini, cognoscetis illum: quoniam non solum veniet ad vos, quemadmodum ego veni visibilis, sed & permanebit apud vos: nec ita versabitur apud vos, quemadmodum patronus apud clientem, sed in intimis animorum vestrorum latebris habitabit, seque vestro spiritui conglutinabit, ut unus spiritus efficiatur in omnibus. Is quoniam insitus erit præcordiis vestris, per omnia vos comitabitur. Nec longum erit intervallum, quum hic vicarius consolator ad vos venturus est.

18 *Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos.*

18 Quare non est quod exanimetur cor vestrum, filioli, quos utcunque genui sermone cœlesti, & rudes licet foveo donec adolescatis ad robur Euangelicum. Quanquam ad tempus abeo, nec amplius mortalis cum mortalibus victurus sum, tamen nec interea relinquam vos orphanos, meique solatio destitutos. Rursus enim veniam ad vos priusquam remigrem ad Patrem meum, meque vestris oculis sum exhibiturus: vero quidem, sed non jam mortali corpore, quo vos paulatim à carnis amore proveham ad spiritum. Nihil enim magni sit, si corpus hoc vobis perpetuo contemplandum præbuero, quod impii quoque vident in suam ipsorum perniciem.

19 *Adhuc modicum: & mundus me jam non videt. Vos autem videtis me: quia ego vivo, & vos vivetis.*

19 Exiguum itaque tempus est, quum me mundus hic non videbit. Mors enim & sepulchrum subtrahet

Digitized by Google

me conſpectibus illorum; vos tamen reviſam, meque vobis redivivum exhibebo. Nec enim mors hæc diſtrahet nos, nec impediet quo minus vos inviſam. Vivam enim etiam poſt mortem, & non ſolum ipſe vivam, ſed etiam vobis vitam perennem conferam. Et interim ubi rediero, vivus offendam vivos, atque ita meam vitam impendam vobis, ut vos ſitis incolumes.

20 In illo die vos cognoſcetis, quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.

20 Tum plenius intelligetis, quod quemadmodum nulla res divellere poteſt à me Patrem, nec à Patre me: ita me quoque vobis ſic adglutinatum eſſe mutua caritate, voſque viciſſim mihi, ut nec mors nos poſſit diſtrahere. Vos tantum curate, ne veſtra culpa divellamini.

21 Qui habet mandata mea, & ſervat ea: ille eſt qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.

21 Veram caritatem arguet obſervatio præceptorum meorum. Nec enim ex animo diligit, qui juſſa negligit Domini ſui. Nec ſatis eſt accepiſſe præcepta mea, niſi quis meminerit: nec ſufficit meminiſſe, niſi ſerventur. Hæc qui præſtat, is vere me diligit. Nam ob abitum meum excruciari, non eſt veræ dilectionis argumentum. Ego, qui vere diligo Patrem, omnia illius juſſa ſervo, ſervaboque uſque ad mortem crucis. Nec eſt quod vos territent mea præcepta velut auſtera, de ferendis injuriis, de tollenda cruce, hæc omnia condulcabit caritas, nec deerit ex me ſolatium. Etenim quiſquis me diligit, diligetur & à Patre meo, & ego diligam eum: nec unquam illum deſtituam, ſed reviſam eum: meque illi palam intuendum exhibebo, quo certius ſit, me non periſſe ſupplicio crucis. Nunc omnibus conſpiciendum me exhibeo, tum nemo me videbit, niſi qui in amicitia perſtiterit. Hæc autem obſcurius loquutus eſt Dominus Jeſus, non ſolum indicans quod redivivus à morte ſeſe frequenter præbiturus eſſet amicis ſuis contuendum, ſed etiam quod per Spiritum ſuum ſemet inſinuaturus eſſet illorum animis, ac poſtremo venturus eſſet in gloria Patris, omnibus conſpicuus.

22 Dicit ei Iudas, non ille Iſcariotes: Domine, quid factum eſt, quia manifeſtaturus es nobis teipſum, & non mundo?

22 Judas autem, non ille quidem Iſcariotes, qui huic ſermoni non interfuit, ſed alter Lebbæus cognomento, quum non ſatis intellexiſſet ſermonem Domini, verum mœrore metuque perturbatus, ſuſpicaretur Dominum ſic appariturum amicis, quemadmodum lemures ac ſpectra nocturnis tenebris ſeſe nonnunquam offerunt: aut quemadmodum in ſomniis viſa quædam occurrunt ad terrorem verius quam ad ſolatium: *Domine*, inquit, *quid accidit, quod* quum nunc omnibus ſis conſpicuus, tunc *non ſis appariturus mundo, ſed nobis duntaxat*? Et quomodo poteris nobis eſſe viſibilis, ſi cæteris fueris inviſibilis?

23 Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus:

23 Jeſus autem quoniam ſciebat ſuos nondum eſſe capaces ejus myſterii, quomodo reſurgat idem corpus, quod fuerat mortuum, & humo conditum, ſed jam ſpirituale redditum, ſuique juris, non aperte reſpondit ad id, quod rogabatur: ſed ad id ſermonem reflectit, quod magis oportebat illorum animis infixum eſſe, quo jam præpararentur ad ſpiritualem Domini copiam: quandoquidem nec illa, quæ poſt reſurrectionem erat exhibenda, poſſet diuturna eſſe: Ideo, inquit, non exhibebo me mundo, quia non diligit me, nec ſervat mea præcepta. Si quis vere diligit me, non mœrore teſtabitur amorem ſuum, ſed ſervandis præceptis meis, & hunc ego viciſſim diligam: & quem ego dilexero, diliget hunc & Pater, nec ab eo divellemur unquam: nec ſolum ego reviſam memorem juſſorum meorum, verum etiam Pater, egoque per communem Spiritum ad eum veniemus: nec veniemus tantum, mox abituri, ſed manſionem apud eum faciemus, nuſquam ab eo digreſſuri. Quod ſecundum ſpiritum fit, & perpetuum eſt, & efficax. Corporalis conjunctio finem habeat oportet, ut contemtis his, quæ temporaria ſunt, ea conſueſcatis diligere, quæ ſunt æterna: ſi nondum ad nos venire poteritis, nos inviſibili modo, ſed efficaci, veniemus ad vos, pectoris veſtri templum inhabitaturi. Tres ſumus, ſed ita conjuncti, ut qui unum diligit, omnes diligat oportet: qui unum habet, nemine careat. Tantum adſit caritas, & ſervetur fœdus, quod vobiſcum modo pactus ſum. Id vos nobis ſic conglutinabit, ut nec vita, nec mors nos poſſit diſtrahere. Si membra poſſunt à capite divelli, nos ſejungi poterimus.

24 Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat. Et ſermonem quem auditis, non eſt meus: ſed ejus, qui miſit me, Patris.

24 Multi ſunt qui ſe prædicant diligere Deum Patrem, & Legis præcepta ſervare videntur: ſed nemo vere diligit Deum, ſi Filium oderit aut contemnat. Contemnit autem quiſquis præcepta mea non ſervat. Quiſquis autem negligit præcepta mea, negligit & Dei præcepta. Siquidem id quod docui vos, non eſt ſic mea doctrina, ut non ſit eadem Patris, ſed potius Patris eſt quam mea, unde proficiſcitur quicquid poſſum, aut doceo: nihil agens, niſi ex illius auctoritate, à quo miſſus ſum in mundum, ut hæc docerem quæ doceo.

25 Hæc locutus ſum vobis, apud vos manens.

25 Atque hæc quidem pro veſtro captu loquutus ſum vobis, mortalis adhuc verſans apud mortales: mox reviſam vos, dies aliquot immortalis cum mortalibus conſuetudinem acturus, conſolandi, docendi, monendique veſtri gratia.

26 Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.

26 Neque me clam eſt, quod hæc, quæ nunc loquor, ac mox à morte loquuturus ſum, non ad plenum ſitis intellecturi, quod adhuc carnales ſitis & rudes, tamen non fruſtra dicuntur à me. Nam ubi corpus hoc à vobis ſubduxero, veniet vobis, in nomine meo petentibus, alius conſolator, non corporeus, quemadmodum me videtis, ſed Spiritus ille Sanctus, ſpirituum ac mentium ſanctificator, quem Pater vobis miſſurus eſt mihi vicarium, rogatus à vobis in meo nomine. Nec egebitis poſthac mea præſentia corporali, quæ pro tempore data eſt hominum craſſitudini, quo per gradus proficerent ad perfectiora. Nam ille Spiritus, quoniam meus erit & Patris, omnia, quæ loquor vobis rudibus adhuc & parum capacibus, ad hæc oblivioſis, ſuggeret in memoriam: & quæ prius non intellexeratis, efficiet ut intelligatis: neque quicquam vos patietur oblivisci, neque quicquam ſinet ignorare, quod ad ſalutem pertinet: ex oblivioſis reddet memores, è tardis dociles, è ſomnolentis vigiles, ex mœſtis alacres, ex terreſtribus cœleſtes. Tantum perſeverate in caritate, memores præceptorum meorum.

27 Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor veſtrum, neque formidet.

27 Nec eſt quod interim exanimet vos tumultus hujus mundi, quem in me videbitis exoriri, olim & in vos cooriturum. Sufficiat vobis, quod abiens pacem relinquo vobis, quod pacem meam do vobis. Qui meam habet pacem, hunc nulla mundi tempeſtas poteſt ſubvertere. Habet & mundus ſuam quandam pacem, & his, quos amat, dat pacem ſuam, ſed hæc infida pax eſt. Mea pax, quam vobis do, vos conciliat Deo. Quis autem noceat ei, qui Deum habeat protectorem? Pax, quam vobis relinquo, mutua concordia conglutinans vos inter vos, reddet ſodalitium veſtrum invictum adverſus omnia, quæ poteſt mundus, aut Satanas hujus mundi princeps. Quid igitur eſt quod tantopere vos exanimet abitus meus, qui commodi quoque nonnihil vobis eſt allaturus? Ne turbetur igitur cor veſtrum, neque metu percellatur.

28 Audiſtis quia ego dixi vobis: Vado, & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem: quia Pater major me eſt.

28 Jam audiſtis, & quo magis credatis, iterum iterumque dico, quod abeo quidem ad tempus, ſed mox rediturus ad vos, interim efficiam ut vos reperiam incolumes. Hæc tempeſtas in me ſolum nunc deſæviet. Mox ubi Patrem repetivero, rurſus adero per Spiritum conſolatorem; per eundem aderit & Pater, nec unquam à vobis divellemur, donec nobiſcum toti ſitis in regno cœlorum. Mœretis quod abeam. Atqui ſi me vere diligeretis, nimirum gauderetis veſtro ſimul & meo nomine, quia non abeo quovis, ſed ad Patrem redeo, apud illum majora vobis impetraturus, quandoquidem Pater ma-

Digitized by Google

major est me, unde proficiscitur, quicquid vobis impartio. Si mihi metuitis, meaque gratia mœretis: magis conveniebat gratulari, qui subducar ab his mundi malis, & ad Patris remigrem consortium. Sin vestra causa doletis, meus abitus vobis magnam adferet utilitatem.

29 *Et nunc dixi vobis prius quam fiat: ut cum factum fuerit, credatis.*

29 Hæc scio me loqui, nec admodum attentis, nec admodum intelligentibus. Sed ideo repeto & inculco, ut ubi, quod dixi, rerum exitus comprobabit, tum credatis & reliqua omnia fore vera, quæ post eventura prædixi.

30 *Iam non multa loquar vobiscum: venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam.*

30 Posthac mortalis cum mortalibus non multa loquar. Instat enim tempus, quod distrahar à vobis corpore. Adest per suos satellites hujus mundi princeps ille Satanas, summis viribus aggressurus me, ut prorsus dejiciat & exstinguat. Sed nihil ab eo periculi est. Nam in me nihil habet juris, & dum se maxime victorem esse confidet, se victum prostratumque comperiet. Non habet ille jus nisi in eos, qui peccato sunt obnoxii.

31 *Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.*

31 Quoniam autem mundus vitiis obstrictus est: in mundi cultores habet tyrannidem. Nec enim morior coactus, nec ob ullum facinus, sed ut mea morte redimam mea membra à peccati mortisque tyrannide. Hoc mihi mandatum est à Patre meo, & quod mandatum est, ex illius facio sententia. Proinde satis jam diu sumus in hoc accubitu. Tempus est, ut quoniam volentes exsequimur jussa Patris, obviam eamus instanti morti. *Surgite itaque, & abeamus hinc.* Dominus Jesus videns discipulos multis modis animo consternatos, partim mœrore, quod viderent instare mortem Domini, quem amore quidem humano, sed vehementissime diligebant: partim metu malorum, quæ illo digresso sibi videbant impendere, tum autem somno gravatos, quem & nox conciliabat, & augebat mœror, addebat & sessio torporem animis: surgi jubet, ut vel sic excusso torpore, redderentur ad ea, quæ dicturus esset, alacriores, simulque per ænigma submonet, jam esse tempus, ut animum erigant ab affectibus terrenis, ad ea quæ sunt cœlestia, à corporalibus ad spiritualia, à mortalibus ad immortalia, à temporariis ad æterna. Voluit & illud impressum esse mentibus illorum, se quicquid passurus esset, præscium ac volentem pati, volente quidem ita Patre, sed à cujus voluntate voluntas ipsius nusquam dissideret. Voluit suos, quantum imbecillitas humana ferebat, testes ac spectatores esse sui supplicii, eoque frequenter in hoc sermone repetit mentionem abitus, quo paulatim assuescerent tolerantiæ, sed interim multa admiscens solatia, quæ doloris acerbitatem lenirent: quod abiret quidem, sed brevi reversurus ad eos: quod abiret ad Patrem: quod inde missurus esset alium consolatorem, qui perficeret, quod ipse cœpisset: quod ipse quoque una cum Patre venturus esset, & mansionem apud eos facturus: quod hæc tempestas eos non esset absorptura. Quin & in alium abducit locum, quod is, in quo tum erant, manifestus esset: & quoniam audierant jam adesse principem hujus mundi, sibi metuebant à communi periculo. In alium itaque locum, velut ipsis tutiorem abducit, ut cætera fidentioribus animis audiant. Denique prædicit, quod ipsi tandem essent eodem sequuturi, quo nunc ipse præcederet. Nunc redit ad eum sermonem, quem penitus oportebat insidere mentibus illorum, quo monuerat illos, ut perseverarent in caritate, & observandis præceptis suis, ne suo vitio sese distraherent à consortio Patris, Filii & Spiritus Sancti, à quo Judas jam se divulserat: sed permanentes in fœdere, Domini sui dictis obtemperarent, facta pro sua virili imitarentur. Hoc autem non posse fieri, nisi perseverarent in consortio spirituali Filii: nec sibi tamen fiderent interim, aut quicquam suis viribus arrogarent: nihil enim illos valituros unquam, nisi Domini beneficio, unde profluit omnibus quicquid ad veram salutem facit. Id quo magis intelligerent, ac tenacius meminissent, adhibita rei notissimæ similitudine, vitis ac palmitum, rem explicat.

CAP. XV.

Palmes rejectus: dilectio: nostis amici
Omnia: quos mecum non bene mundus amat.

1 *Ego sum vitis vera: & Pater meus agricola est.*

1 Vt, inquit, penitus intelligatis, quam nihil sit vobis periculi, si perstiteritis in meo consortio: quantum autem sit periculi, si deficientes à fœdere, quod vobiscum pactus sum, divellamini, mementote quod *ego sum vera vitis*, vos palmites, *Pater autem meus agricola est.* Ego vel radix, vel stirps vitis sum, vos membra mea, ceu palmites è stirpe prognati. Pater me plantavit, nimirum qui genuit. Ab hoc stirps est profecta, vos à stirpe. Ad Patrem velut ad fontem redit totius beneficii gratia, qui quicquid vobis largitur, per me ac Spiritum suum vobis largitur. Succus autem stirpis, qui palmitibus quoque dat vitam ac fructificandi vim, Spiritus est, Patri mihique communis. Is ut me Patri connectit, ita vos quoque mihi copulat.

2 *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.*

2 Palmes igitur quisquis mihi adhærens, meoque spiritu vivens, fructum stirpe dignum attulerit, hunc Pater meus repurgabit, supervacuas amputans cupiditates, quo fructum adferat copiosiorem ac generosiorem. Cæterum, qui mihi quidem inhæserit per fidei professionem, caritatis autem Euangelicæ fructum nullum adferat, hunc Pater amputabit à vite, velut onerosum & inutile membrum. Frustra enim est in vite, qui fructum non habet, sed folia tantum.

3 *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.*

3 Jam vos quidem hactenus purgati mundique palmites estis per sermonem meum, cui credidistis, sed posthac magis etiam purgandi; quo copiosiorem fructum proferatis. Nunc satis est insitos esse stirpi, unde per fidem vitam hauriatis.

4 *Manete in me: & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis.*

4 Date operam ut maneatis in me, & ego vicissim agam in vobis ex me pendentibus. Quemadmodum enim palmes si divellatur à vite sua, non potest ex se fructum ullum facere, quod quicquid habet succi trahat è stirpe: sic nec vos poteritis ullius boni operis fructum edere, nisi mihi per fidem ac dilectionem adhæseritis, unde vobis proficiscatur oportet, quicquid ad veram æternamque facit salutem.

5 *Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.*

5 Propterea quod nec Moses, nec ullus Prophetarum vitis sit, sed ego sum unica vitis illa, cui inhæreat oportet, quisquis fructum salutis volet proferre. Hujus vitis vos estis palmites, cui gratis estis insiti, gratis purgati, sed unde vestra culpa possitis excidere. Quare vobis hoc curandum, ut mihi perpetuo jungamini. Etenim quisquis manet mihi conjunctus, me sibi vicissim conjunctum habens, meoque vivens spiritu, hic, adspirante Patre, copiosum fructum profert, sibi salutem æternam lucrifaciens, & Deo, cujus gratia fiunt omnia, gloriam apud homines concilians. Et illius gloria mea est gloria, per quem largiri placuit, quicquid largitur hominibus ad salutem æternam consequendam. Hoc igitur mementote, quod absque me nihil boni potestis facere.

6 *Si quis in me non manserit: mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.*

6 Quod si quis palmes suo vitio sese à me stirpe revulserit, is non solum nullum edit fructum, sed quemadmodum palmes inutilis falce amputatus exarescit, moxque collectus cum reliquis sarmentis exsectis, in ignem conjicitur ut ardeat, ita destitutus succo spirituque meo, emoritur juxta mentem, etiam si vivat juxta corpus: & post hanc vitam separatus irrecuperabiliter à vite, conjicitur in ignem æternum, semper arsurus ad suum supplicium, qui noluerit in vite permanere, fructum editurus felicitatis æternæ.

Digitized by Google

7 Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis.

7 Manebitis autem in me, si sermones mei manserint in vobis: si quæ creditis, tenueritis: si quæ tenetis, factis exsequamini. Hoc si feceritis, non est quod ullas hominum procellas metuatis, & si nondum adero corpore, tamen audiet vos Pater, audiam & ipse, si quicquid volueritis, petatis, & quicquid petieritis, impetrabitis.

8 In hoc clarificatus est Pater meus, ut Fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli.

8 Quemadmodum autem ex vobis non habetis, unde possitis edere fructum, ita non debetis benefactorum gloriam vobis arrogare. Quemadmodum enim ego non quæsivi gloriam meam, sed Patris, unde proficiscitur quicquid sum aut possum, ita vos omnem benefactorum & gratiam & gloriam ad Patrem meque referetis. Per hoc apud homines illustratur Patris gloria, si vos viderint quam plurimum Euangelici fructus adferre. Quicquid enim ex vobis mihi accedet gloriæ, id redundabit in gloriam Patris, cui laudem pariet apud homines, si viderint vos germanos esse discipulos Filii, non quod nos opus habeamus humana gloria, sed quod sic expediat humani generis saluti, quam sitimus.

9 Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea.

9 Caritatis est, non ambitionis, quod Pater sic illustrari cupit apud homines. Quemadmodum dilexit me stirpem Pater, itidem & ego dilexi vos palmites meos. Hoc tam ingens bonum gratuito donatum magna sollicitudine servate, ne vestra negligentia vobis pereat. Non peribit autem, si quemadmodum ego usque ad mortem perstiti in caritate Patris, semper illius gloriæ studens, ita vos perseveraveritis in caritate mea.

10 Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione.

10 Perseverabitis autem, si præcepta, non Pharisæorum, non Philosophorum, sed mea servaveritis: neque vos ab his ulla mundi res, seu blanda, seu formidabilis poterit distrahere, quemadmodum ego constanter ad mortem usque servo jussa Patris mei, non recedens ab illius caritate, sed factis ipsis declarans me illius erga me caritati caritate mutua respondere. Quemadmodum igitur Patri gloriosum erit, talem habere Filium germanum ac sese dignum: ita gloriosum erit utrique nostrum, quod vos habeam discipulos observantes sermonum meorum, & factorum æmulos.

11 Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur.

11 Hæc tametsi molestiam habent admixtam, tamen ideo tot verbis vobis inculco, ut quemadmodum ego non quæsivi gaudium hujus mundi, sed in hoc gaudeo, quod obsequens jussis paternis diligor à Patre: ita vos non petatis solatium à mundo, sed meo gaudio gaudeatis, si quando meis vestigiis ingredientes, affligemini: idque gaudium maneat in vobis, semper augescens in majus meliusque, donec impleatur in perpetuam immortalis vitæ felicitatem.

12 Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.

12 Erit vobis mediis in malis magno solatio mutua caritas. Pharisæorum varia sunt præcepta, multa sunt & Mosi: unum hoc est præceptum proprie meum, quod omnia complectitur quæ doceo, quod omnia condulcabit, quæ inciderint, tristia, ut ea caritate vos mutuo complectamini, qua ego vos sum amplexus.

13 Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

13 Amorem meum non dictis tantum, sed factis etiam testor, nec eum vulgarem, sed eximium, & quo major esse non possit inter homines, inter quos nullum majus est indicium caritatis, quam si quis vitam impendat amico. Nam sua cuique vita carissima est. Pecuniam aut operam qui impendant, fortasse reperientur permulti. Qui vitam impendat amico, rarus est. Ego plus præsto, qui pro inimicis etiam vitam impendo, modo fiant amici. Et interim amicos honoris gratia voco, quos meo jure servos appellare possem.

14 Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.

14 Sed tamen vos non pro servis, sed pro amicis habebo, si quemadmodum ego volens obtempero jussis paternis, ita vos alacres ac lubentes peregeritis quæ præcipio vobis.

15 Iam non dicam vos servos: quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.

15 Qui Legis cultores sunt, merito servi vocantur, quoniam ex præscriptis variis pendent, ac metu potius quam ex animo quod præscriptum est faciunt. Vos autem, quos à Legis servitute vocavi ad libertatem Euangelicam, posthac non appello servos, sed amicos, ut quos mihi non necessitas jungit, sed mutua caritas. Servus enim non intelligit quid sibi velit Dominus, tantum quod jussus est facere, facit, nihil magni præmii sperans, si fecerit, magno malo plectendus, si jussa neglexerit. Et ad officia singula singulis opus est præscriptis: Vade, redi, fac hoc, fuge illud. Non enim credit herus sua consilia servis, ideo malæ fidei, quia metuunt magis quam amant. Vos autem idcirco dixi amicos, quia semel omne consilium animi mei communicavi vobis, ut non sit opus subinde novis præceptis hominum. Quicquid Pater vos per me scire voluit, hoc tanquam fidis amicis impartii. Certa sunt quæ vos docui, nec enim alia docui, quam quæ audivi à Patre meo. Mea præcepta illius præcepta sunt, quæ servantes, illi quoque eritis pro servis amici.

16 Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis, & fructum afferatis; & fructus vester maneat: ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.

16 Quoque magis intelligatis quantus sit honos hujus dignationis erga vos, non vos me vestris officiis provocastis ad amicitiam, ut debiti sit redamare: aut ultro veniistis ad amicitiam, ut humanitatis sit amantes redamare: sed ego, quum essetis servi Legis, & alieni ab amicitia Dei, volens & ultro selegi vos ex omnibus, nihil promeritos. Et in hoc delegi, ut mihi infiti per caritatem mutuam, quam erga me non haberetis, nisi prior ipse dilexissem vos, semper in melius proficiatis. Quemadmodum palmes succo vitis semper alitur, latius sese propagine spargens: ita vos quoque per omnes orbis regiones copiosum Euangelii fructum proferatis, atque ita profitis aliis, ut fructus vester vobis quoque maneat incolumis. Vitis enim vulgaris aliis fructum edit, eumque mox periturum, & ideo palmites ejus temporarium fructum edunt, quoniam adhærent viti perituræ. Vos quoniam adhæretis immortali stirpi, fructum adferetis nunquam periturum, sed vobis incolumem futurum in vitam æternam. Nec interim est quod dicatis: Ingens est labor obire mundum, docere gentes, perpeti malorum odia: Quid salarii, quid præsidii, quid præmii nobis decernitur? Valeant ista mundi præsidia. Hoc vobis omnium præmiorum ac præsidiorum loco sit, quod quicquid petieritis à Patre in nomine meo, daturus est vobis. Quid est facilius, quam petere? Quid est autem quod ille non possit largiri? Quid est porro quod ille mea causa non velit?

17 Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.

17 Nec sunt dura jussa mea. Quid enim dulcius, quam amare mutuum? Qui tam sunt imbecilles, quos non fortes reddat amor mutuus? Quid tam triste, quod non dulce reddat mutua caritas?

18 Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.

18 Neque vos illud moveat, quod dum mecum habetis amicitiam, dum inter vos mutua caritate cohæretis, cum mundo dissidium ac simultatem habebitis. Imo istuc ipsum vestros animos consolari debebit: quandoquidem hoc argumento cognoscetis, vos esse vere meos discipulos & amicos, nimirum alienos à mundo, qui totus in malitia sitos est, quum vos cœlo destinati sitis. Ne videatur indignum, vos in mundo perpeti, quod ego prior vobis sum perpessus. Odit & me mundus, non quod merear, sed quod arguam ac prodam illius malefacta, docens ea quæ non congruunt mundanis affectibus.

19 Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

19 Novit ille suæ factionis homines, eosque complectitur & evehit, ut similis amat similem, & mala scabies amat commode scalpentem. Infelices igitur quibus hic mundus blandus est & amicus. Nam hoc arguit eos alienos esse ab amicitia Dei, quæ sola vere felices reddit. Quod si vos oderit mundus, agnoscite meum exemplum, & vobis ipsis gratulamini, quod à mundi consortio sitis alieni, sed adhæreatis

Digitized by Google

hæreticis contubernio inco. Nam hoc intelligetis ex odio mundi, quod mearum partium sitis. Etenim si pertineretis ad mundum: si diligeretis ea quæ sunt hujus mundi: si doceretis ea quæ congruunt cupiditatibus mundanis, mundus agnosceret vos, ac veluti suos amaret: quoniam autem non ea sectamini quæ sunt carnis, sed quæ sunt spiritus, non inhiatis bonis terrenis, sed cœlestibus, ideo vos odit mundus, non quod odio digni sitis, sed quod malo & impio dissimiles. Antea quum in crassis Legis cæremoniis perfectam justitiam constitueretis: quum rebus fluxis intenti, nullo cœlestium rerum amore tenebamini, mundus vos amabat: sed posteaquam ego vos ab ista factione revocavi ad Euangelicam ac cœlestem doctrinam, mihique veluti palmites insevi stirpi, cœpit odisse vos mundus, non ob aliud, nisi quod estis mei.

20 *Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum servaverunt, & vestrum servabunt.*

20 Atqui non alio nomine felices eritis, quam quod mei estis. Nolite mirari, quod innocentia vestra non tuebitur vos ab odio mundi. Mementote quod dixi vobis: Non est potior servi conditio, quam Domini: nec mea me innocentia tueri potuit ab odio mundi, quæ major est vestra, nec meam doctrinam veriti sunt adspernari, nec meis beneficiis mitescere potuerunt, & à crudelibus cœptis revocari. Quod ausi sunt in me, qui Dominus sum ac Magister, multo magis audebunt in vos. Si me tot insidiis persequuti sunt usque ad mortem longe probrosissimam, si toties convitiis incessiverunt, & vos discipulos meos persequentur, imo me persequentur in vobis. Si meis dictis obtemperabunt, obtemperabunt & vestris. Sed quemadmodum meam doctrinam non tulerunt, ita nec vestram ferent, quoniam eadem docebitis, quæ ego doceo.

21 *Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia nesciunt eum, qui misit me.*

21 Quicquid autem contumeliarum in vos ingesserint, id in me factum arbitrabor. Quicquid enim horum facturi sunt in vos, odio nominis mei facient. Mihi male dicent, quum vobis maledixerint: me rejicient, quum vos rejicient: me cædent, quum vos cædent. Quicquid enim in membra committitur, hoc ad capitis pertinet contumeliam. Et in me facerent ista, si præsentem haberent. Nunc quoniam in me non poterunt, in vos sævient. Porro quemadmodum omnis contumelia vobis illata ad me pertinet, ita quicquid adversum meum nomen committitur, ad Patris mei contumeliam pertinet, quem si vere nossent, ut sibi nosse videntur, nequaquam tantis probris afficerent Filium. Arrogant sibi pietatem in Deum, & in Filium sunt impii. Petunt salutem à Deo, & Filio moliuntur exitium. Jactant se servare Dei præcepta, & Filii præcepta, quæ tradit ex auctoritate Patris, respuunt. Jactant Legis scientiam, & eum, quem Lex prædicat, non agnoscunt. Adorant mittentem, & eum, quem misit, insectantur. Nesciunt igitur Deum, quem se nosse gloriantur. Et tamen hæc ignorantia non excusabit illos in die vindictæ. Nesciunt quidem, sed ideo nesciunt, quia noluerunt discere. Ideo noluerunt discere, quia magis dilexerunt suam gloriam, quam gloriam Dei. Pluris fecerunt quæstum suum, quam lucrum salutis Euangelicæ. Quod itaque Pater fecit in ipsorum salutem, hoc sibi sua pertinacia verterunt in cumulum æternæ damnationis. Etenim in hoc veni, in hoc missus sum, ut omnibus, si fieri posset, impartirem salutem æternam.

22 *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.*

22 Si non venissem ipse, qui sum Filius, & quo nemo major mitti poterat: si non fuissem eis locutus omnia, quæ poterant illos ad meliorem revocare mentem: si non feciſsem ea, quæ vel saxea corda poterant ad credendum impellere, levius certe perirent: nimirum, ab hoc incredulitatis crimine liberi, cujus accessio magnam sarcinam addet eorum exitio. Nunc autem cum nihil à me sit omissum quo servari poterant, cum ipsi pertinacibus odiis pugnarint adversus eum, qui salutem gratuitam offert, non habent quo purgent incredulitatem suam.

23 *Qui me odit: & Patrem meum odit.*

23 Si quis odio prosequatur ignotum, utcunque videtur ignoscendum, si habet invisum, quem nunquam viderit. Me viderunt, & audierunt. Viderunt omnibus benefacientem, audierunt ea quæ Deo digna sunt loquentem, & tamen oderunt, ob ea ob quæ debuerant amare. Porro quisquis odit me, non potest non odisse Patrem meum, è cujus auctoritate loquor, quæ loquor: cujus virtute facio quicquid facio.

24 *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum.*

24 Nec enim verbis solum illis sum locutus, verum etiam factis. Illi excæcati, nec verbis credidérunt, nec factis. Et hoc ipsum illis aggravabit damnationis malum, quod obvia Dei bonitate, tam pertinaciter sunt abusi. Si non edidissem inter illos miracula, quæ nemo Prophetarum ante me prodidit, sive magnitudinem spectet aliquis, sive multitudinem, eaque omnia non in terrorem illorum, sed in subsidium afflictorum, non tenerentur hoc peccato longe gravissimo. Nunc autem & audierunt, & viderunt, tantoque magis oderunt, non tantum me, qui locutus sum & feci, sed & Patrem meum, qui per me locutus est, per me virtutem suam exseruit. Mosen nunquam viderunt, & tamen admirantur: Prophetis credunt, quos nunquam audierunt. Me, quem cominus conspexerunt, quem audiere loquentem, quem experti sunt tot modis beneficum, aversantur: nec hoc contenti, morte afficiunt. Et interim prætexunt pietatem in Deum Patrem, quum qui vere Patrem amet, non possit odisse Filium.

25 *Sed ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis.*

25 Quanquam hæc non accidunt fortuito, quandoquidem hoc quod isti faciunt, Psalmorum vaticinia, quæ tenent ac legunt, futurum olim prædixerunt, videlicet ut pro benefactis, quibus debebatur gratia, malevolentiam reponerent. Sic enim illic loquor per os Prophetæ: *Non gaudeant super me, qui adversantur iniquè, qui oderunt me gratis.* Tolerabile est, si quis provocatus oderit aliquem: utcunque potest ignosci, si quis ignotum oderit: cæterum quis ignoscat illi, qui & notum, & benemerentem odio prosequatur?

26 *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.*

26 Sed istorum incredulitas non reddet irritum fructum eorum, qui mihi adhæserint. Cum enim perfunctus fuero omnibus quæ mihi mandavit Pater, jamque venerit consolator ille, quem sicut ante pollicitus sum, mittam vobis à Patre proficiscentem, qui est Spiritus suggestor ac doctor omnis veritatis, ille declarabit omnia, quæ dixerim, quæ gesserim: ex quibus liquebit & mea bonitas, & illorum obstinata cæcitas. Ille docebit nihil in me factum, quod non ante prædictum sit in libris ipsorum, quos legunt, nec intelligunt.

27 *Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.*

27 Vos quoque qui nunc estis imbecilles, tunc confirmatiores mei Spiritus afflatu, testificabimini apud omnes de me, propterea, quod ordine vidistis quæ gesserim, audistis quæ dixerim. Quemadmodum ego certa vobis retuli, nimirum ea quæ vidi & audivi apud Patrem meum: nec incerta vobis suggeret Spiritus, nimirum & ipse proficiscens à Patre: ita & vos non dubiarum rerum, sed omnibus sensibus compertarum testes eritis. Erunt autem qui nec vobis habituri sunt fidem, sed non ob eos, qui suapte culpa pereunt, deserenda est salus aliorum.

CAP. XVI.

Quando abeo, mittam Flatum: mundum ille notabit: Pro lacrymis rediens gaudia plena dabo.

1 *Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.*

NEC ullis periculis oportebit deterreri à professione veritatis Euangelicæ, quam mundus quidem omnibus machinis oppugnabit, cæterum opprimere nunquam poterit, quæ Deo auctore nititur. Videtis quæ in me mundus moliatur ob professionem paternæ veritatis. Ad similia perpetienda necesse est ut præparetis animos vestros. Hæc ideo

denuntio vobis eventura, ne putetis delicatam esse professionem Euangelicam, ac tum animo consternemini, quum ista vobis præter exspectationem accidissent. Minus enim offendunt mala, quæ prævideris, ad quæ obfirmaris animum, ante quam incurrant. Non fallam vos, nec in malis, quæ necesse est Euangelii gratia perpeti: nec in præmiis, quæ manent gnaviter suo perfunctos munere.

2 *Absque synagogis facient vos: sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.*

2 Hoc primum occurret vobis Euangelii prædicationem auspicantibus. Qui Religionis arcem tenere videntur, qui Legis cognitionem profitentur, vos velut impios & exsecrabiles submovebunt è synagogis suis: quod apud istos est probrosissimum. Mox non hoc erunt contenti, venietur ad carceres, ad flagra. Denique res eo procedet, ut quisquis interfecerit vos, existimet se victimam immolare Deo gratissimam. Prætexent enim impietati suæ pietatis imaginem, ac veræ pietatis doctores, impietatis reos peragent. Ita fiet, ut non solum dura perpetiamini, verum etiam ut impii, maleficique perpetiamini.

3 *Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.*

3 Sed ne vobis curæ sit, quid mundus de vobis judicet, consoletur vos exemplum meum, recordantes, quod ista mecum, quodque mea Patrisque mei causa patiamini. Nostra hæc injuria est, nostrum erit & vobis certantibus opem suppeditare, & victoribus præmia largiri, & illis obsistere, deque pertinacibus pœnam sumere, ne vos quicquam de vindicta cogitetis. Non enim ista committent in vos quod fures sitis, aut maledici, aut alioqui talibus digni malis, sed quia nondum ad plenum noverunt neque me, neque Patrem meum. Error admixtus sævitiæ faciet ut illorum etiam misereat: nec tam existimetis supplicio perdendos, quam doctrina servandos. Multos enim incitabit in vos religionis studium, magis errantes judicio quam affectu. Hi resipiscent simul atque per vos innotuerit Pater meus orbi terrarum: simul atque vestra prædicatione cognoverint meam doctrinam, & Spiritus Sancti vim.

4 *Sed hæc locutus sum vobis: ut cum venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vobis.*

4 Scio vos esse mœstos ob discessum meum: nec erat addendus mœrori mœror, sed expediebat de his prænoneri vos, ut quum inciderint vobis hæc mala, fortiter & infractis animis perferatis, dum vobis veniet in mentem, quod hæc omnia prædixerim eventura, quod exemplo mei, quod ab impiis, quod ab ignorantibus veritatem, quod mea Patrisque mei causa patiamini. Nec vos moveat hominum de vobis judicium, contentos recti conscientia. Quin potius juxta doctrinam meam, beatos vos ipsos judicate, quum persequuti fuerint vos homines, quum omne malum dixerint adversum vos, mentientes propter nomen meum. Ejicient vos è synagogis, sed hoc ipsum arguet vestra nomina scripta esse in cœlo.

5 *Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram. Et nunc vado ad eum, qui misit me; & nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis?*

5 Hæc omnia sciebam vobis eventura, sed tamen initio, quum vos mihi jungerem, his de rebus silui, non ut fallerem vos, sed quia nondum erat tempus: nec enim omnia cuivis tempori conveniunt. Corporis hujus præsentia pro tempore fovit imbecillitatem vestram. Nunc quoniam instat tempus, ut subducar à vobis, oportuit vos palam præmoneri quid sitis perpessuri, quo paulatim consuescatis corporalis præsentiæ solatio carere, positoque affectu humano, sumatis firmius magisque masculum animi robur: nec sitis similes pueris, qui semper pendent à sinu matrum, exanimati, si quando contingat à conspectu parentum avelli. Nolui vos lactare falsa spe: nec tamen alieno tempore volui consternare animos vestros. Datum est quod oportuit imbecillitati vestræ, egique pro tempore consolatorem & patronum.

6 *Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.*

6 Nunc abeundum est, & quum vestra causa potissimum abeam, ut subducto corporis hujus conspectu proficiatis ad fortiora, tamen hic sermo sic exanimavit vos, ut nemo roget aut cogitet, quo vadam, quum non oporteat vos discruciari, quod abeam, sed gaudere potius, quod abeam ad Patrem, unde profectus sum, jam non abfuturus à vobis, sed aliter vobiscum futurus.

7 *Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.*

7 Neque vero nesciebam, quid esset optabilius vestris affectibus. Malebatis hac mea consuetudine perpetuo frui: verum, ego malui vobis loqui quæ conducunt, quam quæ juvant: malui vos cognita veritate ad tempus affici mœrore, quam non proficere ad firmitatem venturæ tempestati parem futuram. Et idcirco palam quod eventurum est nunc prædico vobis, me relicturum vos, & me subducto vos multa passuros. Quibus perferendis ut sitis idonei, expedit vobis ut interim subducar ab oculis vestris. Nisi enim submoto carnis conspectu cœperitis esse spirituales, Spiritus ille consolator, qui vos fortes reddet & invictos, non veniet ad vos. Siquidem illi vos præparavi, ille perficiet quod à nobis cœptum est in vobis. Denique per illum semper vobiscum futurus sum, & præsentius absens adero, quam nunc adsum præsens. Non enim in hoc veni, ut semper vobiscum agam in terris: sed ideo me dejeci ad vestram infirmitatem, ut vos eveherem in cœlum. Sic visum est consilio paterno, dispensatis temporum vicibus paulatim vos, & gradibus quibusdam ad ea, quæ perfecta sunt, promovere. Æquum est autem ut animos quoque vestros ad paternam dispensationem accommodetis. Omnia vobis contingent nostro beneficio, sed vestrum est adniti, ut nostri beneficii sitis capaces. Etenim si perpetuo manseritis in hoc affectu, in quo nunc estis, consolator ille cœlestis non veniet ad vos, nimirum nondum capaces sui muneris: Quod si abiero, vosque, neglecta corporali præsentia, præparaveritis animos vestros sublimioribus dotibus, quas Spiritus ille vobis deferet, tum veniet ille consolator à me missus ex Patre, nunquam vos relicturus, nec unquam vos destituturus, nec in vita, nec in morte:

8 *Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio.*

8 Nec erit inefficax ille Spiritus, sed quum venerit, plus efficiet per vos, quam ego nunc præsto: non quod non sit eadem potentia, sed quod sic expediat humani generis saluti, negotii partes in tempora partiri. Ego argui mundum, ille plenius & evidentius idem efficiet. Sic enim convincet mundum, ut nisi resipuerit credens Euangelio, nullam sit prorsus excusationem habiturus. Nam ut illi nunc nostræ carnis infirmitas præbet offendiculum, ita nonnihil præbere videatur, quod possit incredulitati suæ prætexere. Viderunt lassum, viderunt esurientem & sitientem, viderunt humilem & contemtum, mox videbunt afflictum, captum, cæsum, ac morientem denique. Cæterum ubi perfectis omnibus, quæ ad carnis dispensationem pertinent, viderint revixisse, viderint sublatum in cœlos, viderint misso Spiritu vos subito factos intrepidos mei nominis præcones, virtutes admirandas emicare ad nomen meum invocatum, exsilire Dæmones, restitui claudos, sanari ægrotos, reviviscere mortuos: denique nihil non evenisse quod à Prophetis erat prædictum, nihil erit reliquum excusationis impiis & incredulis. Tum enim mundus triplici nomine convincetur inexcusabiliter. Primum de peccato, mox de justitia, deinde de judicio.

9 *De peccato quidem, quia non crediderunt in me:*

9 De peccato omnium maximo, quodque cætera peccata omnia complectitur, coarguetur: quia cum viderint consentire Prophetarum oracula cum eventis: cum conspexerint tot hominum millia profiteri nomen meum: cum viderint eos, qui mihi crediderunt, accepto Spiritu Sancto loqui linguis ignotis, claresceré miraculis: relinquere superstitionem Mosaicæ Legis: amplecti pietatem Euangelicam, detestari patrium cultum simulacrorum, sed vitæ pietate colere Patrem cœlestem: pro nihilo ducere terrena commoda: totos ad cœlestia rapi: quid tum habebit mundus, quod prætexat obstinatæ suæ incredu-

Digitized by Google

credulitati? Si nihil erit omissum à Patre, qui misit: nihil à me, qui missus sum servandis omnibus: nihil à Spiritu Sancto, quem utrique missuri sumus: nihil à vobis, quibus ut organis suis utetur ille cœlestis Spiritus, quid superest, nisi ut omnes intelligant vos incredulitatis suæ perire vitio? Quumque conspexerint profanas gentes, per simplicis aquæ lincturam ac mei nominis professionem ablui à pristinæ vitæ peccatis, & innocentia donari, palam erit illos volentes ac scientes in suis manere sordibus, & peccata peccatis addere.

10 *De justitia vero, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me:*

10 Coarguetur autem & de falso vindicata justitia. Nunc enim utcunque prætexunt observationem Legis à Deo traditæ: jactant observatas majorum constitutiones: prætexunt à majoribus traditam religionem, jejunia, sabbata, preces, eleemosynas, cultus, & id genus alia, quæ speciem habent justitiæ: cæterum ubi viderint Spiritus illius vim admirabilem non contingere nisi his, qui professi fuerint nomen meum: contingere etiam idololatris, sine Legis observatione, quid dicent interim, qui sibi justitiam ex Legis observatione vindicant? Frustra gloriabuntur apud homines de falsa justitia, qui eum rejecerunt, per quem unum vera contingit justitia. Id ita esse tum palam erit mundo, quum Spiritus ille declararit, me non esse mortuum, quem in crucem suffixerant, quem sepelierant: sed rediisse ad Patrem, unde veneram, apud illum vivere, & jam invisibilem ac sublatum ab oculis humanis majora præstare per vos meo Spiritu afflatos, quam præsens in terris præstiterim. His rebus fiet, ut illorum injustitia coarguatur, qui alibi sibi justitiæ spem posuerunt, quam in me: & Dei justitia fiat illustris, quæ bona fide præstiterit humano generi, quod olim per Prophetas suos erat pollicitus. Id autem mox futurum est. Proficiscor enim ad Patrem per mortem, neque diu vobiscum hoc visibili corpore versaturus sum, & tamen sentietis me vivum ac potentem, nihilque non præstantem eorum, quæ sum pollicitus.

11 *De judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus est.*

11 Quin & de judicio coarguetur mundus, quum passim hominibus à peccatis ad innocentiam vitæ resipiscentibus, à crassis Mosaicæ Legis ceremoniis, ad Euangelicam pietatem sese conferentibus, à Dæmonum & simulacrorum cultura totis totius orbis nationibus sese convertentibus ad cultum Patris, Filii, & Spiritus Sancti, palam fiet principem hujus mundi, qui hactenus per peccatum exercuit tyrannidem, jam suis ipsius armis victum, ejectum, condemnatumque esse: ut qui mortem meam procuraverit, per quem peccata mundi tolluntur, per quem confertur innocentia, per quem donatur libertas Euangelica, per quem datur immortalitas. Tum apparebit fuisse triumphum, quod videbatur ignominia: fuisse victoriam, quod putabatur exitium. Quum enim Dæmones passim ejicientur Templis, quum ad signum crucis ejulabunt, quum ad nomen meum relinquent diu possessa corpora, nonne manifestum erit principem illorum esse condemnatum? Nonne conspicuum erit & illos merito damnandos esse, qui damnatum illum ac victum sequi maluerint in mortem æternam, quam me, quem Deus veluti victorem in regni sui consortium subvexerit, omnibus innocentiæ vitæque auctorem?

12 *Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo.*

12 Sunt alia multa, quæ vobis poteram dicere, sed non est hujus temporis ea promere, nec vos adhuc capaces estis, ob imbecillitatem, nec adhuc peractam hujus meæ legationis functionem: ea Spiritui venturo reservo.

13 *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur à semetipso: sed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annuntiabit vobis.*

13 Ille ubi venerit, reperiet vos plenioris scientiæ capaciores, nimirum peracta mortis, resurrectionis, & adscensionis meæ dispensatione. Non erit spiritus vanus aut humanus, sed Spiritus erit meus, hoc est, veritatis. Is vos docebit omnem veritatem, cujus nunc ad plenum capaces non estis. Loquetur & ille vobis, sed tacitis & arcanis flatibus. Non aere moto feriet aures corporis, sed occulta vi movebit intima mentium. Nec loquetur incerta, sed quemadmodum ego nihil loquutus sum, quod non audierim apud Patrem meum, ita ille nihil suggeret, nisi quod acceperit à Patre, & à me. Nec solum aperiet vobis omnem veritatem de rebus præteritis, verum etiam quoties res postulabit, quæ post futura sunt, prædicet vobis antequam eveniant. Est enim non solum omnipotens, sed etiam omniscius.

14 *Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.*

14 Ille per vos illustrabit gloriam nominis mei, quemadmodum ego per mortem & resurrectionem meam illustrabo gloriam Patris. Nam quemadmodum in gloriam Patris proficit, quicquid à me geritur, à quo sum, & à quo accepi omnia: ita in meam gloriam proficiet, quicquid Spiritus ille per vos gesserit. Nihil enim vobis suggeret diversum ab his, quæ ego accepta à Patre tradidi vobis. Nihil inter nos non commune omnium.

15 *Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixit quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.*

15 A Patre proficiscuntur omnia, sed nihil est illius, quod idem non sit meum, nec quicquam est Patris, aut meum, quod Spiritui non sit commune. Per illum igitur ego vobis loquar, quemadmodum per me loquutus est Pater. Qui mihi credit, credit Patri, qui Spiritui credit, credet utrique nostrum.

16 *Modicum, & jam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem.*

16 Hisce tot rebus confirmati fortem animum sumite adversus tempestatem imminentem, & in rebus afflictis servate vos secundioribus, quæ sequentur. Breve tempus est, quod orbabimini conspectu meo, sed id longum non erit. Post exiguum enim temporis spatium rursus reddar oculis vestris, ut paulatim assuescatis carere corporis hujus conspectu, qui vobis inutilis est. Nam ad Patrem redeo, majora vobis largiturus, ubi vobis conspicuus esse desiero. Tantus autem mœror occuparat id temporis discipulorum animos, ut toties iterata, nec intelligerent, nec meminissent. Quum enim Dominus Jesus indicaret his verbis non admodum obscure, se per mortem ac sepulturam abfuturum à conspectu suorum: sed rursus post triduum eodem quidem corpore, sed jam immortali, videndum esse suis, ut aliquot dies confirmatis discipulorum animis, sese reciperet in cœlum: ut sublato conspectu corporis, quod illos non patiebatur esse spirituales, promererentur Spiritum illum cœlestem: nec post exspectarent corporalem Domini præsentiam, nisi quum supremo die sese semel ostendet omnibus totius orbis nationibus, judicaturus vivos & mortuos:

17 *Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem: Quid est hoc, quod dicit nobis: Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me, & quia vado ad Patrem?*

17 Tamen quod dictum erat, non intelligentes discipuli, mussitabant inter sese: *Quid sibi vult hic sermo? Breve tempus est quod me non videbitis: & rursum, Breve tempus erit quod me videbitis, quoniam vado ad Patrem.*

18 *Dicebant ergo: Quid est hoc, quod dicit, Modicum? nescimus quid loquitur.*

18 Quomodo videbimus, qui se subducit ad Patrem? aut quid sibi vult hoc breve tempus, quo sui videndi copiam nobis adimet? rursum aliud breve, quo sui videndi nobis copiam faciet? obscurus est hic sermo, nec intelligimus quid loquatur.

19 *Cognovit autem Jesus, quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi, Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me.*

19 Jesus autem intelligens quod haberent in animo percunctari se, quid sibi vellet quod dixisset, prævenit illorum interrogationem, ut, quemadmodum solet, ostenderet sibi notas esse quamvis arcanas hominum cogitationes. Rursum hoc conturbat, inquit, animos vestros, quod dixerim, ad breve tempus subducendum vobis mei conspectum, rursus ad breve tempus reddendum vobis mei conspectum, quod perpetuo non expediat apud vos manere, quemadmodum nunc maneo, sed magis in rem vestram est, ut abeam ad Patrem.

20 *Amen, amen dico vobis: quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.*

20 Quod dixi, verissimum est. Instat tempus, quum vos ob ademtam hanc nostram consuetudinem, luctu, mœrore, lachrymis conficiemini, despondentes animum, velut omni præsidio destituti. Contra mundus velut victor gaudebit, gestiet, exsultabit; sed brevi commutabuntur rerum vices:

nam

nam mundi gaudium vertetur in mœrorem, & veſter mœror vertetur in gaudium. Ut enim mea mors vos diſcruciabit, & Judæos afficiet gaudio: ita reſurrectio vos afficiet gaudio, contra Judæos conturbabit. Quare brevem iſtum mœrorem fortiter tolerate, ſpe mox ſequuturi gaudii.

21 Mulier cum parit, triſtitiam habet, quia venit hora ejus: cum autem peperit puerum, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum.

21 Quemadmodum gravida mulier graviter diſcruciatur, nitens ad partum, cæterum eos dolores magno tolerat animo, quod ſciat non fore diuturnos, & mox conſequuturam ex edita prole voluptatem. Nam ſimul atque pepererit quod parturiebat, tanta eſt voluptas, quod mater ſit facta novæ prolis, ut non meminerit doloris, quem in nixu perpeſſa eſt: imo gaudet longam lætitiam emtam ſibi dolore brevi.

22 Et vos igitur nunc quidem triſtitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum: & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.

22 Itidem vos quoque hoc exiguo tempore, quod inſtat, vehementer animo diſcruciabimini, & jam nunc mœrore magno tenemini: ſed poſt dies pauculos, ubi victor me vobis exhibuero redivivum, magno gaudio perfundetur cor veſtrum: quod quem mortuum luxiſtis, videatis immortalitate donatum. Luctus erit brevis, ſed gaudium erit perenne. Mors enim tranſit, manet immortalitas.

23 Et in illo die me non rogabitis quidquam. Amen, amen dico vobis: ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

23 Nunc multa ſunt, de quibus animus veſter geſtit interrogare me. Tum adeo ſatisfactum erit animis & oculis veſtris, ut nihil amplius exiſtimetis interrogandum. Ingens enim gaudium excutiet omnem animi moleſtiam: neque quicquam præterea vota veſtra requirent, ubi plus videbitis exhibitum, quam ſperaveritis, aut optare ſitis auſi. Et tamen poſteaquam fuero ſublatus à vobis in cœlum, nihil eſt vobis defuturum. Quid enim facilius, quam petere à Patre? Quicquid autem ab illo petieritis in meo nomine, dabitur vobis. Quid opus vobis eſt aliis præſidiis? Pater unus poteſt omnia, & ille meis amicis, ac meo nomine petentibus nihil negaturus eſt.

24 Uſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo: Petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum.

24 Hactenus obſtitit vobis præſentia corporis, quominus petieritis aliquid ab illo dignum meo nomine. Nondum enim toti pendetis à præſidiis cœleſtibus, ſed ab hoc corpore velut humano pendetis affectu. Poſthac petite ſublatis in cœlum animis, ubi ſcitote me præſentem fore patronum: & quicquid poſtulaveritis, impetrabitis: ut jam gaudium veſtrum, quod poſt hunc, in quo nunc eſtis, mœrorem ex reddito vobis mei conſpectu continget, fiat plenum ac perpetuum. Non enim erunt tunc vices mœroris & gaudii, ex ſublata ac reddita mei copia juxta corporis infirmitatem, ſed freti ſemper vobis parato cœleſti præſidio, ſemper præſentem habentes conſolatorem & conſultorem Spiritum, jugi conſcientiæ gaudio fruemini, in lætis pariter atque triſtibus agentes gratias Deo.

25 Hæc in proverbiis locutus ſum vobis. Venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis, ſed palam de Patre annuntiabo vobis.

25 Hæc interim obſcurius ac velut per ænigma loquutus ſum vobis, nondum quid dicam ad plenum intelligentibus. Sic enim obſequendum erat imbecillitati veſtræ, ut vos quoque diſcatis aliorum imbecillitati gerere morem. Sed veniet tempus, quum hoc corpore mortali ſublato, vobis jam firmioribus, ac mœrore poſito, magis attentis loquar de Patre meo palam, & abſque parabolarum involucris. Nunc enim vobis quod palam etiam dicitur, ob animum imbecillem, & curis occupatum, veluti parabola eſt. Tandem & per Spiritum meum certo renuntiabo vobis quid velit Pater meus. Non enim decet vos ignaros eſſe voluntatis paternæ. Tum quidem tacite loquar, ſed certa loquar, ſed aperta loquar, ſi modo vos petieritis.

26 In illo die in nomine meo petetis; & non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis.

26 Sed tum hoc quoque ſuggeret Spiritus cœleſtis quid petendum ſit, aut quomodo petendum in nomine meo. Quod ſi feceritis, etiamſi quid eſſet arduum ac difficile, tamen Pater in gratiam meam petentibus non negaret. Nunc non hoc dico, quaſi ſic meo interventu ſitis impetraturi, quemadmodum ab homine Principe nonnunquam impetrant homines patrocinio cujuſpiam, qui gratioſus ſit apud Principem, quod alioqui largiturus non eſſet, niſi hoc donaret ejus gratiæ, qui poſtulantis preces commendat.

27 Ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis quia ego à Deo exivi.

27 Imo Pater, tametſi rogari amat per Filium, per quem omnia voluit largiri mortalibus, tamen volens ac lubens alioqui votis veſtris annuet. Non ſolum ob amorem, quem habet erga Filium, verum etiam quem habet erga vos: non enim ſic amat Filium, ut vos non amet, ſed quoſcunque amat Filius, hos amat & Pater. Amat igitur vos, non operum veſtrorum gratia, ſed ob id, quia me mutuo diligitis: quia creditis quod ab ipſo profectus ſum. Nam hoc eſt amare Patrem, amare Filium: & hoc eſt credere Patri, credere Filio. Non credit autem qui negat illum à Patre veniſſe, qui negat illum ex auctoritate Patris dicere ac facere omnia.

28 Exivi à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.

28 Antequam venirem in mundum, aſſumto, quod videtis, mortali corpore, jam eram apud Patrem: ſed veſtra cauſa veni in mundum, ut vos in cœlum eveherem. Nunc rurſus obitis his, quæ mandarat Pater, veſtra gratia, juxta corporis præſentiam relinquo mundum, & ad Patrem redeo. Quicquid autem hîc geritur, aut geretur, veſtræ ſalutis cauſa geritur, ac geretur.

29 Dicunt ei diſcipuli ejus: Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis.

29 His verbis animatiores facti diſcipuli, nonnihil ſibi placere cœperunt, quaſi ſuis viribus ſuſtinere poſſent imminentem Domini ſui mortem, reſpondent hunc in modum: Ecce quod in poſterum te facturum polliceris, hoc jam nunc præſtas. Nunc enim abſque parabolarum involucro palam eloqueris quid ſis facturus: nec eſt opus ut te quicquam præterea rogemus.

30 Nunc ſcimus quia ſcis omnia, & non opus eſt tibi ut quis te interroget: in hoc credimus quia à Deo exiſti.

30 Nihil enim te fugit, & iſtis dictis animi noſtri mœrorem exemiſti, nec erit opus aliis ſermonibus. Non dubitamus enim, quin quod inſtat ſpe gaudii futuri, ſimus conſtantibus animis laturi. Et in hoc denique vere credimus, quod à Deo profectus ſis, quod arcana cordium noſtrorum penitus habes perſpecta.

31 Reſpondit eis Jeſus: Modo creditis?

31 Porro Dominus Jeſus, cui mos erat acriter ubique coercere, ſi quid humanæ arrogantiæ, ambitionis, aut fiduciæ ſenſiſſet in animis oboriri diſcipulorum ſuorum, quo plane diſcerent ſuis diffidere viribus, quibus nihil poterant, ſed toti penderent à præſidiis Dei Patris, retudit eam arrogantiam, quod quum nondum intelligerent quid dixiſſet, quum nondum vere crederent, nondum eſſent pares inſtantibus procellis, tamen ſibi vindicarent, quod erat precibus poſtulandum à Patre: reſponditque hunc in modum: Quid ego audio? Quod ego poſt polliceor, jam firmioribus mea doctrina & ſacri Spiritus afflatu factis, hoc nunc vobis arrogatis ante tempus, quaſi virtutis humanæ præſidiis poſitis omnino quicquam.

32 Ecce venit hora, & jam venit, ut diſpergamini unuſquiſque in propria, & me ſolum relinquatis: & non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt.

32 Imo jam inſtat tempus, quo declarabitis, quam ex vobis ipſis ſitis imbecilles. Non enim ſolum fortiter non perferetis tempeſtatem imminentem, ſed me deſerto ſolo in manibus ſatellitum, qui me rapient ad crucis ſupplicium, alius alio fugietis: adeo metu perturbatis animis, ut non modo mihi non ſitis adhæſuri, ſed ne conſortio quidem mutuo vobis invicem auxilio ſolatioque futuri, dum ſibi quiſque timebit, ne alterius indicio prodatur, aut in periculum veniat: quanquam mihi quidem veſtro præſidio non erit opus. Ab omnibus quidem amicis meis deſtituar, ſed tamen deſolatus non ero, quia nunquam me deſeret Pater.

33 Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo preſſuram habebitis: ſed confidite, ego vici mundum.

33 Hæc ideo loquor vobis, ut veſtris diffiſi viribus in me conquieſcatis. Mundus magnis tumultibus coorietur in vos, quemadmodum nunc in me cooritur. Sed magno ſitis animo, memores, quod ego vici mundum. Ex me ſumetis exemplum, à me ſperabitis auxilium. Vincetis & vos, ſed per me: veſtrapte quidem natura imbecilles, ſed meo Spiritu fortes & invicti futuri, quum tempus & res poſtulabit.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XVII.

Restat nunc ut glorificer: nam cuncta peregi:
Da bona discipulis, qua peto, cuncta, Pater.

1 *Hæc locutus est Jesus: & sublevatis oculis in cælum, dixit: Pater venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te:*

1 HUJUSMODI sermonibus postea quam Jesus partim consolatus esset discipulos suos, partim erudisset, & instruxisset adversus imminentem malorum procellam: quoniam admonuerat fiduciam non esse collocandam in viribus humanis, sed præsidio cœlesti, voluit & ipsa re docere suos, ut ingruentibus afflictionibus mundi non alio spectarent, quam ad Patrem cœlestem, unde totos oporteret pendere, qui cupiunt esse pares tolerandis persecutionibus. Igitur attollens oculos in cœlum, quo nimirum ipso corporis habitu doceret, quo foret intendendus animus, hunc in modum loquutus est: Pater, nunc adest tempus mihi semper optatum, glorifica Filium tuum apud homines morte, ac resurrectione, ut vicissim Filius tuus te glorificet apud universos mortales, & uterque per alterum innotescat.

2 *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam.*

2 Sic enim expedit ad humani generis salutem, ut mundus per te cognoscat Filium, ac vicissim per Filium cognoscat Patrem. Sic enim tibi visum est, ut Filio traderes potestatem universi generis mortalium: nec in aliud hanc tradidisti potestatem, nisi ut omnes salvi redderentur, & à morte liberati vitam assequantur æternam. Placuit enim tibi quicquid largiris hominibus, per Filium largiri: per cujus mortem donas omnibus, si velint, vitam æternam.

3 *Hæc est autem vita æterna: Ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.*

3 Porro vitæ æternæ fons est, ut utroque alterum illustrante, per fidem cognoscant utrunque, videlicet te, qui solus verus es Deus, non solum Judæorum, sed omnium orbis nationum, unde proficiscitur quicquid est usquam boni: & eum, quem pro salute generis humani misisti in mundum, Jesum Christum, per quem donas quicquid tua bonitas donare voluit hominibus: ut utrique nostrum habeant gratiam, tibi velut auctori summo omnium, mihi qui ex tua voluntate functionem hanc volens ac lubens perago. Non enim potest salutem consequi, qui Patrem honoret, contemto Filio, aut qui Filium veneretur, neglecto Patre, cum utriusque sit eadem gloria.

4 *Ego te clarificavi super terram: opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam:*

4 Ego hactenus miraculis ac doctrina mea, nomen tuum illustre reddidi in terris: hactenus obii quod mihi mandaras, promtus ac paratus ad id quod superest. Non quæsivi gloriam meam, sed tuam, verum dejeci memetipsum ad summam ignominiæ humilitatem, ut tui nominis gloriam illustrarem apud homines. Nam tua gloria nunquam in se mutatur, nec eges gloria apud homines, sed illis opus est, ut ipsis innotescas.

5 *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate, quam habui prius quam mundus esset, apud te.*

5 Et nunc, mi Pater, tu vicissim effice, ut mundus intelligat, me totum receptum in eam gloriam, quam habebam apud te prius quam hic orbis conderetur. Propter corporis imbecillitatem adhuc humiliter de me sentiunt homines, de te vero magnifice sentiunt. Tua gloria sicut ex se nec initium habet nec finem: ita nec crescere novit nec decrescere. Nec hujus corporis assumti imbecillitas imminuit gloriam meam, quam semper habui, semper ex te natus: sed abs te conditus est mundus per me, ut essent qui cognoscerent, mirarentur & amarent, potentiam, sapientiam, ac bonitatem tuam.

6 *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo: Tui erant, & mihi eos dedisti: & sermonem tuum servaverunt.*

6 Nunc rursus est tempus, ut quod conditum est, tua bonitas restituat per me. Restituetur autem, si cognorit mundus quanta sit tua caritas erga genus humanum, cujus servandi gratia Filium unicum in mortem tradideris: quanta potentia, qui Diaboli tyrannidem fregeris: quanta sapientia, qui tam mirabili consilio mundum abs te alienum ad te converteris. Jacta sunt hujus rei fundamenta. Effeci ut nomen tuum innotuerit iis, quos afflatu tuo exemtos à mundo, mihi tradidisti. Non enim poterant eximi huic mundo, non poterant inseri mihi, nisi tua gratuita bonitas afflasset illorum animos. Tui erant, quos condidisti: tui erant, quos huic negotio destinaras, & eos mihi docendos ac formandos tradidisti. Nec inanis fuit in illis tua benignitas, nec inanis fuit opera mea. Crediderunt doctrinæ meæ, qua te docui: nec solum crediderunt, sed hucusque perstiterunt in credulitate, obtemperantes meis sermonibus.

7 *Nunc cognoverunt quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt:*

7 Nam hoc cognitum ac persuasum habent, quod Judæi credere noluerunt, quod quicquid docui, quicquid gessi, ex te auctore profectum est, tua virtute gestum est.

8 *Quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognoverunt vere quia à te exivi, & crediderunt quia tu me misisti.*

8 Nec enim aliud illis tradidi, quam abs te tradendum acceperam, qui quicquid etiam sum, ex te sum: neque quicquam est tuum, quod non idem sit meum. Sermonem igitur meum, quem Pharisæi spreverunt: hi velut abs te profectum acceperunt, cui credentes vere cognoverunt, quod abs te profectus sim, abs te missus venerim in hunc mundum. Hactenus profectum est in eis, quod persuasum habent me Messiam esse tot seculis exspectatum, quem tu ad salutem omnium credentium misisti in mundum.

9 *Ego pro eis rogo: Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi: quia tui sunt:*

9 Nunc quoniam eos relinquo, juxta corporis convictum, vicissim illos tuæ bonitati commendo servandos, ne deficiant, sed semper in melius proficiant. Sciunt cui debeant acceptum ferre suam salutem. Sciunt cujus præsidiis niti debeant. Ex te pendent. Ego igitur pro his rogo, quos è mundo subductos, tuos esse voluisti, ut tua bonitas quod cœpit in illis, perpetuum ac proprium esse velit. Pro mundo nunc non rogo, qui malis cupiditatibus excæcatus, pertinaciter reclamat doctrinæ meæ, sibi ipsi salutem gratis oblatam invidens. Pro his rogo, quos mihi servandos tradideras, quia non sunt hujus mundi, sed tui sunt, & adversus Diaboli malitiam non possunt esse tuti, nisi tuo perpetuo præsidio. Tuos igitur tibi Pater commendo, ut perpetuo tuos esse velis, quemadmodum ego perpetuo tuus sum.

10 *Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt: & clarificatus sum in eis.*

10 Et ideo mei sunt, quia tui sunt, quod inter nos sit rerum omnium communio. Quicquid enim meum & est, idem & tuum est: quicquid tuum est, idem est & meum. Quemadmodum autem tu mea doctrina glorificatus es apud homines, ita ego per horum credulitatem glorificatus sum, qui mihi constanter adhæserint, Pharisæis & Scribis obstinate reclamantibus. Succedent enim hi quodammodo in vices meas, ac me sublato de terris nomen utriusque nostrum celebre reddent per universum orbem. Peregi prædicationis meæ munus, in quod isti succedent.

11 *Et jam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: ut sint unum, sicut & nos.*

11 Jamque non sum in mundo, quem mox relinquo: cæterum hi mei loco manent adhuc in mundo, sparsuri per universas orbis nationes, quod à me didicerunt. Ego vero relictis illis, ad te venio totus. Pater sancte, serva eos in prædicatione tui nominis, quos mihi docendos tradidisti, ut ea doceant, quæ tu me docere voluisti, quæque ego per omnia voluntati obtemperans tuæ docui: ut quemadmodum ego à tuis præscriptis nusquam discessi, sed per omnia consentientem me præbui voluntati tuæ: ita & horum doctrina, horum vita, nusquam à mea dissentiat. Sic enim vere glorificabitur nomen nostrum per illos, si quemadmodum nos inter nos consentientes, uterque alterum glorificavimus: ita & hi nusquam à nobis dissentientes, illustre reddant nomen nostrum in toto terrarum orbe. Quicquid enim illi docuerint, quicquid fecerint, quoniam intelligetur à nobis esse profectum, ad nostri nominis nominis gloriam referetur.

12 *Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi: & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis ut Scriptura impleatur.*

12 Quandiu cum illis egi secundum corporis consuetudinem, etiam corporalibus officiis studui illos servare veluti tuos, & abs te mihi concreditos, & hactenus continui illos in fœdere nostro. Quot-

Digitized by Google

quot mihi tradidisti, hos traditos bona fide custodivi: neque quisquam ex hoc contubernio periit, præter unum: qui licet mecum viveret, meus tamen non erat, sed perditioni natus erat, quam ipse sibi suopte vitio volens accersivit. Nam à me nihil est præteritum, quod illum ad mentem meliorem revocare debuerit. Ne id quidem fortuito obtigit, sed hoc fore jam olim Scriptura divina prædixerat, ut amicus & domesticus convictor, pecunia redemtus, proderet in mortem Dominum, ac Magistrum suum. Verum tuo sancto consilio fit, ut hujus quoque pernicies proficiat ad publicam orbis salutem, dum per hunc procuratur id, sine quo salus non poterat contingere: dumque paratur exemplum, quod admoneat unumquemque in eo persistere quod cœpit, ne quod gratuita Dei bonitate collatum est ad consequendam æternam salutem, ipse sibi sua culpa vertat in exitium æternum.

13 Nunc autem ad te venio: & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis.

13 Verum ut hactenus hæc æterno tuo consilio peracta sunt, sicuti voluisti, ita perfunctus his, quæ mandasti, relinquo mundum, & ad te venio. Sed interim abiturus, hæc loquor apud te: non quod dubitem de voluntate tua, sed ut hac oratione consoler & confirmem meos; ut intelligant se tibi fore curæ, posteaquam mei corporis fuerint orbati conspectu, ponantque mœrorem, quod intelligant me revicturum: mox gaudeant, ubi me conspexerint redivivum: demum ubi viderint sublatum in cœlum, & acceperint Spiritum illum cœlestem, tui simul ac mei vicarium, concipiant gaudium non temporarium, quod è corporis redditi nascatur adspectu, sed perpetuum ac perfectum, quod illis semper suggerat Spiritus noster, inhabitans eorum pectora; ut jam non aliunde pendeant, quam à fiducia nostri rectique conscientia.

14 Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo.

14 Graves persecutionum tempestates excitabit in illos mundus, propterea quod mea doctrina non convenit cum hujus mundi cupiditatibus. Siquidem homines inhiant rebus terrenis & caducis, ego doceo cœlestia. Hanc doctrinam abs te mihi traditam, tradidi illis, quam adspernante mundo, hi pauci amplexi sunt, & ob hoc mundus hos, velut sui desertores, & ad nos transfugas, odio prosequitur, non ob aliud, nisi quod nobis adhærent, mundo renuntiantes. Habet hic mundus suas illecebras ad tempus blandientes: habet sua terriculamenta minasque, quibus fortem etiam animum frangit. His tuetur suam factionem, & nostram impugnat. Æquum est igitur, ac nostræ benignitatis, ut qui à mundi partibus defciverunt ad nos, seque totos nobis crediderunt, totique pendent à nobis, curæ sint tibi, quo mundus intelligat, tutiores esse qui se nostris tradunt præsidiis, quam qui nituntur auxiliis mundi. Simplex illorum erga nos fiducia, meretur cœlestem favorem: & odium in eos mundi, nostra causa exortum, provocat nostram erga illos benevolentiam. Non enim ideo sunt invisi mundo, quod fures sint, aut homicidæ, aut raptores, aut impostores, sed quod immunes sint à vitiis hujus mundi, ab ambitione, avaritia, livore, fraudulentiaque Pharisæorum, ab idololatria, à turpitudine, cæterisque vitiis, quibus passim laborat mundus. Denique ideo odit eos mundus, quod spreta doctrina Pharisaica, spreta stulta Philosophia mundi, simplici credulitate pareant meis decretis, quemadmodum me quoque mundus odit, quod tuæ voluntati paruerim. Nec me solum odit mundus, sed nomen quoque meum, ac memoriam oderit: meaque causa prosequetur odio, quicunque contemtis humanis dogmatis, sequetur simplicem ac puram doctrinam Euangelicam, propterea quod longe dissentiat à cupiditatibus eorum, qui totis studiis amplectuntur ea, quæ sunt hujus mundi.

15 Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo.

15 Nunc ego perfunctus meo munere, sejungor à mundi consortio: sic enim expedit. Nolim autem adhuc illos esse mihi comites, nondum est tempus, ut & hi sustollantur è mundo, donec & ipsi perfuncti fuerint sibi delegando munere. Hoc tantum rogo, ne viventes in mundo, mundi vitiis contaminentur, & à nobis desciscentes, revolvantur in mundi factionem. Id enim sine tuo præsidio vitare non poterunt, tot insultibus impetiti.

16 De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo.

16 Mihi adhærent, mei palmites sunt, mea membra sunt. Ita fit, ut quemadmodum ego sum alienus à mundo, quoniam adhæreo tibi, ita & hi sunt à mundo alieni, quoniam adhærent mihi.

17 Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est.

17 Quemadmodum ego me purum servavi ab inquinamentis mundi, ita tu hos puros serva ab omni mundi contagio. Id fiet, si tuo præsidio perseveraverint in veritate. Mundi sapientia plurimum habet falsitatis admixtum. Mosaica Lex rerum umbris est involuta, sed tuus sermo, quem ego docui, pura veritas est, non habet fucos, non habet umbrarum fumos. Hanc ego pure sincereque tradidi, ut jam non sit opus tot interpretamentis, tot constitutionibus Pharisæorum, tot elaboratis Philosophorum sophismatis. Sola doctrina mea simplex, & omnibus obvia, si modo accesserit credulitas, sufficiet ad æternam felicitatem.

18 Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum.

18 Quemadmodum ego tuus Apostolus bona fide gessi tuum negotium, abs te missus in mundum, nulla ex parte corruptus ex mundi contagio, sed mundum potius ad meam attrahens puritatem: ita & hos mei vice mitto in mundum, ut quod à me acceperunt, pure sincereque doceant: non studentes quæstui gloriæve suæ, sed voluntati tuæ, quo per horum testimonium plurimi pertrahantur ad nos, & à mundo separentur, qui totus in vitiis est.

19 Et pro eis ego sanctifico meipsum: ut sint & ipsi sanctificati in veritate.

19 Hujus rei gratia memetipsum victimam immolo tibi, ut & hi purgati à peccatis, puri perseverent in prædicatione veritatis Euangelicæ. Non enim potest pure prædicare doctrinam meam mundo, qui mundanis affectibus fuerit obnoxius.

20 Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.

20 Nec pro his tantum rogo, qui pauci sunt, sed pro omnibus, qui per meam doctrinam, ab his prædicatam, mundo renuntiaturi sunt, & in me fiduciam omnem collocaturi.

21 Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me misisti.

21 Sic enim fiet, ut quemadmodum tuis inhærens sermonibus, abs te non divellor: quemadmodum hi meis præceptis inhærentes, à me non divellentur, sed veluti palmites vivent in nobis, veluti membra nostra animabuntur spiritu: ita & cæteri, qui horum dictis inhæserint, quæ ex me accepta mundo tradent, mihi insiti, per me tibi jungantur, ut totum corpus sibi connexum cohæreat, te radice, me stirpe, spiritu sparso per omnia membra, his & qui per hos credituri sunt palmitibus, per universum orbem longe lateque diffusis. Ego nihil possum sine te, hi nihil poterunt sine me.

22 Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum, sicut & nos unum sumus.

22 Quod abs te accepi, hoc in illos transfundo per spiritum omnibus communem, ut quemadmodum tu vim tuam exseris in me, & ego tibi invulsus inhæreo, ita & nos vim nostram exseramus in his, nobis invulse adhærentibus: ut mundus horum concordi doctrina, horum miraculis, horum castis moribus commotus, credat me profectum abs te, & quicquid per te gessi, redeat in gloriam tui nominis: intelligat mundus & in his esse Spiritum nostrum, miraculis, aliisque variis argumentis exserentem vim suam. Quemadmodum enim gloriam, quam mihi apud homines edita miracula peperere, non mihi vindicavi, sed tibi Pater transscripsi, quem auctorem semper professus sum: ita gloria, quam isti magnificis gestis sibi parabunt in posterum, quoniam suo nomine nihil agent, sed omnia referent ad nostri nominis gloriam, tota nostra erit. Itaque mundus intelliget, talem esse concordiam inter illos & me, qualis est inter me & te.

23 Ego

Digitized by Google

23 *Ego in eis, & tu in me: ut sint consummati in unum: & cognoscat mundus quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti.*

[23] Ego per Spiritum meum agam in illis, quemadmodum tu in me veritatem tuam exseruisti: ita fiet, ut ipsi quoque velut unius corporis membra, uni adhærentia capiti & eodem vegetata Spiritu, mutua concordia inter sese cohæreant, ut undique sit absoluta perfectaque concordia in cœlis & in terris. Abrogat doctrinæ fidem, opinionum dissensio. Si concordes docebunt idem, quod ego docui, si vita respondebit doctrinæ, nimirum mundus intelliget, non esse doctrinam humanam, sed profectam à me, quem tu in mundum misisti. Intelliget & illos tibi caros esse, voluntati tuæ obtemperantes, quemadmodum ego tibi carus sum, nusquam deflectens ab animo tuo.

24 *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum: ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi.*

[24] Pater, cupio ut quemadmodum hi, quos ex mundo sublatos tradidisti mihi, futuri sunt imitatores afflictionum & crucis meæ, ita sint & gloriæ consortes: ut quemadmodum spectatores fuerunt humilitatis meæ, ac testes erunt supplicii mei, ita sint & gloriæ spectatores, quam mihi his malis defuncto daturus es: ut & ipsi discant per afflictiones tendere ad æterna gaudia, per ignominiam ad immortalem gloriam proficisci. Non enim est nova gloria, quam mihi daturus es, nec est nova caritas, qua me diligis, sed ideo profers apud homines argumenta tuæ erga me dilectionis, ut qui mei volunt esse, simili via ambiant amorem tuum, similibus factis ad cœlestem gloriam enitantur. Dilecti tibi sunt ante mundum conditum, quos tuo amore, quos tua gloria dignaturus es.

25 *Pater juste, mundus te non cognovit: ego autem te cognovi: & hi cognoverunt, quia tu me misisti.*

[25] Pater juste, à me nihil est præteritum, quo minus innotescerem omnibus: sed mundus magna ex parte suis vitiis obcæcatus, noluit te agnoscere, quia mihi te docenti noluit credere. Ego vere purus à mundo te novi, & cognitum prædicavi. Nec omnino frustra fuit mea prædicatio. Per me cognoverunt te hi, quos in hoc delegeras, quod abs te profectus sim, tametsi Pharisæi clamitant me profectum à Beelzebub Dæmoniorum principe. Sed ut tua bonitas me miserat servandis, si qua fieri potuisset, omnibus: ita tuâ justitia non patietur ob quorundam incredulitatem frustrari vota credentium.

26 *Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam: ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.*

[26] Docti, potentes, religionis proceres, tuam doctrinam spreverunt, sed hi rudes, humiles, indocti, per me receperunt notitiam tui nominis, efficiamque ut magis ac magis eis innotescat: ut summa caritate, qua me complexus es, complectaris & illos: atque illi vicissim plenius edocti per Spiritum meum, & nos redament, & se invicem mutua benevolentia foveant ac tueantur. Sic enim erunt invicti adversus omnes hujus mundi tumultus.

CAP. XVIII.

Strata uno verbo arma: feris bone Petre: negasque: Pontifices urgent: multa Pilate rogas.

1 *Hæc cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans Torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse, & discipuli ejus.*

HVJVSMODI sermone posteaquam Dominus Jesus confirmasset, erexissetque suorum animos, & gregem suum suo Patri commendasset, quo plane declararet discipulis suis, se volentem ac lubentem pati quæ pateretur, ultro proficiscitur obviam iis, à quibus erat capiendus. Nox enim erat intempesta, & nisi noto loco deprehensus, capi non poterat. Ab eo igitur loco, quo hæc loquebatur discipulis, egressus est: & transmisso torrente, cui nomen apud Hebræos ex re Cedron, contulit sese, comitantibus se discipulis, in hortum, non ignorans Judam eo venturum cum armata cohorte satellitum:

2 *Sciebat autem & Judas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis.*

[2] Quoniam Judas, qui prodebat illum, non ignorabat quod Dominus Jesus frequenter multa nocte eo se solitus sit subducere orandi gratia cum discipulis suis. Nox enim in hoc captata est, ne quis tumultus oriretur à populo, & armata manus adhibita est, ne Jesu comites obsisterent, quo minus caperetur.

3 *Judas ergo cum accepisset cohortem, & à Pontificibus & Pharisæis ministros, venit illuc cum lucernis, & facibus, & armis.*

[3] Judas enim ex discipulo Jesu factus proditor, & ex comite redemtoris factus latronum dux, cum cohorte, quam acceperat à Pontificibus & Pharisæis, quibus pactus erat se traditurum ipsis in manus Jesum, venit in hortum, ubi cum discipulis ingressus orabat Dominus. Adducebant autem secum faces ac laternas, quo posset in tenebris agnosci, non sine gladiis ac fustibus adversus discipulorum vim, si quis forte conatus fuisset defendere Dominum suum.

4 *Jesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit, & dixit eis: Quem quæritis?*

[4] Jesus autem, quem nihil fugiebat eorum quæ gerebantur, ut plane doceret se & præscium & volentem pati quæ patiebatur, non exspectato illorum adventu, processit illis advenientibus obviam, ultro percunctans, quem quærerent: ne per errorem manus injicerent in aliquem discipulorum.

5 *Respondérunt ei: Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus: Ego sum. Stabat autem & Judas, qui tradebat eum, cum ipsis.*

[5] Quumque respondissent, se Jesum Nazarenum quærere, respondit intrepida voce: Ego sum ille quem quæritis. Aderat autem simul & Judas Iscariotes una cum cohorte, qui paulo ante perfidi osculi symbolo prodiderat Jesum, quum hæc loqueretur Dominus, nec prodens interim à quo prodebatur, nec verbis sæviens in conductitiam militum cohortem, ut ad extremum usque mansuetudinis exemplum præberet suis discipulis.

6 *Ut ergo dixit eis: Ego sum: abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.*

[6] Ad hanc autem Jesu vocem, *Ego sum*, territa cohors, repulsa est in tergum, & concidit in terram, non ferens Dominicæ vocis vim.

7 *Iterum ergo interrogavit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Jesum Nazarenum.*

[7] Ubi recepissent animos, ac rursum pararent adoriri Jesum, iterum percunctatus est eos Dominus, quem quærerent. Quum respondissent, quemadmodum modo responderant, se Jesum Nazarenum quærere, rursum intrepida voce respondit:

8 *Respondit Jesus: Dixi vobis, quia ego sum: si ergo me quæritis, sinite hos abire.*

[8] Jam dixi vobis, me esse illum quem quæritis. Quod si me quæritis, in me unum vobis facio potestatem, hos sinite abire, in quos vobis per me jus non est in præsentia.

9 *Ut impleretur sermo, quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.*

[9] Hoc ideo fecit Jesus, ut clarissimo argumento declararet, nulla vi capi potuisse, nisi se capi permisisset, posteaquam semel sola voce perditam & armatam militum manum una cum impudenti proditore submovisset, atque in terram prostravisset. Porro quemadmodum sui capiendi fecit potestatem, ita non idem jus permisit in discipulos: quia prædixerat eam tempestatem id temporis in suum unius caput sævituram, reliquos dejiciendos quidem, sed incolumes futuros, donec eos revisseret: interim & boni Pastoris imaginem præbens, qui sui gregis incolumitatem suæ vitæ dispendio redemit.

10 *Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum: & percussit pontificis servum: & abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servo Malchus.*

[10] Simon itaque Petrus, qui peculiari quodam amore Domini sui flagrabat, quoniam magnifica quædam de se fuerat pollicitus, quod suæ vitæ dispendio redemturus esset vitam Domini, quum videret armatam cohortem injicere manus in Jesum, oblitus eorum quæ dixerat illi Dominus, subito calore percitus eduxit gladium, nec exspectato Domini jussu percussit servum Pontificis, cui nomen erat Malchus: sed ictus frustratus, tantum auriculam abscidit illius dextram, Domino nimirum Petri manum moderante, ut leve vulnus esset. Cujus damnum tamen mox sua lenitate restituit. Passus est autem Dominus futurum Ecclesiæ suæ principem in hunc errorem pio quidem affectu cadere, quo certius & efficacius in posterum eximeret omnem ulciscendi libidinem, ac jus armorum in totum excuteret, posteaquam & illum objurgasset, qui nondum accepto interdicto, pium Dominum pio affectu adversus impios tueri pararet.

11 *Dixit ergo Jesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?*

[11] Jesus itaque vim quidem militum divina virtute cohibuit à Petro, sed interim discipulum jam ad reliquum pugnæ flagrantem objurgat dicens: Quid agis Petre? Excidit-ne tibi, quod pridem quum me dehortareris à morte, audieris Satanas, & à tergo sequi jussus sis? Quorsum expromitur gladius? An ut mortem meam impedias, quam volens & ex auctoritate Patris subeo? Crucem meam imitari te decet,

Digitized by Google

non depellere: *Reconde* igitur *enſem tuum in vaginam.* Res Euangelica non agitur ejuſmodi præſidiis. Si vis in meas vices ſuccedere, non alio gladio pugnandum erit tibi, quam Euangelici ſermonis, qui vitia amputat, homines ſervat. *An non bibam* hoc mortis *poculum, quod mihi Pater tradidit* ebibendum? Quomodo fiet ut unum ſimus omnes, quemadmodum ante rogavi Patrem, niſi, quemadmodum ego ad mortem uſque pareo voluntati paternæ, ita & vos obtemperetis præceptis meis?

12 Cohors ergo, & tribunus, & miniſtri Iudæorum comprehenderunt Ieſum, & ligaverunt eum:

12, 13 Hoc ſermone coercitis à pugna diſcipulis, cohors militum, & horum tribunus, una cum miniſtris, quos addiderant Pontifices & Phariſæi, impias manus injecerunt in Jeſum, ac facinoroſorum in morem ligatum, adducunt primum ad Annam Pontificem, Caiphæ ſocerum, hinc ad ipſum Caipham miſſus eſt. Caiphas autem erat ſummus illius anni Pontifex.

13 Et adduxerunt eum ad Annam primùm, erat enim ſocer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius.

14 Ergo ab ædibus Annæ duxerunt Jeſum ad Caipham, de quo prius dictum eſt, quod reliquis ambigentibus quid eſſet faciendum de Jeſu, propter munus, quod gerebat, prophetico ſpiritu afflatus, ſuaſerat eum omnino tollendum è medio, quod ſic expediret in commune, ut unius hominis morte, totius populi ſalus redimeretur. Ad hujus igitur ſocerum primùm deductus eſt Jeſus, ut illius oculos optato ſpectaculo paſcerent, atque in hujus ædibus examinaretur, ſi quam criminis ſpeciem in eo poſſint reperire. Quanquam enim animos haberent parricidales, tamen ob metum populi & Præſidis, ſtudebant juſtitiæ ſpeciem aliquam prætexere. Sed impiam hominum aſtutiam divina prudentia vertit in Filii ſui gloriam. Dum enim ſic capitur, ſic ducitur ab Anna ad Caipham, à Caipha ad Pilatum, à Pilato ad Herodem, ab Herode rurſus ad Pilatum: dum à multis examinatur, ac multis nominibus accuſatur, omnes innocentiæ ſuæ teſtes fecit, ac profeſſores, etiam inimicos. Nullum autem certius innocentiæ teſtimonium, quam quod ab inimico veritas extorquet. Quam vero non dederunt æquitatis Pontificiæ ſpecimen? Proditionem innoxii, pecunia redemerunt, per conductam armatorum manum inermem ceperunt, non reluctantem, ſed tantum edito ſpecimine virtutis ſuæ, ſi voluiſſet uti: ſponte ſe præbentem alligarunt, ducunt non ad judicem, ſed ad hoſtem, veluti prædam oſtentantes: atque ibi demum crimen objiciendum quæritur, quum profanarum etiam legum æquitas nemini manum injiciat, niſi prius criminis invidia vehemens gravet aliquem.

15 Sequebatur autem Ieſum Simon Petrus, & alius diſcipulus. Diſcipulus autem ille erat notus pontifici, & introivit cum Ieſu in atrium pontificis.

15 Huc igitur nempe ad Caipham quum duceretur Jeſus, Simon Petrus, quanquam à pugna prohibitus, tamen adhuc nonnihil fidens virtuti ſuæ, ſequebatur Jeſum una cum alio quodam diſcipulo, qui paulo ante ſuper cœnam accubuerat in pectus Jeſu. Is quoniam erat notus Pontifici, fretus hac notitia, auſus eſt ingredi ad atrium uſque cum Jeſu.

16 Petrus autem ſtabat ad oſtium foris. Exivit ergo diſcipulus alius, qui erat notus pontifici, & dixit oſtiariæ, & introduxit Petrum.

16 Petrus quoniam ignotus erat, non auſus eſt intro conſequi, ſed reſtitit foris ad oſtium, multum interim degenerans ab illa fortiſſima voce: *Ego animam meam pono pro te*, & tamen adhuc aliquid reſtabat animi maſculi. Nam amoris erat, quod auſus eſt ad oſtium uſque ſequi, quum cæteri alius alio ſe proripuiſſent. Cæterum quod non eſt auſus introire, formidinis erat, ac mox ſequuturæ negationis præludium. Sed alter ille diſcipulus, videns Petrum non conſequi, admonuit ancillam oſtiariam, ut eum, qui ſtaret ante oſtium, introduceret.

17 Dicit ergo Petro ancilla oſtiaria: Numquid & tu ex diſcipulis es hominis iſtius? Dicit ille: Non ſum.

17 Quod quum eſſet factum, mulier intuens Petrum, & quaſi per ſomnum noſcitans, quod aliquando vidiſſet eum in comitatu Jeſu, præſertim quum ab eo juſſus eſſet introduci quem ſciebat eſſe diſcipulum: *Num tu quoque*, inquit, *diſcipulus es iſtius hominis*, qui modo captus adducebatur? Ad hanc vilis mulierculæ vocem, quæ tamen nihil ſævum aut formidabile præ ſe ferebat, quum Petrum conferret cum eo quem non impetebat, quum ſciret eſſe Jeſu diſcipulum, & ita Jeſum nominaret hominem, quaſi miſereretur illius potius, quam indignaretur, ſubito oblitus omnium, quæ tot verbis inculcarat Jeſus, oblitus tam magnificæ pollicitationis, negavit ſe eſſe diſcipulum Jeſu. Hæc nimirum eſt prima profeſſio volentium Principum aulis ſeſe addicere, abnegare Chriſtum, hoc eſt, veritatem.

18 Stabant autem ſervi & miniſtri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant ſe: erat autem cum eis & Petrus ſtans, & calefaciens ſe.

18 Sic ingreſſus Petrus, miſcuit ſe miniſtris ac ſervis Pontificis, qui ſtabant ad prunas, & ob frigus intempeſtæ noctis calefaciebant ſe, ſimulque cum illis ſe calefaciebat, ſperans ſe ita poſſe latere: exſpectans interim quem exitum eſſet habiturum, quod agebatur de Jeſu. Nondum enim omnem ſpem defugiendæ mortis abjecerat: quanquam ita metu perculſus, ut nec illud ei veniret in mentem, quod Dominus modo prædixerat futurum, ut fortis ille pollicitator abjuraret Dominum ſuum.

19 Pontifex ergo interrogavit Ieſum de diſcipulis ſuis, & de doctrina ejus.

19 Caiphas igitur Pontifex, quo ſpeciem aliquam legitimi judicii præberet, ſed revera hoc agens, ut ex variis Jeſu reſponſis aliquid excerperet, quod illi criminis vice poſſet impingi, multa percunctatus eſt Jeſum de diſcipulis ſuis, quales eſſent, unde eſſet eos nactus, & in quem uſum eos colligeret, & quid illos docuiſſet clanculum.

20 Reſpondit ei Ieſus: Ego palam locutus ſum mundo: ego ſemper docui in ſynagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conveniunt: & in occulto locutus ſum nihil.

20 Jeſus autem intelligens eum non æqui judicis animo percunctari, quo verum cognoſceret, ſed fraudulenter venari quod criminaretur, & in diſcipulos interim anſam captando, quos Jeſus volebat adhuc eſſe in tuto, nihil reſpondit ad Pontificis inſidioſas interrogationes: ſed à ſuo ſuorumque teſtimonio relegat eum ad teſtimonium publicum, & teſtimonium etiam inimicorum, quo nullum poteſt eſſe certius innocenti. Cur, inquit, me rogas, quid in occulto docuerim meos? Mea doctrina non fuit ſeditioſa, neque clancularia. Ego palam loquutus ſum mundo. Ego ſemper quod docui, docui in Synagogis veſtris, docui in Templo diebus feſtis, loco & tempore celeberrimo, quo ex omnibus Syriæ partibus undique Judæi conveniunt: nihil autem in occulto loquutus ſum, quod idem non palam docere ſim auſus. Toties audiit me populus, toties Phariſæi.

21 Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt quid locutus ſim ipſis: ecce hi ſciunt quæ dixerim ego.

21 Quid nunc me tanquam de furtiva clancularia-que doctrina percunctaris? Quin illos interrogas, qui me publice docentem audierunt? Illorum erit certius teſtimonium, qui mihi nulla familiaritate juncti ſunt, plerique etiam oderunt. Referant illi vel inimici, quid docuerim. Sciunt enim plurimi, nec difficile erit invenire teſtes doctrinæ meæ.

22 Hæc autem cum dixiſſet, unus aſtiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu, dicens: Sic reſpondes pontifici?

22 Hæc quum dixiſſet Jeſus, docens interim, pro veritate nonnunquam fortiter quidem, ſed abſque convitio reſpondendum eſſe, quidam è miniſtris Pontificis, qui forte proximus adſtabat, non diſſimilis ſuo Domino, volens tueri dignitatem ſui Pontificis adverſus libertatem Jeſu, quemadmodum Petrus volebat tueri ſui præceptoris incolumitatem adverſus vim militum, non exſpectato juſſu ſui Domini impingit alapam in faciem Jeſu, convitium addens, & Pontifice, & ſe famulo dignum: *Sicciné tu reſpondes Pontifici?* Poterat Dominus Jeſus & hunc impium Pontificem perdere, & hunc impactorem alapæ cohibere, niſi voluiſſet ſuis exemplum exhibere, quam ſint præpoſtera, quam perverſa mundi judicia. Horum enim ſpectator aſſidebat Petrus, qui vilis ancillæ vocem ferre non poterat, quum Dominus à famulo cæderetur.

23 Reſpondit ei Ieſus: Si male locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem bene, quid me cædis?

23 Porro Dominus Jeſus, qui manſuetiſſime ſe geſſit adverſus omnes injurias, nuſquam ſeverior quam in eos, qui titulo ſpecieque religionis oppugnarent veram Religionem, non tulit tacitus alapam, qui crucem tacitus pertulit. Præſidebat Pontifex, examina-

Digitized by Google

minabatur vinctus Jesus : judicii species erat. Et apud Ethnicum judicem auditur vicissim , & interrogatur reus : apud Pontificem pro responso dabatur alapa, & dabatur ei , qui judex futurus est vivorum & mortuorum. Respondit itaque Jesus libere quidem, sed mansuetissime : Loquor apud judicem, ei respondeo rogatus. Hîc rationibus agitur etiam apud Ethnicos, non alapis. Si quid male dixi, doce: sin nihil male loquutus sum, cur tu judicis minister, in judicio, tacente judice, nihil refellens me verberas?

24 *Et misit eum Annas ligatum ad Caiphan pontificem.*

24 Hæc agebantur in ædibus Caiphæ Pontificis, ad quem, ut dixeram, Annas ipsius socer miserat vinctum Jesum.

25 *Erat autem Simon Petrus stans, & calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Numquid & tu ex discipulis ejus es: Negavit ille, & dixit: Non sum.*

25 Sed interea dum hæc aguntur procul spectante Petro , qui, ut dicere cœperam , stabat admixtus turbæ ministrorum , & ad prunas calefaciebat se: erant inter hos, qui ex notis Petrum utcunque noscitantes , dicerent illi : *Num & tu ex hujus discipulis es* , qui sic tractatur à Pontifice ? Petrus conspecto tam immani spectaculo , magis etiam exterritus , rursum negavit se discipulum Jesu. Jam enim sensit illos ex Pontificis interrogatione, de discipulis etiam comprehendendis cogitare. Hac negatione Petrus arbitrabatur se futurum à periculo liberum, quemadmodum sese explicuerat ab ostiaria.

26 *Dicit ei unus ex servis pontificis, cognatus ejus, cujus abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo?*

26 Sed quo magis agnosceret , quam nihil posset ex suapte virtute, separatus à consortio Domini sui, stabat in reliqua ministrorum turba quidam sanguinis propinquitate conjunctus illi, qui paulo ante in horto quum cæteris audacior primus tentarat injicere manus in Jesum, percussus erat à Petro , & auriculæ damno mulctatus: hic divino consilio suborn atus est, ut ulciscereturcognati sui injuriam , sed re vera Petri temerariam de se fiduciam corrigeret. Non contentus enim unica Petri negatione , quoniam pugna , quanquam in tenebris acta , fecerat eum insignem: Quid , inquit, negas esse te de numero discipulorum istius ? *An non te* modo *vidi* his oculis *in horto cum Jesu?*

27 *Iterum ergo negavit Petrus: & statim gallus cantavit.*

27 Ad hanc vocem penitus exanimatus Petrus, devovit se ipsum, si nosset hominem. *Et illico cecinit gallus.* Nec hoc signo , quod Dominus illi prædixerat, Petrus ad se rediit, nec rediturus erat, nisi Dominus efficaci contuitu suo reddidisset illum sibi, tacitoque afflatu provocasset pœnitentiæ lachrymas. Tot modis erat docendus ille, totius Ecclesiæ futurus princeps, ut in omnibus sibi diffideret , & ex unius Domini sui præsidio penderet.

28 *Adducunt ergo Jesum à Caipha in prætorium. Erat autem mane: & ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.*

28 Quum igitur & apud Caipham totam noctem examinatus esset usque ad diluculum, nec quicquam in eo repertum esset sceleris, ob quod capitis accersi posset, ab ædibus Caiphæ Pontificis deducunt Jesum ad Pilatum Præsidem, ut innoxii sanguinis invidiam in eum derivarent. Ac Jesus quidem, ut erat vinctus, per cohortem conductam deductus est in prætorium Præsidis. Cæterum ipsi Judæi non ingressi sunt prætorium , ne contaminarentur , propterea quod comedendus esset illis agnus paschalis, ad cujus esum puri volebant accedere , perversa nimirum religione , qui se crederent Præsidis, quia Judæus non erat, innoxia domo profanari, quum ipsi tot artibus molirentur necem homini nihil commerito, imo tot modis bene merito.

29 *Exivit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?*

29 Pilatus igitur ubi vidit novam judicii formam, captum & vinctum ante quam esset auditus à judice, armatam hominum manum, prodiit foras, ipse contaminandus eorum alloquio, qui sibi jam videbantur puri. Prodiit autem, ut, si fieri posset, placata Judæorum vesania liberaret innoxium: Mittitis, inquit, hunc ad me capite plectendum. Atqui non est moris Romani, quenquam afficere supplicio, nisi convictum de crimine capitali. *Quod* igitur *crimen huic intenditis?*

30 *Responderunt, & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.*

30 Responderunt Judæi: Sit tibi satis Pontificum & Pharisæorum auctoritas. *Si non esset iste maleficus*, quæ nostra est religio, *non tradidissemus eum in manus tuas.*

31 *Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi: Nobis non licet interficere quemquam.*

31 Pilatus suspicans id quod res erat, esse aliquid privati ódii propter Legis superstitionem: Si quid est, inquit, quod ad meum tribunal non pertineat, veluti si violatum sabbatum, si gustatæ carnes suillæ, si quid liberius dictum in Mosen, Prophetas, Templum, aut Deum vestrum, aut si quid hujusmodi commissum est, quod vestra Lex puniri jussit, quum non sit alioqui Romanis legibus vetitum, ipsi tollite ad vos hominem, & juxta Legem vestram judicate illum. Ego Cæsaris nomine Præsidem ago. Si quid adversus hujus leges commissum est, quod capitali supplicio dignum sit, adferte, & legitime convictum afficiam supplicio. Cæterum vestræ Legis quæstionibus me non admisceo. Judæi vero tametsi quovis modo cupiebant exstinctum Jesum, tamen metu prætexunt religionem, ne mox darent pœnas judici, quod innoxium & indemnatum occidissent: simulque novum supplicii genus affectabant in illo, quod tum apud Judæos erat omnium probrosissimum: *Nobis*, inquiunt, *non est fas interficere quenquam.* Ista dicebat impudens natio, quæ tot Prophetas occiderat, sibi blandiens, quasi esset ab homicidio immunis, quum innocentem tot modis adigerent ad necem, aut quasi solus carnifex homicida sit, qui suis manibus suffigit in crucem. Animum habebant homicidam, linguas habebant homicidas: conduxerant proditorem, conduxerant cohortem , conduxerant falsos testes, confinxerant falsa crimina: urgent ac terrent judicem, & sibi videntur ab homicidio puri, dignique qui vescantur agno paschali: non ob aliud, nisi quod ab ingressu prætorii sese continuissent.

32 *Ut sermo Jesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus.*

32 Hæc autem facta sunt, ut perspicuum esset, nihil sceleratius perversa religione , simulque fieret, quod Jesus futurum prædixerat, per ænigma significans, qua morte foret moriturus , quum diceret: *Quum exaltatus fuero à terra, omnia pertraham ad me:* ut omnino intelligeremus , non solum mortem illi constitutam fuisse, sed delectum etiam mortis genus.

33 *Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocavit Jesum, & dixit ei: Tu es rex Judæorum?*

33 Pilatus igitur posteaquam auditis Judæorum vocibus intellexisset, inter cætera nescio quid objici Jesu de regno affectato, nec in Jesu specie quicquam appareret, quod huic crimini faceret fidem, rursus ingressus est prætorium , foris relicta turba: & accersito privatim ad se Jesu, ut absque tumultu ex homine, quod ex vultu quoque liquebat, probo & prudente, quid esset expiscaretur, dixit: *Tu-ne es ille Rex Judæorum*, quem dicuntur exspectare? Hoc unum diligenter exquirit Pilatus, quod cætera non pertinerent ad rempublicam , cæterum hoc crimen videretur & ad Cæsaris majestatem, & ad publicam tranquillitatem pertinere. Exquirit autem non quod credat, sed ut ex reo suppeditaretur, quo refelleret Judæos.

34 *Respondit Jesus: A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?*

34 Jesus autem tametsi non ignoraret hoc esse falso delatum à Judæis: quod in Cæsaris contumeliam affectaret regnum : tamen ut Judæorum malitiam detegeret , & Pilati sublevaret æquitatem , longe meliorem Pontificibus & Pharisæis , tametsi profanus esset, & Judaicæ religionis contemtor, respondit : Utrum hoc ex te conjectas , quod regni sim affectator, an Judæi hoc nomine me detulerunt tibi?

35 *Respondit Pilatus: Numquid ego Judæus sum? Gens tua, & pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti?*

35 Pilatus & suam aperiens innocentiam , & Judæorum malitiam : Nequaquam , inquit , hoc ex me conjecto, neque quicquam in te video congruens isti crimini. Judæorum est ista de venturo Rege fabula. An me putas esse Judæum ? Gens tua calumniatrix , & tui Pontifices tradiderunt te mihi, modis omnibus agentes, ut occidaris. Sed quoniam non est Romani moris indemnatum occidere , si falsum est affectati regni crimen, quid igitur commisisti?

Digitized by Google

36 Respondit Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo, si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non est hinc.

36 Hæc quoniam Pilatus simpliciter sciscitabatur, ut liberaret innocentem: Jesus illi per ænigma dignatus est respondere, docens aliud regni genus esse, de quo Prophetæ fuissent loquuti, longe sublimius hoc regno mundano, quod humanis legibus, humanis præsidiis constaret, quod nihil posset nisi in corpora: sed esse regnum cœleste, quod mundi regnum non affectaret, sed contemneret: non lædere ret, sed proveheret in melius: Regnum, inquit, meum non est hujus generis, cujus est regnum Cæsareum. Hoc terrenum est, meum vero cœleste. Nihil igitur affecto, quod affectatum lædere possit Cæsaris majestatem. Si meum regnum esset hujus mundi, non hæc in me mundus impune faceret, nimirum haberem & ipse more cæterorum Regum armatum satellitium: haberem laterones ac stipatores: haberem instructas copias: hæc præsidia decertarent armis pro me, ne Judæis hoc, quod moliuntur in me, impune liceret. Nunc paucos habeo discipulos, & eos imbelles ac tenues, ipse inermis & imbellis, videlicet aliis nitens præsidiis, eo quod meum regnum non sit terrenum.

37 Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.

37 Hoc ænigma quum Pilatus homo profanus non satis intelligeret, audisset tamen Jesum non prorsus abnuere Regis nomen, sed regni genus distinguere, dixit: Ergo-ne verum est, te Regem esse alicubi, quodcunque sit istud regni genus, quod ad nos non pertineat? Hîc Jesus serio rogatus à Judice, an aliquo modo Rex esset: quod verum est, modeste professus est: *Tu*, inquit, *dicis me Regem esse*. Totidem enim verbis, mutata pronuntiatione, confirmat quisquis interrogat. Non enim est meum inficiari quod verum est, præsertim quum in hoc natus sim, & ideo venerim in mundum: non ut fallam mendacio, sed ut testificer veritatem. Cujus simplex est animus, nec hujus mundi cupiditatibus obcæcatus, agnoscit & audit vocem meam.

38 Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Iudæos, & dicit eis: Ego nullam invenio in eo causam.

38 Pilatus autem nec hæc quæ dicebantur intelligens, nisi quod arbitrabatur, rem ad suam cognitionem non pertinere: nec tamen daretur idonea responsio à Christo, qua Judæos vel placaret, vel abigeret: quum interrogasset, quid esset veritas illa de qua loqueretur, & cujus testandæ gratia venisset in mundum, non exspectato responso rei, rursum prodit foras ad Judæos. Quid multis opus est, inquit, examinavi hominem, nec ullum invenio crimen in homine, capitis supplicio dignum. Nec ideo Præsidem hîc ago nomine Cæsaris, ut innoxii mea sententia condemnentur. Cæterum etiamsi noxius sit vobis, quod ego non comperio, tamen æquum est, ut si velut innocenti nolitis parcere, tamen ob diei festi religionem, veluti nocenti vitam condonetis.

39 Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis regem Iudæorum?

39 Est autem hic mos apud vos, ut in hoc festo paschæ, quod à vobis omnium sanctissime colitur, unum aliquem è nocentibus condonem vobis flagitantibus. Vestrum igitur erit unum è duobus eligere, Barrabam nobilem latronem, & públicæ tranquillitatis conturbatorem, aut hunc Jesum, hominem meo judicio innoxium, quem quidam dicunt esse Regem Judæorum. Præstat enim, ut hic etiam si quid admisit, sentiat vestræ solennitatis gratiam. Vultis-ne igitur, ut hunc vobis condonem? Non enim exspectabat Præses tantam Judæorum vesaniam, ut palam facinorosum, notæque audaciæ latronem, Jesu mansuetissimo & innocenti præferrent.

40 Clamaverunt ergo rursum omnes, dicentes: Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.

40 At Judæi magno vocum consensu clamarunt omnes: Non istum volumus nobis donari, sed Barrabam.

CAP. XIX.

Tum Christum excusat judex: inscriptio: sortes: Adstans virgo: sitis: fractio crurum: aloë.

1 Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellavit.

1 PRAESES, ubi tentatis omnibus (nam Jesum & ad Herodem per occasionem ablegarat, nullum non movens lapidem, ut vel à reo semet exA plicaret, vel absolveret innocentem) perspiceret sese nihil proficere apud furentem Judæorum populum, quo vel sic mitigaret illorum vesaniam & innocentem morti subduceret, juxta morem Romanum jussit Jesum virgis cædi.

2 Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus: & veste purpurea circumdederunt eum.

2 Porro milites qui aderant in atrio, quorum pleroque Judæi ad sævitiæ ministerium conduxerant, de suo ingenio multam crudelitatem adjecerunt solenni supplicio. Nam cæso ludibrii causa *induxerunt chlamydem purpuream, & coronam è spinis contortam imposuerunt illius capiti*, tradita in manum sceptri vice arundine:

3 Et veniebant ad eum, & dicebant: Ave Rex Iudæorum: & dabant ei alapas.

3 Mox velut regnum affectatum exprobrantes homini humili & contemto, veniebant ad eum, & flexis genibus dicebant: *Ave Rex Judæorum.* Quin & faciem illius conspuebant, & impingebant alapas, ad omne ludibrii genus sese mansuetissime præbente rerum omnium Domino, quo nos, qui cum nihil simus, tamen animos excelsos ac præferoces gerimus, doceret lenitatem, & in malis tolerantiam. Hæc autem passus est Pilatus fieri in Jesum, ut Judæorum odium hac hominis afflictione placaret. Solet enim populi furor, si fuerit aliquousque debacchatus in eum in quem fertur, subito conquiescere: præsertim si ludibrium additum calamitati pro invidioso reddat miserabilem eum, qui passus est.

4 Exivit ergo iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam.

4 Præses itaque rursus prodiit foras, tentaturus, an posset multitudinis sævitiam mitigare: Ecce, inquit, adduco vobis hominem foras, ut ejus spectaculo satietis oculos vestros, & intelligatis quomodo tractatus sit in vestram gratiam, quum ego nullum crimen inveniam in eo.

5 (Exivit ergo Iesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum.) Et dicit eis: Ecce homo.

5 Prodiit itaque Jesus jussu Pilati, sicut erat ornatus, vinctus, cæsus, consputus, gestans spineam coronam, & vestem purpuream, & exhibens eum Pilatus, ait, *Ecce homo adest.*

6 Cum ergo vidissent eum Pontifices, & ministri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non invenio in eo causam.

6 Sed hoc spectaculo, quo quantavis barbarorum feritas poterat mitescere, non solum non sunt mitigati Judæorum animi, sed magis etiam accensi sunt, ut quod hactenus successisset, perficerent. Metuebant enim Pontifices, ne si tam atrocia passus dimitteretur, post versis populi tum concitati studiis, in ipsorum capita recideret hujus immanitatis invidia. *Pontifices* itaque *cum suis ministris* insano tumultu *clamabant: Crucifige, crucifige eum.* Pilatus intelligens ex captata misericordia nihil esse spei, metu tentat furorem illorum coercere: Ego, inquit, juris administrator sum, non alieni odii vindex: & nocentes ex legum auctoritate punio, non sum innocentiæ carnifex. Hactenus servitum est odio vestro, non ultra sæviam in innoxium. Quod si certum est illum in crucem agere, nolim hoc meum prætorium impiari innocentis hominis sanguine. Vos hominem vestro periculo abducite, & si videtur, crucifigite: ego non soleo crucifigere nisi facinorosos. In hoc nullum invenio crimen cruce dignum. Nam quod de regno objicitur crimen, in hunc talem non competit. Nec satis est reo crimen objicere, nisi certis argumentis probetur, quod objectum est, præsertim quoties de capite hominis agitur. Hæc tota res non legitimo more, sed per tumultum geritur.

7 Responderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit.

7 Judæi quum audirent Præsidem tanto studio patrocinantem Jesu, nec omnino committendum ducerent, ut aliquo pacto Jesus elaberetur è manibus, crimen commenti sunt, quod apud judicem imperitum legis grave videri posset: Quanquam, inquiunt, nihil commisisset adversus leges Cæsareas, tamen *nos legem habemus* à Deo traditam, quam Cæsar etiam nobis relinquit, *& secundum hanc legem commeruit mortem: quoniam se fecit filium Dei:* & sibi Divinitatem arrogans, in Deum fuit blasphemus.

8 Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit.

8 Hoc quum audisset Pilatus, nec esset in promtu quod illis responderet, reduxit Jesum in prætorium:

Digitized by Google

rium: & ipſe ingreſſus, iterum alloquutus eſt illum, cupiens expiſcari, quid eſſet hoc quod objicerent: & quomodo poſſet refelli.

9 Et ingreſſus eſt prætorium iterum: & dixit ad Jeſum: Unde es tu? Jeſus autem reſponſum non dedit ei.

9 Rogat igitur primum, unde eſſet, ut cognita gentis origine, refelleret quod affectaſſet videri filius Dei: quanquam apud Ethnicos tum fabulis Poetarum erat proditum, & vulgo credebatur, quoſdam ex Deo & homine natos, ſemideos haberi. Jeſus autem ſciens Pilatum hæc omnia tentare, quo tandem vitam illi lucrifaceret, nec ignorans futurum, ut omnibus tentatis, obſtinato Judæorum furori cederet, ne videretur omnia conatus ut elaberetur, nolens ad mortem adductus fuiſſe, nihil omnino reſpondit Præſidi. Nam quod hactenus reſponderat, innocentiam ſuam teſtatam eſſe voluit, mortem autem volens ac lubens oppetere decreverat.

10 Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te?

10 Pilatus admiratus hominis ſilentium in capitis periculo, quum judicem haberet tam faventem, ut eum ad reſpondendum provocaret: Cur mihi, inquit, non reſpondes in capitis periculo conſtitutus? An neſcis mihi jus vitæ ac necis eſſe in te? Sum enim Præſes hujus regionis, ſi forte neſcis: & ex mea voluntate pendet, utrum ſuffigaris in crucem, an libereris à cauſa.

11 Reſpondit Jeſus: Non haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.

11 Ad hæc nihil reſpondit Jeſus eorum, quæ exſpectabat Præſes, qui ad cauſæ defenſionem cupiebat inſtrui, pro judice futurus patronus. Verum quoniam ea res ſpeciem præbuiſſet, quaſi non volens pateretur, nihil hujuſmodi, tantum de poteſtate, quam ſibi Pilatus arrogabat, reſpondit: ſubindicans nec illi liberum eſſe abſolvere, quum illius poteſtas ſervire cogeretur furori Judæorum: nec illos autem, nec ipſum quicquam in ſe valiturum, niſi ſponte volenſque pateretur: Habes, inquit, tu quidem poteſtatem juxta leges humanas, ſed in me nullam haberes poteſtatem, niſi permiſſum eſſet ab eo, cujus poteſtas ſuperat omnem humanam poteſtatem. Et ſaves tu quidem innocentiæ, ſed tamen aliorum improbitas alio victum te rapit. Propterea populus Judæorum, qui hujus mortis auctor eſt, ſuaque violentia judicem perpellit ad hominis innocentis condemnationem, gravius peccat.

12 Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Judæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris: omnis enim, qui ſe regem facit, contradicit Cæſari.

12 Hoc audito Pilatus, quum intelligeret hominis & modeſtiam, & innocentiam, & Judæorum malitiam, & ſuam æquitatem non eſſe reo ignotam: cui hoc magis favebat, quod videret eum nec mortis periculo commoveri, tentabat omnes vias, ut aliquo pacto Jeſum abſolveret. Id ſentientes Judæi, quod crimen illud prius ex lege intentatum negligeret Præſes, nec ceſſaret hoc agere modis omnibus, ut Jeſus dimitteretur: ad prius crimen redeunt, quod oſtendunt, nec ipſi judici tutum negligere: Si nihil, inquiunt, ad te pertinet, quod peccavit in Deum noſtrum, certe hoc ad te pertinet, quod peccavit in Cæſarem. Quiſquis ſibi vindicat regnum injuſſu Cæſaris, Cæſaris lædit majeſtatem. At iſte ſe Regem facit, *quod ſi hunc abſolvis, non es amicus Cæſaris*, qui faveas Cæſaris hoſti.

13 Pilatus autem cum audiſſet hos ſermones, adduxit foras Jeſum: & ſedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithoſtrotos, Hebraice autem Gabbatha.

13 Hæc quum audiſſet occlamantes conjuratos Pontifices, ac Phariſæos, reliquamque multitudinem: tametſi non ignoraret eſſe vaniſſimum quod intentabatur, tamen quoniam perſpiciebat implacabile Sacerdotum & Phariſæorum odium in Jeſum, tum mirum primorum ac populi conſenſum in unius hominis perniciem: ſimulque videret Jeſum innoxium quidem, ſed humilem ac tenuem, ſibiipſi deeſſe: cogitans interim & illud, apud Cæſares multos quamlibet falſi criminis invidia fuiſſe periclitatos: jamque viſus ſibi ſatis adnixus adverſus conſpiratos totius gentis primores ac populum, ad unius humilis hominis tuendam innocentiam, decrevit illorum odio ſervire, ſic tamen, ut Jeſum condemnando abſolveret, & ſuam innocentiam præfatus, impii facti invidiam in Judæorum capita referret. Productus eſt igitur Jeſus foras veluti reus, quum in eo condemnando nullius legitimi judicii ſpecies eſſet obſervata. Pilatus ſedit pro tribunali in loco edito, ut omnibus eſſet conſpicuus, cui hinc nomen Hebræis *Gabbatha*, Græcis autem dicitur λιθόστρωτος, quod lapide ſtratus eſſet. Sic enim conveniebat ſolennem ac publicam eſſe Jeſu condemnationem, ne quem lateret ejus innocentia. Sic enim condemnari, abſolvi erat. Traditus eſt Jeſus ad crucem, ſed in Judæos pronuntiatum eſt à judice.

14 Erat autem Paraſceve Paſchæ, hora quaſi ſexta, & dicit Judæis: Ecce rex veſter.

14 Jam autem appetebat tempus, ut juxta feſti diei rationem, innocens ſanguis pro mundi ſalute immolaretur. Erat enim paraſceve paſchæ, hora ferme ſexta, quo magis urgebant Judæi, divinæ diſpenſationi per ignorantiam ſubſervientes, ut mature ſuoque tempore perageretur hoc ſacrificium. Pilatus itaque jam judicis habitu conſpicuus populo, è tribunali demonſtrat eis reum; ut vel ex ipſa ſpecie liqueret, quam in eum non competeret affectatæ tyrannidis crimen, qui ſic affectus, tantam animi tranquillitatem, tantam manſuetudinem præ ſe ferret: *Ecce, inquit, Rex veſter.*

15 Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem veſtrum crucifigam? Reſponderunt Pontifices: Non habemus Regem, niſi Cæſarem.

15 At Judæi nihil aliud ſitientes, quam ſanguinem innoxium, clamabant: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Placebat Judæis ignominioſa mors, ſperantibus fore, ut crucis ignominia prorſus abominabilem redderet Jeſu memoriam, nec ullum poſt exoriturum, qui nomen illius ſic exſtincti profiteretur. Pilatus irridens illorum pertinacem inſaniam: Quid, inquit, an Regem veſtrum tanta afficiam ignominia, ut ſuffigam in crucem? Hoc dedecus recidet in gentis ignominiam, quæ Regem ſuum ad crucem adegerit. Hæc vox Pilati quanquam non profecit Jeſu, tamen prodidit Judæorum malitiam, & extorſit ſervitutis inviſæ publicam profeſſionem. Meſſiam ſuum, hoc eſt, Regem à Prophetis promiſſum, multis ſeculis exſpectaverant: Cæſaris regnum, quo premebantur, miſere oderant, tamen odiis efferati, publice Meſſiam ſuum abnegant, & Cæſarem Dominum agnoſcunt: *Non habemus*, inquiunt, *Regem niſi Cæſarem.* Tanta erat ulciſcendi libido, ut ſeſe ultro in æternam ſervitutem addicerent, quo Jeſum libertatis auctorem exſtinguerent.

16 Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur. Suſceperunt autem Jeſum, & eduxerunt.

16 Pilatus igitur videns omnia fruſtra tentari, tradidit illorum arbitrio Jeſum, ut crucifigeretur. Acceperunt Judæi Jeſum productum è prætorio, quem duxerunt ad locum ſupplicii, qui erat extra civitatem, ut locus quoque reſponderet figuræ. Nam victima, qua conſecrabatur teſtamentum, extra ſepta populi immolabatur.

17 Et bajulans ſibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum, Hebraice autem Golgotha:

17 Huc ibat Jeſus, jam ſuis indutus veſtibus, quo magis eſſet omnibus probro, qui faverant ei, ipſe ſibi humiliter crucem bajulans: nam & hoc procuratum eſt à Judæis, ne quid ignominiæ deeſſet. Quin & locus infamis delectus eſt, in quo ex more ſcelerosi ſupplicio plecti conſueverunt, paſſim jacentibus exſtinctorum oſſibus funeſtus & exſecrabilis, nimirum præ ſe ferens, cui rei dicatus eſſet, & ex re nomen erat inditum vulgo. Nam Hebraice dicebatur *Golgotha*, Græce κρανίου τόπος, Latine *Calvariæ locus.*

18 Ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc & hinc, medium autem Jeſum.

18 Et ne quid ſupereſſet ignominiæ, procuratum eſt & hoc à Judæis, ut ſimul alii duo palam facinoroſi crucifigerentur cum Jeſu: ut nocens ex flagitioſorum conſortio æſtimaretur, videreturque crimen eſſe commune, quibus erat commune ſupplicium. Atque ut prorſus ad illorum ſocietatem pertinere videretur, ſic ordinarunt Judæi cruces, ut medius eſſet Jeſus, hinc atque hinc ſeptus latronibus. Sed neſcit humanis ſordibus inquinari fons omnis puritatis: illuſtratur etiam hominum probris fons omnis gloriæ. Crux ante probroſa, per illum facta eſt triumphale ſignum, cui mundus inclinat caput, quod adorant Angeli, quod tremunt Dæmones. Invenit illic condemnatus, quem ex latrone faceret paradiſi civem; tan-

Digitized by Google

tantum aberat, ut ſupplicii ſocietas contaminaret ipſum.

19 *Scripſit autem & titulum Pilatus: & poſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum: Jeſus Nazarenus, Rex Judæorum.*

19 Ne quid autem ad juſti ſupplicii ſpeciem deeſſet, additus eſt ex more ſuus cuique titulus, qui & perſonam indicaret, & crimen. Pilatus autem cum cæteris ſuos pro meritis addidiſſet titulos, cruci Domini Jeſu titulum hunc juſſit affigi: JESVS NAZARENVS, REX JVDÆORVM: quo nimirum ipſa etiam inſcriptione teſtatam faceret & Judæorum malitiam, & pendentis innocentiam: in quem is titulus juxta Judæorum accuſationem non competebat, & tamen juxta id, quod apud Præſidem fuerat ipſe profeſſus, maxime competebat. Siquidem Judæus Hebræis ſonat *confitentem.* Erat autem, & eſt vere Rex ac liberator omnium profitentium nomen ipſius, quibus largitur conſortium regni cœleſtis.

20 *Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt: quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus eſt Jeſus. Et erat ſcriptum Hebraice, Græce, & Latine.*

20 Hunc titulum, quo magis gravaret invidia Pontifices & Phariſæos, curaverat Pilatus triplici lingua deſcribendum, Hebraice, Græce, & Latine: quarum prima erat illius gentis peculiaris: alteræ duæ ob frequens Græcorum & Romanorum commercium ſic erant invectæ, ut plerique Judæi quoque Græce Latineque ſcirent. Cautum eſt igitur à Præſide, ne quiſquam, vel indigena, vel peregrinus, titulum ignoraret. Hanc inſcriptionem Phariſæis invidioſam, ob loci frequentiam, quod urbi vicinus eſſet Golgotha, & vel caſu prætereuntibus conſpicuus, multi Judæorum legebant, & plerique Jeſu Nazareni nomen agnoſcebant. Quantum autem abfuiſſet ab affectato regno, plurimi noverant, qui viderant illum abdere ſeſe, cum ad regnum pertrahendus eſſet. Exſpectabatur autem vulgo Judæis Rex ille promiſſus à Prophetis, quem illi Meſſiam vocant. Hoc quum negligeret Pilatus, tamen imprudens eum dedit titulum, qui maxime demonſtraret omnibus quis eſſet ille qui pendebat. Pendebat enim vere Rex ille Regum, qui morte ſua debellabat Diaboli tyrannidem. Trophæum potius diceres quam crucem.

21 *Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum: Noli ſcribere, Rex Iudæorum: ſed quia ipſe dixit: Rex ſum Iudæorum.*

21 Quum omnia viderentur ignominiæ plena Pontificibus * & Phariſæis, tamen hæc inſcriptio movit animos illorum, quod honorificentior eſſet, quam vellent: tantum erat impiis ſtudium abrogandi nominis, cui uni debebatur omnis totius mundi gloria. Agunt itaque cum Præſide de mutando titulo, ne ſcriberetur REX JVDÆORVM, *ſed quod ſibi nomen hoc uſurpaſſet.*

22 *Respondit Pilatus: Quod ſcripſi, ſcripſi.*

22 Præſes autem quanquam imprudens, illud jam tum præludebat futurum, ut ſalutiferi nominis profeſſio, quam falſo dicti Judæi abnegarent, ad gentes credulas, hoc eſt, ad veros Judæos demigraret. In cæteris igitur hactenus morigeratus illorum odiis, negavit ſe titulum mutaturum: *Quod ſcripſi*, inquit, *ſcripſi.* Siquidem in rem omnium erat occidi Chriſtum, ſed rurſum in rem omnium erat, nominis illius gloriam toto orbe celeberrimam reddi, cujus profeſſione ſalus omnibus deferretur.

23 *Milites ergo cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus, (& fecerunt quattuor partes: unicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum.*

23 Ergo cum hoc titulo ſuffixus eſſet in crucem Dominus Jeſus, nudo corpore, quemadmodum mos erat, milites, qui crucifixerant eum, ex conſuetudine partiebantur inter ſeſe veſtimenta Jeſu: nam hoc illis cedebat, velut in operæ præmium. Quum autem eſſent quatuor, reliquum veſtitum, quoniam ex variis partibus erat conſutus, ſic diſſuerunt, ut ſuam quiſque portionem ferret. Supererat autem tunica, veſtis nimirum interior, & corpori vicinior, non illa quidem conſuta, ſed ita contexta à ſummo uſque ad imum, ut diſſuta, futura eſſet inutilis.

24 *Dixerunt ergo ad invicem: Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cujus ſit. Ut Scriptura impleretur, dicens: Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi: & in veſtem meam miſerunt ſortem. Et milites quidem hæc fecerunt.*

24 Viſum eſt itaque militibus, ut hæc non ſinderetur, ſed ei tota contingeret, cuicunque ſors faviſſet. Hæc autem tametſi profanis animis à militibus gererentur, tamen imprudentes ſubſerviebant vaticinio Prophetarum, ut hinc etiam agnoſceretur is eſſe, de quo prædixerat Spiritus divinus in Pſalmis: *Partiti ſunt inter ſe veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortes.* Et hæc quidem geſta ſunt à militibus, adhuc vivo pendente Domino.

25 *Stabant autem juxta crucem Jeſu mater ejus & ſoror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalene.*

25 *Caterum adſtabant juxta crucem Jeſu, Maria mater ejus, &* huic adhærens *ſoror Maria Cleophæ* filia, *una cum Maria Magdalene.*

26 *Cum vidiſſet ergo Jeſus matrem, & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus.*

26 *Jeſus igitur* de cruce *conſpiciens matrem ſuam, ſimulque diſcipulum, quem cæteris familiarius dilexerat*, ne quid affectus humani relinqueret in terris, quemadmodum diſtributis veſtibus, rerum nihil reliquerat, *verſus ad matrem, ait: Mulier ecce filius tuus*, capitis & oculorum nutu diſcipulum deſignans.

27 *Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua.*

27 *Mox ad diſcipulum verſus: Ecce, inquit, mater tua.* Atque ex eo tempore diſcipulus ille ſuſcepit erga Jeſu matrem affectum filii, per omnia curam illius agens.

28 *Poſtea ſciens Jeſus quia omnia conſummata ſunt, ut conſummaretur Scriptura, dixit: Sitio.*

28 His peractis, quum Jeſus ſciret nihil ſupereſſe, quod ad legitimam victimam pertineret, ut hoc quoque accederet, quod prophetia prædixerat: *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potarunt me aceto*, clamavit de cruce: *Sitio.* Solent autem qui hoc ſupplicii genere moriuntur, vehementer diſcruciari ſiti, videlicet ſanguine per vulnera corporis exhauſto. Nimirum & hoc faciebat ad declarandam humanæ naturæ, ſuppliciique non ſimulati veritatem.

29 *Vas erat poſitum aceto plenum. Illi autem ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori ejus.*

29 *Aderat autem illic vas acido vino plenum*, quod ſitientibus porrigi ſolet, ob mortem accelerandam. Milites igitur *ſpongiam acido vino impletam, & impoſitam hyſſopi ligno, admoverunt ori ejus.*

30 *Cum ergo accepiſſet Jeſus acetum, dixit: Conſummatum eſt. Et inclinato capite tradidit ſpiritum.*

30 *Simulatque vero guſtaſſet acetum Jeſus, dixit: Conſummatum eſt*, ſignificans rite peractum ſacrificium, juxta Patris voluntatem: *ac mox inclinato capite, reddidit ſpiritum.*

31 *Judæi ergo, (quoniam paraſceve erat) ut non remanerent in cruce corpora ſabbato, (erat enim magnum diei illius Sabbati) rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, & tollerentur.*

31 Atque hîc operæ pretium eſt audire, rurſus præpoſteram ac perverſam Judæorum religionem: innoxium, benemeritum, ſceleratis odiis, impiis modis adegerunt in crucem, nihil deterriti à tam immani facinore diei feſti religione: cæterum de tollendis è cruce corporibus ſuperſtitioſe laborant Judæi. Pilatum adeunt, ut ipſius juſſu crura frangerentur pendentibus, quo mors acceleraretur, deinde cadavera tollerentur è medio, ne conſpectu ſui diem feſtum funeſtarent. Erat dies ille magnus, qui ab apparatu ſacrorum, Græcis *paraſceve* dicitur, & inſtabat illis ſacroſanctum ſabbatum, quo nefas erat operari. Jam enim homines religioſi, peracto tam crudeli facinore, perinde quaſi re bene geſta, ad Moſaicam victimam pure celebrandam intenderant animum, ignari quod paſchalis agnus ille verus jam eſſet immolatus. Adeo peſtifera res eſt, pietas in rebus corporalibus ſita, quæ cum animi pietate conjuncta non ſit.

32 *Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo.*

32 Annuente itaque Pilato, milites utriuſque latronis crura fregerunt, quos adhuc viventes reperierant.

33 *Ad Jeſum autem cum veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura:*

33 *Porro cum ventum eſſet ad Jeſum, quoniam viderunt illum jam exanimem*, ſupervacuum eſſe putantes, *non fregerunt illius crura.* Nam in hoc frangebantur, ut cito moreretur qui pendebat.

34 *Sed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis & aqua.*

34 *Sed adſtabat inter milites quidam, qui*, quo certior eſſet mors Domini Jeſu, *lancea perfodit latus ejus: ac protinus* ex vulnere *profluxit ſanguis & aqua*, magno myſterio declarantia, quod ejus mors nos ablueret à peccatis, & quod eadem vitam nobis largiretur æternam. Nam baptiſmus aqua conſtat, in ſanguine vita eſt hominis.

35 *Et qui vidit, teſtimonium perhibuit: & verum eſt teſtimonium ejus. Et ille ſcit quia vera dicit: ut & vos credatis.*

35 Præter naturam autem eſt, ut è corpore vul-

* Alia Editio addit, *Scribis.*

Digitized by Google

nerato fluat aqua. *Sed qui vidit* oculis ſuis, *teſtatus eſt, & ſcimus verum eſſe illius teſtimonium.* Novit & ipſe Jeſus, quod teſtis ille vera prædicat, ne quis veſtrum dubitet credere, quod alioqui videretur incredibile.

36 *Facta ſunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: Os non comminueris ex eo.*

36 Hæc autem tametſi caſu geri videbantur, videlicet quod pro cruribus frangendis, latus illi perfoſſum ſit, tamen divini conſilii diſpenſatione geſta ſunt; ut hac etiam in parte Prophetarum oraculis rerum eventus reſponderet: nam inter cæteros ritus, quibus in Exodo Moſes docet celebrandum eſſe phaſe, nominatim & illud præſcripſerat, ut agnus ille ſic occideretur, ne quod os illius confringeretur. Hac nimirum nota declarabat, Jeſum eſſe verum illud phaſe, cujus imaginem agnus ille Moſaicus geſſerat. Hujus enim ſanguis credentes ſervat à morte, hujus myſticus eſus nos ab Ægyptia ſervitute, hoc eſt, à mundi cupiditatibus, & peccati tyrannide liberos tranſmittit in terram cœleſtem.

37 *Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.*

37 Rurſus per Zachariam Spiritus ita loquitur: *Videbunt in quem compunxerant:* nam olim cum eodem corpore venturus, quo pependit in cruce, tametſi jam glorioſo, tamen veſtigium vulneris oſtendet omnibus, & fontem fruſtra apertum incredulis exprobrabit, cujus profluxu ſanari poterant.

38 *Poſt hæc autem rogavit Pilatum Ioſeph ab Arimathæa, (eo quod eſſet diſcipulus Jeſu, occultus autem propter metum Judæorum) ut tolleret corpus Jeſu. Et permiſit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Jeſu.*

38 Itaque morte jam multorum experimento certa compertaque ſupererat, ut ſepultura reſurrectionis fidem multis modis confirmaret. Chriſtus autem quemadmodum omnem vitam humilem eſſe voluit, ita ſepulturam voluit eſſe magnificam: non ut nos doceret ſepulchri curam agere, ſed ut peractis iis, quæ pertinebant ad diſpenſationem humilitatis, jam ad reſurrectionis gloriam præluderet. Tum autem honos vivo exhibitus, non caret vel ſuſpicione, vel periculo, cæterum honor, qui ultro defertur mortuo, certiſſimum eſt virtutis teſtimonium. Joſeph igitur vir nobilis ac potens, Arimatheenſis patria, qui & ipſe fuerat diſcipulus Jeſu, ſed occultus ob metum Judæorum, qui legem ſanxerant, ut quiſquis ſe profiteretur diſcipulum Jeſu, ſubmoveretur è Synagoga, adiit Pilatum, cui notus erat, petiitque ab eo, ut ſibi liceret de cruce tollere corpus Jeſu. Pilatus, explorato prius an eſſet mortuus, permiſit. Abiit igitur Joſeph ad crucem, & corpus depoſuit.

39 *Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Ieſum noctu primum, ferens mixturam myrrhæ & aloes, quaſi libras centum.*

39 Acceſſit interim funeralis adjutor officii & Nicodemus ille, vir inter Phariſæos præcipuæ nobilitatis, & ipſe clancularius Jeſu diſcipulus, qui prius noctu venerat ad Jeſum, quemadmodum ante narratum eſt, vitans Phariſæorum invidiam. Hi ſcientes quod livor ſoleat à morte conquieſcere, freti favore. Præſidis, audent mortuo ſupremum honorem exhibere, quem vivum palam convenire non audebant. Attulit autem Nicodemus unguentum ex myrrha & aloe mixtum, ad libras ferme centum, quantum corpori magnifice condendo ſufficiebat.

40 *Acceperunt ergo corpus Jeſu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire.*

40 Sublatum igitur Jeſu corpus communi officio, undique aromatis obleverunt, & oblitum linteis circumligarunt, ne deflueret unguentum: nam hunc in modum mos eſt Judæis ſepelire corpora, ne putreſcant. Atque hoc honoris deferebant Domino Jeſu, velut homini magno & integro, ne quis exiſtimaret eum ob maleficia mortuum fuiſſe. Nihil enim adhuc altius de illo ſentiebant, niſi quod vir innocens ac probus, Deoque carus fuiſſet, cujus memoriæ deberetur hoc honoris, quod periſſet oppreſſus invidia virtutis, quod fere ſummis viris ſolet accidere. Atque hic apparatus inibi perfectus eſt, ne quis ſuſpicari poſſet corpus fuiſſe mutatum.

41 *Erat autem in loco, ubi crucifixus eſt, hortus: & in horto monumentum novum, in quo nondum quiſquam poſitus erat.*

41 Atque inibi ſepultus eſt Dominus in horto, qui proximus eſt loco crucis. In horto erat monumentum novum, nuper è ſolido lapide exciſum, in quo nullum adhuc corpus fuerat reconditum. Et hæc tametſi caſu geri videbantur, ad reſurrectionis fidem faciebant. Non enim poterat ſuffoſſum videri ſepulchrum, quod in ſolida rupe fuerat exciſum: nec alius credi poterat ex eo reſurrexiſſe, in quo ſolus erat repoſitus.

42 *Ibi ergo propter Paraſceven Iudæorum, quia juxta erat monumentum, poſuerunt Ieſum.*

42 Nec hoc tamen agebant Joſeph & Nicodemus, qui non ſperabant reſurrecturum, verum diei feſti Judaica religione movebantur. Erat enim paraſceve Judæorum, & urgebat ſabbatum, quo fas non erat operari. Proinde ne corpus relinqueretur inſepultum, aut parum honorifice ſepeliretur, minimo negotio in proximum monumentum repoſuerunt. Quin & Judæorum diligentia ſervivit ad fidem reſurrectionis futuræ. Nam hi cuſtodibus à Pilato impetratis, curarunt obſidendum monumentum, ne quis clanculum corpus ſubduceret: nec hoc contenti, ſaxum ingens, quo claudebatur os monumenti, obſignarunt, nulla ex parte Judæorum malitia non evadente in gloriam Chriſti, cujus nomen conabantur abolere.

CAP. XX.

Ut bini currunt: Mariæ ſe monſtrat Ieſus:
Bis par inquit eis: Thoma videto manus.

1 *Una autem ſabbati, Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum: & vidit lapidem ſublatum à monumento.*

1 Ac cæteris quidem diſcipulis partim metu, partim deſperatione perculſis, nulla erat cura funeris. Cæterum diſcipulas aliquot eadem habebat ſollicitudo, quæ tenuerat Joſeph & Nicodemum: ſed diei feſti religio continuerat illas ab opere parandorum aromatum. Porro ſimulatque præteriſſet ſabbatum paſchæ, noctu paratis unguentis, *primo die ſequentis ſabbati, priuſquam plane diluxerat, Maria Magdalene venit ad monumentum.* Quæ cum vidiſſet ſaxum, quo fuerat occluſus aditus monumenti, ſubmotum, ac patere ſepulchrum, nihil aliud ſuſpicata eſt, quam corpus noctu fuiſſe ſublatum ad juſtam ſepulturam. Nam illic pro tempore poſitum fuerat corpus, veluti mox juſto funere decorandum. Perturbatis enim morte certa Domini, ſpes illa reſurrectionis exciderat omnibus.

2 *Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium diſcipulum, quem amabat Ieſus, & dicit illi: Tulerunt Dominum de monumento, & neſcimus ubi poſuerunt eum,*

2 Reſiliit igitur à monumento nondum inſpecto Maria, & *curriculo venit ad Simonem Petrum, apud quem erat & ille diſcipulus, quem diligebat* Jeſus, *aitque: Sublatus eſt Dominus à monumento, nec ſcio quo tranſtulerint eum,* qui ſuſtulerunt.

3 *Exiit ergo Petrus, & ille alius diſcipulus, & venerunt ad monumentum.*

3 Ad hanc vocem excitatus uterque prodiit foras. Spes ſane perquam tenuis habebat illos, tamen ingenti ſic dilecti præceptoris deſiderio tenebantur.

4 *Currebant autem duo ſimul, & ille alius diſcipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum.*

4 *Itaque ſimul curſu contendunt ad monumentum, ſed diſcipulus ille* Jeſu dilectus *vicit Petrum curſu, priorque pervenit ad monumentum.*

5 *Et cum ſe inclinaſſet, vidit poſita linteamina, non tamen introivit.*

6 *Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & introivit in monumentum, & vidit linteamina poſita.*

7 *Et ſudarium, quod fuerat ſuper caput ejus, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim involutum in unum locum.*

5, 6, 7 Quumque reperiſſet oſtium apertum, non ingreſſus eſt quidem, ſed circumflexo corpore proſpexit in monumentum, ſi vacuum eſſet: viditque corpus eſſe nullum, ſed linteamina relicta aromatibus oblita, quibus corpus fuerat obvolutum, ſimulque ſudarium, quo contectum fuerat caput Jeſu, non admixtum linteaminibus, ſed convolutum ac ſeparatim poſitum: ut facile liqueret, corpus non eſſe ſublatum à furibus, qui totum corpus ut erat obvolutum potius abduxiſſent cum aromatibus, linteis, & ſindone, ſi non ob pretium rerum, certe ob id, quod non tantum habuiſſent otii ad detrahenda corpori unguenta, quovis viſco tenacius inhærentia, & ſuo quæque loco digerenda. Hæc erat prima qualis qualis reſurrectionis ſpes oblata. Mox advenit & Petrus, qui cognita re ex Joanne, ut tardior fuerat in curſu, ita audacior fuit pariter & curioſior in veſtigando. Non enim contentus in monumentum proſpexiſſe, etiam ingreſſus eſt.

8 *Tunc ergo intro-*

8 Hunc conſecutus eſt alter ille diſcipulus proſpector, qui ſolus ingredi non audebat, ſed ſocius adjunctus, ademit formidinis partem. Jamque certo viderunt cominus, quod alter ceu per umbram viderat, nullum uſquam eſſe corpus, ſed corporis exuvias, ſic detractas ac ſepoſitas, ut non à furibus per tumultum, ſed per otium factum videretur. Non-

Digitized by Google

dum tamen credebant eum revixiſſe, tantum illud credebant eſſe verum, quod dixerat Maria, corpus ſublatum à monumento.

9 Quanquam enim audierant ex Jeſu, quod reſurrecturus eſſet, tamen ea non inſederant penitus animis eorum, & ſi quid inhæſerat, id metus ac tumultus crucis excuſſerat. Nondum enim penitus intellexerant Scripturam Propheticam, quæ certo prædixerat futurum, ut Jeſus moreretur, ac die tertio reviviſceret.

10 Abierunt igitur diſcipuli duo unde venerant.

11 Maria autem incredibili quodam amore deſideriogue Domini non divellebatur à monumento, mortuum quærens, quem vivum dilexerat, & exanimi corpori cupiens officium exhibere, poſteaquam vivente frui negatum eſſet. Stabat autem foris juxta monumenti oſtium, nihil aliud quam plorans & circumſpectans, ſi qua ſpes affulgeret inveniendi corporis.

12 *Inter plorandum* autem, quum ingredi non auderet, *obliquato capite proſpexit & ipſa in monumentum, viditque duos Angelos* blanda lætaque ſpecie *ſedentes* diviſim, *alterum ad caput, alterum ad pedes loci, ubi poſitum fuerat corpus.* Jam hic adſpectus lætus, & alacer, ac placidus, ſepulchri, noctis & ſolitudinis, aliqua ex parte pavorem adimebat.

13 Tum Angeli quoque, ut illius mœrorem conſolarentur, ultro compellant flentem: *Mulier, inquiunt, quid eſt quod ploras?* Tum illa, vehementia quadam amoris ebria: *Quia ſuſtulerunt, inquit, Dominum meum, nec ſcio ubi poſuerunt eum.* Suum Dominum appellat, & mortuum etiamnum amat, nihil adhuc ſperans de reſurrectione. Tantum hoc diſeruciatur, quod corporis eſſet ademta copia.

14 *Dum hæc loquitur*, ex Angelorum vultibus ſuſpicata eſt aliquem adſtare à tergo, & non exſpectato Angelorum reſponſo, *reſpexit. Et illico vidit Jeſum ſtantem*, quem Angeli fuerant venerati, *non tamen agnovit* Maria *quod Jeſus eſſet.* Apparebat enim humili ſpecie, ne ſubito ſua ſpecie conſpectus mulierem expavefaceret.

15 Ut igitur animum adderet illi, blandius appellat eam iiſdem verbis, quibus Angeli: *Mulier, quid ploras, quem quæris huc* & huc circumſpectans? *Illa ſuſpicans quod hortulanus eſſet*, cultor & cuſtos ejus loci, in quo erat monumentum, (erat autem in horto) muliebri ſimplicitate *dicit illi: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi ubi celaveris eum, & ego tollam illum.* Suſpicabatur enim, quod amicus quiſpiam ob Judæorum metum, curaſſet corpus clanculum adſportandum, ne veniret in manus Judæorum, & ſecus tractaretur quam vellet.

16 Jeſus igitur delectatus tanto deſiderio mulieris, voce jam nota & familiari, compellat eam: Maria. Ad hanc vocem notam ſubito converſa mulier, jam enim ſe reflexerat ad Angelos, adeo ſubitis affectibus huc & illuc impellebatur, agnovit Jeſum, ſubitoque gaudio rapta, ſolito titulo compellat diſcipula præceptorem: *Rabboni*, quod Syris ſonat *Magiſter*, ſimulque procidens voluit oſculari pedes illius, memor adhuc veteris familiaritatis.

17 Jeſus autem ſciens illam nihil adhuc magni de ſe ſentire, quanquam ſinceriter ac flagranter amaret, à contactu corporis prohibuit. Videbat enim Maria redivivum, ſed non in aliud revixiſſe putabat, niſi ut more ſolito conſuetudinem ageret cum amicis ex mortuo vivus, ignara quod jam corpus geſtaret immortale, majore veneratione tractandum: quod nec impiis unquam exhibuit Dominus, nec cuivis attrectandum permiſit, quo paulatim in totum abduceret ab amore corporis: *Noli, inquit, me contingere*, corpus idem eſt quod pependit in cruce, ſed jam immortalitatis gloria condecoratum. Tuus autem affectus adhuc carnem ſapit, *quia nondum aſcendi ad Patrem meum:* quod cum fecero, mittam vobis Spiritum conſolatorem, qui vos perfectos reddet, meoque ſpirituali conſortio dignos. Satis ſit interim tuo deſiderio, quod me conſpexeris, quodque loquentem audieris: ſed abi potius ad fratres meos, ob mortem meam deſolatos, & hoc gaudii, quod ex meo conſpectu es adepta, quam primum illis imparti, hiſque meis verbis adnuntia, quod in hoc revixi, ut dies aliquot cum eis commoratus, terras relinquam, & adſcendam ad Patrem mihi vobiſcum communem, & eundem Deum mihi vobiſcum communem. Deponant igitur terrenos affectus, & animum ad ſpiritualia cœleſtiaque dirigant.

18 Obtemperavit igitur Maria, & reverſa ad diſcipulos, renuntiavit ſe vidiſſe Dominum: & quæ juſſerat ſuo nomine referri, retulit: ut ingens quidem ſolatium ex eo caperent, quod eos jam fratres appellaret: & ipſi præpararent animos ad deſiderium rerum æternarum ac cœleſtium, quod corporis fruitio jam non eſſet diuturna futura.

19 Quum his atque aliis quibuſdam apparitionibus, Dominus Jeſus paulatim erexiſſet animos ſuorum ad alacritatem, & ſpem peractæ reſurrectionis, *eodem illo die, qui primus erat ſabbati*, quod paſchale ſabbatum ſequebatur, *cum jam eſſet veſpera, eſſentque diſcipuli congregati clanculum*, qui *ob metum Judæorum* luce non audebant convenire, *ingreſſus eſt Jeſus foribus clauſis, & aſſiſtens in omnium conſpectu medius*, quo pavorem illis omnem adimeret, blande notaque voce ſalutavit eos, *dicens: Pax vobis.*

20 Et ne ſpectrum eſſe ſuſpicarentur, aut aliud corpus, oſtendit eis in manibus clavorum veſtigia, & in latere militaris lanceæ cicatricem. Hac ſalutatione atque hoc ſpectaculo confirmata fides eſt, & ademtus mœror, & exhilarati diſcipulorum animi. Nam id eis pollicitus fuerat Jeſus, fore, ut intra breve tempus illos reviſeret, ſuique conſpectu reddito, mœrore abſterſo, cor eorum exhilararet. Simulque commonefecit eos ejus quod dixerat, futurum ut in mundo mœrorem haberent, in ipſo pacem.

21 Exhilaratos igitur Apoſtolos, quo magis confirmaret, denuo pacis omine ſalutat eos, dicens: *Pax vobis*, ſimulque mandat cum auctoritate ſumma prædicationem eorum quæ viderant: *Sicut*, inquit, *miſit me Pater, & ego mitto vos.* Ego bona fide glorificavi nomen Patris, vos ſimili fide conſentientes inter vos, Patris meumque nomen prædicabitis. Ad hanc functionem præparate animos veſtros, quandoquidem ego perfunctus mea legatione, repeto Patrem, inde vobis miſſurus largiorem Spiritus Sancti copiam.

22, 23 Interim & ipſe vobis pro captu veſtro Spiritum Sanctum impartio, ſimulque cum dicto inſufflavit in faciem illorum, impartitus Spiritum addidit auctoritatem remittendi peccata cunctis hominibus, qui per Euangelicam profeſſionem ac baptiſmum ſibi jungerentur, perque vitæ prioris pœnitudinem vere reſipiſcerent: *Quorum remiſeritis*, inquit, *peccata, remittentur eis: & quorum non remiſeritis, obnoxii manebunt ſuis peccatis.*

24 Hæc quum agerentur cæteris diſcipulis congregatis in unum, ſolus aberat Thomas, quod Græce ſonat *Didymum*, Latine *Geminum*: nam is unus erat è numero duodecim, quos peculiariter Dominus delegerat ad munus Euangelicæ prædicationis.

25 Is igitur ubi veniſſet, diſcipuli geſtientes gaudio, renuntiant illi quod vidiſſent Dominum. Thomas ſuſpicans illos ludificatos aliquo phantaſmate fuiſſe, *negat ſe creditorum*, niſi teſtibus oculis ſuis, ac ne oculis quidem ſuis fidem habiturum, *niſi conſpectis in manibus clavorum* recentibus *veſtigiis, manu quoque lateri Jeſu admota*, deprehenderet lanceæ vulnus. Atque hæc incredulitas Apoſtoli diſpenſatione divina, profecit ad fidei noſtræ firmitatem.

26 *Poſt*

ivit & ille diſcipulus, qui venerat primus ad monumentum: & vidit, & credidit:

9 Nondum enim ſciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis reſurgere.

10 Abierunt ergo iterum diſcipuli ad ſemetipſos.

11 Maria autem ſtabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinavit ſe, & proſpexit in monumentum:

12 Et vidit duos angelos in albis ſedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi poſitum fuerat corpus Ieſu.

13 Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum; & neſcio ubi poſuerunt eum.

14 Hæc cum dixiſſet, converſa eſt retrorſum, & vidit Ieſum ſtantem: & non ſciebat quia Ieſus eſt.

15 Dicit ei Ieſus: Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa exiſtimans quia hortulanus eſſet, dicit ei: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi ubi poſuiſti eum; & ego eum tollam.

16 Dicit ei Ieſus: Maria. Converſa illa, dicit ei: Rabboni (quod dicitur Magiſter.)

17 Dicit ei Ieſus: Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum; Deum meum, & Deum veſtrum.

18 Venit Maria Magdalene annuntians diſcipulis: Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.

19 Cum ergo ſero eſſet die illo, una ſabbatorum, & fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcipuli congregati propter metum Iudæorum: venit Ieſus, & ſtetit in medio, & dixit eis: Pax vobis.

20 Et cum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus, & latus. Gaviſi ſunt ergo diſcipuli, viſo Domino.

21 Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.

22 Hæc cum dixiſſet, inſufflavit: & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum:

23 Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.

24 Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Ieſus.

25 Dixerunt ergo ei alii diſcipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.

Digitized by Google

26 Et post dies octo, iterum erant discipuli ejus intus; & Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis.

27 Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis.

28 Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.

29 Dixit ei Jesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.

30 Multa quidem & alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc.

31 Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei: & ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus.

1 Postea manifestavit se iterum Jesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic:

2 Erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filii Zebedæi, & alii ex discipulis ejus duo.

26 *Post dies* igitur *octo quum rursus in unum* furtivo congressu *convenissent Apostoli, jamque Thomas*, hactenus incredulus, *simul adesset cum cæteris, ingressus est Dominus januis clausis, stansque in medio suorum*, salutabat eos solito notoque jam more: *Pax vobis.*

27 Mox versus ad Thomam, cujus incredulitatem noverat is, qui nihil nesciebat: quam quoniam sciebat, non ex malitia, quemadmodum Pharisæorum, sed ex imbecillitate humana proficisci, sanare dignatus est: Quando non satis est tibi Thoma, inquit, audisse à tam multis, qui me viderant & audierant, nisi tuis sensibus omnibus certa fiat fides, *infer huc digitum tuum* in vulnera clavorum, & inspice vera ferri vestigia: *admove manum tuam in latus meum*, & contrecta lanceæ vulnus, & posthac noli aliis in rebus esse perinde incredulus, sed fidem habe promissis meis, quamlibet incredibilibus juxta communem hominum sensum: posteaquam videris hoc esse certum, quod tibi videbatur incredibile.

28 Thomas ubi vidisset & contrectasset, agnoscens & faciem & solitam Domini vocem, jam plena concepta fide exclamavit: *Dominus meus & Deus meus.* Quemadmodum enim fuerat ad credendum difficilior, ita nemo clarius Deum & hominem professus est. Siquidem corporis contactus, quod dudum mortuum pependerat in cruce, testabatur verum hominem resurrexisse, & occultorum conscientia divinam virtutem arguebat.

29 Ita Jesus amplexus quidem est Thomæ professionem, cæterum credendi difficultatem taxavit, *dicens: Thoma, quoniam vidisti me*, quoniam audisti & contrectasti, *credis. Caterum, beati erunt qui quum non viderint, crediturі sunt.*

30,31 Multis quidem aliis indiciis Dominus Jesus declaravit divinam virtutem suam apud discipulos suos, quæ non sunt descripta in hoc libro, sed quædam ab aliis referuntur Euangelistis, quædam viva voce narrata sunt, ab his quæ viderunt & audierunt. Non enim curæ fuit omnia describere, quod erat immensum, sed tamen aliqua litteris prodere visum est operæ pretium, ut ex his credatis Jesum fuisse Filium Dei. Quod si feceritis, continget vobis illa beatitudo, quam Dominus Jesus promisit iis, qui quum non vidissent, credidissent. Quemadmodum enim ille passus est mortem, & vivit immortalis, ita & vos professione nominis illius, vitam æternam assequemini.

Cap. XXI.

Adspiciunt septem Dominum: Petre curris in undis: Cura pastor oves: meque sequare ducem.

1 JESVS autem quo magis ac magis confirmaret fidem suorum discipulorum, frequenter illis apparuit, colloquens, nonnunquam & una cibum capiens, ne qua suspicio posset animis illorum insidere, quod præstigium aut spectrum fuisset, quod viderant: nec tamen interim perpetuo versabatur cum illis, quemadmodum ante mortem solebat, nec eadem familiaritate cum illis agebat, nec omnibus conspicuus, quia prædixerat se suis appariturum, non mundo: ne suis quidem conspicuus, nisi quum vellet. Jam enim immortalitas venerandam quandam speciem, ac majestatis plenam præ se ferebat, ut confirmata illorum fide, corporis adspectum * in totum ab eis subduceret, jamque spiritualiter apud suos versaretur. *Itaque rursus exhibuit se conspiciendum discipulis suis juxta Lacum, qui dicitur Tiberiadis. Exhibuit autem hunc in modum.*

2 Discipuli, qui latitarant ante Hierosolymis, quo tutiores essent à Pharisæis, receperant sese in Galilæam, erantque simul aliquam multi, nimirum Simon Petrus ac Thomas, qui idem dicitur Didymus, præterea Nathanael, cui patria Cana Galilææ, ubi Jesus verterat aquam in vinum: ad hæc duo filii Zebedæi, Joannes & Jacobus major, cumque his alii duo quidam discipuli.

3 Quoniam autem præsidio Domini fuerant destituti, per quem ali consueverant ex amicorum ultronea benignitate, Petrus ad pristinam artem revertitur, quo sibi manibus victum pararet, ne cuiquam gravis esset, aut in otio cujusquam liberalitate aleretur. Non enim licebat prædicare, nec æquum esse judicabat, ut qui non serviebat Euangelio, viveret ex Euangelio. Sub noctem igitur, quoniam luce nondum satis esset tutum prodire in publicum: *ait Petrus: Abeo piscatum. Cæteri vero: Venimus & nos tecum*, ut piscemur una. *Simul itaque egressi domo, conscenderunt navim: ac totam quidem illam noctem* frustra laboratum est piscando. *Nihil* enim *ceperunt*, quo locus daretur miraculo: simul velut ænigmate significaretur inanem esse operam Euangelistæ, nisi Christus hominis conatum bene fortunet.

4 *Ubi vero jam diluxisset, Jesus stetit in littore, non tamen agnoverunt eum discipuli:* partim ob intervallum longius: partim ob lucem adhuc ancipitem: partim quia noluit statim agnosci Dominus.

5 Alloquutus est igitur eos Jesus è littore: *Pueri*, inquiens, *num quid habetis obsonii?* Illi quum ne voce quidem agnoscerent Dominum, sed suspicarentur alium quempiam esse, qui venisset ad Lacum mercaturus pisces, responderunt, se nihil habere, quod illi venderent, qui nihil cepissent.

6 Tum Jesus, ut paulatim declararet quis esset: *Jacite*, inquit, *rete in dextrum navigii latus, & invenietis* quod hactenus non potuistis. Parucrunt jubenti, nam tædium frustra sumti laboris, & aviditas capiendi spem addebat. *Mox tanta piscium multitudo capta est, ut onustum rete, vix protrahi posset* ad scapham. Hæc videlicet erat imago multitudinis hominum, quæ post Apostolica prædicatione ex omnibus totius orbis linguis ac regionibus adjungenda erat Ecclesiæ.

7 Ex novitate rei factus attentior discipulus ille, quem diligebat Jesus, agnovit Jesum: moxque Petrum, qui totus erat in attrahendo reti, submonet, quod Dominus esset is, qui è littore stans, jussisset laxare rete. Petrus sui non dissimilis, *ut intellexit esse Dominum*, oblitus & retis & piscium, *arripuit interulam (nam antea nudus erat) & impatiens moræ, conjecit se in Lacum*, atque ita pervenit primus ad Dominum.

8 *Cæteri vero discipuli navigio consequuti sunt. Nec enim longe aberant à littore, sed cubitis plus minus ducentis, simul trahentes rete piscibus onustum.*

9 *Ut igitur descenderunt in terram, viderunt in littore prunas vivas, & piscem impositum, præterea panem.*

10 *Jussit itaque Jesus, ut adferrent & ipsi de suis piscibus, quos modo cepissent.*

11 *Petrus itaque reversus in navim, rete pertraxit in terram, plenum magnis piscibus, numero centum quinquaginta tribus.* Auxit miraculum hoc quoque, quod quum esset tanta multitudo piscium, eorumque ingentium, rete tamen non fuisset scissum onere. Res adumbrabat humilem Ecclesiam, & juxta mundum imbecillem & angustam, tamen omnes orbis nationes complexuram, præsidio & auspice Domino Jesu.

12 Jam vero ut certius etiam daret speci-

3 *Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt, & ascenderunt in navim: & illa nocte nihil prendiderunt.*

4 *Mane autem facto stetit Jesus in littore: non tamen cognoverunt discipuli quia Jesus est.*

5 *Dixit ergo eis Jesus: Pueri numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non.*

6 *Dicit eis: Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis. Miserunt ergo, & jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.*

7 *Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro: Dominus est. Simon Petrus cum audisset quia Dominus est, tunicam succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare.*

8 *Alii autem discipuli navigio venerunt, (non enim longe erant à terra, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium.*

9 *Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem.*

10 *Dicit eis Jesus: Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc.*

11 *Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete.* 12 *Dicit eis Jesus: Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum: Tu quis es? scientes, quia Dominus est.*

* Alia Editio, *conspectum.*

men, se verum esse hominem, non phantasma, qui veritatem sui corporis, oculis visus, auribus auditus, & manibus contrectatus approbarat, cibum etiam cum illis capere voluit. Invitavit igitur suos ad prandium paratum. Discubuerunt discipuli, sed taciti. Majestas enim immortalis jam corporis ademerat illis solitam fiduciam. Agnoscebant quidem Dominum, sed augustiore jam specie. *Nullus igitur ausus est eum interrogare, quis nam esset, quod* ex re *scirent Dominum esse*, licet species corporis esset immutata.

13 *Et venit Iesus, & accipit panem, & dat eis, & piscem similiter.*

13 Accessit igitur Jesus ad convivium, & suo more distribuit illis panem manibus suis fractum, similiter & piscem, facto docens suos, quos Pastores Ecclesiæ delegarat *, ut gregem Euangelicum sacra doctrina, sed ab ipso tradita, pascerent.

14 *Hoc jam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis, cum resurrexisset à mortuis.*

14 Hic erat tertius dies, quo se Jesus per intervalla suis conspiciendum exhibuit: neque enim assidue cum illis versabatur.

15 *Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannu diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos.*

15 Peracto prandio, Dominus Jesus velut explicans quod facto significarat, Petro pascendas oves suas committit, sed ter stipulatus amorem sui: ut inculcaret animis suorum, neminem esse Pastorem idoneum gregis Euangelici, nisi qui talem amorem gereret erga suæ custodiæ creditos, qualem Christus jam præstiterat erga suos, pro quibus impenderat vitam suam. Petrum autem potissimum alloquitur, quo memoriam abnegationis aboleret, significans illum in Euangelico ministerio principem locum habituruni, qui caritate in gregem Dominicum præcelleret cæteris. Per hunc igitur, quem noverat cæteris ardentioris animi, voluit omnibus Apostolis, & horum successoribus, specimen veri perfectique Pastoris exprimere. Solet autem & alias Petrus velut os esse Apostolorum, & per hunc audiri voluit Dominus, quid cæteri quoque profiterentur. Siquidem hujus voce edita totius Ecclesiæ professio, jam pridem promeruerat sponsionem clavium regni cœlestis. Itidem & tum hujus voce voluit edi summæ erga se caritatis professionem; ut per unum cæteri cognoscerent, quales ad curam Dominici gregis deberent accedere: *Simon*, inquit, *Joannis, diligis me plus quam hi?* Non rogabat hæc Dominus velut ignarus se plurimum à Petro diligi, sed penitus infixum esse volebat animis suorum, summa erga Jesum caritate opus esse ei, qui gregis Dominici curam susciperet, pro quo Dominus ipse crucis supplicium subisset. Petrus autem jam factus solito circumspectior, de cæteris quidem quantum amarent Dominum, non respondet, quod aliorum animos exploratos non haberet, de sua unius conscientia respondet, cujus Dominum etiam testem audet facere: Quantum, inquit, aliorum quisque te diligat, nescio, ego amo te Domine, nec hoc ignarus interrogas. *Tu*, qui nosti secreta mentium humanarum, *scis quod amem te. Tum Jesus*: Si amas me, *inquit*, ut profiteris, *pasce agnos meos*, qui mihi carissimi sunt, & pro quibus vitam meam impendi: ac talem te præbe erga illos, qualem ego me præbui erga vos. Hoc erit argumentum perfecti erga me amoris.

16 *Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos.*

16 *Rursum interrogat eum* totidem verbis Dominus Jesus: *Simon Joannis, amas me? Respondit ei* Petrus totidem verbis: *Amo Domine: scis ipse, quod amem te. Tum* rursum *Jesus:* Si me vere amas, *pasce agnos meos*, quos ego carissimos habeo.

17 *Dicit ei tertio: Simon Ioannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me? & dixit ei: Domine tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce oves meas.*

17 *Tertio Dominus rogat Petrum: Simon Joannis, amas me?* Toties iterata Domini percunctatio scrupulum ac mœrorem injecit Petro. Quanquam enim sibi conscius esset, quod vehementer Dominum amaret, tamen post tam magnifica promissa ter abnegatus Dominus, faciebat, ut ipse sibi quoque diffideret. Evenerat enim in Petro, ut lapsus esset saluti, qui modestiam docuisset, ac dedocuisset sui fiduciam, qua nulla pestis capitalior Euangelicæ pietati. Respondit igitur sincere quidem, sed timide ac modeste, jam tota fiducia translata in eum, cui soli oporteret fidere: *Domine*, cur hoc toties interrogas, quum nihil te fugiat? *Scis ipse quod amem te. Tum Jesus: Pasce* igitur *oves meas*, & in has declara, quanti me facias. Boni Pastoris exemplum ex me sumes. Ego pro meis ovibus vitam meam impendi, tu quoque usque ad vitæ capitisque jacturam fidum ages Pastorem ovium mearum. Meæ sunt, quas meo sanguine redemi, nunc rediturus ad Patrem tibi pascendas committo. Pastorem igitur ages, non Dominum: & pasces ut serves: non mactabis, aut deglubes, ut perdas. Si ego tibi ter carus sum, erunt tibi caræ, quas habeo carissimas. Hæc Dominus Jesus tanta diligentia voluit esse inculcata discipulorum suorum animis, quod non ignoraret exorituros, qui non amore Jesu, sed sui commodi gratia curam populi Christiani susciperent, vel arriperent potius, qui pro Pastoribus agerent tyrannos ac prædones. Quin & illud Dominus Jesus dignatus est explicare, quid sibi vellet ter iterata dilectionis professio. Qui pro salute gregis Dominici, contemnit facultates suas, negligit honores hujus mundi, negligit affectus suos, magnum quidem de se sinceri amoris argumentum præbet. Cæterum qui pro salute gregis non dubitat vitam suam in discrimen adducere, is absolutæ caritatis certissimum documentum dedit:

18 *Amen, amen dico tibi: cum esses junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis.*

18 Id olim Petrum facturum subindicare volens, ajebat: Illud etiam atque etiam tibi confirmo, Petre, præstabis aliquando, quod nunc profiteris. Non est autem delicata professio. Cum enim esses junior, & juxta corporis vires malorum tolerantior, mollius habebaris. Nam ipse tibi cingulum tuo arbitratu solvebas, aut addebas, ac liber ambulabas, quocunque lubitum esset. Verum ubi senueris, jam juxta corporis vires imbecillior, durius tractaberis, nimirum animo jam fortior. Nam porriges manus tuas, & alius cinget te, ducturus quo nolis.

19 *Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. Et cum hoc dixisset, dicit ei: Sequere me.*

19 Hoc ænigmate Jesus *significabat, quo mortis genere Petrus esset olim glorificaturus Deum.* Siquidem admodum senex, ductus est ad crucem, quam licet libenter pertulerit, ob immensam caritatem erga Dominum suum, tamen horret imbecillitas humanæ naturæ. Hæc loquutus Jesus, cœpit ambulare, *dicitque* Petro: *Sequere me*, rursus ad suæ caritatis ac mortis imitationem invitans.

20 *Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus ejus, & dixit: Domine, quis est qui tradet te?*

20 *Petrus ubi respexisset, videt & illum discipulum, quem diligebat Jesus, quique in Domini pectus incubuerat in* extrema *cœna, dum ex eo sciscitaretur, quis esset proditor.*

21 *Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Iesu: Domine, hic autem quid?*

21 Hunc quum unice diligeret Petrus, & Domino cæteris cariorem semper fuisse sciret, ac tum non jussus sequeretur Petro proximus, rogat Dominum, quid de illo futurum esset. Jam enim de sua morte cognoverat, & scire cupit, an hunc mortis suæ comitem esset habiturus. Nam hoc sibi glorioſum ac vehemens Dominicæ erga se caritatis indicium esse ducebat, quod Jesu mortem esset imiturus.

22 *Dicit ei Iesus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere.*

22 Jesus autem supervacuam hanc de morte alterius Petri curam corrigens, ait: *Si hunc velim manere, donec ipse veniam, quid id tua refert?* Meus est, & meo arbitratu de illo, quod optimum erit, statuam: tu quod ad te pertinet, cura, videlicet ut me sequaris.

23 *Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Iesus: Non moritur; sed: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?*

23 *Ortus est igitur* ex hujus occasione sermonis *inter discipulos rumor, quod discipulus ille* Jesu dilectus, *non esset moriturus* violenta morte, sed permansurus in vita, donec rediret Dominus judicaturus vivos & mortuos, quod omnes tum brevi futurum opinabantur: *tametsi Jesus non dixerat eum non moriturum, sed* Petri curiositatem retundens, *negavit ad illum pertinere, si vellet eum manere usque ad adventum suum.*

24 *At-*

* Alia Editio, *delegerat.*

Digitized by Google

24 Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit haec: & scimus, quia verum est testimonium ejus.

24 *Atqui hic est ille ipse discipulus, qui testimonium perhibet haec sic esse gesta: quique scripsit haec*, quo certius ac latius ad omnium notitiam diffundantur. *Et cognovimus quod verum est illius testimonium.* Non enim scripsit ab aliis audita, sed quibus ipse interfuit.

25 Nec omnia tamen commemoravit, quae dixit 25 *Sunt autem & alia multa, quae fecit Jesus: quae si scri-*

A aut fecit Jesus. Etenim si quis ea singulatim conetur enarrare, immensa voluminum vis nasceretur: tantum autem litteris proditum est, quantum ad salutem consequendam satis est. Superest igitur, ut his credentes, * contendamus ad immortalis vitae praemium.

* Alia Editio addit, *& Jesu vestigiis inhaerentes.*

bantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.

PARAPHRASEOS IN EVANGELIVM SECVNDVM JOANNEM, PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM, THEOLOGIAE PROFESSOREM,

FINIS.

ERASMVS ROTERODAMVS
PIO LECTORI
S. D.

TOTA *quidem doctrina Euangelica, tota vita Christi, novam quandam & admirabilem spirat caritatem, sed hanc nemo magis expressit, quam* Joannes *Euangelista, qui quemadmodum peculiarius adamatus fuit ab illo qui est amor aeternus, ita nihil aliud loquitur, nihil aliud spirat, quam meros amores, sive legas hujus Euangelium, sive legas Epistolas. Nimirum haec est illa Christiana caritas, qua compendio docet, quicquid tot Veteris Instrumenti voluminibus, tot Philosophorum libris, tot humanis legibus praecipitur: haec est, qua quicquid est virtutum ultro secum trahit, quicquid est vitiorum semel excludit. Cum enim summa nostra felicitas sita sit in cognitione, fiducia, & vitae puritate, nihil citius aut libentius discimus, quam quod vehementer amamus. Fides autem est velut oculus noster, quo videmus & cognoscimus Deum, quod satis est nobis ad salutem aeternam, idque ex Scripturis divinis. Hunc oculum purum, simplicem & columbinum reddit caritas, qua nihil perperam, sed candide interpretatur omnia. Huic proximum est fiducia, qua diffisi mundi praesidiis, diffisi nostris viribus toti pendemus ex bonitate Dei. Persuadet autem & hoc efficacissime verus amor, ut nos toto pectore rejiciamus in eum, quem toto pectore diligimus. Porro quod ad tertium attinet, cum vitae puritas petenda sit potissimum vel ex Christi praeceptis, vel exemplis, nemo libentius obedit cuiquam, quam ei, de quo magnificentissime sentit, & quem plurimum amat. Denique quod ad spem praemiorum attinet, quanquam perfecta caritas, nec metu movetur, nec moratur praemia, nullius promissis magis fidemus, quam ejus, quem per fidem cognoscimus omnipotentem, & tot etiam experimentis sensimus optimum, & quotidie sentimus. Hoc igitur est veluti centrum hujus Euangelii, circa quod assidue volvitur* Joannes, *nunquam ab illo recedens. Proponit autem veluti duos orbes, unum caelestem ac spiritualem, alium terrenum & carnalem, quem mundum appellat. Neuter horum ostendi digito potest, sed est in affectibus intimis, promens se tamen nonnunquam factis ipsis, nisi quod facta quoque simulantur. Hoc tantum interest, quod nec sibi constat, nec perpetua est simulatio. In orbe caelesti; Deum Patrem collocat summum bonorum omnium fontem, huic adjungit Filium, per quem condidit, gubernat, ac restituit omnia, & Spiritum utrique communem, per quem perficit omnia. Hic sacratus ternio sibi cohaerens, & in sese rediens, primum exemplum est absolutae caritatis & concordiae. In hunc per fidem & caritatem adoptantur omnes, qui sinceris mentibus adhaerent Euangelicae doctrinae. Renascuntur filii Dei, efficiuntur fratres Jesu, sortiuntur spiritum communem, adsciscuntur in consortium immortalitatis, fiunt enim palmites aeternae vitis, reduntur membra Christi. Sed in hoc caeleste consortium non potest admitti, nec admissus perseverare, nisi purus ab hujus mundi cupiditatibus, etiamsi haec puritas non contingit cuiquam in hoc seculo perfecta. Hic nimirum occurrit alter orbis, qui maximam hominum partem complectitur. Hujus principem veluti centrum facit Satanam. Is habet Angelos suos impostores, quemadmodum Deus habet suos Angelos pietatis ministros. Ternionem non habet, quoniam tyrannus est, solitudinem amans, nec admittens regni consortem. Habet & suos Apostolos, suosque foederatos, per quos operatur, quemadmodum Christus operatur per sanctos suos. Tunc enim habebat Scribas, Pharisaeos & Sacerdotes,* Herodes, *primores aliquot populi, qui diligentes ea, quae sunt hujus mundi, adversabantur doctrinae Christi. Et hujus generis hostes nullo non seculo Christus habuit, nullo non habiturus est. Difficillimum est autem hos duos orbes interim tot modis inter se confusos discernere. Certissima nota est, quod hi, qui vere sunt Christi, nihil aliud sitiant, quam gloriam Christi, vel cum sua ipsorum ignominia; quam lucrum Christi, vel cum vitae suae dispendio. Nihil sibi venantur, nihil sibi vindicant, si quid est boni; nihil ambiunt, nisi placere Christo. Hoc uno metiuntur omnem suam felicitatem. Contra qui mundo sunt addicti, suis student commodis, suae gloriae, suo lucro, suae voluptati, neglecto Deo, & offenso etiam proximo, & si quid interim simulant religione, tamen à scopo suo non recedunt. Habet uterque sua praesidia, suaque solatia. Mundus habet opes, honores, auctoritates, copias, exsilia, carceres, mortes, Euangelicus orbis habet rectam conscientiam, spiritum consolatorem, & caritatem omnia quamvis tristia condulcantem. Habet uterque sua praemia. Mundus praeterquam quod falsa bona pollicetur, in quibus ipsis saepe perfidus, tamen ultra vitam nihil potest polliceri. Christus pollicetur aeterna vitae consortium, & hic interim plus verae tranquillitatis, quam mundus suis praestare valeat. Tantum omnem fiduciam, omnem gloriam, omnem spem in unum se transferri vult. Haec cum nobis tradita sint his literis, quas non aliter accipimus quam vocem à Christi prolatam ore, quid est quod omnis pene vita Christianorum tantum abhorret ab hac doctrina? Omnes ex aequo profitemur Euangelium, & nemo praestat Euangelium. Qua vitae pars, non libidine, avaritia, ambitione, livore, odio corrupta: sive Principes spectes profanos, sive Proceres Ecclesiasticos, sive populum promiscuum, sive eos qui tanquam bis Christiani plus quam Euangelicam religionem profitentur? Inter quos est ullum sincerae caritatis vestigium? Inter quos amicitia simplex & fuci nescia? Quis non procurat suum commodum incommodo proximi? Quis non sibi plurimum arrogat, ac proximo detrahit? Unde perpetui bellorum tumultus? Expendamus quod petitur tanta sanguinis Christiani jactura. Leve est, vile est, temporarium est. In-*

Digitized by Google

terim ferarum ritu quid aliud quam mutuo laniatu vivimus? Et cum his factis nobis pollicemur cœlum, ubi ſumma pax eſt, ubi perfecta caritas. Et qua fiducia pollicemur? quia ſemel in morte confeſſi ſumus: quia diploma Pontificis emimus quod liberat à Purgatorio: quia morientes juſſimus, ut pro ſepultis peragantur multa magnificaque parentalia: quia ſubornavimus qui pro nobis viſat Hieroſolymam, *Limina* Petri, *aut* Compoſtellam, *ne commemorem his etiam ineptiora? Quod genus, ubi moriturus ſe tutum credit, ſi ſepeliatur amictus veſte* Franciſcani, *aut* Dominicani. *Unde, quaſo, inter Chriſtianos tanta ruditas? Nimirum quia non legimus Euangelium, aut ſi legimus, obiter & oſcitanter legimus. Hæc adjecimus, optime Lector, quod forte vacabant aliquot pagina. Bene vale.*

VERSVS MEMORIALES IN JOHANNEM.

ÆTERNVM Verbum: Bacchuſque aqua: Clam Nicodemus:
Dein Samaritis adeſt: Ecce Bethesda palus.
Fracta replent cophinos: Graditur clam: Hic Vita, Salus, Lux:
JESVS dat viſum: κάτθαν' ἰκονὶ βοτήρ.
Lazare ſurge: Malum murmur: Nunc planta lavatur:
O JESV in Patre es: Palmes homo eſtque Dei.
Quin dabo Pneuma: Rogat Patrem: Stat vinctus Jeſus:
Torcular hic calcat: Vique reſurgit humo.
Aſſum edit hic piſcem: & Petro ſua fata recenſet:
Johannes ſeptem ter tibi membra dedit.

QVINQVE PASCHATA.

PASCHA unus primum Joannes narrat: in illo Exſeruit Zelum Chriſtus in æde Patris.
Paſcha idem tradit Joannes inde ſecundum: Diſputat hic Chriſtus pro Deitate ſua.
Tertium habent reliqui, ſpicas per Sabbata vellunt Diſcipuli: hoc factum Chriſtus & ipſe probat.
Quartum Paſcha unus Joannes indicat ante Hoc pavit pauco millia pane Deus.
Quintum eſt quo paſſus Dominus de morte reſurgit: Hoc pleno auctores quatuor ore ferunt.

S. D. N. PONTIFICI VERE SVMMO
CLEMENTI EJVS NOMINIS SEPTIMO
ERASMVS ROTERODAMVS
S. D.

SIMVL & mihi ſcribebatur, & typographis excudebatur *Paraphraſis* in librum, cui titulus *Acta Apoſtolorum*, beatiſſime Pater, extremus labor, quem in hoc ſcripti genere ſtatuimus ſumere. Quo quidem in Opere non ſine mœrore quodam animi noſtri verſabamur, nimirum hunc turbulentiſſimum & corruptiſſimum Eccleſiæ ſtatum cum ea forma conferentes, quam nobis in hoc libro mire depinxit *Lucas*. Eum dolorem auxit nuntiata mors *Adriani* ſexti, cujus erudita pietas nobis nonnullam ſpem injecerat, futurum ut per eum res collapſæ reſtituerentur. Nam *Leonem* decimum præmatura mors invidit orbi. Quanquam de *Adriano* mihi ſemper præſagierat animus, nos in parietem caducum inclinare, quod ætas illius ac valetudo non videretur tantis rerum motibus ſuffectura. At mox recrearunt animum noſtrum Cardinalium quorundam, ac virorum eruditorum litteræ, nuntiantes, *Clementem* ſeptimum ad rerum humanarum apicem evectum eſſe, ſimulque depingentes nobis raras planeque heroicas naturæ tuæ dotes, tanto rerum faſtigio tum dignas, tum pares. Mihi protinus arriſit *Clementis* adſcititium nomen, cui tuos mores prædicant admodum congruere. Sed in primis lætiſſimum omen mihi viſum eſt gentilitium *Medicis* cognomen, quo vix aliud orbi vel notius, vel gratioſius. Morbi graves ac deplorati inſignem aliquem ac fatalem poſcunt medicum. Nullus autem periculoſior, quam cum ægrotus utraque ſui parte laborat, corpore nimirum & animo. An non mundus tali quodam malo nunc teneri videtur? Hi tam exitiales, tam implacabiles, tam diutirni, tam immedicabiles Monarcharum inter ipſos tumultus, an non videtur graviſſimus quidam totius corporis morbus? Quam enim orbis partem videmus immunem ab hujus mali contagio? Sed hoc etiam pernicioſior eſt lues hæc, quæ miris ac pertinacibus opinionum diſſidiis corripuit animos omnium. Bellorum tumultus jam gliſcentes magno conatu ſtuduit componere invictiſſimus *Angliæ* Rex *Henricus*, ejus nominis octavus. Nihil actum eſt. Idem conatus eſt *Adrianus* noſter. Fruſtra laboratum eſt. Porro diſſenſio opinionum, quæ velut mentis morbus eſt, quid à quibus non tentatum eſt, ut componeretur? Et hactenus fruſtra laboratum, ſemper incrudeſcente malo. Nunc ad novum *Medicen*, velut ad quendam ἀπὸ μηχανῆς θεὸν, ſummam in ſpem eriguntur omnium animi. Atque utinam promereamur, ut hanc ſpem Chriſtiani populi, Deus nolit irritam eſſe. Certe multa ſunt auguria, quæ noſtris votis adblandiuntur, pollicenturque nobis hic in primis verum fore illud Homericum: Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Præſtantius enim eſt mederi malis, quam compeſcere. Quoties enim horum temporum imaginem contemplor, protinus ſuccurrit animo carmen *Maronis:*

Ac veluti magno in populo, cum ſæpe coorta eſt
Seditio, ſævitque animis ignobile vulgus,
Jamque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat.

Niſi quod exitiabilior eſt ſeditio, quæ non unius eſt urbis, ſed totius orbis: nec ignobilis vulgi, ſed omnium

Digitized by Google

omnium prorſus ordinum. Rurſus ubi *Clementem Medicen* intueor ex illa fatali familia, rerum gubernaculis admotum, felix omen habere videtur, quod apud eundem Poetam ſequitur:

Tum pietate gravem, ac meritis ſi forte virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectiſque auribus adſtant.
Ille regit dictis animos & pectora mulcet:
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, aequora poſtquam
Proſpiciens genitor, caloque invectus aperto
Flectit equos, curruque volans dat lora ſecundo.

Quanquam igitur hoc laboris, quod erat præ manibus, decreveram alteri dicare, viro ſecundum Pontificiam dignitatem maximo, tamen acceptis è *Roma* litteris, quæ te nobis velut in tabula depingebant, ſimul & illud adjicientes, quam non vulgarem favorem, & in *Eraſmum* tua ſanctitas oratione ſua declaraſſet, cui ſi pares eſſe non licebit, certe dabimus operam, ut ſedulo videamur eſſe conati: vertimus ſententiam, ac novum Opus novo Pontifici maluimus eſſe conſecratum. Jam & illa congruere videbantur, ut *Lucas* medicus iret ad *Medicen*, tum ut naſcentis Eccleſiæ primordia commendarentur illi, per quem ſperamus futurum, ut Eccleſia collapſa renaſcatur. Quemadmodùm autem tum rebellante mundo, nihilo ſecius invaleſcebat Eccleſiæ regnum, videlicet Chriſto proſperante, quod per Eccleſiæ ſuæ proceres gerebatur: ita non ſolum optamus, verum etiam confidimus, Chriſti favorem tuis ſanctis conatibus non defuturum. Cujus clementia *Clementem* nobis diu ſervet incolumem. *Baſilea* 31. Januarii, Anno à Chriſto nato 1524.

PEREGRINATIO APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI,

CVM RATIONE TEMPORVM,

PER ERASMVM ROTERODAMVM.

EX Actis Apoſtolicis *non liquet* Petrum *frequenter commutaſſe locum, niſi quod poſt mortem* Stephani *profectus eſt, una cum collega* Joanne, *in* Samariam *civitatem, cui poſt verſum nomen* Sebaſte, *unde & tota regio* Samaria *dicta eſt: ut comprobaret auctoritate ſua, perficeretque, quod illic per* Philippum *Diaconum cœptum erat. Deinde videtur pleraſque* Samariæ *partes peragraſſe. Sic enim legimus Cap.* VIII. Et multis regionibus Samaritanorum euangelizabant. *Eſt autem* Samaria *media inter* Judæam & Galilæam. *Porro nonum caput teſtatur illum peragraſſe varias* Palæſtinæ *regiones, antequam veniret* Lyddam & Joppen. *Sic enim habet:* Factum eſt autem, ut Petrus dum tranſiret univerſos, deveniret ad ſanctos, qui habitabant Lyddæ. *Eſt enim* Lydda *in* Palæſtina, *non procul a* Joppe *civitate littorali. Rurſus à* Joppe *profectus legitur ad* Cæſaream Palæſtinæ *maritimam, qua prius dicta fuerat* Turris Stratonis. *Hic baptizavit* Cornelium *Centurionem. Hinc reverſus eſt* Hieroſolymam. *Caterum quando profectus ſit* Antiochiam, *ubi præſedisſe creditur, aut quando ſe* Romam *tranſtulerit, quaſque regiones peragrarit, quoniam humanis duntaxat hiſtoriis proditum eſt, non laborabo perſequi. Nam* Euſebius, *qui putat illum prædicaſſe Euangelium apud* Ponticos, Galatas, Cappadoces, Aſiaticos, Bithynos, *non aliunde ſumſit conjecturam, niſi quod harum gentium meminit in priore Epiſtola. Conveniebat autem ut Apoſtolorum præcipuus, annos complures ſederet in ea civitate, unde Dominus Jeſus voluerat Euangelicam doctrinam, primum in omnes* Judææ *regiones, mox in univerſum orbem propagari. Jam quod tradit Hiſtoria, quam vocant Eccleſiaſticam, primariam rerum curam à Chriſto traditam* Petro, Jacobo & Joanni: *id inde colligunt, quod horum aliquoties nominatim fit mentio, cum de cæteris nihil narretur, quid dixerint, aut fecerint, niſi quod adſtabant* Petro *dicenti tanquam teſtes. Erant autem* Jacobi *duo, unus* Zebedæi *filius, frater* Joannis: *hunc interfecit* Herodes, *atque hoc ipſum arguit eum fuiſſe inter Apoſtolos præcipuum. Alter* Alphæi *filius. Crebra mentio fit in* Actis *tertii* Jacobi, *qui dictus eſt Frater Domini, cognomento* Juſtus, *filius, ut opinatur* Hieronymus, Mariæ, *quæ fuerit ſoror Matris Domini. Huic* Jacobo *tribuunt Epiſtolam, quæ legitur inter catholicas. Qui cum non eſſet de numero duodecim Apoſtolorum, tamen hunc ſtatim a morte Chriſti Apoſtoli deſignarunt Epiſcopum* Hieroſolymitanum, *qui poſteaquam* Paulus *appellaſſet* Cæſarem, *è templi faſtigio præcipitatus eſt, atque inter lapidandum fullonis fuſte percuſſus, interiit. Hunc* Hieroſolymis * *negat fuiſſe de numero Apoſtolorum duodecim. Et tamen quanta fuerit hujus auctoritas, vel illud declarat, quod cum in concilio tractaretur de gentibus non onerandis Lege* Moſaica, *poſt* Petrum *cum auctoritate pronuntiat ſententiam,* ἐγὼ κρίνω, *inquiens. Hic idem poſt* Paulo *fuit auctor, ut adjungeret ſibi quatuor, qui voto ſe adſtrinxerant, cumque his ritu* Judaico *purificaretur in templo, cujus conſilio* Paulus *obtemperavit. Quin etiam urbem ingreſſus hunc primum ſalutavit, tanquam illic primas tenentem. Et in Epiſtola* ad Galatas *hunc ceu præcipuum nominat:* Aliorum, *inquit,* Apoſtolorum vidi neminem, niſi Jacobum fratrem Domini. *Caterum* Petrum Antiochiæ *fuiſſe declarat in eadem Epiſtola narrans, quemadmodum illum reprehenderit ob ſimulationem. Jam* Dionyſius *apud* Euſebium, Corinthiorum *Epiſcopus, ſcriptor pervetuſtus, literis prodidit,* Petrum & Paulum Romæ *juſſu* Neronis *eodem die martyrii palmam promeruiſſe. Caterum* Petrum *inter præcipuos etiam primatem fuiſſe declarat, quod apud Euangeliſtas omnes, atque etiam in* Actis, *in catalogo duodecim ſemper primo loco recenſetur. Deinde quod initio fere primus fuit ad dicendum. Nam & ante miſſum Spiritum Sanctum, congregatis in cœnaculo diſcipulis, proponit de ſubrogando quopiam in locum* Judæ. *Rurſus ubi tumultus eſſet in populo ob linguarum miraculum,* Petrus *ſolus auſpicatur concionem Euangelicam. Primus omnium miraculum edit in nomine Jeſu, pro templi foribus ſanato claudo. Ac mox hac de cauſa concurſu facto in porticu* Solomonis, Petrus *concionatur apud populum. Ubi videtur &* Joannes Petri *comes aliquid dixiſſe, quod non refertur. Sic enim ait* Lucas: Loquentibus autem illis ad populum, *niſi placet accipere utrunque dixiſſe, quod* Petrus *utriuſque nomine dixit. Similis enim locus mox ſequitur in eodem Cap.* III. Petrus vero & Joannes reſpondentes dixerunt ad eos. *Rurſus Cap.* IV. Reſpondens autem Petrus & Apoſtoli dixerunt, *quod* Petrus *omnium voce loqueretur. Rurſum cum ageret de creandis Diaconis,* Petrus *verba facit ſolus. Solus pronunciavit ſententiam in* Ananiam. *Quin & illud arguit* Petri *dignitatem inter Apoſtolos, quod primus ductus*

* Legendum videtur, *Hieronymus.*

eſt

Digitized by Google

eſt in carcerem, ac virgis caſus, quanquam ex narratione Lucæ *videntur omnes Apoſtoli ſimul cum* Petro, *jam iterum conjecto in carcerem, virgis caſi.*

Nunc de Paulo *dicamus, qui veluti ſtrenuus dux per omnes terras mariaque volitavit, ut omnes gentes redigeret ſub jugum Chriſti. Primum* Hieroſolymis *profectus eſt* Damaſcum: *ea eſt civitas* Syrophœnices, *quæ quondam* Arabiæ *deputabatur, ut auctor eſt* Tertullianus adverſus Marcionem *lib.* III. *totius* Syriæ *caput, inter* Libanum *&* Antilibanum *ſita. Hic baptizatus eſt* Paulus, *& Euangelii prædicationem auſpicatus. Verum hinc clam profugiens utrum abierit in* Arabiam, *& inde reverſus ſit* Damaſcum, *ac poſt annos tres demum redierit* Hieroſolymam, *ut videret* Petrum, *quemadmodum ipſe refert in Epiſtola* ad Galatas, *an ſtatim ſe receperit* Hieroſolymam, *non ſatis liquet ex* Actis. *Imo ne hoc quidem, utrum in prima prædicatione periclitatus ſit ob inſidias præfecti, an ſecunda. Ex narratione* Lucæ *videtur ſtatim, ut fugiſſet* Damaſco, *ſe recepiſſe* Hieroſolymam, *quoniam qui paulo ante profectus fuerat hoſtili animo in diſcipulos, noluerunt in conſortium ſuum recipere. Quod ſi tot annis prædicaſſet, fieri vix potuiſſet, quin rumore cognoviſſent eum fuiſſe mutatum. Rurſus* Hieroſolymis *profugus deductus eſt* Cæſaream Philippi: *ea eſt* Phœnices *ad radicem* Libani *montis, ubi ſunt fontes* Jordanis. *A* Cæſarea *dimiſſus eſt* Tarſum: *ea metropolis eſt* Ciliciæ, Pauli *patria, quam interfluit amnis* Cydnus. *A* Tarſo *per* Barnabam *reductus eſt* Antiochiam, Phœnices *metropolim, unde & regioni nomen, qua proxima eſt* Ciliciæ. *Hinc profectus eſt denuo* Hieroſolymam, *ut exhiberet collectam pecuniam in ſubſidium pauperum. Quo facto reverſus eſt* Antiochiam, *unde venerat. Hic donatus Apoſtolico nomine profectus eſt* Seleuciam: *ea eſt in promontorio* Antiochiæ Syriæ, *obvia volenti ab* Antiochiæ *civitate proficiſci in* Cyprum. *E* Seleucia *ſolvit in* Cyprum *inſulam oppoſitam* Ciliciæ, *qua eſt* Aſiæ *minoris. Appulit autem* Salaminem, *quæ civitas* Cypri *prima occurrit ad Orientem, & pervenit* Paphum, *quæ eſt extrema ad Occidentem, ut intelligamus totam eam inſulam peragratam. Ubi quidam putant illi pro* Saulo, *commutatum* Pauli *nomen à* Sergio Paulo *ejus inſulæ Proconſule: cum magis conveniat, ut parentes ac patroni liberis ac libertis, ſua impartiant nomina, quam ut ab illis mutuentur. A* Papho *ſolvens appulit* Pergen: *ea civitas eſt* Pamphyliæ. *Hinc* Antiochiam Piſidiæ. *Hinc* Iconium, *mox* Lyſtra, *quæ eſt civitas* Lycaoniæ. *Hic autem tum lapidatus eſt* Paulus. *A* Lyſtris *profectus eſt* Derben, *quæ & ipſa* Lycaoniæ *eſt. Hinc remenſus iter quo venerat, reverſus eſt* Lyſtra, Iconium *&* Antiochiam Piſidiæ, *quo quod cœptum erat confirmaret. Atque item peragrata reliqua* Piſidia, *redierunt in* Pamphyliam, *uſque ad* Pergen, *ad quam primum appulerant è* Cypro. *Hinc* Attaliam: *ea civitas eſt maritima* Pamphyliæ, *ex qua ſcribæ fecerant* Italiam. Attalia *ſolventes, navigarunt* Antiochiam Syriæ, *unde primum hoc iter fuerat auſpicatus. Hinc rurſus* Hieroſolymam *itum eſt, ut cæteris Apoſtolis probaret, quæ geſſerat in* Aſia *minore, ſed interim prædicans Euangelium in* Phœnice *&* Samaria, *per quas erat iter. Eo peracto reverſus eſt* Antiochiam, *unde venerat. Hic ſejunctus à* Barnaba, *peragravit* Syriam, *ac mox* Ciliciam. *Inde iterum reviſit* Derben *ac* Lyſtra, *ubi circumcidit* Timotheum. *A* Lyſtris *fecit iter per* Phrygiam *&* Galatiam. *Hinc ventum eſt in* Myſiam, *mox* Troadem. *Atque hic nonnullus ſcrupulus occurrit. Etenim ſi ſentit de* Phrygia, *in qua eſt* Troas, *à* Lycaonia *prior occurrit* Galatia, *quam* Phrygia. *Et tamen* Lucas *cap.* XVI. *ſic refert:* Tranſeuntes autem Phrygiam & Galatiæ regionem, vetiti ſunt à Spiritu Sancto loqui verbum in Aſia. *Rurſum incertum eſt an* Aſia *hic accipiatur pro illa minoris* Aſiæ *parte, quæ ſimpliciter* Aſia *dicitur, an de tota* Aſia *minore, in qua jam multis locis prædicaverat. Siquidem* Galatia *ſita ad Septentrionem, hoc eſt, ad Pontum* Euxinum, *ad Orientem habet* Cappadociam, *ad Occidentem* Bithyniam, *ad Auſtrum* Piſidiam *&* Lycaoniam. *Quanquam hic* Ptolomæus *ponit alteram quandam* Phrygiam *vergentem ad Occidentem. Porro* Myſia *major proxima eſt* Aſiæ, *ſic proprie dicta.* Myſia *minor eſt ſupra* Phrygiam. *Poteſt igitur ſic explicari ſcrupulus, ut in his duobus vocabulis* Phrygiam *&* Galatiam *ſit ordo præpoſterus, & intelligamus illum è* Lycaonia *recta perveniſſe in* Galatiam, *hinc in* Phrygiam, *ex* Phrygia *voluiſſe petere* Aſiam *proprie dictam, ni vetuiſſet ſpiritus. Adhæret autem hæc* Aſiæ *pars* Phrygiæ *ad Orientem & Auſtrum. Itaque* Paulum *vetitum huc ire, flexiſſe iter ad* Myſiam *majorem, ni fallor, per quam iter eſt in* Bithyniam, *quæ quondam* Bebrycia *dicta eſt, &* Mygdonia: *proxime habens ad Septentrionem eam* Aſiæ *partem, quæ proprie* Pontus *dicitur. Rurſus cum huc ire vetaret ſpiritus, reflexiſſe iter ad Occidentem, ac peragrata* Myſia *minore rediſſe per mediam* Phrygiam *uſque ad* Troadem, *quæ eſt in littore* Phrygiæ, *eadem &* Antigonia *dicta, oppoſita* Cherſoneſo, *unde proximus trajectus eſt in* Europam *ex* Aſia *minore. A* Troade *ſolverunt, ac recto curſu pervenerunt in inſulam* Samothracen, *oppoſitam* Thraciæ, *quam habet ad Septentrionem. Hinc* Neapolim: *ea civitas eſt in littore, in confinio* Macedoniæ *ac* Thraciæ. *Hinc* Philippos, *quam* Lucas *admonet eſſe civitatem* Coloniam *in prima parte* Macedoniæ. *Ad has ſcribit unam epiſtolam* Paulus. *Hic virgis cæſus eſt, & in carcerem conjectus cum* Sila. *Poſt hæc per* Amphipolim, *quæ non longe abeſt à* Strymone *flumine: &* Apolloniam, *quæ* Theſſalonicæ *proxima eſt, venere* Theſſalonicam: *ea civitas metropolis eſt* Macedoniæ. *Et ad hos* Paulus *ſcribit epiſtolam. Et hic orto tumultu clam dimiſſus eſt* Berrhœam, *quam à* Theſſalonica *dirimit* Pella, *patria* Alexandri *M. Hic reperit dociles auditores. Porro* Berrhœa *non ita procul abeſt a mari. Itaque tumultu concitato deductus eſt ad mare, inde* Athenas *perventum navigio, ni fallor, propterea quod* Lucas *meminit illum dimiſſum, ut iret ad mare. Eſt & alia conjectura, quod cum iter à* Berrhœa *ſit longum uſque ad* Atticam, *nulla ſit mentio regionum aut civitatum, quæ pedibus iter facientibus occurriſſent. Hic convertit* Dionyſium: *qui an Judex fuerit, an Philoſophus, non ſatis liquet, cum* Lucas *tantum illum vocet* Areopagitam. *Opinor autem omnes* Areopagitas *dictos, qui partem eam urbis* Athenarum *inhabitabant. Demiror autem cur* Beda *faciat hunc* Corinthiorum *Epiſcopum, cum apud* Euſebium Dionyſius *quidam,* Corinthiorum *Epiſcopus, doceat* Dionyſium Areopagitam Athenis *Epiſcopum ab ipſo* Paulo *ordinatum. Quin probabilius eſt* Dionyſium Areopagitam *nihil omnino ſcriptorum reliquiſſe, cum apud* Euſebium *tam diligenter recenſeantur libri* Dionyſii Corinthiorum *Epiſcopi, de* Areopagitæ *monumentis nulla uſquam fiat mentio. Ab* Attica *venit* Corinthum: *ea eſt metropolis* Achajæ. *Hinc conſtituerat navigare in* Syriam, *& ſuſcepto voto in* Cenchreis, *is eſt portus* Corinthiacus *ad* Aſiam *minorem ſpectans, totondit ſibi caput. Hinc igitur ſolvens pervenit* Epheſum: *ea eſt in littore* Aſiæ *minoris, in parte quæ dicitur* Ionia. *Hic tum temporis reliquit* Priſcillam *&* Aquilam. *Ab* Epheſo *ſolvens venit* Cæſaream, *deinde* Antiochiam. Beda, *non dubito quin veterem quempiam ſecutus, vult hanc* Cæſaream *eſſe* Cappadociæ, *non* Syriæ: *&* Græci *nolunt hanc* Antiochiam *eſſe* Piſidiæ, *cujus ſupra bis meminit. Quanquam* Epheſo *profectis prior occurrit* Piſidia, *quam* Cappadocia. *Cæterum* Græci *codices hoc loco plus habent quam noſtri; nimirum hunc in modum:* Rogantibus autem eis, ut ampliori tempore maneret apud ſe, non annuit, ſed valedixit illis, dicens: Oportet me omnino feſtum, quod inſtat, agere Hieroſolymis. *Quibus probatur hæc lectio, malunt* Paulum *ab* Epheſio *littore recta navigaſſe* Cæſaream Palæſtinæ, *inde petiiſſe* Hieroſolymam, *& ſalutaſſe fratres, poſt hæc rediſſe* Antiochiam Syriæ, *atque hinc rurſus repetiſſe* Aſiam *minorem. Facit ad hanc opinionem, quod ita legitur,* deſcendens Cæſaream, adſcendit & ſalutavit eccleſiam. *Oſtendit quo deſcenderit, non indicat*

quo

Digitized by Google

adſcenderit. Atqui in Euangelicis literis, qui petunt Hieroſolymas *adſcendere dicuntur, unde conjectant illum è* Cæſarea Palæſtinæ *adſcendiſſe* Hieroſolymam, *ubi dixerat agendum feſtum diem, atque hinc rurſus deſcenderit petens* Antiochiam. *Hanc opinionem, ut probabilem, nos in hac Paraphraſi ſumus ſecuti, ceſſuri facile, ſi quis adduxerit probabiliorem. Legitur &* Antiochiæ *commoratus aliquamdiu. At in* Antiochia Syriæ *ſolitus eſt libenter commorari* Paulus. *Hinc igitur repetita* Aſia, *peragratis in medio regionibus, in quibus ante docuerat, venit in* Galatiam, *hinc rurſus in* Phrygiam, *ubique confirmans diſcipulos. Inde profectus eſt* Epheſum, *cum jam* Apollos *profectus eſſet* Corinthum, *terreſtri-ne itinere, an navigatione, parum liquet, niſi quod probabilius eſt illum terra feciſſe iter, eo quod* Lucas *adjicit*, peragratis ſuperioribus partibus. *Hic* Paulus *propoſuerit repetere* Hieroſolymam, *ſed prius peragrata* Macedonia *&* Achaja, *per ſpiritum intelligens ſibi* Romam *eſſe eundum poſt aditam* Hieroſolymam. *Itaque præmiſit* Timotheum *&* Eraſtum *in* Macedoniam, *ipſe commoratus aliquamdiu in* Aſia *minore. Poſt tumultum per* Demetrium *excitatum ſecutus eſt eos, quos præmiſerat. Peragratis autem ſuperioribus partibus, devenit in eam partem, quæ proprie dicitur* Græcia, *in qua eſt* Attica *&* Achaja. *Hic* Lucas *non nominat* Athenas *aut* Corinthum, *ſed ex re conjicitur, quod quemadmodum fecerat, ex* Attica *venerit in* Achajam, *in qua eſt* Corinthus, *ac rurſus è* Cenchreis *paraverit ſolvere in* Syriam: *ſed quoniam ſenſerat illic paratas inſidias navigaturo, vertit conſilium, ac remenſus iter qua venerat, repetiit* Macedoniam, *terreſtri ut apparet itinere, quoniam navigaturo parabantur inſidiæ. Cum verſaretur itaque in* Macedonia, *comitum partem, quos tum multos habebat ex* Macedonia, *præmiſit* Troadem, *quæ eſt in* Phrygia. Paulus *ſecutus, diem Paſchæ egiſſe videtur* Philippis, *quod* Lucas *ita ſcribat:* Navigavimus poſt diem Azymorum à Philippis. *A* Philippis *itaque ſolvit* Troadem, *quo præceſſerant comites, ut diximus. Hic adoleſcentem ex ruina mortuum reſtituit. A* Troade *pervenit* Aſſon *itinere pedeſtri, quo juſſu* Pauli *comites navigio præceſſerant. Eſt autem* Aſſos *civitas littoralis, non longe infra* Troadem, *eadem dicta* Apollonia. Aſſo *ſolventes appulerunt* Mytilenen: *ea eſt civitas* Lesbi *Inſula, obvia ab* Aſſo *navigantibus* Chium. *A* Mytilene *legentes littora* Aſiæ, *eo pervenerunt, ut* Chium *Inſulam haberent ad dextram:* Chius *autem oppoſita eſt* Clazomenæ *in littore* Aſiæ, *media inter* Lesbum *&* Samum, *quo poſt adnavigarunt.* Samus *autem oppoſita eſt* Trogyllio *promontorio* Aſiæ. *A* Samo *ſolventes appulerunt* Trogyllium, *ut eſt in* Græcis *codicibus, quanquam* Græcus, *qui ſcripſit peregrinationem* Pauli, *non meminit* Trogyllii. *A* Trogyllio *itum eſt* Miletum: *ea eſt civitas* Cariæ *littoralis. A* Chio *commode poterant appellere* Epheſum, *ſed data opera præternavigatum eſt, ne diutius hæreret in* Aſia. *Cum enim* Philippis *egiſſent diem Paſchæ, decreverant Pentecoſten agere* Hieroſolymis. *Itaque poſteaquam evocatis* Epheſo Miletum *ſenioribus, mandaſſet quæ volebat, illinc ſolventes, recto curſu pervenerunt* Coum: *ea eſt Inſula inter* Samum *&* Gnidum, *civitatem in promontorio* Aſiæ. *A* Coo *ventum eſt ad* Rhodum: *ea eſt inſula oppoſita* Lyciæ. *Jam autem navigantes incipiunt* Aſiam *habere ad Septentrionem, cum prius habuerint ad Orientem. A* Rhodo *venerunt* Patara: *ea civitas eſt littoralis* Lyciæ *Provinciæ. Hic nacti navim, quæ recta peteret* Phœnicen Syriæ, *recto curſu cœperunt eo tendere. Nam relicta ad lævam* Cypro *Inſula appulerunt* Tyrum: *ea eſt in littore* Phœnices *infra* Sidonem. *A* Tyro *ventum eſt* Ptolemaidem: *& hæc eſt littoralis inter* Tyrum *&* Carmelum. *Hinc appulerunt* Cæſaream Palæſtinæ, *ubi diverſatus eſt apud* Philippum. *Hinc jam pedeſtri itinere pervenit* Hieroſolymam, *unde juſſu Tribuni* Lyſiæ, *vinctus deductus eſt* Antipatridem, *quæ medio occurrit inter* Hieroſolymam *&* Cæſaream. *Hinc per equites ductus eſt* Cæſaream Palæſtinæ, *unde juſſu* Felix *Præſidis, qui* Felici *ſucceſſerat, vinctus deductus eſt* Romam, *hoc quidem itinere: Primum impoſitus navi, à* Cæſarea *pervenit* Sidonem, *quæ, ut diximus, eſt ſupra* Tyrum. *Hinc appulerunt* Cyprum, *ſic ut illam ad lævam relinquerent diſpendioſo curſu, ſed huc adigebant venti contrarii. Ita præterlegentes littora* Ciliciæ *&* Pamphyliæ, *pervenerunt* Myra, *quam ſcriba verterant in* Lyſtram: *ea eſt in* Lycia, *non procul à littore. Hinc agre longaque navigatione eo progreſſi ſunt, ut* Gnidum *promontorium haberent ad dextram. Sed reflante vento curſum flexerunt ad* Cretam, *quæ illis tum erat ad lævam. Venerunt autem ad portum, cui nomen* Salmon. *Opinor autem* Lucam *uſum voce, quæ tum forte vulgus utebatur. Nam arbitror hanc eſſe, quam* Plinius *&* Strabo *vocant* Sammonium. *Hoc* Cretæ *promontorium ſpectat Orientem. Hinc ob ventos adverſos agre præterlegebant littora* Cretæ, *ſic ut Inſulam haberent ad dextram, donec ventum eſſet ad locum* Cretæ, Laſcæ *civitati vicinum, qui dicitur* Boni portus, *quod nomen apud veteres Geographos non invenitur. Apparet ejus temporis fuiſſe vocabulum. Cæterum fuiſſe ad latus auſtrale* Cretæ, *declarat, quod hinc conabantur tendere ad* Phœnicen: *id eſt promontorium* Cretæ, *ſpectans ad Africum & Chorum. Africus autem flat ab Occaſu brumali, Chorus ab Occaſu ſolſtitiali. Illic, quoniam videbatur portus commodus, decreverant hybernare. Interea cum adſpiraſſet Auſter ventus ſat commodus, qui flat à medio Meridie, ſolventes ab* Aſo (*ea civitas eſt in littore* Cretæ) *præterlegebant oram* Cretæ, *ut appellerent* Phœnicen *modo dictam: ſed ſubito in diverſum mutato vento, cum pro Auſtro flare cœpiſſet Typhonicus, vehemens ac nautis formidabilis, idem dictus Euro-aquilo, qui ſpirat inter Septentrionem & Ortum, vi tempeſtatis delati ſunt in Inſulam, quæ vocatur* Claude, *quæ* Cretam *ſpectat inter Occidentem & Auſtrum, quam in partem maxime poterat impellere Euro-aquilo, ex adverſa cœli plaga ſpirans. Tandem deſperatis rebus, impegerunt navim in Inſulam, quæ dicebatur* Melite: *ea eſt inter* Epirum *&* Italiam, *ſpectans* Siciliam *ad Septentrionem. Hic viperam excuſſit abſque noxa. Illic aliam navim nacti, nam altera perierat, appulerunt* Syracuſas, *quæ eſt in* Sicilia, *non procul à promontorio* Pachyno. *Hujus littora præterlegentes devenerunt* Rhegium: *id eſt oppidum in extremo agro* Brutiorum, *qua parte* Italia *proxima eſt* Siciliæ. *A* Rhegio *recto curſu delati ſunt* Puteolos: *id eſt promontorium in* Campania, *non procul à* Neapoli. *Hinc terreſtri itinere perventum eſt uſque ad* Forum Appii, *ad locum, qui dicitur* Tres tabernæ, *atque hic occurſum eſt* Paulo *à diſcipulis è* Roma. *Abeſt autem* Appii Forum *ab urbe iter diei. Hinc demum* Romam *perventum eſt. Conſtat igitur ex* Actis *illum peragraſſe totam, minorem* Aſiam, *deinde tranſiſſe in* Europam, *ac totam* Græciam *peragraſſe, à parte ſeptentrionali, in qua eſt* Macedonia, *uſque ad* Illyridem. *Nam* Illyris *extrema pars eſt* Macedoniæ, *ad Septentrionem & Occidentem. Id ipſe refert in Epiſtola* ad Romanos *c.* xv. Ita ut ab *Hieruſalem* per circulum uſque ad *Illyricum* repleverim Euangelium. *Cæterum nuſquam legimus illum prædicaſſe in* Creta, *ad quam appulit tempeſtate coactus & vinctus. Nec illic moram egiſſe legitur, cum ipſe cenſeret illic hybernandum eſſe, & tamen in* Creta *reliquit* Titum, *ut ſingulis civitatibus ordinaret presbyteros, ac quod illic ſupereſſet corrigendum, corrigeret: quemadmodum ipſe teſtatur in Epiſtola, quibus ex verbis apparet illum & in* Creta *prædicaſſe. Nec in* Arabia *quid à* Paulo *geſtum ſit, refert* Lucas. *Atque hactenus de locis peragratis.*

Nunc de temporum quoque ratione paucis attingamus. Summa rerum, quas Actorum *liber complectitur, ſub quatuor Imperatoribus* Romanis *geſta eſt;* Tiberio, *qui ſucceſſit* Octavio, Cajo Caligula, Claudio Druſo, Claudio Nerone. *Quorum* Tiberius *rerum potitus eſt annos* XXIII. Caligula IV. *exceptis duobus menſibus,* Claudius XIII. *ac menſibus ferme decem,* Nero XXIV. *ac menſes propemodum octo. Quicquid igitur geſtum*

Digitized by Google

eſt à morte Chriſti; *uſque ad* Paulum Romam *perductum, continet* Tiberii *annos ſex*, Caligulæ IV. Claudii XIV. *In hujus imperii initio* Petrus Romam *pervenisſe creditur, & ejuſdem anno quarto orta fames, cujus meminit* Lucas. *Rurſus ejuſdem anno nono, quemadmodum auctor eſt* Joſephus *&* Euſebius, Roma *expulſi ſunt* Judæi, *cujus rei meminit* Lucas *cap.* XVIII. Neronis *autem annos quatuor. Interim Præſidas* Judææ *fuerunt* Pontius Pilatus, *qui periit anno* Caligulæ III. *Huic ſucceſſit* Felix, *apud quem* Paulus *cauſam dixit, quem* Claudius *imperii ſui anno undecimo, totius Provincia ſuderat Procuratorem.* Samariæ *quoque &* Galilææ, *atque etiam regionis, quæ dicitur ultra* Jordanem. *Et hoc nomine ſe felicem prædicat* Paulus, *quod cauſam dicturus eſſet apud eum, cui diu verſato in ea Provincia, nota eſſent res* Judaicæ. *Huic ſucceſſorem dedit* Nero Portium Feſtum. *Apud quem cum præſente* Agrippa *cauſam dixiſſet* Paulus, *quoniam appellarat* Cæſarem, *vinctus* Romam *miſſus eſt, anno* Neronis *tertio, aut ſecundo. Porro* Judæorum *Reges hi fuere:* Herodes, Philippus *&* Lyſanias, *præfuerunt annis ſex.* Herodes *Rex, qui* Cæſareæ *percuſſus ab Angelo periit, præfuit annos ſeptem.* Agrippa, *hujus filius, ex cujus conſilio* Paulus Romam *miſſus eſt, annos quindecim. Quanquam pater quoque cognomento dictus eſt* Agrippa, *ſed filius ſimpliciter* Agrippa *vocatur in* Actis. *Dominus itaque* Jeſus *occiſus eſt, revixit & adſcendit in cœlum, miſitque Spiritum Sanctum anno* Tiberii *decimo octavo. At proximo anno, aut, ut quidam volunt, eodem, mox ut inter Diaconos ordinatus eſt, lapidatus eſt* Stephanus, Paulo *aſſentiente, ac ſervante veſtes lapidantium teſtium. Qui paulo poſt dejicitur & convertitur apud* Damaſcum, *anno* Tiberii XIX. *Peragravit autem varias regiones, ubique diſſeminans Euangelium, uſque ad annum* Claudii *decimum tertium: nam hoc anno* Paulus Hieroſolymis *conjectus eſt in vincula per* Lyſiam *Tribunum, à quo* Cæſaream *vinctus eſt miſſus, ut apud* Felicem *audiretur, ubi detentus eſt in vinculis annos duos, atque à* Felice *ut erat vinctus, traditus eſt* Portio Feſto, *à quo* Romam *miſſus eſt, ubi totum biennium egit in vinculis, hoc eſt, uſque ad annum* Neronis *quintum. Nec ultra* Lucas *proſequitur hiſtoriam.*

Cætera Scriptores non indiligentes ex variis conjecturis videntur addidiſſe, videlicet Paulum *primum apud* Neronem *dicta cauſa fuiſſe abſolutum, ac libere ubi vellet Euangelium prædicaſſe annos decem. Tandem ubi* Neronis *ſævitia jam proceſſiſſet in rabiem, revocatus eſt ad ejus tribunal, & capite truncatus. Hujus rei conjecturam ſumunt ex Epiſtola* Pauli ad Timotheum *ſecunda: in qua meminit prima defenſionis ſuæ, in qua deſertus ſit ab omnibus, & tamen Dei præſidio liberatus. Atque hinc rediſſe ad prædicationem colligunt ex eo, quod mox ſubjicit:* Dominus autem mihi adſtitit & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes. *Porro eum in ſecunda defenſione fuiſſe periclitatum, argunt quod inibi ſcribit:* Ego enim jam delibor, & tempus meæ reſolutionis inſtat, *&c. Itaque martyrio coronatum credunt anno* Neronis *decimo tertio, anno à* Chriſti *morte trigeſimo ſexto. Porro quod* Lucas *reliquerit* Paulum *in prima defenſione hinc colligunt, quod hic finierit eorum, quæ viderat, narrationem. Rurſus quod adfuerit in ſecunda defenſione, teſtatur* Paulus *in eadem Epiſtola, dicens:* Lucas eſt mecum ſolus. *Ex his colligere licet* Paulum *in Euangelico negotio verſatum fuiſſe annos viginti unum, præter duos illos, quos* Cæſareæ *tenebatur in vinculis, rurſus alios duos, quos* Romæ *pergit in vinculis habitans in conducto, quibus, ut hiſtoria memorant, acceſſerunt decem. Ita comperies à baptiſmo* Pauli, *uſque ad mortem ejuſdem annos triginta quinque.*

Hæc quoniam videbantur nonnihil lucis allatura lectioni, libuit in frontiſpicio Operis præfigere. Quanquam non ignoro vix annorum rationem ad unguem tradi poſſe, cum in his non ſolum diverſi Scriptores inter ſe diſſentiant, verum etiam iidem à ſeipſis diſcrepent, ut Beda *in commentariis cap. decimo octavo ſcribit ex auctoritate* Joſephi, Judæos Roma *expulſos anno* Claudii *nono. In annotatione temporum, quam præpoſuit Operi, dicit id factum anno octavo. Sic & apud* Euſebium *nonnunquam alium annum reperies in Hiſtoria, alium in Chronicis, ubi in ambiguo relinquitur, utrum* Tiberius *imperaverit annos* XXI. *an* XXIII. *Bene vale, Lector, & ad Paraphraſim perlegendam bonis avibus accingere.*

IN ACTA APOSTOLORVM
PARAPHRASIS,
PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

CAPVT I.

Apparet crebro: ſpondet nova: tempora celat:
Scandit: turba rogat: ſors quoque bina cadit.

1 *Primum quidem ſermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Jeſus facere, & docere,*

1 PROMISSI mei partem abſolvi, Theophile: ſuperiore quidem libro complexus ſum Jeſu Chriſti vitam, altius rem exorſus quam cæteri, nimirum ab Joannis Baptiſtæ, qui Domini præcurſor fuit, conceptione, quod in hac quoque narratione prodita ſint vaticinia, Meſſiam mox venturum promittentia. Poſt hæc quædam ab aliis Scriptoribus prætermiſſa copioſius enarravimus, de Chriſti conceptione, de nativitate, de circumciſione ac purificatione: nonnihil etiam attigimus de divina indole, cujus ſpecimen aliquod edidit annos natus duodecim. Hæc ideo duxi commemoranda, quo pluri-

A bus argumentis liqueret, hunc eſſe, quem oracula Prophetarum deſignarant, ac ne primam quidem illam ætatem Jeſu caruiſſe piorum hominum ac Spiritu cœleſti afflatorum teſtimoniis. Quanquam autem dubium non eſt, quin tota Jeſu vita fuerit unicum exemplar abſolutæ pietatis, tamen omiſſis his, quæ in medio geſta ſunt, tranſilivimus uſque ad tempus, quo Joannes prædicatione baptiſmoque ſuo cœpit agere præcurſorem Jeſu Chriſti, quod ab eo tempore potiſſimum Dominus Jeſus cœpit agere negotium ſalutis humanæ juxta figuras & ænigmata Legis Moſaicæ, ac juxta Prophetarum vaticinia.
B Hujus negotii ſumma duabus in rebus conſiſtit: in factis, hoc eſt, in edendis miraculis, in tolerando ſupplicio crucis, in reſurrectione, in quibus nihil non exhibitum eſt per illum, quod vel in Lege fuerat adumbratum, vel à Prophetis promiſſum: tum in dictis, quibus orbi tradidit novam & Euangelicam Philoſophiam, ut ab eodem peteremus & rationem & exemplum pie vivendi.

a Ha-

Digitized by Google

2 *Vsque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est:*

[2] Harum rerum seriem prosequutus sum ad eum usque diem, quo posteaquam redivivus à morte præceperat duodecim Apostolis suis reliquisque discipulis septuaginta, quos ante mortem peculiariter in hoc munus delegerat, ut accepto Spiritu Sancto, quem & tum illis insufflans in faciem eorum, impartiit, & post copiosius è cœlo misit, abirent in orbem universum, ac prædicarent Euangelium, non Judæis tantum, verum etiam cunctis totius mundi nationibus: receptus est in cœlum, unde venerat.

3 *Quibus & præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.*

[3] Ac primum modis omnibus erat confirmanda fides eorum, per quos decreverat admirabilium gestorum cunctis mortalibus fidem fieri. Horum caput erat, ut persuaderetur omnibus, Jesum vere mortuum, vere revixisse tertio die, non imaginario corpore, sed eodem illo jam immortali, quod mortale gesserat in terris, quod exanime conditum fuerat in sepulchro. Proinde non satis habuit, semel exhibere se redivivum discipulis suis, sed frequenter illis apparuit, non quemadmodum solent spectra, sed variis & evidentibus argumentis declarans se vivum recepisse corpus, quadraginta diebus hac de causa commoratus in terris, in quibus tamen nulli conspicuus esse voluit, nisi suis. Atque his non solum præbuit sese conspiciendum oculis, audiendum auribus, contrectandum manibus, verum etiam familiariter cum illis vivens, cibum una cepit, quo non aliud vivi corporis certius indicium. Interim miscuit frequenter cum illis colloquium de regno Dei, revocans illis in memoriam, quæ gesserat ac docuerat ante mortem, ut tandem agnoscerent, nihil non eveniisse, quod ille prædixerat eventurum, simul monens, quid in posterum essent vel facturi, vel exspectaturi.

4 *Et convescens, præcepit eis ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum:*

[4] Quanquam enim illis jam tradiderat auctoritatem Euangelii prædicandi, tamen vetuit ne mox prosilirent ad tam ardui muneris functionem, nec discederent ab Hierosolymis, sed illic congregati, simulque vacantes jejuniis, hymnis ac precationibus, exspectarent Spiritum Sanctum, quem antequam moreretur, promiserat illis alterum consolatorem mittendum à Patre. Ego, inquit, pollicitus sum ore meo, nec addubitate, quin Pater bona fide præstaturus sit, quod illius nomine vobis recepi. Eadem est enim Patris ac mea voluntas. Cœleste negotium est, quod aggrediemini, non humanum: neque carnalia docebitis, quemadmodum Pharisæi docuerunt hactenus, sed spiritualia: neque mediocris oborietur vobis ob Euangelii prædicationem persecutio. Proinde opus est, ut virtute cœlitus emissa confirmemini, quo pares sitis tanto negotio, quod non humanis viribus, sed divini Spiritus præsidio peragetur.

5 *Quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.*

[5] Hactenus tantum prælusum est quibusdam ad Euangelicam functionem rudimentis. Joannes baptizavit aqua, Spiritum non contulit, nullus enim hominum illum conferre potest, nec aliud prædicavit quam pœnitentiam, quod instaret regnum cœlorum. Nunc opus est validioribus præsidiis ad depromendum Euangelicæ doctrinæ vigorem, & ad sustinendos adversantis mundi tumultus. Ad id non satis est vos esse mundos à peccatis, sed ad novam doctrinam novo Spiritu est opus, Spiritu copioso, Spiritu cœlesti, Spiritu igneo. Eo vos baptizabimini post paucos dies. Hic est baptismus, quem Joannes dare non potuit, sed à me dandum prædixit. Siquidem de me ferens testimonium, ajebat: *ille vos baptizabit in Spiritu & igni.* Impartiit & olim Deus Spiritum suum Prophetis ac piis hominibus. Et vobis insufflavi Spiritum Sanctum. Idem est Spiritus, sed nunc copiosissime effundetur in orbem terrarum, renovaturus omnia. Huic venturo præparate animos vestros sobrietate, piis votis, sed in primis simplici fiducia, quo sitis organa commoda per vos vim suam explicaturi Spiritus.

6 *Igitur qui convenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?*

[6] Hæc ubi dixisset Jesus discipulis in unum congregatis, ne quid inter illos relinqueret dissidii, quoniam nondum illi deposuerant somnium illud de proferendo regno Israelitico, percunctati sunt Dominum, velut mox abiturum, an protinus à misso Spiritu Sancto restituturus esset regnum populo Israelitico, & an statim esset exhibiturus orbi majestatem suam. Nondum enim intelligebant cujusmodi futurum esset regnum illud spirituale. Petrus in monte cupiebat constitui regnum. Cæteri quoque audita mentione resurrectionis, sciscitabantur de regno. Rursus audito sermone de mittendo Spiritu, redit illis in mentem regnum. Sperabant enim fore, ut orbis totius imperium transferretur in populum Judæorum. Et omnino futurum erat, ut regnaret Israel, non ille carnalis, sed qui vere nomen hoc promeruisset, hoc est, qui vere fortis esset Deo. Jacob enim hoc nomen promeruit, luctans adversus Angelum. Quamdiu mundus fidebat suis operibus, impar erat justitiæ divinæ. Omnes coarguebantur injustitiæ, & succumbebant pœnæ. Cæterum ubi cœpit sibi diffidere, & fidere promissis Euangelicis, jam expugnavit, ut ita loquar, Dei justitiam, & extorsit misericordiam. Hoc regnum ubique collapsum, sed præcipue apud Judæos, restituit Christus per Euangelium. Hoc non intelligentes discipuli, felicitatem quandam somniabant, quæ liberaret ipsos ab omnibus malorum persecutionibus. Verum, id non erat futurum ante finem mundi.

7 *Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate:*

[7] Tempus autem illud Dominus ideo volebat suis incognitum esse, quia non expediebat illis scire. Proinde inutilem illorum curiositatem tali responso retudit: Nolite quærere quod non expedit scire. Tantum fidite, & quod mandatum est, peragite. Vos hujus rei nihil aliud eritis quam ministri. Progressum & exitum permittite Patri cœlesti. Non igitur est vestrum nosse, quo anno, quo mense, qua hora venturum sit regnum Israeliticum, qualia scrutantur Astrologi stulte curiosi. Quicquid Pater voluit vos scire, hoc vobis impartii, tempus illud vobis non aperui, quia Pater ejus arbitrium uni sibi servavit, quo semper vigiletis in officio. Veniet omnino regnum Dei, quo piis & impiis sua pro factis præmia tribuentur, in cujus adventum oportet semper esse paratos.

8 *Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, usque ad ultimum terræ.*

[8] Quamquam & interim exseret sese regnum spirituale, in quo asserendo Deus vestram requirit operam, de præmiis ipse viderit. Proinde omisso studio cognoscendi quæ non oportet, parate vos ad id quod instat. Cui rei quoniam ex vestris viribus impares estis, Spiritus Sanctus, ita ut sum pollicitus, cœlitus effundetur in vos, robur animis vestris additurus, & quicquid vos docui revocaturus in memoriam, suggesturus etiam si quid præterea fuerit opus cognito, cujus suggestione docti, præsidioque roborati, eritis mihi testes, primum Hierosolymis juxta Prophetam, qui dicit: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem:* mox per omnem Judæam, deinde per Judææ finitimam Samariam, postremo per universas orbis nationes, quacunque gentes humanæ terram incolunt. Omnibus enim ex æquo veni, omnibus mortuus sum, omnibus offertur Euangelii gratia. Regnavit hactenus Lex apud Judæos. Euangelii regnum tam late patere vult Pater, quam late patet terrarum orbis.

9 *Et cum hæc dixisset, videntibus illis, elevatus est: & nubes suscepit eum ab oculis eorum.*

[9] Hic erat sermo postremus, quo Dominus Jesus discipulos suos omnes in unum collectos in Bethania affatus est. Quo finito, bene precatus illis, sub oculis omnium ferebatur in altum, donec nubes candida Jesu corpus subduceret illorum adspectui. Tempus enim erat, ut desinerent à corporis adspectu pendere, quo magis inciperet esse spirituales, nec Jesum aliis jam oculis intuerentur quam fidei.

10 *Cumque intuerentur in cælum eunti illum; ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis;*

[10] Quum igitur Dominus nube tectus ferretur in sublime, persistebant discipuli defixis in cœlum

oculis. Usque adeo non poterant avelli ab eo, quem unice diligebant, licet adhuc imbecilles. Exspectabant autem, ecquid etiam novæ rei ostenderetur è sublimi. Adsunt igitur repente duo nuntii cœlestes, specie humana, veste candida: species excludebat horrorem, candor vestis congruebat nuntio properantis ad gloriam.

11 *Qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.*

11 Hi verbis amicis discipulorum mœrorem, ex digressu Domini conceptum, lenibant, & ab inutili suspectu revocabant ad officium: *Viri, inquiunt, Galilæi, cur hic statis defixis in cœlum oculis?* Hic Jesus sublatus à vobis, rediit in cœlum unde venerat, quemadmodum frequenter ab illo audistis, quod profectus esset à Patre, & quod vobis in mundo relictis, rediturus esset ad Patrem. Non raptus est in aera, quemadmodum Elias, sed receptus est in regiam Patris, illi confessurus ad dexteram, utpote cœlestis regni consors. Conspexistis illum visibili quidem sed immortali corpore proficiscentem in cœlum. Sic olim rediturus est, ut judicis speciem agnoscant, qui hîc servatoris speciem agnoscere noluerunt. Non redibit humilis, sed è sublimi multa cum gloria sese ostendet oculis omnium. Pauci vidistis euntem, redeuntem videbunt universi. Cæterum non est quod eum reditum nunc exspectetis. Didicistis ex eo quod prius Euangelium Dei prædicandum sit per universum terrarum orbem. Hoc potius nunc agite. Nec enim jussi estis hîc consistere, sed sedere Hierosolymis, ut illic accepto cœlesti Spiritu, feliciter auspicemini cœleste negotium.

12 *Tunc reversi sunt Ierosolymam, à monte qui vocatur Oliveti, qui est juxta Ierusalem, sabbati habens iter.*

12 His dictis paruerunt discipuli, ac relicto monte olivarum, cujus hospitio Dominus ante mortem delectatus fuerat, & cui rediturus in cœlum ultima impressit vestigia, reversi sunt Hierosolymam. Abest autem mons ille ab Hierosolymis itinere sabbati, hoc est, fere passus bis mille. Ab hoc monte itum est ad crucis ignominiam, ab eodem itum est ad gloriam. Ex hoc in prospectu est Hierosolyma, & in hoc sedens prædixerat ac defleverat excidium urbis. In hac interfectrice Prophetarum Dominus primo voluit exoriri lucem Euangelicam, vel quia sic prædictum erat à Prophetis, vel ut eriperetur illis omnis prætextus excusationis, alioquin ob suam incredulitatem funditus perituris. Amabilius erat Apostolis suspicere in cœlum, quo præcesserat Dominus, verum ob utilitatem proximi sæpe descendendum est ad necessaria magis quam jucunda nobis.

13 *Et cum introissent in cœnaculum, ascenderunt ubi manebant Petrus & Ioannes, Iacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi.*

13 Ubi ventum est Hierosolymam, ingressi sunt cœnaculum quoddam, in quo mansitabant discipuli, qui Christo fuerant præ cæteris familiares, videlicet *Simon Petrus & Joannes, Jacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Jacobus Alphæi & Simon Zelotes*, qui Hebraice dictus est *Cananæus*, & *Judas*, cui cognomen *Thadæus*, sive *Lebbæus*, *Jacobi* minoris frater.

14 *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus ejus.*

14 Mansitabant in eodem cœnaculo mulieres aliquot, quæ pio studio sequutæ Dominum proficiscentem Hierosolymam, de suis facultatibus ministrarant. Inter has erat & Maria mater Jesu, cum aliquot illius cognatis, quos Hebræi fratres appellant. Hîc mihi pauliſper contemplator Ecclesiæ nascentis primordia. Placet civitas Hierusalem, quæ Hebræis sonat *visionem pacis*. Non habitant Hierusalem, quibus hic mundus est patria, nec adspirant ad tranquillitatem vitæ cœlestis. Non habitant Hierusalem, qui mentem habent mundanis cupiditatibus turbulentam. In talia pectora non sese recipit Spiritus Sanctus. Placuit & cœnaculum, quæ pars est superior ædium. Nam inferiora domus vel tabernæ, vel officinæ solent occupare. Procul autem à sordidis curis oportet abesse, qui se parat habitaculum divino Spiritui. Hæc est illa sancta congregatio, quam ex omnibus delegerat Dominus Jesus. Hoc erat cœnaculum primum Euangelicæ Ecclesiæ domicilium. Nunc vide quid hîc agatur.

A Non rixis aut fabulis otiosis teritur tempus, sed erant omnes unanimiter perseverantes in sacris precationibus. Non est Ecclesia Christi, ubi non est unanimitas. Non sunt Deo gratæ preces, ubi non est fraterna concordia. Nec meretur audiri, nisi qui perseveranter oraverit. Idem orat Euangelica congregatio. Ubi alius orat opes, alius optat mortem inimici, alius longævitatem, alius regnum, alius aliud, ibi non est Ecclesiastica deprecatio. Ad Apostolicum autem cœnaculum confluebant & reliqui discipuli. Quisquis autem vult haberi discipulus Jesu, ad Ecclesiæ consortium aggregetur oportet.

15 *In diebus illis exsurgens Petrus in medio fratrum dixit (erat autem turba hominum simul, fere centum viginti.)*

B 15 Jam convenerat hominum multitudo plus minus centum viginti. Tam exiguus erat numerus, qui Christum toto pectore diligebant. Hîc Petrum, ut fidum pastorem, qui vehementer cupiebat gregem Euangelicum accrescere, cepit sollicitudo quædam de imminuto numero Apostolorum, quos Dominus Jesus duodecim elegerat. Judas enim Iscariotes exstinctus è duodecim fecerat undecim. Hîc considera, Theophile, consultationis Ecclesiasticæ formam. Quum numerus discipulorum adesset frequentissimus, Petrus Episcopi personam agens, assurgit in medio consessu discipulorum, ut ex concordi consensu statueretur, quod ad instaurandam C integritatem ordinis Apostolici videbatur pertinere. Exorditur à Scriptura divina. Nimirum hinc oportet proficisci concionem Ecclesiasticam: neque quicquam decernitur, nisi præmissa concordi deprecatione.

16 *Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Iuda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Iesum:*

16 Loquutus est autem hunc in modum: Viri fratres, non oportet vos humanis consiliis quicquam tentare novi, sed quod olim Spiritus Sanctus per os David prædixit, de subrogando quopiam in locum Judæ, necesse est ut impleatur. Nam & hoc prædictum erat in Psalmis, futurum ut ille desciscens à Domino suo, locum vacuum faceret successuro. Dominus enim Jesus ex omnibus duodecim peculiariter selegerat Apostolos, quos omnium, quæ gerebat ac docebat, voluit esse testes. Hos omnes hîc videtis adesse, excepto Juda Iscariote.

17 *Qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerii hujus.*

17 Nam & illum Dominus Jesus cooptaverat in numerum duodecim, atque Apostolici muneris consortem esse voluit. Verum is deserto consortio præceptoris ac nostro, maluit esse dux sceleratorum militum, qui comprehenderunt Jesum, quam Jesum ducem sequi, aut Apostolorum esse socius. Atque impii consilii fuit infelix exitus.

18 *Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius: & diffusa sunt omnia viscera ejus.*

18 Siquidem excæcatus avaritia, triginta argenteis vendidit ac prodidit innocentem Dominum. Deinde ductus facti pœnitentia, retulit impiam mercedem, & abjecit ad pedes Sacerdotum, à quibus E fuerat conductus. Ipse magis memor sceleris sui quam Jesu clementiæ, sibi carnifex fuit. Nam laqueo guttur præligavit, ac suspensus crepuit medius, & effusa sunt omnia viscera ejus. Cæterum infelix illa pecunia, quam abjecerat ad pedes Sacerdotum, eorundem consilio collocata est emendo agro, in quo sepelirentur peregrini: propterea quod nefas esse ducerent, pretium innoxii sanguinis proditi inferre Gazophylacio.

19 *Et notum factum est omnibus habitantibus Ierusalem, ita ut appellaretur ager ille, lingua eorum, Haceldama, hoc est, ager sanguinis.*

19 Hæc Sacerdotum ac Pharisæorum impia religio fecit, ut & Judæ facinus, & ipsorum impietas magis innotesceret omnibus, qui tum agebant Hierosolymis, adeo ut ager ille vulgata Judæorum lingua diceretur *Aceldama*, hoc est, *ager sanguinis*. F

20 *Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui inhabitet in ea: & episcopatum ejus accipiat alter.*

20 Itaque quod Psal. LXVIII. Spiritus Sanctus prædixerat de Judæis, qui pertinacibus odiis Christum persequuti sunt, nec voluerunt resipiscere tot provocati beneficiis, jam in Juda videmus impletum, suo tempore complendum & in cæteris. Sic enim habet prophetia: *Fiat commoratio eorum deserta, & non sit qui habitet in ea.* Amisit infelix Judas locum Apostolici muneris. Itidem & tolletur olim Templum,

plum, Sacerdotium, Scribarum & Phariſæorum auctoritas una cum ipſa Hieroſolyma. Expellentur impii Judæi, & ſuccedent in horum locum veri Judæi, qui mente circumciſi, non corpore, Meſſiam agnoſcant quem illi crucifixerunt. Prædictum eſt & hoc multis Prophetarum vaticiniis, & ipſi audivimus Dominum Jeſum hæc cum lachrymis vaticinantem de civitate Hieroſolymorum. Reſtat interim ut & in Judæ locum aliquis ſubrogetur. Prædixit & hoc Pſalmus CVIII. *Et epiſcopatum ejus accipiet alter.* Noſtra enim functio nihil aliud eſt, quam ut Dominici gregis curam gerentes, illi de doctrinæ Euangelicæ pabulo proſpiciamus.

21 Oportet ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus Jeſus.

21 Deſeruit ille locum ſuum, nec tamen ob id fraudandus eſt grex ſuis paſtoribus, nec minuendus eſt numerus, quem Dominus omnium primum inſtituit, addito cognomine peculiari: ut Apoſtoli vocarentur. Hos enim perpetuos dictorum ac factorum ſuorum teſtes eſſe voluit, quos ob id aſſiduos ac domeſticos etiam habuit convictores. Oportet igitur aliquem in Judæ locum ſubrogari ex eorum numero, qui perpetuo nobiſcum verſati ſunt toto hoc tempore, quo Dominus Jeſus peragens negotium ſalutis humanæ, nos ſibi familiares eſſe voluit, & aſſectatores perpetuos quocunque ſe conferret:

22 Incipiens à baptiſmate Joannis uſque in diem qua aſſumptus eſt à nobis, teſtem reſurrectionis ejus nobiſcum fieri unum ex iſtis.

22 Videlicet à baptiſmo Joannis, cui mox ſucceſſit, uſque ad eum diem, quo ſeſe recepit in cœlum, quo nobiſcum poſſit eſſe teſtis idoneus omnium quæ docuit ac geſſit Dominus, ſed præcipue reſurrectionis: nec enim frequenter omnibus apparuit diſcipulis, ſed his duntaxat, quos peculiariter ſelegerat.

23 Et ſtatuerunt duos, Joſeph, qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt Juſtus, & Matthiam.

23 Hæc oratio quum placuiſſet multitudini, ſtatuerunt duos è numero ſeptuaginta ſelectos, Joſeph, idem eſt Barſabas, cui ob inſignem morum integritatem cognomentum eſt additum, Juſtus: ac Matthiam, ut ex his duobus, quos æquabat religio, uter magis placuiſſet cœtui, is ſuſciperet Apoſtoli munus.

24 Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende, quem elegeris ex his duobus unum,

25 Accipere locum miniſterii hujus, & apoſtolatus, de quo præVaricatus eſt Judas ut abiret in locum ſuum.

24, 25 Cæterum illi ſuo judicio diffidentes, communi precatione rogarunt Dominum, dicentes: Homines qui judicant ex his, quæ cernunt & audiunt, falli poſſunt judicio, ſed tu, Domine, qui ſolus inſpector es cordium, ex quibus homines vere boni ſunt aut mali, ne graveris aliquo ſigno declarare famulis tuis, utrum ex his duobus elegeris, ut impleat numerum duodecim Apoſtolorum, ac ſuccedat in functionem tanti muneris, unde Judas excidit, abiturus in locum ſuum, in quem tu non ignorabas illum abiturum, cujus oculos nihil fugit. Nec enim ille tua culpa defecit à tuo conſortio, qui nihil non feciſti, quo reſipiſceret: neque tu falſus judicio adſciveras defecturum, ſed ita nobis expedire viderat tua divina ſapientia, ut illo proditore, Filius tuus pro nobis immolaretur, & proditor nobis eſſet exemplo, ne munus nobis traditum oſcitantes ac ſecuri teneremus.

26 Et dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Matthiam, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis.

26 Poſt hanc precationem itum eſt ad ſortes juxta morem Hebræorum. Sic enim Jonas ſorte præcipitatus eſt in mare, ſic Jonathas deprehenſus eſt guſtaſſe mel, ſic Sacerdotes ſortito fungebantur ſacris officiis. Nondum enim venerat Spiritus Sanctus, & adhuc aliquas Judaiſmi reliquias habebant Apoſtoli. Tametſi ſortes periculoſæ non ſunt, quæ utricunque faverint, probum & idoneum deſignant. Nec totum negotium creditum eſt ſortibus. Suffragiis ſunt electi duo probatiſſimi. Inter hos ambiguitatem electionis finiit ſors, quæ nec ipſa temeritatem habere potuit, cujus eventum moderatur precatio. Sors igitur hæc, quæ nihil aliud fuit quam declaratio divinæ voluntatis, deſignavit Matthiam, quanquam Joſeph præter cognominis commendationem, etiam Jeſu propinquitate commendabatur. Et tamen huic prælatus eſt Matthias, quo nos doceremur in deligendis Epiſcopis, quibus crenda ſit Euangelicæ doctrinæ diſpenſatio, adeo nihil eſſe tribuendum humanis affectibus; ut inter pares potius illi favendum ſit, quem nihil humanæ rei commendat: ne quod per occaſionem eſt factum, trahatur in pernicioſum exemplum. Subeſt & in nominibus nonnihil reconditioris doctrinæ. Matthias, quæ vox Hebræis ſonat *donationem Domini*, præfertur Juſto. Id cognomen ex operibus ſibi vindicabant Phariſæi. At nulli minus idonei ſunt ad diſpenſationem Euangelicam. Qui gratuitum Dei donum per fidem Euangelicam agnoſcit & prædicat, is demum dignus, qui ſuccedat in vices Apoſtolorum. Nec indignatus eſt Juſtus ſibi præferri parem, nec ſibi placuit Matthias additus undecim Apoſtolis, ut ſacrum illum numerum abſolveret, & vir optimus in peſſimi locum ſuccederet.

CAP. II.

Barbara quaque ſuam nunc audit natio linguam:
Joël & David: corpora multa lavant.

1 Et cum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco:

1 HVNC in modum tranſactis diebus à Domini reſurrectione quadraginta novem, aderat exſpectatus ille dies Pentecoſtes, hoc eſt, quinquageſimus, qui Judæis quoque lætus ac venerabilis erat, vel ob annum Jubilæi, qui quinquageſimo quoque anno recurrebat: vel quod Lex in monte Sinai prodita ſit quinquageſimo die ab occiſo agno, cujus cruore incolumes exierant ex Ægypto. In monte prodita eſt vetus Lex, inſcripta tabulis lapideis: in cœnaculo prodita eſt Lex nova, per Spiritum Sanctum inſcripta cordibus credentium. Utrobique loci ſublimitas, utrobique ignis. Sed illic nihil aliud quam mons eſt, quem populus etiam attingere prohibetur, nimirum craſſus ac terrenus, nec capax rerum ſpiritualium. Hîc in ipſo monte domus eſt, ut agnoſcas Eccleſiæ concordiam. Illic mons Sinai, qui conveniebat ferendæ Legi, quæ multitudine præceptorum coerceret rebellem populum: nam à præcepto Sina dicitur. Hîc mons Sion, qui Hebræis ſonat *ſpecula*m, unde deſpiciuntur omnia terrena, unde per fidem velut è propinquo proſpectantur cœleſtia. Illic ignis terribilis, fumus, incendium, fulgura ac tonitrua: hîc ſpiritus vehemens, ſed alacritatem adferens, non terrorem: & ignis, qui non exurat corpora, ſed mentes illuminet, cœleſtique facundia locupletet linguas ſimplicium. Illic populus diſcors obmurmurat, hîc in eodem conclavi quieti unanimeſque deprecantur exſpectantes cœleſte donum. Erat is dies delectus cœleſti negotio, quemadmodum & locus, in quem jam novem diebus frequenter ſoliti fuerant ventitare. Cæterum ubi jam adeſſet dies quinquageſimus, ſimul omnes magno conſenſu convenerant in idem cœnaculum, accepturi Spiritum cœleſtem. Ubi animus eſt humilibus ac ſordidis curis occupatus, ibi non eſt Spiritus Sanctus, in cœnaculo ſit oportet. Ubi pectus eſt diſſidiis, odiis, ac rixis tumultuoſum, ibi non eſt locus Spiritui Sancto. Omnes ſimul collecti in unum locum, eumque ſublimem, concorditer credunt, orant & exſpectant.

2 Et factus eſt repente de cælo ſonus, tamquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant ſedentes.

2 Et ecce ſubito venit è ſublimi donum Dei. *Repente* ſiquidem *è cælo venit ſonitus, quaſi venti magno impetu ſeſe ferentis, ac replevit totum cœnaculum, ubi ſedebant* placidi, quietique. Non erat ille Boreas è nubibus frigus adſpirans: neque erat Notus è paluſtribus locis teporem peſtiferum adferens corporibus. Flatus erat cœleſtis, inde veniens, quo profectus fuerat Chriſtus, vitam æternam inſpirans animis, robur & alacritatem addens infirmis ac puſillis. Hic ſonitus neminem terruit, ſed omnium animos expergefecit ad exſpectationem promiſſi Spiritus.

3 Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tamquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum:

3 Datum eſt hoc ſignum auribus, datum eſt alterum oculis. Sunt enim hi duo ſenſus in homine

Digitized by Google

præcipui. *Apparuerunt linguæ velut ignea specie sese in singulos discipulos dispertientes:* atque ut intelligamus donum hoc fore perpetuum, uniuscujusque capiti aliquamdiu insidentes. Idem Spiritus afflavit omnium animos. Idem ignis accendit omnium pectus ac linguam.

4 Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.

4 Nec mora, visibile signum vis doni cœlestis est consequuta. Omnes quotquot aderant, veluti subito transmutati in cœlestes homines, ac *repleti Spiritu Sancto, cœperunt loqui diversis linguis*, non quas didicerant ex hominum colloquiis, sed quas cœlitus illis indiderat Spiritus. Nullum hominis membrum pestilentius mala lingua, nullum salubrius bona. Cæterum ad cœlestem doctrinam per omnium linguarum gentes disseminandam, opus erat linguis cœlesti doctrina imbutis, tum Euangelicæ caritatis igni flammantibus. Erat igitur hoc præcipuum signum Euangelicæ fidei, quod Dominus illis promiserat: *Linguis*, inquiens, *loquentur novis.* Qui calumniantur, qui obtrectant, qui convitiantur proximo, qui pejerant, qui loquuntur obscœna, linguam habent non igne cœlesti, sed igne gehennæ inflammatam. Qui disputant de rebus humilibus hujus mundi, nondum acceperunt linguam cœlestem. Antea Apostoli disputabant de panibus omissis, de regno Israelito proferendo, de primo consessu, de principatu. Hæc erat humana lingua, nondum idonea ad prædicandum Euangelium. Nihil istiusmodi nunc loquuntur: spiritualia, cœlestia, ignea sunt omnia quæ spirant, quæque loquuntur. Sine lingua, sine spiritu non profertur vox. Porro Spiritus cœlestis vocem edit cœlestem, lingua ignea rapit & inflammat animos auditorum. Friget lingua Pharisæorum, neminem afficit quantumvis erudita Philosophorum, quantumvis diserta Rhetorum lingua. Donum hoc è cœlis proficiscitur. Discipuli nihil aliud sunt quam organa, per quæ vocem suam edit Spiritus Sanctus. Hoc donum nec homo dare potest homini, nec sibi quisquam partitur, sed Deus impartit unicuique sicut ipsi visum fuerit. Cui copiosius impartierit, is non habet cur alterum despiciat, sed habet cur alacrius conetur prodesse multis. Res est vehemens spiritus, res est vivida & irrequieta ignis. Non dormitant amplius Apostoli, quemadmodum dormitabant ante mortem Domini, non latitant amplius, quemadmodum latitabant post resurrectionem, prosiliunt in publicum, passim ac palam prædicant omnibus gratuitam salutem per fiduciam erga Jesum, paulo ante crucifixum.

5 Erant autem in Iersusalem habitantes Iudæi, viri religiosi ex omni natione quæ sub cælo est.

5 Erat autem ea civitas theatrum idoneum huic auspicandæ fabulæ. Siquidem ob urbis celebritatem, & ob Pascha quod præcesserat, & ob Pentecostes religionem, plurimi tum agebant Hierosolymis, non solum ex omnibus Syriæ partibus, verum etiam ex omnibus Regionibus, quocunque illos vel bellorum tempestas dispulerat, vel casus aliquis diduxerat. Inter quos erant plurimi, quibus cordi erat pietas.

6 Facta autem hac voce, convenit multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes.

6 Hujus igitur rei novitas ubi per omnes esset vulgata, convenit promiscua populi multitudo, perplexis animis quærens, quid hoc esset novæ rei, quod quum ex tam diversæ linguæ Regionibus essent collecti, tamen tum unusquisque sic intellexisset illos loquentes, quasi non una quapiam omnibus, sed singulo cuique sua vernacula fuissent loquuti. Habet enim & Hebræorum lingua juxta Regionum Divisionem sua discrimina, vel ex confinio diversarum gentium, vel alio quopiam casu. Nam & Jesum Samaritana mulier ex linguæ proprietate agnovit esse Judæum, & Petrum linguæ sonitus prodidit esse Galilæum. Itidem & Græcorum lingua in quinque species diducta est. Neque minor differentia in cæteris gentium linguis.

7 Stupebant autem omnes, & mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt..

7 Porro plerique Judæi non aliam tenebant linguam, quam ejus gentis apud quam erant nati. Omnes igitur vehemens quædam habebat admiratio, atque inter sese disputabant, qui fieret, quod nec auditum unquam fuerat, neque lectum. Dicebant autem: Ecce rem novam: *Nonne isti omnes qui loquuntur patria Galilæi sunt?*

8 Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus?

9 Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam,

10 Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Libyæ, quæ est circa Cyrenen, & advenæ Romani.

11 Iudæi quoque, & Proselyti, Cretes, & Arabes: audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.

8, 9, 10 Qui fit igitur, ut tam multi diversæ linguæ homines, quoties audimus unum aliquem loquentem, nihilo secius intelligamus, quam si suam quisque linguam, in qua natus est, audiret, quum ex tam diversis Regionibus multitudo conflata sit, quæ habet Parthos, Medos, Elamitas, tum eos qui incolunt Judæam in multas partes divisam, & ad hæc Cappadociam, Pontum & Asiam sic proprie dictam, Phrygiam, Pamphyliam, Ægyptum, easque Libyæ parteis, quæ attingunt Cyrenen.

11 Neque desunt qui Romæ sedem habent, partim genere Judæi, partim proselyti, hoc est, ad Judaicam religionem cooptati. Præterea Cretenses & Arabes. Ex tot nationibus, ex tam diversis linguis conflati audimus & intelligimus illos loquentes, non res usitatas aut humanas, sed sublimia, sed magnifica, sed Deo digna.

12 Stupebant autem omnes, & mirabantur ad invicem dicentes: Quidnam vult hoc esse?

12 Ad hunc modum quotquot erant religionis amantes, rei novitate perculsi, differebant, dicentes: Quid sibi vult prodigium hoc? Non reprehendunt quod assequi non possunt, quemadmodum solent Pharisæi, sed inquirunt ac discere cupiunt, quod ignorant.

13 Alii autem irridentes dicebant: Quia musto pleni sunt isti.

13 Ex adverso qui judicii erant iniquioris ac præcipitis, irridentes dicebant: *Musto expleti sunt.* Dicas hos esse discipulos Pharisæorum, qui dicebant de Jesu: *Dæmonium habet.* Et est omnino ebrietas vehemens furori persimilis. Fit autem forsitan, ut per furorem aliquis diversis loquatur linguis, quas nunquam didicit. Sed nullus furor hoc præstat, ut omnes quod loquaris intelligant. Hæc illi quidem ludibrii causa dicebant. Cæterum nihil vetat nonnunquam & jocando vera dicere. Prorsus expleti erant novo vino, quod Dominus noluit committi vetustis utribus. Vetus enim Mosaicæ Legis vinum defecerat in nuptiis Ecclesiæ, ac frigidus & insipidus Legis sensus per Christum versus est in vinum novum. Insipidum ac dilutum est quicquid carnale est: vividum, efficax ac sapidum est, quicquid est spirituale. Bibebant autem affatim de calice cœlesti, de quo dicit Psalmographus: *Calix meus inebrians quam præclarus est.* Et si licet res toto genere dissimillimas inter se conferre, vulgaris ista temulentia quatuor res præcipue gignit in hominibus: profert in apertum quæ latebant in corde: inducit oblivionem præteritorum malorum, ac spe lætorum exhilarat animum, addit robur usque ad vitæ contemtum. Postremo ex infacundis facit disertos. Jam mihi vide, an non simile quiddam novum illud Spiritus divini mustum genuerit in Apostolis: quod metu celaverant, quod in occulto didicerant, non proferunt in vulgus, ac juxta Domini vaticinium prædicant in tectis. Obliviscuntur veteris Judaismi, ac veluti jam nati non meminerunt vitæ superioris, nec recordantur afflictionum, quibus territi Dominum deseruerant. Nullis præsidiis humanis instructi, nec Præsides timent, nec Reges, nec Concilia, nec carceres, nec tormenta, nec mortes, semper alacres ac læti promissis Euangelicis. Denique qui * erant piscatores & idiotæ, mox eloquentia cœlesti coarguunt supercilium Pharisæorum, convincunt enthymemata Philosophorum, opprimunt vim Rhetorum. Nihil autem difficilius, quam verba facere apud multitudinem, quæ quum semper est bellua multorum capitum, tum vero præcipue, quoties ex variis linguis ac nationibus collecta est.

14 Stans autem Petrus cum un-

14 Hic igitur mihi considera Simonem Petrum subito ex piscatore factum oratorem. Tumultua-

* Altera Editio inserit, *prius.*

batur

decim, levavit vocem suam, & locutus est eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Ierusalem universi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea.

batur multitudo. Quod tum factum est, id semper est futurum usque ad finem mundi. Ibi demum boni Pastoris officium est, forti animo prodire in medium; non ut violentia comprimat obmurmurantes, nec ut convitia regerat, sed ut constanti magis quam feroci animo per sacræ Scripturæ testimonia depellat calumniam, & Christi gloriam asserat. Petrus itaque, qui prius in cœnaculo surrexerat, expleturus numerum Apostolorum, nunc rursus assurgit apud confusam hominum multitudinem, docturus eos, qui dixerant: *quid sibi vult hoc?* & os oppleturus his, qui dixerant: *musto pleni sunt.* Non est autem necesse, ut Episcopus semper erecto corpore loquatur apud populum, quando Christus ipse sedens docuit populum. Cæterum animo stet oportet, quisquis aggreditur munus Apostolicum. Atque hic interim agnosce Petri dignitatem. Primus est ad dicendum, ubi res Euangelicum oratorem postulat. Recondiderat gladium, qui Christo non placuit, exserit gladium Spiritus. Sic oportet esse primatem Episcopum. Assurgit Petrus, sed non solus, verum adstantibus undecim Apostolis, ne sibi tyrannidem usurpare videretur. Unus fecit verba, sed unus omnium voce loquutus est, quemadmodum & ante unus omnium nomine professus est Jesum Christum Filium Dei viventis. Unde tanta fiducia piscatori, idiotæ & humili, ut tantam multitudinem auderet vel obtueri? Sæpe magnis oratoribus, qui multis vigiliis elucubratam ac meditatam adferunt orationem, dicturis apud frequentem populum, aut Principes, fugit color, vox faucibus hæret, obstupescit mens. Nimirum hæc erat illa cœlestis ebrietas, hæc erat illa sobria temulentia. Adstitit coram tanta multitudine, adjunxit undecim Apostolos, non ad præsidium, sed ad consortium, intendit oculos in populum, ignotus in ignotum, extulit vocem suam, & nihil præmeditatus loquutus est illis, jam hoc præstans quod docuerat Dominus. Nec pro se loquitur, sed Pastor gregi patrocinatur, nec humanis argutiis agit, sed divinæ Scripturæ præsidiis. Jam exspectat attenta multitudo concionem. Attendamus & nos, quandoquidem hæc omnibus dicta sunt. Primum ubi mota manu turbæ murmur compescuisset, exorsus est tali procemio, quod illos nulla assentatione Rhetorica redderet attentos. Viri, inquit, Judaicæ gentis, quos non oportet ignorare Legem ac Prophetas, vosque præcipue, qui degitis in hac urbe Hierosolymorum, ubi caput est Religionis ac scientiæ Legis. Est fortassis quod admiremini, non est quod calumnietur aliquis. Proinde quotquot adestis, præbete mihi aures paulisper attentas, & rem ut habet cognoscite. Id enim vestra omnium refert.

15 Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia:

15 Nam hi Galilæi, quos mihi videtis assistere, *nequaquam* musto *sunt ebrii, quemadmodum quidam existimant, quum sit hora diei tertia*, nullus autem diluculo solet esse ebrius.

16 Sed hoc est, quod dictum est per prophetam Ioel:

16 Verum, in his videtis impletum, quod olim Deus promisit futurum per Joelem Prophetam. Audite prophetiam, & agnoscite promissi fidem. Nolite calumniari, quia rem insolitam videtis, sed amplectimini potius gratiam divinitus vobis oblatam. Joel enim afflatus divino Spiritu, videns futurum ut Deus, qui diversis temporibus Mosei & Prophetis aliquot impartierat Spiritum suum ad vestram salutem, tandem misso Filio suo unico, Spiritum eundem copiosissime effunderet non in unum atque alterum, quemadmodum videtis tot seculis paucos exstitisse Prophetas, sed in omnes totius urbis nationes, quæcunque sincera fide reciperent hunc lætum nuntium, quem ipsius jussu vobis omnibus adferimus, sic prodidit cœleste vaticinium:

17 Et erit in novissimis diebus (dicit Dominus) effundam de Spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ: & juvenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt.

17 *Erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam largiter de Spiritu meo super omnem carnem, &* A *subito prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ, & juvenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt.*

18 Et quidem super servos meos & super ancillas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt:

18 *Et quidem super servos meos & ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt.*

19 Et dabo prodigia in cœlo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi.

19 *Et dabo prodigia in cœlo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi.*

20 Sol convertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & manifestus.

20 *Sol convertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus ac illustris.*

21 Et erit omnis quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.

21 *Et omnis quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Hæc ante tot secula vaticinatus est vo- B bis Propheta Joel: quod de Spiritus effusione prædixit, videtis exhibitum. Nec dubitandum est, quin quod idem vaticinatur de ventura calamitate, sit pari fide præstaturus. Verum, nihil est quod desperetis, ostendit Propheta certam salutis viam, qui periculum denuntiat. Invocate nomen Domini, & parata est salus.

22 Viri Israelitæ, audite verba hæc: Iesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, & prodigiis, & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut & vos scitis:

22 Sed quemadmodum sit nomen Domini invocandum, nunc audite, viri Israelitæ, & quod reliquum est hujus orationis diligenter auscultate. Plerique novistis Jesum Nazarenum, quem virum Deus olim omnium Prophetarum oraculis promissum exhibuit vobis, eumque vobis commendavit multis ac magnis miraculis ac prodigiis, quæ per illum C gessit in conspectu vestro. Siquidem Deus erat in illo. Rem loquor vobis non ignotam, siquidem fama miraculorum ejus pervagata est, non solum per universam Judæam, verum etiam ad quasdam civitates finitimas. Quoniam autem ipse peragravit totam hanc Regionem, ubique verbo sanans ægrotos, restituens debiles, illuminans cæcos, mundans leprosos, ejiciens Dæmones: plerique vidistis quæ narro.

23 Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis:

23 Nihil horum gestum absque divino consilio. Sic visum est Deo servare mundum. Hunc igitur talem quum accepissetis, non casu aut fortuito, sed D ex certo Dei consilio ac præscientia traditum in salutem Israeliticæ gentis, per manus impiorum militum suffixistis in crucem & occidistis. Siquidem milites nihil aliud erant, quam ministri facinoris. Cæterum occidit, quisquis ad mortem adegit. Res apertior est, quam ut negari possit.

24 Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo:

24 Hunc à vobis interfectum ita volente Deo, qui tradiderat occidendum, idem juxta Prophetarum oracula tertio die revocavit in vitam, ut quod in hoc factum esset virtute divina, idem in se sperarent futurum omnes, qui crediderint Euangelio. Siquidem ille voluntati Patris obtemperans, patienter tulit ignominiam crucis, tota fiducia salutis collocata non in humanis præsidiis, sed in Dei mise- E ricordia: & ideo per illum liberatus à doloribus mortis & inferorum, quos ut homo quidem gustare potuit, cæterum ut immunis ab omni peccato, teneri vincirique ab illis nullo modo potuit. Mors enim ac Tartarus non habet perpetuum jus, nisi in eos, qui peccato sunt obnoxii. Proinde ut deglutire potuit illum mors, ita devoratum tenere non potuit, sed tertio die coacta est revomere, quemadmodum cetus revomuit Jonam. Deus igitur ideo voluit innoxium hæc omnia pati, ut per illum nos omnes & à peccatis, & à jure mortis redimeret, si modo totam fiduciam nostram ad exemplum Jesu F Nazareni in Deo collocemus.

25 David enim dicit in eum: Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commovear:

25 Quod narro vobis Israelitæ, non oportet incredibile videri, posteaquam David, afflatus cœlesti Spiritu, prædixit hoc futurum. Sic enim in Psal. xv. loquitur de Jesu Nazareno, quem vobis prædicamus: *Providebam Dominum coram me semper, quoniam à dextris est mihi ne commovear.*

26 Propterea lætatum est cor meum, & exsultavit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe:

26 *Propterea lætatum est cor meum, & exsultavit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe:*

27 Quod

Digitized by Google

27 Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

28 Notas mihi feciſti vias vitæ: & replebis me jucunditate cum facie tua.

[27] *Quod non derelinques animam meam apud inferos, nec committes, ut ſanctus ille tuus videat corruptionem.*

[28] *Notas mihi feciſti vias vitæ, replebis me jucunditate cum facie tua.* Videtis quam dilucide nobis depinxerit Rex & Propheta David, quod in Jeſu Nazareno geſtum eſſe ſcitis. In Deo collocarat omne præſidium ſuum, & hujus unius auxilio fretus, volens ac lubens paſſus eſt omnia, quæ vos illum paſſum eſſe ſcitis. Corde gaudens toleravit dolores corporis. Exſultavit illius lingua, nunquam tacens aut ſupprimens voluntatem Dei. Paſſus eſt ſepeliri ſeſe, nihil addubitans, quin Pater illum eſſet ad vitam revocaturus die tertio, nec ſineret illum in ſepulchro putreſcere, qui nullius mali ſibi conſcius, ſpem omnem collocarat in Deo. Quiſquis enim ſpem ſalutis collocarit in ſuis operibus, aut in hujus mundi præſidiis, non erit par ferendis mortis doloribus, nec ſemel ab illa captus poterit ſemet extricare. Quiſquis autem habet oculos jugiter intentos in Deum, qui miſericors eſt in omnes, is novit vias vitæ: & ſi quando Deus videatur ad tempus avertiſſe vultum ab eo, tamen brevi reddet illi conſpectum ſui, proque cruciatibus temporariis reſtituet æterna gaudia, pro morte reddet immortalitatem, pro ignominia terrena cœleſtem gloriam. Per hunc itaque & nobis eſt oſtenſa via ad vitam æternam.

29 Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David, quoniam defunctus eſt, & ſepultus: & ſepulchrum ejus eſt apud nos uſque in hodiernum diem.

[29] Fortaſſis erunt qui prophetiam hanc ad ipſum David pertinere ſuſpicentur, non ad Jeſum. Scio quam magnifice ſentiatis de Patriarcha David, nec immerito ita ſentitis. Fuit enim ille ſanctus ac Deo carus, ſed ut libere, quod verum eſt, loquar apud vos, viri fratres, non tantum eſt tribuendum Patriarchæ David, ut illi quod eſt Meſſiæ adſcribatur. Res enim ipſa loquitur, hoc vaticinium nec in David, nec in quemquam alium Patriarcham aut Prophetam competere. Siquidem, id quod nemini veſtrum ignotum eſt, David defunctus ac ſepultus eſt, nec unquam revixit, quando ſepulchrum ejus eſt apud nos in hodiernum uſque diem, nihil aliud habens quam oſſa defuncti exanima ſiccaque. Proinde vaticinium hoc non de ſeipſo prodidit David, qui ſciebat ſeſe more cæterorum ſepeliendum & corrumpendum in ſepulchro juxta corpus.

30 Propheta igitur cum eſſet, & ſciret quia jurejurando juraſſet illi Deus de fructu lumbi ejus ſedere ſuper ſedem ejus:

[30] Cæterum quum eſſet afflatus Prophetico Spiritu, neque neſciret futurum, quod Deus ipſi jurejurando confirmaſſet, videlicet ut Chriſtus juxta carnem ex ipſius lumbis exſiſteret, ac juxta ſpiritualem ſenſum ſederet ſuper thronum ejus, regnaturus in æternum:

31 Providens locutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.

[31] Præſcius vaticinatus eſt de his, quæ nunc videtis in Jeſu Nazareno peracta, qui ſine controverſia juxta carnem genus duxit à ſtirpe familiaque David. Porro quum conſtet Jeſum in hac vita nihil affectaſſe regni mundani, nec unquam ſediſſe in ſolio David, ſed extrema fuiſſe affectum ignominia, liquet aliud quoddam regnum fuiſſe promiſſum, cujus nullum eſſe finem pronuntiant oracula Prophetarum. Non potuit ſedere in ſolio David, ſi ſemel occiſus nunquam revixiſſet. Reſurrexit igitur, & nunc ſedet in ſolio David, hoc eſt, Patris æterni, Dominus omnium quæ in cœlis ſunt & quæ in terris. Hoc nimirum erat, quod David, afflatus fatidico Spiritu, prædixit, & quod prædixit factum eſt. Quanquam enim anima Jeſu deſcendit ad inferos, non tamen illic detenta eſt, ſed detentas potius liberavit. Ita corpus illius tametſi ſepulchro conditum eſt exanime, tamen illic non computruit, ſed Deus, qui mentiri neſcit in promiſſis, animam ab inferis revocatam reſtituit in corpus.

32 Hunc Jeſum reſuſcitavit Deus, cujus omnes nos teſtes ſumus.

[32] Hujus rei nos omnes, quos hîc videtis adſtantes, teſtes ſumus, qui familiariter cum illo vixi-mus, qui frequenter ab illo audivimus, quod & crucifigendus eſſet juxta Prophetas, & tertio die reſurrecturus. Mortis & ſpectatores & auditores nos fuimus, reſurrectionis teſtes nos ſumus, quibus frequenter apparuit, non ſolum viſus & auditus, verum etiam manibus contrectatus. Agnovimus vocem, agnovimus faciem, vidimus & contrectavimus veſtigia vulnerum. Denique cibum una nobiſcum cepit, ut verum & idem corpus eſſe ſciremus, quod conditum erat in ſepulchro.

33 Dextera igitur Dei exaltatus, & promiſſione Spiritus ſancti accepta à Patre, effudit hunc, quem vos videtis, & auditis.

[33] Itaque qui per homines dejectus erat uſque ad extremam ignominiam, hunc Deus extulit in faſtigium æternæ gloriæ, quam olim patefaciet univerſis hominibus in fine mundi, nunc interim virtutem divinam apud vos exſerens occulta vi Spiritus Sancti, quam à Patre nobis promiſerat, quum adhuc ageret in terris. Hunc reverſus in cœlum, illinc nobis largiter effudit juxta prophetiam Johelis. Et hinc eſt illud miraculum vobis inſolitum, quod videtis & auditis nos loquentes linguis, quas vos ex diverſis linguis conflati pariter intelligitis.

34 Non enim David aſcendit in cœlum: dixit autem ipſe: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis,

[34] Porro quemadmodum prophetia reſurrectionis non poteſt accipi de David, ſicuti docuimus: ita quod de adſcenſu in cœlum, deque conſeſſu ad dexteram Dei Patris, deque regno perenni prædictum eſt, non poteſt ad David pertinere, quemadmodum ipſi Phariſæi confeſſi ſunt, cum Domino diſputantes. Neque enim David unquam adſcendit in cœlum redivivus. Et tamen ille, Spiritu prophetico afflatus, ſic loquitur in Pſalmo myſtico: *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis:*

35 Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.

[35] *Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Itaque palam eſt in hac prophetia ſermonem eſſe Dei Patris, qui Jeſum filium David juxta carnem, Dominum juxta ſpiritum, evexerit in cœlum, & ut regni conſortem ſibi aſſidere juſſerit.

36 Certiſſime ſciat ergo omnis domus Iſrael, quia & Dominum eum, & Chriſtum fecit Deus, hunc Jeſum, quem vos crucifixiſtis.

[36] *Itaque pro comperto habeat hoc univerſa gens Iſraelitica, quod Deus hunc Jeſum Nazarenum, quem vos ſuſtuliſtis in crucem*, evexerit ad regnum cœleſte, quodque illum exhibuerit, & Dominum univerſorum, & Meſſiam, hoc eſt, unctum illum, quem vos nomine Meſſiæ, tot ſeculis promiſſum à Prophetis, exſpectatis.

37 His autem auditis, compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos: Quid faciemus, viri fratres?

[37] Hæc oratio Petri terrorem injecit animis auditorum. Erant ſibi conſcii quod apud Pilatum clamaſſent: *crucifige, crucifige, crucifige eum:* & agnoſcunt ex prophetia datum illi regni conſortium ad dextram Patris, donec omnes inimici ejus ſubjicerentur ſcabello pedum illius. Ultorem metuunt jam regnantem, quem occiderant benefacientem. Eſt autem hoc initium ſalutis agnoſcere culpam, & formidare commeritam pœnam. Itaque *corde compuncti, dicunt Petro, ac reliquis Apoſtolis: Quid faciemus viri fratres?* Bene res habet, quum animus ſibi male conſcius non deſperat, ſed quærit remedium.

38 Petrus vero ad illos: Pœnitentiam (inquit) agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum: & accipietis donum Spiritus ſancti.

[38] Hîc Petrus manſueti Paſtoris imaginem exhibens, quid facit? Non ſævit convitiis, non exaggerat admiſſum, non repellit ac differt, non præſcribit victimas & holocauſta, ſed compunctis paratum oſtendit remedium, nihil diſtinguens inter eos qui Jeſum crucifixerant, & inter eos qui non conſenſerant impio facinori: nullus enim erat immunis à peccato. Ait itaque: *Pœniteat vos vitæ ſuperioris, & tingatur unuſquiſque veſtrum aqua in nomine Jeſu Chriſti: &* hujus gratuito beneficio *dabitur vobis remiſſio* omnium *peccatorum* veſtrorum: deinde puris & purgatis dabitur donum Spiritus Sancti, quod videtis effuſum in nos.

39 Vobis enim eſt repromiſſio, & filiis veſtris, & omnibus qui longe ſunt, quoſcunque advocaverit Dominus Deus noſter.

[39] Ne quis expendat ſua merita, gratuitum eſt totum quod datur, tantum adſit fiducia. Ad vos poſteroſque veſtros peculiariter pertinet prophetia Johelis, quos filios & filias, quos ſervos & ancillas appellat. Credite promiſſori Deo, & accipite gratis quod promiſſum eſt. Nec ad vos tantum, qui eſtis gentis Iſraeliticæ, pertinet promiſſio prophetiæ, verum etiam ad omnes gentes, quæ procul abſunt ſimul à cognatione generis Iſraelitici, &

à

à cognitione Dei, quoſcunque Dominus Deus noſter ex ſua bonitate dignabitur advocare ad hujus doni conſortium. Indicavit & hoc prophetia, ſubjiciens: *Et omnis qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Nec invocat autem quiſquis dicit, Domine, Domine, ſed qui in hujus miſericordia ſpem omnem ſalutis collocat. Prædictum eſt idem ab aliis Prophetis, fore ut Euangelicus ſermo penetraret uſque ad terminos orbis terrarum. Mandavit & nobis Dominus Jeſus, ut vobis primum annuntiaremus hanc gratiam, deinde Gentes ad eandem vocaremus. Siquidem hæc vocatio non eſt ex meritis hominum, ſed ex gratuita benignitate Dei.

40 *Alia etiam verba plurimis teſtificatus eſt, & exhortabatur eos, dicens: Salvamini à generatione iſta prava.*

40 His aliiſque plurimis verbis Petrus teſtificatus eſt illis de Chriſto, proferens teſtimonia Prophetarum, & cum his conferens ea quæ jam evenerant. Doctrinæ addidit exhortationem, quo magis excitimularet hæſitantes. Agite fratres, inquit, amplectamini tam inſignem, tam obviam Dei erga vos benignitatem. Noſtis querelas omnium Prophetarum de perverſitate, de duritie gentis Judaicæ, qua ſemper ſeſe præbuit rebellem Domino Deo ſuo, atque hujus miniſtris ad ſalutem ipſorum miſſis. Quoties reſtitit Moſi? Quot Prophetas occidit? Quoties ſuis ſceleribus provocavit iram Dei? Unde jure *domus exaſperatrix* appellatur, ac *vitis converſa in amaritudinem, quæ pro dulcibus uvis dedit* cultori ſuo *labruſcas.* Queſtus eſt idem Joannes, appellans illam *progeniem viperarum.* Neque raro idem queſtus eſt Dominus Jeſus, offenſus invincibili perverſitate multorum, qui videntes non videbant, audientes non audiebant, intelligentes non intelligebant. Salutiferam doctrinam adſpernabantur, beneficia miraculorum tribuebant Spiritui Beelzebub. Proinde nationem perverſam appellavit, & incredulam: cui ſtens exitium denuntiavit, quæ cæderet, occideret, lapidaret, crucifigeret, omnes à Deo miſſos. Subducite vos fratres ab imminente vindicta Dei, exſuite perverſitatem Judaicæ gentis, quæ dum ſuam juſtitiam tuetur, impia rebellat juſtitiæ Dei. Per fidem ac ſimplicem obedientiam eſt parata vobis omnibus ſalus æterna. Tum demum eritis veri Iſraelitæ, tum eritis germani filii Abrahæ, tum eritis vere Judæi, ſi Regem veſtrum Jeſum agnoveritis. Eximite vos à generatione iſta carnali, quæ per ſuam incredulitatem perire mavult, quam ſervari. Vos renaſcamini in nationem ſpiritualem ac cœleſtem, quæ ſervatur per fiduciam erga Jeſum. Hæc nimirum erat eloquentia piſcatoris, non ex præceptis Rhetorum comparata, ſed cœlitus infuſa, & ideo potens & efficax. Hic erat ille gladius, qui pertingit uſque ad diſſectionem animæ & ſpiritus, cujus acie compuncta ſunt corda Judæorum. Hic eſt primus jactus retis, quo piſcator hominum traxit copioſam multitudinem. Hoc erat ſemen ubique ſpargendum Euangelici ſermonis, quod juxta doctrinam Jeſu non deſcendit in animos omnium, & tamen hîc protinus reperit terram bonam, quæ fructum edidit.

41 *Qui ergo receperunt ſermonem ejus, baptizati ſunt: & appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia.*

41 Baptizati ſunt enim & appoſiti numero diſcipulorum, qui tum erant perpauci, fere ter mille. Hi nimirum ſunt Euangelici proventus felices primitiæ. Res Novi Teſtamenti hîc quoque congruit cum figura Veteris. Moſes quinquageſimo à Paſcha die juſſit celebrari primitias. Hîc quinquageſimo die non ſpicarum, ſed animarum primitiæ Domino conſecrantur. Jam aqua per doctrinam ac fidem purgarat ab omnibus peccatis, jam hauſtus erat cœleſtis ille Spiritus. Nunc conſidera, quid agat in illis Spiritus divinus, nec enim eſt otioſus, quum ſit igneus. Data eſt gratis innocentia, gratis data Spiritus Sancti gratia. Supereſt ut curemus, ne quod gratuito largitus eſt Deus ſua bonitate, nos noſtra incogitantia perdamus. Hæc rudimenta ſunt Euangelicæ pietatis, hæc eſt velut infantia primæ regenerationis in Chriſtum.

42 *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.*

42 Quod hactenus traditum eſt doctrinæ lac eſt, proficiendum eſt ad ſolidum cibum. Utrunque cibum debent habere paratum Euangelici Paſtores. Sic enim mandarat illis Dominus: *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos, docentes eos ſervare quæcunque præcepi vobis.* Docete baptizandos Euangelicæ Philoſophiæ rudimenta, quibus niſi quis crediderit, fruſtra tingitur aqua. Docete baptizatos, ut juxta doctrinam meam viventes, ſemper ad perfectiora proficiant. Itaque qui ſe junxerant numero diſcipulorum, perſeverabant in doctrina Apoſtolorum, (nam hinc profectus eſt uberrimus) atque in ſumendo ſymbolo fœderis nunquam rumpendi, quam illi communionem vocabant. Id à Domino traditum erat hujuſmodi. Frangebatur panis, & ex eo cuique dabatur particula, atque hoc agentes in memoriam Dominicæ paſſionis, agebant gratias divinæ benignitati, qui per unici Filii ſanguinem ipſos expiaſſet à peccatis, qui per ejuſmodi indebitam mortem ipſos cooptaſſet in hæreditatem vitæ æternæ. Addebant puras preces, quibus rogabant, ut regnum Domini Jeſu in dies latius propagaretur, ut illius gloria per univerſum orbem inclareſceret, ut illius voluntati ubique obtemperaretur, ut qui fidem Euangelicam ſemel eſſent profeſſi, ſacra doctrina cœleſtique gratia quotidie proficerent ad meliora, atque ita concorditer inter ipſos viverent, pacem habentes cum fratribus, ignoſcentes injuriam, ſi quid eſſet per humanam fragilitatem admiſſum, pacem habentes cum Deo, qui ſe miſericordem præbet iis, qui ſe miſericordes exhibent proximo, ut quotidiano Numinis auxilio confirmati, ſubſiſterent adverſus omnes Satanæ incurſus, donec poſt longa certamina daretur æternum præmium. Hæc tum erant victimæ Chriſtianorum.

43 *Fiebat autem omni animæ timor: multa quoque prodigia & ſigna per Apoſtolos in Ieruſalem fiebant, & metus erat magnus in univerſis.*

43 Linguarum miraculum, Petri tam vivida exhortatio, tot hominum ſubita mutatio, tanta vitæ novitas efficiebant, ut jam timor quidam corriperet animos omnium ſibi male conſcios. Perſpiciebant enim, rem non eſſe conſpirationis humanæ, ſed virtutis cœleſtis. Siquidem Apoſtoli, non ſolum loquebantur omnium linguis, verum etiam multa prodigioſa miracula patrabant invocato nomine Jeſu Hieroſolymis, ſanandis morbis, profligandis Dæmoniis, excitandis mortuis. Hic metus ingens magis etiam occupavit animos omnium. Erat hoc aliquod initium reſipiſcentis populi.

44 *Omnes etiam qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia.*

44 Sed ante omnia Spiritus ille cœleſtis mutuam benevolentiam & concordiam gignebat in omnibus, quos afflaverat. Nimirum hoc peculiari ſigno Jeſus juſſerat agnoſci ſuos diſcipulos, ſi mutua caritate conglutinarentur. Quotquot enim crediderant Euangelio, frequenter aggregabant ſeſe in unum locum, mutuis colloquiis ſeſe conſolantes & exhortantes. Multi erant, citraque delectum perſonarum admittebantur omnes, juvenes, ſenes, fœminæ, viri, ſervi, liberi, pauperes, divites. Tanta vero concordia tam diſpares copulabat Chriſti caritas, inſita cordibus eorum, ut, quod inter germanos quoque rarum eſt, omnia haberent inter ipſos communia.

45 *Poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.*

45 Quoque paratior eſſet inter omnes communicatio, quibus erant prædia, aliæve poſſeſſiones, eas divendebant, atque ex pretio collecto impartiebant omnibus, prout cuique erat opus, ita ut nec egerent, qui nihil poſſidebant, nec abundarent, qui multa poſſederant. Sic autem largiebantur, non quaſi de ſuo, ſed quaſi de communi. Nam vera caritas neſcit rerum proprietatem, nec inter illos videtur ſuæ quiſque rei dominus, inter quos idem eſt animus. Vix autem illic incidere poteſt egeſtas, ubi quiſque paulo contentus eſt, & ex communi ſingulis diſtribuitur, non pro libidine, ſed pro neceſſitate. Nihil horum præſcribebant Apoſtoli, ſed ultro præſtabat caritas, plus quam ulla Moſi lex exigere eſt auſa.

46 *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione, & ſimplicitate cordis,*

46, 47 Quin & in Templo quotidie magno animorum conſenſu perſeverabant deprecantes, gratias agen-

47 *Collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem augebat qui ſalvi fierent quotidie in idipſum.*

Digitized by Google

tes Deo, ac mutua confabulatione semet exhortantes, aliosque quoscunque possent ad Euangelicum fœdus allicientes. Deinde toto die talibus studiis peracto, per singulas domos frangebant panem, atque invicem capiebant cibum, incredibili gaudio, ac sinceriſſima simplicitate cordis collaudantes Deum, cujus beneficio tantam gratiam erant consequuti. Apud universam vero plebem erant favorabiles & gratiosi. Quis enim non amaret homines innoxios, omnibus benefacere paratos, in quibus videbant tantam Dei virtutem cum tanta modestia tantaque lenitate conjunctam? Annotabis hîc, Theophile, exordium Ecclesiæ ex concordia & gaudio feliciter sumsisse auspicia. Non potest non esse concordia, ubi est Spiritus ille pacificator omnium: non potest non esse gaudium, ubi pura est conscientia, & certa de promissis Euangelii fiducia. Cæterum ut in perdendo Jesu, nusquam non adsunt Pontifices, Pharisæi, Scribæ & primores populi, ita hîc in felicibus auspiciis nascentis Ecclesiæ nulla horum mentio. Nullus ad hoc contubernium coactus venit, nulla vis continebat eos in fœdere. Sponte perseverabant, qui accesserant: & Dominus in dies alios atque alios attrahebat, quos destinaverat ad salutem, paulatim emergente grano sinapis, late suos ramos sparsuroper orbem universum.

1 *Petrus autem & Joannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam.*

2 *Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, bajulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum.*

3 *Is cum vidisset Petrum & Joannem incipientes introire in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet.*

4 *Intuens autem in eum Petrus cum Joanne, dixit: Respice in nos.*

5 *At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis.*

6 *Petrus autem dixit: Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jesu Christi Nazareni surge, & ambula.*

7 *Et apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum, & protinus consolidatæ sunt baſes ejus & plantæ.*

8 *Et exiliens stetit, & ambulabat: & intravit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum.*

CAP. III.

Claudipedem sanat divinum nomen Jesu, Hortaturque reos ad meliora Petrus.

1 SIMUL autem cum aliis Petrus & Joannes adscendebant in Templum ad horam vergentis jam diei nonam, qua quum alii vel ludere soleant ebrii, vel dormire, illi consueverant sacris precationibus vacare, jejunantes usque ad vesperam. Procedebant duo proceres ordinis Apostolici, nullis equis aut mulis, nullo satellitio regio, sed audi pompam Apostolicam.

2 Sedebat pro Templi foribus quidam populo notissimus mendicus, qui fuerat claudus ab utero matris. Tantum autem erat corporis vitium, ut à bajulis gestaretur. Hujus calamitas, ut fit, multos alebat. Nam eum ad quæstum exponebant quotidie ad portam Templi, quam vulgus Speciosam vocat, ut ab ingredientibus (nam hæc erat frequentissima) peteret eleemosynam. Habet suum ingenium mendicitas, novit eos, qui Templum ingrediuntur, aut sic esse affectos, ut libentius dent eleemosynam, aut sic affectos videri velle.

3 Is ubi vidisset Petrum ac Joannem ingressuros Templum, comitatus autem indicabat illos esse alicujus pretii, & vultus ipse benignitatem præ se ferebat, petebat ab eis eleemosynam. Hîc Spiritus Sanctus submonebat Apostolos, adesse tempus edendi miraculi.

4 Itaque *Petrus una cum Joanne defixis in claudum oculis, ait illi: Adspice in nos.*

5 Ad intuitum ad hanc vocem factus alacrior mendicus, *intendebat oculos in illos, sperans futurum, ut aliquid ab illis acciperet.* Stipem flagitarat, stipem exspectabat, integritatem membrorum non ausus est emendicare, quia non sperabat illos posse dare. Et tamen animus illi nescio quid bonæ rei præsagiebat.

6 Tum Petrus magnificam illam ac vere summo Christi vicario dignam vocem edidit, dicens: Argentum & aurum, quod tu exspectas, non est apud me. Quod autem non ex meo, sed cœlesti benignitate ad manum est, quoque tu magis eges, hoc tibi do: *In nomine Jesu Christi Nazareni surge & ambula.*

7 *Simulque apprehensa dextra claudi sublevavit eum.* Nec mora *protinus consolidatæ sunt plantæ ejus ac tali,* sic ut non ægre assurgeret, sed exsiliens consisteret pedibus suis, & ambularet quocunque vellet.

8 At ille lætus tam inspirato beneficio, *una cum Apostolis ingressus est Templum, ambulans* alacriter ac præ gaudio *saliens*, ac gestiens, *Deumque laudans*, unde noverat hoc beneficium esse profectum. Dei beneficia celare, ingratitudinis est: homini adscribere, impietatis est.

9 *Totus autem populus*, qui frequens aderat in Templo, *conspicatus est hominem* à bajulis gestari solitum, nunc *ambulantem* alacriter suis pedibus, *ac laudantem Deum.*

10 *Agnoscebant autem illum omnes, esse eundem hominem, qui quotidie solitus esset sedere ad portam Speciosam mendicandi gratia.* Vident subito mutatum. Audiunt agentem gratias Deo. Quibus ex rebus vehemens quædam admiratio stuporque corripuit animos omnium.

11 Porro quum viderent Petrum & Joannem, qui tum ut Apostolorum primores plerisque innotuerant (nam his adhærebat, qui fuerat claudus, & per hos sibi contigisse prædicabat sanitatem) factus est totius populi concursus ad illos. Erant autem in porticu quæ dicitur Solomonis, in qua solitus est versari Jesus verus ille Solomon, & in qua nonnunquam disputarat cum Pharisæis.

12 Rei novitas omnium animos perculerat: Petrus ubi videt populi concursum, nec ignoraret causam, rursus hunc in modum exorsus est dicere. Viri Israelitæ, cur super hac re tantopere vos habet admiratio, quasi vobis sit infrequens ac rarum videre miracula, aut quasi non majora videritis superioribus temporibus? Nos vero cur intuemini, quasi nostra vel virtute vel pietate sit effectum, ut hic claudus vobis omnibus notus nunc ambulet?

13 Non est humanum negotium, quod geritur, neque novum est quod videtis, sed olim per Prophetas vestros à Deo promissum. Vos religiose colitis Deum Abraham, Deum Isaac, & Deum Jacob, quos gloriamini vos habere Patriarchas, ac generis auctores. Sed hujus Dei, à Patriarchis culti, Filium, ad vos vestræ salutis causa missum humili specie, quo magis eum amplecteremini, similem vobis factum, afficistis extrema contumelia. Cæterum ille Filium suum, humana malitia dejectum, sua virtute glorificavit, ut multis aliis modis, ita hoc quoque facto, per illum sub oculis vestris edidit innumera miracula, docuit cœlestem doctrinam.

14 His tantis beneficiis vos nihil commoti, post multas contumelias tandem tradidistis illum in manus impiorum, ut occideretur: quumque Pilatus homo Ethnicus, & à cognitione Legis & cognatione Patriarcharum alienus, pronuntiasset illum absolvendum, ut Regem vestrum, ut virum sanctum ac justum, vos qui ex Prophetis debebatis illum agnoscere, palam & constanter abnegastis eum apud prætorium Præsidis, dicentes: *Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Tantoque odio sæviſtis in illum, ut malueritis ad vestram postulationem vita donari Barrabam, latronem & seditiosum, qui vitam aliis abstulerat, quam Jesum, qui vitam omnibus adferebat.

15 Homicidæ impetrastis vitam, auctorem ac principem vitæ immortalis ad mortem adegistis. Sed hunc à vobis interfectum Deus, auctor omnis vitæ, revocatum à mortuis donavit immortalitate. Cujus rei nos testes sumus, quibus sese redivivum exhibuit conspiciendum, audiendum & contrectandum, quem & in cœlum vidimus adscendentem. Præcessit humilitas, quam vestra omnium causa assumserat, nunc subvectus in gloriam à Patre, virtutem suam exserit per nos, qui nihil aliud sumus, quam testes eorum, quæ vidimus & audivimus.

16 Ac per fiduciam, quam habemus in nomine ejus, hunc, quem videtis ambulantem, ac noviſtis fuisse claudum natum, Deus restituit integris pedibus. Nihil hic nobis laudis debetur, neque nostris me-

9 *Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum.*

10 *Cognoscebant autem illum, quod ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi: & impleti sunt stupore & extasi, in eo quod contigerat illi.*

11 *Cum teneret autem Petrum & Joannem, cucurrit omnis populus ad eos, ad porticum quæ appellatur Salomonis, stupentes.*

12 *Videns autem Petrus, respondit ad populum: Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare?*

13 *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus patrum nostrorum, glorificavit filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti.*

14 *Vos autem sanctum & justum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis:*

15 *Auctorem vero vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit à mortuis, cujus nos testes sumus.*

16 *Et in fide nominis*

Digitized by Google

ejus, hunc, quem vos vidistis, & nostis, confirmavit nomen ejus: & fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.

meritis tribuendum est, nec hujus qui restitutus est, sed ut dixi, Deus nomen Filii sui voluit esse glorioſum apud omnes, in quo vult omnes ſuam ponere fiduciam, & ſpem univerſæ ſalutis. Hæc fiducia reſtituit huic, ex nativitate debili, membrorum integritatem in conſpectu omnium veſtrum. Hæc non ſolum arguunt illum eſſe vivum, quem putatis mortuum, verum etiam declarant omnem ſalutis ſpem in uno illo collocandum:

17 Et nunc fratres scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri.

17 Nec eſt quod deſperetis, fratres, permiſſu conſilioque divino ſic factum eſt. Peccatum veſtrum aliqua ex parte excuſat ignorantia humana. Corporis enim imbecillitas obſtabat, quo minus agnoſceretis illius divinam potentiam, quam ne principes quidem veſtri perfecte noverant. Quam ſi pernoviſſent, nunquam induxiſſent in animum, omnis gloriæ principem in crucem ſuffigere.

18 Deus autem, quæ prænuntiavit per os omnium prophetarum, pati Christum suum, sic implevit.

18 Sic expediebat humani generis ſaluti, ſic Deus ab æterno definierat, ſic per os Prophetarum omnium prædixerat, futurum ut Meſſias, quem redimendis vobis poſtremo miſſurus eſſet, extrema pateretur. Non eſt mendax Deus, quem promiſerat ſe miſſurum miſit: quem voluit occidi, ſic, ut voluit, occiſus eſt. Hanc victimam voluit immolari peccatis omnium expiandis, per vos immolata eſt, non ſine culpa veſtra, ſed quæ ſit remittenda, ſi modo pœniteat erroris. Ita fiet, ut quod omnium bono peccaſtis, vobis quoque cedat in bonum.

19 Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata vestra:

19 Eſt autem facilis ac parata venia: tantum pœniteat malefactorum, non hujus tantum, ſed omnium, & ad vitæ novitatem convertamini: Jeſum, quem prius negaſtis, profiteamini Regem ac Principem univerſorum: quem ut nocentem damnaſtis, agnoſcite omnis innocentiæ fontem & largitorem: quem ad mortem adegiſtis, credite immortalitatis auctorem.

20 Ut cum venerint tempora refrigerii à conspectu Domini, & miserit eum, qui prædicatus est vobis, Jesum Christum,

20 Nunc veniæ tempus eſt, properate interim ad pœnitentiam, & invenietis miſericordiam, ut quum denuo venerit judicaturus vivos & mortuos, & Pater quem ſemel miſit humilem veſtra cauſa, denuo miſerit ſublimem in nubibus, bona fiducia ſuſtineatis faciem illius, quæ terribilis & intolerabilis erit his, qui non egerint pœnitentiam. Cæterum qui interim credentes in nomen Jeſu, quem & Prophetæ vobis ante multos annos prædicarunt, & nos juxta Prophetarum vaticinia de illo teſtificamur, pœnitentia deletis peccatis, per fidem illi ſeſe ſubjecerint, illic refocillationem invenient à juſto judice, qui per pœnitentiam ac fidem in ipſum promiſit ſalutem omnibus.

21 Quem oportet quidem cælum suscipere usque in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os sanctorum suorum à sæculo prophetarum.

21 Hactenus peracta ſunt, quæcunque peragenda Prophetæ prædixerant. Nec dubitandum eſt, quin ſimili fide Deus præſtiturus ſit & reliqua omnia, quæ pollicitus eſt. Rediturus eſt Jeſus Chriſtus, at non ſtatim rediturus eſt. Oportet enim prius per univerſum orbem prædicari Euangelium Dei. Interea ille glorioſus vivit, ſedet ac regnat in cœlis uſque ad tempus illud, de quo prædixit Johel & Malachias, quo reſtituentur & conſummabuntur omnia, perfectis cunctis, quæ Deus loquutus eſt per os ſanctorum Prophetarum ſuorum omnium quotquot à ſeculo fuerunt. Omnes enim de hoc uno vaticinati ſunt.

22 Moyses quidem dixit: quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tamquam me, ipsum audietis juxta omnia quæcunque locutus fuerit vobis.

22 Moſi graviſſima eſt apud vos auctoritas: ſiquidem hoc duce reliquiſtis Ægyptum, peragraſtis deſertum, accepiſtis Legem. Atqui is vobis hunc Jeſum Nazarenum, quem occidiſtis, promiſit, ita loquens in libro Deuteronomii: *Prophetam excitabit vobis Dominus Deus vester è fratribus vestris, mei similem, ipsum audietis in omnibus, quæcunque loquutus fuerit vobis.*

23 Erit autem: omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe.

23 *Futurum est autem, ut quisquis non audierit Prophetam illum, exterminetur è populo.* Agnoſcite Moſi vaticinium, agnoſcite verum Moſen, agnoſcite Jeſum Chriſtum, natum è ſtirpe David, è tribu Juda in civitate Bethlehem, juxta Prophetarum oracula. Hoc duce Deus vocat vos in libertatem æternam, per hunc defert novam legem ſpiritualem & Euangelicam, per hunc offert remiſſionem omnium peccatorum ac ſalutem æternam. Hunc ab omnibus vult audiri. Audit autem quiſquis credit. Quicunque crediderit, ſalvus erit, quicunque recuſet credere, ejectus è conſortio nomineque Iſraelitarum, peribit irrecuperabiliter. Extra Jeſum enim nulla eſt ſalutis ſpes. Si creditis Moſi, amplectamini Jeſum, quem ille vobis commendavit ſuo vaticinio.

24 Et omnes prophetæ à Samuel, & deinceps, qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos,

24 Nec ille tantum de Jeſu vaticinatus eſt, verum & omnes Prophetæ à temporibus Samuelis uſque ad Joannem Baptiſtam, vaticinia prodiderunt, deſcribentes illius nativitatem, doctrinam, miracula, afflictiones, ignominias, crucem, ſepulturam, reſurrectionem, adſcenſum in cœlum, emiſſionem Sancti Spiritus in univerſos credentes, quorum nihil non videtur eſſe factum, propagationem Euangelii per univerſum terrarum orbem, Dominique reditum glorioſum ad conſummationem mundi.

25 Vos estis filii prophetarum, & testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham: Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.

25 Quod ſi eſtis filii Prophetarum, de quo non injuria gloriamini, ne diffidite promiſſis illorum: ſi filii Patriarcharum, intelligite ad vos pertinere pactum, quod Deus pepigit cum Abraham, dicens: *Et per ſemen tuum benedictionem conſequentur familiæ terræ.* Hanc benedictionem non præſtitit in Iſaac, qui mortuus eſt, nec revixit, ſed in Jeſu Nazareno, cujus typum geſſit Iſaac, ſponte ſemet offerens ad immolationem, quemadmodum Chriſtus obediens Patri mactatus eſt in cruce. Hoc eſt ſemen Abrahæ, per quod non tantum omnes Iſraelitæ, verum etiam omnes totius orbis nationes, ſi crediderint Euangelio, liberabuntur à maledictione peccati, & hanc benedictionem conſequentur, ut accepto cœleſti Spiritu, vocentur filii Dei viventis.

26 Vobis primum Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis: ut convertat se unusquisque à nequitiis suis.

26 Ergo promiſſio Dei pertinet quidem ad omnes mundi nationes, ſed tamen hoc honoris vobis haberi voluit, ut vobis primis omnium offerretur, ac juxta Moſi prophetiam de gente veſtra ſuſcitaret ac mitteret vobis, non quemlibet Prophetam, ſed unicum Filium ſuum Jeſum, qui deferret benedictionem Abrahæ promiſſam à Deo. Hæc eſt autem benedictio, ut unuſquiſque parens Euangelico ſermoni, convertat ſeſe à malitia ſua, ac Jeſum ſalutis auctorem profiteatur.

CAP. IV.

Declaras Petre vim Jesu, sperniſque minantes,
Cumque tuis oras: propria nulla tenent.

1 Loquentibus autem illis ad populum, supervenerunt sacerdotes, & magistratus templi, & Sadducæi,

1 DVM Petrus cœleſtis orator, & Joannes illius collega, his atque hujuſmodi ſermonibus exhortarentur populum ad amplectendum Euangelium, nemini palpantes, ſuadentes teſtimonio Prophetarum, terrentes formidine futuri judicii, rurſum lenientes ac pellicientes facilitate paratæ veniæ, ac certitudine promiſſæ ſalutis, colloquium ſalutiferum interrumpunt ſupervenientes Sacerdotes, ac Magiſtratus Templi, cumque his Sadducæi.

2 Dolentes quod docerent populum, & annuntiarent in Jesu resurrectionem ex mortuis;

2 Sacerdotes ac Magiſtratus hoc habebat male, quod homines idiotæ in Templo regnarent, ac docerent populum, in quo non oportebat loqui niſi Rabbinos, Phariſæos ac Scribas, quodque tam magnifice prædicarent de Jeſu, quem ipſi veluti nocentem ad mortem adegerant, cujus nomen abolitum eſſe cupiebant. Sadducæos autem illud peculiariter urebat, quod prædicarent Jeſum à morte revixiſſe, quodque per hunc omnibus pollicerentur reſurrectionem: nam Sadducæi nec Angelos eſſe credunt, nec animas à morte corporis ſuperſtites. Proinde mentionem reſurrectionis non ferunt.

3 Et injecerunt in eos manus, & posuerunt eos in custodiam in crastinum: erat enim jam vespera.

3 Hîc rurſus oritur pugna Pontificum impiorum adverſus Euangelium, quod Jeſus ſuis diſcipulis prædixerat fore. Sed quemadmodum malitia, quo magis obluctata eſt, hoc magis illuſtravit gloriam Jeſu:

Digitized by Google

ita quo magis rebellant adversus Euangelii præcones, hoc vehementius erumpit vis Euangelici sermonis. Quid fit? Non disputatur, sed injiciuntur manus in Apostolos. Pertrahuntur in carcerem, producendi in diem crastinum. Tum enim appetebat vespera. Non deerat impia voluntas Sacerdotibus inibi statim occidendi discipulos Jesu, sed obstat rursum metus populi, & quæritur prætextus nefario sceleri, ut quod facerent, jure facere viderentur. Sed quemadmodum in Christum nihil valuit illorum malitia, nisi postea quam ipse mori voluit: ita in Christi discipulos nihil poterit illorum conspiratio, prius quam veniret ille dies, quem cuique præscripserat cœlestis Pater. Christus enim erat in Apostolis.

4 Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt: & factus est numerus virorum quinque millia.

4 Nec tamen fuit infrugifera concio duorum Apostolorum, licet interrupta per Sacerdotes. Multi siquidem ex his, qui sermonem Apostolicum audierant, persuasi crediderunt. Crescit sagena, dilatatur granum sinapis, spargit se vis Euangelici fermenti. Jam enim numerus credentium accreverat usque ad quinque virorum millia. Agnosce popularem esse rem Euangelium, qui cum raro convenit hujus mundi magnatibus. Agnosce successum Euangelicum. Primores ducuntur in carcerem, nec obluctantur ipsi, nec tumultuatur populus, nihil aliud doctus, quam obedire & fidere Christo.

5 Factum est autem in crastinum, ut congregarentur principes eorum, & seniores, & Scribæ in Ierusalem;

5 Postridie coit sceleratum concilium, nusquam concors nisi ad perdendum Jesum, & ad opprimendam veritatem. Conveniunt Sacerdotes cum Templi Magistratibus, simulque populi seniores cum Scribis Hierosolymitanis.

6 Et Annas princeps sacerdotum, & Caiphas, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere sacerdotali.

6 Ad hæc Annas summus Pontifex, & Cajaphas ob affinitatem huic adhærens, præterea Joannes & Alexander, tum inter Sacerdotes præcipui: denique quotquot erant ex genere Sacerdotali, in quo tum quo quisque erat auctoritate superior, hoc erat sceleratior.

7 Et statuentes eos in medio, interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine feciſtis hoc vos?

7 Atque hæc ipsa primorum tam anxia diligentia satis arguit rem non esse vulgarem, in qua coercenda tam sunt solliciti. Quid enim est quod sibi metuant à paucis, obscuris, & indoctis, hominis damnati & crucifixi discipulis? Producuntur è carcere Petrus & Joannes, statuuntur in medio tanquam rei. Quis idiota non obstupesceret conspecto concilio tam frequenti, tamque magnifico? Magno fastu considebant Pontifices & Sacerdotes religionis proceres: tum Magistratus, deinde seniores populi, nihil aberat auctoritatis. Inclementiam vero & iniquitatem judiciorum jam viderant in præceptore suo Jesu. Et tamen adstant serenis & intrepidis vultibus. Nimirum Dominus Jesus illis hæc omnia prædixerat eventura, & animos illorum adversus hujusmodi casus armaverat. Hic mihi rursus agnosce exemplum ejus judicii, quo damnatus est Jesus. Interrogatione captus est. Percunctantur igitur & hi de claudo restituto: *Qua virtute aut quo nomine facitis istud?* Poterant hoc in Templo scisciari prius quam eos ducerent in carcerem, poterant cum ipso populo didicisse: quandoquidem Petrus hujus facti dilucide reddidit rationem. Sed maluerunt auspicari à contumelia. Nec post quæritur veritas, sed lædendi captatur occasio. Erat hoc argumentum mox desituri Sacerdotii, quum pleni vitiis nihil haberent, quo tuerentur auctoritatem suam, nisi conjurata concilia, carceres & mortes.

8 Tunc repletus Spiritu sancto Petrus, dixit ad eos: Principes populi, & seniores audite;

8 Quid hîc agit Petrus ille, qui ad minas mulierculæ ancillæ ter abjuravit Dominum? Num expavescit? Num obortis tenebris obstupescit? Num vox faucibus hæret? Nihil horum. Quid ita? Nimirum alius erat factus. Tunc humano ductus spiritu, pollicebatur ingentia, ac mox oblitus temere promissorum, fugit & pejeravit: hîc autem plenus Spiritu Sancto, fortiter atque ex tempore causam peroravit, admirabili prudentia temperans oratio-

nem, ut nec libertas exiret in convitium, nec lenitas saperet adulationem aut metum, sed huc tenderet totius dictionis apparatus, ut per Jesum salus contingeret omnibus. Petrus itaque hunc in modum loquutus est. Principes populi & seniores audite:

9 Si nos hodie dijudicamur in beneficio hominis infirmi, in quo iste salvus factus est,

9 Equidem demirabar quamobrem essemus jussi duci in carcerem, quum nobis nullius essemus facinoris conscii, quandoquidem principes non nisi ob malefacta solent homines in carcerem ducere. Nunc si, ut video, nullum crimen intenditur, neque maleficium objicitur, sed de beneficio collato in hunc hominem antea debilem & contractum, nunc sanum & integrum, examinamur, non gravabor vobis reddere rationem. Est enim hoc nostri muneris, omnibus placide reddere rationem de fide Euangelica, si quis cupiat discere.

10 Notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israel: quia in nomine Domini nostri Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit à mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus.

10 Proinde notum sit hoc omnibus vobis, qui primores estis, nec vobis tantum, sed & universo populo Israelitico: quod enim docemus ad omnium salutem pertinet, sive Principum, sive plebejorum: quod hic quem videtis adstare nobiscum membris integris ac sanis, quum omnibus notum sit, antehac à bajulis gestari solitum, beneficium hoc nec arte magica, nec humana virtute, nec nostris meritis fuerit consequutus, sed per invocationem Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos ante dies paucos per Pontium Pilatum adegistis in crucem. Verum, hunc Deus susitavit à mortuis, & immortalitate donatum præfecit universis. Itaque nunc nominis illius vis idem agit in sanandis & servandis hominibus, quod ipse præsens agere consuevit in terris.

11 Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli;

11 Nimirum hoc est, quod prædixit Psalmi prophetia de lapide ab hominibus rejiciendo, sed à Deo subvehendo: *Hic est enim lapis ille, qui reprobatus est à vobis ædificantibus* Synagogam. Unde vos illum ceu reprobum ejecistis, sed à Deo factus est caput anguli, suo robore totum ædificium Ecclesiæ, ex utroque populo Gentium & Israelitarum ædificandæ complexurus.

12 Et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.

12 Per hunc Pater cœlestis offert salutem omnibus, nec est cuiquam ulla salutis spes nisi per Jesum. Scio apud vos gravem ac sacrosanctam esse auctoritatem Mosi, Patriarcharum & Prophetarum. Sed ita visum est Patri, ut per solum Filium suum omnibus sit parata salus, unde & Jesum appellari voluit. Nec enim datum est aliud nomen sub cœlo, nec dabitur aliud, per quod oporteat salvos fieri. Non est igitur quod miremini, tantum in hoc claudo valuisse nominis hujus invocationem, quum hujus virtute sit parata salus æterna omnibus ipsum invocantibus.

13 Videntes autem Petri constantiam & Ioannis, comperto quod homines essent sine litteris, & idiotæ, admirabantur, & cognoscebant eos, quoniam cum Iesu fuerant:

13 Hæc ubi loquutus est Petrus, quotquot erant in eo concilio, perspecta libertate constantiaque Petri & Joannis, quæ sese ipso etiam vultu proferebat, compertoque, quod homines essent illiterati ac plebeji, admirabantur, unde tantum fiduciæ, unde tantum eloquentiæ, unde Prophetarum cognitio. Denique cœperunt eos agnoscere, quod fuissent assectatores Jesu, quem per invidiam occisum fuisse, ipsi sibi erant conscii. Magnum scrupum injiciebat animis illorum, tam imperterrita plebejorum & illiteratorum hominum libertas, quos nec Domini supplicium, nec tam celebris concilii splendor & auctoritas vel tantillum commoveret.

14 Hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere.

14 Conspiciebant hominem ipsum adstare toti populo notum, qui natus insigniter claudus, jam alacriter ambularet. Res erat peracta subito, nec in occulto, sed pro Templi foribus, non magicis artibus, sed invocatione nominis Jesu, quem illi jam putabant exstinctum. Factum erat evidentius, quam ut negari posset. Nec erat calumniandi occasio. Quid enim favorabilius, quam misero gratis dare sanitatem? Nihil itaque respondent Apostolis, nec enim erat quod responderent, quandoquidem quod fa-

Digitized by Google

factum erat, nec refellere poterant, nec probare volebant.

15 Jusserunt autem eos foras extra concilium secedere: & conferebant ad invicem,

15, 16 Proinde jussis Apostolis una cum sanato è concilio secedere, consultant inter sese, conferuntque consilia, dicentes: *Quid faciemus hominibus istis*, quamlibet litterarum rudibus ac plebejis? *Quandoquidem hoc insigne miraculum per illos editum esse, notius est omnibus habitantibus Hierosolymis, quam ut infitiari possimus.* Si negemus factum, nihil aliud lucrifaciemus, quam impudentiam: si damnemus ac puniamus, videbimur inclementes & iniqui, ac magis etiam populum in nos irritabimus.

16 Dicentes: Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos, omnibus habitantibus Ierusalem: manifestum est, & non possumus negare.

17 Nihil superest, nisi ut mitiore consilio utentes, curemus ne malum hoc, utcunque natum, latius serpat ac divulgetur in populum. Solent enim hujusmodi pestes semel natæ, si exagites, invalescere, latiusque grassari, quam si negligantur. Consultum itaque videtur, ut abstineamus à supplicio, sed atrocibus minis territemus eos, ne posthac cuiquam hominum, neque Judæo, neque alterius nationis verba faciant de nomine Jesu. Hæc sententia, qua nulla dici potuit stultior, placuit toti concilio, & in hanc itum est pedibus magno consensu. Jam conspexerant constantiam ac fortitudinem Apostolorum. Videbant rem esse notam toti populo, intelligunt illud nomen Jesu, tam efficax, tamque salutiferum esse. Quanam igitur fronte jubent aut sperant posse supprimi, præsertim, quum ipsis per idem nomen liceat assequi salutem æternam? Nimirum talia sunt consilia Principum & Pontificum, Sacerdotum ac primorum, quoties humano spiritu cogitur concilium. Sunt & illic nonnunquam qui quid rectum sit perspiciant, verum id si sequantur, vident paratam jacturam suæ gloriæ, dispendium rei, aut aliud hujus generis incommodum.

17 Sed ne amplius divulgetur in populum, comminemur eis, ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum.

18 Et vocantes eos, denuntiaverunt ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Jesu.

18 Comprobata suffragiis omnium hac sententia, revocantur Apostoli, denuntiatur illis totius concilii nomine, ne quem mortalium, vel clam, vel palam, vel publice, vel privatim, vel domi, vel foris docerent Jesu doctrinam, aut omnino mentionem ejus nominis facerent. O stultam mundi sapientiam! Exstinctum in sepulchro retinere non potuerunt, & nomen, quod semper à morte solet inclarescere, conantur sepelire.

19 Petrus vero & Joannes respondentes, dixerunt ad eos: Si justum est in conspectu Dei vestro audire vos magis quam Deum, judicate:

19 Petrus & Joannes, ubi magna cum auctoritate recitatum esset concilii decretum, fortiter quidem, sed citra contumeliam responderunt: *An justum sit in conspectu Dei vestris jussis obtemperare potius quam Dei, vos*, qui Legis præcepta tenetis, *judicate.* Sic Deus per ora Prophetarum futurum prædixit, sic Christus Dei Filius nobis præcepit, sic Spiritus cœlestis, quem ille se nobis à Patre missurum promiserat, animis nostris dictat ac suggerit, ut ad salutem omnium prædicemus nomen Domini Jesu Christi, testificantes quæ vidimus & audivimus.

20 Non enim possumus quæ vidimus & audivimus non loqui.

20 Si quod rectum est judicaveritis, submittetis & vos ipsos judicio divino. Sin secus, quicquid de nobis statueritis, nos certe non possumus non loqui, quod oculis vidimus, quod auribus audivimus, & quod Deus, omnibus hominibus præferendus, vult apud omnes prædicari.

21 At illi comminantes dimiserunt eos: non invenientes quomodo punirent eos, propter populum, quia omnes glorificabant id quod factum fuerat in eo quod acciderat.

21 Hoc responso tam masculo, tamque libero accepto, consultores illi nihil aliud quam minantur, ac territare conantur. O deploratum concilium! non habent argumenta, quibus persuadeant: non habent rationes, quibus coarguant: non habent testimonia Scripturarum, quibus doceant. Tota auctoritas in minis est. O semper timidam impiorum conscientiam! Cupiebant punire innocentes, aderat perversa voluntas, sed principes metuunt plebejos, magistratus privatos, tam multi paucos, armati inermes, docti indoctos. Non habent Apostoli satellitium, non conjuratos dignitatum ordines. Sed habent quiddam, quod nulla potestas mundi præstare valet: *In nomine Jesu surge & ambula.* Ad benefaciendum potentes sunt, ad lædendum inermes. Itaque Apostoli ex eo concilio tum quidem dimissi sunt, minis onusti. Non enim primores deposuerant animi malitiam, sed differebant, occasionem aliam venaturi. Non enim inveniebant rationem puniendi eos, idque ob populum, quem Deo contemto metuebant. Omnes enim laudibus vehebant id, quod factum erat in sanando claudo.

22 Annorum enim erat amplius quadraginta homo, in quo factum fuerat signum istud sanitatis.

22 Et hoc factum apud omnes erat evidentius, quod is, in quo proditum est hoc miraculi, natu major esset annis quadraginta. Sic natus erat, & tot annis ostentarat mendicus suum malum, ut nemo calumniari posset, vitium fuisse simulatum aut leve.

23 Dimissi autem venerunt ad suos, & annuntiaverunt eis, quanta ad eos principes sacerdotum & seniores dixissent.

23 Petrus autem & Joannes dimissi à concilio redierunt ad suos, congregatos in cœnaculo, jam de eventu sollicitos: atque illis exposuerunt rem omnem ordine, quid objecissent principes, quid ipsi respondissent.

24 Qui cum audissent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, & dixerunt: Domine, tu es qui fecisti cælum, & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt:

24 Hîc verò mutua caritas gaudia cumulavit. Gaudebant discipuli dimissos Apostolorum proceres. Gaudebant Apostoli, gaudium hoc discipulis benignitate Domini contigisse. Sic Deus omnia temperat suis famulis, ut læta tristibus misceat, quo possint sustinere, utque vicissim pro lætis agant gratias, pro tristibus Dominum deprecentur. Cœtus itaque posteaquam audisset narrationem Apostolicam, magno consensu sustulit voces suas ad Dominum, cujus beneficio cœpisset succedere res Euangelica, dicens: Domine Deus omnipotens, qui verbo tuo condidisti cœlum, terram ac mare, & quicquid in his est:

25 Qui Spiritu sancto per os patris nostri David, pueri tui, dixisti: Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania?

25 cujus sanctissimæ voluntati nulla vis hominum potest resistere:

25 Cujus æterna decreta nulla potest hominum conspiratio labefactare, quod nunc fieri videmus, hoc olim Spiritus tuus Sanctus per os Patriarchæ nostri David tui cultoris, proloquutus est futurum, dicens: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania?*

26 Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus?

26 *Adstiterunt Reges terræ & Principes convenerunt in unum adversus Dominum & adversus Christum ejus.*

27 Convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum Gentibus, & populus Israel,

27, 28 Agnoscimus fidem vaticinii. Quod ille Spiritu tuo afflatus vidit futurum, hoc nos reipsa & factum & fieri videmus. Vere enim in hac civitate, quæ pietatis habet professionem, adversus omnis pietatis magistrum ac ducem sanctum Filium tuum Jesum, quem tu unxeras unctione cœlesti: convenerunt terreni Reges Herodes & Pontius Pilatus, una cum gentibus & populis Israel, impiis consiliis agitantes, ut ea facerent, quæ tu invincibili virtute tua, & æterno consilio tuo decreveras, ut ad salutem humani generis fierent. Quisquis autem conspirat adversus Filium tuum Jesum abs te missum, is conspirat adversus te.

28 Facere quæ manus tua & consilium tuum decreverunt fieri.

29 Et nunc Domine respice in minas eorum, & da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum,

29 Et ecce rursus coit concilium frequens primorum adversus sanctum nomen Filii tui Jesu. Tu vero quemadmodum Jesum ab illis interfectum excitasti à mortuis, & in cœlos ad regni consortium subvexisti, irrisis illorum consiliis, ita nunc quoque adspice in minas illorum, ne prævaleant, sed da servis tuis robur ac fiduciam, ut summa constantia proloquantur sermonem Euangelicum, qui tuus est, non hominum, nimirum nobis abs te per Filium tuum delatus in terras:

30 in eo quod manum tuam extendas ad sanitates, & signa & prodigia fieri per nomen sancti filii tui Jesu

30 Et quemadmodum claudi sanati miraculum plurimos attraxit ad professionem nominis Jesu, conjuratos autem adversus Jesu gloriam principes terruit, ita & in posterum adsit illis manus tua omnipotens, ut sanandis & aliis, ac similibus miraculis & prodigiis edendis per nomen sanctum Filii tui Jesu, clarius ac latius eluceseat Euangelii tui gloria; fruſtra frementibus his, qui tibi tuoque Filio rebellant.

31 *Et cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati: & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia.*

31 *Hæc quum* unanimiter *essent precati, commotus est locus, in quo erant congregati.* Nam eo signo Dominus indicabat preces exauditas, ac vota rata fore. Nihil enim tam efficax quam deprecatio consentientis Ecclesiæ. Siquidem magna vis sit oportet, quæ terram immobilem concutiat. Non erat hoc inane signum, illico renovatus & auctus est in omnibus vigor Sancti Spiritus, adeo ut non solum ob minas principum non celarent Euangelicam doctrinam, verum etiam liberius ac fortius, atque etiam plures quam ante, prædicarent nomen Domini Jesu. Hæc est enim natura profectus Euangelici, ut sicuti crocum & alia nonnulla per injuriam felicius proveniunt, ita adversus opprimentem mundum magis insurgat & eluctetur.

32 *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.*

32 Jam intra paucos dies accreverat ingens numerus profitentium nomen Jesu. Et ut intelligas hanc conspirationem non esse humanam, inter tam multos nulla erat ambitio, nulla invidia, nullæ rixæ, nulla contentio, sed tantus erat consensus, tanta tranquillitas, ut diceres, omnibus esse cor unum, & animam unam. Jam enim deserant suo quisque duci spiritu, qui tam varius est in hominibus, ut ægre reperias duos germanos, qui inter sese consentiant. Sed uno Spiritu Jesu reguntur omnes. Hinc ille tantus consensus tot hominum, alioqui sexu, ætate, fortunis inter sese dissimilium, ut non solum illa essent omnium communia, quæ sine dispendio impartientis communicari solent, quod genus sunt doctrina, consilium, admonitio, consolatio, exhortatio, verum etiam facultates, quæ dispendio possessoris communicantur aliis, & ideo vix invenias, qui sustineant hîc esse liberales. Inter hos autem harum quoque rerum tanta erat communio, ut nemo ex his, quæ possidebat, vel diceret aliquid esse suum. Proinde qui de suis facultatibus impartiebat, nihil gratiæ reposcebat ab his, quibus communicabat, quod id, quod dabatur, judicaret esse ejus, cui erat opus, sibique raptor & iniquus videretur, si quid apud se detinuisset, quod fratris egestas postulabat.

33 *Et virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri: & gratia magna erat in omnibus illis.*

33 Apostoli vero, qui hujus novæ civitatis velut principes erant, inopes rerum, sed Spiritus Sancti dotibus opulenti, in dies magis ac magis augebant multitudinem, ingenti animi robore, magnaque potentia miraculorum testificantes de resurrectione Domini nostri Jesu Christi. Hoc enim in primis erat testimonio miraculorum persuadendum. Nam morientem plerique viderant, & sepultum non pauci noverant.

34 *Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant,*

34,35 Itaque sub fortissimis ducibus novus ille populus felicissime degebat, concordia farciente quod deerat facultatibus. Quum enim essent plerique tenues, tamen nullus erat inter illos egens. *Quotquot enim erant possessores agrorum aut adium, divendebant ac pretia rerum venditarum adferebant ac deponebant, ad pedes Apostolorum*, ut illorum arbitrio, quos habebant patrum loco, res communis distribueretur. Porro quanta erat simplicitas in his, qui pretia possessionum suarum adferebant, tanta erat sinceritas in his, qui distribuebant. Rara est inter pecuniarum dispensatores fides. Hîc nullo delectu personarum pro cujusque necessitate distributio peragebatur.

35 *Et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebant autem singulis prout cuique opus erat.*

36 *Ioseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis (quod est interpretatum Filius consolationis) Levites, Cyprius genere,*

36 In hac multitudine erat Joseph, cui cognomentum ab Apostolis additum est Barnabas, quod apud Syros sonat, *filius consolationis*, genere Levites, patria Cyprius. Hic quoniam magnis dotibus inter cæteros eminebat, unde ob gaudium, quod ex hujus accessu contigit multitudini, dictus est Barnabas, multis exemplo fuit, ut Euangelicam imitarentur liberalitatem.

37 *Cum haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum.*

37 *Quum* enim *haberet* in Cypro *fundum, vendidit illum, & attulit pretium ac deposuit coram pedibus Apostolorum*, veluti rem vilem & adspernandam. Tanta autem erat Apostolorum sanctitas, ut hinc sibi nihil decerperent præter cæteros.

CAP. V.

Exspirant duo mendaces: juvat umbra: recluſi
Quæruntur: loqueris non male Gamaliel.

1 *Vir autem quidam nomine Ananias, cum Saphira uxore sua, vendidit agrum,*

QUEMADMODUM autem Barnabæ simplicitas multos commovit ad liberalitatis æmulationem, ita paratum est exemplum ad deterrendos omnes, ne quis in negotio spirituali fraudulentiam admisceret. Amat enim Spiritus simplicitatem cordis, & odit omnem fucum ac simulationem. Sic inter duodecim Apostolos paratum est exemplum Judæ, ne sibi quisquam fideret, sed omni sollicitudine perseveraret in officio. Erat autem in hac multitudine vir quidam nomine Ananias, parum respondens suo nomini, propterea quod ipse parum responderet gratiæ Dei. Huic erat uxor nomine Saphira, marito similis. Ananias igitur, quum videret aliorum simplicem ac spontaneam benignitatem apud omnes laudibus vehi, gloriæ studiosior quam pietatis, vendidit agrum suum:

2 *Et fraudavit de pretio agri, conscia uxore sua: & afferens partem quandam, ad pedes Apostolorum posuit.*

2 Ac pretii portionem aliquam detraxit ac sepposuit, idque conscia & approbante uxore, veluti partiens pecuniam, ut altera parte mercaretur laudem & opinionem pietatis, alteram sibi servaret, si qua necessitas incideret: nimirum diffidens Spiritui Sancto, magisque sibi prospiciens, quam fratrum contubernio: sic cogitans apud sese, si cæteri periclitabuntur fame, mihi certe prospectum est. Hæc cogitatio nec erat toto pectore fidentis Christo, qui pollicitus erat nihil defuturum quærentibus regnum Dei & justitiam ejus, nec erat habentis cor unum & animam unam cum cæteris.

3 *Dixit autem Petrus: Anania, cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri?*

3 Quum igitur ex pretio divenditi agri partem aliquam pretii attulisset ad pedes Apostolorum, Petrus afflatu Spiritus Divini, quo plenus erat, intelligens hominis impiam simulationem, ait: Anania, quum te semel Spiritui Sancto dedicaris, quumque hujus vim tot argumentis perspexeris, cur rursum implevit animum tuum Spiritus Satanæ, ut mendacio velut illudens Spiritui Sancto, qui falli non potest, furtim detraheres de pretio fundi tui, & istud omnium pernicioſissimum exemplum induceres in hanc congregationem? Si nos nolentem impulissemus te ad vendendum agrum tuum, erat fortasse cur simulares, nunc quum ultro feceris quod fecisti, quorsum attinebat benignitatis exemplum fuco simulationis vitiare?

4 *Nonne manens tibi manebat, & venumdatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo.*

4 Nonne prorsus tibi manebat fundus tuus si voluisses? Nonne etiam posteaquam vendideras, licebat totum pretium servare tibi? Laudatur eorum simplicitas, qui sponte quod habent proferunt in medium. Nemo vero cogitur à nobis id facere, si nolit. Unde igitur induxisti in animum facere fucum in hoc negotio? *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Quod si Deum credis posse falli, impie de illo sentis. Sin credis illum nihil latere, aut contemnis illius justitiam, aut putas favere fraudulentiæ.

5 *Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit & expiravit. Et factus est timor magnus super omnes qui audierunt.*

5 Ananias autem sentiens, animi sui fraudulentiam nequaquam fugere Apostolos, objurgatione tam severa perculsus, subito concidit & exspiravit. Periit unus, ut multorum saluti consuleretur. Nam hujus facti rumor ubi permanavit ad cæteros, omnibus magnum terrorem injecit, ne quid simile auderent adversus Spiritum Sanctum.

6 *Surgentes autem juvenes amoverunt eum, & efferentes sepelierunt.*

6 Juvenes autem surgentes amoverunt cadaver, & elatum sepelierunt. Non merebatur ille sepulturam, sed amovendus erat, ne funestaret puram & sanctam congregationem. Fortassis succurret hîc alicui demirari Petri austeritatem in Ananiam, qui tanta lenitate dudum ad veniam invitarit eos, qui crucifixerant Jesum, tribuens ignorantiæ, quod factum erat, & offerens pœnitentibus salutem æternam. Hîc ob

Digitized by Google

ab paululum pecuniæ detractum à benignitate, sæva objurgatio, nec ulla veniæ spes ostenditur. Nimirum Dominus Jesus, qui per baptismum universos homines invitari jusserat ad salutem, condonatis peccatis omnibus, paucorum exitio docere voluit, quanto gravius sit post acceptam Euangelii gratiam ac lucem relabi in peccatum, non jam per incogitantiam aut insciitiam, sed per destinatam simulationem. Sciebat autem præcipuam Euangelicæ sinceritatis pestem ex hypocrisi & avaritia nascituram; & ob id in ipso statim Ecclesiæ nascentis exordio editum est exemplum insigne: per quod admonerentur omnes, neminem evitaturum ultionem divinam, quisquis Ananiam imitaretur, etiamsi hîc non statim nocentem sua pœna corriperet. Non enim hîc agebatur de jactura pretii, sed de diffidentia erga Deum, de irrisione Spiritus Sancti. Petrus autem non inflixit pœnam, sed objurgationis infudit acrimoniam, ut sanaret. Ille vero nec prorumpens in lachrymas, nec pœnitentiæ vocem edens, ultione divina percussus est. Ac mira Dei clementia, percussus est unus, ut servarentur multi. Justitiæ exemplum est editum in eum, qui periit: misericordiæ donum effusum est in plurimos, qui hujus exemplo caverunt à peccando.

9 Factum est autem quasi horarum trium spatium, & uxor ipsius, nesciens quod factum fuerat, intravit.

8 Dixit autem ei Petrus: Dic mihi mulier, si tanti agrum vendidistis? At illa dixit: Etiam tanti.

9 Petrus autem ad eam: Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum, ad ostium; & efferent te.

10 Confestim cecidit ante pedes ejus, & expiravit. Intrantes autem juvenes, invenerunt illam mortuam, & extulerunt, & sepelierunt ad virum suum.

11 Et factus est timor magnus in universa ecclesia, & in omnes qui audierunt hæc.

12 Per manus autem Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe. Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis.

13 Ceterorum autem nemo audebat se conjungere illis: sed magnificabat eos populus.

7 Interceſſerat trium ferme horarum intervallum, & ecce conjunx Ananiæ, neſciens quid accidiſſet marito, ut homines fere domeſtica mala ſua reſciſcunt ultimi, ingreſſa eſt, conſcia fraudulentiæ mariti, falſæ laudis portionem ſibi quoque vindicatura:

8 Cujus impiis cogitationibus reſpondens Petrus, ait: *Dic mihi*, mulier, *num tanti vendidiſtis agrum*, & non pluris, quam hoc habet pretium? Illa nimium marito ſimilis, impudenter reſpondit: *Etiam*, *tanti vendidimus.*

9 Tum Petrus ad illam: Quid ita conſpiratum eſt inter te & maritum tuum, ut mendacio tentaretis non nos, ſed Spiritum Domini, quem videtis operantem in nobis? Quoniam autem tibi libuit eſſe ſociam marito in hac impia ſimulatione, eris & ſupplicii conſors. *Ecce pedes eorum, qui ſepelierunt virum tuum, adſunt ad oſtium, iidem efferent te.*

10 *Ad hanc vocem illico collapſa* mulier *exſpiravit. Simul ingreſſi ſunt juvenes, ac repererunt mulierem mortuam. Extulerunt igitur eam, ac ſepelierunt juxta virum ſuum.* Severum exemplum, ſed ſalutiferum, nec ſæpius quam ſemel ab Apoſtolis proditum. Quanquam Petrus, quo nihil erat mitius, non hîc inflixit ſupplicium, ſed afflatus Spiritu denuntiavit. Petrus tum inſtinctu divini Spiritus ſciebat, quid eſſet actum, & quid eſſet futurum. Deus autem quem nihil fugit, pœnam ſumturus eſt de his, qui fuco illudunt viris Apoſtolicis, etiamſi tales ſint, ut falli poſſint. Nec enim hoc donum Spiritus, quod tum aderat Petro, perpetuum eſt omnibus.

11 Nunc vide mala ex re bonum fructum. Ex duorum juſto interitu, ingens timor obortus eſt per univerſam Eccleſiam credentium, quin & alios, qui nondum crediderant, hujus exempli terror invaſerat.

12 Cæterum per Apoſtolos multa & magna miracula prodebantur apud populum, quo perſpicuum eſſet omnibus, rem non eſſe virium humanarum, ſed virtutis divinæ. Quotquot autem adhæſerant Euangelio, verſabantur unanimiter in porticu, quæ dicitur Solomonis. Non enim jam latere cupiunt, ſed tempus erat, ut candela impoſita candelabro luceret omnibus ingredientibus domum.

13 Cæterorum autem, qui nondum dederant nomen in baptiſmo, nullus audebat ſe illis conjungere. Videbant enim populum Deo ſacrum, ac religione quadam abſtinebant ab illorum congreſſu, quemadmodum ſolent profani ab his, quæ Templo dicata ſunt, temperare. Nec enim oderat eos populus, ſed ob inſignem Dei virtutem in illis refulgentem ſuſpiciebat ac reverebatur. Quanquam & Ananiæ Sapphiræque exemplum multis incuſſerat terrorem, ne quis ficte ſemet adjungeret.

14 Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum,

15 Ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.

14, 15 Porro magis ac magis in dies accreſcebat multitudo credentium Domino, virorum ſimul ac mulierum, in tantum ut vulgo in plateas exponerent ægrotos, quique pedibus ſuis ingredi non poterant ob morbi magnitudinem, eos in lectulis ac grabbatis proponebant in publicum, ut adveniente Petro, vel umbra prætereuntis obumbraret aliquem illorum. Nimirum his exhibita eſt promiſſio Domini Jeſu, qui de diſcipulis dixerat: *Et his majora facient.* Contactu fimbriæ Jeſus ſanavit aliquot, umbræ contactu neminem ſanavit.

16 In dies latius ſeſe ſpargebat miraculorum fama, adeo ut ex vicinis quoque civitatibus magna vis hominum accurreret Hieroſolymam, adducens ſecum variis morbis obnoxios, & ab impuris Spiritibus vexatos, qui ſanabantur omnes. In tam admirabili rerum ſucceſſu convenit obſervare invictam Apoſtolorum modeſtiam, qui nihil hinc ſibi vindicabant gloriæ, ſed laudem univerſam in nomen Domini Jeſu referebant.

16 Concurrebat autem & multitudo vicinarum civitatum Ierusalem, afferentes ægros, & vexatos à spiritibus immundis: qui curabantur omnes.

17 Quum igitur hunc in modum feliciter inclareſceret nomen Jeſu Chriſti, ſeſeque quotidie latius diffunderet Euangelicæ doctrinæ fragrantia, non tulit veræ religionis incrementum falſæ religionis antiſtes Annas. Huic præter cæteros potiſſimum adhærebant, qui pertinebant ad ſectam Sadducæorum, quod præcipua teſtificatio Apoſtolorum erat de reſurrectione Domini noſtri Jeſu Chriſti. Quæ res mitiores fecerat Phariſæos, qui reſurrectionem aſſerunt adverſus Sadducæos.

17 Exurgens autem princeps sacerdotum, & omnes qui cum illo erant (quæ est hæresis Sadducæorum) repleti sunt zelo:

18 Decretum erat, ut res orta, diſſimulatione conſopiretur. Sed malitia vicit conſilium, ac furor metum excuſſit. Nam Sacerdotum princeps commotus zelo Satanæ, una cum Sadducæis manus injecit in Apoſtolos, ac poſuerunt illos non jam in privato carcere, velut examinandos, ſed in publico tanquam in manifeſto ſcelere deprehenſos. Delectus erat carcer inſigniter munitus, ne qua poſſent elabi, neve per tumultum plebis eripi.

18 Et injecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia publica.

19 Verum Euangelicus ſermo nec vinciri, nec includi poteſt conſiliis humanis: Jeſus enim, qui protector eſt ſuorum, miſit Angelum ſuum, qui noctu reſeratis carceris foribus eduxit illos, & ait:

19 Angelus autem Domini per noctem aperiens januas carceris, & educens eos, dixit:

20 Ne quid vos perturbet Sacerdotum malitia, quin potius tanto conſtantius, qua cœpiſtis, pergite. Ite, & in ipſo Templo ſtantes prædicate populo, quicquid vobis mandavit prædicandum apud univerſas orbis nationes. Erat aliquando tempus, quum ſe vetaret prædicari Chriſtum. Nunc adeſt illud tempus, de quo vobis dixerat: *Nihil occultum, quod non revelabitur: & quæ nunc in aurem auditis, prædicate in tectis.*

20 Ite, & stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus.

21 Hac exhortatione Angeli, facti animatiores Apoſtoli, diluculo veniunt in Templum, atque ex more docent frequentem multitudinem. Summus autem Pontifex ignarus, quid geſtum eſſet noctu per Angelum, adjunctis ſibi Sadducæis, & quos habebat certos ſuæ ſententiæ ſuffragatores, venit in concilii locum. Eo convocatum eſt univerſum concilium Sacerdotum, & Magiſtratuum una cum toto ordine ſeniorum gentis Iſraeliticæ. Jam enim ob contumaciam facti irritatiores decreverant atrocius aliquid in eos ſtatuere. Atque hîc interim conſidera, lector, malitioſam impudentiam Sacerdotum, qui quum nihil haberent, quod merito criminarentur in Apoſtolis, tamen frequenti concilio peragunt, quicquid libuit, ut quod erat impium, hoc ipſo juſtum ac rectum videretur, quod totius concilii conſenſu decretum fuiſſet. Ubi magnifice ſuo quiſque loco conſedere proceres, miſſi ſunt viatores, qui

21 Qui cum audissent, intraverunt diluculo in templum, & docebant. Adveniens autem princeps sacerdotum, & qui cum eo erant, convocaverunt concilium, & omnes seniores filiorum Israel: & miserunt ad carcerem ut adducerentur.

Digitized by Google

qui reos è carcere eductos sisterent in consessu.

22 Ventum est ad carcerem, reperti sunt custodes ad ostium carceris excubantes. Apertum est ostium. Ingressi nullum Apostolorum repererunt: nec ullum vestigium, qua fuissent elapsi.

23 Itaque ministri reversi ad concilium, quod viderant renuntiant. Carcerem quidem, inquiunt, invenimus summa diligentia clausum, & custodes adstantes ad ostium. Cæterum ubi patefacto ostio sumus ingressi, neminem illic offendimus.

24 Ea res vehementer perturbavit omnium animos, præsertim eorum, qui Magistratus erant Templi ac Sacerdotum principes, jamque ancipites consilii ambigebant, quorsum hæc res esset evasura.

25 Interea dum hærent, dum consultant, dum trepidant, intervenit quidam, qui tristi nuntio magis etiam illorum animos perturbaret: *Ecce*, inquiens, *viri illi, quos* heri *inclusistis carceri, nunc in Templo stant ac docent frequentem populum.*

26 Tum ex Sacerdotum sententia Magistratus Templi, quoniam ad ipsos proprie pertinebat curare, ne quid fieret in Templo secus quam oporteret, abeunt in Templum, adjuncto sibi satellitio ministrorum adversus vim populi. Reperiunt id quod erat nuntiatum, stantes illos in Templo, ac frequenti multitudini concionantes de Jesu. Non tamen injiciunt manus, quemadmodum ante fecerant. Videbant enim numerosam populi multitudinem: ac metuebant, ne si quis tumultus fuisset exortus, lapidarentur. Sed nec talis erat illa multitudo, ut vim pararet, nec tales Apostoli, ut vi defendi cuperent. Aderat infracta animi constantia, sed absque ferocia.

27 Vident eos, per quos pridie fuerant ducti in carcerem. Nec sibi tamen metuunt, nec fugiunt, nec sermonem Euangelicum interrumpunt, donec Magistratus illis placido sermone persuaderet, ut venirent in concilium. Paruerunt Apostoli, ne publicam potestatem viderentur contemnere. Dominus enim non docuerat illos, ne irent vocati, sed ut intrepide loquerentur. Ventum est in concilium, statuuntur in medio tam magnifici consessus, duo piscatores, cum simili comitatu. Tum Annas, Sacerdotum omnium princeps, magna cum auctoritate, nec minore supercilio, sic exorsus est:

28 Nonne proximo concilio ex tantorum virorum auctoritate etiam atque etiam præcepimus vobis, ne pergeretis docere populum, aut ullam nominis Jesu, quod abolitum esse volumus, mentionem faceretis apud ullum hominem, nec exterum, nec Judæum, nec publice, nec privatim? Et ecce contemta totius auctoritate concilii, non solum non fuistis, verum etiam tanto vehementius prædicastis, adeo ut impleveritis totam Hierosolymam vestra doctrina, rumore eorum, quæ facitis, ad finitimas etiam civitates pervagante. Vultis igitur malitioso studio nobis impingere invidiam mortis hominis istius. Prædicatis enim palam illum per nos occisum, id quod negari non potest. Eundem prædicatis justum & sanctum ac Deo probatum, & in nomine illius editis miracula, nos videlicet apud multitudinem traducentes & condemnantes impietatis, qui talem ad mortem adegerimus. Hæc erat oratio summi Pontificis, quæ nihil habet justæ defensionis, tantum auctoritate territat, ut quod verum erat, & ob salutem omnium omnibus prædicandum, ob impiorum gloriam sileretur.

29 Nunc contra audiamus piscatorem & Euangelicum Pontificem fortissime quidem, sed admixta mansuetudine respondentem Apostolorum omnium nomine: Magnifice Pontifex, inquit, Magistratus, seniores, reliquique viri præclari, qui considetis in hoc concilio, nos vestram auctoritatem nequaquam contemnimus, sed auctoritatem divinam humanæ præferimus, idque nos esse facturos respondimus, quum nobis interdiceretis, ne nominis Jesu mentionem faceremus. Neque puto quenquam esse in hoc concilio, qui putet æquum esse, ut ob hominum interdicta negligamus jussa Dei, & dum metuimus iram vestram, incurramus in iram Dei. Si vestra jussa consentirent cum voluntate Dei, libenter & vobis & illi satisfaceremus. Nunc quum interdicta vestra prorsus pugnent cum illius edictis, quoniam utrisque satisfacere non possumus, malumus obedire Deo quam hominibus. Neque cuiquam invidiam per nomen Jesu conflare cupimus, sed omnibus conciliare salutem. Ac vobis etiam magis expedit, ut vestram auctoritatem submittatis voluntati divinæ, quam ut nos huc adigatis nolentes, ut divinæ voluntati repugnemus.

30 Nulli non patet remissio peccatorum, si veritatem Euangelicam amplectens, resipiscat. Ea sic habet, quemadmodum & antea vobis expositum: *Deus patrum nostrorum*, quem vos nobiscum colitis, & nos vobiscum, *excitavit à mortuis Jesum* Filium suum, *quem vos interfeciſtis, suffigentes in crucem.* Sic enim erat definitum divino consilio, sic erat prædictum à Prophetis, ut unus pro salute mundi mortem obiret.

31 Hunc juxta corporis imbecillitatem ab hominibus interfectum, Deus revocatum ab inferis, sua virtute subvexit in hanc gloriam, ut omnibus dux esset & salutis auctor, sed præcipue populo Israelitico: & per hunc esset omnibus parata remissio peccatorum omnium, qui malorum suorum agentes pœnitentiam, nomen illius profiterentur.

32 Atque horum, quæ dicimus, nos sumus testes, qui prius quam moreretur, domesticam cum illo consuetudinem egimus, & à morte redivivum frequenter audivimus, vidimus & contrectavimus, donec omnibus nobis videntibus adscenderet in cœlum. Quod si leve pondus apud vos habet nostrum testimonium, testificatur idem Spiritus Sanctus, quem ut videtis effundit in omnes, qui obtemperant Euangelio. Auditis novas linguas, videtis edi miracula. Nihil hîc nostrum est, Jesu Spiritus est, qui per suos ministros exierit vim suam.

33 Hæc vere Apostolica oratio, quæ vel terrere debuerat illos metu supplicii, vel allicere spe paratæ salutis, magis exasperavit illorum animos, adeo ut ira dirumperentur, & inter se consultarent de occidendis illis. Jam assueverant homicidio Sacerdotes: & laniandis pecudibus in Templo, ad nihil aliud profecerant, nisi ut facilius & homines jugularent. Nulla hîc mentio Scripturæ divinæ, nulla doctrina, nulla ratio. Tantum sic jubemus, sic volumus, aut obtempera, aut morere.

34 Sedebat in eo concilio Gamaliel, secta Pharisæus, ad cujus pedes Paulus Apostolus Legem didicit, vir ob insignem Legis peritiam ac singularem prudentiam summo in pretio habitus apud universum populum Israeliticum. Is ubi vidit illos tendere ad perdita consilia, surrexit ac postulavit, ut juberent Apostolos pauliſper è concilio secedere.

35 Eo facto sic verba fecit apud considentes: Viri Israelitæ, nolite præcipitare consilium, neque temere decernatis quicquam, cujus vos post frustra pœniteat, sed etiam atque etiam videte, quid statuatis de hominibus istis. Ex præteritis sumite consilium, quid in futurum oporteat decernere.

36 Non repetam prisca exempla. Vestra omnium memoria gestum est quod dicam. Superioribus hisce diebus exstitit Theudas magus & impostor, qui se jactans apud populum, ac prodigiosa pollicens, satis magnum hominum numerum attraxit in suam factionem, fere usque ad quadringentos. Sed hujus rei, quoniam erat ex humana malitia, fuit infelix exitus. Siquidem & de ipso sumtum est supplicium, & omnes quotquot illi adhæserant partim interfecti sunt, partim capti. Ita dissipatis omnibus, tota est secta redacta in nihilum.

37 Post

22 *Cum autem venissent ministri, & aperto carcere non invenissent, illos, reversi nuntiaverunt,*

23 *Dicentes: Carcerem quidem invenimus clausum cum omni diligentia, & custodes stantes ante januas: aperientes autem neminem intus invenimus.*

24 *Ut autem audierunt hos sermones magistratus templi, & principes sacerdotum, ambigebant de illo quidnam fieret.*

25 *Adveniens autem quidam nuntiavit eis: Quia ecce viri, quos posuistis in carcere, sunt in templo stantes, & docentes populum.*

26 *Tunc abiit magistratus cum ministro, & adduxit illos sine vi; timebant enim populum ne lapidarentur.*

27 *Et cum adduxissent illos, statuerunt in concilio. Et interrogavit eos princeps sacerdotum,*

28 *Dicens: Præcipiendo præcepimus vobis ne doceretis in nomine isto: & ecce replestis Ierusalem doctrina vestra: & vultis inducere super nos sanguinem hominis istius.*

29 *Respondens autem Petrus, & Apostoli, dixerunt: Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.*

30 *Deus patrum nostrorum suscitavit Iesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno.*

31 *Hunc principem & salvatorem Deus exaltavit dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israeli, & remissionem peccatorum.*

32 *Et nos sumus testes horum verborum, & Spiritus sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi.*

33 *Hæc cum audissent, dissecabantur; & cogitabant interficere illos.*

34 *Surgens autem quidam in concilio Pharisæus, nomine Gamaliel, legis doctor honorabilis universa plebi, jussit foras ad breve homines fieri.*

35 *Dixitque ad illos: Viri Israelitæ, attendite vobis super hominibus istis quid acturi sitis.*

36 *Ante hos enim dies exstitit Theudas, dicens se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum: qui occisus est: & omnes, qui credebant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum.*

Digitized by Google

37 *Post hunc extitit Judas Galilæus in diebus professionis, & avertit populum post se, & ipse periit: & omnes, quotquot consenserunt ei, dispersi sunt.*

37 Post hunc exstitit Judas Galilæus, patriam habens communem cum istis, de quibus nunc consultatis, eo tempore, quum ex edicto Cæsaris Augusti describeretur universus orbis. Et hic, quoniam popularia docebat, non oportere populum Deo dicatum tributa pendere Cæsaribus idololatris, bolnam plebis partem attraxit ad sese. Et ipse dux hujus factionis periit, & quotquot illi consenserant dissipati sunt.

38 *Et nunc itaque dico vobis, discedite ab hominibus istis, & sinite illos: quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur:*

38 Proinde mihi sic videtur. Consultius facietis, si temperetis ab hominibus istis, ac sinatis illos, quando neminem adhuc lædunt. Quoniam si hoc, quod inceptant aut moliuntur, profectum est ex humano consilio, dissipabitur sua sponte.

39 *Si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne forte & Deo repugnare inveniamini. Consenserunt autem illi.*

39 Sin Deus est auctor istius negotii tam admirabilis, & impium fuerit velle dissipare quod auctore Deo geritur, (quid enim hoc aliud esset quam repugnare Deo?) & imprudentiæ sit velle conari quod non possitis efficere. Quis enim resistet voluntati Dei?

40 *Et convocantes Apostolos, cæsis denuntiaverunt ne omnino loquerentur in nomine Jesu, & dimiserunt eos.*

40 Hæc sententia tantum valuit apud concilium, ut decretum de occidendo differretur in aliud tempus. Et hactenus itum est pedibus in Gamalielis sententiam, non ut in totum abstinerent ab Apostolis, sed ut convocatis simul omnibus duodecim, ac cæsis denuntiaretur, ne post ullam mentionem facerent nominis Jesu. Et hac pœna contenti dimiserunt illos, sperantes futurum, ut qui dictis ac minis non paruerant, cruciatu corporis admoniti saperent: æstimantes Apostolos in speciem humiles ac plebejos ex Barbarorum ingenio, qui plagis emendantur.

41 *Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.*

41 Verum, ex hujusmodi malis robur colligere solet vigor spiritus Euangelici. Apostoli siquidem agnoscentes, verum esse sermonem, quem dixerat Jesus, quod essent in jus vocandi, quod in Synagogis flagellandi, non ob ullum maleficium, sed ob professionem salutiferi nominis, alacres & gaudentes discedebant à conspectu concilii, virgarum ignominiam, quam alii putabant esse intolerabilem, sibi gloriæ ducentes, quod Deus agnosceret suos Apostolos, quos hoc honore dignatus esset, ut pro nomine Filii ipsius contumeliis afficerentur. Meminerant autem quod ante prædixerat illis Jesus: *Gaudete & exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.*

42 *Omni autem die non cessabant, in templo & circa domos docentes, & evangelizantes Christum Jesum.*

42 Tantum autem abfuit, ut hac pœna ac principum denuntiatione redderentur segniores ad prædicandum nomen Jesu, ut alacriores etiam redditi, & publice in Templo, & privatim in singulis domibus incessanter docerent, quæ acceperant à Domino Jesu, ac lætum nuntium omnibus adferebant hunc esse verum Messiam, per quem oporteret omnes salvos fieri.

CAP. VI.

Fit grave pro viduis murmur: septemque ministrant: Testes in Stephanum, qua didicere, citant.

2 *In diebus autem illis, crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum.*

PER id tempus quum in dies accresceret numerus discipulorum (sic enim tum vocabantur, qui post Christiani dici cœperunt) obortum est murmur Græcorum, hoc est, Judæorum, qui non in Judæa, sed apud Gentes nati fuerant, adversus Hebræos. Causa murmuris ex pietate nata est. Quum enim mulieres aliquot circumferrent Apostoli, quæ illis ministrabant, Græci dolebant non idem honoris haberi suis viduis, ut quotidiano ministerio liceret Apostolis ac discipulis inservire. Hanc enim dignitatem interpretabantur. Et hæc erat prima in Ecclesia ambitio.

2 *Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.*

2 Et tamen ut intelligas quantopere displiceat bono Pastori quamlibet leve dissidium, statim duodecim Apostoli, convocata discipulorum multitudine, quo plus haberet auctoritatis, quod omnium consensu decretum fuisset, hunc in modum verba fecerunt: Videmus nescio quid murmuris ortum inter vos de ministerio mulierum. Providendum igitur est, ne nos hujusmodi curis levioribus identidem interpellemur, nimirum altiori functioni destinati. Nobis injunxit Dominus, ut doceremus Euangelium. Non est igitur probandum, ut nos omisso delegato munere prædicandi Euangelii, ministremus mensis. Quemadmodum enim in corpore varia sunt membra, ac suo quodque membrum officio fungitur: ita tumultus & confusio vitari non potest in tanta multitudine, nisi diversæ functiones in varias personas distribuantur, sic tamen ut omnia referantur ad utilitatem universi corporis. Nec enim oculus sibi uni prospicit, sed omnibus membris. Nec manus sibi tantum laborant, sed toti corpori.

3 *Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus.*

3 Proinde fratres circumspicite ex vestro numero septem spectatæ probitatis viros, plenos Spiritu Sancto, ac singulari præditos sapientia, quibus ex vestra voluntate delegemus hoc negotii, quo nos hactenus occupamur, non sine dispendio functionis Euangelicæ.

4 *Nos vero orationi, & ministerio verbi instantes erimus.*

4 Nos vero per illos quietiores facti, his quæ proprie nostrarum sunt partium incumbemus, precationi & administrando sermoni doctrinæ Euangelicæ. Illi curam gerent pascendorum corporum, nos animis vestris pascendis vacabimus.

5 *Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide & Spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum.*

5 Hæc oratio placuit universæ multitudini. Itaque consensu congregationis delecti sunt septem. Stephanus spectatæ fidei ac plenus Spiritu Sancto, Philippus, Prochorus, Nicanor, Timon, Parmenas, & Nicolaus religione proselytus, patria Antiochenus.

6 *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum: & orantes imposuerunt eis manus.*

6 Hos electos statuerunt in conspectu Apostolorum, ut illorum auctoritate quod factum erat comprobaretur. Apostoli vero fusis ad Deum ex more precibus, imposuerunt illis manus. Nam hoc ritu primum delegabantur sacra ministeria, exemplo sumto à Domino Jesu, qui quibus benedicebat, solitus est manus imponere. Quod si quis roget, quid opus fuerit his ritibus ad designandos ministros, qui mensæ curam agerent, sciat profanam quidem esse functionem tractare pecuniam, maxime communem, sed quæ requirat fidem non vulgarem, & animum incorruptum. Testis est Judas, quem avaritia corruptus animus ad Domini sui proditionem adegit. Tum autem quoniam præscribebant & aliis quid in hujusmodi negotiis oporteret fieri, addenda erat & auctoritas, quo magis omnes illis, tanquam Apostolorum sociis & adjutoribus parerent. Præterea discipulorum convivia, non erant qualia sunt vulgi, sed magna cum religione capiebatur cibus, quoties capiebatur. Omnis panis fractus illis repræsentabat corpus Domini, omne vinum admonebat sanguinis Dominici. Denique & corpus ipsum Dominicum & sanguis Domini per Diaconos administrabatur multitudini. Et si quando vacabat per ministerium, prædicabant & ipsi sermonem Euangelicum, velut Apostolis proximi.

7 *Et verbum Domini crescebat, & multiplicabatur numerus discipulorum in Jerusalem valde: multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei.*

7 His rebus factum est, ut Euangelica doctrina in dies latius ac latius spargeretur, magnoque successu multiplicaretur numerus discipulorum Hierosolymis. Nec enim solum è plebejis plurimi accedebant Euangelio, verum etiam complures ex ordine Sacerdotum, qui prius conspiraverant adversus Christum & Apostolos, tacti pœnitentia, ac posito fastu submiserunt sese jugo Euangelico.

8 *Stephanus autem plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia & signa magna in populo.*

8 Inter Diaconos autem peculiarius emicuit Stephani pietas. Sic enim se gessit in delegato munere, ut ob insignem morum mansuetudinem gratiosissimus esset apud universam multitudinem credentium: & erga rebellantes Euangelio, fortem & invictum animum præstabat, adeo ut Apostolicarum etiam virtu-

Digitized by Google

9 *Surrexerunt autem quidam de synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia, & Asia, disputantes cum Stephano:*

10 *Et non poterant resistere sapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur.*

11 *Tunc summiserunt viros, qui dicerent se audivisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen, & in Deum.*

12 *Commoverunt itaque plebem, & seniores, & Scribas: & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium,*

13 *Et statuerunt falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum, & legem.*

14 *Audivimus enim eum dicentem: Quoniam Jesus Nazarenus hic, destruet locum istum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses.*

15 *Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus tamquam faciem Angeli.*

1 *Dixit autem princeps sacerdotum: Si hæc ita se habent?*

2 *Qui ait: Viri fratres, & patres, audite: Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ cum esset in Mesopotamia, prius quam moraretur in Charan,*

tum æmulus, in nomine Jesu multa magnaque miracula ederet apud populum.

9 Quoniam autem eximia virtus semper ad sese trahit invidiam, quemadmodum Cæcias nubes, exorti sunt adversus Stephanum quidam è diversis sodalitalibus, quarum una vocatur Libertinorum, alia Cyrenensium, alia Alexandrinorum, alia eorum, qui venerant à Cilicia, & Asia. Nam in hæc loca Syriæ vicina potissimum erant dispersi Judæi. Hi omnes velut conjurati coorti sunt adversus Stephanum, disputantes adversus illum.

10 Nec poterant quamvis multi resistere unius juvenis sapientiæ, ac vigori pectoris, propterea quod Spiritus Sanctus, quo plenus erat, per illum loqueretur.

11 Hîc agnosce morem improborum. Ubi veritate discedunt impares, ad mendacia confugiunt, & victi sapientia Spiritus, ad Diabolicas fraudes sese convertunt. Subornarunt enim viros quosdam, qui dicerent sese audisse Stephanum proloquentem verba blasphema in Mosen ac Deum. Nullum autem crimen apud Judæos capitalius quam blasphemiæ, nec apud populum atrocius. Hîc agnosce lector machinas similes adversus famulum, quales fuerant adversus Dominum. Subornantur sycophantæ, ne videantur ipsi velle dolorem ulcisci suum, quod à disputatione discessissent impares. Quæritur crimen atrox, & malitiæ prætexitur religionis studium.

12 Ab his igitur submissititiis sycophantis concitatus est populus una cum senioribus ac Scribis adversus Stephanum, adeo ut concursu facto rapuerint illum, & pertraxerint in concilium.

13 Hîc prodeunt conducti testes, qui suam perageret fabulam ac dicerent: *Hîc homo nullum facit finem evomendi blasphemias adversus locum* nobis omnibus *sanctum* ac venerabilem, *contraque Mosi Legem* nobis à Deo traditam.

14 *Audivimus enim illum dicentem, quod iste Jesus Nazarenus demolitutus sit locum hunc, ac mutaturus instituta, quæ tradidit nobis Moses.* Stephanus ex relatione Apostolorum dixerat, à Jesu prædictum esse, futurum ut Templum hoc & urbs funditus ab hostibus dirueretur ob gentis incredulitatem. Hoc dictum depravant ad calumniam. Dicas hos eosdem esse, qui Jesum accusantes dicebant: *Audivimus eum dicentem: Destruam Templum hoc, aliud in triduo excitaturus.*

15 Ad hanc tam atrocem criminationem nihil commotus est Stephanus, sibi bene conscius, ut in ipso etiam vultu reluceret mentis innocentia. Res enim est pavida, sibi male conscius animus. Hæc constantia frontis statim coarguit calumniatorum impudentiam. Etenim hi, qui confidebant in eo concilio, intuentes eum, & observantes, qua fronte crimen objectum exciperet, videbant illum adeo non dejici aut exanimari, ut facies illius quiddam homine majus, & Angelicam quandam alacritatem simul ac majestatem præ se ferre videretur.

1 Tum princeps Sacerdotum, ut hic quoque speciem legitimi judicii exhiberet, quemadmodum fecerat in condemnando Jesu, percunctatus est reum: nunquid haberet, quod ad hæc responderet, & an crimen objectum agnosceret.

2 Tum Stephanus, afflatus divino Spiritu, sic causam dicere exorsus est, altius repetito principio.

CAP. VII.

Grandia perstringit Stephanus mysteria paucis,
Quem ceu blasphemum perfida turba necat.

VIRI quotquot adestis vel genere fratres, vel ætate atque auctoritate patres, qui patienter audistis calumniantes, audite & veritati patrocinantem. Nos nec in Deum, nec in Mosen, nec in Templum hoc contumelioſi sumus, sed cum Mose consentientes, Dei gloriam provehimus, ac templum spirituale, quo Deus, qui Spiritus est, potissimum delectatur, quemadmodum divinitus jussi sumus, exstruimus. Non est blasphemia hoc pro viribus agere, quod figuris adumbravit Moses, quod Prophetæ Dei Spiritu afflati prædixerunt, quod Dei Filius ob id in terras missus & orsus est, & suis perficiendum mandavit, quod Spiritus Sanctus ad salutem omnium gentium nunc per eos, qui credunt Euangelio peragit. Sed impietas est, blasphemia est, tam manifestæ, tamque benignæ Dei voluntati tam pertinaciter obluctari. Quod quidem hæc natio non nuper facere cœpit, sed quod jam olim facere instituit, nunquam facere desinit, ut nec mirum, nec iniquum videri debeat, si eveniat quod Jesus Nazarenus futurum prædixit, videlicet ut hoc Templum, quo gloriamini, utque hæc civitas, in qua regnatis, ut Sacerdotium, ut Lex, quibus abutimini ad quæstum & gloriam vestram, à vobis auferatur, atque hæc gloria transferatur ad eos, qui per fidem Euangelicam pure Deum colunt, ac Legem spiritualiter observant, seque ipsos præbent templum vivum ac sanctum Spiritui Sancto. Huc quum tot modis Deus majores nostros provocaverit, tamen semper spretus est ab hoc rebelli & pertinaci populo. Ut enim à primo gentis hujus Patriarcha repetam, cujus obedientiam utinam imitarentur hi, qui se jactant filios ejus: Deus, cui debetur omnis gloria, quemque nos vobiscum pie colimus, olim apparuit Patriarchæ nostro Abrahæ, quum esset in Mesopotamia prius quam commoraretur in Charran:

3 Et dixit ad illum: *Exi de terra tua & cognatione tua, & veni in terram, quam monstravero tibi.*

4 Ille obtemperans jussis Dei, egressus est è terra Chaldæorum, & habitare cœpit in Charran, velut per occasionem longius emigraturus. Rursum hinc transtulit illum Deus in hanc terram, quam vos nunc incolitis, idque mortuo patre illius Thare, ob cujus senectutem distulerat emigrationem.

5 Transtulit autem, ut hospitem ac peregrinum, nullam illi tribuens hîc hæreditatem, adeo ut ne pedis quidem vestigium in ea posset, nisi pretio redemtum: sed pollicitus est Deus se daturum hujus terræ possessionem posteris illius post ejus obitum, quum id temporis Abraham non haberet filium.

6 Id quum videretur incredibile, tamen & Abraham credidit, & Deus præstitit: quemadmodum & in cæteris, quæ prædixit Deus, repertus est verax. Sic enim tum illi loquutus est: *Erit semen tuum peregrinum in terra aliena, & gentes, apud quas peregrinabuntur posteri tui, subjicient illos in servitutem, & inclementer tractabunt illos annis quadringentis triginta.*

7 *Tandem eripiam illos à servitute, ac gentem, cuicunque servierint, ego judicabo & ulciscar: dicit Dominus. Deinde* liberi à servitute hominum, *servient mihi in loco hoc.*

8 Quoque sibi magis assereret populum suum, dedit Abrahæ velut signaculum fœderis circumcisionem. Atque ita fisus Dei promissis, genuit Isaac: ac memor pacti sui, circumcidit puerum die à nativitate octavo. Isaac rursum circumcidit Jacob, Jacob duodecim filios suos nostri generis Patriarchas.

9 Inter hos erant, qui parum memores divini fœderis, invidia moti, hoc moliti sunt adversus fratrem suum Joseph, quod illorum posteri moliti sunt adversus Jesum Nazarenum. Abjecerant eum in cisternam, mox vendiderunt illum negotiatoribus, à quibus perductus est in Ægyptum.

10 Sed quemadmodum Deus suscitavit occisum, & evexit dejectum Jesum, ita tum eripuit Joseph ex omnibus afflictionibus suis, effecitque ut moribus *sapientiam in conspectu Pharaonis regis Ægypti, & constituit eum præpositum super Ægyptum, & super omnem domum suam.*

3 *Et dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam monstravero tibi.*

4 *Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitavit in Charan. Et inde, postquam mortuus est pater ejus, transtulit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis.*

5 *Et non dedit illi hereditatem in ea, nec passum pedis: sed repromisit se daturum illi eam in possessionem, & semini ejus post ipsum, cum non haberet filium.*

6 *Locutus est autem ei Deus: Quia erit semen ejus accola in terra aliena, & servituti eos subjicient, & male tractabunt eos annis quadringentis.*

7 *Et gentem cui servierint, judicabo ego, dixit Dominus, & post hæc exibunt, & servient mihi in loco isto.*

8 *Et dedit illi testamentum circumcisionis: & sic genuit Isaac, & circumcidit eum die octavo: & Isaac, Jacob: & Jacob, duodecim Patriarchas.*

9 *Et Patriarchæ æmulantes, Joseph vendiderunt in Ægyptum: & erat Deus cum eo:*

10 *Et eripuit eum ex omnibus tribulationibus ejus: & dedit ei gratiam &*

bus & sapientia divinandi gratiosus esset apud Pharaonem Regem Ægypti, adeo ut præfecerit eum toti Ægypto, domuique suæ.

11 *Caterum oborta est fames per universum Ægyptum & Chanaan, & gravis afflictio, adeo ut patres nostri non invenirent quod ederent.*

12 *Jacob autem ubi cognovisset in Ægypto copiam esse frumenti, misit eo patres nostros*, ut inde adferrent frumentum.

13 Ubi vero illos iterum eadem de causa misisset illuc, Joseph agnitus est à fratribus suis. Ea res innotuit & Pharaoni, quod Hebræus esset, & patrem ac fratres undecim haberet vivos.

14 *Joseph itaque accersivit Jacob patrem suum, totamque cognationem suam* in Ægyptum, ne quid illis deesset. *Erant autem numero* LXXV.

15 *Jacob itaque commigravit in Ægyptum, ac defunctus est ipse cum* duodecim filiis suis *patribus nostris*:

16 *Conditique sunt in sepulchro, quod emercatus fuerat Abraham* centum siclis argenti *à filiis Emor, qui fuit filius Sichem.* Nullus horum adhuc quicquam possedit de terra promissa posteris Abrahæ.

17 *Quum autem jam instaret tempus, quo Deus præstaturus erat quod promiserat Abrahæ, crevit populus Hebræorum, & multiplicatus est in Ægypto*:

18 Donec mortuo Pharaone succederet alius Rex, apud quem non esset perinde gratiosus Joseph.

19 Hic metuens ne plus satis incresceret Hebræorum populus, arte opprimens genus nostrum, afflixit patres nostros, edicto submonitis obstetricibus, ut masculos infantes exponerent, ne possent vivere.

20 Hoc tempore natus est Moses, adversus quem isti falso me prædicant protulisse blasphemiam. Is fuit gratus Deo, qui non passus est illum perire, sed furtim enutritus est tribus mensibus in domo patris sui.

21 Cæterum ob metum edicti Regii expositus est in Nilum in fiscella lita bitumine. Forte sustulit illum filia Pharaonis capta infantis elegantia, ac filii loco nutrivit eum domi suæ.

22 Moses igitur habitus pro Ægyptio, à primis annis *institutus est in omni sapientia Ægyptiorum, eratque potens tum factis, tum dictis.*

23 *Porro quum jam peregisset annum quadragesimum, venit illi in mentem, ut inviseret fratres suos Israel.* Spirabat enim caritatem erga genus suum.

24 Inter hos versans, quum vidisset Israelitam quendam affici injuria ab Ægyptio, jam tum boni ducis indolem exserens, ultus est Hebræi causam, interfecto Ægyptio.

25 Existimabat autem hoc Hebræis jam innotuisse, quod Deus per ipsum statuisset servare populum suum, exemtum à servitute Pharaonis. Atque hic Moses Jesu Nazareni figuram gerebat, quem Deus vere delegit redimendis omnibus à servitute peccatorum. Cæterum quemadmodum hæc Israelitæ non intellexerunt in Jesu, ita nec tum in Mose intellexerunt.

26 Postero die rursus invisens suos, offendit duos Israelitas inter se litigantes, ac diremta pugna redigere conatus est eos in concordiam, dicens: Quid facitis ô viri? Quum fratres sitis, & ejusdem gentis, cur alter lædit alterum?

27 *Is autem, qui faciebat injuriam proximo, repulit* pacificatorem, *dicens*: Quid tu te inferis causæ nostræ? *Quis te constituit principem ac judicem super nos?*

28 *Num me quoque vis interficere, quemadmodum heri interfeciſti Ægyptium?* Hic statim inventus est inter Israelitas, qui rebellaret Mosi, quum is hæc afflatu Spiritus faceret.

29 Hoc audito, Moses, sentiens rem non esse clam, sibi metuens ab Ægyptiis, fugit in terram Madian, ubi genuit filios duos.

30 Rursus *post annos quadraginta apparuit Mosi Angelus Domini in deserto montis Sina è rubo, qui videbatur conflagrare.*

31 *Hoc spectaculo stupefactus Moses, tentavit accedere propius, ut videret quid hoc esset rei.*

32 Sed vetuit illum vox Domini, sonans è rubo: *Ego*, inquit, *sum Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob.* Hoc audito nomine *tremefactus est Moses, nec audebat* propius *inspicere.*

33 *Tum Dominus: Solve calceamenta pedum tuorum; siquidem locus, in quo stas, terra sancta est.* Paruit Moses Domino.

34 Tum ille pergit loqui: *Etiam atque etiam vidi afflictionem populi, qui est in Ægypto, ac gemitum meorum audivi. Eoque* misertus *descendi, ut liberem eos. Nunc igitur ades, &* hac gratia *mittam te in Ægyptum.* Animadvertite quam non obscure in Mose designatus sit Jesus Nazarenus.

35 Mosen adhuc ignotum negarat populus Israeliticus, dicens: *Quis te constituit principem & judicem super nos?* Itidem audivit Jesus à nostris: *In qua potestate hæc facis, & quis tibi dedit hanc potestatem?* Nondum enim noverant, quod hunc Deus, misertus gentis nostræ, misit ducem ac principem libertatis, & auctorem vitæ æternæ. Ac Mosen quidem à suis contemtum, Deus evexit, & constituit ducem, principem & liberatorem populi sui. Et adfuit illi virtus Angeli, qui apparuerat ei de rubo flagrante.

36 Hujus ope *populum suum eduxit ex Ægypto, editis multis prodigiis ac miraculis in terra Ægypti, mox in mari rubro, deinde & in deserto per annos quadraginta.* Quod fuit Moses uni populo, hoc vere est Jesus Nazarenus omnibus ipsius ductum sequi volentibus.

37 Jam ne quis existimet eos, qui prædicant Jesum Nazarenum adversari Mosi, hic ipse Moses vobis Jesum Nazarenum commendavit, tot retro seculis venturum promittens, quem nunc videtis adveniſſe. Ait autem: *Prophetam vobis suscitabit Deus de fratribus vestris, similem mei, ipsum audietis.*

38 Hic est, inquam, ille Moses, qui quemadmodum prius solus fuerat colloquutus cum Angelo juxta rubum, ita post jam teste multitudine collocutus est cum eodem in deserto, in monte Sina, ac vicissim colloquutus est cum majoribus nostris, ad quos deferebat quod audierat à Domino. Acceperat enim ab eo Legem, quæ vitam conferret observantibus, ut eam nobis traderet.

39 Tanta cum esset auctoritas Mosi, tamen *patres nostri noluerunt obedire illi, sed repulerunt eum*: & obliti à quam misera servitute fuissent liberati, conceperunt animo desiderium Ægypti, ut relicto duce salutifero & redemtore, spreta Lege vivifica, redirent ad mores idololatrarum.

40 Itaque colloquente Mose cum Angelo, *dicunt Aaron: Fac nobis Deos, qui præcedant nos: nam Mosi isti, qui nos eduxit è terra Ægypti, nescimus quid acciderit.*

41 Mox-

31 *Venit autem fames in universam Ægyptum & Chanaan, & tribulatio magna: & non inveniebant cibos patres nostri:*
32 *Cum audisset autem Jacob esse frumentum in Ægypto: misit patres nostros primum:*
33 *Et in secundo cognitus est Joseph à fratribus suis, & manifestatum est Pharaoni genus ejus.*
34 *Mittens autem Joseph accersivit Jacob patrem suum, & omnem cognationem suam in animabus septuaginta quinque.*
35 *Et descendit Jacob in Ægyptum, & defunctus est ipse, & patres nostri.*
36 *Et translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti à filiis Hemor filii Sichem.*
37 *Cum autem appropinquaret tempus promissionis, quam confessus erat Deus Abrahæ, crevit populus & multiplicatus est in Ægypto,*
38 *Quoadusque surrexit alius rex in Ægypto, qui non sciebat Joseph.*
39 *Hic circumveniens genus nostrum, afflixit patres nostros, ut exponerent infantes suos ne vivificarentur.* 40 *Eodem tempore natus est Moyses, & fuit gratus Deo, qui nutritus est tribus mensibus in domo patris sui.* 41 *Exposito autem illo, sustulit eum filia Pharaonis, & nutrivit eum sibi in filium.* 42 *Et eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum, & erat potens in verbis, & in operibus suis.* 43 *Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor ejus ut visitaret fratres suos filios Israel.* 44 *Et cum vidisset quemdam injuriam patientem, vindicavit illum: & fecit ultionem ei qui injuriam sustinebat, percusso Ægyptio.* 45 *Existimabat autem intellegere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis: at illi non intellexerunt.* 46 *Sequenti vero die apparuit illis litigantibus: & reconciliabat eos in pace, dicens: Viri, fratres estis, ut quid nocetis alterutrum?* 47 *Qui autem injuriam faciebat proximo, repulit eum, dicens: Quis te constituit principem & judicem? hunc Deus principem & redemptorem misit, cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo.* 48 *Hic eduxit illos, faciens prodigia & signa in terra Ægypti, & in rubro mari, & in deserto annis quadraginta.* 49 *Hic est Moyses, qui dixit filiis Israel: Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tamquam me, ipsum audietis.* 50 *Hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus nostris: qui accepit verba vitæ dare nobis.* 51 *Cui noluerunt obedire patres nostri, sed repulerunt, & aversi sunt cordibus suis in Ægyptum,* 52 *Dicentes ad Aaron: Fac nobis deos, qui præcedant nos. Moyses enim hic, qui eduxit nos de terra Ægypti, nescimus quid factum sit ei,*

cem super nos?
28 *Numquid interficere me tu vis, quemadmodum interfeciſti heri Ægyptium?*
29 *Fugit autem Moyses in verbo isto: & factus est advena in terra Madian, ubi genuit filios duos.*
30 *Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi.*
31 *Moyses autem videns, admiratus est visum: & accedente illo ut consideraret, facta est ad eum vox Domini,*
32 *Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Tremefactus autem Moyses, non audebat considerare.*
33 *Dixit autem illi Dominus: Solve calceamentum pedum tuorum: locus enim in quo stas, terra sancta est.*
34 *Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto, & gemitum eorum audivi, & descendi liberare eos. Et nunc veni, & mittam te in Ægyptum.*
35 *Hunc Moysen, quem negaverunt, dicentes: Quis te constituit principem*

Digitized by Google

41 Et vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hostiam simulachro, & lætabantur in operibus manuum suarum.

42 Convertit autem Deus, & tradidit eos servire militiæ cæli, sicut scriptum est in Libro Prophetarum: Numquid victimas & hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israel?

43 Et suscepistis tabernaculum Moloch, & sidus Dei vestri Rempham, figuras, quas feciſtis, adorare eas. Et transferam vos trans Babylonem.

44 Tabernaculum testimonii fuit cum patribus nostris in deserto, sicut dispositit illis Deus, loquens ad Moysen, ut faceret illud secundum formam quam viderat.

45 Quod & induxerunt, susciepientes patres nostri cum Iesu in possessionem Gentium, quas expulit Deus à facie patrum nostrorum, usque in diebus David,

46 Qui invenit gratiam ante Deum, & petiit ut inveniret tabernaculum Deo Iacob.

47 Salomon autem ædificavit illi domum.

48 Sed non excelsus in manufactis habitat, sicut Propheta dicit:

49 Cælum mihi sedes est: terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus, aut quis locus requietionis meæ est?

41 Moxque ad exemplum Ægyptiorum, qui Bovem Apin adorant, fecerunt sibi vitulum ex auro conflatilem, atque huic exanimi Deo immolarunt hostias, spreto Deo vivente, cujus misericordia servitutem effugerant: & in tam impio facinore, quasi re bene gesta, saltabant, & epulabantur, aversantes Deum verum, qui condidit universa, & exsultantes in Diis mutis, quos ipsi sibi suis manibus fecerant.

42 His rebus offensus Deus, avertit sese vicissim ab illis, & passus est illos obsequi animo suo, ut tandem exemplo gentium, colerent jam non unum Deum, sed totam cœli militiam, Solem, Lunam, Stellas, Martem, Mercurium, Venerem, Saturnum, quibus impiæ fabulæ divinitatem tribuunt, quum sint corpora à Deo condita, ut serviant usibus hominum. Non potest negari quod loquor. Nimirum hoc est, quod stomachatur Deus per Amos Prophetam, dicens: *Nunquid victimas & hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israel?*

43 At pro Templo Dei veri *amplexi estis tabernaculum Moloch*, id est idolum Ammonitarum, *ac sidus Dei vestri Rempham*, is est Lucifer, sive Venus, quam colunt Saraceni. Hæc muta simulachra vobis finxistis ut adoraretis, contemto vivo veroque Deo, qui solus condidit universa. Quoniam autem in his est animus vester, *transferam vos in Babylonem*, ut denuo serviatis idololatris. Arbitror satis esse demonstratum, nos nec blasphemos esse in Deum, quem pure colimus, nec in Mosen, cujus prophetiam amplectimur: sed illos potius, qui vestigia majorum imitantes, & Deum contemserunt olim in Mose, & utrumque hodie contemnunt in Jesu Nazareno. Adversus Legem autem nos nequaquam blasphemi sumus, qui, quem Lex designavit, quem Prophetæ omnes promiserunt, amplectimur, sed illi potius, qui patrum impiorum ingressi vestigiis, à quibus contemta est Lex per Mosen lata, nunc adspernantur Legem Euangelicam, quam omnibus tulit Jesus Nazarenus, quæ Mosi Legem non abrogat, sed perficit.

44 Nunc de Templo, in quod dicor fuisse blasphemus, paucis accipite. Scio & Templum hoc jussu Dei ædificatum, ut esset figura templi sanctioris, ac cederet meliori: quemadmodum Templo cessit Tabernaculum testimonii, in quo erat Arca fœderis, quam circumferebant patres nostri in deserto. Præscripserat enim Deus, loquens per Mosen, hujus Tabernaculi formam, ad quam esset ædificandum.

45 Id amplexi sunt patres nostri, duce Jesu, & invexerunt in possessionem gentium, quas expulit Deus à facie patrum nostrorum, usque ad tempora Regis David.

46 Qui cum esset vir pius, & ob id Deo gratus, petiit ab eo, ut pararet tabernaculum dignum Deo Jacob.

47 Solomon autem, quoniam pacificus erat, primus ædificavit illi Templum hoc magnificum, de quo vos gloriamini, dicentes: *Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini.*

48 Verum, hoc Templum nihil aliud est quam figura veri templi spiritualis, quod est Ecclesia, quæ nunc ædificatur per Jesum Nazarenum Regem vestrum, cujus typum gerebat Solomon. Deus enim quum sit Spiritus, non habitat in ædificiis manufactis, nec circumscribitur parietibus, qui immensus est & implet omnia.

49 Nimirum hoc est, quod ipse testificatur per Prophetam Esaiam loquens: *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus, aut quis locus requietionis meæ? Nonne manus mea fecit hæc omnia?*

50 Deus igitur qui condidit universa, prius in seipso quietem habuit, antequam conderet omnia. Et si requievit, non requievit in ædificiis hominum manu factis, quum alioqui cœlum illi sedes sit, & terra scabellum: sed gaudet requiescere in animis quietis & obtemperantibus Spiritui Sancto. Itaque qui pectus habet sceleribus inquinatum, is violat templum Dei. Qui negotium facessit his, qui Spiritui Sancto obtemperant, ille violat templum Domini.

51 Quemadmodum autem non lædit Mosen, qui Jesum illi præfert, nec violat Legem ab eo latam, qui illi præfert Euangelium: ita nec Templum hoc violat, qui præfert illi templum spirituale, quo magis delectatur Deus. Æquum est enim, ut umbræ cedant veritati, quæ nunc sese profert in lucem. Par est, ut quod carnale est, cedat spiritualibus. Nimirum hæc est immutabilis Dei voluntas, & hujus rei gratia misit unicum Filium suum in terras, misit Spiritum Sanctum, ut ad omnes gentes permanaret lux veritatis Euangelicæ. Vos autem mordicus tuentes quod carnale est, rebelles estis Spiritui Dei, qui vos jam olim dixit duræ cervicis populum. Et vobis videmini Israelitæ ac filii Abrahæ, quod præputii pelliculam habetis circumcisam, quum & cor habeatis incircumcisum, & aures. Posthac veri sunt filii Abrahæ, qui cor habent repurgatum ab impiis cupiditatibus, qui aures habent obedientes præceptis Dei, ac repurgatas à crassitudine sensus carnalis, ut sensum spiritualem Legis non queant percipere. Quemadmodum autem patres vestri ob crassitudinem mentis & aurium hebetudinem semper restiterunt Spiritui Sancto: ita & vos non degenerantes ab ingenio majorum, nunc Spiritum Sanctum oppugnare non desistitis, pridem in Jesu Nazareno, quem suffixistis in crucem, nunc in Apostolis illius. Mosi quoties rebellarunt patres vestri? vestros enim cur non dicam, quos imitamini?

52 *Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri?* Nec afflixerunt solum, verum etiam occiderunt eos, qui prædixerunt vobis venturum Justum illum, per quem unum justificarentur omnes. Odistis illos, qui venturum nuntiabant, & venientem & omnia præstantem, quæ illi prædixerant, non solum amplexi non fuistis, sed prodidistis illum in manus Pilati, & per hunc occidistis sceleratius, quam si facinus manibus vestris peregissetis.

53 Atque hæc omnia facitis prætextu defendendæ Legis, quum nec majores vestri Legem per Angelos traditam servaverint: nec vos, qui quem Lex promisit ac designavit, pridem occideritis, nunc etiam occisum persequamini, vobis ipsis invidentes salutis æternæ donum, quod offertur: & accersentes exitium, quod sine causa imputatis nobis & Jesu Nazareno.

54 Hæc oratio tam vera, tamque libera, vehementer concitavit animos omnium, qui erant in concilio, adeo ut rumperentur illorum corda, ac dentibus striderent in illum.

55 Stephanus autem nihil istis commovebatur, nimirum plenus Sancto Spiritu, sed ad extrema perferenda paratus, juxta Jesu Christi exemplum intendit oculos in cœlum, unde præsidium omne petendum est Christianis. Mox adversus futurum certamen corroboratur egregius athleta. Diducit & cœlum, videt majestatem Dei, & Jesum, quem professebatur, stantem à dextris Dei. Nec hoc tacuit apud impiam multitudinem: non enim oportet ob hominum malitiam supprimere Dei gloriam: *Ecce*, inquit, *video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris majestatis divinæ.*

56 Hîc operæ pretium est considerare formam hujus judicii. Erant proposita crimina. Responsum est ad omnia. A juvene producta sunt testimonia Legis & Prophetarum. Solidis rationibus evicta res est. Nihil dictum est de Deo, nisi pie: nihil

50 *Nonne manus mea fecit hæc omnia?*

51 *Duræ cervice, & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ita & vos.*

52 *Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores & homicidæ fuistis:*

53 *Qui accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis.*

54 *Audientes autem hæc dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum.*

55 *Cum autem esset plenus Spiritu sancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Jesum stantem à dextris Dei. Et ait: Ecce video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.*

56 *Exclamantes autem voce magna continuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum.*

Digitized by Google

nil de Moſe, niſi honorifice: nihil de Lege, niſi juxta Legis ſententiam: nihil de Templo contumelioſe. Et tamen illi diſrumpuntur ira, & furentiam more frendent dentibus. Adeo non ferunt imminui gloriam ſuam, & prædicari gloriam ejus, cujus unius gloriam vult Deus apud omnes prædicari. Si Moſen aut Abraham extuliſſet, tuliſſent: Jeſum vivere, Jeſum ſtare à dextris Dei juxta vaticinium David, non ferunt: ſed prorſus jam in rabiem verſi, adverſus ſermonem tam ſalutiferum obturant aures ſuas, & inſanis vociferationibus magno conſenſu omnes impetum fecerunt in Stephanum.

57 Et ejicientes eum extra civitatem lapidabant: & teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua, ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus.

57 Jamque veluti convictum damnatumque blaſphemiæ, ejiciunt extra civitatem, hac tantum in parte memores Legis Moſaicæ, atque illic eum lapidabant. Teſtes vero ceu victores, quorum partes erant juxta Moſi præſcriptum, auſpicari lapidationem, quo eſſent ad carnificinam expeditiores, depoſuerunt veſtes ſuas apud adoleſcentem, cui nomen erat Saulus, qui tum adhuc per ignorantiam, ac patriæ legis ſtudio, favebat impiæ cauſæ.

58 Et lapidabant Stephanum invocantem, & dicentem: Domine Jeſu ſuſcipe ſpiritum meum.

58 Mox lapidare cœperunt Stephanum, non reluctantem, non convitiantem, ſed eum, quem viderat, invocantem ac dicentem: *Domine Jeſu ſuſcipe ſpiritum meum.* Agnoſcis Jeſu diſcipulum. Sic enim ille in cruce: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.*

59 Poſitis autem genibus, clamavit voce magna dicens: Domine ne ſtatuas illi hoc peccatum. Et cum hoc dixiſſet, obdormivit in Domino.

59 Deinde volantibus undique ſaxis, flexis humi genibus, magna voce, magnoque affectu clamavit, dicens? *Domine, ne imputes hoc illis in peccatum, neſciunt enim quid faciunt.* Quam bene Dominum ſuum expreſſit famulus. Hæc erat extrema vox morientis, poſtquam obdormiit in Domino, in quo quiſquis moritur, non moritur, ſed obdormiſcit, poſt placidam quietem ad immortalitatem revicturus. Hoc affectu decet mori, quotquot vere Chriſtiani ſunt. Itaque Stephanus ſuo reſpondens nomini, primus omnium martyrii coronam meruit, & Euangelici ſacrificii primitias obtulit Domino.

Saulus autem erat conſentiens neci ejus.

CAP. VIII.

Hic Saulus furit, & credit Simon, arguiturque: Labilis eunuchum, dum legit, unda beat.

1 Factaeſt autem in illa die perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Heroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Judæa & Samariæ, præter Apoſtolos.

ERANT in ea multitudine, quibus nondum erat perſuaſum, Jeſum eſſe Filium Dei, atque hic error aliqua ex parte criminis atrocitatem elevabat, licet eos non excuſaret ab homicidio, quod excæcati ſuis cupiditatibus, ulciſci maluerunt, quam diſcere veritatem. Nulli tamen minus excuſabiles quam Pontifices, Scribæ & Phariſæi. Erant rurſus, qui ſimpliciter errabant, credentes ſe ſacrificium gratum offerre Deo, quod eos, qui legem à Deo traditam conarentur ſubvertere, tollerent è medio. Cæterum Euangelica caritas excuſat ea quoque, quæ non poſſunt excuſari. Inter eos autem qui citra malitiam errabant, erat Saulus Tarſenſis, adoleſcens Moſaicæ Legis ſtudioſus, qui poſt ex lupo factus eſt ovis, ex perſecutore ſæviſſimo factus eſt acerrimus aſſertor Euangelicæ libertatis. Atque ipſe quidem tum nullos lapides conjecit in Stephanum, verum aſſenſus eſt his, qui Stephanum damnarant ac lapidarant: atque hoc animo ſervavit illorum veſtimenta, ut in multorum lapidantium manibus eſſet unus. Nec unius morte contenta fuit Judæorum malitia, ſed mox ingens perſecutio obortа eſt adverſus Eccleſiam, quæ erat Hieroſolymis, ſic ut omnes per varias Judææ & Samariæ regiones alius alio diſpergerentur, præter duodecim Apoſtolos, qui cæteris animi robore præſtabant; nec in hos quicquam licebat Judæorum malitiæ, quemadmodum nec in alios, niſi permiſſu Domini Jeſu. Permiſerat hoc Dominus Jeſus, ut urgente perſecutore fugerent de civitate in civitatem. Nec erat iſtud tam formidinis diſcipulorum, quam divinæ diſpenſationis, ut veluti late ſparſis ſeminibus ci-

to proveniret copioſa meſſis Euangelicæ profeſſionis. Soli duodecim Apoſtoli, veluti Paſtores, non ceſſerunt huic tempeſtati, ſed conſtantibus animis perſeverarunt Hieroſolymæ.

2 Curaverunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum.

2 Porro Stephanum exſtinctum curarunt humandum viri quidam pietatis cultores, quod intelligerent illum præter meritum per ſubornatos teſtes oppreſſum. Hoc ſtudio Joſeph & Nicodemus curarunt funus Domini Jeſu. Stephani vero mors juxta Judæorum morem ingenti bonorum luctu planctuque celebrata eſt. Nam apud Chriſtianos mors pro Chriſti gloria oppetentium plauſibilis eſt ac triumphalis: & ſi quid eſt ibi lachrymarum, non impenditur ei, qui mortuus eſt, ſed vel occiſoribus ſibi gehennam accerſentibus, vel gregi neceſſario Paſtore deſtituto.

3 Saulus autem devaſtabat Eccleſiam, per domos intrans, & trahens viros ac mulieres, tradebat in cuſtodiam.

3 In hac tempeſtate Saulus, qui in lapidatione Stephani zeli ſui ſpecimen aliquod dederat, magno odio concepto in Chriſtianos, non aliter quam lupus famelicus laniat ac diſſipat gregem ovium, ita cœpit devaſtare Eccleſiam Dei, perſequens fugitantes, inquirens latitantes, obambulans per ſingulas domos, & ubicunque ſenſiſſet eſſe, qui Jeſum Chriſtum profiteretur, irruebat, viros pariter ac mulieres pertrahens in carcerem, videlicet ſævior ipſis Sacerdotibus & Scribis, quorum nullus adhuc negotium exhibuerat ſexui muliebri. Id agebat juvenis pio quidem affectu, ſed perverſo judicio. Et ideo ſævitiam illius Dominus temperabat, ne cujus ſanguine contaminaretur.

4 Igitur qui diſperſi erant pertranſibant evangelizantes verbum Dei.

4 Dum hæc aguntur Hieroſolymis, hi qui diſperſi fuerant, quanquam metus aliunde alio propellebat, tamen non tacebant Jeſum Nazarenum, ſed peragrabant Judæam, paſſim ſemina quædam jacientes ſermonis Euangelici, qua de cauſa Dominus eos diſſipari paſſus fuerat.

5 Philippus autem deſcendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Chriſtum.

5 Inter quos erat Philippus è ſeptem Diaconis unus, ordine proximus Stephano. Is profugus Hieroſolyma, deſcendit in civitatem Samariæ, quæ eadem Sebaſte dicta eſt. Pervenerat eodem & ante rumor quidam de Jeſu Nazareno, de quo Philippus cætera prædicabat, quomodo crucifixus eſſet ac tertio die revixiſſet, deinde per dies quadraginta verſatus cum diſcipulis adſcendiſſet in cœlum, atque inde miſiſſet ſuis diſcipulis Spiritum Sanctum, poſthac omnibus paratam eſſe ſalutem, qui crederent in nomine illius.

6 Intendebant autem turbæ his quæ à Philippo dicebantur, unanimiter audientes, & videntes ſigna quæ faciebat.

6 Populus autem Samaritanorum (nam à populo ſemper eſt primus Euangelii proventus) magno animorum conſenſu intendebat iis, quæ narrabantur à Philippo. Erat enim oratio favorabilis, quæ pollicebatur omnibus ſalutem, tum autem dictis fidem adſtruebant miracula, quæ multa per Philippum edebantur.

7 Multi enim eorum qui habebant ſpiritus immundos, clamantes voce magna exibant.

7 E multis enim, qui poſſidebantur ab impuris Spiritibus, ad invocationem nominis Jeſu, Dæmones exibant magna cum vociferatione, declarantes ſeſe non exire ſponte, ſed compulſos virtute ſalutiferi nominis.

8 Multi autem paralytici & claudi curati ſunt.

8 Quin & paralytici complures & claudi ſanitatem ſunt aſſequuti. Has ob res ingens gaudium ortum eſt publicitus in ea civitate. Quo longius receditur ab Hieroſolyma, quoque propius acceditur ad gentes, hoc uberior eſt Euangelici ſeminis proventus. Vide quantum profecerit Judæorum ſævitia. Philippus ex Diacono factus eſt Apoſtolus, & pro paucis Hieroſolymitis, totæ civitates amplectuntur doctrinam Euangelicam. Gravior autem eſt Eccleſiæ pernicies ab his, qui ſe jungunt Eccleſiæ non ſincero animo, quam ab his, qui palam Eccleſiam perſequuntur. Et hujus rei nobis editum eſt exemplum, quo magis cavemus lupos ovilla pelle tectos.

9 Factum eſt ergo gaudium magnum in illa civitate. Vir autem quidam nomine Simon, qui ante fuerat in civitate magus, ſeducens gentem Samariæ, dicens ſe eſſe aliquem magnum.

9 Erat apud Samaritas vir quidam nomine Simon, impoſtor & præſtigiarum artifex, qui prius quam

Digitized by Google

eo veniret Philippus, magicam artem exercuerat in ea civitate, ac simulatis miraculis prodigiisque dementarat Samariæ populum, alioqui superstitiosum, & ad Dæmonum præstigia propensum. His fucis se venditabat apud simplicem ac superstitiose credulum populum, jactans sese magnum quempiam esse Prophetam, cui auscultabant omnes à minimo usque ad maximum.

10 Nihil autem fecerat in nomine Jesu, & ideo stupefacti prodigiis, quæ ille vel præstigiis simulabat, vel Dæmonum auxilio patrabat, dicebant: *Iste est virtus Dei, quæ vocatur magna.*

11 Fuerat apud illos multo tempore versatus, diuque dementaverat illos suis magicis artibus: & ideo parata jam apud omnes auctoritate, plerique credebant his quæ docebat.

12 Is ubi vidit in Philippo præsentiorem virtutem edendi vera miracula per invocationem nominis Jesu, ac Samaritanum populum ab ipso alienatum credidisse Philippo, qui lætum nuntium omnibus adferebat de regno Dei, deque nomine Jesu Christi, nihil magnifice de se prædicans, quemadmodum fecerat Simon, sed Jesu gloriam miraculis illustrans, sed omnibus salutem promittens, qui accepto baptismo nomen illud profiterentur: videretque plurimos, tum viros tum mulieres, baptismum accipere:

13 Tandem fidem Euangelicam amplexus est & ipse Simon, & accepto baptismo, cœpit adhærere Philippo, non tam amore Jesu, quam aviditate laudis & gloriæ. Magicarum enim artium peritissimus, perspiciebat in Philippo, nihil agi similibus fucis. Proinde quum cerneret per illum quædam edi, non levia miracula, qualia sunt fere magorum, ut draco volitet, aut serpat culmus, sed verbo ejici Dæmones, verbo sanari paralyticos: vehementer stupefactus admirabatur, quanam arte aut virtute fierent ista.

14 Cæterum ubi rumor jam pertulisset Hierosolymam ad Apostolos, qui ibi resederant, Samariam per Philippum amplexam esse sermonem Euangelicum, gentem crassam, nec omnino puram ab idololatria, vehementer gavisi, miserunt ad illos Apostolorum præcipuos, Petrum & Joannem, ut per hos comprobaretur & absolveretur, quod per Philippum erat cœptum.

15 Qui cum eo venissent, didicissentque, quod plurimi per Philippum essent baptizati, gratias egerunt Deo. Philippus autem, quique cum illo erant, rogaverunt Apostolos pro illis, ut acciperent Spiritum Sanctum, & qui per baptismum jam essent à peccatis purgati, copiosius etiam Dei donum acciperent, quemadmodum acceperant illi, qui primi in cœnaculo Spiritum Sanctum acceperant.

16 *Nondum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu.* Erat hæc potestas Diaconis delegata, sed impositio manuum, per quam conferebatur Spiritus Sanctus, solis Apostolis & horum vicariis servabatur.

17 Tum Apostoli, ut erant rogati, imponebant illis manus, & signo visibili accipiebant Spiritum Sanctum, qui vigorem igneum addebat animis, ac linguas cœlesti facundia locupletabat.

18 Id ubi vidisset Simon, ille nuper ex malo Mago factus nihilo melior Christianus, quod Apostoli per impositionem manuum conferrent cœleste donum, ne quid sibi deesset ad ostentationem & quæstum, obtulit eis pecuniam, dicens:

19 *Date & mihi potestatem istam, ut cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum.* Existimabat Magus, apud omnes omnia posse pecuniam: nec ignorans oportere facere sumtum, qui quærit lucrum: mercari vult, quod pluris revendat. Atque hic rursus aliud seminarium exitii gravis in Ecclesia. Ananias & Sapphira dederant pœnas simulationis. Erat & hoc exemplum statim acriter repellendum, quod si recipiatur, Christianæ pietatis sinceritatem penitus esset subversurum.

20 Petrus igitur cæteris omnibus commonstrans, quid Episcopis adversus Simonis imitatores sit faciendum, respondit: Satius est, ut ista *tua pecunia*, qua perdere studes alios, *pereat una tecum*, qui jam tua sponte perditissimus es, *ut qui putes donum Dei*, quod ut ille nobis ex sua benignitate gratuito largitur, ita vult ut aliis gratis impartiamus, *redimi posse pecunia.*

21 Cum hoc negotio, quod ex simplici erga Deum fiducia geritur, nullum esse potest tibi consortium, aut communicatio nobiscum. Quamvis enim aqua tinctum est corpus tuum, tamen cor tuum non est rectum coram Deo.

22 Quod si perseveraris in ista malitia, nihil tibi profuerit baptismus. Proinde pœniteat te istius malitiæ tuæ, ac deprecare Deum, ut si qua fieri possit, remittatur tibi tam enorme crimen, nondum quidem opere patratum, sed tamen ita conceptum animo, ut per te non steterit, quo minus patraris, & omnium periculosissimum † exemplum in Ecclesiam Dei induxeris.

23 Puris ac finceris animis donum mitissimi Spiritus committitur. Te vero perspicio cor habere minime sincerum, sed amaro felle quæstus & ambitionis infectum, & ob id iniquitatis vinculis obstrictum. A quibus ut absolvaris, multis cum lachrymis est orandus Deus, ne te feriat divinæ iræ vindicta, quam tanto facinore provocasti.

24 Hîc Simon, metu territus potius, quam facti pœnitentia ductus, dicit Petro: *Vos potius pro me rogate Dominum, ne quid eorum, quæ dixistis, accidat mihi.* Vides duos Simones inter se compositos, Theophile: in altero demonstratum est, quid sit exsecrandum: in altero, quid sit imitandum.

25 Hîc igitur posteaquam Petrus & Joannes testimonio suo comprobassent & consummassent Philippi prædicationem, multaque docuissent de his, quæ didicerant à Domino Jesu, reversi sunt Hierosolymam, atque obiter multis vicis & oppidulis Samaritarum prædicabant Euangelium, nunquam non agentes quod illis mandatum erat à Domino.

26 Oblata est & alia præda Philippo, profectus Euangelici sitientissimo. Bonis enim benefaciendi datur occasio: nam *Angelus Domini submonuit illum, dicens: Surge ac proficiscere meridiem versus per viam, quæ deducit ab Hierosolymis Gazam*: de vetere Gaza loquor, *quæ* nunc *deserta est*, vicina mari.

27 Paruit Angelo Philippus, ac profectus est: ut agnoscas alacritatem Episcopo dignam, quoties ad Euangelium alliciendus est aliquis. Quemadmodum autem in fabulis Choragus, ita hîc Angelus personarum exitum & occursum temperat. Commodum enim eodem tempore iter ingressus est vir quidam Eunuchus, corpore quidem exsectus ac parum vir, sed animo masculo, gente Æthiops, cute nigra, sed mox niveo agni immaculati vellere convestiendus, ac nativam pellem baptismi lavacro mutaturus, præfectus Candaces Æthiopum Reginæ, qui præpositus erat omnibus gazis ejus. Audis gentem effœminatam luxu, planeque dignam, quæ fœminæ pateretur imperium: luxum alunt divitiæ. Is profectus fuerat Hierosolymam religionis gratia. Tanta enim erat Templi celebritas, ut gentes etiam è longinquo eo se conferrent, ac dona secum deferrent. Hinc Sacerdotum stomachus in eos, qui dicerent, hoc Templum aliquando demoliendum. Pius erat animus Eunuchi, sed errabat, qui religionem quæreret in Templo Judæorum, unde jam migratura esset ad Gentes.

28 Quum itaque domum reverteretur sedens in curru, nec hoc tempus fabulis aut somno dabat, sed

† Alia Editio, *pernicioſiſſimum.*

10 *Cui auscultabant omnes à minimo usque ad maximum, dicentes: Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna.*
11 *Attendebant autem eum, propter quod multo tempore magiis suis dementasset eos.*
12 *Cum vero credidissent Philippo euangelizanti de regno Dei, in nomine Iesu Christi baptizabantur viri ac mulieres.*
13 *Tunc Simon & ipse credidit: & cum baptizatus esset, adhærebat Philippo. Videns etiam signa & virtutes maximas fieri, stupens admirabatur.*
14 *Cum autem audissent Apostoli, qui erant Ierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem.*
15 *Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum:*
16 *Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu.*
17 *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.*
18 *Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam,*
19 *Dicens: Date & mihi hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum:*
20 *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.*
21 *Non est tibi pars, neque sors in sermone isto: cor enim tuum non est rectum coram Deo.*
22 *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua: & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.*
23 *In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.*
24 *Respondens autem Simon, dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me, horum quæ dixistis:*
25 *Et illi quidem testificati & locuti verbum Domini, redibant Ierosolymam, & multis regionibus Samaritanorum euangelizabant.*
26 *Angelus autem Domini locutus est ad Philippum, dicens: Surge, & vade contra meridianum, ad viam quæ descendit ab Ierusalem in Gazam: hæc est deserta.*
27 *Et surgens abiit. Et ecce vir Æthiops, Eunuchus, potens Candaces reginæ Æthiopum, qui erat super omnes gazas ejus, venerat adorare in Ierusalem:*
28 *Et re-*

vertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam Prophetam.

sed amore religionis legebat Esaiam Prophetam, nobis ostendens, ubi sit quærendus Jesus. Non enim in templis latitat, sed in sacris Libris.

29 Dixit autem Spiritus Philippo: Accede, & adjunge te ad currum istum.

29 Hîc ubi jam occurrisset Philippus, rursum submonuit eum Spiritus, dicens: *Accede & adjunge te ad currum istum.*

30 Accurrens autem Philippus, audivit eum legentem Isaiam Prophetam, & dixit: Putasne intelligis quæ legis?

30 *Quum accurrisset ad currum Philippus, audivit Eunuchum legentem Esaiam Prophetam,* & mox agnoscens religionis studium, *ait illi: Intelligis-ne quæ legis?*

31 Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogavitque Philippum ut ascenderet, & sederet secum.

31 Tum ille: Quî nam possim homo profanis negotiis deditus, nisi sit, qui mihi sensum abstrusum exponat Prophetæ? Rogavitque Philippum, ut conscenderet currum, sibique assideret, quo commodius colloqui liceret. Conscendit Philippus & assedit Eunucho. Hîc mihi considera imaginem Euangelici doctoris, & populi gentium aventis Christum discere. Non potest autem non ingens esse profectus, ubi alter docendi avidus accurrit, alter discendi cupidus invitat ad confessum. Nihil hîc agitur fortuito, omnia moderatur ac temperat Deus.

32 Locus autem Scripturæ, quam legebat, erat hic: Tanquam ovis ad occisionem ductus est: & sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum.

32 Eunuchus imprudens in eum Prophetæ locum inciderat, qui Jesum Christum depingebat. Erat autem hic: *Tanquam ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se obmutuit, nec aperuit os suum.*

33 In humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem ejus quis enarrabit, quoniam tollitur de terra vita ejus?

33 *In humilitate judicium ejus sublatum est, generationem ejus quis enarrabit? Quoniam tollitur de terra vita ejus.*

34 Respondens autem Eunuchus Philippo, dixit: Obsecro te, de quo Propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo?

34 Hunc locum quum Philippus relegisset Eunucho, ille magis etiam accensus aviditate cognoscendi, de quo Propheta loqueretur, ait: *Obsecro te, de quo Propheta hoc dicit, de se, an de alio quopiam?* Vide docilem Eunuchum; audierat Esaiam ipsum jussu Manasse Regis sectum lignea serra, nec ignorabat hoc habere prophetiam, ut quod de hoc aut illo dictum videretur juxta sensum historicum, frequenter ad alium pertineret juxta sensum abstrusiorem. Docilis est autem, qui sic interrogat.

35 Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens à Scriptura ista, evangelizavit illi Jesum.

35 Philippus itaque libenter docturus avidum, aperuit os suum, & exorsus ab hoc Prophetæ loco, summam Euangelicæ doctrinæ illi exposuit. Nimirum quod hic esset Filius Dei, per quem Deus decreverat, ac per Prophetas suos promiserat, se salutem daturum omnibus, in illo fiduciam suam collocantibus, quodque hac de causa voluit illum, assumto corpore humano, rursum nasci ex Maria virgine. Porro quum utraque nativitas sit ineffabilis, sive qua sine tempore semper nascitur à Patre, sive qua sine viri opera per opificium Spiritus Sancti natus est de virgine, sic humanam naturam assumens, ut divinam non amitteret: Propheta id cernens spiritu, stupefactus dixit: *Generationem ejus quis enarrabit?* Deinde quod hic esset ille verus agnus paschalis, cujus morte Pater destinarat non Israelitas tantum, verum etiam universas nationes, à servitute peccatorum, & ab æterna morte liberare. Et ideo tradidit illum in manus Sacerdotum, Scribarum, Pharisæorum & primorum populi, per quos ductus est ad Pilatum Præsidem, ut ab eo crucifigeretur. Apud hunc quoniam morti pro salute nostra voluit, nihil respondit, ut absolveretur, sed ovis in morem omnibus ludibriis & afflictionibus semetipsum præbuit. Celavit enim illic magnitudinem suam, ac semet hominum causa dejecit ad summam humilitatem. Judæi vero nihil aliud eum esse, quam quod videbatur, rati, condemnarunt illum, & ad mortem adegerunt. Nimirum hoc est quod ait Propheta: *In humilitate judicium illius sublatum est.* Condemnatus est innocens, qui olim sublimis & excelsus rediens, judicabit vivos & mortuos. Deus autem Filium suum revocavit ad vitam tertio die. Hinc quadraginta dies visibili & contrectabili corpore versatus in terris, & subinde sese ostendens discipulis, postremo videntibus omnibus sublatus est in cœlum. Rursus decimo ab adscensu die, misit Spiritum Sanctum è cœlis, qui afflavit animos & linguas Apostolorum, ut intrepide prædicarent Jesum Nazarenum, salutis ac vitæ principem, omnibus totius orbis gentibus, non per Legem Mosi, sed per fidem & baptismum. Nihil est horum, quod non est in Lege Mosi figuris designatum, quod non à Prophetis prædictum, quod non ab ipso Jesu traditum ac promissum.

36 Et dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam: & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?

36 Hæc aliaque permulta quum Eunucho differeret Philippus, ille forte videt juxta viam fonticulum, & ait Philippo: Cur rem tantam proferimus? *En adest aqua.* Tu docuisti: ego paratus sum. *Quid res obstat, quo minus statim baptizer?*

37 Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: Credo, Filium Dei esse Jesum Christum.

37 *Tum Philippus: Nihil obstat, si modo credas* his, quæ docui, *ex toto corde.* Hæc una stipulatio intercedit in baptismo. *Tum Eunuchus* alacriter *respondit: Credo Jesum esse* Christum illum, à Prophetis promissum, & *Filium Dei*, per quem omnibus offertur salus æterna.

38 Et jussit stare currum: & descenderunt uterque in aquam, Philippus & Eunuchus, & baptizavit eum.

38 Mox Philippus jussit sisti currum. Superbum erat vehiculum, ac barbaræ Reginæ Præfecto dignum. Sed descendat oportet, & omnibus ornamentis semet exsuat, qui velit esse baptismo dignus. Descendit uterque in aquam, & Philippus baptizavit Eunuchum, pauper divitem, humilis potentem, vir Eunuchum, Judæus Æthiopem. Adeo nullus hîc personæ respectus. Omnia conveniunt, si convenit fides, & consensus in Jesum Christum. A baptismo nec Eunuchus est, nec Æthiops, sed nova creatura.

39 Cum autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus. Ibat autem per viam suam gaudens.

39 Cæterum Philippus simulac egressus est aquam, rapuit illum Spiritus Domini, nec amplius vidit eum Eunuchus, nec desideravit doctorem suum, semel afflatus Spiritu Sancto per baptismum: sed gaudii plenus, quod didicisset Jesum Christum, perfecit iter suum, ut & apud Æthiopes suos Christi nomen prædicaret.

40 Philippus autem inventus est in Azoto, & pertransiens evangelizabat civitatibus cunctis, donec veniret Cæsaream.

40 Porro Angelus deposuit Philippum in proxima civitate Asoto, unde venerat. Hinc profectus, ubicunque occurreret vicus aut oppidum, prædicabat Euangelium, donec veniret Cæsaream Palæstinæ, ubi domicilium habebat.

CAP. IX.

Indulta est lux Sauli iterum: quem sportula servat: Salvus es Æneas: sancta puella redi.

1 Saulus autem adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini, accessit ad Principem sacerdotum,

1 INTER hæc, Sauli sævitia non sese continebat intra muros urbis Hierosolymitanæ, verum ubi perspexit, per dissipatos discipulos latius etiam spargi doctrinam Euangelicam, magis ac magis spirans, jam non minas tantum ac carceres, sed cædem & mortes adversus illos, adiit summum Pontificem, quo magis attereret eos, armatus auctoritate:

2 Et petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas: ut si quos invenisset hujus viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem.

2 Et petiit ab illo Epistolas delegatorias, non solum in civitates vicinas, in quibus jam exercuerat sævitiam suam, sed usque ad Damascum, procul ab Hierosolymis dissitam, Phœnices civitatem, scriptas ad Synagogas Judæorum illic agentium, ut his ex auctoritate summi Pontificis opitulantibus, quoscunque deprehendisset hujus damnatæ hæreseos, sive viros, sive mulieres, eos vinctos perduceret Hierusalem.

3 Et cum iter faceret, contigit ut appropinquaret Damasco: & subito circumfulsit eum lux de cælo.

3 Hæc Saulus animo simplici moliebatur, juxta Domini dictum, arbitrans sese gratum obsequium præstare Deo. Et ideo non passus est illum innoxiorum sanguine pollui, sed è medio cursu sævitiæ revocavit. Quum enim jam pene confecto itinere, non procul abesset à civitate Damasco, subito circumfulsit illum lux è cœlo:

4 Et cadens in terram audivit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris?

4 Ac præ timore collapsus in terram, audivit vocem dicentem sibi: *Saule, Saule, cur me persequeris?*

5 Ille

5 Ille, quis me

5 *Qui dixit: Quis es Domine? Et ille: Ego sum Iesus, quem tu persequeris, durum est tibi contra stimulum calcitrare.*

6 *Et tremens, ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere?*

7 *Et Dominus ad eum: Surge, & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur eum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.*

8 *Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum.*

9 *Et erat ibi tribus diebus non videns, & non manducavit, neque bibit.*

10 *Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias: & dixit ad illum in visu Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego, Domine.*

11 *Et Dominus ad eum: Surge, & vade in vicum, qui vocatur Rectus: & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tharsensem: ecce enim orat.*

(12 *Et vidit virum Ananiam nomine, introeuntem, & imponentem sibi manus ut visum recipiat.*)

1 Ille demiratus, quisnam esset ille sublimis expostulator, tamque potens, dubitans Angelus-ne quispiam esset, an Deus, timide respondit: *Quis es Domine?* Tum ille: *Ego sum Jesus* ille Nazarenus, *quem tu* mortuum credis, quum vivam ac regnem in cœlis, meos autem discipulos, meumque nomen persequens, me *persequeris* imprudens. Verum, nihil agis. Durum est enim tibi adversus stimulum jactare calces. Non enim reluctaris hominibus, sed Deo, cujus voluntati nemo potest resistere. Bis igitur peccas, & nihil profecturus, & tibi malum accersiturus. Hac audita voce Saulus tremens ac stupefactus dixit: *Domine, quid me vis facere?*

6 Hæc vox erat simpliciter errantis, non per malitiam, sed per ignorantiam. Tales docuisse sat est. Sed expediebat dejici superbum ac ferocem, terreri spirantem minas ac cædem, ut docilis fieret.

7 Tum Dominus ad illum: *Surge & ingredere civitatem. Ibi doceberis, quid tibi sit faciendum.* Sic percutit Dominus, ut sanet: sic dejicit, ut erigat: sic exoculat, ut illuminet. Sævus ille præcipitatus est, mitis & ad obtemperandum paratus, jussus est surgere. Dum hæc ita geruntur, viri, qui Saulum comitabantur in hoc itinere, stabant attoniti, audientes quidem vocem Paulo loquentis, cæterum neminem videntes.

8 Saulus autem recepto spiritu surrexit. Primus ad virtutem gradus est, erigi. Et ecce rursus aliud miraculum, quum oculos haberet apertos, nihil videbat. Comites igitur manu ducebant illum in civitatem Damascum. Nec statim admissus est ad donum Spiritus Sancti, quo præscriberetur exemplum posteris, non cuivis statim imponendam esse manum, sed jejunio, precatione prius explorandos ac præparandos catechumenos.

9 Quemadmodum igitur Apostoli decem dies sederant Hierosolymis, exspectantes Spiritum Sanctum, ita Saulus Damasci commoratus est triduum, nihil videns oculis corporis, sed interim illustrabantur oculi mentis: nihil comedens, sed interim cœlesti doctrina saginabatur animus.

10 Erat autem Damasci discipulus quidam (sic enim tum adhuc vocabantur, qui recepissent doctrinam Euangelicam, nomine Ananias. Hunc delegerat Dominus, per quem Paulum impleret Spiritu Sancto. Itaque compellat hunc in somnis per visum, dicens: Anania. Ille contra, mox intelligens à Deo se vocari, respondit: *Ecce ego Domine:* videlicet animum vere Christianum, & ad omnia jussa promtum indicans.

11 *Tum Dominus: Surge, & abi in vicum, qui* vulgo *dicitur Rectus, & quære in ædibus Judæ quendam nomine Saulum patria Tarsensem. Ecce enim illic orat,* ambiens munificentiam nostram.

12 *Eodem tempore visus est & Saulo oranti vir quidam, dictus Ananias, domum ingredi, sibique manus imponere, quo reciperet oculos.* Ita Dominus mutua visione utrumque alteri præparavit.

13 Ananias autem ad Sauli nomen, jam ob sævitiam in Christianos celebre, territus respondit: *Domine, ex multis audivi de viro isto, quantis malis afflixerit sanctos tuos Hierosolymis:*

14 Nec his contentus, *nunc huc etiam pervenit armatus Pontificum summorum* sævis *diplomatis, ut in vincula conjiciat omnes, qui invocant nomen tuum.*

15 Rursus ad hæc Dominus: Scio, lupum illum rapacem timetis oves. Atqui nihil est quod metuas. Ego enim lupum illum verti in ovem mansuetissimam. Proinde fac intrepidus adeas. *Ego* enim *illum mihi velut organum insigne delegi, ut vehat nomen meum apud gentes, apud Reges ac filios Israel.* Quod hactenus fecit, non malitia, sed zelo patriæ legis fecit. Et simpliciter errans judicio, specimen præbuit, qualis propugnator sit futurus Euangelii mei.

16 Hactenus armatus Pontificum bullis, minis & vinculis, pugnavit adversus mei nominis professores. Posthac armatus meo Spiritu, & accinctus gladio sermonis Euangelici, longe fortius belligerabitur adversus osores mei nominis, pro cujus gloria multo sæviora perferet volens, quam modo parabat vobis.

17 His dictis animatus *abiit Ananias, & ingressus est ædes* Judæ. *Saulum orantem reperit, cui imponens manum, ait: Saule frater, Dominus Jesus, qui tibi apparuit in via, quum huc venires, misit me ad te, ut oculos recipias, & implearis Spiritu Sancto.*

18 Vix ea dixerat *Ananias, illico deciderunt ab oculis illius ceu squamæ quædam, ac visum recepit. Moxque surgens baptizatus est.*

19 *Deinde sumto cibo corroboratus est.* Sic eximius ille dux Euangelicus, & aliorum Apostolorum gloriam obscuraturus, per humilem discipulum ante Spiritum Sanctum accepit, quam baptismum. Nihil autem non ordine geritur, quod geritur jussu Domini Jesu, quem Paulus habuerat catechistam. Sic enim tradiderat potestatem Apostolis, ut nihilo secius sibi servaret negotii totius summam auctoritatem. Itaque Saulus repente factus alius, versatus est dies aliquot cum discipulis, qui erant Damasci.

20 Nec mora. Prævaricator mandatorum Pontificis, eodem statim in loco prosilire cœpit ad munus à Christo delegatum. Et ingressus Synagogas Judæorum, palam ac libere prædicabat, asseverans Jesum Nazarenum esse Filium Dei, per quem unum salus omnibus offerretur, juxta Prophetarum vaticinia.

21 Judæi vero, qui Sauli sævitiam in Christianos rumore cognoverant, gaudentes sese talem habere Mosaicæ Legis propugnatorem, quum audissent illum tanto studio prædicantem nomen Jesu Nazareni, mirabantur quid homini accidisset, quod subito factus esset alius, dicentes inter sese: Nonne hic est ille Saulus, qui dudum modis omnibus oppugnabat Hierosolymis eos, qui invocant nomen hoc, cujus nunc præconem & buccinatorem agit, ac modo huc hoc animo profectus est, ut si quos hîc deprehenderet, vinctos adduceret ad summos Pontifices, illorum arbitrio plectendos? Quî factum est, ut tam subito Judæum exsuerit, & à Mose deficiens, professor factus sit crucifixi?

22 Paulus autem (jam enim hoc nomen illi magis congruebat) posteaquam è turbulento factus est modestiæ pacisque doctor, adeo nihil territus est istiusmodi Judæorum vocibus, ut in dies majore collecto spiritu robore, confunderet ac perturbaret Judæos habitantes Damasci: constanterque asseverans ac Scripturarum testimoniis docens, Jesum Nazarenum, quem ante per ignorantiam persequutus esset, nunc prædicaret, esse verum Messiam orbi promissum, nec alium exoriturum, unde speranda sit Judæis salus.

23 Id quum Paulus complures dies ausus esset Damasci, magno gaudio discipulorum, magno fremitu eorum, qui nondum crediderant, tandem Judæi consilium inierunt, ut illum per insidias interficerent. O nationem homicidam! Paulus disputabat, docebat, & Judæos Legis ipsorum testimoniis, veluti suo jugulabat gladio. Illi nihil habebant præter conjurata concilia, carceres, flagra, & mortes. Verum, promiserat hoc Dominus suis, ne pilum quidem de capite illorum periturum nisi permissu Patris. Nondum venerat tempus, ut interiret eximius ille bellator Euangelicus, multa erant illi pro Christi populo depugnanda prælia, frequenter periclitandum in acie, multæ regiones ac civitates sacra doctrina subactæ, sub jugum Christi vocandæ.

16 *Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.*

17 *Et abiit Ananias, & introivit in domum: & imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via qua veniebas, ut videas, & implearis Spiritu sancto.*

18 *Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tamquam squamæ, & visum recepit: & surgens baptizatus est.*

19 *Et cum accepisset cibum, confortatus est. Fuit autem cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot.*

20 *Et continuo in synagogis prædicabat Iesum, quoniam hic est Filius Dei.*

21 *Stupebant autem omnes qui audiebant, & dicebant: Nonne hic est, qui expugnabat in Ierusalem eos qui invocabant nomen istud: & huc ad hoc venit, ut vinctos illos duceret ad principes sacerdotum?*

22 *Saulus autem multo magis convalescebat, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus.*

23 *Cum autem implerentur dies multi, consilium fecerunt in unum Iudæi ut eum interficerent.*

(13 *Respondit autem Ananias: Domine, audivi à multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Ierusalem:* 14 *Et hic habet potestatem à principibus sacerdotum alligandi omnes, qui invocant nomen tuum.* 15 *Dixit autem ad eum Dominus: Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israel.*

Digitized by Google

24 Nota autem facta sunt Saulo insidiæ eorum. Custodiebant autem & portas die ac nocte, ut eum interficerent.

25 Accipientes autem eum discipuli nocte, per murum dimiserunt eum, submittentes in sporta.

26 Cum autem venisset in Ierusalem, tentabat se jungere discipulo, & omnes timebant eum; non credentes quod esset discipulus.

27 Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos: & narravit illis quomodo in via vidisset Dominum, & quia locutus est ei, & quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Iesu.

28 Et erat cum illis intrans & exiens in Ierusalem, & fiducialiter agens in nomine Domini.

29 Loquebatur quoque Gentibus: & disputabat cum Græcis: illi autem quærebant occidere eum.

30 Quod cum cognovissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream, & dimiserunt Tharsum.

31 Ecclesiæ quidem per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam, habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & consolatione sancti Spiritus replebatur.

24 Proinde volente Deo, significatum est Paulo, quod Judæi struerent illi insidias, adeo ut & noctu & interdiu asservarent portas, ne qua posset elabi, quin interficerent eum. Ad hoc facinus abutebantur opera Præfecti Regis Aretæ, ut si parum processissent insidiæ clanculariæ, palam ac vi tamen occideretur.

25 Itaque discipuli nolentes perire tam fortem propugnatorem, quanto minus ipse sibi metuebat, tanto digniorem existimabant qui servaretur. Itaque occultarunt illum, ac noctu sportæ impositum, per funem demiserunt eum è mœnibus. Sic nonnunquam fugiunt & strenui duces, ut, juxta proverbium, iterum pugnare valeant. Et ô mire versas in diversum rerum vices! Latitat ac fugitat, qui paulo ante minabundus persequebatur: & Pauli vitæ consulunt, quibus ante cædem machinabatur.

26 Porro quum venisset Hierosolymam, ac sese tentaret adjungere discipulis, quibus vetus ille Saulus nimium notus erat, Paulus nondum innotuerat, metuebant omnes, velut oves lupum, non credentes illi quod esset discipulus, nimirum memores quanta sævitia solitus sit persequi gregem Christi. Suspectas igitur habebant insidias, sub discipuli titulo latentes.

27 Barnabas autem Levites, de quo memoravimus antea, cui cognitum erat, quod erat gestum in Paulo, adducit illum ad Apostolos, quibus rem omnem exposuit, quomodo proficiscenti Damascum apparuisset Dominus, & quomodo illi loquutus sit, & quomodo repente versus in alium virum, fortiter ac libere prædicasset Euangelium in nomine Domini Jesu.

28 Gratulati sunt Apostoli, suoque testimonio Paulum gregi commendarunt. Ita dies aliquammultos versatus est Hierosolymæ, consuetudinem habens cum Apostolis ac discipulis, & illic libere profitens ac prædicans nomen Domini, quod per errorem fuerat persequutus: idque non solum apud Hierosolymitas, nihil veritus apostatæ convitium, quod à Pontificibus desciviſſet:

29 Verum etiam Gentibus, quæ Hierosolymæ tum ob celebritatem urbis agebant, ac Judæis apud Græcos natis prædicabat Jesum, disputans cum illis, & ex ipsis Legis testimoniis docens Jesum esse servatorem mundi. Illi vero non tulerunt hanc libertatem, & adversus disputatorem invictum confugerunt ad solitum præsidium, quærentes viam, qua Paulum inteficerent. Sic disputant homines Judaici. Jamque nihil formidanti struebantur insidiæ.

30 Id ubi à fratribus esset intellectum, ne quid accideret, quod nolebant, deduxerunt illum Cæsaream Philippi, quæ civitas est Phœnices, atque hinc rursus emiserunt Tarsum in Ciliciam, ubi natus erat. Error ac circumactus Pauli, profectus est Euangelii.

31 Interea mitiore jam facta tempestate persecutionis, quæ fuerat orta, congregatio discipulorum sparsa per totam Judæam, Galilæam & Samariam, in quibus regionibus potissimum docuerat Dominus, & in quibus primum jusserat prædicari sermonem Euangelicum, satis tranquille agebat, mutua concordia sese confirmans, & neglectis hominum minis, atque in dies augescens ædificabatur, versans cum timore Domini, & inter afflictiones malorum Spiritus Sancti consolatione replebatur. Hoc nimirum erat, quod illis promiserat Dominus: *In mundo afflictionem habebitis, in me vero pacem & solatium.*

32 Accidit autem, ut dum Petrus, tanquam vigil ac strenuus pastor, peragrando regiones omnes, nunc hos, nunc illos inviseret, perveniret etiam ad sanctos, qui habitabant Lyddæ: ea est littoralis civitas Palæstinæ.

33 *Illic reperit hominem quendam nomine Æneam, octo jam annis decumbentem in grabato. Nam erat paralyticus.*

34 Petrus autem memor præcepti Dominici, quo jusserat, ut in quancunque domum ingressi fuissent, sanarent ægrotos: non enim convenit illic esse morbos corporum, ubi adsunt medici animorum, *ait illi: Ænea sanet te* Dominus *Jesus Christus: Surge & sterne tibi ipsi.* Ad hanc vocem illico surrexit sanus, & stravit sibi. Hoc erat argumentum plenæ sanitatis.

35 Ubi viderunt eum virtute nominis Jesu subito sanum esse, qui tot annis decubuerat, quotquot habitabant Lyddæ & Saronæ: id est oppidum in littore, Lyddæ vicinum: *conversi sunt & ipsi ad Dominum*, ac professi sunt nomen Domini Jesu. Ita salus corporis uni reddita, multos pellexit ad salutem animorum.

36 Rursum *Joppe erat discipula quædam nomine Tabitha, quæ Grace dicitur Dorcas*, Latine *caprea*, ab oculorum acie ducto vocabulo. Hæc abundarat cum omni genere bonorum operum, tum præcipue caritatis officiis, quibus sublevabat egentes.

37 *Accidit autem, ut eodem tempore*, quo Petrus Lyddæ versabatur, *ex morbo, quo laborarat, moreretur. Quum autem cadaver* ex more *lavissent*, uncturi *posuerunt illud in cœnaculo.*

38 *Quoniam autem Ioppe non procul aberat à Lydda, discipulique cognovissent, quod illic esset Petrus, legarunt duos viros ad illum, rogantes ne gravaretur venire ad ipsos.*

39 Petrus nihil cunctatus *venit ad illos*, boni Pastoris exemplum exhibens. *Ubi venisset in domum, duxerunt eum in cœnaculum*, ut conspecto cadavere moveretur ad misericordiam. Hîc circumstetere Petrum omnes viduæ, quarum commendatio præcipua tum erat, necessitatibus sanctorum inservire. Addebant lachrymas, quas non tam fundebant defunctæ, quam egenis, quos illa suis officiis solita est refocillare. Jam hoc ipsum erat orare, fudisse lachrymas. Non commemorant benefacta mortuæ, sed ostendunt tunicas, aliasque vestes, quas tegendis sanctis parabat Dorcas. Benefaciendi studium mors interruperat.

40 Hîc Petrus memor exempli Jesu, quum filiam Archisynagogi suscitaret prius ejecta turba flentium, jussit omnes exire foras. Nam viduæ tantum flebant. Fletus autem obstat precationi. Simul ne sexus infirmus commoveretur exsurgente cadavere, noluit quenquam adesse, sed solus flexis genibus orabat. Non enim semper adest vigor spiritus, per quem eduntur miracula. Is excitatur precatione, quemadmodum & fides, sine qua nullum editur miraculum. Fusis precibus & concepto spiritus robore, conversus est ad corpus, & ait: *Tabitha surge.* Ad hanc vocem illa velut expergefacta vidit Petrum. *Eo conspecto resedit.*

41 *Petrus autem, porrecta illi manu, erexit illam*, jam vivam & alacrem. Sic ad pietatem erigendi sunt imbecilles. Orandus primum Deus, ut illorum misereatur. Deinde doctrina, increpatione, exhortatione compellandi sunt. Postremo porrecta manu ad perfectiora sublevandi. Quumque Petrus revocasset in cœnaculum, quos exire jusserat, sanctos & viduas, qui & ipsi orantes exspectabant misericordiam Domini, exhibuit mulierem vivam.

42 Ea res vulgata est per universam civitatem Joppen, ac multos pertraxit ad professionem nominis Jesu. Nam hic est præcipuus miraculorum

33 *Invenit autem ibi hominem quemdam, nomine Æneam, ab annis octo jacentem in grabato, qui erat paralyticus.*

34 *Et ait illi Petrus: Ænea, sanat te Dominus Iesus Christus: surge, & sterne tibi. Et continuo surrexit.*

35 *Et viderunt eum omnes, qui habitabant Lydda & Saronæ: qui conversi sunt ad Dominum.*

36 *In Ioppe autem fuit quædam discipula, nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis, & eleemosynis, quas faciebat.*

37 *Factum est autem in diebus illis, ut infirmata moreretur. Quam cum lavissent, posuerunt eam in cœnaculo.*

38 *Cum autem prope esset Lydda ad Ioppen, discipuli audientes quia Petrus esset in ea, miserunt duos viros ad eum, rogantes: Ne pigriteris venire usque ad nos.*

39 *Exurgens autem Petrus venit cum illis. Et cum advenisset, duxerunt illum in cœnaculum: & circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas & vestes, quas faciebat illis Dorcas.*

40 *Ejectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua oravit: & conversus ad corpus, dixit: Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos: & viso Petro, resedit.* 41 *Dans autem illi manum, erexit eam. Et cum vocasset sanctos, & viduas, assignavit eam vivam.* 42 *Notum autem factum est per universam Ioppen: & crediderunt multi in Domino.*

Digitized by Google

fructus. Neque enim alioqui magni refert, inter tot millia viciſſim naſcentium ac morientium, unum aut alterum in vitam revocare, paulo poſt tamen moriturum.

43 Hac occaſione factum eſt, ut Petrus complures dies commoraretur Joppæ. Ubi enim libentius agat piſcator hominum, quam ubi magnus numerus confluit ad ſagenam? Diverſabatur interea Petrus Apoſtolorum princeps, tantiſque miraculis clarus & pollens, apud opificem quendam coriarium, nomine Simonem.

CAP. X.

Cornelio Petrus quid ſit commonſtrat agendum: Et monitus viſis huncque domumque lavat.

1 NONDVM Apoſtolorum quiſquam ad gentes diverterat, ſed per occaſionem attractus eſt Æthiops Eunuchus. Quibuſdam tamen Ethnicis profuit, Apoſtolis fuiſſe vicinos. Siquidem in Cæſacra florentiſſima Palæſtinæ civitate, quæ prius dicta Turris Stratonis, *vir erat quidam nomine Cornelius, Centurio de cohorte, quæ dicitur Italica.*

2 Hic quanquam eſſet ex profeſſione majorum Ethnicus, ex officio militaris, tamen velut ambiens Chriſtianiſmum, pius erat ac metuens Deum. Qualis erat ipſe, talis erat & univerſa illius familia. Fit enim fere, ut patremfamilias imitetur reliqua domus. Duabus rebus potiſſimum declarabat animum Chriſtianiſmo dignum, multa munificentia ſublevans egeſtatem plebejorum, & aſſidua deprecatione ad Dominum. Deum verum agnoſcebat, hoc didicerat apud Judæos verſans. Sciebat hujus favorem potiſſimum conciliari beneficiis in pauperes erogandis, & aſſiduitate precandi. Supererat ut habenti daretur.

3 Is hora diei nona, quum oraret ſub cœnæ tempus, per viſum manifeſte vidit Angelum Dei venientem ad ſe, & nomine compellantem, quaſi probe notum, *Corneli.*

4 Cornelius autem intuitus Angelum, & ex ignotæ formæ majeſtate metu correptus, dixit: *Quis es Domine?* Tum Angelus: Non perierunt tuæ preces & eleemoſynæ, quibus hactenus ſollicitaſti divinam miſericordiam. Quod enim in pauperes refocillandos collocaſti, hoc Deus ſibi patitur imputari: & illorum nomine, qui gratiam referre non poſſunt, ipſe rependet præmium. Nequaquam igitur apud immemorem collocaſti tua beneficia, feciſti quod ille voluit: ille viciſſim tibi faciet, quod aſſiduis precibus flagitaſti. Audiit Deus tuas preces, quoniam aures tuæ non fuerunt ſurdæ pauperibus.

5 Nunc igitur hoc agendum eſt abſque cunctatione, ut quod ſupereſt, perficiat in te Deus ſuam munificentiam. *Mitte viros aliquot ad civitatem Joppen, ac per eos accerſe Simonem quendam*, apud mundum non valde nobilem, apud Deum pietate clarum, *cui cognomen Petrus.*

6 *Hic diverſatur apud Simonem quendam Joppenſem, arte coriarium, cujus domus eſt vicina mari. Ex hoc Petro diſces, quid tibi ſit faciendum*, ut ſalvus fias.

7 Hæc loquutus Angelus evanuit. *Cornelius itaque ſtatim mittit duos è ſuis domeſticis, ſimulque militem ex his qui ſibi adhærebant, ſpectatæ pietatis* ac fidei: neque enim tota modo domus imitatrix erat religionis Cornelianæ, verum etiam inter milites erant, qui ducis religionem imitarentur.

8 *His quum rem omnem expoſuiſſet de viſione, juſſit abire Joppen.* Hæc veſperi ſunt acta.

9 Poſtero vero die profecti ſunt legati Cornelii. Talis enim tum legatio non faſtidiebatur à ſummo Eccleſiæ Paſtore. Quum autem jam non procul abeſſent à civitate Joppe, commodum Petrus ex more *aſcenderat in cœnaculum orandi gratia ad horam ferme ſextam*, circiter meridiem.

10 *Quum autem* inter precandum *eſuriret, voluit ſumere cibum* poſt longam inediam. *Atque interim dum paratur* juſſu Petri *cibus, raptus eſt ſpiritu.* Datur hoc potiſſimum orantibus & jejunis. Saturis enim & eſcitantibus non reſerantur arcana Dei.

11 *Vidit autem cœlum apertum, atque inde vas quoddam, veluti linteum magnum, quatuor initiis alligatum, è cœlo demitti in terram.* Nam in linteis olim apponebantur cibi.

12 *In vaſe erat omne genus quadrupedum & ſerpentium*, quæ vivunt in terra, *ac volatilium, quæ vivunt in aere*, immunda mundis admixta. Nimirum hic erat cibus Judæis abominandus, ſed quem Jeſus eſuriebat, quum diſcipulis adferentibus cibum diceret: *Ego cibum habeo comedendum, quem vos neſcitis.*

13 Admirante Petro quid hoc ſpectaculum ſibi vellet, ſonuit vox, quæ diceret illi: *Surge Petre, macta & veſcere.* Quanquam autem Dominus admonuerat ſuos, ut Euangelium impartirent omnibus gentibus, tamen quo facerent id cum majore fiducia, denuo monitus eſt viſione.

14 Petrus itaque, tanquam Judæus, adhuc abhorrens à cibis Lege vetitis, ait: *Abſit Domine*, ut è talibus cibis veſcar. Nam hactenus mihi ſervata eſt religioſe majorum lex: *Nec enim hactenus comedi quicquid profanum eſſet aut impurum.*

15 Ad id vox eadem, quæ prius ſonuerat, ita reſpondit: *Quod Deus purificavit, tu* homo *ne dixeris impurum.*

16 *Eadem viſio quum ſeſe ter exhibuiſſet* ad certiorem fidem, *mox vas receptum eſt in cœlum.*

17, 18 *Petrus* autem ad ſe reverſus, *dum hæſitabundus ſecum expendit, quid ſibi vellet viſio*, ſomnium ne eſſet, an ſignificatio divinæ voluntatis: *ecce viri illi, quos legaverat Cornelius, ſtabant ad oſtium Simonis coriarii, & evocato quopiam* è famulis, *rogabant an illic diverſaretur aliquis Simon cognomento Petrus.*

19 Priuſquam autem id eſſet Petro nuntiatum, eſſe qui quærerent ipſum, ſed tantum apud ſeſe reputaret, quid ſibi vellet viſio, dixit illi Spiritus: variis enim modis Deus loquitur ſanctis ſuis: *Ecce viri tres adſtant pro foribus & quærunt te.*

20 *Surge itaque & deſcende, ac vade cum illis nihil hæſitans: nam à me miſſi ſunt.* Et intelliges quid ſibi velit viſio, de qua miraris.

21 *Deſcendit Petrus, & venit ad viros, aitque: Ecce ego ſum ille Simon Petrus, quem quæritis. Qua gratia veniſtis huc?* Non jactat Petrus viſionem ſuam, ſed exigit à gentibus confeſſionem. Nec enim Euangelii gratia debet obtrudi faſtidientibus, nec avidis negari.

22 *Tum illi: Cornelius Centurio* quidem officio, ſed tamen *vir integris moribus, ac metuens Deum, ſpectatus ac probatus* non tantum apud ſuos, verum etiam *teſtimonio totius Judaicæ gentis, monitus eſt oraculo ſancti Angeli*, qui illi apparuit, *ut te accerſeret domum ſuam, & audiret te præſcribentem quid eſſet faciendum*, ut ſalutem aſſequatur.

23 Petrus intelligens conſentire viſiones, quidque ſibi vellet illa ter audita vox, *quod Deus purificavit tu ne feceris impurum*, invitavit illos ut ingrederentur: erat enim veſpera, & excepit illos hoſpitio. Hoc erat auſpicium commercii Judæorum, cum gentibus ad

---

43 *Factum eſt autem, utrides multos moraretur in Joppe, apud Simonem quendam coriarium.*

1 *Vir autem quidam erat in Cæſarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis quæ dicitur Italica,*

2 *Religioſus, ac timens Deum cum omni domo ſua, faciens eleemoſynas multas plebi, & deprecans Deum ſemper:*

3 *Is vidit in viſu manifeſte, quaſi hora diei nona, Angelum Dei introeuntem ad ſe, & dicentem ſibi, Corneli.*

4 *At ille intuens eum, timore correptus, dixit: Quid eſt, Domine: Dixit autem illi: Orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ, aſcenderunt in memoriam conſpectu Dei.*

5 *Et nunc mitte viros in Joppen, & accerſi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus:*

6 *Hic hoſpitatur apud Simonem quemdam coriarium, cujus eſt domus juxta mare: hic dicet tibi quid te oportet facere.*

7 *Et cum diſceſſiſſet Angelus, qui loquebatur illi, vocavit duos domeſticos ſuos, & militem metuentem Dominum, ex his qui illi parebant.*

8 *Quibus cum narraſſet omnia, miſit illos in Joppen.* 9 *Poſtera autem die iter illis facientibus, & appropinquantibus civitati, aſcendit Petrus in ſuperiora ut oraret circa horam ſextam.*

10 *Et cum eſuriret, voluit guſtare. Paratibus autem illis, cecidit ſuper eum mentis exceſſus:*

11 *Et vidit cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam, veluti linteum magnum, quatuor initiis ſubmitti de cœlo in terram,*

12 *In quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cœli.*

13 *Et facta eſt vox ad eum: Surge Petre, occide & manduca.*

14 *At ait Petrus: Abſit Domine, quia nunquam manducavi omne commune & immundum.*

15 *Et vox iterum ſecundo ad eum: Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.*

16 *Hoc autem factum eſt per ter: & ſtatim receptum eſt vas in cœlum.*

17 *Et dum intra ſe hæſitaret Petrus, quidnam eſſet viſio, quam vidiſſent viri, qui miſſi erant à Cornelio, inquirentes domum Simonis, aſſiterunt ad januam.*

18 *Et cum vocaſſent, interrogabant, ſi Simon, qui cognominatur Petrus, illic haberet hoſpitium.*

19 *Petro autem cogitante de viſione, dixit Spiritus ei: Ecce viri tres quærunt te.* 20 *Surge itaque, deſcende, & vade cum eis nihil dubitans: quia ego miſi illos.* 21 *Deſcendens autem Petrus ad viros, dixit: Ecce ego ſum, quem quæritis: quæ cauſa eſt, propter quam veniſtis?* 22 *Qui dixerunt: Cornelius Centurio, vir juſtus, & timens Deum, & teſtimonium habens ab univerſa gente Judæorum, reſponſum accepit ab Angelo ſancto, accerſire te in domum ſuam, & audire verba abs te.* 23 *Introducens ergo eos, recepit hoſpitio. Sequenti autem die ſurgens profectus eſt cum illis: & quidam ex fratribus ab Joppe comitati ſunt eum.*

Digitized by Google

ad Euangelii consortium ultro ingerentibus sese. Cæterum Apostolorum hac in re cunctatio proficiebat in hoc, quo non temere, sed plane jussu Dei factum agnosceretur, quod gentes ad Euangelii gratiam admitterentur. Invitat Cornelius, sed Angeli monitu. Descendit & occurrit Petrus, sed visione monitus. Hinc aviditas Euangelicæ gratiæ candida-ta, hinc alacritas & promtitudo sitientis salutem omnium gentium.

24 *Altera autem die introivit Cæsaream. Cornelius vero expectabat illos, convocatis cognatis suis, & necessariis amicis.*

25 *Et factum est cum introisset Petrus, obviam venit ei Cornelius, & procidens ad pedes ejus adoravit.*

26 *Petrus vero elevavit eum, dicens: Surge, & ego ipse homo sum.*

27 *Et loquens cum illo intravit, & invenit multos qui convenerant:*

28 *Dixitque ad illos: Vos scitis quomodo abominatum sit viro Judæo, conjungi aut accedere ad alienigenam: sed mihi ostendit Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem.*

29 *Propter quod sine dubitatione veni accersitus. Interrogo ergo, quam ob causam accersistis me?*

30 *Et Cornelius ait: A nudiusquarta die usque ad hanc horam, orans eram hora nona in domo mea, & ecce vir stetit ante me in veste candida, & ait:*

31 *Cornelii, exaudita est oratio tua, & eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei.*

32 *Mitte ergo in Joppen & accersi Simonem, qui cognominatur Petrus: hic hospitatur in domo Simonis coriarii juxta mare.*

24 Altera autem die introivit Cæsaream. Cornelius vero expectabat illos, convocatis cognatis suis, & necessariis amicis.

25 Et factum est cum introisset Petrus, obviam venit ei Cornelius, & procidens ad pedes ejus adoravit.

26 Petrus vero elevavit eum, dicens: Surge, & ego ipse homo sum.

27 Et loquens cum illo intravit, & invenit multos qui convenerant:

28 Dixitque ad illos: Vos scitis quomodo abominatum sit viro Judæo, conjungi aut accedere ad alienigenam: sed mihi ostendit Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem.

29 Propter quod sine dubitatione veni accersitus. Interrogo ergo, quam ob causam accersistis me?

30 Et Cornelius ait: A nudiusquarta die usque ad hanc horam, orans eram hora nona in domo mea, & ecce vir stetit ante me in veste candida, & ait:

31 Cornelii, exaudita est oratio tua, & eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei.

32 Mitte ergo in Joppen & accersi Simonem, qui cognominatur Petrus: hic hospitatur in domo Simonis coriarii juxta mare.

33 *Ego vero nihil moratus misi meos ad te, non ausurus facere, nisi jussus ab Angelo. Et tuæ pietati gratiam habeo, qui non sis gravatus huc venire. Nunc igitur omnes hic adsumus, simplici sinceroque*

33 Ego vero nihil moratus misi meos ad te, non ausurus facere, nisi jussus ab Angelo. Et tuæ pietati gratiam habeo, qui non sis gravatus huc venire. Nunc igitur omnes hic adsumus, simplici sinceroque animo, cujus Deum testem facimus, *cupientes audire, quæcunque tibi præcepta sunt à Domino*, ut nobis exponeres. Id enim Angelus mihi pollicitus est, qui præbuit hanc fiduciam: nec dubitamus quin id facturus sis, quando tu quoque divino jussu non dedignatus es nos colloquio.

34,35 Ibi Petrus, cognita sinceritate illorum, aperuit os suum, cœpitque loqui hunc in modum: *Re ipsa comperio, quod apud Deum non est respectus personarum; sed in quavis gente quisquis timet ipsum, & amplectitur justitiam, hic acceptus est illi*, posteaquam video vos alienos à nostra Lege, tamen verum & unicum Deum nobiscum colere: sacris precibus illi quotidianas immolare victimas, & sublevandis pauperibus, illius favorem ambire. Quandoquidem hæc est doctrina Legis & Prophetarum.

36 Quanquam autem Deus olim pollicitus per ora Prophetarum, se missurum Messiam, hoc est, Christum, nunc tandem præstitit quod promiserat, significans filiis Israel, non jam per Prophetam, sed per unicum Filium suum Jesum Christum, offerens illis per fidem & obedientiam erga eum, quem misit, abolitionem peccatorum, & reconciliationem erga ipsum: tamen quoniam idem est omnium Deus, non solum Israeliticæ gentis, vult hanc gratiam omnibus esse salutiferam, quicunque credunt Euangelio.

37,38 Nec dubito, quin hujus rei fama, per universam Judæam divulgata, permanarit ad vos quoque, de Jesu, qui peragravit omnes Judææ regiones, hortans omnes ad pœnitentiam, testificans adesse jam regnum Dei. Auspicatus est autem potissimum Euangelii prædicationem à Galilæa, posteaquam baptizatus esset à Joanne, qui præcursor ejus fuit, ac palam testimonium de illo perhibuit, quod Jesus Nazarenus esset agnus Dei, qui tolleret peccata mundi, quodque Deus Messiam suum unxisset Spiritu Sancto, quem columbæ specie velut è cœlis descendentem, & manentem in illius vertice viderat, quodque is esset solus, qui baptizaturus esset omnes credentes, non aqua quemadmodum ipse baptizabat, sed virtute cœlesti. Hanc enim Dominus Jesus ipsis factis declaravit, obambulans per omnes Judæorum regiones, opitulans omnibus, non solum docendo Philosophiam Euangelicam, per quam sanantur animi, verum etiam sanandis ægrotis, ejiciendis Dæmonibus, mundandis leprosis, excitandis mortuis, denique sublevandis omnibus, quos Diabolus tenebat oppressos. Hic enim ut solus erat immunis ab omni peccato, ita solus potuit Diaboli tyrannidem, qui regnum habet in eos, qui peccato sunt obnoxii, frangere. Deus enim erat in Filio, virtutem suam exserens, cui nulla potestas Satanæ potest resistere. Hæc omnia, quum sint vulgata per universam Judæam, non dubito quin vobis etiam audita sint & credita.

39 Cæterum quo certior sit vobis harum rerum fides, nos qui cum illo, quum adhuc mortalis inter mortales viveret, perpetuam ac domesticam consuetudinem egimus, testes sumus omnium, quæ gessit in omnibus regionibus Judæorum, atque etiam Hierosolymis: quem summi Pontifices, Scribæ & Pharisæi, consentientibus primoribus & populo, occiderunt, suffixum in crucem, pro tot beneficiis pessimam gratiam referentes.

40,41 Sed Deus, cujus permissu hæc omnia facta sunt ad salutem humani generis, tertio ab obitu die revocavit illum in vitam, ac donavit immortalitate. Ad confirmandam hujus rei fidem exhibuit semetipsum vivum, audiendum, conspiciendum, manibus contrectandum, non toti populo, quemadmodum fecerat ante mortem: sed certis testibus, quos ante Deus in hoc selegerat, videlicet nobis, quibus frequenter apparuit posteaquam resurrexerat à mortuis, quadraginta dies versans in terris, quique comedi-

ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus, audire omnia quæcunque tibi præcepta sunt à Domino.

34 *Aperiens autem Petrus os suum, dixit: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus:*

35 *Sed in omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi.*

36 *Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Jesum Christum: (hic est omnium Dominus.)*

37 *Vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam: incipiens enim à Galilæa, post baptismum quod prædicavit Joannes,*

38 *Jesum à Nazareth: quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute, qui pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo.*

39 *Et nos testes sumus omnium, quæ fecit in regione Judæorum, & Jerusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno.*

40 *Hunc Deus suscitavit tertia die, & dedit eum manifestum fieri,*

41 *Non omni populo, sed testibus prædestinatis à Deo: nobis, qui manducavimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis.*

mus ac bibimus cum illo comedente & bibente, ne qua dubitatio animis nostris hærere posset de veritate corporis suscitati.

42 *Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo judex vivorum & mortuorum.*

42 Priusquam autem adscenderet in cœlum, præcepit nobis, ad hoc munus selectis, ut palam omnibus prædicaremus, testificantes, quod ipse sit unus, quem Deus evexit in summam potestatem, ut in fine mundi sit judex omnium, vivorum ac mortuorum.

43 *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.*

43 Interim offertur omnibus certum ac facile remedium. Etenim quod nos de illo, id de eodem magno consensu jam olim testificati sunt omnes Prophetæ, quod hic unus sit ac solus, per cujus nomen danda sit remissio omnium peccatorum, non solum Judæis, verum etiam omnibus per universum orbem terrarum nationibus, non per opera, quibus fidunt Judæi, sed per fidem, qua creditur Euangelio, & per Euangelium Christo.

44 *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum.*

44 Nondum finierat hunc sermonem Petrus, ecce Spiritus Sanctus signo visibili delapsus è cœlo, venit super omnes, qui audiebant & credebant verbis Apostoli.

45 *Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro: quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est.*

45 Ea res obstupefecit Judæos, ad Euangelicam doctrinam conversos, qui è civitate Joppe Petro comites venerant, ut testes essent eorum quæ gererentur, admirantes, quod in gentes quoque, qui circumcisi non erant, effusa esset gratia Spiritus Sancti. Existimabant enim, quod ad solos Israelitas pertineret promissio Prophetarum, quum Prophetæ nominatim prædixerint, Dei Spiritum effundendum in omnes, quicunque invocarent nomen Domini. Signum autem, quod oculis viderant, res ipsa consequuta est.

46 *Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum.*

46 Cœperunt enim omnibus audientibus loqui variis linguis, laudibus ferentes benignitatem Dei. Hoc signum tam evidens datum est circumcisis qui aderant, ne posthac dubitarent etiam incircumcisos vocare ad Christum: datum est & Cornelii familiaribus, ne quid dubitarent sese per credulitatem æquatos Judæis absque Legis præsidio. Inversus est autem ordo, dispensante Deo, catechumenis primum datur baptismus, deinde per impositionem manuum Spiritus Sanctus. Hîc absque manuum impositione prius datus est Spiritus Sanctus, ne dubitaret Apostolus, quod levius erat, addere, posteaquam Deus id, quod majus est, ultro largitus esset.

47 *Tunc respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt sicut & nos?*

47 Tum Petrus, velut ex consensu Judæorum facturus, quod destinarat, ait comitibus suis: *Num quis prohibere potest, quo minus* **baptizentur hi*, licet incircumcisi, *qui jam Spiritum Sanctum acceperunt, quemadmodum & nos?*

48 *Et jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi. Tunc rogaverunt eum ut maneret apud eos aliquot diebus.*

48 Assentientibus illis, *jussit eos baptizari in nomine Jesu Christi.* Quum his rebus feliciter peractis Petrus adornaret redire Joppen, *rogaverunt eum, ut apud ipsos diebus aliquot commoraretur*, cupientes plenius edoceri de præceptis Euangelicis. Obtemperavit Petrus, sed rogatus. Noverat enim Judæos vix laturos domesticam consuetudinem actam cum incircumcisis.

CAP. XI.

Legitime excusat se Petrus: & Antiocheni Credunt: hinc Agabi visa famesque fuit.

1 *Audierunt autem Apostoli, & fratres, qui erant in Judæa: quoniam & Gentes receperunt verbum Dei.*

1 HVJVS facti rumor permanavit ad cæteros Apostolos, qui manserant Hierosolymis, & fratres qui erant in Judæa, quod gentes quoque recepissent sermonem Dei. Id enim eo minus latere potuit, vel quod Centurio ipsa muneris dignitate nobilis erat, vel quod multi simul baptizati sunt, vel quod Judæis testibus factum id esset, (nam Eunuchus solus sine teste baptizatus est in via, veluti suffuratus Euangelii gratiam à Judæis) vel quod in civitate celebri Palæstinæ.

2 *Cum autem ascendisset Petrus*

2 Petrus autem non ignarus, futurum ut hæc res vulgaretur, nec defuturos Judæos, qui factum

* Alia Editio addit, *aqua.*

A reprehenderent, cavit omnibus modis, ne jure posset reprehendi, Deo quoque hujus animo subserviente, in quo ne quid hæreret scrupuli, visio ter exhibita est. Rursus per Spiritum discit adesse legationem à Cornelio: eam non statim admittit in ædes, ne Judæus videretur affectasse commercium cum Ethnicis, sed pro foribus compellat, & adhibitis testibus rogat, cur venissent. Judæis, qui aderant, hoc scisscitatur potius quam sibi. Deinde ubi cognovit, utrinque respondere visiones, non proficiscitur illò, nisi adjunctis sibi Judæis aliquot probatæ fidei, quibus testibus & quorum consensu res gereretur, quo post ex testibus fierent adversus ob-
B murmurantes patroni. Rursum ubi ventum est ad ædes Cornelii, non statim ingressus est, velut avidus colloquii, sed misit qui denuntiarent adesse Petrum, ut per occurrentem Cornelium induceretur, non ignarus, quanto studio foret excipiendus. Procidit ad pedes Centurio, adoravit Petrum. Hæc Judæis, qui aderant, arguebant admirandam animi promtitudinem. Rursus iisdem præsentibus rogat, quamobrem esset accersitus, ut plus haberet fidei apud Judæos comites narratio, ex ore Cornelii audita. Postremo Spiritus Sanctus ultro missus est, nondum effusa precatione, nec impositis manibus,
C nec dato baptismo. Ac ne sic quidem baptizavit illos, nisi compellatis, qui aderant, circumcisis, ac testificatus non esse integrum illis negare baptismum, quibus Deus impartisset Spiritum Sanctum. Hæc nimirum erat illa Petri pastoris Euangelica prudentia. Noverat ingenium Judæorum, quam sibi placerent ob recisam pellicullam, quam averserentur incircumcisos. Proinde nihil non facit, quo vitaret offendiculum. Cupiebat gentes in Euangelii venire consortium. Cæterum absque dispendio gentis Judaicæ si fieri posset. Itaque quum accidisset
D ut Petrus rediret Hierosolymam, quo jam rumor de Cornelio baptizato præcesserat, disceptabant adversus illum hi, qui ex circumcisione fuerant amplexi doctrinam Euangelicam, dicentes:

3 Cur ingressus es ædes incircumcisorum præter instituta majorum: nec hoc contentus, etiam mensam habuisti cum illis communem, qui cibis vescuntur Mosi Lege vetitis?

4 Hîc non decebat Petrum esse mutum, sed ab initio repetens, ordine rem omnem, ut habebat, exposuit, dicens: Equidem non ausim violare Legem à majoribus traditam, sed ejus auctoritatem sequutus sum qui major est Lege.

5 Ego eram in civitate Joppe, jejunus ac precationi vacans, ne quis inane somnium fuisse suspicetur. Quumque stimulante fame, jussissem apparari cibum, interim raptus sum, & in extasi vidi visionem hujusmodi. Vas quoddam instar magni lin-
E tei, à quatuor angulis alligatum, è cœlo demittebatur, ac veniebat usque ad me.

6 In quod quum intendissem oculos famelicus, considerabam quid esset cibi. Atque ibi vidi quadrupedum varia genera, tum noxias bestias, præterea reptilium ac volucrum diversas species, à quarum esu Lex jubet nos abstinere.

7 Hæc contemplanti vox etiam insonuit, cunctantem ad edendum exhortans, quæ diceret mihi: *Surge Petre, macta & vescere.*

F 8 Cui tum respondi: *Absit Domine: nam hactenus nihil impurum aut immundum ingressum est in os meum.*

9 Hîc vox iterum audita, ita respondit: *Quæ Deus purificavit, tu homo quum sis ne dixeris communia.*

10 Ea visio ter exhibita est. Deinde recepta sunt in cœlum omnia illa, quæ mihi videbantur abominanda.

11 Reversus autem ad me, dum meo cum animo versarem, quid sibi vellet hæc visio toties exhibi-

Ierosolymam, discceptabant adversus illum, qui erant ex circumcisione.

3 *Dicentes: Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis?*

4 *Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem, dicens:*

5 *Ego eram in civitate Joppe orans, & vidi in excessu mentis visionem, descendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis summitti de cælo, & venit usque ad me.*

6 *In quod intuens considerabam, & vidi quadrupedia terræ, & bestias, & reptilia, & volatilia cæli.*

7 *Audivi autem & vocem dicentem mihi: Surge Petre, occide, & manducа.*

8 *Dixi autem: Ne quaquam Domine, quia commune aut immundum nunquam introivit in os meum.*

9 *Respondit autem vox secunda de cælo: Quæ Deus mundavit, tu ne communе dixeris.*

10 *Hoc autem factum est per ter: & recepta sunt omnia rursum in cælum.*

11 *Et ecce viri tres confestim astiterunt in domo, in qua eram, missi à Cæsarea ad me*

Digitized by Google

ta, me ſtatim ſubmonet Spiritus, adeſſe pro foribus domus, in qua diverſabar, tres viros è Cæſarea miſſos ad me.

12 Juſſit autem idem Spiritus ut irem cum illis, nihil hæſitans. Obtemperavi viſioni & juſſis Spiritus Sancti, profectus ſum Cæſaream, non ſolus, ſed comitantibus hiſce ſex fratribus, ut eſſent teſtes omnium quæ gererentur voluntate Dei. Ingreſſi ſumus domum hominis, qui accerſiverat nos.

13 Is omnibus audientibus narravit quomodo paucis ante diebus, quum jejunus & orans eſſet domi ſuæ, vidiſſet Angelum clara luce adſtantem ſibi veſte præfulgida, dicentem ipſi: *Corneli, mitte è tuis Joppen, qui accerſant tuo nomine Simonem cognomento Petrum.*

14 *Is loquetur tibi per quæ ſalutem aſſequaris, & tu & tota domus tua.*

15 Ego videns hinc & hinc conſentire viſiones, tum animadvertens illorum ſinceram aviditatem, exórſus ſum illis exponere, quæ Dominus Jeſus per nos voluit prædicari. Nondum finieram ſermonem, & ecce Spiritus Sanctus delapſus eſt è cœlis in illos, quemadmodum delapſus eſt initio in nos, & cœperunt loqui variis linguis, quemadmodum nos tum loquebamur. Hoc ſignum palam arguebat illorum fidem adprobari Deo. Jamque res ipſa me docuit quid ſibi vellet viſionis ænigma, quod videram. Hæc nimirum erant illa quadrupedia, reptilia, & volatilia, quæ nos circumciſi abominamur, ſed Deus per fidem purificare decrevit: nec vult quicquam à nobis haberi pro immundo, quod per fidem Euangelicam ſanctificatum eſt.

16 *Simulque recordatus ſum verbi, quod Dominus nobis dixit* adſcenſurus in cœlum: *Joannes quidem baptizabat aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto.* Et nos quidem tinginus corpus aquâ, ſed aqua non confert ſalutem, niſi fides impetret à Deo baptiſmum igneum.

17 Quum igitur res ipſa loqueretur, illos jam eſſe baptizatos eo baptiſmo, quem promiſerat Dominus Jeſus, quum eandem gratiam eſſe collatam incircumciſis per fidem, quam nos accepimus, non ob merita Legis obſervatæ, ſed ob credulitatem, qua confiſi ſumus Domino Jeſu Chriſto: *ego quis eram, qui poſſem vetare Dominum?* An jam à Domino Spiritu baptizatis, negare debui baptiſmum aquæ, quæ nihil aliud eſt quam ſignum gratiæ divinitus conferendæ? Atqui jam gratia præceſſerat citra noſtram operam. Itaque negare baptiſmum aquæ, quid aliud fuiſſet quam improbare quod feciſſet Deus?

18 *His auditis obticuerunt & glorificaverunt Deum, dicentes:* igitur ipſa res docet, quod *Deus* non *Iſraelitis* tantum, ſed *& gentibus conceſſit pœnitentiam, ut vitam aſſequantur* æternam. Atque has quidem Euangelii primitias ex gentibus Petrus adjunxit Eccleſiæ. Nam antehac nullus id auſus eſt, præter unum Philippum, idque Angelo monitore.

19 Nam illi, quos perſequutionis tempeſtas, à Stephani morte orta diſperſerat, peragrarunt vicos & urbes uſque ad Phœnicen, & huic oppoſitam inſulam Cyprum, præterea Antiochiam, quæ Phœnicen à Cilicia dirimit, apud omnes prædicantes ſermonem Euangelicum ab Apoſtolis acceptum, nemini tamen auſi communicare, niſi ſolis Judaicæ gentis, non id quidem invidentia, ſed religione, putantes eſſe nefas ſanctum dare canibus, quod Dominus vetuerat fieri.

20, 21 Exorti ſunt autem viri quidam ex his qui crediderant, gente Cyprii & Cyrenæi, qui quum ingreſſi eſſent civitatem Antiochiam, auſi ſunt de Chriſto loqui Græcis, prædicantes illis Dominum Jeſum, & profecerunt, Domini favore rem bene fortunante, vireſque & animum ſui nominis præconibus addente. Siquidem ex his quoque copioſus hominum numerus, credens Euangelio, converſus eſt ad Dominum.

22 Hujus rei rumor pervenit ad aures Eccleſiæ, quæ erat Hieroſolymis. Hac de cauſa per Apoſtolos miſſus eſt eo vir Apoſtolicæ ſinceritatis, Barnabas Levites, genere Cyprius, qui præſens diſpiceret, quid illic ageretur, & ſi ex voluntate Dei factum eſſe, comperiſſet, auctoritate Apoſtolorum comprobaret. Tanta erat cautio in recipiendis ad Euangelium gentibus, non quod id non magnopere cuperent Apoſtoli: ſed ne vel ſi ut temere factum, in poſterum à Judæis reſcinderetur, vel ſibi parum fiderent gentes, quaſi Legis opus haberent præſidio.

23 Itaque Barnabas ubi perveniſſet Antiochiam, comperiſſetque, per fidem abſque Legis profeſſione Græcos eandem Dei gratiam aſſequutos, quam Judæi acceperant, magnopere gaviſus eſt, augeri numerum credentium, & adhortatus eſt omnes, ut conſtantes in eo propoſito perſeverarent adhærere Domino.

24 Erat enim vir bonus ac plenus Spiritu Sancto, fideque. Itaque factum eſt hujus prædicatione, ut ingens præterea multitudo adjungeret ſeſe priori numero profitentium Dominum.

25 Quoniam autem Antiochia vicina eſt Ciliciæ, invitavit eum ipſa loci propinquitas, ut quæreret Paulum, ad hoc negotium præ cæteris idoneum, videlicet à Chriſto delectum, ut nomen ipſius illuſtraret apud gentes & Reges terræ. Nam hunc Hieroſolymis fugientem diſcipuli deduxerant Cæſaream Phœnices, unde profectus eſt Tarſum. Quem, cum illic inveniſſet, perduxit Antiochiam, quod in civitate frequenti ac celebri, ſed ex Græcis Judæiſque confuſa, ſperaret fructum copioſiorem per Apoſtolum, ad hoc muneris præcipue delectum.

26 Simul itaque verſati ſunt Antiochiæ totum annum in Eccleſia credentium, quæ illic ex Græcis ac Judæis ſatis numeroſa confluxerat: cui ex doctrina amborum, videlicet Pauli ac Barnabæ, acceſſit etiam magna vis hominum, adeo, ut qui prius dicebantur *diſcipuli*, ſuppreſſo ob invidiam Chriſti nomine, primum Antiochiæ ex auctoris vocabulo, cœperint dici Chriſtiani.

27, 28 *His temporibus venerunt Antiochiam ex urbe Hieroſolymorum, Propheta quidam, è quibus unus nomine Agabus, ſurgens in congregatione ſignificavit illis ex afflatu Spiritus, magnam famem futuram in univerſo terrarum orbe. Ea actidit ſub Claudio Cæſare,* qui ſucceſſit Caligulæ.

29 Quoniam autem, qui Hieroſolymis agebant, partim tenues venerant ad Euangelii profeſſionem: partim, quod habebant, erogaverant in commune: partim ob profeſſionem Jeſu Chriſti, per Sacerdotes erant ſpoliati bonis ſuis, conſtituerunt, ut ex collatione eorum, quibus ſuppetebat, præcipue qui ex gentibus acceperant Euangelium, collecta pecunia mitteretur in ſubſidium Chriſtianis, habitantibus in Judæa: ſic tamen, ut nemo cogeretur ad conferendum, ſed ut quiſquis volens ac lubens pro modo facultatum ſuarum largiretur.

30 Idque factum eſt uti conſtituerant. Ea pecunia miſſa eſt Hieroſolymam per Paulum & Barnabam ad ſeniores, ut illorum arbitrio diſtribueretur, quibus erat opus.

CAP. XII.

Mire ex carcere Petre redis: res illaque vexat Cuſtodes: fœda morte Tyrannus obit.

1 DVM hanc legationem obeunt Paulus & Barnabas, Herodes Rex, qui decollarat Joannem, & Chriſtum alba veſte amictum ludibrii cauſa Pilato re-

11 *Dixit autem Spiritus mihi, ut irem cum illis, nihil hæſitans.* *Venerunt autem mecum & ſex fratres iſti, & ingreſſi ſumus in domum viri.*

13 *Narravit autem nobis, quomodo vidiſſet Angelum in domo ſua, ſtantem & dicentem ſibi: Mitte in Joppen, & accerſi Simonem, qui cognominatur Petrus,*

14 *Qui loquetur tibi verba, in quibus ſalvus eris tu, & univerſa domus tua.*

15 *Cum autem cœpiſſem loqui, cecidit Spiritus ſanctus ſuper eos, ſicut & in nos in initio.*

16 *Recordatus ſum autem verbi Domini, ſicut dicebat: Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto.*

17 *Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus, ſicut & nobis, qui credidimus in Dominum Jeſum Chriſtum: ego quis eram, qui poſſem prohibere Deum?*

18 *His auditis, tacuerunt: & glorificaverunt Deum, dicentes: Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.*

19 *Et illi quidem, qui diſperſi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat ſub Stephano, perambulaverunt uſque Phœnicen, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum, niſi ſolis Judæis.*

20 *Erant autem quidam ex eis viri Cyprii, & Cyrenæi, qui cum introiſſent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos, annuntiantes Dominum Jeſum.*

21 *Et erat manus Domini cum eis: multuſque numerus credentium converſus eſt ad Dominum.*

22 *Pervenit autem ſermo ad aures eccleſiæ, quæ erat Hieroſolymis: & miſerunt Barnabam uſque ad Antiochiam.*

23 *Qui cum pervenisſet, & vidiſſet gratiam Dei, gaviſus eſt: & hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino:*

24 *Quia erat vir bonus, & plenus Spiritu ſancto, & fide. Et apposita eſt multa turba Domino.*

25 *Profectus eſt autem Barnabas Tarſum, ut quæreret Saulum: quem cum inveniſſet, perduxit Antiochiam.*

26 *Et annum totum converſati ſunt ibi in Eccleſia: & docuerunt turbam multam; ita ut cognominarentur primum Antiochiæ diſcipuli, Chriſtiani.*

27 *In his autem diebus ſupervenerunt ab Hieroſolymis prophetæ Antiochiam:*

28 *Et ſurgens unus ex eis nomine Agabus, ſignificabat per ſpiritum famem magnam futuram in univerſo orbe terrarum, quæ facta eſt ſub Claudio.*

29 *Diſcipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt ſinguli in miniſterium mittere habitantibus in Judæa fratribus:*

30 *Quod & fecerunt, mittentes ad ſeniores per manus Barnabæ & Sauli.*

1 *Eodem*

Digitized by Google

remiſerat, dolens hoc hominum genus in dies increſcere, & nomen Jeſu Regis Judæorum per multas regiones inclareſcere, exiſtimavit illud ſua quoque referre, ut ea factio gliſcens exſtingueretur, nimirum Satana per organa ſua moliente, quod antea fuerat molitus, ſed ad nihil aliud proficiens, niſi ut Jeſu nomen redderet glorioſius. Herodes igitur regaliter ac ſimpliciter agens, miſit ſatellites ſuos armatos, ut affligeret aliquot ex congregatione Jeſum Nazarenum profitentium, rerum omnium Dominum.

2 Itaque qui Joanne decollato didicerat amputare cervices piorum hominum ac libere veritatem profitentium, injecit manus in Jacobum Apoſtolum Joannis fratrem, quod is tum inter Apoſtolos præcipuæ auctoritatis haberetur, & hunc conſtantem in prædicatione nominis Jeſu, gladio plecti jubet.

3 Hanc crudelitatem ubi vidit eſſe non ingratam genti Judaicæ, adjecit facinori facinus, ac Petrum quoque inter Apoſtolos præcipuum juſſit apprehendi, ſperans fore, ut ſubmoto paſtore, grex facile diſſiparetur: quo nimirum conſilio Judæi Dominum Jeſum prius occiderant, abſtinentes ab Apoſtolis. Quo minus autem & hunc ſtatim occideret, obſtitit tum quidem dies Azymorum apud Judæos eximie religioſus, quo tempore Jeſum etiam veriti fuerant Judæi occidere. Atque hæc eſt Judaica religio in obſervandis diebus feſtis. Non verentur litare populo innocentis hominis ſanguine, ſed verentur violare feſtum diem: quaſi purus ſit ab homicidio, qui jam decrevit occidere.

4 Comprehenſum igitur Petrum detrudi juſſit in carcerem, ac ne qua poſſet elabi, quemadmodum fuerat elapſus Paulus, addidit quatuor militum quaterniones, qui vinctum aſſervarent, ne quis vi poſſet eripere. Decreverat enim exactis diebus feſtis, hanc victimam producere populo, ſitienti ſanguinem innoxiorum. Qualis populus, talis Rex.

5 Interea nec Petrus recuſat carcerem, præmonitus à Domino hæc eventura, nec diſcipuli tumultuantur adverſus impiam violentiam tyranni, memores Dominum præcepiſſe, ut bene precarentur etiam ipſos perſequentibus. Non ſufficiebat Herodi carcer, non geminæ catenæ, nec unus militum armatorum quaternio, videlicet ut crudelis impii Regis diligentia proficeret ad cumulandam Chriſti redemtoris gloriam. Ac Petrus quidem ſic aſſervatus, diem feſtum agebat in carcere. Interim eccleſia diſcipulorum ſollicita de ſuo paſtore, non deſinebat diurnis ac nocturnis precibus rogare Dominum pro ſalute Petri.

6 *Quum* autem peractis diebus feſtis *Herodes eſſet illum producturus* ad populum, commodum *ea nocte*, quæ diem educendi præcedebat, *Petrus dormiebat inter duos milites, vinctus catenis duabus. Cæteri milites obſidebant oſtium carceris, excubias agentes.*

7 *Et ecce Angelus Domini repente adſtitit Petro, ſimulque lumen* admirandum *illuſtravit habitaculum*, diſcuſſa caligine, tum carceris, tum noctis; *ſtimulatoque Petri latere excitavit eum dicens: Surge velociter.* Protinus ad hanc vocem *exciderunt catenæ de manibus ejus.*

8 *Mox Angelus: Cinge te, ac pedibus tuis ſubliga ſoleas*, ne quid hic exſuviarum relinquas *Quum obtemperaſſet* Petrus, *rurſum Angelus: Indue pallium tuum ac ſequere me.*

9 *Præcedentem Angelum ſequens* Petrus, *cœpit exire* carcerem, *nondum intelligens hæc vere fieri, quæ fiebant per Angelum, ſed exiſtimans ſe videre viſionem*, quemadmodum ante viderat.

10 Cæterum *ubi jam præteriſſent primam & item ſecundam cuſtodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem: hæc ultro aperta eſt illis*, quamlibet ſeris & obicibus munita. *Egreſſi itaque proceſſerunt donec præterirent vicum unum civitatis, & continuo Angelus* evaneſcens *reliquit Petrum*, quemadmodum ſubito adſtiterat.

11 Petrus autem circumſpiciens ac noſcitans civitatis partem, in qua tum erat, tum *reverſus ad ſe dixit*: *Nunc video* non eſſe ſomnium, quod geritur, ſed *Dominus* miſertus ſuorum *miſit Angelum ſuum, & eripuit me de manibus Herodis*, qui me decreverat Judæis immolare: ſimul & Regis eludens crudelitatem, & plebis avidam exſpectationem.

12 Quumque ſecum deliberaſſet, quo potiſſimum ſe reciperet in tutum, hujus rei lætitiam diſcipulis ſuis impartiturus, petiit domum Mariæ, quæ erat mater Joannis, non ejus qui frater erat Jacobi, ſed qui cognomento dictus eſt Marcus, in cujus ædibus erant multi congregati, ſimul orantes pro liberatione paſtoris.

13 Quum autem Petrus pulſaret oſtium januæ, quæ ſpectabat ad viam, prodiit puella, ut ſubauſcultaret quid eſſet rei. Ei nomen erat Rhode. Quam ut Petrus ſenſit veniſſe ad oſtium, admonuit ut celeriter aperiret.

14 Illa ſimul ut agnovit vocem Petri, ſtupefacta inſperato gaudio non aperuit oſtium, ſed intro recurrens, nuntiavit Petrum ſtare pro foribus.

15 Illi vero non ignari, quam diligenter Herodes curaſſet Petrum aſſervandum, reſponderunt puellæ: Tu ſana non es. Quum illa conſtanter aſſeveraret rem ſic habere, quidam dicebant: non eſt Petrus, ſed Angelus ejus eſt, qui vocem illius exprimit. Perſuaſum enim erat ſuum cuique Angelum eſſe cuſtodem & aſſectatorem, qui nonnunquam ipſius hominis imaginem repræſentaret.

16 Quum interim Petrus non deſiſteret pulſare fores, aperuerunt oſtium. Ingreſſum Petrum viderunt & obſtupuerunt.

17 Cumque domus perſtreperet gratulantium vocibus, Petrus manu innuit illis, ut ſilerent & auſcultarent taciti, ne quis ex inſolito gaudentium ſtrepitu deprehenderet quod acciderat. Ubi conticuiſſent, expoſuit illis ordine rem omnem, quomodo Dominus per Angelum ſuum eduxiſſet ipſum è carcere: Hæc, inquit, facite ut ſciat Jacobus frater Domini (is erat Epiſcopus Hieroſolymorum) cæterique fratres, ut hujus gaudii nobiſcum participes ſint. Sic Deus optimus lætis triſtia, & triſtibus læta temperat, ne dejiciamur animo. Hæc locutus Petrus ſtatim egreſſus illinc, recepit ſeſe in alium locum, ubi tutius latitaret ob metum Herodis, cujus obſtinatam crudelitatem noverat.

18 Quum vero diluxiſſet, milites, quibus erat delegata cuſtodia, videntes catenis integris, & foribus clauſis elapſum eſſe captivum, non mediocriter turbati ſunt, admirantes quid actum eſſet de Petro.

19 Herodes autem quum requiſiſſet Petrum, producturus illum ut condemnaretur, nec eſſet repertus in carcere, examinatis cuſtodibus juſſit illos duci in carcerem, ſumturus de illis ſupplicium ubi vacaret. Verum Herodis rabiem Deus ſuorum miſertus coercuit, ſimul & Apoſtolorum incolumitati conſulens, & militum. Non enim decebat ut Petri ſalus occaſionem exitii præberet innoxiis.

20 Incidit enim interea cur Herodes proficiſceretur Cæſaream Palæſtinæ. Erat autem infenſus Tyriis & Sidoniis, jamque deſtinabat bellum inferre. Verum illi hac re cognita, *conſentientibus animis veniunt ad eum: & perſuaſo Blaſto, qui præfectus erat cubiculo regio, petebant pacem*, eo quod neceſſariam ſibi ducerent vicini Regis amicitiam, propterea quod

Autem tempore miſit Herodes rex manus, ut affligeret quoſdam de Eccleſia.
2 Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio.
3 Videns autem quia placeret Iudæis, appoſuit ut apprehenderet & Petrum. Erant autem dies Azymorum.
4 Quem cum apprehendiſſet, miſit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum, volens poſt Paſcha producere eum populo.
5 Et Petrus quidem ſervabatur in carcere. Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo.
6 Cum autem produ-cturus eum eſſet Herodes, in ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus: & cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem.
7 Et ecce Angelus Domini aſtitit: & lumen reſulſit in habitaculo: percuſſoque latere Petri, excitavit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus.
8 Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit ſic. Et dixit illi: Circumda tibi veſtimentum tuum, & ſequere me.
9 Et exiens ſequebatur eum, & neſciebat quia verum eſt, quod fiebat per Angelum: exiſtimabat autem ſe viſum videre.
10 Tranſeuntes autem primam & ſecundam cuſtodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem: quæ ultro aperta eſt eis. Et exeuntes proceſſerunt vicum unum: & continuo diſceſſit Angelus ab eo.
11 Et Petrus ad ſe reverſus, dixit: Nunc ſcio vere, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni exſpectatione plebis Iudæorum.
12 Conſideranſque venit ad domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus eſt Marcus, ubi erant multi congregati, & orantes.
13 Pulſante autem eo oſtium januæ, proceſſit puella ad audiendum, nomine Rhode.
14 Et ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit januam, ſed intro curreus nuntiavit ſtare Petrum ante januam.
15 At illi dixerunt ad eam: Inſanis. Illa autem affirmabat ſic ſe habere. Illi autem dicebant: Angelus ejus eſt.
16 Petrus autem perſeverabat pulſans. Cum autem aperuiſſent, viderunt eum, & obſtupuerunt.
17 Annuens autem eis manu ut tacerent, narravit quomodo Dominus eduxiſſet eum de carcere, dixitque: Nuntiate Iacobo, & fratribus hæc. Et egreſſus abiit in alium locum.
18 Facta autem die, erat non parva turbatio inter milites, quidnam factum eſſet de Petro.
19 Herodes autem cum requiſiſſet eum, & non invenifſet, inquiſitione facta de cuſtodibus, juſſit eos duci: deſcendenſque à Iudæa in Cæſaream, ibi commoratus eſt.
20 Erat autem iratus Tyriis & Sidoniis. At illi unanimes venerunt ad eum, & perſuaſo Blaſto, qui erat ſuper cubiculum regis, poſtulabant pacem, eo quod alerentur re-

Digitized by Google

giones eorum ab illo.

quod quum Tyriorum & Sidoniorum opulentia potissimum esset ex negotiatorum commerciis, plurimum compendii capiebant ex pacatis regionibus finitimis, nec sine gravi jactura bellum suscipere poterant, intermissa libertate exportandi & importandi.

21 Statuto autem die, Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali & concionabatur ad eos.

22 Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis.

23 Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eò quod non dedisset honorem Deo: & consumptus à vermibus, expiravit.

24 Verbum autem Domini crescebat, & multiplicabatur.

25 Barnabas autem & Saulus reversi sunt ab Ierosolymis expleto ministerio, assumpto Ioanne, qui cognominatus est Marcus.

21, 22 Cæterum his rebus compositis, quum solenni quodam festo, quod votivum celebrabatur ob Cæsaris incolumitatem, qua gratia convenerant eo totius Provinciæ proceres, secundo spectaculorum, quæ multa edebantur, die Herodes è sublimi concionaretur ad populum, indutus veste miro artificio ex argento auroque contexta, posteaquam Solis fulgor exceptus sinu regiæ vestis, ex repercussu veluti fulgur quoddam imitans, perstrinxerat omnium oculos, acclamatum est ab adulatrice multitudine: *Dei vox, non hominis:* quasi viderent in illo aliquid homine majus. Hæc adulatio populi sæpe facit, ut pro Regibus habeant tyrannos, dum illis tribuunt divinitatem, qui vix hominis vocabulo digni sunt. Atque illi vicissim adulantur populo, spectaculis, ludis obscœnis, nonnunquam & cæde bonorum virorum, quemadmodum ante cæde Jacobi commendarat se populo. Nec hanc tam impiam adulationem Herodes respuit, non exsecratus est, sed homo miserabilis ac mox perituru, Deus haberi gaudebat.

23 Aderat autem mox ultio divina. Protinus enim in ipsa concione percussit illum Angelus Domini, quem respiciens vidit à tergo adstantem, eo quod homo sibi vindicasset honorem, nulli creaturæ communicabilem. Subitoque dolore morbi correptus, quo vix alius vel fœdior, vel cruciabilior, vermibus corpus illius erodentibus, intra paucos dies cruciatus vi mortem obiit.

24 Ad hunc modum sublato Dominici gregis persecutore, sermo Euangelicus crescebat ac multiplicabatur.

25 Barnabas autem & Saulus defuncti his, quæ receperant à fratribus curanda, traditaque, & per Apostolos distributa pecunia, quæ missa fuerat in subsidium egentium, reliquerunt Hierosolymam, ac repetunt Antiochiam, adjuncto sibi comite Joanne, cui cognomentum erat Marcus.

CAP. XIII.

Nunc Paulus legitur: Barjesum corripit: idem Multa docet gentes: inde repulsus abit.

1 Erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, prophetæ, & doctores, in quibus Barnabas, & Simeon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus.

2 Ministrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos.

3 Tunc jejunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.

1 ERANT autem Ecclesia Antiochena, sic ut haberet aliquam multos, prophetiæ dono pollentes, rursus alios docendi gratia præditos. Inter quos erat Barnabas, & Simeon, qui Latina voce dictus est Niger: præterea Lucius patria Cyrenensis, & Manahen, qui fuerat simul à puero enutritus cum Herode Tetrarcha, à cujus familiaritate defecerat ad Christum. Sed inter hos præcipuus erat Saulus, omnibus Apostolicis dotibus excellens unus.

2 Porro cum omnes hi magno studio servirent Ecclesiæ commodis, dotes suas ad omnium salutem, & Christi gloriam fideliter impartientes, quo non aliud est sacrificium Deo gratius: jejunantes interim, ut puris etiam precibus adjuvarent Ecclesiæ profectum, non solum officio: Spiritus Sanctus motus illorum votis, per Prophetas significavit quid fieri vellet: dicens: Segregate mihi Barnabam & Saulum, duos ex omnibus præcipuos, ut incipiant eo fungi munere, ad quod illos potissimum accersivi, videlicet ut doctores sint gentium, lateque per eos dissominem sermonem Euangelicum.

3 Factum est quod jussit Spiritus, separati sunt ab aliis Barnabas & Saulus, ut omnibus esset conspicuum, qui deligerentur. Quumque jejunio & precatione concordi Domini favorem implorassent, ut munus, quod aggrederentur, feliciter verteret Ecclesiæ, qui præminebant inter illos auctoritate, imposuerunt illis manus, ac dimiserunt, quocunque Spiritus Sanctus illos ageret, profecturos.

4 Et ipsi quidem missi à Spiritu sancto abierunt Seleuciam, & inde navigaverunt Cyprum.

4 Primum itaque impulsu Spiritus Barnabas & Paulus abierunt Seleuciam, id est Antiochiæ promontorium, atque hinc navigarunt in insulam Cyprum.

5 Et cum venissent Salaminam, prædicabant verbum Dei in synagogis Iudæorum. Habebant autem & Ioannem in ministerio.

5 Quum autem appulissent Salaminem, ea est celebris ejus Insulæ civitas, quæ primum occurrit ab Oriente, prædicarunt non fabulas humanas, sed sermonem Dei: nec id furtim, sed in Synagogis Judæorum, quorum ibi magna vis erat ob Syriam vicinam. Habebant autem hujus muneris consortem Joannem cognomento Marcum, quem secum abduxerant Hierosolymis. Hoc honoris ubique tributum est Judæis, juxta Christi mandatum, ut primum illis deferretur Euangelium, ne gens querula ac morosa clamitaret sese despectam.

6 Et cum perambulassent universam insulam usque Paphum, invenerunt quemdam virum magum pseudoprophetam, Iudæum, cui nomen erat Barjesu,

6 Id facientes peragrarunt totam Insulam donec pervenirent Paphum, civitatem Veneri sacram. Nam hæc est ad occidentale latus Cypri postrema. Hic invenerunt Magum quendam nomine Barjesum, quasi dicas Jesu filium, natione & religionis professione Judæum, & hujus prætextu sibi falso vindicantem prophetiæ spiritum.

7 Qui erat cum Proconsule Sergio Paulo viro prudente. Hic accersitis Barnaba & Saulo, desiderabat audire verbum Dei.

7 Is adhærebat ejus Insulæ Proconsuli Sergio Paulo, viro alioqui prudenti. Nam hoc hominum genus sese in magnatum amicitiam solet insinuare, quo corruptis illis graviorem perniciem invehant rebus mortalium. Proconsul itaque cum accepisset Euangelicam doctrinam disseminari per Cyprum, non solum non obstitit illi, verum etiam Barnabam & Paulum accersivit ad se, cupiens ab illis discere doctrinam cœlestem.

8 Resistebat autem illis Elymas magus (sic enim interpretatur nomen ejus) quærens avertere Proconsulem à fide.

8 Sed Euangelio proficienti resistere conabatur Barjesus, Jesu Servatoris inimicus, ac veritati sese proferenti obnitebatur falsitatis artifex, & Apostolis veris Prophetis repugnabat Elymas, quæ vox Syris Magum sonat, & Pseudoprophetam. Videns enim Proconsulem avidum cognoscendi sermonis Euangelici, & intelligens posthac non fore locum fucatis artibus apud eos, qui solidam veritatem didicissent, conabatur Proconsulem avertere, ne fidem haberet dictis Apostolorum.

9 Saulus autem, qui & Paulus, repletus Spiritu sancto, intuens in eum,

9 Hic animadverte conflictum inter artes humanas & vigorem Euangelicum. Saulus, qui idem dictus est Paulus, non tulit hominem spiritu Satanæ plenum, malitiosis artibus pugnantem adversus simplicem veritatem, sed toto pectore concepto divini Spiritus impetu, defixis in Magum oculis, ait illi:

10 Dixit: O plene omni dolo & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas.

10 O plene omni dolo, omnique versutia, referens patrem tuum Diabolum, qui prius fraudulentia sua mendaciisque pellexit hominem in exitium: ô omnis justitiæ & sinceritatis hostis, & in hoc declarans te filium esse Diaboli, siquidem ille primus ademit innocentiam homini, tu renascenti justitiæ bellum indicis. Nec tibi satis est hactenus illusisse fraudulentis artibus hominum simplicitati, quin nunc etiam posteaquam Deus vult per universum orbem veritatem Euangelicam, quæ fucum nescit, elucescere, tu tamen in tua malitia pertinax, non desinis reluctari voluntati divinæ, magis tuæ falsæ gloriæ ac turpi quæstui consulens, quam tuorum tuæque saluti.

11 Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus non videns solem usque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo & tenebræ, & circumiens quærebat qui ei manum daret.

11 Ut autem intelligas adversus Euangelicam veritatem nihil valere Dæmonum artes, ecce jam nunc senties illius potentiam, cujus voluntati repugnas. Prophetam & videntem te jactas, quum sis cæcus animo. Hîc verba dedisti hominibus, qui judicant ex his, quæ vident: Deus autem, qui novit cæcitatem cordis tui, mox eripiet tibi oculos corporis, ut omnes te videant vere cæcum, & indignum qui videas hunc Solem corporeum omnium oculis conspicuum, qui adversus Solem Euangelicæ veritatis,

nunc

nunc mundo exorientis, bellum institueris. Hæc erit ultio divina, donec resipiscas. Vix ea dixerat Paulus, quum subito corripit Magum profunda cæcitas, ac nox oculorum, adeo ut attonitus oberraret, quærens aliquem qui ipsum porrecta manu duceret.

12 Tunc Proconsul cum vidisset factum, credidit admirans super doctrina Domini.

12 Hæc acta sunt, teste & spectante Proconsule. Qui quum admiraretur præsentaneam virtutem doctrinæ cœlestis, cujus vis tam facile protrivisset fumos magicos, credidit, & Christi nomen professus est, proque falso Propheta Barjesu, amplexus est veros Jesu discipulos.

13 Et cum à Papho navigassent Paulus & qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphyliæ. Ioannes autem discedens ab eis, reversus est Ierosolymam.

13 Hæc acta sunt Paphi, à qua civitate quum navigationem instituisset Paulus cum suis comitibus in Asiam minorem, venerunt Pergen: ea civitas est Pamphyliæ. Joannes autem, cui cognomen Marcus, digressus ab illis, reversus est Hierosolymam, unde Barnabas & Paulus illum abduxerant.

14 Illi vero pertranseuntes Pergen, venerunt Antiochiam Pisidiæ: & ingressi synagogam die sabbatorum, sederunt.

14 Illi nihilo secius, quum lustrassent Pamphyliam, pervenerunt Antiochiam Pisidiæ civitatem. Illic ingressi Synagogam, quo Judæi solent ex more convenire, considere cum cæteris, audituri lectionem Legis ac Prophetarum.

15 Post lectionem autem legis, & Prophetarum, miserunt principes synagogæ ad eos, dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite.

15 Ea quum esset recitata, neque quisquam assurgeret, primores Synagogæ, videntes ex ipso cultu Judaicæ gentis esse hospites qui advenerant, & ipsa specie probitatem præ se ferentes, per viatores denuntiaverunt, quandoquidem essent Judaicæ gentis, si quid haberet quisquam illorum, quod docendi exhortandive causa vellet loqui populo, loqueretur.

16 Surgens autem Paulus, & manu silentium indicens, ait: Viri Israelitæ, & qui timetis Deum, audite:

16 Ibi Paulus cœlestis orator, dicturus assurrexit, manuque mota silentium indicens multitudini, sic exordius est dicere: Viri Israelitæ, quique juxta progenitorum exemplum timetis Deum, audite me Dei voluntatem vobis explicantem, & hujus lectionis, quæ singulis Sabbatis in Synagoga repetitur, mysterium enarrantem.

17 Deus plebis Israel elegit patres nostros, & plebem exaltavit cum essent incolæ in terra Ægypti, & in brachio excelso eduxit eos ex ea.

17 Deus gentis Israeliticæ protector, patres nostros, & hunc populum sibi præ cæteris delegit, adeo ut quum in Ægypto duram servirent servitutem, agente Pharaone ne crescerent, & qui superessent laboribus opprimerentur, prodigiosis miraculis exaltarit illos adversus opprimentem tyrannum, eosque à servitute eduxerit, non dolis aut præsidiis humanis, sed brachio suo sublimi, ut omnes intelligerent, eam gentem esse caram Deo.

18 Et per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto.

18 Quumque eduxisset eos, magna lenitate pertulit mores illorum in deserto annis ferme quadraginta, subinde rebellantium & obmurmurantium Mosi. Nec tamen extremam ultionem excercuit in eos, ut posteris illorum præstaret aliquando, quod Patriarchis erat pollicitus.

19 Et destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum,

19 Post annos quadraginta deduxit eos in terram promissam, ac deletis septem gentibus in terra Chanaan, sorte distribuit illis terram Chananæorum, idque post annos ferme quadringentos & quinquaginta. Et hoc erat argumentum animi vehementer erga nostram gentem propensi.

20 Quasi post quadringentos & quinquaginta annos: & post hæc dedit judices usque ad Samuel Prophetam.

20 Itaque parta rerum tranquillitate, dedit illis judices, quorum moderatione tranquille viverent, usque ad Samuelem Prophetam, qui fuit judicum ultimus.

21 Et exinde postulaverunt regem: & dedit illis Deus Saul filium Cis, virum de tribu Benjamin, annis quadraginta.

21 Sub hoc postulaverunt à Deo Regem, dissuadente Samuele, quumque persisterent efflagitare, dedit illis Saulem filium Cis è tribu Benjamin, quem ob superbiam & inobedientiam repudiavit Dominus. Itaque sub Samuele judice integerrimo, & sub impio Saule egerunt annis quadraginta.

22 Et amoto illo, suscitavit illis David regem: cui testimonium perhibens, dixit: Inveni David filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.

22 Nec hîc alienatus est animus clementissimi Dei à gente sua, quam semel delegerat, sed pro malo Rege, quem flagitationibus impiis extorserant, excitavit illis Regem David, cujus pietati Deus ipse testimonium perhibuit, dicens: *Inveni David filium Jesse, virum ex animi mei sententia, qui meæ voluntati parebit in omnibus.* Quemadmodum enim Deus iratus pro gravissima vindicta dat populo stultum & impium Principem, ita propitius ac reconciliatus, pro submoto malo Rege, dat pium Deoque morigerum.

23 Hujus Deus ex semine secundum promissionem eduxit Israel salvatorem Iesum,

23 Huic Deus promiserat nepotem, qui capesseret regnum Israel, cujus regni non esset finis. Nunc quod Prophetarum oraculis sæpe diuque promissum est, exhibitum est. Ex David enim stirpe, quemadmodum illi pollicitus erat, produxit servatorem Israeliticæ gentis Jesum, nomine respondente rei.

24 Prædicante Ioanne ante faciem adventus ejus baptismum pœnitentiæ omni populo Israel.

24 Hic Servator, quemadmodum promissus erat à Prophetis, quemadmodum designatus est typis ac figuris Legis: ita priusquam aperiret sese mundo, prædicatus ac demonstratus est à Joanne Baptista, qui & ipse, juxta vaticinium Esaiæ, præcessit adventum ejus, invitans totum populum Israeliticum ad baptismum ac pœnitentiam prioris vitæ, palam clamans jam instare regnum Dei.

25 Cum impleret autem Ioannes cursum suum, dicebat: Quem me arbitramini esse, non sum ego, sed ecce venit post me, cujus non sum dignus calceamenta pedum solvere.

25 Cæterum ubi Joannes implesset propemodum cursum suum, in hoc tantum missus à Deo, ut prævius esset adventuro Servatori, & in hujus adventum animos hominum præpararet, atque ob insignem vitæ sanctimoniam à multis crederetur esse Christus, palam hunc titulum ab sese depulit, & illi, cui debebatur, transcripsit, dicens: Quid me putatis esse Christum? Nihil aliud quam nuntius illius sum. Et tamen is, quem vos per errorem me esse creditis, haud procul abest. Nam is mihi succedet, tempore posterior, sed potentia dignitateque tanto major, ut ego sim indignus qui vel soleas solvam à pedibus illius, quod inter homines infimi ministerii creditur esse. Quod enim in illo infimum est, hoc sublimius est eo, quod in me maximum est. Non igitur rem subitam vobis annuntiamus, sed Servatorem tot jam seculis promissum generis nostri principibus, tot ætatibus à majoribus, atque etiam à vobis exspectatum, à Joanne, cujus summa fuit apud Judæos auctoritas, agnitum ac testimonio publico Judæis omnibus commendatum.

26 Viri fratres, filii generis Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis hujus missum est.

26 Proinde viri fratres, qui Legem amplectimini, qui Prophetas veneramini, quique genus ducitis ex Abraham, cui Deus promisit semen, per quod benedictionem consequerentur omnes gentes, si vere estis filii Abrahæ, si vere timetis Deum, Abrahæ patris vestri pietatem in hoc referentes, agnoscite salutiferum hunc sermonem, quem vobis adferimus, & amplectamini jam exhibitum, quod Patriarchæ sibi gaudebant esse promissum. Hæc salus per Jesum defertur omnibus, sed vobis omnium primis offertur, ad quos proditæ sunt prophetiæ, & ex quorum genere prodiit Christus.

27 Qui enim habitabant Ierusalem, & principes ejus, hunc ignorantes, & voces prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, judicantes impleverunt:

27 Ne vos moveat exemplum Hierosolymitarum, ac principum ejus urbis, qui non agnoscentes Messiam à Deo missum, nec intelligentes voces Prophetarum, quæ tamen apud illos per omne Sabbatum leguntur, condemnato Jesu, per imprudentiam impleverunt, quod erat à Prophetis prædictum. Sic enim definitum erat divino consilio, sic omnium Prophetarum vocibus prædictum erat, ut unus immunis ab omni labe peccati, velut agnus immaculatus pro peccatis omnium immolaretur.

28 Et nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt à Pilato, ut interficerent eum.

28 Itaque quum Sacerdotes, Pharisæi, Scribæ, populique primores una cum ipso populo, tentatis omnibus, nullam in eo causam invenirent, cur occidi deberet, tamen improbis clamoribus flagitarunt à Pilato, ut occideret eum.

29 Cumque consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento.

29 Quumque imprudentes consummassent omnia, quæ de illo prædicta fuerant à Prophetis, depositum de cruce, posuerunt in monumento.

30 Deus vero suscitavit eum à mortuis tertia die: qui visus est per dies multos his.

30 Porro quem volente Deo hominum malitia neci dedit, hunc ejusdem Dei potentia, juxta Prophetarum oracula, suscitavit à mortuis tertio die.

31 Ac

31 Qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Ierusalem: qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem.

31 Ac ne putetis esse somnium, quod narro: visus est, auditus est, contrectatus est, agnitus est corpore redivivo, per dies quadraginta discipulis suis, qui ipsum proficiscentem Hierosolymam ut moreretur, comitati fuerant à Galilæa: qui fere omnes adhuc superstites sunt, ferentes apud populum fidele testimonium de his, quæ viderunt oculis, quæ audierunt auribus, quæ contrectaverunt manibus.

32 Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est:

32, 33 Nos quoque fungentes ex ipsius jussu Servatoris Apostolico munere, testificamur, quod promissionem, quam olim Deus fecit Abraham ac David patribus vestris, quamque per Prophetas suos edidit majoribus vestris, nunc implevit vobis ac filiis vestris, excitato Jesu à mortuis. Hic est enim ille Filius

33 Quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Iesum, sicut & in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Dei, natus ex virgine Maria juxta corpus humanum, de quo Pater ipse testificatur in primo Psalmo mystico, dicens: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

34 Quod autem suscitavit eum à mortuis, amplius jam non reversurum in corruptionem, ita dixit: Quia dabo vobis sancta David fidelia.

34 Quod autem suscitavit eum à mortuis, postliac non rediturum ad corruptionem, sed immortalem futurum, ita promisit olim per Esaiam Prophetam: *Dabo vobis sancta David fidelia.* Non fuisset autem servata pacto fides, si Jesum non revocasset ad immortalitatem. Sic enim promiserat David: *Semel juravi in Sancto meo, si David mentiar, semen ejus in sempiternum manebit, & thronus illius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in aternum, & testis in cœlo fidelis.* Videtis autem jam neminem è stirpe David progenitum, tenere solium ejus: sed Christum designabat hæc prophetia, qui dexter assidet Patri, sortitus regnum, cujus non erit finis.

35 Ideoque & alias dicit: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

35 Atque hac ipsa de re loquitur & Psalmus decimus quintus: *Non permittes ut Sanctus tuus videat corruptionem.*

36 David enim in sua generatione cum administrasset, voluntati Dei dormivit: & appositus est ad patres suos, & vidit corruptionem.

36 Nec enim hæc prophetia potest intelligi de Rege David, quem constat expletis vitæ suæ annis, regnoque simul ac vita pro portione temporis à Deo præscripti transacta, volente Deo mortuum & additum numero majorum, qui omnes similiter mortui sunt. Quod si corruptionem videt qui moritur, sepulchrum ejus, quod in hodiernum diem apud nos exstat, continens illius ossa, clamitat eum esse passum corruptionem.

37 Quem vero Deus suscitavit à mortuis, non vidit corruptionem.

37 Non igitur in hunc competit vaticinium, sed in eum, quem vobis prædicamus, quem Deus priusquam corpus sentiret putrefactionem, excitatum à mortuis, donavit immortalitate.

38 Notum sit itaque vobis fratres, quod per hunc Jesum offertur vobis remissio peccatorum, & ab omnibus malis libertas, à quibus hactenus non potuistis per observationem Legis purificari. Lex enim imperfecta erat juxta carnem, nec poterat abolere omnia crimina, sed quædam puniebat: nec omnibus gentibus subveniebat.

38 Notum igitur sit vobis viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur, & ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi justificari,

39 Per hunc autem Jesum citra discrimen personarum aut criminum, offertur omnibus justitia & innocentia, si modo credant Euangelii promissis.

39 In hoc omnis, qui credit, justificatur.

40 Cavete igitur ne in vos incidat quod per Abacuc Prophetam incredulis ac rebellibus Euangelico sermoni comminatur Deus.

40 Videte ergo ne superveniat vobis quod dictum est in Prophetis:

41 *Videte qui contemnitis, & admiramini, & disperdimini: quia opus operor ego in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis enarraverit vobis.*

41 *Videte contemptores, & admiramini, & obstupescite ac disperite, quoniam opus ego operor in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis enarraverit vobis.* Quis hactenus credidit hominem nasciturum ex virgine? Quis credidisset per mortem unius cunctis gentibus parandam immortalitatem? Quis credidisset occisum ac sepultum, intra triduum revicturum ad immortalitatem? Hoc opus incredibile Deus quemadmodum promiserat, operatus est in his vestris temporibus. Nolite esse contemtores, nolite disperdi per obstinatam incredulitatem, sed credentes amplectamini vobis gratis oblatam salutem.

42 Exeuntibus autem illis, rogabant ut sequenti sabbato loquerentur sibi verba hæc.

42 Ubi peroratum est à Paulo, jamque cœpissent abire qui audierant: rogabant Paulum ac Barnabam, ut proximo Sabbato iisdem de rebus verba facerent apud Synagogam.

43 Cumque dimissa esset synagoga, secuti sunt multi ludæorum, & colentium advenarum, Paulum & Barnabam, qui loquentes suadebant eis ut permanerent in gratia Dei.

43 Jamque dimisso cœtu, multi partim Judæi nati, partim proselyti religionis studiosi, sequuti sunt Paulum & Barnabam, cupientes propius ac familiarius edoceri per Apostolos. Atque illi colloquentes cum illis privatim, hortati sunt eos, ut in eo, quod amplecti cœpissent, Dei gratuito dono perseverarent, & in bene cœptis usque proficerent. Interim hujus rei fama latius pervagata est, aliis apud alios, ut fit, quod audierant referentibus.

44 Sequenti vero sabbato pæne universa civitas convenit audire verbum Dei.

44 Proximo vero Sabbato jam non Judæi tantum & proselyti, sed tota civitas convenit in Synagogam, ut audiret sermonem Euangelicum.

45 Videntes autem turbas Iudæi, repleti sunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes.

45 Cæterum Judæi plerique, qui sibi persuaserant hanc Euangelii gratiam non esse promissam, nisi solis his, qui juxta carnem essent filii Abrahæ, ut viderunt confluxisse promiscuam multitudinem Judæorum, proselytorum ac gentium, stimulante animum livore vehementer indignati sunt, contradicentes his, quæ dicebantur à Paulo, nec à blasphemis interim verbis temperantes.

46 Tunc constanter Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æterna vita, ecce convertimur ad Gentes.

46 Horum obstinatam malitiam ubi perspexissent Paulus ac Barnabas, memores quod Dominus mandasset Apostolis, ut sicubi reperissent qui rejicerent oblatam Euangelii gratiam, exirent eam civitatem, etiam pulvere pedum in contumaces excusso, libere dixerunt: Functi sumus officio nostro. Nam juxta præceptum Domini Jesu, vobis omnium primis annuntiandus erat sermo Euangelicus. Hoc honoris habitum est vobis à Christo. Cæterum quoniam ipsi tantam gratiam ultro gratisque delatam rejicitis, & indignos vos judicatis æterna vita, ecce convertimur ad Gentes.

47 Sic enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lucem Gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ.

47 Nec id facimus auctoritate privata. Sic suis præcepit Dominus Jesus, ut Euangelio prædicato per Judæam, deinceps prædicaretur omnibus gentibus usque ad terminos orbis terrarum. Prædictum est & hoc olim per Esaiam Prophetam, fore ut Jesus non tantum adferret salutem genti Judæorum, sed universis mundi nationibus. Sic enim in prophetia Pater loquitur Filio: *Posui te in lucem gentium, ut sis salus usque ad extremum terræ.*

48 Audientes autem Gentes gavisæ sunt, & glorificabant verbum Domini: & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.

48 His auditis gavisæ sunt gentes, non quod gauderent de Judæorum interitu, sed quod misericordiæ divinæ gratias agerent, qui Judæorum incredulitatem verteret in ipsorum salutem. Judæi blasphemiis incessebant doctrinam salutiferam, gentes subito mutatæ promtissimis animis amplectebantur, & glorificabant sermonem Domini. Cui crediderunt ex gentibus, non quidem omnes, sed quotquot divina misericordia destinarat ad vitam æternam, ad quam nemo pertingit nisi à Deo vocatus & electus.

49 Divulgabatur autem sermo Dominicus per universam illam regionem.

49 Disseminabatur autem verbum Domini per universam regionem.

50 Iudæi autem concitaverunt mulieres religiosas, & honestas, & primos civitatis, & excitaverunt persecutionem in Paulum & Barnabam: & ejecerunt eos de finibus suis.

50 Porro Judæi Gentibus invidentes, concitaverunt mulieres religiosas, nam his facilius imponitur simulata specie pietatis, & honestas, quo major esset auctoritas: tum viros primarios ejus civitatis, ac per hos commoverunt persecutionem in Paulum & Barnabam, & expulerunt illos è finibus suis. Hîc obiter animadverte lector Judaicam artem excitandæ seditionis in eos, qui sinceriter prædicant Jesum. Livor primum incitat fœte religiosos, mox dolor erumpit in convitia. Deinde per matronas graves ac religioni deditas suscitatur seditio, per matronas excitantur primores. Sic ejiciuntur Apostoli.

51 Paulus autem & Barnabas *excusso pulvere pedum in illos, profecti sunt Iconium*, Lycaoniæ civitatem.

51 At illi, excusso pulvere pedum in eos, venerunt Iconium.

52 Discipuli quoque replebantur gaudio, & Spiritu sancto.

52 *Discipuli quoque* læti de successu Euangelii, *replebantur gaudio & Spiritu Sancto.*

CAP. XIV.

Orat in Iconio: Lystris claudum illico sanat Petrus: mox lapidant: presbyterique dati.

3 *Factum est autem Iconii, ut simul introirent in synagogam Iudæorum, & loquerentur, ita ut crederet Iudæorum & Græcorum copiosa multitudo.*

1 PORRO quum pervenissent Iconium, ex more simul ingressi sunt Synagogam Judæorum, atque ibi quoque, quemadmodum fecerant Antiochiæ, prædicabant Euangelium Jesu Christi, sic ut copiosa multitudo crederet, tum Judæorum, tum Græcorum.

2 *Qui vero incredduli fuerunt Iudæi, suscitaverunt, & adiracundiam concitaverunt animas Gentium adversus fratres.*

2 Et hîc rursus Judaicus livor seditionis exstitit auctor. Etenim Judæi, qui noluerant obtemperare sermoni Euangelico, non sat habebant, si ipsi perirent: verum ut plurimos secum pertraherent in exitium, concitaverunt & corruperunt animos Gentium adversus eos qui crediderant.

3 *Multo igitur tempore demorati sunt, fiducialiter agentes in Domino, testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, dante signa & prodigia fieri per manus eorum.*

3 Sed Euangelii negotium, & per adversa, & per prospera crescebat & invalescebat. In hac igitur lucta Paulus & Barnabas, diu commorati sunt Iconii, fortiter rem gerentes præsidio Domini, qui gratuito beneficio, quod per Euangelium omnibus offerebatur, testimonium perhibebat majus humano testimonio. Dabat enim hoc obscuris & infirmis Euangelii præconibus, ut per manus illorum ederentur signa & prodigia, quæ declararent rem ex divina voluntate geri.

4 *Divisa est autem multitudo civitatis: & quidam quidem erant cum Iudæis, quidam vero cum Apostolis.*

4 Itaque Judæorum opera civitas Iconii secta est in duas partes, quarum altera stabat à Judæis incredulis, altera favebat Apostolis.

5 *Cum autem factus esset impetus Gentilium & Iudæorum cum principibus suis, ut contumeliis afficerent, & lapidarent eos,*

5 Tandem quum ii, qui erant ex Gentibus, juncti Judæis ac primoribus civitatis, impetum facerent in Apostolos, ut vim illis adferrent, ac lapidarent eos:

6 *Intelligentes confugerunt ad civitates Lycaoniæ, Lystram & Derben, & universam in circuitu regionem, & ibi euangelizantes erant.*

6 Illi re cognita, profugerunt Lystram civitatem Lycaoniæ, quæ Pamphyliæ pars est, & Derben: peragrantes interim finitimam undique regionem, ubique seminantes sermonem Euangelicum, ut hac fuga non tam consultum sit incolumitati Apostolorum, quam Euangelio propagando.

7 *Et quidam vir Lystris infirmus pedibus sedebat, claudus ex utero matris suæ, qui nunquam ambulaverat.*

7 Lystris autem erat vir quidam debilis pedibus, adeo ut perpetuo sederet impotens ambulandi, claudus ab utero matris ita, ut per omnem vitam nunquam ingredi pedibus valuerit.

8, 9 Hic admixtus multitudini, audiebat Paulum de Christo loquentem. Paulus autem intuitus hominem, & ex ipso vultu perspiciens ardorem & votum illius, quod confideret se per nomen Jesu praedicati, membrorum integritatem assequi posse, dixit clara voce: *Erige te in pedes*, simulque cum dicto *exiliit claudus & ambulabat.*

10 Porro multitudo quum vidissent rem tam prodigiosam (nam claudus erat omnibus notus, & simplici verbo subito restitutus est homo) sublatis in altum vocibus Lycaonice, dicebant: *Dii sumta hominum specie descenderunt ad nos.* Ea persuasio magis insederat animis Lycaonum, ob fabulam de Jove & Mercurio, quum homines esse viderentur, à Lycaone exceptis hospitio, unde nomen sortiti videntur Lycaones.

11 Barnabam itaque, qui singularem quandam auctoritatem præ se ferebat, appellabant Jovem, Paulum vero Mercurium, quod is esset dux sermonis, propterea quod Gentes crederent Mercurium esse Deorum nuntium, & eloquentiæ præsidem.

12 *Quin & Sacerdos Jovis, qui habitabat in suburbio civitatis* Lystrensis, *tauros & coronas adferebat ad fores edium*, in quibus erant Apostoli, *ut illis sacrificaret.* Nam taurorum cæde credebant potissimum delectari Jovem. Coronis autem sacris solent ornari cum Sacrifici, tum victimæ. Comitabatur autem promiscua hominum multitudo.

8 *His audivit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, & videns quia fidem haberet ut salvus fieret,* 9 *Dixit magna voce; Surge super pedes tuos rectus. Et exiliit, & ambulabat.* 10 *Turbæ autem cum vidissent quod fecerat Paulus, levaverunt vocem suam, Lycaonice dicentes: Dii similes facti hominibus, descenderunt ad nos.* 11 *Et vocabant Barnabam Iovem, Paulum vero Mercurium: quoniam ipse erat dux verbi.* 12 *Sacerdos quoque Iovis, qui erat ante civitatem, tauros & coronas ante januas afferens, cum populis volebat sacrificare.*

A

13 Ita Paulus & Barnabas, ubi rei causam scisciti didicissent, quod ipsis pro Diis habitis divini honores pararentur, non tulerunt tantam impietatem, ut honor Deo debitus transferretur ad homines: sed *conscissis* ex Judæorum more *tunicis, prosiluerunt ad multitudinem, clamantes ac dicentes.*

13 *Quod ubi audierunt Apostoli, Barnabas & Paulus, conscissis tunicis suis exiluerunt in turbas, clamantes.*

14 *Viri, cur ista facitis?* Nos non sumus Dii, sed homines vobis similes mortales, iisdem miseriis quibus vos obnoxii: adeo non expetentes à vobis hunc honorem, ut potius in hoc venerimus ad vos, quo nobis auctoribus ab istis falsis Diis, quos profanis sacris hactenus colitis, qui vel homines sunt vita defuncti, vel statuæ inanes, vel Dæmones noxii, convertamini ad Deum verum ac vivum, qui condidit B cœlum, ac terram, & mare, & quicquid cœlo, terra, marique continetur. Non est enim nisi unus Deus, omnium conditor & gubernator.

14 *Et dicentes: Viri, quid hæc facitis? & nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt:*

15 Is nunc postulat cognosci colique ab universis orbis nationibus, ut omnes per illum salutem æternam consequantur. Nam superioribus seculis, velut dissimulans, passus est omnes gentes suo quamque more vivere: ut posteaquam cognitum esset homines suis ipsorum præsidiis non posse salvos fieri, omnes per fiduciam in Deum, ac per Euangelium Filii ipsius servarentur.

15 *Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.*

16 Quanquam autem plerique mortales essent à vero Deo per errorem alieni, varia rerum simulachra pro Deo, aut res conditas pro conditore colentes, tamen non statim exseruit in illos justam ultionem, nec destitit illos perpetua sua beneficentia ad sui cognitionem & amorem provocare. Nam qui mundum condidit in usum hominum, idem è cœlo demissa pluvia fœcundat terram, facitque ut annuus proventus uberem copiam omnium rerum ad vitam hominum facientium profundat, ut affatim ciborum vario nos genere reficiat, & vini liquore exhilaret corda nostra. Nec enim hæc beneficia debetis Diis vestris, quos hactenus colitis, Jovi, Cereri, aut Libero, sed Deo illi quem vobis prædicamus.

16 *Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluvias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra.*

17 *Hæc quum loquerentur* apud populum Apostoli, D *vix compescuerunt multitudinem, ne ipsis immolarent victimas.*

17 *Et hæc dicentes, vix sedaverunt turbas ne sibi immolarent.*

18 Dum hæc aguntur Lystris, *superveniunt quidam ab Antiochia Pisidiæ & Iconio, Judæi* genere, sed Euangelio rebelles: *qui quum multitudinem in suam pertraxissent sententiam*, ut in Apostolos fieret impetus, id quod Iconii tentaverant, *lapidatum Paulum extraxerunt è civitate, credentes eum esse mortuum.* Hæ videlicet sunt rerum humanarum vices. Paulo ante pro Diis habitis parabantur hostiæ, nunc lapidatus abjicitur Paulus. Ob id autem huic erant infensiores, quod eloquentia sua plurimos alliceret ad E Christum.

18 *Supervenerunt autem quidam ab Antiochia & Iconio Iudæi, & persuasis turbis, lapidaverunt Paulum, traxerunt extra civitatem, existimantes eum mortuum esse.*

19 Abjectum ac pro mortuo relictum, circumdederunt discipuli, curaturi funus. Paulus autem reversus ad se *surrexit*, & clam *ingressus est civitatem, ac postridie profectus est una cum Barnaba in Derben*, quo primum ire decreverant.

19 *Circumdantibus autem eum discipulis, surgens introivit civitatem, & postera die profectus est cum Barnaba in Derben.*

20, 21 *Quumque in hac civitate prædicassent Euangelium, multaque docuissent*, veluti jacto semine fermonis Euangelici, *reversi sunt Lystram, Iconium & Antiochiam, confirmantes animas discipulorum*, quos ad Christum converterant, *& exhortantes eos, ut perseverarent in fide*, nec ullis terroribus abducerentur à fiducia, quam semel collocassent in Domino Jesu, nec offenderentur, quod audissent Paulum Lystris F esse lapidatum, quoniam hanc viam suis ostendisset Christus, ut per multas afflictiones intrarent regnum cœlorum. Adeo magis sollicitus erat Paulus, ne per occasionem malorum, quæ ipse patiebatur ab impiis, imbecilles alienarentur à Christo, quam doleret sua causa: exemplum interim ex-

20 *Cumque euangelizassent civitati illi, & docuissent multos, reversi sunt Lystram, & Iconium, & Antiochiam,* 21 *Confirmantes animas discipulorum, exhortantesque ut permanerent in fide: & quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*

Digitized by Google

exhibens Episcopis, ut gnavos agricolas imitando, non sat habeant plantasse aut seminasse, sed advigilent etiam, ut quod provenire cœpit, feliciter adolescat.

22 *Et cum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros, & orassent cum jejuniis, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt.*

22 Quoniam autem Euangelii profectus id postulabat, ut Apostoli per varias regiones vagarentur, delectos populi suffragiis per singulas civitates presbyteros præfecerunt illis, ut absentium Apostolorum vices gererent, factaque communi deprecatione cum jejunio commendaverunt illos Domino, ut in illo proficerent, quem semel essent professi.

23 *Transeuntesque Pisidiam, venerunt in Pamphyliam,*

23, 24 Hæc acta sunt Antiochiæ, quæ est in Pisidia. Ea regione peragrata, simili modo peragrarunt & Pamphyliam, ubique seminantes Euangelium, ubi seminatum non fuerat: & confirmantes eos, qui semel crediderant, donec redirent Pergam. Et hîc rebus ordinatis, pervenerunt Attaliam: ea civitas est Pamphyliæ littoralis.

24 *Et loquentes verbum Domini in Perge, descenderunt in Attaliam:*

25 Hinc solverunt rursus Antiochiam Syriæ, unde primum solverant delegato à senioribus muniere prædicandi Euangelii inter gentes, ac per impositionem manuum, precationem & jejunium commendati fuerant gratiæ Dei, ut illius præsidio feliciter cederet, quod auspicabantur.

25 *Et inde navigaverunt Antiochiam, unde erant traditi gratiæ Dei, in opus quod compleverunt.*

26, 27 Huc igitur quum sese recepissent, velut rationem eorum quæ gesserant reddituri, convocata congregatione credentium, retulerunt omnia, quæ Deus cum ipsis egisset, ostendentes quod Dei favor adfuisset ipsorum conatibus, qui Gentibus aperuisset ostium fidei, per quam absque Legis onere salutem assequantur.

26 *Cum autem venissent, & congregassent Ecclesiam, retulerunt quanta fecisset Deus cum illis, & quia aperuisset Gentibus ostium fidei.*

CAP. XV.

Pura fides, non Lex Mosis, servare potest nos:
Disjungit Marcus lite calente duos.

27 *Morati sunt autem tempus non modicum cum discipulis.*

COMMORATI sunt autem Paulus & Barnabas multo tempore cum discipulis Antiochiæ, quod in urbe celeberrima esset numerosa congregatio credentium ex variis hominum generibus conflata, quæ in dies reddebatur numerosior. Illic autem Apostoli gaudebant commorari diutius, ubi fructus erat copiosior, quoniam Hierosolymitæ, cæterique, qui eam Syriæ partem incolunt, quæ proprie Judæa dicitur, tenaciores erant Legis Mosaicæ quam cæteri, quod longius abessent à commercio Gentium: quodque Templo viciniores, minus ferebant Gentes ad Euangelii consortium recipi sine Legis observatione, quam non intelligebant prodita luce veritatis abrogandam, quod ad umbras, figuras & ceremonias attinebat. Hujus generis erant circumcisio, sabbatorum otia, delectus ciborum, festi dies, vestium discrimina, vota, jejunia, fuga morticinorum, quæ omnia crasso populo erant ad tempus indicta, ut assuescerent obedire Deo, donec per Euangelium prodita veritatis clarissima luce, rerum umbræ cederent. Proinde qui non intelligebant Legem esse spiritualem, contendebant id quod erat à Deo præscriptum, à patribus traditum, à majoribus tot seculis observatum, perpetuum esse debere. Hæc persuasio non tam nascebatur ex malitia, quam ex superstitione Legis: quam dum valde student servare, subvertunt. Nam hic zelus primum instigarat & Paulum adversus Christianos.

1 *Et quidam descendentes de Judæa, docebant fratres; Quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari.*

1 Itaque quum rumor eorum quæ gerebantur Antiochiæ, ubi ex publico consensu Paulus & Barnabas profecti in Cyprum, & inde in Pamphyliam, palam sine delectu prædicassent Euangelium, & Judæis & proselytis & Gentibus, nullam exigentes Legis observationem, permanasset Hierosolymam usque, quidam è Judæa venerunt Antiochiam, novam invehentes doctrinam, à Pauli Barnabæque doctrina diversam. Dicebant enim his qui ex Gentibus crediderant: *Nisi circumcidamini juxta ritum à Mose præscriptum, non potestis salvi fieri.* Hoc erat initium pugnæ, Legis carnem mordicus tenentium, adversus eos, qui sinceram ac spiritualem Euangelii libertatem sequebantur, quæ contentio nunquam non est inter Christianos futura. Et ideo Deus hanc exoriri passus est, quo magis intelligerent omnes Christi discipuli, quam exitialis res sit, ceremoniis nixa religio.

2 *Facta ergo seditione non minima Paulo & Barnabæ adversus illos, statuerunt ut ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alii ex aliis; ad Apostolos & presbyteros in Jerusalem, super hac quæstione.*

2 Horum doctrinæ, in speciem religiosæ, re ipsa pernicios issimæ, quum Paulus & Barnabas, velut Euangelicæ libertatis strenui propugnatores, fortiter resisterent, orta est vehemens seditio, dum Apostoli sinceritatem Euangelicæ doctrinæ, quæ spiritualis est, testimoniis Prophetarum fortiter tuentur adversus superstitiosos Legis assertores: dumque hi contra studio Legis à majoribus traditæ, conantur Gentes sub idem jugum trahere, nescientes interim, quanta contumelia Christum afficerent, cujus gratiam crederent præsidio Legis egere. Etenim qui Legis erat auctor, idem poterat abrogare Legem. Tametsi non abrogat, qui perficit. Hoc bellum multo pernicios ius erat Euangelio, quam Herodis aut aliorum Principum sævitia, propterea quod veram pietatem, falsa pietatis imagine oppugnabat. Itaque ne discordiæ malum gliscceret, convocato discipulorum concilio, visum est, ut Paulus & Barnabas, aliique ex hoc numero nonnulli proficiscerentur Hierosolymam ad Petrum, aliosque Apostolos ac Presbyteros, qui tum veluti Metropolim Ecclesiarum Hierosolymæ moderabantur, ut illorum auctoritate quæstio nata dissolveretur. Nam adhuc auctoritas præcipua manebat in eo loco, unde primum prodierat Euangelica doctrina, ac penes eos, qui ex delegatione Jesu Christi, prædicationem primi fuerant auspicati.

3 *Illi ergo deducti ab Ecclesia, pertransibant Phœnicem & Samariam, narrantes conversionem Gentium: & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus.*

3 Paulus itaque & Barnabas profecti sunt, honoris gratia deducente illos discipulorum multitudine. Cumque facerent iter per Phœnicen ac Samariam, narrabant ubique quomodo Gentes sese convertissent ad Deum: adeo non diffidebant factis suis Apostoli, ut ultro passim commemorarent: nec hoc animo proficiscebantur Hierosolymam, ut ex Apostolis discerent, recte-ne fecissent hactenus, an secus, sed ut majorum auctoritate tumultus infirmorum compesceretur. Quotquot autem in his regionibus crediderant Euangelio, magno afficiebantur gaudio, tantum aberat ut Judæorum exemplo moverent seditionem.

4 *Cum autem venissent Ierosolymam, susceptisunt ab Ecclesia, & ab Apostolis, & senioribus; annuntiantes quanta Deus fecisset cum illis.*

4 Porro ubi perventum esset Hierosolymam, Paulus & Barnabas, una cum suis comitibus humaniter excepti sunt à congregatione, quæ erat Hierosolymis, similiter & ab Apostolis ac senioribus, quibus congregatis exponebant omnia, quæ Deus gesserat per ipsos inter Gentes.

5 *Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque servare legem Moysi.*

5 Ea res quum plerœque multitudini probaretur, exorti sunt quidam è secta Pharisaica, qui crediderant Euangelio: sed sic, ut arbitrarentur Euangelii gratiam absque Legis adminiculo non conferre salutem. Proinde neminem Gentium ad Euangelii consortium admittendum, nisi prius impositio Legis Mosaicæ jugo, à quo Gentes vehementer abhorrebant. Cæterum Pharisæi præ cæteris videri studebant Legis tenaciores. Hi veluti Legis doctores asseverabant eos, qui ex Gentibus erant recepti, circumcidendos esse, aque eisdem præcipiendum ut servarent Legem Mosi, non intelligentes Legem à nullis æque violari, atque ab his, qui studio carnis negligunt spiritum Legis.

6 *Convenerunt que Apostoli & seniores videre de verbo hoc.*

6 Hîc rursus orto tumultu (quam seditiosa res est superstitio) convenerunt Apostoli simul cum senioribus, consulturi quid hac in re statuendum esset. Quum enim essent avidissimi lucri Dominici, metuebant ne plerique ex Gentibus odio Legis alienarentur à Christo. Rursus non arbitrabantur probabilem causam esse dandam Judæis, qui Legis venerationem à majoribus traditam, altius imbiberant, quam ut subito posset revelli, ut ab

Digitized by Google

Euangelio defciſcerent, quaſi pugnante cum Lege ſancta.

7 Cum autem magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Euangelii, & credere.

7 Quumque hinc atque hinc prolatis teſtimoniis & argumentis, incanduiſſet diſceptatio, Petrus aſſurgens, hunc in modum loquutus eſt: Viri fratres, quid vos diſceptatis veluti de re dubia, quaſi penderet ab hominum arbitrio probare vel improbare, quod jam Deus ipſe probavit. Vos ipſi ſcitis, quod ante annos aliquot hoc idem mihi accidit in Judæa, quod nunc in Gentium regione factum calumniamini. Quum enim ob Cornelium cum ſua familia baptizatum, ſimile murmur eſſet natum inter vos, expoſui vobis rem omnem, quomodo non auctoritate privata, ſed juſſu Dei adierim Cæſaream, ut Gentibus etiam prædicarem Euangelium Dei, cui credentes ſalutem aſſequerentur.

8 Et qui novit corda Deus, teſtimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum, ſicut & nobis,

8 Quum autem eſſent incircumciſi, qui tum audiebant ſermonem Euangelicum, & ab obſervatione Moſaicæ Legis alieni, tamen Deus, qui non æſtimat hominem ex habitu corporis, ſed ex affectu cordis, quod ille ſolus novit: manifeſto teſtimonio declaravit ſibi probari fidem illorum, inter audiendum effuſo in illos Spiritu Sancto, ſic, ut linguis loquerentur, quemadmodum & nos, etiam antequam à nobis baptizarentur:

9 Et nihil diſcrevit inter nos & illos, fide purificans corda eorum.

9 Nihil diſcriminis faciens, quod ad Euangelii gratiam attinet, inter illos incircumciſos, & nos Judæos. Nam fide purificavit illorum corda, palam declarans nobis hanc gratiam non eſſe collatam præſidio Legis, ſed commendatione fidei. Nec enim Deus infundit Spiritum ſuum impuris. At illi nihil habebant præter ſimplicem credulitatem, quum in illos veniret Spiritus Sanctus.

10 Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus?

10 Nunc igitur quum Deus palam declararit voluntatem ſuam, ut Gentes abſque Legis onere per ſolam fidem reciperentur ad Euangelii conſortium, cur vos Deum tentantes provocatis illum, dum præter illius voluntatem conamini tam grave Legis jugum imponere cervicibus diſcipulorum, qui hactenus Legi non aſſueverunt: quod neque patres noſtri, neque nos ſub Lege nati portare valuimus? Quis enim noſtrum Legem ſervavit ad unguem?

11 Sed per gratiam Domini Jeſu Chriſti credimus ſalvari, quemadmodum & illi.

11 Non igitur eſt quod ex obſervatione Legis ſperemus ſalutem, ſed confidimus nos fore ſalvos per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, hac in parte nihilo potiores Gentibus, quibus idem donum voluit impartiri gratis, quod nobis item gratis impartiit.

12 Tacuit autem omnis multitudo: & audiebant Barnabam & Paulum, narrantes quanta Deus feciſſet ſigna & prodigia in Gentibus per eos.

12 Hac oratione Petri coercita eſt tumultuoſa diſceptatio inter Phariſæos, & diverſa ſentientes. Itaque multitudo quieta, poſt audivit Barnabam & Paulum exponentes, quot miraculis ac prodigiis, per ipſos inter Gentes editis, Deus teſtificatus eſſet ſibi placere, ut Gentes ad Euangelii conſortium abſque Legis onere reciperentur, quemadmodum & ante Petro, in Cornelii domo prædicante Chriſtum, miſſo Spiritu Sancto declararat animum ſuum.

13 Et poſtquam tacuerunt, reſpondit Jacobus, dicens: Viri fratres, audite me.

13 Hi quum finem dicendi feciſſent, Jacobus cognomento Juſtus, & frater Domini dictus, in quem Apoſtoli tum præcipuam auctoritatem tranſtulerant, aſſurgens, illorum orationem approbavit, hunc in morem verba faciens: Viri fratres, quoniam cæteris, qui dixerant, præbuiſtis ſilentium, præbete & mihi dicturo, quod factu videtur optimum.

14 Simon narravit quemadmodum primum Deus viſitavit ſumere ex Gentibus populum nomini ſuo.

14 Simon Petrus narravit modo, quod nos omnes ſcimus eſſe veriſſimum, quemadmodum per ipſum primum Deus, miſertus humani generis, reſpexerit calamitatem gentium, idolorum cultui deditarum, ut ex his quoque, qui videbantur non eſſe populus, ſumeret ſibi populum acceptum, una nobiſcum invocantem nomen ipſius. Quod per Petrum cœpit Deus, id per Paulum & Barnabam latius provexit.

15 Et huic concordant verba Prophetarum, ſicut ſcriptum eſt:

15 Quod autem ab his factum audimus, id olim futurum prædictum eſt vaticiniis Prophetarum, quorum Amos ita loquitur ſub perſona Dei:

16 Poſt hæc revertar, & reædificabo tabernaculum David, quod decidit: & diruta ejus reædificabo, & erigam illud: ut requirant qui reliqui ſunt hominum Dominum, omneſque gentes ſuper quas invocatum eſt nomen meum, dicit Dominus faciens hæc.

16, 17 *Poſt hæc revertar, & inhabitabo tabernaculum David, quod collapſum eſt, ac ruinas ejus ædificabo denuo, & erigam illud: ut requirant qui reliqui ſunt homines Dominum, omneſque gentes ſuper quas invocatum eſt nomen meum, dicit Dominus faciens hæc.*

17 Ut requirant reliqui hominum Dominum, & omnes gentes, ſuper quas invocatum eſt nomen meum, dicit Dominus faciens hæc.

18 Notum à ſeculo eſt Domino opus ſuum.

18 Quicquid Deus pollicetur ſe facturum, hoc abſque dubio facit. Antequam enim mundus eſſet conditus, illi definitum erat, quid quo tempore facturus eſſet. Non poteſt autem non eſſe optimum, quicquid ille ſtatuerit.

19 Propter quod ego judico, non inquietari eos qui ex Gentibus convertuntur ad Deum,

19 Quoniam autem videmus hoc nunc fieri, quod ille promiſit, ego cenſeo non eſſe repugnandum voluntati divinæ, nec obſtrependum eſſe his, qui ex Gentibus convertuntur ad cultum veri Dei: nec eis imponendum onus Legis, quum Euangelica fides omnibus ſufficiat ad ſalutem.

20 Sed ſcribere ad eos ut abſtineant ſe à contaminationibus ſimulachrorum, & fornicatione, & ſuffocatis, & ſanguine.

20 Tantum admoneantur, ut ob imbecilles, quibus nondum perſuaderi poteſt, idolum nihil eſſe, & idolis immolatam carnem, nihil differre à carne quilibet, quæ venditur in macello: & ob quoſdam, qui ſcortationem ideo non credunt eſſe peccatum, quod vulgo fiat, nec legibus humanis puniatur: abſtineant ab inquinamentis ſimulachrorum, nec immolantes, nec veſcentes ex his quæ ſunt immolata, abſtineant à ſcortatione. Rurſus ob Judæos quoſdam ſuperſtitioſiores, quibus nondum perſuaderi poteſt, omnia mundis eſſe munda, abſtineant ab animante ſuffocato & ſanguine: non quod hæ res faciant ad ſalutem animæ, ſed quod caritas hortetur, ut ad tempus mos geratur imbecillitati fratrum quorundam, donec proficiant ad perfectiora, itaque mutuis obſequiis alatis invicem fraternam concordiam.

21 Moyſes enim à temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus qui eum prædicent in ſynagogis, ubi per omne ſabbatum legitur.

21 Nec eſt metuendum Judæis, ne Moſes antiquetur: *habet enim ille jam olim à priſcis ſeculis, qui prædicent ipſum in Synagogis, ubi ſingulo quoque Sabbato legitur* ex more.

22 Tunc placuit Apoſtolis, & ſenioribus cum omni Eccleſia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Judam, qui cognominabatur Barſabas, & Silam, viros primos in fratribus,

22 In hanc ſententiam quum ab omnibus itum eſſet pedibus, viſum eſt Apoſtolis ac ſenioribus, ſimulque toti congregationi, ut ex eo numero deligerentur aliquot, qui Paulum & Barnabam Antiochiam comitarentur. Delecti ſunt autem duo ſpectatæ probitatis, Judas, cui ob morum ſanctimoniam cognomentum additum eſt Juſti, & Silas, ambo primariam integritatis laudem obtinentes inter fratres.

23 Scribentes per manus eorum. Apoſtoli & ſeniores fratres, his, qui ſunt Antiochiæ,

23 His tradiderunt cum mandatis Epiſtolam in hanc ſententiam: *Apoſtoli & ſeniores ac fratres* ex Judæis ad Chriſtum converſi, *his qui ſunt in Antiochia, & in Syria ac Cilicia ex gentibus* ad Chriſtum converſi, *ſalutem.*

24 *Quoniam accepimus, quod quidam hinc profecti Judæi, velut à nobis miſſi perturbaverint* veſtram tranquillitatem, qua fruebamini in conſenſu Euangelii, nova doctrina *labefactantes animos veſtros, jubentes vos circumcidi ac ſervare Legem, quorum illis nihil tale mandaverimus:*

24 Quoniam audivimus quia quidam ex nobis exeuntes, turbaverunt vos verbis, everientes animas veſtras, quibus non mandavimus:

25 Placuit nobis collectis in unum, eligere viros, & mittere ad vos, cum chariſſimis noſtris Barnaba & Paulo,

25, 26 *Viſum eſt nobis* ex ſententia cœtus *convocatis in unum, delectos ex nobis viros mittere ad vos, una cum Paulo & Barnaba*, jure nobis cariſſimis, utpote *qui vitam ſuam periculis expoſuerunt pro nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

26 Hominibus, qui tradiderunt animas ſuas pro nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.

27 Miſimus ergo Judam & Silam, qui & ipſi vobis verbis referent eadem.

27 *Miſimus itaque Judam ac Silam*, probatiſſimæ fidei viros, ex quorum fideli relatione poteritis eadem cognoſcere quæ ſcribimus.

28 Viſum eſt enim Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra impoſitum vobis oneris quam hæc neceſſaria:

28 Horum ſumma hæc eſt: *Viſum eſt enim Spiritui Sancto*, & hujus inſtinctu *nobis* conſentientibus,

Digitized by Google

29 Vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione: à quibus cuſtodientes vos, bene agetis. Valete.

30 Illi ergo dimiſſi, deſcenderunt Antiochiam: & congregata multitudine tradiderunt epiſtolam.

31 Quam cum legiſſent, gauiſi ſunt ſuper conſolatione.

32 Judas autem & Silas, & ipſi cum eſſent Prophetæ, verbo plurimo conſolati ſunt fratres, & confirmauerunt.

33 Facto autem ibi aliquanto tempore, dimiſſi ſunt cum pace à fratribus, ad eos qui miſerant illos.

34 Viſum eſt autem Silæ ibi remanere: Judas autem ſolus abiit Ieruſalem.

35 Paulus autem & Barnabas demorabantur Antiochiæ, docentes, & euangelizantes cum alijs plurimis verbum Domini.

36 Poſt aliquot autem dies, dixit ad Barnabam Paulus: Reuertentes viſitemus fratres per vniuerſas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Domini, quomodo ſe habeant.

37 Barnabas autem volebat ſecum aſſumere & Ioannem, qui cognominabatur Marcus.

ne quid eorum vobis obijciatur, præter hæc quæ viſa ſunt neceſſaria.

29 Primum videlicet, ut abſtineatis ab his, quæ ſunt ſimulachris immolata, ne veſcentes videamini ſuperſtitioni, quam ſemel abnegaſtis, conſentire. Deinde ut temperetis à ſanguine animantis, & à pecude ſuffocata, quibus Lex veſci prohibet. Poſtremo ut abſtineatis à ſcortatione, quam Gentes ſibi putant eſſe licitam. *Ab his ſi temperaueritis, bene facietis. Valete.*

30 His ita peractis, dimiſſi ſunt cum litteris ac mandatis: *qui quum peruenissent Antiochiam, congregata multitudine reddiderunt Epiſtolam.*

31 *Quæ cum eſſet apud omnes recitata, gauiſi ſunt tanta conſolatione*, quod ad ipſorum animos Apoſtolorum, ſeniorum ac multitudinis Hieroſolymitarum auctoritas acceſſiſſet.

32 Judas autem & Silas, quum eſſent & ipſi Prophetæ, periti ſacrarum Litterarum, quod decerat Epiſtolæ, juxta mandatum Apoſtolorum ſupplerunt. Copioſoque ſermone exhortati* ſunt fratres, & confirmarunt animos illorum, ut in bene cœptis perſiſterent.

33 Hic igitur aliquandiu commorati, dimiſſi ſunt à fratribus cum pace, data illis facultate redeundi ad eos, à quibus fuerant miſſi.

34 Quoniam autem Silæ viſum eſt ibi remanere, Judas ſolus reverſus eſt Hieroſolymam.

35 Interim Paulus quoque & Barnabas commorabantur Antiochiæ, docentes promiſcue Judæos & Gentes, & omnibus annuntiantes ſalutem, quæ gratis offerretur credentibus Euangelio, hoc eſt, ſermoni Dei.

36 Poſt dies autem aliquam multos ſubiit animum Pauli cura diſcipulorum, quos in Cypro reliquerat, ac Pamphylia. Dixitque Barnabæ collegæ ſuo: *Reviſamus fratres per omnes ciuitates, in quibus prædicauimus ſermonem Domini, ut inſpiciamus quomodo ſe habeant.*

37 Placuit hoc conſilium Barnabæ, ſed ejus profectionis comitem eſſe volebat Joannem cognomento Marcum, quem ſecum prius eduxerant eo proficiſcentes.

38 Qua quidem in re Paulus ab illo diſſentiebat, exiſtimans eum tum non eſſe recipiendum in ejus negotii conſortium, qui pridem ſua ſponte defeciſſet ab ipſis nondum expleto negotio, quod inſtituerant, & è Pamphylia renavigaſſet Antiochiam.

39 Hæc diſceptatio uſque adeo inter eos incaluit, ut quum neuter alteri vellet concedere, uterque ab altero ſejungeretur. Non quod inter tantos Apoſtolos ulla intercederet amarulentia, ſed uterque contendebat obtinere, quod arbitrabatur expedire negotio Euangelico. Atque interim nobis exemplum parabatur, ne ſtatim exiſtimemus damnandum, quod à noſtra diſſidet ſententia. Non obeſt ſententiæ varietas, modo concors ſit animus ad provehendum Euangelium. Ex Apoſtolorum autem diſſidio Deus illud procurabat, ut ſegregatis duobus ducibus, latius etiam proferretur Euangelium, quam ſi perſeveraſſent in priſtino collegio. Itaque Barnabas, adjuncto ſibi Marco, navigavit in Cyprum, ubi natus erat.

40 Paulus vero adſcito ſibi Sila, qui Deo volente in hoc reſederat Antiochiæ, ne Paulo deeſſet collega gravis, & auctoritate præditus, dimiſſus à fratribus, & commendatus gratiæ Dei, profectus eſt quocunque vocaret ſpes oſtenſa profectus Euangelici.

41 Peragrabat autem Syriam ac Ciliciam, in qua natus erat & ipſe, ubique confirmans cœtus diſci-

* Alia Editio, *adhortati.*

pulorum, quos illic paraverat, & augens quod inſtituerat: præcipiens illis, ut quod Apoſtoli ſenioresque ſtatuiſſent Hieroſolymis, de fugienda ſimulachrorum communione, de ſcortatione, ſuffocato & ſanguine ſervarent, alioqui liberi à Moſaicæ Legis onere. His in Cilicia peractis, rurſum pervenit Derben, deinde Lyſtram.

firmans Eccleſias: præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & ſeniorum.

CAP. XVI.

Cum Deus ire vetat: Macedo adſtat: Lydia credit: Pytho fugit: rupti carceris ima tremunt.

1 Et ecce erat illic diſcipulus quidam, ex re nomen habens, dictus Timotheus, quaſi dicas, Deo pretioſus, natus ex impari matrimonio: nam matrem habebat viduam, quæ ex Judaiſmo venerat ad Chriſtum, patrem habuerat Ethnicum.

2 Hujus Timothei probitas, omnium fratrum teſtimonio prædicabatur, qui Lyſtris agebant, & item Iconii.

3 Paulus itaque nihil aliud ſitiens, quam per omnem occaſionem in dies latius proferri regnum Euangelicum; undique venabatur huic idoneos negotio; non aliter quam ambitioſi Reges, in hoc intenti, ut ditionis ſuæ terminos proferant, nihil magis habent curæ, quam ut duces ac præfectos rebus gerendis aptos adſciſcant. Porrò non ſatis eſt ducem Euangelicum mediocribus dotibus eſſe præditum, nec ſatis eſt inculpatis eſſe moribus, ſed oportet etiam bonorum omnium teſtimonio commendatum eſſe, ne rumor malus, etiamſi vanus ſit, officiat Euangelico negotio. Timotheum igitur & inſigniter probum, & omnium probatorum teſtimonio comprobatum, Paulus cupiebat habere ſuæ profectionis comitem. Atque hunc ſibi adjunctum circumcidit, non quod crederet circumciſionem conferre ſalutem, quam ſola fides adferebat: ſed ne quid tumultus oriretur à Judæis, quorum in illis regionibus erat magna multitudo, maluit in Timotheo admittere jacturam pelliculæ, quæ nec addita facit ſanctiorem, nec detracta pejorem, quam hac occaſione Judæos, quorum pertinaciam noverat, alienores reddi ab Euangelio. Decretum Apoſtolorum, quod Hieroſolymis præſente Paulo factum erat, liberabat Gentes ab onere Legis. Totius autem Legis profeſſio, quaſique ſymbolum, erat circumciſio. Judæi vero nondum erant palam liberati ab onere Legis, quam oportebat paulatim aboleri. Itaque quoniam conſtabat omnibus Timotheum matre Judæa eſſe natum, patre Ethnico, & ex patris auctoritate non fuiſſe circumciſum, perſpiciebat Paulus utcunque probabili de cauſa tumultuaturos Judæos, ſi Timotheus ſemi-Judæus natus, abſque circumciſione non ſolum admiſſus eſſet ad Euangelii conſortium, verum etiam ad doctoris Euangelici munus adſciſceretur. Hoc Euangelii provehendi ſtudio ei tempore dedit Paulus, tranquillitati conſulens omnium, qui Chriſtum pacificum fuerant amplexi.

4 Nec hoc ſolum fecit, verum etiam per quaſcunque civitates faceret iter, ne quid offenderentur Judæi, tradebat iis, qui ex Paganiſmo venerant ad Chriſtum, ut ſervarent ea quæ Hieroſolymis erant decreta ab Apoſtolis ac ſenioribus, cujus rei gratia legati fuerant Antiochiam Judas & Silas.

5 Aderat Pauli conatibus favor divinus. Nam Eccleſiæ diſcipulorum & confirmabantur in fide Euangelica, & in dies augeſcebant, accreſcente numero credentium.

6 Quum autem peragraſſent Phrygiam & Galatiam Aſiæ minoris regiones non ſine magno fructu, tametſi gens eſſet magnopere craſſa barbaraque, cuperentque proficiſci in eam partem, quæ proprie dicitur Aſia, vetiti ſunt à Spiritu Sancto ibi loqui ſermonem Euangelicum. Atque illi paruerunt occulto Dei conſilio, cui non decet hominem reluctari.

1 *Pervenit autem Derben, & Lyſtram. Et ecce diſcipulus quidam erat ibi nomine Timotheus, filius mulieris Judææ fidelis, patre Gentili.*

2 *Huic teſtimonium bonum reddebant, qui in Lyſtris erant & Iconio fratres.*

3 *Hunc voluit Paulus ſecum proficiſci: & aſſumens circumcidit eum, propter Judæos qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes quod pater ejus erat Gentilis.*

4 *Cum autem pertranſirent civitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis & ſenioribus, qui erant Hieroſolymis.*

5 *Et Eccleſiæ quidem confirmabantur fide, & abundabant numero quotidie.*

6 *Transeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetati ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum Dei in Aſia.*

38 *Quæ quidem in re Paulus ab illo diſſentiebat, exiſtimans eum tum non eſſe recipiendum in ejus negotii conſortium, qui pridem ſua ſponte defeciſſet ab ipſis nondum expleto negotio, quod inſtituerant, & è Pamphylia renavigaſſet Antiochiam.* 39 *Facta eſt autem diſſenſio, ita ut diſcederent ab invicem, & Barnabas quidem aſſumpto Marco navigaret Cyprum,* 40 *Paulus vero electo Sila profectus eſt, traditus gratiæ Dei à fratribus.* 41 *Perambulabat autem Syriam, & Ciliciam, con-*

7 Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam: & non permisit eos Spiritus Jesu.

[7] Itaque mutato consilio, flexerunt iter ad Mysiam, cui proxima est Asia proprie dicta. Inde tentabant proficisci in Bithyniam, reflectentes ad Septentrionem. Erat enim illa celebris Romanorum provincia, & ideo sperabant illic amplum lucrum. Sed, incertum qua de causa, non passus est Spiritus Jesu, cujus ductu agebantur, illuc proficisci.

8 Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem:

[8] Itaque reflectentes ad Occasum, peragrata prius Mysia, venerunt Troadem: ea civitas est littoralis Phrygiæ, eadem dicta Antigonia.

9 Et visio per noctem Paulo ostensa est: Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, & dicens: Transiens in Macedoniam, adjuva nos.

[9] Ibi Paulo per quietem ostensa est visio, quæ doceret, quo deberet proficisci. Visio vero talis erat: *Adstabat illi vir quidam specie cultuque Macedonis, qui deprecabatur illum, dicens: Proficiscere in Macedoniam, ac succurre nobis.* Is erat Angelus, illius regionis protector.

10 Ut autem visum vidit, statim quæsivimus proficisci in Macedoniam, certi facti quod vocasset nos Dominus evangelizare eis.

[10] Eam visionem simulatque vidit Paulus, qui jam semel atque iterum prohibitus fuerat à Spiritu Sancto prædicare sermonem Euangelicum, gavisi sumus illius comites. Nam & ego, qui hæc scribo, tum comes eram illius peregrinationis; statimque curavimus, ut proficisceremur in Macedoniam, certi quod eo vocasset nos Dominus, ut illis prædicaremus Euangelium, ac rem Deo fortunante successuram.

11 Navigantes autem à Troade, recto cursu venimus Samothraciam, & sequenti die Neapolim;

[11] Itaque solventes Troade, præternavigata Chersoneso; pervenimus ad Insulam Samothracen, Thraciæ oppositam. Atque hinc proximo die Neapolim, quæ civitas est maritima in confinio Thraciæ & Macedoniæ.

12 Et inde Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ civitas, colonia. Eramus autem in hac Urbe diebus aliquot, conferentes.

[12] Hinc Philippos: ea civitas Colonia, prima occurrit à Neapoli petentibus Macedoniam. In hac civitate commorati sumus dies aliquot, exspectantes occasionem auspicandi negotii, cujus gratia veneramus.

13 Die autem sabbatorum egressi sumus foras portam juxta flumen, ubi videbatur oratio esse: & sedentes loquebamur mulieribus, quæ convenerant.

[13] Porro die Sabbati egressi sumus civitatem, in locum qui erat extra portas, vicinus fluvio, ubi solebat esse conventus hominum ad precandum. Hîc sedentes loquebamur mulieribus, quæ eo convenerant, annuntiantes illis Jesum Nazarenum.

14 Et quædam mulier nomine Lydia, purpuraria civitatis Thyatirenorum, colens Deum, audivit: cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur à Paulo.

[14] Inter has erat una religioni dedita, nomine Lydia, purpurarum venditrix, oriunda è civitate Thyatirorum: ea est Lydiæ regionis. Inter multas autem quæ Paulum de Christo differentem audiebant, huic Deus aperuit cor, ut animum adverteret ad ea quæ dicebantur à Paulo.

15 Cum autem baptizata esset, & domus ejus, deprecata est dicens: Si judicastis me fidelem Domino esse, introite in domum meam, & manete. Et coegit nos.

[15] Itaque postea quam accepisset baptismum una cum sua familia, deprecata est Paulum & illius comites, dicens: Si me judicastis hoc honore dignam, ut per baptismum ac doctrinam vestram in Euangelii consortium reciperetis, habete mihi vicissim hoc honoris, ut divertatis in domum meam, nec æstimetis me ut Ethnicam, qualis modo fui, sed qualis nunc per fidem Euangelicam vestro ministerio facta sum. His precibus coegit Apostolos ut apud ipsam aliquandiu diversarentur. Interim vero doctoribus Euangelicis exemplum præbitum est, ut nec refugiant officium ultro delatum ab his, qui nuper conversi sunt ad Christum, si promte & perseveranter offerant, ne videantur illos parum pro suis agnoscere, nec rursus ingerant sese illis, ne videantur pro communicata doctrina Euangelica præmium reposcere. Sed qui spirituale beneficium accepit, debet benemeritos ad corporale beneficium recipiendum, si forsan opus sit, compellere.

16 Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem spiritum pythonem obviare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis divinando.

[16] *Accidit autem, ut euntibus nobis* ex more *ad precationem, occurreret nobis puella quædam habens Spiritum Pythonis, quæ divinando magnificum quæstum adferebat Dominis suis.*

17 Hæc assecuta Paulum ac nos, clamabat, dicens:

[17] *Hæc assectata Paulum ac nos, clamabat, dicens: Isti homines servi sunt Dei altissimi, qui annuntiant vobis viam salutis.*

18 Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & conversus, spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea. Et exiit eadem hora.

[18] *Id quum faceret diebus compluribus, Paulus ægre ferens,* ne videretur agnoscere laudem à phanatica puella tributam, *conversus ad illam, dixit Spiritui: Impero tibi per nomen Jesu Christi, ut discedas ab ista. Ac protinus exiit Spiritus.*

19 Videntes autem domini ejus quia exivit spes quæstus eorum, apprehendentes Paulum & Silam perduxerunt in forum ad principes:

[19, 20, 21] *Porro Domini puellæ, videntes sibi periisse quæstum suum, apprehensum Paulum & Silam, pertraxerunt in forum ad primores civitatis, & sistentes illos apud magistratus, accusaverunt eos, dicentes: Hi homines* aliunde profecti *perturbant totam civitatem, quum sint Judæi, & invehunt nobis* peregrinam religionem, *novaque instituta, qua nobis fas non est neque recipere, neque exercere, quum vivamus legibus Romanorum,* quæ vetant recipere peregrinos Deos, aut novos Deorum cultus.

20 Et offerentes eos magistratibus, dixerunt: Hi homines conturbant civitatem nostram, cum sint Judæi:

[22] His auditis, quoniam invisum erat apud illos Judæorum nomen, populus concursu facto ferebatur in Apostolos: ac Magistratus, quo populo furenti satisfacerent, discissis illorum tunicis, jusserunt eos virgis cædi.

21 Et annuntiant morem, quem non licet nobis suscipere, neque facere, cum simus Romani.

[23] Nec hac pœna contenti, postea quam illis impegissent multas plagas, conjecerunt eos in carcerem, mandantes carcerario, ut diligenter servaret eos.

22 Et concurrit plebs adversus eos: & magistratus, scissis tunicis eorum jusserunt eos virgis cædi.

[24] Qui quum tale mandatum accepisset, quo tutior esset, detrusit illos in carcerem interiorem: nec hoc contentus, strinxit pedes eorum ligno. Hæc erant auspicia Macedonicæ prædicationis. Semper autem aut quæstus, aut ambitio, aut superstitio rebellat Euangelio. Porro quum atrocissime sævit mundus in membra Christi, tum maxime adest cœleste solatium.

23 Et cum multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem, præcipientes custodi ut diligenter custodiret eos.

24 Qui cum tale præceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem, & pedes eorum strinxit ligno.

[25] Media nocte Paulus & Silas, obliti verberum, obliti carceris, precabantur, & hymnos canebant Deo, gratias agentes illi, quod famulos suos dignaretur hoc honore, ut ob ipsius nomen hæc paterentur. Cæteri vero, quos idem carcer habebat, audiebant illos lætis vocibus modulantes laudes Deo, & Filio illius Jesu Christo, demirantes, unde in rebus tam non lætis tanta lætitia.

25 Media autem nocte, Paulus & Silas orantes, laudabant Deum: & audiebant eos, qui in custodia erant.

[26] Ac *subito terræ motus factus est ingens, adeo ut totus carcer à fundamentis concuteretur, simulque patefacta sunt omnia ostia carceris, & omnium vincula soluta sunt.*

26 Subito vero terræ motus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia: & universorum vincula soluta sunt.

[27] Hoc tumultu *expergefactus carceris custos, quum accurrisset, ac reperisset omnia carceris ostia patefacta, atque hinc conjiceret fugisse vinctos:* memor quale mandatum accepisset à Magistratibus, *educto gladio parabat sibi necem conscisere,* malens suapte manu perire, quam post multa tormenta per carnificem occidi.

27 Expergefactus autem custos carceris, & videns januas apertas carceris, evaginato gladio volebat se interficere, æstimans fugisse vinctos.

[28] Id Paulus etiam per tenebras cernens, voce magna clamavit, ut vel attonitum hominem redderet attentum, dicens: Cave ne quid tibi ipsi feceris mali, quando nihil à nobis tibi mali venturum est. Sumus enim hîc omnes, neque quisquam nostrum effugit.

28 Clamavit autem Paulus voce magna, dicens: Nihil tibi mali feceris: universi enim hîc sumus.

[29] Ad hanc vocem sibi redditus custos, jussit ministros adferre lumen: quumque deprehendisset ita rem habere, cognovisseque rem non arte factam humana, sed potentia divina: simulque considerans, quod Paulus per tenebras vidisset, quid ageret, & quamobrem id ageret, intravit in interiorem carcerem, & accidit ad pedes Pauli & Silæ.

29 Petitoque lumine, introgressus est: & tremefactus procidit Paulo & Silæ ad pedes:

[30] Neglectoque mandato, quod acceperat à Magistratibus, eduxit eos è carcere in locum commodio-

30 Et producens eos foras, ait: Domini,

Digitized by Google

quid me oportet facere, ut salvus fiam?

dicerent, dicens: *Domini, quid mihi faciendum est, ut salvus fiam?* Vult permutare salutem. Consuluit illorum vitæ, vult & animæ suæ vitæ consuli per illos.

31 At illi dixerunt: Crede in Dominum Iesum: & salvus eris tu, & domus tua.

31 *Ajunt illi: Credo in Dominum Jesum, & salvus eris una cum familia tua.*

32 Et locuti sunt ei verbum Domini, cum omnibus qui erant in domo ejus.

32 Atque inibi statim Apostoli explicuerunt illis congregatis in unum, doctrinam Euangelicam. Vides nullum tempus, nullum locum non esse idoneum Euangelicæ pietati. Teterrimus ille carcer templum erat Apostolis. Non obstabat intempesta nox illorum hymnis. In carcere prædicatur Euangelium, & præda attrahitur Christo. Carcer Euangelii cathedra est.

33 Et tollens eos in illa hora nocte, lavit plagas eorum: & baptizatus est ipse, & omnis domus ejus continuo.

33 Nec mora, statim custos catechumenus gratiam referre festinat catechistæ suo. Mox enim abduxit illos seorsum, & abluit plagas illorum. Noverat hoc officii carcerarius. Deinde ablutus est ipse à plagis animi sui, simul cum tota familia sua.

34 Cumque perduxisset eos in domum suam, apposuit illis mensam, & lætatus est cum omni domo sua credens Deo.

34 His ita gestis, deduxit illos in sedes suas, ubi consueverat interdiu degere, & apposuit illis mensam, ut reficerent corpora sua. Post baptismum enim convenit mensæ communio. Ac sibi gratulatus est custos carceris, quod tales vinctos habere contigisset, per quos crediderat Euangelio cum tota sua familia. Hæc noctu facta sunt.

35 Et cum dies factus esset, miserunt magistratus lictores, dicentes: Dimitte homines illos.

35 Ut autem diluxit Magistratus re diligentius perpensa miserunt viatores ad custodem carceris, mandantes ut Paulum & Silam sineret abire liberos.

36 Nunciavit autem custos carceris verba hæc Paulo: Quia miserunt magistratus ut dimittamini: nunc igitur exeuntes, ite in pace.

36 Custos his auditis, & suo & Apostolorum nomine gaudens, renuntiavit hæc verba Paulo, quod Magistratus jussisset illos abire liberos. Nunc igitur, inquit, quoniam res bene cessit, abite bonis avibus.

37 Paulus autem dixit eis: Cæsos nos publice, indemnatos, homines Romanos miserunt in carcerem, & nunc occulte nos ejiunt? Minime sed veniant, & ipsi nos ejiciant. Nunciaverunt autem magistratibus lictores verba hæc. Timuerunt autem audito quod Romani essent:

37 Paulus autem cupiens & suam innocentiam reddere testatiorem, & occasionem quærens plurium etiam saluti consulendi, respondit nuntio: Quum se glorientur esse Romanos, & Romanorum legibus non liceat quenquam afficere supplicio, nisi auditum & convictum, nos homines Romanos nec auditos & indemnatos publicitus virgis occiderunt: & quasi parum id esset, cæsos conjecerunt in carcerem. Nunc suæ consulentes auctoritati, & nostram gravantes innocentiam, postulant ut quasi nobis male conscii profugerimus è carcere, clanculum hinc nos subducamus. Non ita fiet, sed veniant ipsi, & quo jure conjecerunt nos in carcerem, eodem jubeant abire.

38, 39 Hanc orationem Pauli *viatores* referunt Magistratibus. Qui simul atque audissent quod essent cives Romani, venerunt ipsi ad Paulum & Silam, deprecatique sunt illos, ut ignoscerent, quod per populi tumultum, præter juris Romani morem factum esset: & honoris gratia deducentes illos è domo carcerarii, rogabant ut ob tumultum populi vitandum, secederent è civitate Philippensi.

39 Et venientes deprecati sunt eos, & educentes rogabant ut egrederentur de Urbe.

40 Exeuntes autem de carcere, introierunt ad Lydiam: & visis fratribus consolati sunt eos, & profecti sunt.

40 His precibus obtemperarunt Apostoli, & egressi de carcere, profecti sunt ad domum Lydiæ, cujus hospitio fuerant usi, quæ cum tota familia receperat sermonem Euangelicum. Hac igitur reliquisque fratribus visis, consolati sunt eos, narrantes quid accidisset noctu in carcere, & exhortantes ut in eo, quod cœperant, perseverarent. Eo facto relictis Philippis, alio profecti sunt.

CAP. XVII.

Recta Thessalonica fide est: Berrhœaque felix:
Cecropiis monstras Paulle salutis iter.

1 Cum autem pertransissent Amphipolim & Apolloniam, venerunt

1 QVVM autem fecissent iter per Amphipolim & Apolloniam, Macedoniæ civitates, pervenerunt Thessalonicam: ea est Macedoniæ metropolis. Hic ob urbis celebritatem erat Synagoga Judæorum, atque hac occasione spes uberioris profectus ostendebatur.

2 Secundum consuetudinem autem Paulus introivit ad eos, & per sabbata tria disserebat eis de Scripturis,

2 Paulus igitur ex more suo veniebat in conventum Synagogæ, ac per tria Sabbata disserebat apud eos, proferens è Scripturis oracula Prophetarum, & aperiens ænigmata figurarum, & allegans testimonia Legis:

3 Adaperiens & insinuans quia Christum oportuit pati, & resurgere a mortuis: & quia hic est Iesus Christus, quem ego annuntio vobis.

3 Hisque collatis cum his quæ gesta fuerant, docuit ita decretum fuisse Deo, ut Christus pro salute mundi sic pateretur ac resurgeret à mortuis. Quoniam autem omnia, quæ prædicta fuerant de futuro Messia per ora Prophetarum, quæque figuris fuerant adumbrata, congruerent in Jesum Nazarenum, docuit Judæis non alium Messiam esse exspectandum, sed hunc esse Christum, quem annuntiaret illis.

4 Et quidam ex eis crediderunt, & adjuncti sunt Paulo & Silæ, & de colentibus Gentilibusque multitudo magna, & mulieres nobiles non paucæ.

4 Hæc quum Paulus tribus Sabbatis differuisset in Synagoga, *nonnulli Judæorum crediderunt, & adjuncti sunt Paulo ac Silæ: quin & ex Gentibus magna multitudo Deum timentium credidit, & in hac mulieres primaria non pauca.*

5 Zelantes autem Judæi, assumentesque de vulgo viros quosdam malos, & turba facta, concitaverunt civitatem: & assistentes domui Jasonis quærebant eos producere in populum,

5 Contra, *Judæi quidem* nimium studiosi Legis Mosaicæ, quibus aliquando faverat *Paulus, accensi zelo, & adjunctis sibi circumforaneis aliquot viris malis* (talium enim opera opus est, quoties res per tumultum geritur) *concita turba concitaverunt civitatem. Ac* per tumultum *adorti ædes Jasonis, conati sunt* Paulum & Silam *producere ad populum.*

6 Et cum non invenissent eos, trahebant Jasonem & quosdam fratres ad principes civitatis, clamantes: Quoniam hi, qui Urbem concitant, & huc venerunt,

6 *Quum autem* ingressi domum *non invenissent* quos quærebant, *protraxerunt ipsum Jasonem, eumque hoc discipulos aliquot ad præfectos civitatis, vociferantes* (sic enim olim actum est adversus Christum) *ac dicentes: Hi, qui hactenus* multis in locis *concitaverunt orbem terrarum, huc quoque venerunt,* ut idem facerent.

7 Quos suscepit Jason, & hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse, Iesum.

7 *Et hos* tales clam *excepit Jason. Atqui hi omnes,* & qui talia moliuntur, & qui talia molientes hospitio juvant, *faciunt adversus decreta Cæsaris, dicentes alium esse Regem* præter Cæsarem. Prædicant enim Jesum quendam, ob hoc ipsum crucifixum à Præside Cæsaris, quod se faceret Regem Judæorum. Vide ut Cæsaris nomine hic quoque abusi sint adversus Euangelium.

8 Concitaverunt autem plebem & principes civitatis audientes hæc.

8 Hæc oratio audita commovit populum & præfectos civitatis, quemadmodum commoverat & Pilatum adversus Christum. Tum enim clamabant infidiosi Judæi: *Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Et: *Si dimittis hunc, non es amicus Cæsaris.* Et: *Quicunque se facit Regem, contradicit Cæsari.* Contra, veri Judæi clamant: *Non habemus Regem nisi Jesum Nazarenum.* Et: *Quicunque Cæsari se dedit, non est amicus Christi.* Solus enim ille regnum obtinet totius orbis.

9 Et accepta satisfactione à Jasone, & à ceteris, dimiserunt eos.

9 Cæterum quum Jason cæterique fratres idoneam excusationem attulissent, dimissi sunt à Magistratibus.

10 Fratres vero confestim per noctem dimiserunt Paulum & Silam in Berœam. Qui cum venissent, in Synagogam Iudæorum introierunt.

10 Fratres autem ubi senserunt rem magnis odiis agi in Paulum & Silam, nihil cunctati, noctu clam emiserunt illos Beream: ea civitas est Macedoniæ, non procul à Pella patria Alexandri Magni. Sic fugiunt duces Euangelici, ut nihilo secius fugientes pugnent. Etenim simul atque venissent Beream, ingressi sunt Synagogam Judæorum, nihil deterriti tot jam seditionibus à Judæis concitatis.

11 Hi autem erant nobiliores eorum, qui sunt Thessalonicæ, qui susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas si hæc ita se haberent.

11 Hi vero generosiores erant Thessalonicensibus. Nam sermonem Euangelicum receperunt summa cum animi promtitudine, quotidie vacantes scrutandis divinis voluminibus, ut cognoscerent quemadmodum ea, quæ didicerant ex Apostolorum narratio-

ratione, convenirent cum oraculis Prophetarum ac figuris Legis.

12 Itaque multi crediderunt Beroeensium, non solum Judæi, verum etiam Græcæ mulieres honestæ, ac viri non pauci.

13 Porro ubi rumor pertulisset Thessalonicam ad Judæos, qui illic concitaverant tumultum, quod Beroeæ prædicatus esset sermo Euangelicus à Paulo, quem expulerant, eo profecti sunt, suoque more & illic concitaverunt multitudinem adversus Apostolos.

14 Fratres ubi senserunt imminere periculum, protinus emiserunt Paulum, cui potissimum timebant, ut iret ad mare, cui vicina est Beroea. Silas autem & Timotheus remanserunt Beroeæ.

15 Fratres vero qui deduxerant Paulum, ingressi cum illo navim, perduxerunt eum usque ad Athenas. Illic relicto Paulo, reversi sunt Beroeam, sed acceptis ab eo mandatis ad Silam & Timotheum, ut quum primum liceret, eo sequerentur.

16 Paulus itaque tametsi solus esset, & collegas suos desideraret, tamen quum videret civitatem tam celebrem & eruditam deditam esse simulachrorum cultui, incanduit in ipso spiritus, adeo ut non exspectatis collegis, in Synagogam ingressus, disputaret cum Judæis ac religiosis.

17 Præterea in foro disserebat cum omnibus qui ipsum adissent, sive Judæi essent, sive Græci.

18 Inter hos erant Epicurei quidam & Stoici, inter se longe dissidentes decretis. Nam Epicurei summam felicitatem hominis voluptate metientes, aut nullos credunt esse Deos, aut illis nullam esse curam rerum humanarum. Stoici præter alia paradoxa, felicitatem hominum solo mentis habitu metiuntur, quam illi virtutem sive honestum appellant. Hi cum Paulo conflictati sunt, veluti cum Philosopho quopiam novæ sectæ auctore. Quum autem Paulus illis exposuisset Philosophiam Euangelicam, ab omnibus Philosophorum placitis longe dissonantem, quidam ludibrii causa dixerunt: *Quid vult dicere spermologus iste?* Nam hoc convitio Græci notabant hominem inepte loquacem ac rabulam. Siquidem sapientia cœlestis videbatur illis esse stultitia. Alii vero dicebant: *Videtur novorum Dæmoniorum genus aliquod invehere, propterea quod Jesum* auctorem salutis, & Filium Dei, *ac resurrectionem* mortuorum *prædicaret.* Athenienses enim ex Platonis doctrina Dæmones Deorum filios appellabant, quibus tribuebant quidem corpora, sed immortalia.

19 Proinde quum in foro de Paulo variarent sententiæ, visum est illum abducere in vicum Martium. Is locus Athenis est celeberrimus, in quo nocturnis judiciis causæ capitales cognoscebantur. Conveniebat autem is locus huic disputationi, quæ credentibus offerebat salutem, incredulis exitium. Dicebant enim: *Licet-ne scire, quodnam sit istud novum doctrina genus, quod memoras?*

20 Quum enim omne Philosophiæ genus apud nos tradatur, tu tamen nova quædam & hactenus inaudita invehis auribus nostris. Cupimus igitur ex te plenius discere, quorsum ista tendant quæ disseris, aut quid sibi velint.

21 Quoniam autem ea civitas erat, præter cæteras Græciæ civitates, disciplinarum & eloquentiæ studio dedita, quo doctrinæ gratia plurimi ex omnibus orbis regionibus confluebant, & cives Athenienses, & qui illic versabantur hospites, ad nihil aliud vacabant, nisi ut aut audirent aliquid novi, aut dicerent idque magis animi causa, quam ut per cognitionem rerum evaderent meliores. Deus autem avidus humanæ salutis, more piscantium aut venantium unumquemque captat ex occasione rerum quibus delectatur.

22 Paulus itaque qui noverat omnia fieri omnibus, & eloquentiam suam ad omnium mores attemperare, nactus theatrum suum, in medio vici Martii, circumfusa frequenti multitudine, sic exorsus est: Viri Athenienses, quum hæc civitas omni genere litterarum ac disciplinarum præ cæteris floreat, tamen animadverto vos, quod ad religionem attinet fere superstitiosiores esse, quum præcipua Philosophiæ pars sit vera religio.

23 Quum enim obambularem ut cognoscerem ritus & instituta urbis vestræ, considerans ea, quæ vos colitis ac veneramini, inter cætera reperi quandam aram, quæ in titulo, quem habebat insculptum, mentionem faciebat ignoti Dei. Proinde falluntur, qui me dictitant invehere novos ac peregrinos Deos, quin potius hunc ipsum, quem vos ignotum colitis, id quod ille titulus aræ declarat, ego vobis annuntio, ut posthac religiose colatis cognitum, quem hactenus superstitiose coluistis incognitum.

24,25 Is quum sit mens quædam simplicissima, nusquam non præsens, sed sic, ut nulli includatur loco, non recte creditur habitare in Templis hominum manu exstructis, aut in simulacris mortalium arte confectis: neque pie colitur victimis pecudum, quasi ille vel egeat, vel delectetur ulla re, quæ manibus humanis geritur. Is enim quum sit immensus in sese, quumque sit omnipotens, quum sit summe felix ex suapte natura, sic, ut nec lædi possit injuriis hominum, nec humanis officiis adjuvari, tamen quoniam summe bonus est ac beneficus, mundum hunc admirabilem hominum causa condidit: & quicquid mundo continetur, instituit in humani generis usum. Quum igitur auctor Dominus & gubernator sit cœli terræque, & quicquid rerum in his continetur, nullo tamen ex his omnibus fruitur ipse, propterea quod illius felicitas æterna nullius boni desideret accessionem, sed nobis hanc suspiciendam fabricam prodidit, ut in ea versantes homines, ex opificio tam admirabili perspicerent potentiam, sapientiam, ac bonitatem opificis: & cognitum amarent, pieque colerent, cujus beneficio tot commoditatibus fruerentur. Quod si ille superior est universa mundi machina, nec eget ulla re ex his quæ condidit, quanto minus censendus est Templis, Signis, aut nidore victimarum delectari. Animi puritate colitur, quum ipse sit animus: nec moratur cædes taurorum aut ovium, qui omnibus vitæ est auctor, vitam & halitum impartiens omnibus quæ spirant.

26 Universum enim animantium genus ab illo conditum est, ac per illum vivunt, suum quæque genus fœtu propagantia. Sed his omnibus dominaturum, ex uno homine condidit universum hominum genus, ut incolerent per omnes terræ regiones, præscriptis unicuique vitæ spatiis, quæ nemo sibi posset prorogare: ac distributis terræ portionibus, quam quæque incoleret natio. Errant enim, qui mundum à Deo conditum, putant illius gubernatione destitutum, temere casuque ferri, quum nihil omnino geratur in mundo neque magnum, neque parvum, nisi ex providentia conditoris.

27 Quoniam autem juxta suam naturam incomprehensibilis est ingeniis humanis, corporum mole gravatis, constituit homines ratione præditos, ut aliud ex alio possint colligere, ex visibilibus invisibilia, ex singularibus universalia, ex temporariis æterna: ex his quæ sensibus percipiuntur, ea quæ non nisi intellectu comprehenduntur, in medio rerum omnium theatro, ut ex rebus conditis, quæ perspicerent oculis, contrectarent manibus, sentirent utilitate, vestigarent ac scrutarentur conditorem: & quemadmodum cæcutientes, palpando tandem reperiunt id, quod videri non potest, ita illi ex consideratione rerum admirabiliter conditarum, per-

12 *Et mulieres quidem crediderunt ex eis, & mulierum Gentilium honestarum, & viri non pauci.*

13 *Cum autem cognovissent in Thessalonica Judæi, quia & Beroææ prædicatum est à Paulo verbum Dei, venerunt & illuc commoventes & turbantes multitudinem.*

14 *Statimque tunc Paulum dimiserunt fratres, ut iret usque ad mare: Silas autem & Timotheus remanserunt ibi.*

15 *Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum usque Athenas, & accepto mandato ab eo ad Silam & Timotheum, ut quam celeriter venirent ad illum, profecti sunt.*

16 *Paulus autem cum Athenis eos expectaret, incitabatur spiritus ejus in ipso, videns idololatriæ deditam civitatem.*

17 *Disputabat igitur in synagoga cum Judæis, & colentibus, & in foro, per omnes dies, ad eos qui aderant.*

18 *Quidam autem Epicurei, & Stoici philosophi disserebant cum eo, & quidam dicebant: Quid vult seminiverbius hic, dicere? Alii vero: Novorum dæmoniorum videtur annuntiator esse: quia Jesum, & resurrectionem annuntiabat eis.* 19 *Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt, dicentes: Possumus scire quæ est hæc nova, quæ à te dicitur, doctrina.* 20 *Nova enim quædam infers auribus nostris: Volumus ergo scire quidnam velint hæc esse:* 21 *(Athenienses autem omnes, & advenæ hospites, ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi.)*

22 *Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athienienses per omnia quasi superstitiosiores vos video.*

23 *Prætereiens enim, & videns simulachra vestra, inveni & aram, in qua scriptum erat:* IGNOTO DEO. *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.*

24 *Deus, qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic cæli & terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat,*

25 *Nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia:*

26 *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum,*

27 *Quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrûm.*

Digitized by Google

pervenirent ad aliquam Dei cognitionem, quem vere cognoviſſe, ſumma felicitas eſt. Quanquam non eſt neceſſe, Deum in rebus extrariis quærere, quum eum in nobis ipſis liceat invenire, ſi modo ſeipſum unuſquiſque contempletur, & in ſeſe conſideret opificis virtutem, ſapientiam ac bonitatem. Quum enim Deus in orbibus cœleſtibus, in terra, in mari, in omnibus animantibus prodiderit veſtigia quædam ſuæ Divinitatis, tamen in nullo mirabilior eſt, quam in ipſo homine. Quod ſi quis ſit hebetiore ingenio, quam ut aſtrorum motus, maris æſtus, fontium ſcatebras, amnium perennes curſus, ac cæterarum rerum abditas cauſas queat aſſequi, *non procul abeſt Deus ab unoquoque noſtrum.*

28 *In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus: ſicut & quidam veſtrorum Poetarum dixerunt: Ipſius enim & genus ſumus.*

28 *Per ipſum enim omnes vivimus, movemur & ſumus.* Nec enim alii debemus quod ſumus aliquid, quam ei, qui mundum hunc condidit ex nihilo: nec alterius beneficium eſt quod ſpiramus, illico morituri, ſi nos ille deſtituat: nec alii debemus, quod vivi corporis membra ſuo quæque officio funguntur, ut oculi proſpiciant, pedes ambulent, manus operentur. Eſt igitur in unoquoque noſtrum Deus, qui per nos operatur, velut opifex per organum ab ipſo compoſitum. Refert autem homo Deum, non ſolum ut opus opificem, verum etiam ut filius parentem, ſimilitudine quadam & cognatione naturæ. Sic enim nobis proditum eſt ſacris Voluminibus, quod Deus Adamo humani generis principi corpus finxerit ex uda argilla, qua parte cognationem haberet cum cæteris animantibus: ſed ore ſuo inſpiravit huic luteo ſimulachro particulam auræ cœleſtis, qua Deum ipſum parentem propius referremus, & propter naturæ ſimilitudinem facilius eum cognoſceremus: quod cæteris animantibus datum non eſt. Hoc vobis abſurdum videri non debet, quum quod myſticis litteris proditum eſt, id quidam etiam veſtratium Poetarum dixerint: quorum eſt Aratus, cujus hoc eſt hemiſtichium in Phænomenis: *Nam hujus progenies etiam ſumus.* Non refert enim quod ille de Jove loquitur, certe hoc, quod Jovem appellat, ſummum Deum, & omnium rerum parentem eſſe putavit, ſed præcipue generis humani.

29 *Genus ergo cum ſimus Dei, non debemus æſtimare auro, aut argento, aut lapidi, ſculpturæ artis & cogitationis hominis, Divinum eſſe ſimile.*

29 Proinde quum ſimus genus Dei juxta mentis inditæ ſimilitudinem, parum recte ſentimus de parente noſtro, ſi quum ipſi potiſſimum æſtimemur homines ob inviſibilem noſtri partem, quæ eſt ratio, credimus illum ſimilem auro, argento, ligno aut lapidi hominis arte ſculpto. Quid enim abſurdius, quam quum homo, tametſi nonnullam cognationem habeat cum Deo parente, tamen longiſſime abſit à cognomine Dei, ipſum manibus ſuis fingere poſſe Statuam, quæ numen habeat? Debet autem eſſe multo præſtantius quod pro Deo colitur, eo qui colit. Jam homo quot nominibus præſtantior eſt ſimulachro, cui honores divini tribuuntur? Primum hanc ipſam corporis ſpeciem à Deo accepit, deinde ſpirat, vivit, movetur & agit. Poſtremo mentis vigore ſimilitudinem quandam habet cum Deo parente. Nihil horum in Statua. Quod ſi ſit impium hominem pro Deo colere, quanto longius abeſt à vera pietate, colere Signum artificis arbitrio ex materia confectum, unde, ſi libuiſſet, poterat & ſcamnum facere: quod adeo nullam habet cum Deo ſimilitudinem, qui eſt incorporeus, ut præter ſummam & imaginariam quandam ſpeciem corporis, nihil habeat cum homine ſimile, ne micam quidem habens ejus partis, qua homo Dei gerit imaginem.

30 *Et tempora quidem hujus ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant,*

30 Hæc contumelia quum ſit atrox in Deum, tamen pro ſua erga genus humanum caritate non ultus eſt, ſed velut diſſimulavit hactenus ignorantiam hominum, donec veniret tempus, quo decreverat omnibus innoteſcere, omnemque caliginem errorum diſcutere. Hoc tempus nunc adeſt, quo denuntiat omnibus, ut ab errore priſtino reſipiſcant.

31 *Eo quod ſtatuit diem, in quo judicaturus eſt orbem in æquitate, in viro, in quo ſtatuit, fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum à mortuis.*

31 Reſipiſcentibus enim vult eſſe paratam veniam, quæ poſthac non erit parata contumacibus, eo quod conſtituit diem, quo judicaturus eſt univerſum orbem juſto exactoque judicio, quod nemini licebit effugere. Et ideo præmittit denuntiationem, ne quis prætexere poſſit ignorantiam, & offert reſipiſcentibus veniam, ne quis in Deo deſideret miſericordiam. Ad utrumque delegit virum eximium Jeſum Nazarenum, quem ideo miſit in mundum, ut omnes per hunc ad veri Dei cultum converterentur: per eundem judicaturus incredulos, & hujus doctrinæ rebelles, hunc per Prophetas ſuos multis retro ſeculis promiſerat & ſervatorem & judicem. Et hactenus præſtitit bona fide, quicquid promiſerat. Sic natus eſt, ſic docuit, ſic afflictus & occiſus eſt: denique, ſic reſurrexit à mortuis, quemadmodum prædictum erat oraculis Prophetarum. Nec dubium eſt, quin ſimili fide ſit præſtiturus & alia quæ reſtant.

32 *Cum audiſſent autem reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum.*

32 Hæc orante Paulo, nonnulli ex circumſtantibus, quum cætera ſatis æquis auribus accepiſſent, poſteaquam audiſſent mentionem reſurrectionis, irridebant veluti rem abſurdam & incredibilem, quod nullus Philoſophorum hanc opinionem prodidiſſet: tametſi eſſent nonnulli, qui dicerent animas à morte corporum eſſe ſuperſtites, quidam etiam prædicarent eas demigrare de corpore in corpus. Alii vero minus præcipitis judicii, dicebant: *Audiemus te alias hac ipſa de re denuo.*

33 *Sic Paulus exivit de medio eorum.*

33 Sic Paulus dimiſit illum cœtum.

34 *Quidam vero viri adhærentes ei, credidérunt: in quibus & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alii cum eis.*

34 Erant tamen in eo numero qui perſuaſi adjungerent ſe Paulo: in quibus erat Dionyſius Areopagita, qui poſt Athenis Epiſcopum egit, à Paulo inſtitutus, ac mulier quædam nomine Damaris, cumque his alii nonnulli.

CAP. XVIII.

Sponſa Corinthe Dei es: Paulum tibi, Gallio, ſiſtunt: Priſcilla atque Aquila concio firma valet.

1 *Poſt hæc egreſſus ab Athenis, venit Corinthum:*

1 HOc qualicunque lucro profectus Euangelici parato Athenis, ut in civitate longe corruptiſſima, Paulus inde profectus contulit ſeſe Corinthum. Id eſt celeberrimum totius Græciæ Emporium, ut opulentum, ita luxu, libidine, faſtu longe corruptiſſimum.

2 *Et inveniens quemdam Judæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priſcillam uxorem ejus, (eo quod præcepiſſet Claudius diſcedere omnes Judæos à Roma) accеſſit ad eos.*

2 Hîc forte reperit quendam nomine Aquilam, Judæum religione, patria Ponticum: ea pars eſt Aſiæ minoris ad plagam Septentrionalem. Commodum autem nuper eo venerat ex Italia ſimul cum conjuge ſua Priſcilla, propterea quod Claudius Cæſar Judæos omnes, quorum illic magna vis erat, exegiſſet ex urbe.

3 *Et quia ejuſdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur: (erant autem ſcenofactoriæ artis.)*

3 His igitur adjunxit ſeſe Paulus, ne ſolus eſſet, & quoniam erant ejuſdem opificii, diverſabatur in iiſdem ædibus, manibus laborans apud eos, ne cuiquam gravis eſſet. Erat autem illorum ars, è pellibus conſuere tabernacula. Quemadmodum non puduit Petrum ad piſcationem redire, quum urgeret inopia, ita nec Paulum tantum Apoſtolum, tantiſque rebus pro Chriſto geſtis, puduit ad intermiſſas ob Euangelium pelles reverti.

4 *Et diſputabat in ſynagoga per omne ſabbatum, interponens nomen Domini Jeſu, ſuadebatque Judæis, & Græcis.*

4 Nec tamen interea ceſſabat ab Euangelico munere, ſingulis Sabbatis diſputans cum Judæis pariter ac Gentibus in Synagoga.

5 *Cum veniſſent autem de Macedonia Silas & Timotheus, inſtabat verbo Paulus, teſtificans Judæis eſſe Chriſtum Jeſum.*

5 Interea venerunt ex Macedonia Silas & Timotheus, quos Paulus ſequi juſſerat in Atticam. Hoc facto Paulus, quoniam pœnitebat profectus, quem illic capiebat, coarctatus eſt ſpiritu, nihilo ſegnius tamen teſtificans apud Judæos Jeſum Nazarenum, quem ipſe prædicaret eſſe Meſſiam à Prophetis promiſſum, nec per alium fore ſalutem.

6 *Contradicentibus autem eis, & blaſphemantibus, excutiens veſtimenta ſua, dixit ad eos: Sanguis veſter ſuper caput veſtrum: mundus ego, ex hoc ad Gentes vadam.*

6 Ceterum quum illi reclamarent, adeo ut nec blaſphemias verentur evomere in Jeſum & Paulum: Paulus memor Euangelici præcepti, excuſſis veſtibus ſuis, velut exprobrans quod gratis at-

Digitized by Google

7 Et migrans inde, intravit in domum cujusdam, nomine Titi Justi, colentis Deum, cujus domus erat conjuncta synagogæ.

8 Crispus autem archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua: & multi Corinthiorum audientes credebant, & baptizabantur.

9 Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo: Noli timere, sed loquere, & ne taceas:

10 Propter quod ego sum tecum: & nemo apponetur tibi ut noceat te: quoniam populus est mihi multus in hac civitate.

11 Sedit autem ibi annum & sex menses, docens apud eos verbum Dei.

12 Gallione autem proconsule Achajæ, insurrexerunt uno animo Judæi in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal,

13 Dicentes: Quia contra legem hic persuadet hominibus colere Deum.

14 Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad Judæos: Si quidem esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum, ô viri Judæi, recte vos sustinerem.

15 Si vero quæstiones sunt de verbo, & nominibus, & lege vestra, vos ipsi videritis: Judex ego horum nolo esse.

16 Et minavit eos à tribunali.

17 Apprehendentes autem omnes Sosthenem principem synagogæ, percutiebant eum ante tribunal: & nihil eorum Gallioni curæ erat.

18 Paulus vero cum adhuc sustinuisset dies multos, fratribus valefaciens navigavit in Syriam, (& cum eo Priscilla, & Aquila) qui sibi totonderat in Cenchris caput: habebat enim votum.

19 Devenitque Ephesum, & illos ibi reliquit. Ipse vero ingressus synagogam, disputabat cum Judæis.

20 Rogantibus autem eis ut ampliori tempore maneret, non consensit,

21 Sed valefaciens, & dicens, Iterum revertar ad vos Deo volente, profectus est ab Epheso.

22 Et descendens Cæsaream, ascendit, & salutavit Ecclesiam, & descendit Antiochiam.

23 Et facto ibi aliquanto tempore profectus est, perambulans ordine Galaticam regionem, & Phrygiam, confirmans omnes discipulos.

24 Judæus autem quidam, Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, devenit Ephesum, potens in scripturis.

25 Hic erat edoctus viam Domini: & fervens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea quæ sunt Jesu, sciens tantum baptisma Joannis.

26 Hic ergo cœpit fiducialiter agere in synagoga. Quem cum audissent Priscilla & Aquila, assumpserunt eum, & diligentius exposuerunt ei viam Domini.

7 Et migrauit inde, & intrauit in domum cuiusdam nomine Titi Iusti colentis Deum, cuius domus erat coniuncta synagogæ. 8 Crispus autem archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua: & multi Corinthiorum audientes credebant & baptizabantur. 9 Dixit autem Dominus nocte per uisionem Paulo: Noli timere, sed loquere, & ne taceas: 10 Propterea quod ego sum tecum: & nemo apponetur tibi ut noceat te: quoniam populus est mihi multus in hac ciuitate. 11 Sedit autem ibi annum & sex menses, docens apud eos uerbum Dei. 12 Gallione autem proconsule Achaiæ, insurrexerunt uno animo Iudæi in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal, 13 Dicentes: Quia contra legem hic persuadet hominibus colere Deum. 14 Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad Iudæos: Si quidem esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum, ô uiri Iudæi, recte uos sustinerem. 15 Si uero quæstiones sunt de uerbo, & nominibus, & lege uestra, uos ipsi uideritis: Iudex ego horum nolo esse. 16 Et minauit eos à tribunali. 17 Apprehendentes autem omnes Sosthenem principem synagogæ, percutiebant eum ante tribunal: & nihil eorum Gallioni curæ erat. 18 Paulus uero cum adhuc sustinuisset dies multos, fratribus ualefaciens nauigauit in Syriam, (& cum eo Priscilla, & Aquila) qui sibi totonderat in Cenchris caput: habebat enim uotum. 19 Deuenitque Ephesum, & illos ibi reliquit. Ipse uero ingressus synagogam, disputabat cum Iudæis. 20 Rogantibus autem eis ut ampliori tempore maneret, non consensit, 21 Sed ualefaciens, & dicens, Iterum reuertar ad uos Deo uolente, profectus est ab Epheso. 22 Et descendens Cæsaream, ascendit, & salutauit Ecclesiam, & descendit Antiochiam. 23 Et facto ibi aliquanto tempore profectus est, perambulans ordine Galaticam regionem, & Phrygiam, confirmans omnes discipulos. 24 Iudæus autem quidam, Apollo nomine, Alexandrinus genere, uir eloquens, deuenit Ephesum, potens in scripturis. 25 Hic erat edoctus uiam Domini: & fervens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea quæ sunt Iesu, sciens tantum baptisma Ioannis. 26 Hic ergo cœpit fiducialiter agere in synagoga. Quem cum audissent Priscilla & Aquila, assumpserunt eum, & diligentius exposuerunt ei uiam Domini.

A tametsi videret Judæorum rabiem in dies gliscere, tamen complures adhuc dies sustinuit. Tandem animadvertens illic satis feliciter auspicatum Euangelium, statuit ad tempus cedere furori Judæorum. Itaque dicto vale fratribus, instituit navigationem in Syriam, comitante simul Aquila cum uxore sua Priscilla. Quoniam autem Paulus intellexit Judæos ob hoc potissimum tumultuari, quod videretur negligere ritus Legis homo natus in Judaismo, priusquam solveret Cenchreis, is est Corinthi portus, totondit sibi caput, suscepto voto juxta morem Judaicum. Erat hîc non fraudulenta simulatio, sed obsequium caritatis. Cupiebat enim omnes adjungi B Euangelio, & ideo semet omnium affectibus, quo ad licuit, attemperavit, ut omnes Christo lucrifaceret: *Judæis factus Judæus, ineircumcisis incircumcisus.* Datum est hoc ad tempus invincibili quorundam superstitioni, donec se clarius proferret Euangelica veritas. Neque enim tondere caput ex voto, per se malum est: sed hujusmodi Judaicis cæremoniis fidere, malum est. Quemadmodum nec circumcisio lædit fidentem in Christo, nec præpurium, in quibus nonnunquam obsequi, caritatis est, sed ad tempus, sed ubicunque datur opportunitas reclamando. In aliis, quæ per se mala sunt, non oportet obsequi cujusquam imbecillitati. Neque enim in scortationibus C aut cultu simulachrorum, Paulus unquam obsequutus est Gentibus: in commercio, in negligendo ciborum delectu, in citandis illorum Poetis, nonnunquam est obsequutus.

19 Primum itaque perventum est Ephesum: ea civitas est maritima Asiæ minoris in ea parte, quæ proprie nulloque additamento vocari solet Asia. Ibi reliquit Aquilam & Priscillam, cupientes Ephesi sedem figere. *Ipse vero ingressus Synagogam Judæorum,* qui illic habitabant, *disputabat cum illis.*

20 *A quibus cum rogaretur, ut diutius secum commoraretur, excusavit.*

21 Sed dixit illis vale, spequæ maturi ad ipsos D reditus consolatus est animos illorum, *dicens: Oportet omnino festum, quod instat, agere Hierosolymis, sed denuo revertar ad vos, si Deus ita voluerit.*

22 Hæc loquutus solvit Epheso, navigaturus Hierosolymam: quumque appulisset ad Cæsaream Palæstinæ, adscendit Hierosolymam, & salutavit congregationem. Hinc profectus est Antiochiam Syriæ.

23 Hîc aliquandiu commoratus, peregit iter quod cœperat, perambulans deinceps Galaticam regionem, ac Phrygiam, ubique confirmans discipulos, ubicunque sese offerret aliqua congregatio. Tanta sollicitudo tenebat animum Pauli erga gregem, quem E Christo lucrifecerat.

24 *Interea quidam nomine Apollos,* religione *Judæus, patria Alexandrinus, vir eruditus, & divinarum Scripturarum peritia non vulgariter pollens, devenit Ephesum,* ubi Paulus reliquerat Priscillam & Aquilam.

25 Hic Apollos erat semi-Christianus. Didicerat enim à Christianis rudimenta doctrinæ Euangelicæ, ferventique studio quod didicerat, aliis communicabat, ac diligenter docebat, quæ cognoverat de Jesu, quum nondum esset baptizatus baptismo Christi, quo conferebatur uberior gratia, sed tantum noverat baptismum Joannis, quo docebatur pœnitentia. Id existimabat sufficere, nondum F ad plenum edoctus de his, quæ tradiderat Christus.

26 Quem quum audissent Priscilla & Aquila magno spiritu loquentem de Jesu, sed nondum perceptis omnibus Euangelicæ Philosophiæ mysteriis, adjunxerunt hominem sibi, quem perspiciebant ejusmodi dotibus instructum, ut videretur egregius Christi præco futurus, ac privatim exactius illi tradiderunt mysteria religionis Euangelicæ: quemadmodum

Digitized by Google

dum ipsi à Paulo didicerant. Non repulerunt illi doctorem, sedulum quidem illum, sed imperfectum: nec hic vir alioqui præstans, dedignatus est à quovis admoneri. Ab illis præbitum est exemplum, eos, in quibus refulget bona spes melioris profectus, civiliter adjuvandos. In hoc data est forma, libenter à quovis esse discendum, quod non citra salutis dispendium ignoretur. Tinctus est Apollos in nomine Jesu, & accepit Spiritum Sanctum.

27 Cum autem vellet ire Achaiam, exhortati fratres, scripserunt discipulis ut susciperent eum. Qui cum venisset, contulit multum his qui crediderant.

27 Porro postquam Euangelii prædicandi studio cuperet adire Achajam, in qua est Corinthus, fratres eo propensum ultro etiam exstimularunt, ac literis ad Achaicos scriptis commendarunt illum discipulis, ut exciperent eum. Qui quum eo venisset, multam utilitatem attulit his qui crediderant, strenuum propugnatorem agens Euangelici negotii: nam eloquentiam cum eruditione sacra conjunctam adjuvabat Spiritus cœlestis.

28 Vehementer enim Judæos revincebat publice, ostendens per Scripturas, esse Christum Iesum.

28 Quibus armis instructus, acriter revincebat Judæos, sine fine belligerantes adversus suboleſcentem Euangelii frugem, palam ac publice demonstrans Scripturarum testimoniis quod Jesus esset ille Messias, quem Judæi tot seculis exspectarant, quodque in hunc competerent omnia, quæ fuerant à Prophetis ante prædicta.

CAP. XIX.

Tincti sunt rursum: dissertio: signaque Pauli: Ardentes libri: magna Diana sonat.

1 Factum est autem, cum Apollo esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, & inveniret quosdam discipulos:

1 CAETERVM quemadmodum Priscilla & Aquila in Apollo correxerant imperfectum Christianismum, ita Paulus idem in aliis aliquot deprehensum correxit. Interim enim dum Apollos versaretur Corinthi, quæ Metropolis est Achajæ, accidit ut Paulus peragratis cæteris minoris Asiæ regionibus, quæ magis vergunt ad Septentrionem & Orientem, rediret Ephesum. Illic reperit quosdam è discipulis imperfecte Christianos, cætero gregi fratrum admixtos.

2 Dixitque ad eos: Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus sanctus est, audivimus.

2 Hos igitur ut corrigeret percunctatus est Paulus, num Spiritum Sanctum accepissent, posteaquam credidissent. Illi, quoniam non malitia, sed simpliciter errabant, ingenue confitentur id quod erat, dicentes: *Imo ne auditum quidem est nobis unquam, an sit aliquis Spiritus Sanctus*, qui confertur credentibus.

3 Ille vero ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Ioannis baptismate.

3 Tum Paulus: *Quo igitur baptismo baptizati estis*, quandoquidem habemini pro Christianis? Hîc illi: *Joannis, inquiunt, baptismate*. Id nobis sufficere credebamus.

4 Dixit autem Paulus: Ioannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens: In eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Iesum.

4 Tum Paulus: nihil quidem admissum est piaculi, quod olim ante proditam Euangelii lucem accepistis baptismum Joannis. Verum is non sufficit ad salutem æternam. Quemadmodum enim doctrina Joannis non erat absoluta, sed tantum testificabatur de Jesu vero salutis auctore, qui erat ipsi successurus, præparans animos illorum, ut venienti crederent: ita baptismus Joannis non conferebat perfectam justitiam, sed tantum hortabatur homines, ut pœnitentia vitæ superioris præpararent animos suos medico mox venturo, qui suo baptismo per fidem aboleret universa peccata, quique per suum Spiritum cœlestibus dotibus locupletaret animos credentium. Tradidit hoc suis Apostolis Dominus Jesus, ut qui credidissent Euangelico sermoni, eos baptizarent in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Hunc in modum doceri merebantur, qui simpliciter errabant.

5 His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu.

5 Atque illi moniti, promte obtemperavérunt monitori, moxque baptizati sunt in nomine Domini Jesu.

6 Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.

6 Hoc peracto quum Paulus imposuisset illis manus, venit Spiritus Sanctus super eos, ac signum oculis exhibitum res ipsa consequuta est. Nam & linguis loquebantur, & prophetias edebant de rebus occultis ac futuris.

7 Erant autem omnes viri fere duodecim.

7 Erat autem numerus virorum ferme duodecim.

8 Intrà-gressus autem synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans, & suadens de regno Dei.

8 Hoc facto Paulus veluti renovata auctoritate sua, quod doctor Gentium, per impositionem manuum suarum impartiret Spiritum Sanctum, quemadmodum & cæteri Apostoli, ingressus Synagogam Judæorum illic agentium, palam ac libere loquebatur omnibus, prædicans in solo Jesu salutis esse spem: idque fecit non paucis diebus, sed totos tres menses, disputans de regno Dei, quod est Euangelicum ac spirituale, adversus eos, qui Legis regnum carnale mordicus tenebant.

9 Cum autem quidam indurarentur, & non crederent maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis, segregavit discipulos, quotidie disputans in schola tyranni cujusdam.

9 Posteaquam vero quidam è Synagoga non crederent his, quæ disputabantur à Paulo, sed obstinatis animis obsisterent, adeo ut coram multitudine palam convitiis incesserent doctrinam Euangelicam: Paulus animadvertens periculum, ne qui crediderant, illorum malitia corrumperentur, subduxit sese à Synagoga Judæorum, & ab eis segregavit discipulos: nec interim tamen desiit prædicare sermonem Euangelicum. Sed *quotidie disserebat in Schola Tyranni cujusdam*, jam veluti puram Ecclesiam meditans, Synagogæ fermento non vitiatam, quæ non reciperet nisi dociles, obstreperos ac blasphemos non admitteret.

10 Hoc autem factum est per biennium, ita ut omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Iudæi atque Gentiles.

10 Id factum est per biennium, tanto successu, ut non solum Ephesii, verum etiam alii multi, partim Judæi, partim Ethnici, qui confluebant ex ea Asiæ minoris parte, quæ proprie Asia dicitur, & in qua est Ephesus, audirent sermonem Euangelicum.

11 Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli:

11, 12 Sermoni fidem adstruebant miracula, quæ tum multa, tum insignia Deus edebat per Paulum, adeo ut non solum dictis aut attactu propelleret morbos, verum etiam sudariola ac semicinctia, quæ contigissent corpus Pauli, deferrentur ad ægrotos, qui Paulum adire non poterant, atque ad horum contactum abirent morbi, malique Spiritus effugerent. Tanta erat fiducia erga Jesum, quem prædicabat Paulus.

12 Ita ut etiam super languidos deferrentur à corpore ejus sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.

13 Tentaverunt autem quidam & de circumeuntibus Iudæis exorcistæ, invocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Iesu, dicentes: Adjuro vos per Iesum, quem Paulus prædicat.

13 Id ubi vidissent Judæi quidam ex eorum numero qui circumeunt, & ad quæstum certis ritibus ac verbis conceptis ejiciunt noxios Spiritus, artem hanc jactantes sibi à Salomone traditam, tentaverunt & ipsi per invocationem Domini Jesu pellere malos Dæmones: non quod faverent gloriæ nominis illius, aut benefaciendi studio ducerentur, sed quod inde sibi plus quæstus & gloriæ proventurum crederent. Itaque mutatis verbis, quibus exorcismos peragere solebant, dicebant Dæmonibus: *Adjuro vos per Jesum, quem Paulus prædicat.*

14 Erant autem quidam Iudæi Sceva principis sacerdotum septem filii, qui hoc faciebant.

14 Hoc potissimum *faciebant septem filii Judæi cujusdam nomine Sceva, primarii Sacerdotis.*

15 Respondens autem spiritus nequam dixit eis: Iesum novi, & Paulum scio: vos autem qui estis? 16 Et insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum, invaluit contra eos, ita ut nudi & vulnerati effugerent de domo illa. 17 Hoc autem notum factum est omnibus Iudæis, atque Gentilibus, qui habitabant Ephesi: & cecidit timor super omnes illos, & magnificabatur nomen Domini Iesu,

15 Quum autem ad hunc modum tentassent exorcismum in quendam malo Dæmoni obnoxium, respondit exorcistis impius Spiritus: Jesum, per cujus nomen me terrere paratis, *novi, & Paulum* Jesu præconem *novi, vos autem qui* tandem *estis*, qui Jesu Paulique nomine ad quæstum abutimini, quum neque Jesu discipuli sitis, neque Pauli?

16 Simulque cum dicto *homo malo Dæmoni obnoxius insiliit in exorcistas, & invaluit adversus illos, adeo ut agre nudi sauciique profugerent ex ædibus illis.*

17 *Ea res divulgata est per universam civitatem Ephesiorum, & apud Judæos illic agentes, & apud Gentes. Unde timor ingens corripuit omnes, ac magnificabant nomen Domini Jesu*, quod sic esset salutiferum omnibus sincere credentibus, ut nullius quæstui aut gloriæ servire vellet. Paucorum calamitas multis fuit saluti. Nam exemplo filiorum Scevæ territi complures, qui jam credere cœperant Euangelio, quum viderent ultionem paratam his, qui parum sinceris animis in-

vocarent nomen Domini Jesu, veniebant ad Paulum, confitentes ac proferentes admissa sua, ut per pœnitentiam effugerent divinam ultionem. Erat enim Ephesiorum civitas præ cæteris dedita superstitiosis artibus, vel ipsorum proverbio teste, quo dicunt: *Ephesias litteras.*

18 *Multique credentium veniebant, confitentes & annuntiantes actus suos.*

18 Proinde complures illic erant, qui per errorem vel exercuerant Judaicos exorcismos, vel illis crediderant.

19 *Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus: & computatis pretiis illorum, inverunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.*

19 *Quin etiam multi ex ipsis, qui* Magicas & *curiosas artes exercuerant, comportatis in publicum libris, exusserunt eos coram omnibus.* Quorum tanta fuit multitudo, ut *supputatis illorum pretiis, reperta sint denariorum quinquaginta millia.* Pecuniæ jactura, lucrum erat Euangelii.

20 *Ita fortiter crescebat verbum Dei, & confirmabatur.*

20 Siquidem his modis vehementer augescebat & confirmabatur sermo Domini, salutaris his, qui simplici fide amplecterentur: formidabilis illis, qui minus sincere in eo versarentur.

21 *His autem expletis, proposuit Paulus in Spiritu, transita Macedonia & Achaja ire Ierosolymam, dicens: Quoniam postquam fuero ibi, oportet me & Romam videre.*

21 His per biennium satis feliciter Ephesi gestis, Paulus admonitus Spiritu, *statuit ut peragrata Macedonia & Achaja, proficisceretur Hierosolymam, dicens: Mihi Roma quoque videnda est,* sed non prius quam revisero Hierosolymam.

22 *Mittens autem in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi, Timotheum & Erastum, ipse remansit ad tempus in Asia.*

22 Hoc igitur animo quum esset, præmisit in Macedoniam duos ex his qui sibi ministrabant, videlicet Timotheum & Erastum, ut & eleemosynarum aliquid illic colligerent, sublevandis pauperibus qui erant Hierosolymis, & animos illorum in adventum Pauli præpararent. Ipse Paulus interim remansit ad tempus in Asia.

23 *Facta est autem illo tempore turbatio non minima de via Domini.*

23 Hoc tempore coorta est gravis tempestas adversus Euangelium apud Ephesios, non jam à Judæis, ut fere solet, verum ab his, qui Deorum superstitionem à majoribus traditam nimium imbiberant.

24 *Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum:*

24 Erat, ut diximus, Ephesiorum civitas magnopere dedita curiosis artibus, & Diana credita est apud gentes in veneficiis habere numen aliquod, unde & triformis ab illis dicitur, quemadmodum Hecate. Eoque summa religione colebatur apud Ephesios. Quæstus igitur primus erat fons hujus tumultus, auxilia petita sunt à superstitione populi. Erat enim tum Ephesi quidam nomine Demetrius, arte faber argentarius. Is quum delubra faceret argentea Dianæ, quod argenti colorem Luna referat, non mediocrem quæstum adferebat ejus artis peritis.

25 *Quos convocans, & eos qui hujusmodi erant opifices, dixit: Viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio:*

25 Quotquot igitur ex fabricandis Dianæ simulachris quæstum faciebant, tum quotquot erant ejusdem opificii, quos ob artis consortium oportebat favere, Demetrius convocavit in unum, apud quos seditiosam habuit orationem hunc in modum: Viri, tempus est ut communi ope commodis nostris consulamus. Non est opus ut vobis commemorem, vos ipsi scitis opificium nostrum apud Asianos ubertimi quæstus esse ob religionem Dianæ: quæ si labefactetur, necesse est simul & quæstum nostrum frigescere.

26 *Et videtis, & auditis, quia non solum Ephesi, sed pene totius Asiæ, Paulus hic suadens avertit multam turbam, dicens: Quoniam non sunt dii, qui manibus fiunt.*

26 Atqui videtis simul & auditis, res enim in propatulo est, quod Paulus iste jam totum biennium hîc prædicat non esse Deos, qui manibus hominum fiunt: neque quicquam habere numinis, quod ars sculptorum aut fusorum ex quacunque materia fabricatur. Atque hujusmodi prædicatione persuasit multis, non solum hîc apud Ephesios, verum etiam per totam Asiam, ac numerosam hominum multitudinem avertit à cultu Deorum.

27 *Non solum autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, sed & magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, sed & destrui incipiet majestas ejus, quam tota Asia, & orbis colit.*

27 Quoniam autem hoc opificium alit nos, ac familiam nostram, quid superest, nisi ut sublato quæstu redigamur ad famem? In tanto vero periculo dormitare nos, insignis cujusdam socordiæ fuerit. Quod si quem parum movet hoc periculum, ne neglecta arte nostra, decedat nobis quæstus, quem nunc luculentum capimus: certe publica religio debet omnes commovere, quando, si hæc impune patiemur agere Paulum, periculum esse videmus, ne Templum quoque magnæ Deæ Dianæ, quod nunc celebre est ac religiosum, magnisque donariis locuples, pro nihilo habeatur. Quis enim veneretur Templum, si persuasum fuerit Templi præsidem nullum habere numen? Itaque futurum est, ut tantæ Deæ majestas, ob quam merito dicitur magna, quamque nunc non solum hæc civitas & Asia, verum etiam totus orbis religiose colit, paulatim aboleatur. Itaque si prudentiam esse judicatis, consulere quæstui vestro: si pium esse judicatis, ab injuria vindicare patrios Deos, hîc præstate vos fortes viros, & venienti malo occurrite.

28 *His auditis, repleti sunt ira, & exclamaverunt dicentes: Magna Diana Ephesiorum.*

28 Hæc oratio sic concitavit superstitiosæ multitudinis animos, ut omnes vociferari cœperint: *Magna Diana Ephesiorum.*

29 *Et impleta est civitas confusione, & impetum fecerunt uno animo in theatrum, rapto Gaio & Aristarcho Macedonibus, comitibus Pauli.*

29 Ad hunc clamorem seditiosum tota civitas Ephesiorum impleta est tumultu: & concursu facto, promiscua multitudo magno consensu procurrit in theatrum, ubi solet regnare populi furor: atque eodem arripuerunt duos Macedones, Gajum & Aristarchum, Pauli comites.

30 *Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli.*

30 Porro quum Paulus, audito quod acciderat, vellet prodire ad populum, simul & opitulaturus suis comitibus, & populo persuasurus, discipuli non permiserunt, inconsultum esse judicantes, si se traderet furenti populo, nullum inde fructum relaturus Euangelio.

31 *Quidam autem & de Asiæ principibus, qui erant amici ejus, miserunt ad eum rogantes ne se daret in theatrum:*

31 Quin & alii quidam ex Asiæ primoribus, qui tametsi Christi nomen nondum essent professi, tamen bene volebant alioqui Paulo, miserunt ad illum, qui verbis ipsorum rogarent eum, ne se committeret concitatæ multitudini.

32 *Alii autem aliud clamabant. Erat enim Ecclesia confusa: & plures nescibant quam ex causa convenissent.*

32 Interea varius erat fremitus populi, aliis aliud, ita ut fit, vociferantibus. Erat enim concio ex variis hominum generibus, diversisque studiis confusa, plerisque etiam ignaris, quanam ex causa eo convenissent.

33 *De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Judæis. Alexander autem manu silentio postulato, volebat reddere rationem populo.*

33 Res itaque popularem quempiam oratorem poscebat, qui quocunque modo præsentem tumultum sedaret. Igitur è conferta turba protractus est quidam Alexander, propellentibus eum Judæis, ut oratione sua compesceret tumultum. Nullus enim audebat apud furiosam, & variis ex studiis confusam multitudinem verba facere, ubi quicquid dictum esset, oportebat aliquos offendi. Is igitur protractus, mota manu postulavit audientiam, jamque parabat reddere rationem.

34 *Quem ut cognoverunt Judæum esse, vox facta una est omnium, quasi per horas duas clamantium: Magna Diana Ephesiorum.*

34 Cæterum simul atque multitudo cognovisset Alexandrum esse Judæum, quæ natio quoniam unum Deum colit, detestatur Deos Ethnicorum, renovatus est tumultus, exspectantibus ut aliquid diceret adversus majestatem Dianæ. Proinde una voce omnes vociferari cœperunt: *Magna Diana Ephesiorum.* Is clamor perduravit ad duas ferme horas.

35 *Et cum sedasset scriba turbas, dixit: Viri Ephesii, quis enim est hominum, qui nescit Ephesiorum civitatem cultricem esse magnæ Dianæ, Iovisque prolis?*

35 Tandem quum Scriba civitatis silentium impetrasset à multitudine, dixit Alexander: Viri Ephesii, quorsum pertinet ista vociferatio? *Quis enim est hominum, qui nesciat Ephesiorum civitatem cultricem esse magnæ Dianæ, & ab Iove delapsi simulachri?*

36 *Cum ergo his contradici non possit, oportet vos sedatos esse, & nihil temere agere.*

36 *Quum igitur nemo contradicat* his, quæ vos confirmatis, *non est cur hunc tumultum excitetis, sed oportet vos sedatos esse, neque quicquam precipitanter agere.*

37 *Adduxistis enim homines istos, neque sacrilegos, neque blasphemantes deam vestram.*

37 *Adduxistis enim* duos *istos viros, neque sacrilegos, neque blasphemos in Deam vestram.* Ob hæc enim vindicanda merito fortasse concurreret populus.

38 Quod

38 *Quod si Demetrius, & qui cum eo sunt artifices, habent adversus aliquem causam, conventus forenses aguntur, & proconsules sunt, accusent invicem.*

38 Quod si Demetrius argentarius, cæterique huic adhærentes opifices, per quos tumultus hic ortus est, habent aliquid adversus aliquem quod aeuisent, nihil opus est hoc theatro, neque concursu populi, neque tumultu. Sunt enim in hac civitate leges, sunt conventus forenses, sunt Proconsules, qui causas cognoscant, ac lites dirimant, & in malefi-
A eos animadvertant. Apud hos invicem accusent sese, qui dederunt occasionem huic concursui, quandoquidem illorum causa nihil ad populum attinet.

39 *Si quid autem alterius rei quæritis: in legitima Ecclesia poterit absolvi.*

39 Quod si causa privata non est, sed ad populum etiam pertinet, tamen non est necesse rem sic per tumultum geri. Si quid enim flagitatis, poterit expediri legitima concione, convocata per quos oportet, & quemadmodum oportet.

40 *Nam & periclitamur argui seditionis hodiernæ: cum nullus obnoxius sit (de quo possimus reddere rationem) concursui istius. Et cum hæc dixisset, dimisit Ecclesiam.*

40 *Nunc periculum est, ne propter tumultum hodie factum arguamur seditionis* apud Magistratus, *quum nullam ideoneam causam adferre possimus, cur hic concursus populi factus sit* in theatrum. *Hæc quum dixisset, dimissa est concio.*

CAP. XX.

Vivit mortuus ex casu: Paulusque vocatos Presbyteros monet, & fata futura docet.

1 *Postquam autem cessavit tumultus, vocatis Paulus discipulis, & exhortatus eos, valedixit, & profectus est ut iret in Macedoniam.*

1 POSTEAQVAM *sedatus est ille tumultus, Paulus convocatis in unum discipulis*, exhortatus est eos, ut constanter pergerent in his quæ cœpissent: & amplexus illos, *ac vale dicto, profectus est ut iret in Macedoniam.*

2 *Cum autem perambulasset partes illas, & exhortatus eos fuisset multo sermone, venit ad Græciam:*

2 Ubi vero peragrasset Macedoniæ regiones, & ubicunque esset congregatio, multis verbis eos fuisset exhortatus, ut in Euangelica sinceritate perseverarent ac proficerent, venit in eam partem, quæ proprie dicitur Græcia, in qua est Achaja.

3 *Ubi cum fecisset menses tres, factæ sunt illi insidiæ à Judæis navigaturo in Syriam: habuitque consilium ut reverteretur per Macedoniam.*

3 Ubi quum fuisset menses tres, atque hinc pararet navigare in Syriam, sensit sibi in eam navigationem structas insidias à Judæis. Itaque visum est tutius mutare portum, & repetita Macedonia, ab eo littore repetere Syriam, in quod appulerat, quum primum adiret Macedoniam.

4 *Comitatus est autem eum Sopater Pyrrhi Beroensis, Thessalonicensium vero Aristarchus, & Secundus, & Gajus Derbeus, & Timotheus: Asiani vero Tychicus & Trophimus.*

4 Hujus itineris comites erant nobis Sosipater Beroensis Pyrrhi filius, Thessalonicensium vero Aristarchus & Secundus, cumque his Cajus Derbensis ac Timotheus. Rursus Asiani Tychicus ac Trophimus.

5 *Hi cum præcessissent, sustinuerunt nos Troade:*

5 Hi quum, Paulo in Macedonia commorante, præcessissent, procuraturi quod ad tutam navigationem pertineret, exspectarunt nos Troade.

6 *Nos vero navigavimus post dies azymorum à Philippis, & venimus ad eos Troadem in diebus quinque, ubi demorati sumus diebus septem.*

6 Nos per Macedoniam pervenimus Philippos. Hinc *post dies Azymorum*, qui festo Paschæ contigui sunt, *solvimus, & intra dies quinque pervenimus ad illos Troadem, ubi commorati sumus dies septem.*

7 *Una autem Sabbati cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis, profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque in mediam noctem.*

7 Hîc accidit quiddam memorabile. *Quodam* enim
E *die sabbatorum, quum discipuli convenissent* ex more *ad frangendum panem, Paulus* ubique pastorem agens, reficiebat animos illorum sermone sacro, *postridie profecturus*, eumque *sermonem produxit in multam noctem.*

8 *Eæ autem lampades copiosæ in cœnaculo, ubi eramus congregati.*

8 Ea ne dirimeret gratissimum colloquium, erant multæ lucernæ in cœnaculo, in quo tum eramus congregati.

9 *Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus super fenestram, cum mergeretur somno gravi, disputante diu Paulo, ductus somno cecidit de tertio cœnaculo deorsum, & sublatus est mortuus.*

9 Erat in hoc numero *adolescens quidam nomine Eutychus, sedens in fenestra. Is quum gravaretur profundo somno, Paulo diu differente, adeo tandem de-*
F *pressus est vi soporis, ut à tertio cœnaculo pronus deciderret in terram.* Accursum est, sed repertus est mortuus, ac sublatus in domum.

10 *Ad quem cum descendisset Paulus, incubuit super eum: & complexus dixit: Nolite turbari, anima enim ipsius in ipso est.*

10 Id ubi cognovit Paulus descendit, atque ad exemplum Heliæ Prophetæ, incurvato corpore incubuit super eum, veluti complexu suo fovens exanimem. Hoc facto vertit sese ad discipulos, ob inopinatum casum turbatos: *Nolite*, inquiens, *turbari: adhuc anima ejus in ipso est*, nondum enim tota corpus reliquit.

11 *Ascendens autem, frangensque panem, & gustans, satisque allocutus usque in lucem, sic profectus est.*

11 Hac oratione consolatus illos, *rursus adscendit* cœnaculum, *fregitque panem ac degustavit: deinde* rursus diu *colloquutus* cum illis *usque ad diluculum*, ita demum *profectus est*. Adeo durum est, amantissimum patrem à suis filiis distrahi.

12 *Adduxerunt autem puerum viventem, & consolati sunt non mediocriter.*

12 Porro qui remanserant apud adolescentem, ad-
B ducunt eum in cœnaculum vivum & integrum. Quæ res non mediocriter refocillavit animos omnium. Non enim decebat, ut sermo, qui salutem adfert omnibus, adolescenti mortis esset occasio.

13 *Nos autem ascendentes navem, navigamus in Asson, inde suscepturi Paulum: sic enim disposuerat ipse per terram iter facturus.*

13 *Nos autem* in Assonem *præcedentes navem, navigemus* eo, *inde susceturi Paulum*, ut ipse voluerat, *per terram iter facturus.*

14 *Cum autem convenisset nos in Asson, assumpto eo venimus Mitylenen.*

14 Quum autem convenissemus Assôn, Paulo recepto, una devenimus Mytilenen: ea civitas est littoralis Lesbi.

15 *Et inde navigantes, sequenti die venimus contra Chium, & alia applicuimus Samum, & sequenti die venimus Miletum.*

15 Hinc solventes, postridie pervenimus contra
C Chium insulam. Rursus hinc postero die appulimus ad Samum insulam, atque hinc trajecimus Trogyllium: ea civitas est littoralis Asiæ, Samo opposita. Hîc eam noctem commorati, postridie pervenimus Miletum: ea civitas est maritima Cariæ.

16 *Proposuerat enim Paulus transnavigare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asia. Festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes faceret Hierosolymis.*

16 Quanquam autem præterlegentibus Asiæ littus, prius occurrebat Ephesus, quam Trogyllium, aut Miletus, tamen ita decretum erat Paulo, præternavigare Ephesum, ne tempus tereret in Asia, si per insidias non licuisset illinc tuto solvere in Syriam. *Properabat enim, ut, si fieri posset, diem Pentecostes ageret Hierosolymis.*

17 *A Mileto autem mittens Ephesum, vocavit Majores natu Ecclesiæ.*

17 Ne tamen videretur Ephesios ob neglectum aut
D odio præteriisse, misit è Mileto, qui presbyteros congregationis Ephesiorum accerserent, quibus eam congregationem curandam commendarat.

18 *Qui cum venissem ad eum, & simul essent, dixit eis: Vos scitis, a prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim,*

18 Qui cum vocati venissent, hunc in modum loquutus est illis: non est necesse fratres, ut meam sinceritatem in Euangelico negotio vobis commemorem. Vos ipsi scitis, qui vidistis, quomodo me per omne tempus apud vos gesserim à primo die, quo sum ingressus Asiam, non meam gloriam, aut meum compendium venans à quoquam, sed in tradendo Euangelio Domini Jesu jussis obtemperans,
E ejusque voluntati per omnia serviens, nimirum ipsius inhærens vestigiis, qui se dejecit, qui se tradidit in afflictiones ac mortem, ut Ecclesiam suam purgaret ac constabiliret.

19 *Serviens Domino cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum:*

19 Ita & ego cum multa humilitate & ignominia, quam passus sum ab hostibus Euangelii, cum multis lachrymis, quas pro sollicitudine congregationis fudi, cum multis afflictionibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum, qui non patiuntur Euangelii gratiam Gentibus communicari, versatus sum in negotio Euangelii.

20 *Quomodo nihil subtraxerim utilium, quo minus annuntiarem vobis, & docerem vos publice, & per domos,*

20 Et tamen nihil horum malorum commovit animum meum, ut territus afflictionibus, quicquam
F omiserim, quod pertineret ad vestram salutem, aut quicquam esset in rem vestram, quod non cum periculo mei capitis indicarem vobis, ac docerem vos, tum publice in Synagogis, tum privatim ac domestice, utcunque sese dabat opportunitas:

21 *Testificans Judæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Jesum Christum.*

21 Non prædicans vobis, id quod Judæi volebant, circumcisiones, sabbatismos, & lotiones: sed pœnitentiam vitæ superioris, quam Deus requirit

ab omnibus, ut ſalutem det omnibus: & fiduciam erga Dominum noſtrum Jeſum, cujus Euangelio quiſquis credit, ſalvus erit, ſive Judæus ſit, ſive Græcus, ſive circumciſus, ſive incircumciſus. Et ideo gratiam omnibus oblatam, omnibus promiſcue prædicavi, non habito perſonæ delectu, nec deterritus Judæorum odio, qui ſtudio Legis oppugnant Euangelium, nec ſævitia Gentium, quæ ſuperſtitionem à majoris traditam tuentur. Nam ſi quid afflictionis hîc incidit mihi, magis me commovit congregationis periculum, ne quis offenſus meis malis alienaretur ab Euangelio, quam ignominia aut dolor mihi inflictus. Quod ſi quando ſubduxi me periculis, veſtro animo morem geſſi, veſtris commodis conſului, potius quam meæ incolumitati. Nec me pœnitet hujus animi.

22 *Et nunc ecce alligatus ego ſpiritu, vado in Ieruſalem; quæ in ea ventura ſint mihi, ignorans:*

23 *Niſi quod Spiritus ſanctus per omnes civitates mihi proteſtatur, dicens: quoniam vincula & tribulationes Ieroſolymis me manent.*

[22], [23] Quin & nunc, tametſi corpore liber, tamen ſpiritu jam alligatus, proficiſcor Hieroſolymam, in qua quæ res mihi ſint obventuræ, nondum liquido cognovi, niſi quod Spiritus in ſingulis civitatibus, tum per ora Prophetarum, tum in me ipſo prædicit, futurum ut vinciar & affligar.

24 *Sed nihil horum vereor: nec facio animam meam pretioſiorem quam me, dummodo conſummem curſum meum, & miniſterium verbi, quod accepi à Domino Jeſu, teſtificari Euangelium gratiæ Dei.*

[24] Id quum ſciam & credam, tamen nihil harum rerum me deterret, quo minus fungar Apoſtolico munere, etiamſi mors ſit oppetenda. Neque enim hæc mihi vita mea cara eſt, quæ Chriſto protectore perire non poteſt, ſed vita carius eſt, ut Domini juſſis obediam, utque curſum hunc Euangelicæ prædicationis, quemadmodum hactenus alacriter ſuſtinui, conſummem cum gaudio. Gaudium eſt ingens animo meo, ſi per meas afflictiones creſcit Euangelii proventus. Nihil enim aliud mihi cordi eſt, niſi ut in ſtadio Euangelico, in quod me Dominus induxit, ſemper progrediar, donec ad metam pervenero, ſecurus de præmio, quod ſuo tempore pro ſuo arbitratu repenſurus eſt Agonotheta, qui non poteſt fallere. Non ingeſſi memet huic muneri, ſed Dominus Jeſus hoc mihi delegavit, ut Judæis ac Gentibus prædicem lætiſſimum nuntium, per fidem Euangelicam Deo viſum eſſe ſalutem gratis dare omnibus. Hanc functionem volens ac lubens obeo, ſive vivere continget, ſive mori. Quandiu licuit adeſſe vobis, præſens conſului veſtræ ſaluti, docens, admonens, exhortans, conſolans, increpans, ſubinde reviſens.

25 *Et nunc ecce ego ſcio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos tranſivi prædicans regnum Dei.*

[25] Nunc autem ſcio Spiritus inſtinctu, quod poſthac non eſtis viſuri faciem meam, nec vos Epheſii, nec cæteri omnes qui minorem Aſiam incolitis, ad quos deveni prædicans regnum Dei. Quod mei muneris erat ſedulo bonaque fide præſtiti.

26 *Quapropter nunc digreſſurus à vobis abſque ſpe reditus, illud vos hodie conteſtor; quod ſi quis perierit ſua aut aliorum culpa, ego ſim purus à ſanguine omnium.*

[26] Quapropter nunc digreſſurus à vobis abſque ſpe reditus, illud vos hodie conteſtor; quod ſi quis perierit ſua aut aliorum culpa, ego ſim purus à ſanguine omnium. Oſtendi cunctis veram viam, qua pervenire licet ad vitam æternam.

27 *Non enim ſubterfugi, quominus annuntiarem omne conſilium Dei vobis.*

[27] Aperui vobis omne conſilium Dei, & quomodo placeat illi ſervari genus humanum, & quid præſtandum ſit his, qui perſtiterint in fiducia ſincera erga Dominum Jeſum, ne quis ignorantiam valeat prætexere. Exemplum ex me præbui, nihil non & faciens, & patiens, ut omnes perſeveretis in Euangelii ſinceritate. Nullius mors mihi poterit imputari. Neque nunc mea ſponte divellor à vobis, aut metu perſecutionum memet ſubduco, ſed ita volente Spiritu Chriſti, prudens ac ſciens in certum vitæ diſcrimen proficiſcor.

28 *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.*

[28] Quod igitur mea præſentia vobis præſtare non poterit, id veſtra diligentia penſet oportet. Videte ne vobis ipſi deſitis, neve ab his, quæ bene cœpiſtis, relabamini: ſed vos qui ſeniores eſtis, quibuſque curam multitudinis commendavi, vigilate, tum vobis ipſis ne corrumpamini per inſinceros Apoſtolos, tum toti gregi, quem paſcendum ſuſcepiſtis. Ego ſumma ſinceritate perfunctus ſum meo munere, quod à Domino delegatum erat. Vos item ſimili ſtudio ſimilique integritate curam agite gregis, cui vos Spiritus Sanctus præfecit Epiſcopos, hoc eſt, inſpectores, ut curetis, ne quid ſalutaris pabuli deſit ovibus Jeſu Chriſti, utque non lupos, ſed veros paſtores agatis erga congregationem Dei, quæ vobis oſcitanter curanda non eſt, ut quam Deus adeo caram habuerit, ut Unigeniti ſui ſanguine ſibi eam paraverit. Non eſt igitur committendum, ut merx tam care emta Deo, veſtra pereat negligentia.

29 *Ego ſcio quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.*

[29] Non hæc ſine cauſa tam ſollicite moneo. Scio enim, quod non ſemper habebitis Paulos, ſed poſt abitum meum, velut in caulas à paſtore deſtitutas, ingerent ſeſe in vos lupi graves, qui non parcent gregi, ſed omnia molientur ut diſſipent congregationem veſtram. Hîc periculum erit, ne qui ſunt imbecilles, fracti malis recedant ab Euangelio, ſed imminet aliud periculum multo majus.

30 *Et ex vobis ipſis exurgent viri loquentes perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe.*

[30] Non ſolum aliunde venient, qui terroribus ac minis, qui callidis perſuaſionibus, qui fucata ſpecie ſanctimoniæ conabuntur corrumpere ſinceritatem veſtram, ac labefactare libertatem, quam habetis per Euangelium Jeſu Chriſti: verum etiam ex vobis ipſis exorientur viri, qui prodita veſtra concordia loquentur perverſa, & à rectitudine veritatis Euangelicæ diſcrepantia, non hoc agentes ut Jeſu Chriſto grex ſuus ſit incolumis, ſed ut ipſi diſcipulos abducant poſt ſe, quo videantur aliquid eſſe, nimirum metuentes ne parum egregii doctores videantur, ſi nihil doceant novi. Atqui perverſa novitas eſt, quum homines addunt Euangelio, quod ſibi ſufficit. Qui verus eſt paſtor, Chriſti diſcipulos eſſe mavult quam ipſius. Et ab eo pabulum ſumit, quo paſcat illos. Iſti ob gloriam & quæſtum, ex Chriſti diſcipulis ſuos faciunt: & auctores eſſe volunt Euangelicæ doctrinæ, cujus nos revera nihil aliud ſumus quam diſpenſatores.

31 *Propter quod vigilate, memoriæ retinentes, quoniam per triennium nocte & die non ceſſavi, cum lacrymis monens unumquemque veſtrûm.*

[31] Quo plus imminet periculi, hoc attentius vigilate, memores quod per triennium quum agerem in Aſia, noctu dieque non ceſſarim admonere cum lachrymis unumquenque veſtrum.

32 *Et nunc commendo vos Deo, verbo gratiæ ipſius, qui potens eſt ædificare, & dare hereditatem in ſanctificatis omnibus.*

[32] Quod ſupereſt fratres, nunc quoniam avellor à vobis, commendo vos Deo, qui ſuum gregem non deſtituet, ac ſermoni Euangelico, in quo qui ſincere verſantur, & Dei gratuitam erga cunctos homines beneficentiam prædicant potius, quam Legis juſtitiam, opitulabitur favor divinus. Nos pro delegato munere fundamenta jecimus. Cæterum Deus, qui per nos agit hæc omnia, poteſt ſuperſtruere, ut quod cœptum eſt, ex ipſius voluntate perficiatur: & quemadmodum hactenus vobis contigit per Euangelii profeſſionem cooptari in numerum Filiorum Dei, ita perſeverantes in ſancto propoſito, perveniatis ad hæreditatem promiſſam omnibus ſanctificatis per Dei gratiam, ſive ex Judæis ſint, ſive ex Gentibus.

33 *Argentum & aurum, aut veſtem nullius concupivi, ſicut*

[33] Vidiſtis ſollicitudinem meam, vidiſtis labores meos, vidiſtis pericula mea, quæ veſtra cauſa ſuſcepi, nihil interim præmii captans à vobis, nec honorem, nec lucrum, adeo, ut quod à cæteris fit Apoſtolis, quodque jure meo poteram, ne neceſſaria quidem à vobis acceperim. Non aurum, non argentum, non veſtem cujuſquam concupivi.

34 *Ipſi ſcitis: quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ.*

[34] Nam, ut ipſi ſcitis, neceſſitatibus meis, & comitum meorum, manus hæ, quod opus fuit, ſuppeditarunt.

35 *Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes, oportet ſuſcipere infirmos, ac meminiſſe verbi Domini Jeſu, quoniam ipſe dixit: Beatius eſt magis dare, quam accipere.*

[35] Poteram hoc à vobis ſumere, non ignarus operarium eſſe dignum mercede ſua, ſed ego mercedem omnem malui exſpectare à Domino, & exemplum modis omnibus abſolutum ſtudui vobis exhibere, ut qui in gregis curam ſucceſſiſtis, intelligatis hoc eſſe boni paſtoris officium, ut quum nullum defugiat laborem in provehendis gregis commodis, tamen ob infirmos abſtineat ab omni mercede humana, ne quis ob hoc alienior ſit ab Euangelio, quod Euan-

Digitized by Google

Euangeliſtam ſuum cogatur alere: aut ideo minus obtemperet monitis paſtorum, quod exiſtimet eos ſibi ob accepta beneficia factos obnoxios. Sic enim eſt hominum ingenium, ut neſcio quomodo minoris faciant eos, in quos beneficium contulerunt. Quanquam autem æquum eſt, ut qui vobis Euangelicas opes impartiunt, his viciſſim de longe viliorib⁹ opibus ſubveniatis, tamen ego ſciens inter vos multos eſſe imbecilles, nullam cuiquam volui dare pejus de nobis ſentiendi occaſionem. Hoc exemplum meum ſtudete pro viribus æmulari, ſimulque memineritis, quod dixit Dominus Jeſus: *Beatius eſt dare quam accipere.*

36 *Hæc loquutus Paulus, flexis genibus precatus eſt* ex more *cum omnibus illis.*

37 Fletus autem omnium ingens coortus eſt, adeo ut effuſi in collum illius, oſcularentur eum, velut avide copiam rapientes mox avellendi.

38 *Deſcruciabat enim animos omnium verbum hoc, quod dixerat Paulus, illos non amplius viſuros faciem ipſius.* His peractis, eumdem ad navim officii gratia deducebant, oculis etiam quoad licuit proſequentes navigantem.

CAP. XXI.

Adſtricta palma: voti ſimulatio: duplex Compes: Tarſenſem Græca loquela probat.

1 QVVM *autem illinc ſolviſſemus, jamque ſpatio longiore divulſi eſſemus ab illis* è littore proſpectantibus, *recto curſu pervenimus ad inſulam Coum, poſtridie Rhodum, atque inde Patara* maritimam Lyciæ civitatem.

2 *Illic nacti navim, qua ſolveret in Phœnicen, ea conſcenſa navigavimus.*

3 *Ubi vero cœpit nobis apparere Cyprus* inſula, *relicta ea ad lævam, curſum inſtituimus in Syriam, & appulimus Tyrum*, quæ civitas eſt in littore Phœnices, quemadmodum & Sidon. Nos quidem malueramus recta in Palæſtinam, ſed quoniam Tyrus emporium eſt, hîc nautæ erat exponendum onus.

4 *Porro cum & illic reperiſſemus diſcipulos, manſimus apud illos dies ſeptem.* Hîc erant, qui afflati prophetico Spiritu, Paulo diſſuaderent, ne proficiſceretur Hieroſolymam.

5 At nihilo ſecius, expletis ſeptem diebus, cœpimus à Tyro proficiſci, *diſcipulis omnibus una cum liberis & uxoribus deducentibus nos extra civitatem uſque ad* littus.

6 *Hîc quum flexis genibus ſimul oraſſemus, moxque invicem dixiſſemus vale: nos navem conſcendimus, illi redierunt ad ſua.*

7 *Inde navigatione explicita à Tyro, venimus Ptolemaidem*: ea civitas occurrit in littore vicina monti Carmelo. *Hic ſalutatis fratribus, manſimus dies unum apud illos.*

8 *Poſtero vero die profecti nos, qui Paulum comitabamur, una cum ipſo pervenimus Cæſaream* Palæſtinæ, *ac devenimus in ædes Philippi*, qui primus Eunucho & Samaritanis prædicarat Euangelium, *unus è ſeptem* Diaconis, quos Hieroſolymis inſtituerant Apoſtoli. Apud hunc commorati ſumus.

9 *Huic erant filiæ quatuor adhuc innuptæ, quæ pollebant Spiritu prophetico*, juxta prophetiam Joelis.

10 *Quum igitur hujus hoſpitio diebus aliquot uteremur, ſupervenit quidam à Judæa Propheta nomine Agabus.*

11 *Is cum divertiſſet ad nos, tulit zonam Pauli, qua quum ipſe ſibi pedes alligaſſet*, ex veterum Prophetarum more, qui ſolent ſigno quopiam repræſentare, quod prædicunt, dixit afflatus Spiritu: *Hæc ait Spiritus Sanctus: Virum, cujus eſt cingulum hoc, ſic alligabunt Hieroſolymis Judæi, tradentque in manus Gentium.*

12 Hoc ſermone territi, tum nos, qui Paulo veneramus comites, tum ejus loci diſcipuli multis cum lachrymis rogabamus eum, ne ſe committeret Hieroſolymæ. Hic erat pius affectus volentium perire tam eximium paſtorem.

13 Paulus autem, cui certius oraculum Spiritus Sanctus ediderat in pectore, ut iret Hieroſolyma, poſtea viſurus Romam, ait illis: *Cur* inanibus *lachrymis veſtris affligitis cor meum?* Neque enim me movet periculum quod denuntiant Prophetæ, ſed veſter mœror mœrorem conciliat animo meo. Certum eſt perſequi, quod ad Euangelii profectum fieri vult Spiritus. Neque me territant vincula, jam iſtorum malorum nequaquam rudem. Tantum enim abeſt, ut metu vinculorum ſim deſerturus negotium Euangelicum, *ut mori quoque paratus ſim Hieroſolymis pro nomine Domini Jeſu.* Vinciatur Paulus, modo libere diſcurrat Euangelii ſermo. Occidatur Paulus, modo vivat apud omnes vigeatque gloria nominis Jeſu. Quod vitam opto, non ob aliud opto, niſi ut proſim Euangelio. Alioqui mihi lucrum fuerit, pro Chriſti nomine cito finire vitam hanc. Proinde vos nolite deplorare, quod mihi etiam optabile eſt, ſi velit Deus, veſtriſque fletibus deſinite mœrore afficere animum meum, qui non poſſum non dolere cum dolentibus amicis.

14 Ad hæc quum non haberemus quod reſponderemus, videremuſque illi certum eſſe decretum, ut pergeret Hieroſolymam, paſſi ſumus illum abire, dicentes: *Fiat voluntas Domini.* Nam hæc eſt vox vere Chriſtianorum, quam omnibus, etiamſi non ſit in ore, tamen oportet ſemper eſſe in animo, quicquid imminet ſeu lætæ rei, ſeu triſtis: *Fiat voluntas Domini.*

15 Itaque dies aliquot commorati Cæſareæ, parabamus nos itineri, ut iremus Hieroſolymam.

16 *Comitati ſunt autem Paulum una nobiſcum è civitate Cæſarea quidam è diſcipulis, ſecum ducentes Mnaſonem quendam Cyprium, cujus hoſpitio Hieroſolymis uteremur.* Erat enim ille vir ſpectatæ pietatis, ut qui jam olim credidiſſet Euangelio, diuque perſtitiſſet in ſinceritate fidei.

17 *Quum autem perveniſſemus Hieroſolymam*, libenter & *alacriter exceperunt nos fratres.*

18 *Poſtridie Paulus nobis ipſum comitantibus adiit ædes Jacobi* Juſti, qui dictus eſt frater Domini. Nam hic ab Apoſtolis inſtitutus fuerat Epiſcopus Hieroſolymorum. *Eodem convenerunt omnes ſeniores.*

19 *Quos omnes cum ſalutaſſet Paulus, referebat illis ordine, qua Deus per ipſius miniſterium geſſiſſet inter Gentes*, inter quas jam aliquot annis prædicarat Euangelium.

20 *Hæc illi quum audiſſent, glorificabant Dominum*, qui gratiam ſuam effudiſſet etiam in Gentes. Cæterum quoniam Paulus apud multos Judæos delatus erat, quod oſor eſſet Legis Moſaicæ, ſic prædicans Euangelii gratiam, ut minus quam oporteret tribueret Legis obſervationi: quo huic etiam incommodo mederentur, dixerunt: *Vides frater Paule quot ſint hic millia Judæorum, qui crediderunt Euangelio, atque hi omnes magno Legis ſtudio tenentur.*

21 *Rumor autem ad hos perlatus eſt*, quem nos ſcimus eſſe vanum, *quod Judæos, qui ſunt apud gentes, doceas deſciſcere à Moſe, ſic ut nec circumcidas filios ſuos, neque ſervens inſtituta majorum*, in delectu Ci-

---

3 6 *Et cum hæc dixiſſet, poſitis genibus ſuis oravit cum omnibus illis.*

37 *Magnus autem fletus factus eſt omnium: & procumbentes ſuper collum Pauli, oſculabantur eum,*

38 *Dolentes maxime in verbo, quod dixerat, quoniam amplius faciem ejus non eſſent viſuri. Et deducebant eum ad navem.*

1 *Cum autem factum eſſet ut navigaremus abſtracti ab eis, recto curſu venimus Coum, & ſequenti die Rhodum, & inde Patara.*

2 *Et cum invenissemus navem transfretantem in Phœnicen, aſcendentes navigavimus.*

3 *Cum apparuiſſemus autem Cypro, relinquentes eam ad ſiniſtram, navigavimus in Syriam, & venimus Tyrum: ibi enim navis exponitura erat onus.*

4 *Inventis autem diſcipulis, manſimus ibi diebus ſeptem: qui Paulo dicebant per Spiritum ne aſcenderet Hieroſolymam.*

5 *Et expletis diebus profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum uxoribus & filiis uſque foras civitatem: & poſitis genibus in littore, oravimus.* 6 *Et cum valefeciſſemus invicem, aſcendimus navem: illi autem redierunt in ſua.* 7 *Nos vero navigatione expleta à Tyro deſcendimus Ptolemaidam: & ſalutatis fratribus, manſimus die una apud illos.* 8 *Alia autem die profecti, venimus Cæſaream. Et intrantes domum Philippi evangeliſtæ, qui erat unus de ſeptem, manſimus apud eum.* 9 *Huic autem erant quattuor filiæ virgines prophetantes.* 10 *Et cum moraremur per dies aliquot, ſupervenit quidam à Judæa propheta, nomine Agabus.* 11 *Is cum venisſet ad nos, tulit zonam Pauli: & alligans ſibi pedes & manus, dixit: Hæc dicit Spiritus ſanctus: Virum, cujus eſt zona hæc, ſic alligabunt in Jeruſalem Judæi, & tradent in manus Gentium.*

12 *Quod cum audiſſemus, rogabamus nos, & qui loci illius erant, ne aſcenderet Jeroſolymam.*

13 *Tunc reſpondit Paulus, & dixit: Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? Ego enim non ſolum alligari, ſed & mori in Jeruſalem paratus ſum, propter nomen Domini Jeſu.*

14 *Et cum ei ſuadere non poſſemus, quieviſmus, dicentes: Domini voluntas fiat.*

15 *Poſt dies autem iſtos præparati, aſcendebamus in Jeruſalem.*

16 *Venerunt autem & ex diſcipulis à Cæſarea nobiſcum, adducentes ſecum apud quem hoſpitaremur Mnaſonem quendam Cyprium, antiquum diſcipulum.*

17 *Et cum venisſemus Jeroſolymam, libenter excepерunt nos fratres.*

18 *Sequenti autem die introibat Paulus nobiſcum ad Jacobum, omnesque collecti ſunt ſeniores.*

19 *Quos cum ſalutaſſet, narrabat per ſingula, quæ Deus feciſſet in Gentibus per miniſterium ipſius.*

20 *At illi cum audiſſent, magnificabant Deum, dixerunteque ei: Vides frater, quot millia ſint in Judæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores ſunt legis.*

21 *Audierunt autem de te, quia diſceſſionem doceas à Moyſe eorum, qui per Gentes ſunt, Judæorum: dicens non debere eos circumcidere filios ſuos, neque ſecundum conſuetudinem ingredi.*

ciborum, in sabbatis, in lotionibus, cæteriſque, quæ Judæi hi, qui Gentibus admixti non ſunt, magna religione ſervant. Hi utcunque ferunt, majorum decreto coerciti, Gentes non onerari jugo Legis. Cæterum Judæos natos ab obſervatione Legis ad ritus Gentium abduci non ferunt. Nunc itaque videndum eſt, ne quid hinc tumultus exoriatur.

22 *Quid igitur faciendum?* Primum *illud diſſimulari non poteſt, quin convocetur multitudo. Audient enim te veniſſe.*

23, 24 Ut igitur te liberes hac ſuſpicione, *ſequere conſilium noſtrum. Sunt nobis viri quatuor, qui* juxta conſuetudinem Judæorum *obligarunt ſe voto, hos tibi adjunge*, ſimulque cum illis expleas ritus ſolennes, iis qui ſe poſt votum ſanctificari curant: & ſi quid præterea impendendum in hoſtias aut donaria, impende una cum illis, donec raſerint capita ſua. Ita fiet, ut omnes ſciant eſſe vana, quæ de te jactavit rumor: ſed intelligent, te quoque ſic prædicare gratiam Euangelii, ut non damnes eos, qui ritus Legis à Deo traditæ, majorumque conſuetudinem obſervant, quum conſpexerint eadem abs te fieri, quæ quidam jactarant abs te damnari. Hac ratione compeſcetur murmur Judæorum, qui plures ſunt, quam ut non ſit illorum habenda ratio.

25 *Cæterum de his, qui crediderunt ex Gentibus, nos jampridem ſcripſimus* ex decreto Apoſtolorum ac multitudinis, ne cogerentur ad obſervationem Legis Moſaicæ, *tantum abſtinerent ab his, quæ immolantur ſimulachris, à ſanguine, à ſuffocato & ſcortatione.*

26 Paulus autem obtemperans Jacobi ac fratrum conſilio, *adjunctis ſibi quatuor illis viris*, qui ſe voto obſtrinxerant, *purificatus eſt una cum illis, & ingreſſus Templum, profeſſus eſt dies purificationis expletos eſſe:* neque quicquam omiſit ceremoniarum, *donec* ex more *offerretur pro unoquoque illorum oblatio.*

27 Totum hoc ſeptem diebus erat peragendum. Quibus jam pene expletis, Judæi quidam increduli, qui viderant illum in Aſia, quique tumultum illic excitaverant, *ubi conſpexiſſent* Paulum *in Templo, concitaverunt totum populum, & injecerunt manus in Paulum, clamantes:*

28 *Viri Iſraelitæ ſuccurrite. Hic eſt vir ille*, de quo rumore cognoviſtis, *qui* peragrans omnes regiones, *ubique docet* novam doctrinam *adverſus* hunc *populum* Deo peculiarem, *adverſus Legem* à Deo traditam, *adverſus hoc Templum* toti orbi religioſum. Nec hoc hujus impietati ſatis erat, *inſuper &* Græcos *homines* atque *incircumciſos induxit in Templum, & contaminavit locum hunc ſanctum.*

29 *Viderant enim Trophimum Epheſium in comitatu* Pauli, cum eſſet *in civitate, atque hinc conjectabant, quod Paulus hunc induxiſſet in Templum.*

30 *Ad hunc tumultum commota eſt tota civitas, factuſque eſt populi concurſus. Ac Paulum apprehenſum protraxerunt è Templo*, velut objiciendum furenti populo: *moxque clauſæ ſunt fores Templi*, ne eſſet quo ſe in tutum reciperet.

31 Quærebant enim eum occidere. Id in Templo facere religio erat, quaſi uſquam non ſit impium innocentem interficere. *Interea nuntiatum eſt tribuno cohortis, quod tota civitas* Hieroſolyma *tumultuaretur.*

32 *Qui ſtatim, adjunctis ſibi militibus ac centurionibus, decurrit ad illos. Judæi vero poſteaquam viderunt tribunum cum militibus accurrentem, deſtitere percutere Paulum.*

33 *Tribunus itaque quum veniſſet propius, juſſit apprehendi Paulum, ac vinciri catenis duabus*, ſuſpicans eum eſſe maleficum quempiam, in quem ſic ſæviret multitudo. Eo facto, tribunus interrogabat Judæos, quiſnam eſſet, & quid admiſiſſet.

34 Quum autem ob tumultum aliunde aliud vociferantis turbæ non poſſet certum cognoſcere quod volebat, juſſit Paulum, ut erat vinctus, duci in caſtra, ut intra præſidii ſepta poſſet, excluſa turba, rei veritatem intelligere.

35 Quumque jam ventum eſſet ad gradus caſtrorum, Paulus à militibus portabatur ob turbæ violentiam. Metuebant enim, ne vim adferrent illi, priuſquam veniret in caſtra.

36 Etenim ad ipſos uſque gradus ſequebatur populi multitudo, clamans ac vociferans: Tollite iſtum de medio.

37 Ubi vero jam ventum eſſet ad ingreſſum præſidii, Paulus cupiens ſatisfacere tumultuantibus Judæis, *dicit tribuno: Permittis-ne mihi, ut loquar tibi? Tum tribunus: Græce noſti?* Nam id Græce dixerat Paulus.

38 *Nonne tu es, inquit, Ægyptius ille, qui antehac quoque tumultum concitaſti, atque hinc eduxeras in deſertum quatuor millia virorum ſicariorum?*

39 *Ad hæc Paulus:* Non ſum is quem tu putas, ſed *ſum* homo genere *Judæus, patria mihi eſt Tarſus, Cilicia non obſcura civitas. Verum, illud interim te rogo, permitte mihi verba facere ad populum.*

40 *Id quum ille permiſiſſet, Paulus ſtans in gradibus, manu mota ſignificabat* populo, ſe velle loqui. *Moxque magno facto ſilentio, ſic loqui cœpit lingua Hebraica.*

CAP. XXII.

Belle hic enarrat Paulus vitamque fidemque:
Dic mihi, Romanus ſiſne, tribunus ait.

1 VIRI quotquot hîc adeſtis, vel genere fratres, vel ætate dignitateque patres, præbete mihi vos attentos, dum me vobis purgo ſuper his, de quibus apud vos falſo delatus ſum.

2 Hæc præfato Paulo, multitudo, quum audiret quod Hebraice loqueretur, magis etiam præſtitit ſilentium, ſive quod hanc linguam intelligebant omnes, ſive quod ſuæ quiſque linguæ magis favet.

3, 4 Tum Paulus ita pergit dicere: Ut intelligatis, me nec adverſus populum Judæorum, nec adverſus Legem Moſi, nec adverſus Templum quicquam impie feciſſe: *Ego ſum homo Judæus*, ex Judæis *natus Tarſi Ciliciæ.* Cæterum *educatus in hac civitate, ad pedes* vobis non ignoti viri *Gamalielis, diligenter inſtitutus* à primis annis *in patria Lege*, magno ſtudio deditus iſti cultui veri Dei, quem vos quoque omnes ſervatis hodie, adeo ut amore Legis hanc Euangelicam viam, quam nunc profiteor, perſequerer, non ſolum uſque ad carceres & vincula, verum etiam uſque ad mortem, nihil aliud ſpirans quam minas ac cædes adverſus Euangelii profeſſores, vinciens & in carceres pertrahens, tum viros, tum mulieres.

5 Hæc ita ſe habere, mihi teſtis eſt is, qui tum erat ſummus Sacerdos, ſimulque cum eo totus Seniorum ordo, à quibus acceptis litteris ad Judæos, proficiſcebar Damaſcum, ut inde vinctos adducerem Hieroſolymam, qui Chriſti nomen profiterentur, ut ex arbitrio Sacerdotum ac Seniorum punirentur. Hoc animo tum eram in illos, non ob aliud quam

22 *Quid ergo eſt? utique oportet convenire multitudinem: audient enim te ſuper venisse.*

23 *Hoc ergo fac quod tibi dicimus: Sunt nobis viri quattuor votum habentes ſuper ſe.*

24 *Hos aſſumptis, ſanctifica te cum illis: & impende in illis ut radant capita: & ſcient omnes quia quæ de te audierunt, falſa ſunt, ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem.*

25 *De his autem, qui crediderunt ex Gentibus, nos ſcripſimus, judicantes ut abſtineant ſe ab idolo, immolato, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione.*

26 *Tunc Paulus, aſſumptis viris, poſtera die purificatus cum illis intravit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio.*

27 *Dum autem ſeptem dies conſummarentur, hi qui de Aſia erant Iudæi, cum vidiſſent eum in templo, concitaverunt omnem populum, & injecerunt ei manus, clamantes:*

28 *Viri Iſraelitæ, adjuvate: hic eſt homo, qui adverſus populum, & legem, & locum hunc, omnes ubique docens, inſuper & Gentiles induxit in templum, & violavit ſanctum locum iſtum.* 29 *Viderant enim Trophimum Epheſium in civitate cum ipſo, quem æſtimaverunt quoniam in templum introduxiſſet Paulus.* 30 *Commotaque eſt civitas tota, & facta eſt concurſio populi. Et apprehendentes Paulum, trahebant eum extra templum: & ſtatim clauſæ ſunt januæ.* 31 *Quærentibus autem eum occidere, nuntiatum eſt tribuno cohortis: Quia tota confunditur Ieruſalem.* 32 *Qui ſtatim aſſumptis militibus, & centurionibus, decurrit ad illos. Qui cum vidiſſent tribunum, & milites, ceſſaverunt percutere Paulum.*

33 *Tunc accedens tribunus apprehendit eum, & juſſit eum alligari catenis duabus: & interrogabat quis eſſet, & quid feciſſet.*

34 *Alii autem aliud clamabant in turba. Et cum non poſſet certum cognoſcere præ tumultu, juſſit duci eum in caſtra.*

35 *Et cum veniſſet ad gradus, contigit ut portaretur a militibus propter vim populi.*

36 *Sequebatur enim multitudo populi, clamans: Tolle eum.*

37 *Et cum cœpiſſet induci in caſtra Paulus, dicit tribuno: Si licet mihi loqui aliquid ad te? Qui dixit: Græce noſti?*

38 *Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies tumultum concitaſti, & eduxiſti in deſertum quatuor millia virorum ſicariorum?*

39 *Et dixit ad eum Paulus: Ego homo ſum quidem Iudæus à Tarſo Ciliciæ, non ignotæ civitatis municeps. Rogo autem te, permitte mihi loqui ad populum.*

40 *Et cum ille permiſiſſet, Paulus ſtans in gradibus, annuit manu ad plebem, & magno ſilentio facto, allocutus eſt lingua Hebræa, dicens:* 1 *Viri fratres, & patres, audite quam ad vos nunc reddo rationem.* 2 *Cum audiſſent autem quia Hebræa lingua loqueretur ad illos, magis præſtiterunt ſilentium.* 3 *Et dicit: Ego ſum vir Iudæus, natus in Tarſo Ciliciæ, nutritus autem in iſta civitate, ſecus pedes Gamaliel eruditus juxta veritatem paternæ legis, æmulator legis, ſicut & vos omnes eſtis hodie:* 4 *Qui hanc viam perſecutus ſum uſque ad mortem, alligans & tradens in cuſtodias viros ac mulieres,* 5 *Sicut princeps ſacerdotum mihi teſtimonium reddit, & omnes majores natu, à quibus & epiſtolas accipiens, ad fratres Damaſcum pergebam, ut adducerem inde vinctos in Ieruſalem ut punirentur.*

Digitized by Google

quam ob ſtudium Legis ac Religionis à majoribus traditæ, qua de cauſa vos quoque nunc in me ſævitis.

6,7 Nunc quæ res verterit animum meum accipite. Id ubi cognoveritis, fortaſſe vos quoque vertetis iſtum veſtrum animum. Accidit enim ut dum eo proficiſcerer, jamque *non procul abeſſem à civitate Damaſco, circiter meridianum diei tempus, ſubito è cœlo circumfulſerit me lux ingens*, qua percuſſus *decidi in terram, & audivi vocem* de cœlo *dicentem mihi: Saule, Saule, quid me perſequeris?*

8 *Cui quum reſpondiſſem: Quis es Domine? rurſum audivi: Ego ſum Jeſus Nazarenus, quem tu perſequeris.*

9 *Porro qui mecum erant comites ejus viæ, lucem quidem viderant, atque expavefacti ſunt, vocem autem mecum loquentis non audiebant.*

10 *Tum ego: Quid vis ut faciam Domine? Dominus autem ita retulit: Surge ac vade Damaſcum. Ibi tibi* de ſingulis *præſcribetur, quid tibi ſit faciendum.*

11 *Quumque haberem oculos lucis illius claritate ſic perſtrictos, ut nihil omnino viderem, manu ductus à comitibus perveni Damaſcum.*

12,13 *Illic Ananias quidam vir pius* ac religioſus *obſervatione Legis, & omnium, qui Damaſci verſantur, Judæorum teſtimonio probatus, venit ad me, & adſtans mihi dixit: Saule frater recipe viſum. Ego vero protinus recepto viſu vidi illum.*

14 *Tum ille: Deus patrum noſtrorum in hoc delegit* ac præparavit *te, ut cognoſceres ipſius voluntatem, & videres juſtum illum* unicum omnia juſtificantem, *& audires vocem ex ore ejus.*

15 Jeſus enim erat in illa luce, quæ perſtrinxit oculos tuos, & ejuſdem vox erat, quam audiebas, *quoniam eris illi teſtis apud omnes homines eorum, quæ vidiſti & audiſti.*

16 *Et nunc* poſteaquam ita viſum eſt Deo, *quid cunctaris? Surge & baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ejus* quem perſequebaris.

17,18 *Quum* his actis Damaſci, poſt aliquantulum temporis *reverſus eſſem Hieroſolymam*, jam factus alius, *& orarem in Templo, raptus ſum extra me, ac vidi Jeſum dicentem mihi: Feſtina, ac velociter exi Hieroſolymis, quoniam hic non recipient teſtimonium tuum de me.*

19 Tum ego hunc in modum reſpondi: Domine mihi bona quædam ſpes eſt, futurum ut proficiam apud hos, propterea quod ipſi ſciunt, quod antehac ſtudio Legis ſævierim in diſcipulos tuos, quoſcunque poſſem pertrahens in carcerem, ac virgis cædens in ſingulis Synagogis, eos qui crediderant Euangelio tuo.

20 Nec his contentus eram. Quin etiam quum funderetur ſanguis Stephani, qui ſuo ſanguine fidele teſtimonium conſtanter perhibuit tibi, ego quoque adſiſtebam lapidantibus conſentiens in mortem innocentis, adeo ut ſervarim veſtimenta illorum, qui illum detulerant, quique primi lapides in illum jacere cœperunt. Ex his quum intelligant omnes quanto Legis ſtudio ferbuerim aliquando, facile perſpicientes me non temere mutatum eſſe, multique reperiëntur, qui meum exemplum hoc libentius imitabuntur, quo majori zelo priſtinæ Religionis ſævii in tuos.

21 Hæc ubi dixiſſem, reſpondit Dominus: Vade, inquam, mihique obtempera, quoniam jam tempus adeſt, ut Euangelium meum per univerſum orbem incipiat propagari. In hoc te delegi, *ut mittam hinc ad gentes procul ſemotas.*

22 *Hactenus Judæi tulerant Paulum dicentem, uſque ad hoc verbum*, ad gentes longe diſſitas mittam te. Hoc dictum refricuit dolorem omnium, propterea quod Judæi miro quodam odio gentes abominentur, eoque plerique etiam ex his, qui non adſpernabantur Euangelium, volebant gentes omnino ſubmoveri ab Euangelii gratia: aut ſi admitterentur, non admitterentur niſi circumciſi, quaſi purus Deoque gratus eſſe non poſſit, niſi qui Judæus eſſet. Itaque quum audirent Gentes prælatas Hieroſolymitanis, magnis clamoribus interruperunt vocem loquentis Pauli, dicentes Tribuno: *Tolle de terra virum iſtum, quoniam non eſt fas eum vivere.*

23,24 Quumque Judæi multis indiciis declararent impotentem animi dolorem, vociferantes ac projicientes veſtimenta ſua, denique pulverem jactantes in aera, Tribunus ſuſpicans aliquod indignum eſſe facinus admiſſum, ob quod totus populus ſic novo more tumultuaretur, præſertim quum data loquendi facultate, nihil eſſet profectum niſi in pejus, juſſit militibus ſuis, ut Paulum inducerent in caſtra, ac flagris eum examinarent, quo vel ex ipſo extunderent, quamobrem populus ſic vociferaretur adverſus illum.

25 Quumque jam juſſu Tribuni loris adſtringeretur mox cædendus Paulus, dixit Centurioni ſibi adſtanti, cui negotium erat delegatum, ut præeſſet quæſtioni: *Quid, an vobis jus eſt hominem Romanum, & indemnatum flagris cædere?*

26 Quod ſimulatque audivit Centurio, celeriter adiit Tribunum, renuntians illi, quod audierat, dicens: Quam rem paras? Nam hic homo, quem juſſiſti cædi virgis, civis Romanus eſt.

27 Hoc audito Tribunus ipſe venit ad Paulum, & ait illi: Dic mihi num verum eſt, quod Centurio mihi nuntiat? *An civis es Romanus?*

28 Quumque Paulus affirmaſſet eſſe ſe civem Romanum, *Tribunus reſpondit:* Rem magnam narras. Nam *ego magna pecunia ſumma mihi comparavi, ut civis eſſem* Romanus. Tum Paulus: Hac quidem in parte mea potior eſt conditio, qui *civis Romanus natus ſum*, jure civitatis à parentibus ad me profecto.

29 *Protinus igitur diſceſſerunt à Paulo qui paraverant illum tormentis examinare. Quin & Tribunus ipſe ſibi metuit, ubi reſcivit eum civem eſſe Romanum, eo quod loris alligaſſet eum.* Tantus tum erat apud omnes terror Romani nominis.

30 *Poſtridie vero cupiens certo cognoſcere, quam ob cauſam accuſaretur à Judæis, ſolvit illum à vinculis, juſſitque convenire primores Sacerdotum & univerſum concilium, ac deductum Paulum ſiſtebat coram illis,* ut abſque tumultu populi, res per principes ageretur.

CAP. XXIII.

Cædi hic eriperis: cades tua Paulle vovetur:
Et pet te mittit Dux ſua ſcripta Duci.

1 HIC *Paulus intentis in concilium oculis, ſic verba facere cœpit*: Viri *fratres, ego* in omnibus *ſincera conſcientia verſatus ſum, uſque in hodiernum diem, in conſpectu Dei*, qui ſolus recte judicat.

2 *Summus autem Sacerdos Ananias*, quum audiſſet tam confidens tamque liberum procœmium, quo ſtatim abſolvit ſeipſum, judice cæteriſque à quibus deferebatur damnatis, indigneque ferens, quod nihil honoris præfatus eſſet ipſi, nec ullam rei ſpeciem præ ſe ferret, *præcepit adſtantibus, ut percuterent os dicentis.* Nimirum hoc erat, quod Paulo prædixerat Dominus: *Non recipient teſtimonium tuum de me.*

6 *Factum eſt autem eunte me, & appropinquante Damaſco media die, ſubito de cælo circumfulſit me lux copioſa:*
7 *Et decidens in terram, audivi vocem dicentem mihi: Saule, Saule, quid me perſequeris?*
8 *Ego autem reſpondi: Quis es Domine? Dixitque ad me: Ego ſum Jeſus Nazarenus, quem tu perſequeris.*
9 *Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt ejus, qui loquebatur mecum.*
10 *Et dixi: Quid faciam, Domine? Dominus autem dixit ad me: Surgens vade Damaſcum: & ibi tibi dicetur de omnibus, quæ te oporteat facere.*
11 *Et cum non viderem præ claritate luminis illius, ad manum deductus à comitibus, veni Damaſcum.*
12 *Ananias autem quidam, vir ſecundum legem teſtimonium habens ab omnibus cohabitantibus Judæis,*
13 *Veniens ad me, & aſtans dixit mihi: Saule frater reſpice. Et ego eadem hora reſpexi in eum.*
14 *At ille dixit: Deus patrum noſtrorum præordinavit te, ut cognoſceres voluntatem ejus, & videres juſtum, & audires vocem ex ore ejus:* 15 *Quia eris teſtis illius ad omnes homines, eorum quæ vidiſti & audiſti.* 16 *Et nunc quid moraris? Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipſius.* 17 *Factum eſt autem revertenti mihi in Jeruſalem, & oranti in templo, fieri me in ſtupore mentis,* 18 *Et videre illum dicentem mihi: Feſtina, & exi velociter ex Jeruſalem: quoniam non recipient teſtimonium tuum de me.* 19 *Et ego dixi: Domine ipſi ſciunt quia ego eram concludens in carcerem, & cædens per ſynagogas eos qui credebant in te:* 20 *Et cum funderetur ſanguis Stephani teſtis tui, ego aſtabam, & conſentiebam, & cuſtodiebam veſtimenta interficientium illum.* 21 *Et dixit ad me: Vade: quoniam ego in nationes longe mittam te.*

22 *Audiebant autem eum uſque ad hoc verbum, & levaverunt vocem ſuam dicentes: Tolle de terra hujuſmodi: non enim fas eſt eum vivere.*
23 *Vociferantibus autem eis, & projicientibus veſtimenta ſua, & pulverem jactantibus in aerem,*
24 *Juſſit tribunus induci eum in caſtra, & flagello cædi, & torqueri eum, ut ſciret propter quam cauſam ſic acclamarent ei.*
25 *Et cum aſtrinxiſſent eum loris: dicit aſtanti ſibi Centurioni Paulus: Si hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare?*
26 *Quo audito, Centurio acceſſit ad tribunum, & nuntiavit ei, dicens: Quid acturus es? hic enim homo, civis Romanus eſt.*
27 *Accedens autem tribunus, dixit illi: Dic mihi ſi tu Romanus es? At ille dixit: Etiam.*
28 *Et reſpondit tribunus: Ego multa ſumma civilitatem hanc conſecutus ſum. Et Paulus ait: Ego autem & natus ſum.*
29 *Protinus ergo diſceſſerunt ab illo, qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit poſtquam reſcivit, quia civis Romanus eſſet, & quia alligaſſet eum.* 30 *Poſtera autem die volens ſcire diligentius, qua ex cauſa accuſaretur à Judæis, ſolvit eum, & juſſit ſacerdotes convenire, & omne concilium, & producens Paulum, ſtatuit inter illos.* 1 *Intendens autem in concilium Paulus ait: Viri fratres, ego omni conſcientia bona converſatus ſum ante Deum uſque in hodiernum diem.* 2 *Princeps autem ſacerdotum Ananias præcepit aſtantibus ſibi percutere os ejus.*

Digitized by Google

3 Ad hanc contumeliam, quæ nec in Ethnicorum judiciis fieri solet, Paulus indignatus spiritu, pœnamque denuntians à Deo post adfuturam tam manifestæ tyrannidis, dixit: *Percutiet te Deus, paries dealbate. Itane tu sedes, ut* cognita causa *judices me secundum legem, & contra legem* nondum audita causa *jubes me cædi*, quæ vetat quenquam punire nisi legitime condemnatum?

4 *Hic qui adstabant dicebant* Paulo: *Itane summo Sacerdoti Dei maledicis?* Eo tyrannidis tum venerat Judæorum Sacerdotium, ut postularent sibi licere contra jus fasque cuivis malefacere, nec liberam aliorum linguam paterentur. Nimirum hoc erat argumentum, Sacerdotii mox abolendi, posteaquam ad summum malitiæ venerat.

5 Tum Paulus, videns se nihil acturum sub tali judice, tantum occasionem quærendam putavit, ut ille conventus dissolveretur. Itaque respondit: *Nesciebam fratres quod esset summus Sacerdos.* Alioqui scio scriptum esse in libro Exodi: *Principi populi tui non maledices.*

6 Hoc dicto quum utcunque placasset admonitores, quæsita est ansa, qua tumultum ab ipso averteret. Licet enim arte vitare periculum, quum non apparet fructus. *Quum itaque* Paulus *sciret concilium illud constare è Sectis duabus, quarum altera erat Sadducæorum, altera Pharisæorum*, quorum alteri ab alteris dissidebant, *voce clara dixit in concilio*, ut ab omnibus posset exaudiri: *Viri fratres ego Pharisæus sum, & Pharisæi filius, & ob prædicatam mortuorum resurrectionem judicor.*

7 *Hæc ubi dixisset, orta est dissensio inter Pharisæos & Sadducæos*, atque his dissentientibus *scinditur & multitudo*, quæ aderat, *in diversa studia.*

8 *Nam Sadducæi* quoniam credunt animas una cum corporibus interire, *neque probant resurrectionem, neque putant esse Spiritum ullum aut Angelum:* Pharisæi contra & resurrectionem credunt, & Angelos ac Spiritus esse asserunt.

9 *Cæpit igitur* multitudo *magno clamore tumultuari. Interim surrexerunt Scribæ* quidam *ex factione Pharisæorum, atque* in Pauli favorem *depugnabant, dicentes: Nihil mali comperimus in hoc homine. Quod si Spiritus aut Angelus ei loquutus est, non est nostrum pugnare cum Deo.* Hoc idcirco dicebant, quia Paulus pridie narraverat sibi per visum apparuisse Dominum in Templo. Tantum in præjudiciis valet hujus aut illius esse factionis.

10 Cumque contra vociferantibus Sadducæis jam incaluisset dissensio, resque videretur ad extremum tumultum spectare, *Tribunus metuens ne Paulus discerperetur ab illis, jussit milites descendere, qui raperent Paulum è medio eorum, ac reducerent in castra.*

11 Jam tempus erat, ut Deus athletam suum inter tam fævos tumultus, præsertim quum instarent etiam fæviores, aliqua consolatione sublevaret. Itaque *nocte proxima* rursus *adstitit ei Dominus, dicens: Forti animo esto Paule.* Hi tumultus non absorbebunt te, nondum enim instat tempus mortis tuæ, sed superest, ut *quemadmodum Hierosolymis* fortiter *præbuisti mihi testimonium, ita testificeris & Romæ.* In urbe, quæ caput est Judææ, functus es officio tuo: restat ut & id facias Romæ, quæ caput est mundi.

12 Cæterum *ubi jam diluxisset, conspiraverunt inter se quidam Judæi, ac diris devoverunt sese, si prius sumsissent cibum, aut potum, quam Paulum interfecissent.* Tantum odium in eum conceperant.

13 Nec erant pauci numero, *qui conjurationem hanc fecerunt*, sed *erant plures quadraginta.*

14 *Hi adierunt summos Sacerdotes ac Seniores*, eisque exposuerunt animum ac propositum suum, *dicentes: Arctissimis devotionibus devovimus nos ipsos, si quicquam gustemus cibi potusve, priusquam occidamus Paulum.*

15 Nunc oportet vos huic animo nostro subservire, quo facilius fiat, quod factum esse volumus omnes. *Et vestro & concilii nomine significate Tribuno, ut* rursus *sistat apud vos Paulum*, hoc prætexentes, *quasi velitis aliquid certius de eo cognoscere*, quod heri per tumultum non licuit. Nos vero non committemus, ut incolumis redeat in castra, quemadmodum heri: sed *priusquam accedat* ad locum concilii, *parati sumus illum interficere.*

16 Has tam capitales insidias quum audisset adolescens quidam, Pauli ex sorore nepos, non putabat amplius dormitandum, sed protinus ingressus castra nuntiavit Paulo, quod erat præ manibus.

17 Eo cognito, Paulus vocato ad se cuidam è Centurionibus ait: *Adolescentem hunc perduc ad Tribunum, habet enim quod illi significet.*

18 Centurio, sicut erat jussus, *assumtum adolescentem perduxit ad Tribunum, dicens: Paulus ille vinctus rogavit me, ut hunc adolescentem adducerem ad te*, quod diceret *illi esse quiddam, quod tecum vellet loqui.*

19 *Tribunus autem amplexus manum adolescentis, secessit* cum eo *seorsum, ac percunctatus est illum, dicens: Quid habes, quod volebas significare mihi?*

20 *Tum ille: Judæi*, conjurati in necem Pauli, *hoc inter se statuerunt, ut rogent te, quo crastino die* rursus *adductum Paulum sisti jubeas in concilio:* illud prætexturi, *quasi cupiant aliquid de eo investigare*, quod heri non potuerunt liquido cognoscere.

21 Cæterum aliud agunt. Quare tu cave, ne postulationi illorum obsequaris imprudens. *Nam* destinatis animis *moliuntur insidias capiti Pauli, viri plus quam quadraginta, qui se diris devotionibus obstrinxerunt, si vel ederint vel biberint quicquam, priusquam interficiant illum. Et jam nunc* ad hoc facinus *parati sunt, exspectantes quid tu promissurus sis.*

22 *Tribunus* his auditis *dimisit adolescentem, præcipiens illi, ne quis ex ipso sciret, quod hæc indicasset Tribuno.* Sic enim cupiebat consulere vitæ Pauli, ut tamen vitaret invidiam Judæorum.

23 Itaque *vocatis ad se duobus Centurionibus, dixit: Parate milites ducentos, cumque his equites septuaginta, & lancearios ducentos, ut eant Cæsaream* statim *ab hora noctis tertia:*

24 *Simulque parate jumenta, ut his impositum Paulum salvum deducant ad Felicem præsidem.* Hac tanta diligentia non ob id tantum usus est Tribunus, ut unius hominis vitæ consuleret, (nec enim erat usque adeo religiosus) sed absolvi cupiebat à Paulo, quem neque tueri poterat adversus tam obstinatum odium totius concilii, nec audebat illorum odiis dedere civem Romanum.

25 Atque ideo noctu jussit eum educi magna manu militum, metuens ne si interdiu, aut paucis comitatus exisset, Judæi in itinere raperent eum & interficerent, atque hinc deinde calumnia recideret in ipsum, qui prodidisset civem Romanum.

26 Ad-

---

3 *Tunc Paulus dixit ad eum: Percutiet te Deus, paries dealbate. Et tu sedens judicas me secundum legem, & contra legem jubes me percuti?*

4 *Et qui astabant dixerunt: Summum sacerdotem Dei maledicis?*

5 *Dixit autem Paulus: Nesciebam fratres quia princeps est sacerdotum. Scriptum est enim: Principem populi tui non maledices.*

6 *Sciens autem Paulus, quia una pars esset Sadducæorum, & altera Pharisæorum, exclamavit in concilio: Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum, de spe & resurrectione mortuorum ego judicor.*

7 *Et cum hæc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos & Sadducæos, & soluta est multitudo.*

8 *Sadducæi enim dicunt, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum: Pharisæi autem utraque confitentur.*

9 *Factus est autem clamor magnus. Et surgentes quidam Pharisæorum, pugnabant, dicentes: Nihil mali invenimus in homine isto: quid si Spiritus locutus est ei, aut Angelus?* 10 *Et cum magna dissensio facta esset, timens tribunus ne discerperetur Paulus ab ipsis, jussit milites descendere, & rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in castra.* 11 *Sequenti autem nocte assistens ei Dominus, ait: Constans esto: sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet & Romæ testificari.* 12 *Facta autem die collegerunt se quidam ex Judæis, & devoverunt se dicentes, neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum.*

13 *Erant autem plus quam quadraginta viri, qui hanc conjurationem fecerant:*

14 *Qui accesserunt ad principes sacerdotum, & seniores, & dixerunt: Devotione devovimus nos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum.*

15 *Nunc ergo vos notum facite tribuno cum concilio, ut producat illum ad vos, tanquam aliquid certius cognoscere de eo. Nos vero prius quam appropiet, parati sumus interficere illum.*

16 *Quod cum audisset filius sororis Pauli insidias, veniens, & introgressus in castra, nuntiavit que Paulo.*

17 *Vocans autem Paulus ad se unum ex Centurionibus, ait: Adolescentem hunc perduc ad tribunum, habet enim aliquid indicare illi.*

18 *Et ille quidem assumens eum, duxit ad tribunum, & ait: Vinctus Paulus rogavit me hunc adolescentem perducere ad te, habentem aliquid loqui tibi.*

19 *Apprehendens autem tribunus manum illius, secessit cum eo seorsum, & interrogavit illum: Quid est, quod habes indicare mihi?* 20 *Ille autem dixit: Judæis convenit rogare te, ne crastina die producas Paulum in concilium, quasi aliquid certius inquisituri sint de illo:* 21 *Tu vero ne credideris illis, insidiantur enim ei ex eis viri amplius quam quadraginta, qui se devoverunt non manducare, neque bibere, donec interficiant eum: & nunc parati sunt, expectantes promissum tuum.* 22 *Tribunus igitur dimisit adolescentem, præcipiens ne cui loqueretur quoniam hæc nota sibi fecisset.* 23 *Et vocatis duobus Centurionibus, dixit illis: Parate milites ducentos, ut eant usque Cæsaream, & equites septuaginta, & lancearios ducentos, à tertia hora noctis:* 24 *Et jumenta præparate, ut imponentes Paulum, salvum perducerent ad Felicem præsidem.* 25 *(Timuit enim ne forte raperent eum Judæi, & occiderent, & ipse postea calumniam sustineret, tanquam acceperit pecuniam.)*

Digitized by Google

26 Addidit autem & Epistolium ad Felicem in hanc sententiam: CLAVDIVS LYSIAS *optimo Præsidi* FELICI *salutem.*

27 *Virum hunc comprehensum à Judæis, quum esset jam interficiendus ab illis, superveniens cum exercitu eripui, cognito quod civis esset Romanus.*

28 *Cupiens autem scire causam quamobrem accusarent illum, deduxi illum in concilium illorum.*

29 *Quem comperi nihil habere criminis, quod vel morte dignum esset, vel vinculis, sed tantum objici quædam de quæstionibus Legis Judaicæ.*

30 *Mox ubi mihi fuisset indicatum de insidiis, quas illi paraverant Judæi: protinus misi eum ad te, simulque denuntiavi Judæis qui accusant eum, ut si quid haberent quod illi objiciant, dicant apud te. Vale.*

31 *Milites vero juxta* Tribuni *jussum, Paulum* in suam tutelam *receptum, nocte perduxerunt Antipatrida.*

32 *Postero vero die* quoniam non longe aberat Cæsarea, jamque minus periculi videbatur, *milites redierunt Hierosolymam in castra, equites comitati sunt Paulum Cæsaream usque.*

33 *Quo cum venissent ac reddidissent Epistolam Præsidi, simul & Paulum statuerunt coram eo.*

34 *Porro Præses litteris perlectis percunctatus est Paulum, cujus esset Provincia. Cognito vero quod Cilix esset:*

35 *Audiam, inquit, te quum accusatores tui venerint, jussitque ut servaretur in prætorio Herodis.*

CAP. XXIV.

Divinus Paullus Tertulli verba refutat: Felix rem differt: munus habere cupit.

1 POST *dies autem quinque Cæsaream descendit Ananias Sacerdotum princeps cum Senioribus aliquot, una cum oratore Tertullo,* qui causam ageret. Adeo tenebat illos obstinata quædam cupiditas occidendi Paulum. Hi cum adissent Præsidem, flagitantes exhiberi reum, Felix jussit citari Paulum ac sisti.

2, 3 Ibi Tertullus, malæ causæ non optimus patronus, hunc in modum cœpit accusare Paulum: Cum tibi debeamus, quod rebus admodum pacatis ac tranquillis jampridem fruimur, quumque & alia permulta feliciter ac recte gerantur in hoc populo, per tuam providentiam, nos tuam in nos beneficentiam & semper & ubique agnoscimus ac prædicamus, præstantissime Felix, quantoque possumus studio gratias agimus. Atque ista tua dexteritas nobis certam spem facit, te & in hac causa, quam nunc deferimus, nostræ gentis tranquillitati consulturum.

4 Verum ne prolixiore procemio te plurimis ac maximis negotiis occupatum remorer, oro te, ut nos pro tua humanitate paucis audias.

5 Comperimus hunc virum, pestiferum nostræ genti, propterea quod seditionem concitat inter Judæos, non solum in Syria, verum etiam in omnibus totius mundi regionibus, quocunque Judæorum natio dispersa est, dum se facit auctorem novæ sectæ, quæ dicitur Nazarenorum.

6 Nec his contentus, ausus est venire Hierosolymam, & inductis in Templum hominibus incircumcisis, non veritus est profanare Templum nostrum, quem in ipso facto comprehensum volebamus secundum Legem nostram judicare:

7, 8 Verum superveniens Lysias Tribunus cum cum magna militum vi, eripuit eum è manibus nostris, causæ cognitionem ad te rejiciens, jubensque accusatores adire te: proinde vel ex ipso Tribuno poteris cognoscere hæc omnia sic habere, de quibus accusamus eum. Sic orator ille non minus mendax quam frigidus!

9 Judæi vero qui aderant accusationi, confirmabant rem ita se habere, ut narrabat Tertullus.

10 Post hæc ubi Præses innuisset Paulo, ut pro se diceret, sic defensionem suam exorsus est: Æquiore animo pro meipso causam dico, quum sciam te jam multos annos versatum in hac gente, & in cognoscendis Judæorum causis non esse rudem.

11 Quo nuperius actum est quod isti objiciunt, hoc certius potes cognoscere, quod non sunt nisi duodecim dies, ex quo pro more Judaicæ religionis adscendi Hierosolymam, adoraturus, meque pro susceptu voto solenni ritu purificaturus. Hoc si est violare Templum, crimen agnosco.

12, 13 Neque me compererunt in Templo cum quoquam disputantem: aut populi concursum facientem: ac ne in Synagogis quidem, aut in civitatis ullo loco. Nec ullis idoneis argumentis probare possunt ea crimina, quæ mihi objiciunt. Quod autem objiciunt de secta Nazarenorum, non inficias ibo quod verum est. Quanquam ea res nihil attinet ad accusatores, quando nec ea secta damnata est apud Judæos, nec ego hujus sectæ sum princeps.

14 Quod si tibi curæ est cognoscere, quam sectam profitear, dicam. Ego juxta institutum Pharisæorum, quam vocant sectam, colo patrium Deum, nequaquam auctor novæ religionis, sed à majoribus traditæ diligens observator, credens omnia vera, quæ in Lege & Prophetis scripta sunt.

15 Quæ cum magna ex parte jam Deus ita ut promiserat præstitit, certam spem habeo illud futurum, quod promisit: videlicet resurrecturos olim mortuos, justos pariter ac injustos, justos ad immortalitatis gloriam, injustos ad æterna supplicia.

16 Nec ista credo leviter, verum adeo penitus habeo persuasa, ut quoniam scio me olim ad Dei tribunal sistendum, pro factis relaturum præmia, toto studio contendam, ne qua in re peccem adversus legem Dei, sed conscientiam habeam puram ac sinceram, non solum apud Deum, qui scrutator est cordium, verum etiam apud homines. Idque in hunc usque diem facio. Proinde non habent quod accusent in vita mea superiore, ut hinc demonstrent & hæc, quæ nunc objiciunt, in me probabiliter hærere.

17 Multis enim annis sine crimine peractis, tandem veni Hierosolymam, exhibiturus pecuniam in Asia collectam, ad sublevandam inopiam gentis meæ. Si hoc est esse pestilentem, sublevare beneficio gentem meam, agnosco quod objiciunt.

18 Atque interim ne quid turbæ nasci posset ab his, qui quærebant occasionem, raso capite sum ingressus Templum, ac solitis ritibus peregi purificationem, nihil admittens, unde quicquam vel turbæ, vel tumultus oriri posset. Nihil enim à me novi factum est, sed iisdem ritibus usus sum, quibus tota gens utitur.

19 Cæterum si quid tumultus tum est concitatum, per Asiaticos quosdam Judæos concitatum est. Quos, quoniam hujus negotii sunt auctores, oportebat in hac causa adesse, & accusare si quid haberent adversum me. Est autem malæ conscientiæ signum, quod se subducunt huic judicio, posteaquam vident rem apud Præsidem agi. Si quid admissum

scribens epistolam continentem hæc: CLAVDIVS *Lysias optimo præsidi, Felici salutem.*

27 Virum hunc comprehensum à Judæis, & incipientem interfici ab eis, superveniens cum exercitu eripui, cognito quia Romanus est:

28 Volensque scire causam, quam objiciebant illi, deduxi eum in concilium eorum.

29 Quem inveni accusari de quæstionibus legis ipsorum, nihil vero dignum morte aut vinculis habentem criminis.

30 Et cum mihi perlatum esset de insidiis, quas paraverant illi, misi eum ad te, denuntians & accusatoribus ut dicant apud te. Vale.

31 Milites ergo secundum præceptum sibi, assumentes Paulum, duxerunt per noctem in Antipatridem.

32 Et postera die dimissis equitibus ut cum eo irent, reversi sunt ad castra.

33 Qui cum venissent Cæsaream, & tradidissent epistolam præsidi, statuerunt ante illum & Paulum.

34 Cum legisset autem, & interrogasset de qua provincia esset:

& cognoscens quia de Cilicia, 35 Audiam te, inquit, cum accusatores tui venerint. Lussitque in prætorio Herodis custodiri eum. 1 Post quinque autem dies descendit princeps sacerdotum, Ananias, cum senioribus quibusdam, & Tertullo quodam oratore, qui adierunt præsidem adversus Paulum. 2 Et citato Paulo cœpit accusare Tertullus, dicens: Cum in multa pace agamus per te, & multa corrigantur per tuam providentiam; 3 Semper & ubique suscipimus, optime Felix, cum omni gratiarum actione. 4 Ne diutius autem te protraham, oro, breviter audias nos pro tua clementia. 5 Invenimus hunc hominem pestiferum, & concitantem seditiones omnibus Judæis in universo orbe, & auctorem seditionis sectæ Nazarenorum: qui etiam templum violare conatus est, quem & apprehensum voluimus secundum legem nostram judicare. 7 Superveniens autem tribunus Lysias, cum vi magna eripuit eum de manibus nostris, 8 Jubens accusatores ejus ad te venire: à quo poteris ipse judicans, de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum. 9 Adjecerunt autem & Judæi, dicentes hæc ita se habere. 10 Respondit autem Paulus, (annuente sibi Præside dicere:) Ex multis annis te esse judicem genti huic sciens, bono animo pro me satisfaciam. 11 Potes enim cognoscere, quia non plus sunt mihi dies, quam duodecim, ex quo ascendi adorare in Jerusalem: 12 Et neque in templo inveneruni me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neque in synagogis, 13 Neque in civitate: neque probare possunt tibi de quibus nunc me accusant. 14 Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam, quam dicunt hæresim, sic deservio Patri & Deo meo, credens omnibus, quæ in Lege & Prophetis scripta sunt: 15 Spem habens in Deum, quam & hi ipsi expectant, resurrectionem futuram justorum, & iniquorum. 16 In hoc & ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, & ad homines semper. 17 Post annos autem plures, eleemosynas facturus in gentem meam, veni, & oblationes, & vota. 18 In quibus inveneruni me purificatum in templo, non cum turba, neque cum tumultu. 19 Quidam autem ex Asia Judæi, quos oportebat apud te præsto esse, & accusare si quid haberent adversum me;

est, per illos potissimum poteram revinci, aut per illos poteram absolvi. Quanquam ego nullius accusationem metuo.

20 *Aut hi ipsi dicant si quid invenerunt in me iniquitatis, cum stem in concilio.*

20 Vel hi ipsi, qui adsunt, proferant, quandoquidem sto in concilio, si quid à me commissum deprehenderunt secus quam jus fasque est. Siquidem in legitimo judicio licet & objicere crimen reo, licet & reo suam causam agere.

21 *Nisi de una hac solummodo voce, qua clamavi inter eos stans: Quoniam de resurrectione mortuorum ego judicor hodie à vobis.*

21 Verum, non habent quod objiciant, nisi forte volent unicam illam vocem objicere: qua quum starem inter illos, exhibitus à Tribuno, viderem-que nihil agi jure, sed manifestis odiis tendi in perniciem meam, clamavi Pharisæum esse me, & ob hoc reum agi apud illos, quod prædicarem resurrectionem mortuorum. Nam ad hanc vocem cœperunt ipsi inter se tumultuari, donec Tribunus eripuit me ex illorum manibus. Quod verum erat professus sum, & æquum erat multitudinem scire, quamobrem periclitarer apud concilium, quandoquidem perspiciebam in primoribus nihil esse præsidii.

22 *Distulit autem illos Felix, certissime sciens de via hac, dicens: Cum tribunus Lysias descenderit, audiam vos.*

22 Felix his auditis, quoniam exacte noverat sectam Pharisæorum, quam Paulus profitebatur, voluit causam in aliud tempus differre, dixitque: Quoniam Lysias totius negotii seriem pernovit, ubi ille ad nos venerit, audiam vos.

23 *Jussitque Centurioni custodiri eum, & habere requiem, nec quemquam de suis prohibere ministrare ei.*

23 Mandavitque Centurioni, ut interim haberet eum in custodia, sed mitiore: sic, ut subinde daretur illi relaxatio, neque quisquam ex ipsius familiaribus vetaretur adire eum, aut subministrare, si quid opus esset.

24 *Post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusilla uxore sua, quæ erat Judæa, vocavit Paulum, & audivit ab eo fidem, quæ est in Christum Iesum.*

24 Post dies autem aliquam multos, quum Felix venisset Cæsaream cum Drusilla uxore sua, quæ erat Judæa, accersivit Paulum, cupiens ab eo plenius edoceri de secta, quam profiteretur. Ibi, quod Paulus ante dissimularat, aperit ei viam Euangelicæ salutis, quæ non constat observatione Legis, quemadmodum existimabant Judæi, sed fiducia erga Jesum Christum, quem Judæi tot seculis exspectatum crucifixerant: per baptismum autem aboleri semel omnia peccata vitæ superioris, sic, ut in illum renati, deinceps pure sancteque vivant juxta regulam Euangelicam, donec idem Jesus, qui ob salutem humani generis semet impenderat, rediret sublimis cum gloria Patris, judex vivorum & mortuorum.

25 *Disputante autem illo de justitia, & castitate, & de judicio futuro, tremefactus Felix respondit: Quod nunc attinet, vade: tempore autem opportuno accersam te.*

25 His de rebus quum Paulus multa differeret, de gratia fidei, de justitia Euangelica, de temperantia sobrietateque vitæ spiritualis, de judicio supremo, quod nemo possit effugere, Felix inhorruit, & hactenus commotus est, non ut absolveret Paulum, (metuebat enim Judæos, quibus sciebat illum esse vehementer invisum) sed ut interim haberetur in humaniore custodia, donec sese daret occasio liberandi illum.

26 *Simul & sperans, quod pecunia ei daretur à Paulo; propter quod & frequenter accersens eum, loquebatur cum eo.*

26 Suberat & alia quædam causa, quare differret absolutionem: sperabat futurum, ut Paulus aliquam pecuniæ summam numeraret, ac ipsi daret in manum pro liberatione sui. Atque hac de causa frequenter accersebat Paulum ad colloquium, quo daret occasionem offerendæ pecuniæ, ut contracta familiaritas, perspectaque Præsidis facilitas, excuteret pudorem, quem suspicabatur obstare, quo minus auderet Paulus offerre pecuniam. Nam & Cæsarum leges damnant judicium pecunia redemtum.

27 *Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Portium Festum. Volens autem gratiam præstare Iudæis Felix, reliquit Paulum vinctum.*

27 Interea dum Paulus biennium detinetur Cæsareæ, jussu Cæsaris Neronis Felix successorem accepit Portium Festum. Ac tum quidem erat occasio dimittendi Paulum. Cæterum nolens à Provincia decedere, odio sui relicto, malensque gratificari Judæis, quam ex sincera conscientia liberare innocentem, reliquit Paulum vinctum. Adeo difficile est magnatibus hujus mundi, quod rectum est ubique sequi.

CAP. XXV.

Ecce suo Paulum dum mittere præparat hosti,
Provocat ille statim: Cæsarem adire volo.

1 *Festus ergo cum venisset in provinciam, post triduum ascendit Ierosolymam à Cæsarea.*

1 FESTVS *itaque Provinciam ingressus, post triduum adscendit Hierosolymam à Cæsarea.* Ad novi Præsidis adventum recruduit Judæorum malitia.

2 *Adierunt que eum principes sacerdotum, & primi Iudæorum, adversus Paulum: & rogabant eum,*

2, 3 Mox enim adierunt illum summi Sacerdotes ac primores Judæorum, hoc favoris à novo Præside flagitantes, ut hactenus sibi faveret adversus Paulum, ut accerseret eum Hierosolymam, quod incommodum esset Cæsareæ causam persequi. Sperabant enim Præsidem, qui nuper venisset in Provinciam, & ignarus esset eorum quæ gerebantur, hac in re facile gratificaturum ipsis. Cæterum hoc convenerat inter Judæos, ut si Festus annuisset ipsorum postulationi, structis insidiis occiderent Paulum in via.

3 *Postulantes gratiam adversus eum, ut juberet perduci eum in Ierusalem, insidias tendentes ut interficerent eum in via.*

4 Festus autem æquior quam illi volebant, respondit: ut Paulus quidem Cæsareæ servaretur, se vero propediem eo profecturum, & causam illorum cogniturum.

4 *Festus autem respondit, servari Paulum in Cæsarea: se autem maturius profecturum.*

5 Proinde si qui sunt, inquit, inter vos idonei ad hujus causæ persecutionem, descendant una mecum Cæsaream. Ibi sistetur vobis reus. Et si quod est in hoc viro, de quo narratis, crimen, accusent eum.

5 *Qui ergo in vobis (ait) potentes sunt, descendentes simul, si quod est in viro crimen, accusent eum.*

6 *Commoratus autem inter eos dies plures quam decem, profectus est Cæsaream. Ac postridie sedit pro tribunali, jussitque sisti Paulum.*

6 *Demoratus autem inter eos dies non amplius quam octo, aut decem descendit Cæsaream, & altera die sedit pro tribunali, & jussit Paulum adduci.*

7 *Qui cum productus esset, circumsteterunt illum Judæi qui venerant Hierosolymis, intentantes illi multa simul & gravia crimina, sed quorum nullum poterant probare:*

7 *Quo cum perductus esset, circumsteterunt eum, qui ab Ierosolyma descenderant Iudæi, multas & graves causas objicientes, quas non poterant probare.*

8 Quum Paulus pro se respondens, perspicuum faceret se, *neque in legem Judæorum*, quam servaret, *neque in Templum*, in quo pure & quiete versatus fuerat, *neque in Cæsarem quicquam peccasse.*

8 *Paulo rationem reddente: Quoniam neque in legem Iudæorum, neque in templum, neque in Cæsarem quidquam peccavi.*

9 *Festus autem* quum intellexisset & Pauli innocentiam, & implacabile Judæorum in eum odium, sic *studens gratificari Judæis*, ut tamen reo non videretur fecisse injuriam, *ait Paulo: Vis ire Hierosolymam, & illic judicari apud me?* Suspicabatur enim id fore gratum Judæis, qui prius hoc flagitaverant.

9 *Festus autem volens gratiam præstare Iudæis, respondens Paulo, dixit: Vis Ierosolymam ascendere, & ibi de his judicari apud me?*

10 Tum Paulus non ignarus quid molirentur Judæi, respondit: Non est cur alio rejiciatur hæc causa, quandoquidem nihil obstat, quo minus hîc vel absolvar, vel damner. *Ad tribunal Cæsaris adsto reus* in civitate Cæsarea, *hic oportet me judicari. Judæis nullam injuriam feci, sicut tu quoque melius nosti.*

10 *Dixit autem Paulus: Ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet judicari: Iudæis non nocui, sicut tu melius nosti.*

11 Nam si qua in re illos læsi, aut si alioqui quicquam admisi capitis supplicio dignum, non deprecor mortem. Quod si vana sunt omnia, quæ isti mihi objiciunt, nemo judicem agens potest me præter jus illorum odiis donare. Neque enim judex in gratiam cujusquam potest damnare reum. *Cæsarem appello.*

11 *Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori: si vero nihil est eorum, quæ hi accusant me, nemo potest me illis donare. Cæsarem appello.*

12 Sub hæc Festus communicato sermone cum concilio Judæorum, respondit Paulo: *Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis.* Malebant enim Judæi Paulum ad Cæsarem relegari, quam absolvi, sperantes oblatum iri occasionem, per quam tollerent illum aliquando è medio.

12 *Tunc Festus cum concilio locutus, respondit: Cæsarem appellasti? ad Cæsarem ibis.*

13 Interea transactis aliquot diebus Rex Agrippa, qui patri Herodi ab Angelo percusso, in regnum suc-

13 *Et cum dies aliquot transacti essent, Agrippa rex & Bernice descenderunt Cæsaream ad salutandum Festum.*

Digitized by Google

succeſſerat, una cum Bernice uxore venerunt Cæſaream ſalutaturi Feſtum novum Præſidem.

14 Cumque dies complures illic commorarentur, Feſtus per occaſionem expoſuit Regi cauſam Pauli hunc in modum: *Eſt hic vir quidam relictus à Felice*, cui ſucceſſi, vinctus:

15 *De quo quum veniſſem Hieroſolymam, adierunt me ſummi Sacerdotes ac primores Judæorum, poſtulantes ut* in ipſorum favorem *pronuntiarem adverſus illum ſententiam:*

16 *Quibus reſpondi, non eſſe Romanis hunc morem, ut in gratiam cujuſquam donent quenquam hominem in exitium, priuſquam reus præſentes habeat accuſatores, locumque accipiat defendendi ſe de objectis criminibus.*

17 *Itaque quum huc conveniſſent* accuſatores, *ſine ulla dilatione poſtridie ſedi pro tribunali, juſſique adduci reum.*

18 *Quumque prodiſſent accuſatores, nullum crimen objiciebant de rebus his, de quibus ego ſuſpicabar.*

19 *Tantum quæſtiones quaſdam de ſua ſuperſtitione movebant adverſus eum, & de quodam Jeſu defuncto, quem affirmabat Paulus revixiſſe*, ac nunc quoque vivere.

20 Ego vero videns ejuſmodi quæſtiones non admodum convenire meæ cognitioni, neque ſatis certum habens, quid in ea cauſa pronuntiarem, rogavi eum, num vellet ire Hieroſolymam, atque illic experiri judicium ſuper hiſce rebus, quæ notiores eſſent Sacerdotibus, Scribis ac Phariſæis.

21 Id quum recuſaſſet *Paulus, appellans Cæſarem, ut illius cognitioni ſervaretur, juſſi illum interim ſervari in cuſtodia, donec* per occaſionem *mitterem illum ad Cæſarem.*

22 His auditis, reſpondit Agrippa Feſto: Audivi jam pridem multa de Jeſu iſto, deque diſcipulis illius, quamobrem *vellem & ipſe audire hominem iſtum*, priuſquam eat ad Cæſarem. *Tum Feſtus: Cras, inquit, audies eum.*

23 *Poſtero die quum veniſſet Agrippa, ſimulque Bernice multo cum* ſtrepitu atque *apparatu, introiſſentque in auditorium cum Tribunis ac primoribus civitatis, jubente Feſto adductus eſt Paulus.*

24 Tum Feſtus, ne tantum in Regis gratiam videretur adduxiſſe Paulum, *hunc in modum loquutus eſt: Agrippa Rex, & omnes quotquot hic nobiſcum adeſtis viri, videtis hominem, de quo tota multitudo Judæorum interpellavit me, tum Hieroſolymis, tum hoc in loco, magniſque vociferationibus acclamarunt, non eſſe fas eum amplius vivere.*

25 *Ego vero* diſquiſitione facta, *comperi illum nihil admiſiſſe dignum ſupplicio capitis. Cæterum quum ipſe ultro appellaſſet Cæſarem, ſtatui illum eo mittere.*

26 *De quo certum quod ſcribam Domino, non habeo. Quapropter produxi eum ad vos, & maxime ad te Rex Agrippa, ut examinatione facta, habeam quod ſcribam.*

27 *Iniquum enim mihi videtur, mittere vinctum, neque ſignificare crimina, de quibus accuſatur.*

CAP. XXVI.

Facundo Agrippam Paulus ſermone docebat: Inſanis, inquit Præſes, at ille negat.

1 HIC Agrippa Rex verſus ad Paulum, qui vinctus adſtabat, ait: *Permittitur tibi loqui pro temetipſo*, ſi quid habes, quo cauſam tuam defendas. *Tunc Paulus extenta manu cœpit rationem reddere. Moxque Paulus porrecta manu, defenſionem ſui ſic exorſus eſt.*

2 Magni referre puto Rex Agrippa, apud quem judicem reus cauſam dicat. Etenim qui fidit innocentiæ ſuæ, huic nihil optabilius, quam ut contingat judex, qui cauſam aut optime norit, aut facillime poſſit dicere. Nam apud judicem non intelligentem negotium, de quo agitur, fruſtra diſertus eſt qui dicit.

3 Quanquam itaque mihi varia crimina objiciuntur à Judæis, tamen hoc nomine me fortunatum judico, qui cauſam hanc hodie dicturus ſum apud te, cui notiſſimæ ſunt & conſuetudines & quæſtiones gentis Judaicæ. Quapropter te rogo ut patienter me audias.

4 Principio, quod quidam objiciunt me peccare adverſus Legem, quam ſit falſum, omnis mea vita ad hunc uſque diem acta ſatis declarat. Quanquam enim Tarſi natus ſum, tamen à primis annis inter Judæos inſtitutus ſum Hieroſolymis, ubi & Legem ſtudioſe didici ad pedes Gamalielis.

5 Itaque vitam meam pure religioſeque actam inter gentis meæ homines, & in omnium celeberrima civitate noverunt Judæi, qui me ante multos annos cognoverunt, ex quo primum Hieroſolymis verſari cœpi, ſi modo velint id, quod ſciunt, profiteri. Neque enim ſolum Judaicæ religionis ſedulus cultor fui, verum etiam eam Sectam, quæ cæteris & religionis ſtudio, & Legis exactiſſima cognitione præcellit, amplexus ſum, nimirum Phariſæorum.

6 Impudenter autem accuſant me parum eſſe Judæum, qui fuerim & ſim Phariſæus, quaſi quis Judæum eſſe neget, qui Hieroſolymis ſit natus: nam ex Judæis Phariſæorum Secta præcipue credit futuram corporum reſurrectionem, & unumquenque prout in vita hac ſe geſſit, præmia ſortiturum. Nec unquam deſcivi à Secta Phariſaica: quin & nunc ob ſpem felicitatis, quam Deus repromiſit patribus noſtris, his qui pie tranſegerunt hanc vitam, ſto ſubjectus judicio.

7 Quod ſi crimen eſt ſperare quod Deus promiſit ſuis cultoribus, mihi crimen hoc cum multis commune eſt. Etenim duodecim Tribus gentis noſtræ, quo tandem animo colunt Deum inſtanter nocte ac die, niſi quod ſperant ſeſe ad hanc felicitatem ab eo promiſſam perventuras? Vix igitur Judæi nomine dignus videtur, qui non ſperat, quod Deus promiſit. Atqui ob hanc ſpem, Rex Agrippa, nunc potiſſimum vocor in jus à Judæis.

8 Scio multis abſurdum videri, ſi quis dicat corpus ſemel mortuum ac putrefactum reviviſcere. Sed multa videntur hominibus abſurda, quæ poſt comperiunt eſſe veriſſima. Si quis prædicet hominem ab homine poſſe revocari ad vitam, merito videatur abſurda dicere. Verum, cur incredibile judicatur apud vos, ſi Deus, qui poteſt quicquid vult, ſuſcitat mortuos? An qui vitam dedit omnibus, non poteſt quibus vult reddere? An illum mendacem eſſe credimus, ut quod promiſit, non ſit præſtaturus?

9 Quin & mihi uſuvenit, ut quod prius videbatur abſurdum, poſt compererim veriſſimum: & quod antea videbatur impium, & Legi noſtræ adverſum, poſt compererim & pietatis & religionis eſſe caput: adeo, ut quo animo nunc in me ſunt Judæi, hoc ipſe quondam fuerim in diſcipulos Jeſu Nazareni:

10 Adverſus cujus nomen rebellans totis viribus, exiſtimabam me religioſe facere, ſi quantis poſſem malis illius profeſſores affligerem: quod & feci Hieroſolymis. Multos enim ſanctos conjeci in carcerem, impetrata ut id facerem à ſummis Sacerdoti-

bus

---

14 *Et cum dies plures ibi demorarentur, Feſtus regi indicavit de Paulo, dicens: Vir quidam eſt derelictus à Felice vinctus,*

15 *De quo cum eſſem Hieroſolymis, adierunt me principes ſacerdotum, & ſeniores Judæorum, poſtulantes adverſus illum damnationem.*

16 *Ad quos reſpondi: Quia non eſt Romanis conſuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.*

17 *Cum ergo huc convenissent ſine ulla dilatione, ſequenti die ſedens pro tribunali, juſſi adduci virum.*

18 *De quo, cum ſtetiſſent accuſatores, nullam cauſam deferebant, de quibus ego ſuſpicabar malum:*

19 *Quæſtiones vero quaſdam de ſua ſuperſtitione habebant adverſus eum, & de quodam Jeſu defuncto, quem affirmabat Paulus vivere.*

20 *Hæſitans autem ego de hujuſmodi quæſtione, dicebam ſi vellet ire Hieroſolymam, & ibi judicari de iſtis.* 21 *Paulo autem appellante ut ſervaretur ad Auguſti cognitionem, juſſi ſervari eum, donec mittam eum ad Cæſarem.* 22 *Agrippa autem dixit ad Feſtum: Volebam & ipſe hominem audire. Cras, inquit, audies eum.* 23 *Altera autem die, cum veniſſet Agrippa, & Bernice, cum multa ambitione, & introiſſent in auditorium cum tribunis, & viris principalibus civitatis, jubente Feſto, adductus eſt Paulus.* 24 *Et dixit Feſtus: Agrippa rex, & omnes, qui ſimul adeſtis nobiſcum viri, videtis hunc, de quo omnis multitudo Judæorum interpellavit me Hieroſolymis, petentes & acclamantes non oportere eum vivere amplius.* 25 *Ego vero comperi nihil dignum morte eum admiſiſſe. Ipſo autem hoc appellante ad Auguſtum, indicavi mittere.* 26 *De quo quid certum ſcribam domino, non habeo. Propter quod produxi eum ad vos, & maxime ad te rex Agrippa, ut interrogatione facta habeam quid ſcribam.* 27 *Sine ratione enim mihi videtur mittere vinctum, & cauſas ejus non ſignificare.* 1 *Agrippa vero ad Paulum ait: Permittitur tibi loqui pro temetipſo.*

Tunc Paulus extenta manu cœpit rationem reddere.

2 *De omnibus, quibus accuſor à Judæis, rex Agrippa, æſtimo me beatum, apud te cum ſim defenſurus me hodie,*

3 *Maxime te ſciente omnia, & quæ apud Judæos ſunt conſuetudines, & quæſtiones: propter quod obſecro patienter me audias.*

4 *Et quidem vitam meam à juventute, quæ ab initio fuit in gente mea in Hieroſolymis, noverunt omnes Judæi:*

5 *Præſcientes me ab initio (ſi velint teſtimonium perhibere) quoniam ſecundum certiſſimam ſectam noſtræ religionis vixi Phariſæus.*

6 *Et nunc in ſpe, quæ ad patres noſtros repromiſſionis facta eſt à Deo, ſto judicio ſubjectus:*

7 *In quam duodecim tribus noſtra, nocte ac die deſervientes, ſperant devenire. De qua ſpe accuſor à Judæis, rex.*

8 *Quid incredibile judicatur apud vos, ſi Deus mortuos ſuſcitat?*

9 *Et ego quidem exiſtimaveram, me adverſus nomen Jeſu Nazareni debere multa contraria agere.*

10 *Quod & feci Hieroſolymis, & multos ſanctorum ego in carceribus incluſi, à principibus ſacerdotum poteſtate accepta: & cum occiderentur,*

Digitized by Google

detuli sententiam.

bus auctoritate, quumque occiderentur detuli sententiam.

11 *Et per omnes synagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare: & amplius insaniens in eos, persequebar usque in exteras civitates.*

11 Nec Hierosolymis tantum, sed per omnes Synagogas, ubicunque conciliabula illorum deprehenderem, puniebam illos, malis huc adigere studens, ut in sanctissimum nomen illud essent blasphemi, quemadmodum ego tum eram. Nec his contentus, majore etiam insania debacchatus furi in illos, adeo ut in exteras etiam civitates, ac procul ab Hierosolymis semotas, proficiscerer, ut ejus nominis professores afficerem supplicio.

12 *In quibus dum irem Damascum cum potestate & permissu principum sacerdotum,*

12, 13 *Cumque* totus intentus huic crudeli negotio, non ex malitia, sed studio Legis patriæ *proficiscerer Damascum, armatus auctoritate summorum Sacerdotum, die medio, Rex Agrippa, vidi è cœlis subito promicare lucem multo clariorem splendore Solis. Ea circumfulsit & me, & comites meos qui aderant.*

13 *Die media in via, vidi, rex, de cælo supra splendorem solis circumfulsisse me lumen, & eos qui mecum simul erant.*

14 *Quum autem omnes attoniti fulgore luminis decidissemus in terram, audivi vocem loquentem ad me, ac dicentem Hebraica lingua: Saul, Saul, cur me persequeris? Durum est tibi jactare calces adversus stimulum.*

15 *Hic ego respondi: Quis es Domine? Tum ille contra: Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris.*

16 *Sed surge, & erige te in pedes tuos.* Ideo dejeci persecutorem, ut erigam præconem nominis mei. *In hoc enim nunc apparui tibi, ut* à me dejectus, *& hæc quæ vidisti, testificeris atque exsequaris, & ea quæ in posterum per visiones significabo tibi.*

14 *Omnesque nos cum decidissemus in terram, audivi vocem loquentem mihi Hebraica lingua: Saule, Saule, quid me persequeris? durum est tibi contra stimulum calcitrare.*

17, 18 In quibus omnibus adero tibi protector, eripiens te de populis ac gentibus barbaris procul-que semotis, ad quas nunc te legatum mitto, ut quemadmodum tu nunc liberatus ab errore, pro cæco factus es oculatus, ita prædicatione veritatis Euangelicæ, aperias oculos eorum, ut à tenebris errorum ac vitiorum, quibus hactenus detinentur, convertantur ad lucem Euangelicam: utque qui hactenus idololatriæ dediti, mancipia fuere Satanæ, transferantur ad Deum, qui Dominus est omnium: & qui hactenus omni turpitudinis genere fuerunt inquinati, nunc per fidem Euangelicam gratis accipiant remissionem omnium peccatorum: quique hactenus dicti sunt non populus, alieni à Deo, alieni ab omni consortio sanctorum, nunc sortem accipiant inter eos qui sanctificati sunt, non per circumcisionem aut Legis observationem, sed per fiduciam erga me, quia credunt Euangelio. Nec enim cuiquam alia via nunc contingit sanctificari.

15 *Ego autem dixi: Quis es Domine? Dominus autem dixit: Ego sum Jesus, quem tu persequeris.*

16 *Sed exurge, & sta super pedes tuos: ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum, & testem eorum quæ vidisti, & eorum quibus apparebo tibi,*

17 *Eripiens te de populo, & gentibus, in quas nunc ego mitto te,*

18 *Aperire oculos eorum, ut convertantur à tenebris ad lucem, & de potestate satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos per fidem quæ est in me.*

19 Hæc, Agrippa Rex, neque noctu, nec in somnis acta sunt, sed clara luce fulgorem conspeximus multi, & vocem clare loquentem audivimus. Unde certus hæc à Deo cœlitus geri, non me præbui inobedientem cœlesti visioni, sed omisso negotio, quod instituera m, longe diversum agere cœpi, prius ac potius ducens exsequi quod Deus mandarat, quam quod summi Sacerdotes.

20 Nam statim Damasci, mox Hierosolymis, deinde per omnes Judææ regiones, denique & inter gentes varias ac procul semotas prædicabam Euangelium, ut vitæ superioris pœnitentiam agerent, & converterentur ab idolis mutis ad Deum verum ac vivum: utque semel purgati baptismo, deinceps facerent opera digna iis, qui vere resipuissent.

21 *Hanc ob causam Judæi, quum me vidissent in Templo, comprehensum tentabant interficere.*

22 Nec armis humanis hactenus me defendi, sed protectore Deo, cujus jussu facio quod facio, subsisto usque in hodiernum diem, testificans tum maximo cuique, tum minimo, de his quæ jussus sum omnibus absque delectu personarum prædicare, nullam novam doctrinam ex me comminiscens, sed nihil aliud prædicans, quam ea quæ Moses ac Prophetæ prædixerunt futura.

17 *Unde rex Agrippa, non fui incredulus cælesti visioni:* 18 *Sed his, qui sunt Damasci primum, & Hierosolymis, & in omnem regionem Judææ, & Gentibus annuntiabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes.* 21 *Hac ex causa me Judæi, cum essem in templo, comprehensum tentabant interficere.* 22 *Auxilio autem adjutus Dei, usque in hodiernum diem sto, testificans minori atque majori, nihil extra dicens quam ea quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moyses,*

23 Siquidem & Judæi hæc solent disputare de Christo ex vaticiniis Prophetarum, an Messias esset venturus, malis hominum mortique obnoxius, an esset omnium primus auspicaturus resurrectionem corporum, an lumen veritatis annuntiaturus primum populo Israelitico, deinde & Gentibus. Hæc omnia quum prædicta sint à Prophetis & Mose de Messia, prædico non esse exspectandum alium Messiam, quandoquidem ista jam expleta sunt in Jesu Nazareno: nihilque jam superesse, nisi ut per pœnitentiam vitæque novitatem omnes sese præparent in illius reditum, quando venturus est judex totius mundi.

23 *Si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annuntiaturus est populo, & Gentibus.*

24 Quum Paulus hæc aliaque multa pro sui defensione diceret, Festus, qui nihil intelligebat rei Judaicæ, pro deliramentis ducens, quæ dixerat de visione, deque resurrectione corporum, clara voce dixit: Insanis Paule. Evenit tibi quod multis solet. Multitudo litterarum tibi sanam mentem eripuit.

24 *Hæc loquente eo, & rationem reddente, Festus magna voce dixit: Insanis Paule: multæ te litteræ ad insaniam convertunt.*

25 Ad hoc Paulus: Non insanio præstantissime Feste. Siquidem insania est, per errorem mentis à vero delirare. Ego vero sobrius, quæ vera sunt eloquor: quæ scire, vera sanitas est.

25 *Et Paulus: Non insanio (inquit) optime Feste, sed veritatis & sobrietatis verba loquor.*

26 *Hæc enim ita se habere novit Rex, apud quem his de rebus eo liberius loquor, quod existimem nihil illum latere eorum quæ narro. Neque enim res in angulo gesta est,* sed in propatulo, deinde rumor per universam Judæam dimanavit.

26 *Scit enim de his rex, ad quem & constanter loquor: latere enim eum nihil horum arbitror. Neque enim in angulo quidquam horum gestum est.*

27 Mox Paulus versus ad Agrippam, ait: *Credis Rex Agrippa Prophetis? Scio quod credis.* His qui credit, non potest non credere Euangelio, prædicanti factum, quod Prophetæ futurum prædixerant.

27 *Credis rex Agrippa prophetis? Scio quia credis.*

28 Agrippa vero sermonem interrumpens, dixit Paulo: *Modica ex parte persuades mihi ut fiam Christianus.*

28 *Agrippa autem ad Paulum: In modico suades me Christianum fieri.*

29 *Tum Paulus: Equidem illud optarim à Deo, non tantum modica ex parte, verum etiam magna, nec te modo, sed omnes etiam qui me audiunt hodie, esse tales, qualis ego sum, exceptis hisce vinculis.*

29 *Et Paulus: Opto apud Deum, & in modico, & in magno, non tantum te, sed etiam omnes qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego sum, exceptis vinculis his.*

30 *Hæc ubi dixerat* Paulus, *surrexit Rex ac Præses & Bernice, simulque cæteri qui assederant.*

30 *Et exsurrexit rex, & præses, & Bernice, & qui assidebant eis.*

31 *Quumque secessissent* de negotio communicaturi, discessum est ab omnibus in hanc sententiam, *ut dicerent nihil admissum à* Paulo *dignum morte aut vinculis.*

31 *Et cum secessissent, loquebantur ad invicem, dicentes: Quia nihil morte, aut vinculis dignum quid fecit homo iste.*

32 Itaque futurum erat, ut dimitteretur Paulus, nisi Rex Agrippa dixisset Festo Præsidi: *Poterat hic homo absolvi à causa, nisi appellasset Cæsarem.*

32 *Agrippa autem Festo dixit: Dimitti poterat homo hic, si non appellasset Cæsarem.*

CAP. XXVII.

Grandia damna maris: discrimina: denique nantes
Luctantesque diu proxima terra capit.

1 ITAQVE quum ex sententia Regis Agrippæ decretum esset, ut Paulus quemadmodum appellarat Cæsarem, iret in Italiam, tradiderunt Paulum, cumque hoc alios quosdam vinctos Centurioni nomine Julio, cohortis Augustæ.

1 *Ut autem judicatum est navigare eum in Italiam, & tradi Paulum cum reliquis custodiis centurioni nomine Julio cohortis Augustæ,*

2 Conscendimus autem navim, quæ venerat ex Hadrumeto Africæ civitate, quæ nos exponeret in Asiam minorem, quod ea juxta oras Asiæ esset itura, perseverante nobiscum Aristarcho Macedone Thes-

2 *Adscendentes navem Adrumetinam, incipientes navigare circa Asiæ loca, sustulimus, perseverante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonicensi.*

Digitized by Google

3 Sequenti autem die devenimus Sidonem. Humane autem tractans Julius Paulum, permisit ad amicos ire, & curam sui agere,

Theſſalonicenſi, qui navigationis etiam comes eſſe voluit.

3 Itaque poſtridie quam ſolviſſemus Cæſarea, appulimus Sidonem. Hic Julius Centurio, quoniam Paulum conſtituerat tractare humaniter, permiſit ut egreſſus navim, iret ad amicos, ſi quos haberet Sidone, atque ab illis curaretur.

4 Et inde cum ſubduciſſemus, ſubnavigavimus Cyprum, propterea quod eſſent venti contrarii.

4 Hinc rurſus ubi ſolviſſemus, non commiſimus nos ſpatioſo mari, ſed ad lævam præterlegimus littora Cypri, eo quod venti eſſent adverſi.

5 Et pelagus Ciliciæ & Pamphyliæ navigantes, venimus Lyſtram, quæ eſt Lyciæ:

5 Atque ita pelagus, quod eſt contra Ciliciam ac Pamphyliam, emenſi, pervenimus Myram, ea eſt in littore Lyciæ.

6 Et ibi inveniens centurio navem Alexandrinam navigantem in Italiam, transposuit nos in eam.

6 Hic Centurio nactus aliam navim, quæ venerat ex Alexandria Ægypti, navigatura in Italiam, transpoſuit nos in illam.

7 Et cum multis diebus tarde navigaremus, & vix devenissemus contra Gnidum, prohibente nos vento, adnavigavimus Cretæ, juxta Salmonem:

7 Quumque multis diebus tarde navigaſſemus, vixque tandem deveniſſemus contra Gnidum, videlicet reflante vento, defleximus curſum ad Inſulam Cretam, juxta civitatem ejus Inſulæ littoralem, cui nomen Salmon, ſive ut nonnulli vocant, Sammonium.

8 Hanc quum ægre præternavigaſſemus, pervenimus ad aliud Cretæ littus, cui nomen Pulchri Portus. Huic loco erat vicina civitas Laſæa.

9 Porro quum multum jam temporis in hac navigatione conſumtum eſſet, Paulus, quum perſpiceret quod jam inciperet eſſe periculoſa navigatio, non ſolum ob id, quod ventis adverſantibus non poſſent tenere curſum, quem volebant, verum etiam quod ultra juſtum tempus non curaſſent corpus cibo, admonuit nautas, dicens:

8 Et vix juxta navigantes, venimus in locum quendam, qui vocatur Bonaportus, cui juxta erat civitas Thalaſſa.

9 Multo autem tempore peracto, & cum jam non eſſet tuta navigatio, eo quod & jejunium jam præterviſſet, conſolabatur eos Paulus,

10 Dicens eis: Viri, video quoniam cum injuria & multo damno, non ſolum oneris & navis, ſed etiam animarum noſtrarum incipit eſſe navigatio.

10 *Viri, perſpicio quod hæc navigatio futura eſt cum injuria, multoque damno* ac periculo, *non tantum oneris & navis, verum etiam vitæ veſtræ*, quare præſtiterit à navigando deſiſtere.

11 Centurio autem gubernatori & nauclero credebat, quam his quæ à Paulo dicebantur.

11 *Porro Centurio magis auſcultabat gubernatori & nauclero, quam Pauli monitis.*

12 Et cum aptus portus non eſſet ad hiemandum, pluribus ſtatuerunt conſilium navigare inde, ſi quomodo poſſent, devenientes Phœnicen, hiemare, portum Cretæ reſpicientem ad Africum, & ad Corum.

12 *Quoniam autem illic non occurrebat portus idoneus ad hyberniandum, complures hoc cepere conſilium, ut ſi quo modo poſſent, perveherentur uſque ad Phœnicem. Is eſt portus Cretæ* prominens in mare *ad ventum Africum & Corum.*

13 Aſpirante autem Austro, æſtimantes propoſitum ſe tenere, cum ſuſtuliſſent de Aſſon, legebant Cretam.

13 *Interea quam adſpiraret Auſter, rati ſe voti fore compotes*, ut Phœnicem pervenirent, ſolverant à littore Aſi: ea eſt Cretæ civitas, ac *præterlegebant oram Cretæ.*

14 Non poſt multum autem miſit ſe contra ipſam ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo.

14 *Verum haud multo poſt obortus eſt ventus ſubitus ac violentus*, omniumque maxime formidatus nautis, quem vocant Typhonem. *Idem* à plaga Mundi, unde flat, *dicitur Euroaquilo*, quod inter Eurum flet & Aquilonem.

15 Cumque arrepta eſſet navis, & non poſſet conari in ventum, data nave flatibus, ferebamur.

15 Is cum impetu ſuo corripuiſſet navim, nec poſſet obniti tempeſtati, dedimus vela ventis, & arbitrio ventorum ac fluctuum ferebamur.

16 In inſulam autem quandam decurrentes, quæ vocatur Cauda, potuimus vix obtinere ſcapham.

16 In Inſulam autem quandam delati, quæ Cretæ eſt ad Auſtrum nomine Claude, ægre potuimus obtinere Scapham, ut ſi quid accideret, eſſet præſidio.

17 Quæ ſublata in navem, & adjutoriis utebantur, accingentes navem, timentes ne in Syrtim inciderent, ſubmiſſo vaſe ſic ferebantur.

17 Qua tandem ſublata in navem, & aliis item auxiliis utebantur, funibus ſubcingentes navim; ne vado illiſa facile ſolveretur: metuebant enim ne ventus impelleret in Syrtim ad Auſtrum vicinam, quo Typhon ferebat, ſimulque dimiſere vas ad retardandum navis impetum. Atque his præſidiis adjuti ferebamur.

18 Et valida autem nobis tempeſtate jactatis, ſequenti die jactum fecerunt:

18 Porro quum non conquieſceret tempeſtas, ſed magno periculo jactaremur, ſequenti die venerunt ad extrema præſidia, ac projectis oneribus in mare, jacturam fecerunt, quo navem ſublevarent.

19 Et tertia die ſuis manibus armamenta navis projecerunt.

19 Rurſus perſeverante tempeſtate, tertio die etiam navis armamenta noſtris manibus projecimus.

20 Neque autem ſole, neque ſideribus apparentibus per plures dies, & tempeſtate non exigua imminente, jam ablata erat ſpes omnis ſalutis noſtræ:

20 Porro quum ad dies complures neque Sol appareret, neque Sidera, ac tempeſtas ſemper gravior urgeret, jam omnes ceperat deſperatio ſalutis.

21 Et cum multa jejunatio fuiſſet, tunc ſtans Paulus in medio eorum, dixit: Oportebat quidem, o viri, audire me, non tollere à Creta, lucrique facere injuriam hanc & jacturam.

21 Accedebat huc, quod occupati difficultate navigationis, multo jam tempore non ſumſerant cibum. Hic *Paulus adſtans in medio illorum, dixit: Oportebat, ô viri*, prius *obtemperare conſilio meo*, quo monui vos, *ne ſolveretur a littore Creta. Sic enim hoc incommodum & rerum jacturam vitaſſetis.*

22 Et nunc ſuadeo vobis bono animo eſſe: amiſſio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquam navis.

22 Id quoniam mutari non poteſt, ſupereſt ut vel ſero ſapiatis. *Nolite deſpondere animum. Nullus enim ex vobis peribit. Tantum navis erit jactura.*

23 Aſtitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cujus ego ſum & cui deſervio,

24 Dicens: Ne timeas Paule, Cæſari te oportet aſſiſtere: & ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum.

23, 24 Non hæc ex me ſomnio, ſed *nocte hac adſtitit mihi Angelus Dei, cujus ego ſum* miniſter *& cultor*, dicens. *Ne metuas Paule*, non hic peribis, ſed *oportet te* prius *ſiſti Cæſari.* Nec tu ſolus evades incolumis, ſed *omnes hos, qui ſunt in navi tecum*, tuis precibus *donavit Deus.*

25 Propter quod bono animo eſtote viri: credo enim Deo, quia ſic erit, quemadmodum dictum eſt mihi.

25 *Quapropter bono*, inquam, *animo eſtote viri.* Nihil enim dubito, quin quemadmodum per Angelum ſuum promiſit Deus, ſic futurum ſit.

26 In inſulam autem quandam oportet nos devenire.

26 Quod ſi quæritis, qua ratione poſſit conſuli vitæ omnium, oportet nos in Inſulam quandam ejici, ibi navi fracta ſervabimur.

27 Sed poſteaquam quartadecima nox ſupervenit, navigantibus nobis in Adria circa mediam noctem, ſuſpicabamur nautæ appatere ſibi aliquam regionem.

27 Porro *ubi decimaquarta nox ſupervenisſet, jamque navigaremus in mari Adriatico*, nauta proſpectantes *circa medium noctis, ſuſpicati ſunt ſibi apparere regionem aliquam.*

28 Qui & ſummittentes bolidem, invenerunt paſſus viginti: & paſſulum inde ſeparati, invenerunt paſſus quindecim.

28 Qui volentes experiri, an eo tuto poſſent appellere, demiſerunt funiculum alligato plumbo, quem nautæ à jactu bolidem vocant, ac repererunt profunditatem paſſuum viginti: pauloque longius provecti, ac rurſum demiſſa bolide, repererunt paſſus quindecim.

29 Timentes autem ne in aſpera loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quattuor, optabant diem fieri.

29 Cæterum ubi ſentirent decreſcere profunditatem, metuentes ne incideremus in loca aſpera ac ſaxoſa, jactis de puppi ancoris quatuor, optabant oriri diem, quo certius diſpicerent, quænam appareret regio.

30 Nauta autem navis moliebatur fugere de navi, cum miſiſſent ſcapham in mare, ſub obtentu quaſi incipierent à prora ancoras extendere,

30 Nautæ vero, deſperata navi, quoniam ſenſerant ſe non procul abeſſe à terra, primum ſibi ſtuduerunt conſulere, eoque Scapham demittunt in mare, diſſimulantes ſe parare fugam, ſed prætexentes, quaſi ob vim tempeſtatis vellent & à prora ancoras demittere.

31 Dixit Paulus centurioni, & militibus: Niſi hi in navi manſerint, vos ſalvi fieri non poteſtis.

31 Paulus autem non ignarus quid agerent, & ſciens ad ſervandos cæteros, qui erant in navi, nautarum opera fore opus, admonuit Centurionem ac milites: *Niſi iſti*, inquiens, *manſerint in navi, vos ſervari non poteſtis.*

32 Tunc abſciderunt milites funes ſcaphæ, & paſſi ſunt eam excidere.

32 Hoc audito, milites gladiis inciderunt funes Scaphæ pendentis, ac paſſi ſunt illam excidere in mare.

33 Et cum lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes ſumere cibum, dicens: Quartadecima die hodie expectantes jejuni permanetis, nihil accipientes.

33, 34 Cum autem rareſcente nocte inciperet apparere dies, *Paulus hortabatur omnes ut cibum ſumerent, dicens: Dies hic decimuſquartus eſt, quod perſeveratis eſſe jejuni*, nec ullo cibo curaſtis corpora, *quapropter hortor vos, ut ſumatis cibum: hoc ad ſalutem*

34 Propter quod rogo vos accipere cibum pro ſalute veſtra: quia nullius veſtrum capillus de capite peribit.

Digitized by Google

tem vestram pertinet, ne liberati à tempestate, fame periclitemini. Non est enim quod cogitetis, quorsum attinet sumere cibum mox perituros. Nam hoc promitto vobis, quod *nulli vestrum peribit vel capillus de capite.*

35 *Hæc loquutus Paulus, sumto in manus pane, gratias egit Deo in conspectu omnium: cumque fregisset*, Domini Jesu exemplum referens, *cœpit comedere.*

36 Porro Pauli tum oratione tum exemplo jam *omnium recreatis animis, sumserunt & ipsi cibum.*

37 *Summa autem omnium, qui eramus in navi, erat ducenti septuaginta sex.*

38 *Expleti cibo, sublevabant navim*, quo propius posset appellere in terram, *ejicientes in mare triticum*, quod ex Ægypto, vetere Romanorum granario, devehebant in Italiam.

39 *Ubi vero jam diluxisset, terram quidem, quam videbant, non agnoscebant. Cæterum animadverterunt eam habere sinum quendam* hinc atque hinc porrecto littore, *in quem destinabant, si possent, navim impellere.*

40 *Sublatis igitur ancoris, committebant se mari, simul laxatis & gubernaculorum junctu ris*, quo possent & his uti ad dirigendum quo vellent navis impetum. Tum sublatis in altum velis, antennis ad ventum offlexis, secundum auræ flatum tendebant ad littus.

41 Cæterum quum non possent obtinere sinum, quem petebant, sed vi ventorum incidissent in locum prominentem in mare, huc impegerunt navim. *Ac prora quidem infixa vado, manebat immobilis, puppis vero solvebatur vi undarum.*

42 Itaque jam nihil supererat, nisi ut natando suæ quisque vitæ consuleret. Hîc *militum consilium erat, ut vinctos occiderent, ne quis quum enatasset, effugeret.*

43 *Hoc* barbarum & immane *consilium coercuit Centurio, cupiens servare Paulum*, cujus consilio ipsi servarentur. *Verum* ne quis omnino periret, *jussit ut qui natandi essent periti, se primos abjicerent in mare*, & natatu *in terram evaderent.*

44 *Qui natare nescirent, partim nixi tabulis, partim aliis navis instrumentis adjuti, reciperent sese in terram. Hac ratione factum est, ut omnes tandem evaderent in terram.*

Cap. XXVIII.

Hic fera mordet: pulsa febris: Romamque profectus:
Credentes recte Paulle diuque doces.

1 Quum appellerent, non agnoscebant quænam esset Insula, verum posteaquam evasissent in terram, ex incolis cognoverunt, quod Melite vocaretur: ea est inter Epirum & Italiam, spectans Siciliam ad Septentrionem. Barbari vero miserti calamitatis nostræ non mediocrem humanitatem nobis præstiterunt.

2 Nam accensa pyra, recipiebant nos omnes simul & imbri & frigore afflictos.

3 Ubi vero Paulus congregasset sarmentorum multitudinem, & posuisset super ignem, vipera, quæ illic latitans prius frigore torpuerat, excitata calore prorepsit, ac mordicus arripuit manum Pauli.

4 Barbari vero Melitæi, ut videre lethalem bestiolam pendentem à manu Pauli, dicebant: Omnino hic homo necesse est ut sit homicida quispiam: quem cum tempestas ejecerit incolumem è mari, tamen ultio divina non sinit in terris vivere.

5 Paulus autem ut sensit viperæ morsum, excussit eam in ignem, neque quicquam præterea passus est mali.

6 At illi existimabant futurum, ut veneno dilapso per venas, incenderetur atque intumesceret, aut repente mortuus concideret, vi veneni recta penetrante ad cor. Tandem quum illi diu exspectassent quid accideret Paulo, viderentque nihil illi accidere mali morsu viperæ, rursum barbarica levitate mutata sententia, dicebant illum esse Deum. Nondum enim audierant Melitæi de Jesu, qui hoc donarat sui nominis professoribus, ne vis ulla veneni, quantumvis præsentanea, posset ipsis nocere.

7 Porro *juxta littus illud*, in quod appulerant, *erant prædia primatis ejus Insulæ, nomine Publii, qui nos exceptos in ædes suas, triduo benigniter tractavit.*

8 *Eodem tempore Publii pater febribus ac dysenteria laborabat*, adeo graviter, ut etiam lecto decumberet. Paulus autem memor præcepti Dominici, *ingressus est ad agrotum, ac precibus ad Deum fusis imposuit illi manus, ac sanavit eum.*

9 Id factum ubi rumor sparsisset per Insulam, *cæteri quoque qui laborabant, adibant Paulum, & sanabantur.*

10 Quamobrem illi donec illic commorabamur, *plurimum officiorum in nos contulerunt: & dum adornaremus navigationem, imposuerunt in navim ad commeatum necessaria.*

11 *Mensibus itaque tribus in Insula transactis*, nacti sumus navim alteram Alexandrinam, *quæ in Melite hybernaverat. Huic erat insigne Castor & Pollux*, quos Græci Diosc uros appellant, putantque bene fortunare navigationem, si conjuncti insideant antennis. Hanc ingressi solvimus à Melite.

12 *Posteaquam appulissemus Syracusas*: ea civitas est Siciliæ maritima, *commorati sumus illic triduo.*

13 *Solventes Syracusis, ac prætereglentes Siciliæ littora, devenimus Rhegium* Italiæ civitatem in agro Brutiorum. Ab ea civitate brevissimus trajectus est in Siciliam. Nam hac parte olim Sicilia contigua erat Italiæ, donec vis maris intercurrentis divulsit utramque regionem, interfuso freto non amplius quam M. D. P. in latum, unde & nomen inditum à Græcis Rhegio. *Hinc post unum diem, afflante* vento commodo, nimirum *Austro, delati sumus Puteolos.*

14 Ubi quum nacti essemus aliquot Christianos, rogati sumus, ut aliquandiu commoraremur illic. Itaque morem gerentes illorum voluntati, subsedimus illic dies septem, unde recta profecti sumus Romam.

15 Quoniam autem jam rumor Romam pertulerat ad fratres, nos eo adventuros (nam Pauli nomen apud Romæ agentes Christianos, cum primis erat celebre ob Epistolam ad illos scriptam) *prodierunt nobis obviam* ex urbe *usque ad Appii forum, ad locum cui nomen tres Tabernæ.* Horum conspectu vehementer recreatus est Paulus, intelligens & illic esse, qui sincero pectore faverent Euangelio: & actis Deo gratiis, sumsit fortem ac bene sperantem animum.

16 Demum *ubi pervenissemus Romam, Centurio reliquos vinctos tradidit principi exercitus. Cæterum Paulo permissum est ut maneret solus, unico tantum adhibito milite, qui servaret eum.*

17 Quoniam autem vinctus una cum aliis perductus est Romam, ne quis Judæorum suspicaretur eum ob aliquod maleficium ista pati, *post tertium diem convocavit primores Judæorum* Romæ degentium, *apud quos ita loquutus est: Ego, viri fratres, quum ni-*

35 *Et cum hæc dixisset, sumens panem, gratias egit Deo in conspectu omnium; & cum fregisset, cœpit manducare.*

36 *Animæquiores autem facti omnes, & ipsi sumpserunt cibum.*

37 *Eramus vero universæ animæ in navi ducentæ septuaginta sex.*

38 *Et satiati cibo alleviabant navem, jactantes triticum in mare.*

39 *Cum autem dies factus esset, terram non agnoscebant: sinum vero quendam considerabant habentem littus, in quem cogitabant, si possent, ejicere navem.*

40 *Et cum ancoras sustulissent, committebant se mari, simul laxantes junctiuras gubernaculorum: & levato artemone secundum auræ flatum tendebant ad littus.*

41 *Et cum incidissemus in locum diebalassum, impegerunt navem: & prora quidem fixa manebat immobilis, puppis vero solvebatur à vi maru.*

42 *Militum autem consilium fuit ut custodias occiderent: nequis, cum enatasset, effugeret.*

43 *Centurio autem volens servare Paulum, prohibuit fieri: jussitque eos, qui possent natare, emittere se primos, & evadere, & ad terram exire:* 44 *Et ceteros alios in tabulis ferebant: quosdam super ea, quæ de navi erant. Et sic factum est, ut omnes animæ evaderent ad terram.* 1 *Et cum evasissemus, tunc cognovimus quia Melita insula vocabatur. Barbari vero præstabant non modicam humanitatem nobis.* 2 *Accensa enim pyra, reficiebant nos omnes, propter imbrem, qui imminebat, & frigus.* 3 *Cum congregasset autem Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem, & imposuisset super ignem, vipera à calore cum processisset, invasit manum ejus.* 4 *Ut vero viderunt Barbari pendentem bestiam de manu ejus, ad invicem dicebant: Utique homicida est homo hic, qui cum evaserit de mari, ultio non sinit eum vivere.* 5 *Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est.*

6 *At illi existimabant eum in tumorem convertendum, & subito casurum, & mori. Diu autem illis expectantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri, conversentes se, dicebant eum esse Deum.*

7 *In locis autem illis erant prædia principis insulæ, nomine Publii, qui nos suscipiens, triduo benigne exhibuit.*

8 *Contigit autem, patrem Publii febribus & dysenteria vexatum jacere. Ad quem Paulus intravit: & cum orasset, & imposuisset ei manus, salvavit eum.*

9 *Quo facto, omnes, qui in insula habebant infirmitates, accedebant, & curabantur:*

10 *Qui etiam multis honoribus nos honoraverunt, & navigantibus impoſuerunt quæ necessaria erant.*

11 *Post menses autem tres, navigavimus in navi Alexandrina, quæ in insula hiemaverat, cui erat insigne Castorum.*

12 *Et cum venissemus Syracusam, mansimus ibi triduo.*

13 *Inde circumlegentes devenimus Rhegium: & post unum diem flante Austro, secunda die venimus Puteolos;* 14 *Ubi inventis fratribus rogati sumus manere apud eos dies septem: & sic venimus Romam.* 15 *Et inde cum audissent fratres, occurrerunt nobis usque ad Appii forum, ac tres Tabernas. Quos cum vidisset Paulus, gratias agens Deo, accepit fiduciam.* 16 *Cum autem venissemus Romam, permissum est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite.* 17 *Post tertium autem diem convocavit primos Judæorum. Cumque convenissent, dicebat eis: Ego, viri fratres, nihil adversus plebem faciens, aut morem paternum, vinctus ab Ierosolymis traditus sum in manus Romanorum:*

Digitized by Google

18 Qui cum interrogationem de me habuissent, voluerunt me dimittere, eo quod nulla esset causa mortis in me.

nihil admiserim adversus populum meum, aut institutа majorum, vinctus Hierosolymis, traditus sum in manus Romanorum, delatus Cæsaream ad Præsidem Felicem, deinde ad Festum.

18 *Qui quum causam examinassent, voluerunt me absolvere, eo quod*, ut ipsi fatebantur, *nihil in me comperissent capitis supplicio dignum.*

19 Contradicentibus autem Judæis, coactus sum appellare Cæsarem, non quasi gentem meam habens aliquid accusare.

19 *Verum* odiose *reclamantibus Judæis, coactus sum appellare Cæsarem:* non quod ob hanc causam sim offensus genti meæ, paremque criminationem ullam apud Cæsarem, & odium, quo laborat, augeam, sed ut meam tuear innocentiam. Omnibus enim bene cupio, qui Deum pure colunt juxta Legem patriam.

20 Propter hanc igitur causam rogavi vos videre, & alloqui. Propter spem enim Israel catena hac circumdatus sum.

20 Hoc enim erga vos affectu ductus, jussi vos huc accersi, quando vinculis onusto non licebat vos adire, ut ex vestro conspectu & alloquio nonnihil solatii caperem. Cur autem colit gens Israelitica tanto studio Deum, contemtis gentium simulachris, nisi quia sperat in resurrectione pietatis suæ præmium? Ob hanc itaque spem, quæ mihi communis est cum tota gente mea, circumdatus sum hac, quam videtis, catena. Nec aliud mihi crimen potest objici.

21 At illi dixerunt ad eum: Nos neque litteras accepimus de te à Judæa, neque adveniens aliquis fratrum nuntiavit, aut locutus est quid de te malum.

21 Ad hæc Judæorum primores responderunt hunc in modum: Quod te nobis purgas, quasi delatus ab aliquo, scito quod neque quisquam à Judæa per litteras nobis significavit aliquid mali de te, neque quisquam inde huc veniens quicquam de te male loquutus est.

22 Rogamus autem à te audire quæ sentis: nam de secta hac notum est nobis quia ubique ei contradicitur.

22 *Cupimus tamen ex te ipso discere, quæ sit tua sententia. Nam quod attinet ad sectam istam* nuper natam de Jesu Nazareno, qui resurrexit, *compertum habemus, quod ubique* in omnibus *illi reclamatur*, tanquam vanæ. Gratum erit igitur, si nos exactius de hac quid tu sentias docueris.

23 Cum constituissent autem illi diem, venerunt ad eum in hospitium plurimi, quibus exponebat testificans regnum Dei, suadensque eis de Jesu ex Lege Moysi & Prophetis, à mane usque ad vesperam.

23 Id quum Paulus libenter se facturum respondisset, præscripto die rursus ad illum convenerunt Judæi, plures quam antea venerant, in hospitium, in quo Paulus versabatur. Quibus exponebat doctrinam Euangelicam, testificans jam adesse regnum Dei, nec amplius exspectandum esse Messiam, docens hunc esse Jesum Nazarenum: idque demonstrans ex figuris Legis Mosaicæ, ac vaticiniis Prophetarum ostendens quicquid erat adumbratum in Lege, quicquid prædictum à Mose & Prophetis, in Jesu palam ac plene exhibitum esse.

24 Et quidam credebant his quæ dicebantur: quidam vero non credebant.

24 His de rebus cum Paulus copiose disseruisset à mane usque ad vesperam, quidam è cœtu Judæorum crediderunt orationi Paulinæ, quidam non crediderunt.

25 Cumque invicem non essent consentientes, discedebant, dicente Paulo unum verbum: Quia bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros,

25 Quumque inter sese non essent concordes, cœperunt abire, Paulo prolixæ orationi unum adhuc verbum adjiciente, quo taxaret illorum incredulitatem, qui tam manifestis Legis ac Prophetarum de Jesu testimoniis non desinerent diffidere. Bene, inquit, Spiritus Sanctus de vobis vaticinatus est per Esaiam Prophetam ad patres nostros, quorum obstinatam incredulitatem vos refertis:

26 Dicens: Vade ad populum istum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perspicietis.

26 *Vade*, inquit, *ad populum istum, & dic ad illos: Auribus audietis, nec intelligetis: & oculis cernetis, nec videbitis.*

27 Incrassatum est enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos suos compresserunt, & oculis vix videant, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanem eos.

27 *Incrassatum est enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos suos compresserunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, convertanturque, & sanem ipsos.*

28 Notum ergo sit vobis, quoniam Gentibus missum est hoc salutare Dei, & ipsi audient.

28 Proinde scitote, quod hæc salus, quæ per Jesum offertur à Deo, quando vos respuitis, defertur ad Gentes. Respuit enim qui non credit: nec capax est hujus gratiæ, qui fidem non habet Euangelio. Vobis primum annuntiatum est donum Dei. Sic enim jusserat Dominus: oportebat autem vos potissimum credere, qui profitemini Legem & Prophetas, sed adversus hæc omnia habetis oculos occlusos, aures obturatas, & cor incrassatum, reclamantes manifestæ luci veritatis Euangelicæ. Gentes autem, quæ nec Deum noverunt, nec Legem habent, aut Prophetas, à simulachris suis convertentur, & per fidem assequentur hanc divinam benignitatem, quam vos adspernamini gratis oblatam.

29 Et cum hæc dixisset, exierunt ab eo Judæi, multam habentes inter se quæstionem.

29 *Hac quum dixisset* Paulus, *discesserunt* ab eo *Judæi, multam habentes inter ipsos disceptationem.*

30 Mansit autem toto biennio in cdibus quas conduxerat, & suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum,

30, 31 *Mansit autem toto biennio in edibus quas conduxerat, excipiens* humaniter *omnes qui ipsum adibant,* sive Judæos, sive incircumcisos, prædicans illis regnum Dei, ac docens cum omni fiducia, nemine prohibente, doctrinam Euangelicam, proferens vaticinia olim prodita de Domino Jesu: tum illius facta, dicta, promissaque ad ea conferens.

31 Prædicans regnum Dei, & docens quæ sunt de Domino Jesu Christo, cum omni fiducia, sine prohibitione.

PARAPHRASEOS ERASMI ROTERODAMI IN ACTA APOSTOLORVM

FINIS.

VERSVS MEMORIALES
IN ACTA APOSTOLICA.

APPARET, scandit: Beat ignis: Claudipes ivit.
Despiciuntque minas: Ecce Anania cadis.
Fors Stephani: Gaudet martyrque: Hic Saulus acerbus:
Inde idem est Paulus: Κορνελίῳ ἔλεγ.
Lecta gentes: Mors Herodis: Nuntie Paulle
Orat in Iconio: Pactaque concilii.
Quin Pytho hinc: Respondet Athenis: Statque Corinthi:
Turba Ephesi facta: Vivit & exanimis:
Adstricta palma: Bene dicit: Cæsareamque it:
Dona cupit Felix: Et modo Festus adest.
Fatur ad Agrippam: Grave iter mari: Habet quoque Roma:
Membra ergo septem dant quater ACTA tibi.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, DOMINICO CARDINALI GRIMANO VENETO, TITVLO SANCTI MARCI,

ERASMVS ROTERODAMVS

S. D.

QVIBVS novum videri ſolet, reverendiſſime Pater, cur *Paulus* Apoſtolus πολυγλωτ́τατος *Romanis Græce*, quam *Romane* ſcribere maluerit, mirari deſinent, ſi perpenderint primum, illis temporibus *Græci* ſermonis uſum pene tam late patuiſſe, quam late *Romanum* patebat Imperium. Deinde *Romanis* ipſis adeo quondam in delitiis fuiſſe *Græcanicas* litteras, ut ea res Satyrarum convitiis ſit exagitata. Siquidem apud *Lucilium Scævola* ridens *Albutium*, ut plus æquo φιλέλληνα, χαῖρε, inquit, *Prætor Athenis:* & apud *Juvenalem* ſtomachatur quiſpiam, negans ſe ferre poſſe *Græcam* urbem. Quanquam ita *Græce* loquutus eſt Apoſtolus, ut à mere *Græcis* non ſatis queat intelligi, ob paſſim admixtam *Hebraï* ſermonis proprietatem. Quod ſi maxime *Græca*, ac pure *Græca* fuiſſet oratio, multum tamen adhuc difficultatis ſupereſſet lectori, quod quum ſcriberet rudibus adhuc, & nuper *Chriſto* initiatis, myſteria quædam magis attigit, quam tractavit, & indicavit verius, quam explicavit, videlicet tempori ſerviens. Nunc vero cum *Roma* tota adeo ſit *Chriſtiana*, ut illic totius *Chriſtianæ* religionis ſit arx culmenque, ac per univerſum terrarum orbem *Romane* loquantur quicunque *Romanum* agnoſcunt Pontificem, videbar mihi facturus operæ pretium, ſi effeciſſem ut *Paulus* jam mere *Romanis*, ac plene *Chriſtianis*, non ſolum *Romane*, verum etiam explanatius loqueretur: atque ita loqueretur *Romane*, ut *Hebraum* quidem non agnoſcas, agnoſcas tamen Apoſtolum loqui. Solitus eſt ille mutare linguam, ſemper obſervata Apoſtoli dignitate. Non hîc attollam verbis, quanti mihi conſtiterit hoc quicquid eſt opuſculi, quod id ſciam nemini proclive vel æſtimare, vel credere, niſi qui ipſe periculum in ſimili negotio fecerit, quid ſit hiantia committere, abrupta mollire, confuſa digerere, involuta evolvere, nodoſa explicare, obſcuris lucem addere, *Hebraiſmum Romana* civitate donare: denique *Pauli*, hoc eſt, cœleſtis oratoris mutare linguam, & ita temperare παράφρασιν, ne fiat ἀδιαφώνησις, hoc eſt, ſic aliter dicere, ut tamen non dicas alia, præſertim in argumento non ſolum tot modis difficillimo, verum etiam ſacro, ac majeſtati Euangelicæ proximo: in quo cum in lubrico verſeris, & labi ſit facillimum, citra grave periculum labi non poſſis. Illud modo teſtabor, ingenue magis quam arroganter, non multum laboris acceſſurum fuiſſe, ſi juſtum commentarium in hanc Epiſtolam edere voluiſſem. Arbitrabor autem hujuſce operæ præmium abunde magnum mihi perſolutum, ſi meo ſtudio ſenſero perfectum eſſe, ut *Paulus* primum tibi, deinde per te cæteris *Romanis* ſit aliquanto commendatior, aut certe familiarior, quibus & commendatiſſimum & familiariſſimum eſſe par eſt. Compertum enim habeo quam multos antehac ſermonis peregrinitas, quanto plures tum explicationis, tum rerum difficultas alienarit ab ejus lectione; quanquam à tam eximio fructu non oportebat ullis incommodis deterreri. Horum igitur vel faſtidio, vel deſperationi, hac noſtra induſtria ſtuduimus ſuccurrere, ita negotium temperantes, ut ei, qui nolit quicquam in ſacris Litteris immutari, commentarii vice ſit futurum; rurſus ei, qui vacet hujuſmodi ſuperſtitione, *Paulus* ipſe loqui videatur.

Amplectere *Roma* principem, aut certe præcipuum religionis tuæ magiſtrum. Exoſculare priſcæ laudis tuæ præconem: redama eum, qui te nondum viſam adamavit. O feliciter commutatam ſortem felicitatis tuæ! Olim ſub tyrannis Cæſaribus mutis ſimulachris litabas, nunc ſub *Petro* & *Paulo* terrarum orbi præſides: olim eras ſuperſtitionum omnium ancilla, nunc es veræ religionis magiſtra. In *Jovis Capitolini* locum ſucceſſit *Chriſtus* ſolus Opt. Max. In Principis locum *Petrus* & *Paulus* ſuis uterque dotibus ſummus: in auguſtiſſimi illius Senatus vicem ſucceſſit toti orbi reverendus Cardinalium ordo. Si quid te movent fornices, aut pyramides priſtinæ ſuperſtitionis veſtigia, cur non magis te capiunt in horum libris receptæ religionis monumenta? *Adriani* Statuam, aut *Domitiani* miraris thermas. Quin potius *Petri Pauliique* ſacroſanctas Epiſtolas amplecteris? Si juvat in *Saluſtianis* aut *Livianis* libris fabuloſa vetuſtas, à quibus initiis ad orbis tyrannidem brevi ruituram fueris evecta vulturum auſpiciis: cur non magis juvat in Apoſtolorum & Euangeliſtarum litteris agnoſcere, quibus primordiis ad Eccleſiæ monarchiam nunquam ceſſaturam perveneris, auſpiciis *Chriſti*? Ut apud *Judæos* ſacroſancti quondam Templi, hodie ne veſtigium quidem ullum exſtat, ita tui *Capitolii*, quod quondam vaniſſimi Vates æternum fore pollicebantur, adeo nullæ ſuperſunt reliquiæ, ut ne locum quidem poſſis oſtendere. Si *Ciceronis* linguam miraris, de qua vix pronunties plus-ne profuerit, an offuerit Reipub. cur non magis delectat *Paulina* facundia, cui ſalutis ac religionis tuæ ſummam debes? Semper avida laudum fuiſti, habes tam gravem, tam inclytum gloriæ tuæ buccinatorem. Quid triumphalius quam Apoſtolico ore laudari? Agnoſce *Romane*, agnoſce quid tibi tribuat *Paulus*, ut intelligas quæ laudes tibi ſint tuendæ. Audi quid moneat, ne neſcias quid tibi ſit cavendum. Fidem laudat, quæ nuſquam adhuc fuit incorruptior: obedientiam prædicat, quæ fecit, ut cito ſuperſtitionem religione mutares. Facilitatem tribuit, cui ſolet eſſe comes credulitas; hæc in cauſa fuit, ut à Pſeudapoſtolis in *Judaiſmum* pellicereris. Sed aderat facilitati prudentia, quæ fecit, ut mature reſipiſceres. Subnotat animi celſitudinem, atque ob id tam ſollicite deterret à faſtu & inſolentia, à luxu avocat ad ſobrietatem, à libidinibus ad caſtimoniam, à ferocitate ad tolerantiam, à diſſidiis ad concordiam, à bellis ad pacem. Hæc eſt indoles vere *Romana*, à qua degenerare ſit turpe. Vide ne è *Roma* degeneres in *Babylonem*. Fatetur divus *Hieronymus* ſuis etiamnum temporibus laudatæ *Paulo* religionis exſtitiſſe documenta: *Ubi*, inquit, *alibi tanto ſtudio & frequentia ad Eccleſias & ad martyrum ſepulchra concurritur? ubi ſic ad ſimilitudinem cœleſtis tonitrui amen reboat, & vacua Idolorum templa quatiuntur? Non quod aliam habeant Romani fidem, niſi hanc quam omnes Chriſti Eccleſiæ, ſed quod devotio in eis major & ſimplicitas ad credendum.* Magnificum quidem *Hieronymi* teſtimonium: At idem quid dicturus ſit, ſi nunc videret eadem in urbe tot Eccleſias, tot Cardinales, tot Epiſcopos, ſi conſpiceret ab uno hoc certiſſimo *Chriſti* oraculo ab univerſis mundi Principibus reſponſa peti? Huc religionis cauſa ex ultimis uſque terrarum angulis agminatim concurri? Parum *Chriſtianum* ſibi quemque videri, niſi *Romam*, niſi *Romanum* Pontificem viderit ceu Numen

Digitized by Google

men quoddam terreſtre, ut à cujus nutu ac renutu, res univerſæ mortalium pendeant? Denique ſic cerneret ſub LEONE decimo, compoſitis bellorum procellis, *Romanam* urbem, non minus litteris, quam religione florentem? ut quæ una tam multos habeat Eccleſiaſtica dignitate præminentes, tot viros omni doctrinæ genere inſignes, tot mundi lumina decoraque, ut orbem verius, quam urbem dixeris. Nihil optandum à ſuperis, niſi ut perpetuo ſuis laudibus reſpondeat, perpetuo felicitatem ſuam pietate ſuperet, majeſtatem anteeat bonitate. Id fiet, ſi *Petri* ac *Pauli*, quorum auſpiciis præſidioque regnat, pectus vitamque pro viribus ſtudeat exprimere. Atqui horum imaginem nuſquam expreſſiorem magiſque vivam liceat reperire, quam in ipſorum litteris. Interea *Pauli* fragmentum libentius amplectentur, ampliſſime Pater, ſi tuis iſtis manibus porrigetur, qui ſtudiorum omnium, præſertim eorum quæ cum linguarum peritia conjuncta ſunt, mirum quendam Mœcenatem agas, ſic nihilominus integritate morum conſpicuus, ut inter tot clariſſima lumina, tamen eluceas atque emineas, non ita quidem, ut aliis offundas tenebras, ſed ut per ſe illuſtribus & ornatis, plurimum addas lucis ac decoris. Bene valeat tua pietas. *Lovanio* 13. Novembris, Anno 1517.

IN EPISTOLAM PAVLI AD ROMANOS

ARGVMENTVM,

PER ERASMVM ROTERODAMVM.

IAM *quo res ſit dilucidior, argumentum Epiſtolæ paucis explicandum. Atque ut exordiar ab ipſo nomine, quanquam me non fugit,* Hieronymum *in Commentariis, quos ſcripſit in Epiſtolam ad* Philemonem, *in hac eſſe ſententia, ut exiſtimet Apoſtolum prius vocatum* Saulum; Pauli *vero cognomen ceu trophæum uſurpaſſe à* Sergio Paulo *Proconſule, quem* Chriſto *lucrifecit, quemadmodum legimus in* Actis Apoſtolorum, *Capite* XIII. *Rurſus alios eſſe, quibus placeat in* Judaiſmo *dictum* Saulum, *mutata religione ſimul & nomen mutaſſe: tamen alteram minus probabilem facit, quod* Lucas *hoc ipſo, quod modo citavimus, Capite ſcribit,* Saulus, qui & Paulus, repletus Spiritu Sancto, *haud obſcure declarans, eum binominem fuiſſe prius quam* Sergius Paulus *eſſet converſus: alteram plane refellit, quod cum aliis aliquot locis, tum in eodem Capite* Saulus *dicitur, jam* Chriſti *prædicans Evangelium*: Dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam. *Proinde mihi vero propior videtur* Origenis *opinio, quemadmodum in Veteris Inſtrumenti libris, aliquot comperimus diverſis nominibus notatos, velut* Idida *dictum, qui alias vocatus eſt* Salomon: *&* Oziam *alicubi dictum, qui alibi ſit* Azarias. *Item in Evangelicis litteris* Lucæ *dictum* Levi, *qui ſe in ſuo Evangelio* Matthæum *nominat: ita* Paulo *geminum fuiſſe vocabulum, quanquam ipſe in ſuis Epiſtolis ſe nunquam* Saulum *appellat, ſed ubique* Paulum, *fortaſſis ob id, quod* Pauli *vocabulum* Græcorum *ac* Romanorum, *ad quos ſcribebat, auribus eſſet familiarius.* Saulus *enim ſic à* Saul Hebræa *voce deflexum apparet, ut* Græci *à* Joſeph Joſephum *deflexerunt.* Paulus *autem* Hebræis *ſonat* mirabilem, *ſi tamen ferendum putamus* Romanæ *ſeu* Græcanicæ *vocis etymologiam è peregrina lingua peti. Quod tamen* Hieronymus *cum alicubi in aliis reprehendat, hîc ſibi permittit, opinor, ut in re non admodum ſeria. Certe* Græcis *ſonat* quietum, Latinis puſillum. Saul Hebræis *ſonat* poſtulatum: *&* ſi Ambroſio *credimus*, inquietudinem, *ſive* tentationem, *atque hoc ſonat, ſed* Græcis Σαῦλος. *Atque hæc quidem de ratione nominis, ut in argumento pene plus ſatis.*

Caterum dictavit hanc Epiſtolam, excipiente Tertio, *quod is quoque in calce Epiſtolæ teſtatur, adjiciens,* Saluto vos ego Tertius, qui ſcripſi Epiſtolam in Domino. *Miſſam apparet è* Corintho, *per* Phœben *fœminam* Cenchreenſem. *Eſt autem* Cenchreæ *Portus* Corinthiorum, *haud procul ab urbe diſſitus. Quod ſi tempus quoque requiratur, ſcriptam apparet poſt utramque ad* Corinthios *Epiſtolam* (*unde putant in hac abſoluta jam & confirmatæ pietatis argumenta potiſſimum elucere*) *id temporis, cum peragrata jam* Achaja, *in qua* Corinthus *eſt, & huic finitima* Macedonia *uſque ad* Illyricum, *ac non ſolum prædicato ubique* Chriſti *Evangelio, in his duntaxat locis, in quibus aliorum Apoſtolorum nemo prædicaverat, verum etiam juxta* Petri *monita, collecta à ſuis aliquanta pecunia in ſubſidium pauperum, adornaret iter* Hieroſolymam: *ut exhibito quod acceperat, illinc proficiſceretur in* Hiſpaniam, Roma *iter facturus, atque illic obiter ſalutaturus* Chriſtianos, *de quorum fide ac religione audierat, cum ipſos nondum vidiſſet.*

Acciderat enim illis diverſum quiddam atque Galatis. *Siquidem hi primum recte à* Paulo *inſtituti, poſtea fraude Pſeudapoſtolorum circumventi ſunt, & retracti in* Judaiſmum. *Contra* Romani *primum male inſtituti à Pſeudapoſtolis, ſimulatque pro ſua prudentia ſenſerant fraudem, reſipuerunt: & in eo, quod rectum eſſe cognoverunt, perſeverabant: nam in Eccleſiæ naſcentis primordiis erant, qui exiſtimarent Evangelii gratiam, quoniam* Abrahæ *poſteris, &* Judaicæ *genti peculiariter promiſſa videbatur, non eſſe ſtatim propagandam in profanas gentes, & ſimulachrorum ac Dæmonum cultui deditas. A qua ſententia &* Petrum *apparet fuiſſe non prorſus alienum, qui viſo monendus erat, ut* Cornelium *Centurionem admitteret: quo nomine mox illi exhibitum eſt negotium* Hieroſolymis, *expoſtulantibus iis qui ex* Judaiſmo *converſi fuerant ad* Chriſtum, *quod cum incircumciſis habuiſſet commercium: atque in his probabile eſt & Apoſtolos aliquot fuiſſe. Sic enim legimus in* Actis *Cap.* XI. 1. &c. Audierunt autem Apoſtoli & fratres, qui erant in Judæa, quoniam & gentes receperunt verbum Dei. Cum autem adſcendiſſet Petrus Hieroſolymam, diſceptabant adverſus illum qui erant ex circumciſione, dicentes: Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis? *Erant rurſus, qui licet non exiſtimarent gentes prorſus arcendas ab Evangelii conſortio, non admittendas tamen ducebant, niſi circumciderentur ritu* Judaico, *perinde quaſi* Chriſtus *egeret adminiculo Legis* Moſaicæ, *ſimul ut Evangelii gloriam in gentem ſuam transferrent. Et in* Actis Apoſtolorum *Cap.* XI. 19. *proditum eſt, eos qui ob perſecutionem, quæ accidit à morte* Stephani, *profugerant in* Phœnicen, *in* Cyprum *& in* Antiochiam, *nemini prædicaſſe* Chriſtum, *niſi ſolis* Judæis. *Rurſus Cap.* XV. 1. &c. *Quidam* Judæi *veniunt* Antiochiam, *palam adverſus* Paulum *&* Barnabam *prædicantes, non eſſe ſpem ſalutis, niſi juxta* Moſi *præſcriptum circumciderentur: tantuſque tumultus per hos concitatus eſt, ut coacto concilio decretum ſit, ut* Paulus *&* Barnabas *una cum adverſariis* Hieroſolymam *irent, & lis, Apoſtolorum*

Digitized by Google

ac Seniorum arbitrio componeretur: atque illis rursum acriter obnitentibus nonnullis, præsertim factionis Pharisaeæ Christianis, *cujus fuerat &* Paulus, *coacta est Synodus Apostolorum & Seniorum, ac* Petri Jacobique *auctoritate decretum est, ne Gentes onerarentur Legè* Mosaica, *tantum temperarent ab esu suffocati animantis, à sanguine, à carnibus simulachro immolatis, & à stupris: quod tamen pro ratione temporum, invincibilis* Judæorum *superstitioni datum esse; vel illud argumento est, quod tria illa jam olim videmus esse sublata, ac prorsus abolita. Ex eodem fonte nata est illa* Pauli *cum* Petro *concertatio* Antiochiæ, *cùm Gentium Apostolus, cernens suos ob* Petri *simulationem periclitari, palam illum redarguit, quemadmodum refert ipse in Epistola* ad Galatas *Cap.* II. *Rursum* Hierosolymis *auctore* Jacobo, *quo purgaret jam inter* Judæos *sparsum rumorem, quod retrahere videretur à Legè* Mosaica, *cum cæteris calvitium induxit capiti, & juxta ritum* Judaicum *purgatus, munus obtulit in Templo, sicuti refert* Lucas Actorum *Cap.* XXI. *Quo quidem ex loco videtur* Jacobus, *tametsi Gentes prius onere Legis* Mosaicæ *propemodum liberasset, esse tamen in hac sententia, ut putaret a* Judæis *exigendam esse Legis observationem: vel in hoc, ut placarentur ii, qui nondum sic profecerant in Euangelica veritate, ut possent omnino patrios ritus contemnere. Sic enim loquitur* Jacobus *vers.* 24. Et scient omnes quia quæ de te audierunt falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem. *Nec alia de causa, opinor, totondit caput ex voto* Cenchreis *Capite* XVIII. *Consimili necessitate circumcidit* Timotheum *Capite* XVI. *cum esset matre quidem* Judæa *natus, sed patre Ethnico. Tanta molis erat ex* Judæo *facere* Christianum. *Est enim ei genti peculiaris quædam pertinacia, nec ulla fuit unquam sua religionis tenacior, ut eleganter docet* Josephus *in apologia* Judaicarum Antiquitatum. *Ad hæc ut* Judæorum *natio tum omnibus orbis nationibus erat peculiariter invisa, ita vicissim omnes exsecrabantur illis ceu impuros, profanos & impios, adeo ut nec congressu dignarentur, & Templum suum pollui crederent, si quis forte incircumcisus esset ingressus. Tantum erat præcisæ pellicula superstitium.*

Cum igitur spes non esset, fore ut Græci Romanique *Legem vulgo invisam reciperent, & incredibili pertinacia reclamarent* Judæi, Paulus *intelligens periculum esse, ne tam exitiabili dissidio magna ex parte periret Euangelii fructus, &* Christi *gloria* Mosaici *nominis obscuraretur admixtu, hoc in primis agit ubique, ut Legis cæremonias abroget atque antiquet, omnemque salutis adipiscendæ fiduciam in unum* Christum *transferat. Sicut autem* Galatas *acriter, sed tamen amanter objurgat, quod essent in* Judaismum *adducti: ita* Romanos *præmunit & instruit, ne à Pseudapostolis, quos sciebat nusquam cessare, illaqueentur incauti, sed in recta doctrina, quam amplecti cœpissent, persisterent. Erat enim* Romæ *ingens* Judæorum *numerus, sive illuc à* Pompejo *translatus, sive quod jam* Romanorum *esset provincia* Judæa, *quorum superstitio crebro & apud* Juvenalem *atque* Horatium, *& apud* Senecam *notatur. Cum quibus &* Paulo *multum negotii fuisse, posteaquam* Romam *pervenisset, testatur extremum Caput* Actorum Apostolicorum. *Ac miro consilio singularis artifex sermonem temperat inter* Judæos *& Gentes, dum studet omnes omnibus modis ad* Christum *pellicere: neque vuli, si fieri possit, quenquam omnino mortalium perire suo duci, cui militabat. Itaque nunc hos objurgat, nunc illos, nunc rursus erigit ac sublevat. Gentium supercilium deprimit, ostendens nihil illis profuisse, neque naturæ legem, neque philosophiam, cujus professione tumebant, quo minus in omne scelerum dedecus prolaberentur. Rursum* Judæorum *arrogantiam coercet, qui Legis fiducia perdidissent id quod erat totius Legis caput, fidem in* Christum Jesum, *docens Legis cæremonias antiquatas esse jam coruscante* Christi *Euangelio, quem Legis umbra delinearant: abrogata jam otia Sabbatorum, circumcisionis injuriam, Calendarum recursus, ter quotannis redeuntes ferias, delectum ciborum, in singulos dies iterum sordidanda lavacra, pecudum innoxiarum lanienam, Templi religionem assiduis inquinati cadibus: Has rerum umbras emicante luce veritatis evanescere: Veros esse filios* Abrahæ, *qui fidem* Abrahæ *referrent: vere* Judæos *esse, qui* Christum *profiterentur: vere circumcisos, qui mentem haberent à fœdis cupiditatibus repurgatam: Veram justitiam ac perfectam salutem citra Legis auxilia per Euangelium ac solam fidem in* Christum *conferri ex æquo omnibus, licet ea salus peculiariter olim esset promissa* Judæis, *sed ita his promissa, ut Prophetæ non tacuerint fore, ut illis rejicientibus ad Gentes prædicatio* Christi *propagaretur: Per Legem* Mosaicam, *quam illi carnaliter observabant, veram justitiam nulli contingere, sed per fidem: idque docet tum exemplo* Abrahæ, *tum variis ipsius Legis testimoniis. Et ad eum modum detracto utrisque supercilio, ademta utrisque fiducia, omnes æquat in negotio fidei Euangelicæ, ita gratulans saluti Gentium, ut sua gentis cæcitatem paterno deploret affectu, licet illam ubique pertinacissime infensam experiretur: atque id per se durum, ita mitigat, ut dicat nec omnes excæcatos, & fore ut aliquando resipiscat* Judæorum *tota natio, fide Gentium provocata. Atque hic obiter varia multiplexque doctrina de præfinitis, sive prædestinatis, de præscitis, de vocatis, de gratia & merito, de libero arbitrio, de divino consilio nobis inscrutabili, de lege naturæ, de lege* Mosi, *de lege peccati. Varii quidem allegoriarum fontes, dum duos facit* Adam, *alterum, quo nascimur juxta carnem mortales: alterum, quo renascimur immortales futuri: Duos homines, internum & externum: internum spiritui & rationi parentem, externum cupiditatibus & affectibus obnoxium: quorum priorem aliquando* spiritum *appellat, posteriorem interim* corpus *sive* membra, *interim* carnem, *aliquoties* legem peccati *vocat: Duplicem mortem, corporis & animi, & tertiam, qua morimur peccato & peccandi affectibus: Triplicem item vitam, qua vivimus corpore, qua animo, & qua vivimus justitiæ & peccato: Duplicem servitutem aut libertatem, qua vicissim vel innocentiæ servimus, emancipati à peccatis, vel peccatis servimus liberi à justitia: Duplicem* Judaismum, *duplicem circumcisionem, geminos posteros* Abrahæ: *Duas partes Legis* Mosaicæ: *carnalem, veluti corpus: spiritualem, velut animam Legis: Duplicem baptismum, quo primum abluimur à peccatis pristinis facto lavacro, & quo* Christo *commorimur, abdicatis mundi affectibus: Duplicem sepulturam, corporalem, qua triduo sepultus est* Christus: *& spiritualem, qua nos semoti à mundi vitiis, requiescimus in illo: Duplicem resurrectionem, alteram, qua præcessit in* Christo, *in nobis secutura; alteram, qua nos à peccatis pristinis redivivi progredimur à virtute ad virtutem, hac parte quoad licet futuram immortalitatem meditantes: Duplicem justitiam, Dei & hominum: Duplex judicium, Dei & hominum: duplicem gloriam sive laudem, apud Deum & apud homines.*

His dissertis transit ad locum moralem, in primis adhortans ad mutuam concordiam, exemplo membrorum corporis: & quoniam pax constare non potest, ubi fastus est aut livor, obsecrat ut obsequiis mutuis, mutuum amorem alant, foveantque; Romanos, ut Judæorum *infirmitatem ex diutina Legis assuetudine relictam ad tempus ferant: Contra, Judæos, ne Gentibus in Euangelii consortium adscitis invideant, sed illorum fidem ac libertatem potius æmulentur: & cum idem sit omnium Deus, idem* Christus, *eadem gratia, idem præmium, omnes in unum corpus coalescant: neque quisquam sibi arroget quicquam, sed si qua dote præcellat aliquis, eam ad fratris opem accommodet. Atque hunc locum varie tractat, docens quales se præstare debeant erga* Judæos *incredulos, quales erga* Christianos *superstitiosiores, sive ut ipse vocat, infirmos: quales erga superiores, quales erga inferiores, quales erga pares, quales erga Principes ac Magistratus Ethnicos, sed suo utcunque fungentes officio: quales in prosperis, quales in adversis. Deinde rursum laude* Romanorum *mitigat admonitionis acerbitatem, & suam apud illos auctoritatem commendat, commemorans quanto plus ceteris promoverit in Euangelio* Christi, *declarat quanta teneatur illas videndi cupiditate, & spem facit sui adventus: eumque cum differre cogatur, aperit, laudans spontaneam* Macedonum

Digitized by Google

donum & Corinthiorum *in pauperes sanctos liberalitatem, tacite ac verecunde* Romanos *ad æmulandum provocans.*

Caput extremum pene totum occupat salutationibus: non frigide congestis multorum nominibus, sed mire suo cuique addito elogio. Postremo quoniam penitus noverat & Pseudapostolorum improbam versutiam, & Romanorum *simplicitatem, ac facilitatem, admonet etiam atque etiam caveant, ne illorum blandiloquentia fallantur. Quanquam autem horum pleraque peculiarius ad eam pertinent ætatem, in qua rudis adhuc paulatim suppullulabat Ecclesia,* Judæis & *Gentibus admixta, ac Principibus Ethnicis obnoxia, tamen nihil est, unde non ad hæc quoque tempora salutaris aliquid doctrinæ possit accommodari: veluti de fugienda superstitione, quæ dissidiorum est seminarium, & sic habet speciem pietatis, ut nihil sit vera pietati adversius: de stulta fiducia Philosophiæ mundanæ & operum humanorum: de merito fidei: de vitanda fastu: de toleranda alicubi minus eruditorum imbecillitate: de mutuis obsequiis alenda concordia: de ferendis aliquousque malis Principibus & impiis Episcopis, ne turbetur ordo status publici: de malefactis beneficentia superandis: de non judicando quod ad te non pertineat, de commode interpretando quicquid recto animo fieri potest: de cavenda insidiosa blandiloquentia, aliisque id genus rebus, in quibus hodieque communis hominum vita versatur.*

Sed utilitatem hujus Epistolæ æquat ac pene superat difficultas: idque mihi tribus potissimum de causis accidere videtur, sive quod non alibi sermonis ordo confusior, nusquam oratio hyperbatis magis hiulca, nusquam anantapodotis crebrius inabsoluta, quod subinde queritur interpres Origenes, *in hujusmodi difficultatibus passim luctans ac laborans. Quod utrum interpreti an scribæ* Tertio *sit tribuendum, an ipsi* Paulo, *aliorum esto judicium. Ipse sane agnoscit sermonis imperitiam, licet rerum insciitiam deprecetur. Rursus adeo non affectavit orationem arte humana compositam, ut eam sibi fugiendam etiam duxerit, ne quid hinc decederet gloriæ crucis. Atque ob id* Origenes *existimat supervacaneum esse sermonis compositionem in eo requirere.* Hieronymus *alias illi vindicat orationis artificium, alias adimit, ingenue confitens, è corrupto* Cilicum *sermone nonnihil traxisse vitii.* Augustinus *etiam Rhetorum ornamenta floscolosque ex hujus depromit Epistolis. Quin & in Actis dux verbi est, & in Epistola ad* Corinthios *priore, supra cæteros omnes linguis loquitur Quamvis enim, ut testatur* Hieronymus, *id temporis totus Oriens* Græce *loqueretur, tamen ut consentaneum est, apud* Celtas *non eandem fuisse* Romani *sermonis castimoniam, quæ fuit* Romæ: *ita verisimile est, non parum interfuisse inter* Cilicem Græce *loquentem, &* Atticum. *Ad hæc orationis incommoda accessit* Hebraismus, *cujus idiomata passim refert, ita* Græce *loquens, ut nihilo secius interim* Hebræum *agnoscas. Alteram difficultatis causam arbitror, quod ob rerum inexplicabilium obscuritatem, non alia sit crebrioribus impedita salebris, aut altioribus interrupta voraginibus, adeo ut ipse alicubi relicto quod instituerat, exclamare cogatur:* O altitudo divitiarum! *Quid, quod quædam mysteria prudens sic attingit, ut ceu per transennam duntaxat ostendat, pro temporum illorum ratione, proque captu eorum, quibus scribit, orationem attemperans. Noverat & viderat ille quædam, quæ nefas esset homini loqui, & novit quatenus esset ovus lacte, quatenus cibo solido. Sciebat ætatum in* Christo *gradus, & quid cui foret adhibendum. Hoc consilio* Petrus *Apostolus apud rudem concionem verba facturus de* Christo, *virum eum nominat, Deum tacet. Tertiam opinor, crebram ac subitam personarum mutationem, dum nunc* Judæos, *nunc Gentes, nunc utrinque, modo credentes, modo incredulos, respicit: alias infirmi, alias firmi, interim pii, interim impii personam sustinet. Quibus rebus fit, ut lector velut in Labyrinthis ac Mæandris quibusdam inextricabilibus oberrans, nec unde sit ingressus satis videat, nec qua sit exitus. Ut mihi non minus vere quam eleganter* Origenes Paulum *adsimilem faciat ei, qui hospitem in opulentissimi cujuspiam Principis palatium inducat, diversis viarum ambagibus, & conclavium secessibus perplexum: Quædam autem procul ostendat ex ditissimo opum thesauro, quædam propius admoveat, quædam videri nolit, sæpe interim per aliud ingressus ostium, aliunde exeat, ut hospes ipse miretur unde venerit, ubi sit, aut qua sit exeundum. Agnovit hoc &* Petrus *Apostolus, in Epistola secunda testans esse in* Paulinis *Epistolis quædam intellectu difficilia, quæ parum eruditi, parumque firmi depravarent ad suam perniciem. Nos difficultates has pro virili conati sumus amoliri, nisi quod quædam* Paulinæ *linguæ adeo peculiaria sunt, ut aliquoties mutari non queant, velut hæc:* fides, gratia, corpus, caro, membra, spiritus, mens, sensus, ædificare, *aliaque hujus generis, quæ ut prorsus mutari non debuerunt, ita quoad licuit emollire studuimus. Sed jam ipsum audiamus* Romanis Romane, *immo omnibus crassius & explanatius loquentem.*

ARGVMENTI FINIS.

VITA SANCTI PAVLI
PER DIVVM HIERONYMVM.

PAVLVS *Apostolus, qui ante* Saulus, *extra numerum duodecim Apostolorum, de tribu* Benjamin & *oppido* Judææ Giscalis *fuit, quo à* Romanis *capto, cum parentibus suis* Tarsum Ciliciæ *commigravit: à quibus ob studia Legis missus* Hierosolymam, *à* Gamaliele *viro doctissimo, cujus* Lucas *meminit, eruditus est. Cum autem interfuisset neci martyris* Stephani, & *acceptis à pontifice templi epistolis, ad persequendos eos, qui* Christo *crediderant,* Damascum *pergeret, revelatione compulsus ad fidem, quæ in* Actibus Apostolorum *scribitur, in vas electionis de persequutore translatus est. Cumque primum ad prædicationem ejus* Sergius Paulus *Proconsul* Cypri *credidisset, ab eo quod eum* Christi *fidei subegerat, sortitus est nomen* Paulus: & *juncto sibi* Barnaba, *multis urbibus peragratis, revertensque* Hierosolymam, *à* Petro, Jacoboque, & Joanne, *Gentium Apostolus ordinatur. Et quia in* Actibus Apostolorum *plenissime de ejus conversatione scriptum est, hoc tantum dicam, quod post passionem Domini vicesimo quinto anno, id est, secundo* Neronis, *eo tempore quo* Festus *Procurator* Judææ *successit* Felici, Romam *vinctus mittitur, & biennium in libera manens custodia, adversus* Judæos, *de adventu* Christi *quotidie disputavit. Sciendum autem in prima satisfactione, necdum* Neronis *imperio roborato, nec in tanta erumpente scelera, quanta de eo narrant historiæ,* Paulum *à* Nerone *dimissum, ut Evangelium* Christi *in Occidentis quoque partibus prædicaret, sicut ipse scribit in secunda Epistola* ad Timotheum, *eo tempore quo & passus est, de vinculis dictans epistolam:* In prima mea satisfactione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt, non eis imputetur. Dominus autem mihi adfuit, & confortavit me, ut per me prædicatio compleretur, & audirent omnes gentes, & liberatus sum de ore Leonis, *manifestissime* Leonem *propter crudelitatem* Neronem *significans. Et in sequentibus:* Liberatus sum de ore Leonis. *Et sta:im,* Liberavit me Dominus ab omni opere malo, & salvavit me in regnum suum cœleste, *quod scilicet præsens sibi sentiret imminere martyrium. Nam & in eadem Epistola præmiserat:* Ego enim jam immolor, & tempus resolutionis meæ instat. *Hic ergo decimo quarto* Neronis *anno, eodem*

Digitized by Google

die, quo Petrus Romæ *pro* Christo *capite truncatus sepultusque est in Via* Ostiensi, *anno post passionem Domini* tricesimo septimo. *Scripsit autem novem ad septem Ecclesias Epistolas, ad* Romanos *unam, ad* Corinthios *duas, ad* Galatas *unam, ad* Ephesios *unam, ad* Philippenses *unam, ad* Colossenses *unam, ad* Thessalonicenses *duas: præterea ad discipulos suos,* Timotheo *duas,* Tito *unam,* Philemoni *unam. Epistola quæ fertur ad* Hebræos, *non ejus creditur propter styli sermonisque distantiam: sed vel* Barnabæ *juxta* Tertullianum; *vel* Lucæ *Euangelistæ, juxta quosdam; vel* Clementis Romanæ *postea Ecclesiæ Episcopi, quem ajunt sententias* Pauli *proprio ordinasse & ornasse sermone. Vel certe quia* Paulus *scribebat ad* Hebræos, *& propter invidiam sui apud eos nominis, titulum in principio salutationis amputaverat, scripserat ut* Hebræus Hebræis Hebraice, *id est, suo eloquio disertissime, ut quæ eloquenter scripta fuerant in* Hebræo, *eloquentius verterentur in* Græcum: *& hanc causam esse quod à ceteris* Pauli *Epistolis discrepare videatur. Legunt quidam & ad* Laodicenses, *sed ab omnibus exploditur.*

IN EPISTOLAM PAVLI AD ROMANOS
PARAPHRASIS,
PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

CAPVT I.

Ad vos ire juvat: Sum debitor: haud pudesio:
Notum haud agnoscit reproba turba Deum.

1 *Paulus, servus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei,*

1 PAVLVS ego ille è Saulo factus, è turbulento pacificus, nuper obnoxius Legi Mosaicæ, nunc Mosi libertus, servus autem factus Jesu Christi, haud quidem perfuga, desertorve pristini instituti, sed accersitus ad hujus legationis munus, ac felicius segregatus quam eram, cum Pharisaicæ factionis propugnator, impie pius, & indocte doctus errarem: sed nunc demum vere Pharisæi dignus cognomine, quippe semotus selectusque ab ipso Christo, ad obeundum negotium longe præclarius, nempe ad prædicandum Euangelium Dei, nec id sane novum:

2 *Quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis*

2 Sed jam olim ab ipso promissum Prophetarum ipsius oraculis, quæ nunc quoque exstant in Libris, non quibuslibet, sed sanctis inviolatæque fidei:

3 *De Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem,*

4 *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri:*

3,4 De Filio ipsius, qui in tempore natus est è stirpe Davidica juxta carnis infirmitatem, sed idem declaratus est æterni Dei æternus esse Filius juxta Spiritum omnia sanctificantem: declaratus autem cum aliis permultis argumentis, tum præcipue ex eo, quod ipse, devicta morte, resurgens è mortuis, omnibus in ipso renatis, resurrectionis princeps & auctor factus est Jesus Christus Dominus noster;

5 *Per quem accepimus gratiam, & Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine ejus,*

5 Per quem nos non solum hanc gratiam, quam Legis observatio conferre non poterat, sumus assecuti, verum etiam Apostolicam functionem, quo quemadmodum per alios Apostolos inter Judæos divulgatum est Euangelium Christi, ita per me prædicetur inter Gentes quascunque: non ut involvantur Legis oneribus, sed ut sese fidei de Christo prædicatæ submittant, & huic innitantur, non inani Philosophorum sapientiæ:

6 *In quibus estis & vos vocati Iesu Christi:*

6 De quarum Gentium numero estis vos quoque, quantum ad genus attinet, cæterum adoptione adsciti in jus & cognomen Jesu Christi, ne jam Sectarum aut Regionum vocabula vos dirimant, cum communis sit omnium adoptio.

7 *Omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis. Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.*

7 Quotquot igitur estis Romæ Deo cari, & à pristinis vitiis ad sanctimoniam vitæ vocati, gratiam vobis opto pacemque: non quam mundus hic vulgato more solet precari, sed veram novamque gratiam, hoc est, gratuitum donum Euangelicæ fidei vere justificantis, & per hanc penitus abolitis omnibus vitæ præteritæ commissis, securæ jam conscientiæ pacem, stabilemque amicitiam cum Deo: quæ duo non præstant vel humanæ sapientiæ vires, vel Mosaicæ Legis observatio, sed omnibus proficiscuntur à singulari munificentia Dei Patris, & hujus Filii, Domini nostri Jesu Christi.

8 *Primum quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis: quia fides vestra annuntiatur in universo mundo.*

8 Atque in primis quidem gratias ago Deo Patri, vestro omnium nomine, qui per Filium Christum hoc vobis largitus est, ut qui antehac eratis increduli, nunc fides vestra celebretur, prædiceturque toto terrarum orbe.

9 *Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo in Euangelio filii ejus, quod sine intermissione memoriam vestri facio*

9, 10 Quæ sane res pro meo erga vos amore non potest non esse gratissima. Testis enim est mihi Deus ipse Pater, quem nunc solutus Mosi Lege colo, non crassis illis & corporalibus ceremoniis, sed spiritu meo, prædicans Euangelium Filii ipsius, (nam hic illi gratissimus est cultus) quod semper citraque omnem intermissionem mentionem vestri faciam, in precibus meis, deprecans illum, si qua fieri possit, ut quod jam diu desidero, tandem aliquando contingat, ita volente Deo, ut prospero itinere feliciter veniam ad vos.

10 *Semper in orationibus meis: obsecrans, si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos.*

11 *Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos:*

11, 12 Magno siquidem teneor desiderio videndi vos, non mei compendii gratia, sed ut muneris aliquid vobis impartiam, non Mosi crassum, sed Christi spirituale: quo magis etiam confirmemini in eo quod instituistis, sive ut melius dicam, ut mutua sit utriusque nostrum consolatio, dum & ipse vobis de vestra fide, & vos mihi vicissim de mea gratulabimini: atque ita fiet, ut exhortatio mutua vestram simul ac meam fidem corroboret, fulciatque.

12 *Id est, simul consolari in vobis, per eam quæ invicem est, fidem vestram atque meam.*

13 *Nolo autem vos ignorare fratres: quia sæpe proposui venire ad vos, (& prohibitus sum usque*

13 Id quo minus sit factum hactenus, per me quidem haudquaquam stetit. Imo nolim vos illud latere fratres, mihi frequenter in animo fuisse vos invisere, verum ad hunc usque diem non licuit per impedimenta, quæ inciderunt: ob hoc autem causæ vos tantopere cupiebam invisere, ut inter vos quoque nonnihil fructus reportarem, quemadmodum in cæteris Nationibus antehac feci: neque enim hanc Euangelii prædicandi operam, à Deo mandatam, huic aut illi Genti proprie debeo, sed ut ille Deus est ex æquo omnium, ita Christi Euangelium æque ad omnes pertinet. Euangelium autem voco, justificationem per fidem in Jesum Christum Filium Dei, quem Lex promisit & præfiguravit.

14 Itaque non Græcis modo, verum etiam Barbaris, non sapientibus & eruditis tantum, sed rudibus quoque & illiteratis operam hanc debeo, quisquis fuerit ille, qui non rejiciat & aversetur.

15 Proinde quod ad me quidem attinet, gestit animus, & vobis, qui Romæ agitis, Euangelium prædicare.

16 Nec

adhuc) ut aliquem fructum habeam & in vobis, sicut & in ceteris gentibus. 14 *Græcis ac Barbaris: sapientibus & insipientibus debitor sum:* 15 *Ita (quod in me) promptum est & vobis, qui Romæ estis, euangelizare.*

Digitized by Google

16 *Non enim erubesco Euangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primum, & Græco.*

17 *Iustitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem: sicut scriptum est: Iustus autem ex fide vivit.*

18 *Revelatur enim ira Dei de cælo, super omnem impietatem & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent:*

19 *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit.*

20 *Invisibilia enim ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas: ita ut sint inexcusabiles.*

21 *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum:*

22 *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.*

23 *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.*

24 *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis:*

16 Nec enim hinc me deterret Imperii Romani majestas, neque pudendam mihi duco functionem, si prædicem Euangelium Christi. Nam ut impiis & incredulis res ridicula frivolaque videtur hoc Euangelium, ita quisquis crediderit, huic virtus est Dei efficax ad conferendam salutem, vereque tranquillandam conscientiam, quod nec Judæorum traditiones, nec vestra Philosophia, opesve conferre queant. Ea vis cum æque valeat omnibus, tamen ita ut jussit Dominus honoris causa primum Judæis oblata est, mox in Græcos & omnes orbis nationes propaganda per Euangelii præcones, ut omnes pariter & suam agnoscerent injustitiam, & Dei quærerent justitiam, sive Scythæ sint, sive Britanni. Procul autem abest à salute, qui aut morbum suum non intelligit, aut unde petendum sit remedium, ignorat.

17 Cum enim antehac aliis in rebus alii sitam esse justitiam existimarent, nunc Euangelio Christi palam fit omnibus justitia, non Mosi, sed ipsius Dei, quæ non sita sit in superstitioso cultu simulacrorum, aut legalibus Judæorum ceremoniis, sed ex fide contingat, dum agnoscunt homines, id nunc præstare Deum, quod olim ore Prophetarum suorum promiserat. Quemadmodum & Abacuc prædixit: *Justus*, inquiens, *meus ex fide victurus est.*

18 Nam cum hactenus plerique mortales impune, ac ceu connivente Deo peccarint, nunc palam è cœlo declarat iram suam, merito accensam, adversus omnes homines, quocunque modo impios & injustos, etiam istos, qui à Mosaica Lege sunt immunes: eo quod veritatem utcunque cognitam non accommodarunt ad pie sancteque vivendum, sed perseverarunt in vitiis, cumque plus saperent quam vulgus hominum Deum ignorans, nihilo tamen minus impii fuerunt illis.

19 Totus quidem ut est Deus, humano ingenio cognosci nequaquam potest, cæterum quod in humanam cadit cognitionem, id illi sunt assecuti, quamquam hoc ipsum illi debent. Neque enim assecuti fuissent, nisi Deus hoc illis aperuisset.

20 Aperuit autem si non Prophetarum libris, quibus Judæis modo locutus videbatur, certe totius hujus fabricæ mundanæ miraculo. Quamvis enim invisibilis est ipse Deus, tamen intellectu conspicitur in hoc mundo tam mirifice condito ac tam mirifice administrato. Cujus licet initium aliquod præcesserit, & finis secuturus sit, tamen ex hujus opificio perspicitur conditoris virtus, quæ nec initium ullum novit, neque finem est habitura, quin ipsius etiam Divinitas, qua semper in seipso summus fuit etiam ante conditum mundum, ne quid haberent, quod prætexant impietati suæ.

21 Etenim cum Deum esse cognoscerent, haud tamen ut Deo honorem habuerunt, velut omnium Principi: neque gratias egerunt, velut omnium bonorum auctori, cui hoc ipsum scientiæ ferri acceptum oportuit, quo tumebant: sed inanis aura gloriæ turgidi, vanique facti, frustrati sunt cogitationibus suis, & arrogantiæ nebula obtenebratum est insipiens cor eorum:

22 Atque hoc ipso stulti & indocti sunt facti, quod se jactarent esse sapientes & eruditos.

23 Vide autem quo cæcitatis, quoque stultitiæ deventum est. Adulterarunt majestatem immortalis Dei, adumbrata imagine mortalis hominis: nec hominis modo, verum etiam volucrum, quadrupedum, & serpentium.

24 Atque ob hunc prodigiosum Dei cultum, passus est eos ire præcipites, ut animi sui cupiditatibus obsequentes, eo prolaberentur turpitudinis ac spurcitiæ, ut ipsi inter sese dedecorarent corpora sua, probriisque afficerent.

25 Nec injuria in hæc vitiorum portenta prolapsi sunt, qui Deum cognitum, ob animi fastum tam portentose colerent, ut qui pro vero Deo mendacem & arte confictam Statuam adorarunt, ac præpostere res conditas venerati sunt, coluerunt que supra eum qui condidit omnia, contumeliosi in Deum, qui solus laude ferendus est, & hoc honoris solus apud homines meretur in omne ævum, Amen.

26 Has, inquam, ob causas offensus Deus, passus est eos prolabi in cupiditates fœdas ac probrosas. Neque enim ipsi solum, verum etiam fœminæ illorum, oblitæ sexus sui, naturalem fœminei corporis usum mutaverunt in eum, qui præter naturam est.

27 Nimirum exemplo masculorum, qui, ut dixi, relicto naturali usu fœminarum, mutuis cupiditatibus inter ipsos deflagrarunt, adeo ut mas in marem abominandam turpitudinem patraret. Atque his modis contumelia in Deum admissa, in ipsos recidit, dignum amentiæ præmium.

28 Nam quemadmodum ipsis non est visum, Deum cognitum agnoscere, præque oculis habere: ita vicissim passus est eos Deus suis tenebris excæcatos, abire in mentem reprobam, idque eo usque, ut patrarent flagitia ejusmodi viris vehementer indigna:

29, 30, 31 Quanquam & alias omni genere scelerum operti, scortatione, avaritia, versutia, undique contaminati livore, cæde, contentione, dolo, malitia: malis præditi moribus, susurrones, obtrectatores, Numinis osores, feroces, superbi, fastuosi, scelerum inventores, parentibus immorigeri, expertes intelligentiæ, incompositi, vacantes omni pietatis affectu, nescii fœderis, immisericordes.

32 Hi cum Deum esse sciant, eundemque summe justum esse sciant, unde necesse sit eos, qui patrant ejusmodi flagitia, dignos esse morte: non solum ipsi committunt eadem, verum etiam aliis ea committentibus assentientes, indoctis peccandi fiunt auctores.

25 *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium: & coluerunt, & servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen.*

26 *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum qui est contra naturam.*

27 *Similiter autem & masculi, relicto naturali usu fœminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes.*

28 *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia: tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt,*

29 *Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones,*

30 *Detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes,*

31 *Insipientes, incompositos, sine affectione, absque*

CAP. II.

Bis malus est damnans quod agit: distinctio nulla: Intus non foris est lex tua, doctor iners.

NEC ita magni refert, quod hæc flagitia Philosophi verbis detestantur, Magistratus lege prohibent ac puniunt. Assentitur enim quisquis imitatur. Quas ob res nihil habes quo te excuses, quisquis es hominum, qui tibi placens, alterum judicas. Imo dum alterum judicas, hoc ipso teipsum condemnas: quandoquidem judex eadem committis, quorum nomine damnas alium. Cumque simili culpæ sis obnoxius, in teipsum pronuntias sententiam, dum in alterum pronuntias.

2 Hominibus imponi potest, horum judicium fortassis effugies, qui conjecturas ac speciem veri sequentes, pronuntiant, cæterum arcana mentis non perspiciunt. At Deus, cujus oculis conspicua sunt omnia, non juxta speciem, sed juxta veritatem sententiam feret adversus eos, qui patrant ejusmodi flagitia, quæ modo recensuimus.

3 An tibi usqueadeo blandiris ô homo (se putet appellari, quisquis sibi conscius est) dum judicas ejusmodi vitiis obnoxios, ut existimes effugere te posse judicium Dei, cum ipse committas eadem? cumque tibi pœnas det homo homini, te non daturum pœnas Deo? & elaberis ab illius judicio, cum tuum judicium homines non possint effugere?

4 An

fœdere, sine misericordia. 32 *Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* 1 *Propter quod inexcusabilis es ô homo omnis, qui judicas. In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis quæ judicas.* 2 *Scimus enim quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt.* 3 *Existimas autem hoc ô homo, qui judicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies judicium Dei?*

Digitized by Google

4 An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?

4 An Dei lenitas tibi ſpem facit impunitatis, & ob immenſam & exuberantem bonitatem ſuam, quodque pœnam differens multa toleret, tibi venit in contemtum, quaſi vel ad commiſſa conniveat, vel faveat etiam maleficiis? Nec intelligis hanc divinam in te lenitatem, haud quidem impunitatem polliceri nocentibus, ſed blande invitare ad pœnitentiam ac reſipiſcentiam, ut beneficiis illius obrutus, incipias tandem tibi diſplicere.

5 Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei,

5 Cæterum tute Dei in te manſuetudinem ipſe tibi vertis in cumulum damnationis tuæ. Dum enim obſtinata mente, quæ nullis rationibus ad pœnitentiam queat emolliri, Deum ad meliora provocantem adſpernaris ac repellis, recondis & accumulas tibi theſaurum iræ divinæ. Quæ etſi in præſentia ſeſe nondum proferat, tamen aliquando ſentietur: nimirum in tremendo illo die, cum jam conſumta lenitate, hoc ſeverius afficientur ſuppliciis impii, quo contumacius rejecerunt ad meliora provocantem Dei manſuetudinem: cumque in conſpectu omnium aperietur juſtum Dei judicium;

6 Qui reddet unicuique ſecundum opera ejus:

6 Qui nequaquam hominum more judicabit aut errans, aut favens, ſed ut incorruptiſſimus, & omnium conſcius judex, quique pro ſuis factis præmium reponet, alteris quidem vitam æternam:

7 Iis quidem, qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam:

7 Nempe his, qui nunc freti promiſſis Euangelicis perſeverant in piis operibus, ambiuntque non caduca, vanaque vitæ præſentis commoda, ſed vitam in cœlis æternam, pro temporaria ignominia dabit ſempiternam gloriam, pro contemtu honorem, pro neglecta corporis vita immortalitatem.

8 Iis autem, qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.

8, 9 Alteris rurſus, qui perverſe contentioſi maluerunt injuſtitiæ, quam veritati obtemperare, digna factis merces erit, nimirum indignatio, iraque divina, atque hinc afflictio, animique anxietas: eaque pœna manet ex æquo mortales omnes quicunque peccarunt, ſed in primis Judæum & Græcum, ut primas teneant in pœnis, quibus primum oblata eſt Dei benignitas.

9 Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum, & Græci:

10 Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Judæo primum, & Græco:

10 E diverſo gloria, honor, & pax, ex æquo rependetur omnibus, quicunque per fidem bene vixerint, ſed in primis Judæo, mox Græco, dein Barbaris omnibus.

11 Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum.

11 Nec enim eſt apud Deum ullus perſonæ reſpectus, quemadmodum apud homines judices ſolet, ſed is idem pariter & æquus eſt omnibus.

12 Quicumque enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt: & quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.

12 Proinde quicunque peccaverunt exleges, exleges item peribunt: & quicunque lege accepta peccaverunt, per legem judicabuntur.

13 Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur.

13 Neque enim ſatis eſt audiſſe legem, ut juſtus habearis apud Deum, ne quid hoc nomine tibi blandiaris, Judæe: ſed qui factis ac moribus legem exprimunt, præſtantque, hi denique judice Deo juſti habebuntur. Amplectitur Deus, approbatque benefacta, etiamſi nulla ſit lex, & magis averſatur eos, qui cum legem habeant, legi non obediunt, quanquam nullis omnino deeſt lex.

14 Cum enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex:

14 Etenim cum Nationes à Lege Moſaica alienæ, ultro naturæ ductu, quæ lege jubentur, faciunt, quamvis nullo Legis Moſaicæ præſcripto moneantur, tamen ipſi ſibi legis vice ſunt;

15 Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus:

15 Propterea quod rem legis exprimunt, non tabulis, ſed ipſis mentibus inſculptæ, & quicquid apud eos, qui ſub lege vivunt, geri ſolet apud tribunal, hoc in iſtorum pectore geritur, dum pro te, aut adverſum te teſtimonium dicit conſcientia: dumque altercantes inter ſe cogitationes, viciſſim accuſant ac defendunt.

16 In die, cum judicabit Deus occulta hominum, ſecundum Euangelium meum, per Jeſum Chriſtum.

16 Secundum hæc igitur judicabit illos Deus olim, cum quod nunc occulte fit in præcordiorum latebris, tum propalam fiet ſub oculis omnium, pronuntiante eo, cui nihil eſt occultum. Verum, hoc judicium aget Deus per Chriſtum Filium, nunc Dominum ac Servatorem, olim judicem futurum totius humani generis. Atque hæc quidem Euangelii, quod vobis prædico, pars eſt, ne quis fabulam aut ſomnium eſſe putet.

17 Si autem tu Judæus cognominaris, & requieſcis in lege, & gloriaris in Deo,

17, 18 Quid eſt igitur quod tibi Legis nomine placeas, Judæe? En tu Judæi cognomento tibi placens, ac Legis à Deo proditæ privilegio fretus, Deum velut auctorem tuæ religionis jactas, cujus animum voluntatemque ſcias ex ſacris Litteris ab eo profectis, ac magiſterio Legis edoctus, ut non ſolum ipſe dignoſcas, quæ fugienda, quæ expetenda ſint, quæque in bonis præcipua,

18 Et noſti voluntatem ejus, & probas utiliora, inſtructus per legem,

19, 20 Verum etiam confidas te cæcis eſſe ducem poſſe, ac prælucere iis qui in tenebris verſantur, hoc eſt, doctorem eſſe poſſe ſtultorum, atque eruditorem parum ſapientium, quod hoc tibi præſtiterit Lex, ut formam, vitæque præſcriptum, ac veri normam teneas, num ob id in Euangelii gratia Ethnico præferendus es? Non opinor, imo Lex facit, ut deteriorem etiam cauſam ſis habiturus apud tribunal Dei, niſi ſecundum Legem, de qua gloriaris, vitam inſtitueris. Itaque ſcientia, quam jactas, in te retorquebitur.

19 Confidis teipſum eſſe ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris ſunt,

20 Eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium, habentem formam ſcientiæ & veritatis in lege.

21 Quid ergo alium doces, teipſum non doces: qui prædicas non furandum, furaris:

21 Quid enim mihi te jactas, Legis oſtentator? qui alterum doces, teipſum non doces? Qui prædicas non eſſe furandum, ipſe furtum committis?

22 Qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, ſacrilegium facis:

22 Qui denuntias vitandum eſſe adulterium, ipſe committis adulterium? qui ſimulachrorum cultum exſecraris, ipſe ſacrilegio pollueris?

23 Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras.

23 Qui de Lege Deo auctore data temetipſum apud homines jactitas ac venditas, idem tranſgrediendo Legem, Deum Legis auctorem dedecoras ac dehoneſtas, & unde tibi gloriam aucuparis apud alios, hoc illi vertis in probrum, cui ſoli omnis debetur gloria?

24 (Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter Gentes, ſicut ſcriptum eſt.)

24 Quid enim eſt iſtud aliud, quam dehoneſtare Deum, quod quidem in te eſt? nam ad ipſum nulla pervenit ignominia. De talibus enim & olim queſti ſunt ſacri Vates, nominatim autem Eſaias & Ezechiel. Nomen, inquiunt, Dei per vos male audit, ac probris afficitur, & ignominioſum habetur veſtra culpa inter gentes idolis deditas, dum Dei Legiſque titulo gloriantes, impie vivitis.

25 Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerves: ſi autem prævaricator legis ſis, circumciſio tua præputium facta eſt.

25 Neque enim ſatis eſt Judæum eſſe natum, aut in Judæorum religionem cooptatum eſſe: ſed eatenus profuerit tibi circumciſio, ſi id præſtes, cujus gratia data eſt circumciſio, ſique vita præſtes, quod ceremoniis profiteris. Alioqui ſi Legem tranſgrederis, nihil conferet circumciſum eſſe, cum apud Deum perinde ſit, quaſi præputium habeas incircumciſum.

26 Si igitur præputium juſtitias legis cuſtodiat: nonne præputium illius in circumciſionem reputabitur?

26 Jam quemadmodum tibi circumciſio vertitur in præputium, niſi reliqua item Legis edicta præſtes, quæ ad bonos mores faciunt: ita nihil oberit Ethnico præputium, imo pro circumciſo habebitur ipſi Deo, ſi ignoratis & neglectis Legis ceremoniis ea præſtet, in quibus ſumma Legis finiſque ſitus eſt, videlicet integram puramque vitam: ſique Chriſto, qui legum omnium eſt ſumma, fidat & obtemperet.

27 Et judicabit id quod ex natura eſt præputium, legem conſummans, te, qui per litteram & circumciſionem prævaricator legis es?

27 Imo non ſolum æquabitur tibi hac in parte, quin etiam præferetur, ut hoc ipſo te melior habeatur, quod circumciſionem neſciat: ideoque hujus innocentia damnabiliorem oſtendet tuam impietatem, quod is alienus à Legis profeſſione, Legis tamen finem ac mentem vita exprimat, cum tu verbis ac ſyllabis Legis innitens, & circumciſionis nota Legem profeſſus, violes id, quod eſt totius Legis caput Chriſto reclamans.

28 Non enim qui in manifeſto, Judæus eſt: neque

28 Apud Deum, qui non ex corporeis notis, ſed animi pietate judicat, Judæi nomen amiſiſti, niſi Ju-

quæ in manifesto, in carne est circumcisio:

Judæi professionem præstiteris. Neque enim Judæus est, quisquis manifestam Judaismi notam corpore circumfert: neque hic circumcisus est, quisquis præputii pelliculam habet amputatam:

29 Sed qui in abscondito, Judæus est: & circumcisio cordis in spiritu, non littera: cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.

29 Sed is demum Judæus est, qui intus & in animo Judæus est, quem ille solus inspicit, & hinc æstimat omnes. Is demum circumcisus est, qui cor habet circumcisum potius quam genitale membrum, non saxo insculptis litteris fretus, sed spiritu ac mente Legis. Etenim cui caro est tantum circumcisa, apud homines quidem ut Judæus gloriari potest: cæterum quem animus à vitiis purgatus, & pronus in Christum vere Judæum reddidit, ut fraudetur sua laude apud mortales, certe Deus hunc agnoscit & approbat, cujus calculo comprobari, solida felicitas est.

CAP. III.

Conditio Iuda præstat: peccavimus omnes: Restituitque Deo nos sine lege fides.

1 Quid ergo amplius Judæo est? aut quæ utilitas circumcisionis?

1 SED dixerit hic quispiam, si summa rei pendet à pietate vitæ & innocentia morum, ac fide in Christum, quid igitur reliquum sit Judæo, quo præcellat Ethnicum: aut quid omnino retulit circumcisum fuisse, si pietas & fides æquat circumcisum & incircumcisum, imò si circumciso, Judæi peccantis causam facit deteriorem?

2 Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei.

2 Quod ad Euangelii gratiam attinet, nihilo potior est Judæorum quam Gentium conditio. Attamen aliquo respectu magni refert omnino Judaicæ gentis esse. Primum enim hoc nomine jure illis gloriari licet, quòd his proprie commissa sunt verba Dei, sive quod his peculiariter Lex & Prophetiæ proditæ sunt, sive quod his solis Deus loqui dignatus est. Primum magnificum est, hoc honoris habitum fuisse à Deo ei Genti, deinde multo præparatior videtur ad fidem Euangelicam, qui Legis promissa tenet: & vero propior est, qui veri tenet imaginem. Si quidem Mosi Lex & Prophetarum oracula gradus est ad Euangelicam Christi doctrinam.

3 Quid enim si quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Absit.

3 Neque enim credentibus officit, si nonnulli litteris Legis male addicti credere noluerunt Euangelio. Num istorum incredulitas fidem divinorum promissorum redditura est irritam, ut hominum more offensus pacta rescindat, & nulli præstet quod omnibus ex æquo promissum est?

4 Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax, sicut scriptum est: Ut justificeris in sermonibus tuis: & vincas cum judicaris.

4 Absit hoc, quin potius ita futurum est, ut nemini non præstetur promissum, nisi qui rejecerit oblatum, ut jam promissoris fidem incusare non possit, ut appareat Deus verax, qui cum mentiri nesciat, paratus sit exsolvere quicquid est pollicitus. Cæterum mendacium ab ipsis hominibus proficisci, qui suapte culpa frustrantur promissis Dei. Deus nec falli potest, nec fallere. In hominem utrumque competit quatenus homo est. Nam Dei fidem certissimam esse testatur & Psalmus mysticus David: Ut in dictis, inquiens, tuis appareas justus & verax, & ipsa re vincas, quoties ut vanum pollicitatorem te incusabunt homines, suspicantes fore, ut ob meum scelus non præstes, quod genti Davidicæ pollicitus es. Merebar ipse frustrari promisso, sed refert tamen fidem ac veritatem tuam ita commendatiorem ac testatiorem fieri mortalibus meo peccato, si conspexerint te ne tanto quidem admisso offensum vertisse sententiam.

5 Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus est Deus, qui infert iram? 6 (Secundum hominem dico.) Absit: alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum?

5 At hîc alicui forsitan in mentem venerit. Si Dei justitia commendatior spectatiorque redditur hominum injustitia, quid sentiendum est? Deum iniquum esse, qui velit exsistere peccatum, quo magis eluceat sua justitia?

6 Jam enim non meis, sed impiorum hominum verbis loquor. Sed absit, ut hæc cogitatio pio homini unquam in mentem veniat. Alioqui quo pacto Deus erit judex summus hujus mundi, si iniquus est?

7 Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius: quid adhuc & ego tanquam peccator judicor?

7, 8 Nam si id à Deo procuratum est, ut ego sim mendax, quo per meam mendacitatem veritas illius reddatur illustrior, meumque probrum cedat in gloriam ipsius, cur mihi peccatum meum imputatur, ac non potius ita cogitamus, quemadmodum maledici nos calumniantur, sic interpretantes, quasi nos ita loquamur: *Faciamus mala, ut* hinc *eveniant bona*, siquidem per nostram injustitiam commendabilior facta est Dei justitia. Sed procul avertat Deus hanc cogitationem à piis animis. Nam isti jure meritoque damnantur ob incredulitatem, quoniam ut Deo non possunt imputare peccatum suum, cujus ipsi sua sponte sunt auctores: ita nihil gratiæ debetur eis, si quod ipsi suo vitio peccant, Deus sua bonitate vertit in gloriam suam.

8 Et non (sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala ut veniant bona: quorum damnatio justa est.

9 Quid ergo? præcellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus, Judæos & Græcos omnes sub peccato esse,

9 Sed ut ad rem redeam: quid dicemus? Num Judæi potiores sumus Ethnicis? Nequaquam. Sane quantum ad Euangelii gratiam attinet, etiamsi prærogativa Mosaicæ Legis videamur priores. Jam enim argumentis docuimus, Judæos pariter & Græcos omnes culpæ obnoxios esse.

10 Sicut scriptum est: Quia non est justus quisquam:

10 De Gentibus quidem manifestius est, quam ut negari possit. De Judæis autem testantur & ipsorum Psalmi. Sic enim scriptum est Psalmo XIII. *Non est justus quisquam:*

11 Non est intelligens, non est requirens Deum.

11 Non est qui intelligat, aut exquirat Deum:

12 Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

12 Omnes defecerunt, pariter inutiles facti sunt, non est qui exerceat probitatem, non est, inquam, vel unus.

13 Iterum Psalmo V. *Sepulchrum apertum est guttur eorum, linguis suis ad dolum usi sunt, venenum aspidum sub labiis eorum.*

13 Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant: Venenum aspidum sub labiis eorum:

14 Atque item Psalmo IX. *Quorum os exsecratione & amarulentia plenum est.*

14 Quorum os maledictione, & amaritudine plenum est:

15, 16, 17, 18 Et his consentiens Esaias Cap. LIX. *Veloces pedes illorum ad effundendum sanguinem, contritio & calamitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt, non est timor Dei sub oculis eorum.*

15 Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: 16 Contritio, & infelicitas in viis eorum: 17 Et viam pacis non cognoverunt: 18 Non est timor Dei ante oculos eorum.

19, 20 Neque causari licet, hæc ad Judæos non pertinere: cum palam sit, quicquid Lex loquitur, ad eos potissimum attinere, quibus ea data est, & ob hoc habet magis obnoxios. Atque id sane non alio consilio factum est, nisi ut ex æquo mortalibus omnibus os obstruatur, totusque terrarum orbis declaretur pariter obnoxius Deo, quando nec Mosi Lex juxta litteram observata quenquam omnino mortalium potest justum & innocentem reddere judicante Deo, cui nisi justus sis, frustra hominibus habeare justus. Sed dixeris: Quis igitur usus Legis, si per hanc non contingit homini justitia? Certe in hoc profuit, quod per eam suum quisque peccatum magis agnoscit. Est nonnullus ad sanitatem gradus, morbum suum intelligere.

19, 20 Scimus autem, quoniam quæcumque lex loquitur, iis, qui in lege sunt, loquitur: ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo: 20 Quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati.

21 Porro sicut Legis partes erant antehac, prodere peccatum hominum prius minus evidens: ita nunc per Euangelium declarata est justitia, quæ Mosaicæ Legis adminiculo non egeat, tametsi testata est eam Lex & Prophetæ.

21 Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est; testificata à lege & Prophetis.

22 Justitia, inquam, non legalis, sed Dei, id, que non per circumcisionem aut Judaicas ceremonias, sed per fidem ac fiduciam erga Jesum Christum, per quem unum vera justitia confertur, non Judæis modo, aut his, aut illis Nationibus, sed citra delectum, omnibus & singulis, quicunque illi fidem habuerint.

22 Justitia autem Dei per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum: non enim est distinctio:

23, 24 Sicut enim communis est omnium morbus, & omnes pariter huc reciderunt, ut apud Deum de sua justitia gloriari non possint, ita eodem è fonte petenda cunctis justificatio, quæ quidem haud re-

23 Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei. 24 Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu,

Digitized by Google

penditur ceu debita merces obſervatæ Legis Moſaicæ, ſive etiam naturæ, ſed gratis donatur beneficentia divina, non per Moſen, ſed per Jeſum Chriſtum, cujus ſanguine redemti ſumus à tyrannide peccati.

25 Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum.

25 Erat quidem olim Judæis ſuum propitiatorium, videlicet umbra typuſque futuri: cæterum hunc omnibus nunc verum propitiatorium eſſe declaravit, quo prius noſtris commiſſis inviſi, nunc reconciliemur Deo, non per ſanguinem pecudum, velut apud Judæos, ſed per ipſius Chriſti ſacroſanctum ſanguinem, omnia omnium crimina diluentem: hoc pacto declarans hominibus ſuam juſtitiam, dum ita per Filium ſuperioris vitæ condonat errata, ut nolit eos poſthac in vitia recidere.

26 In ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem juſtitiæ ejus in hoc tempore: ut ſit ipſe juſtus, & juſtificans eum, qui eſt ex fide Jeſu Chriſti.

26 Nec ideo condonat, quod illi meruerint, ſed quod ipſe promiſerit. Nec ideo paſſus eſt hucuſque peccantes homines, quod illorum vitia vel neſciret, vel probaret, ſed ut hoc præfinito tempore palam faceret ſuam juſtitiam, ut appareat ipſum eſſe naturaque vereque juſtum ex ſeſe, & unicum humanæ juſtitiæ auctorem, idque promiſcue omnibus quicunque fidem habuerint Euangelio Jeſu Chriſti. Dic igitur Judæe, ubi gloriatio tua?

27 Ubi eſt ergo gloriatio tua? Excluſa eſt. Per quam legem? Factorum? Non: ſed per legem fidei.

27 Nimirum ademta eſt tibi, poſteaquam divina voluntas omnes orbis nationes æquat in negotio Euangelii. Defertur & Gentibus ſalus ac juſtitia. At per quam tandem legem? Num veterem illam Moſaicam, quæ ceremonias præſcribit? Nequaquam, imo per novam legem, quæ nihil exigit niſi fidem erga Filium Dei.

28 Arbitramur enim juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.

28 Exiſtimamus enim, id quod res eſt, poſthac quemvis hominem per fidem juſtitiam conſequi poſſe, etiamſi Moſaicæ Legis præſcripta non ſervet. Lex illa peculiaris erat Genti Judaicæ, verum, hoc beneficium Euangelicæ gratiæ ab ipſo Deo proficiſcitur in univerſos.

29 An Judæorum Deus tantum? nonne & Gentium? Immo & Gentium.

29 An vero Deus Judæorum tantum Deus eſt? Nonne idem æque & Gentium Deus eſt? Dubium non eſt quin ex æquo communis ſit Gentium ac Judæorum.

30 Quoniam quidem unus eſt Deus, qui juſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.

30 Porro cum unus, idemque ſit omnium Deus, par eſt & donum illius omnium eſſe commune. Itaque non eſt alius, qui juſtificat circumciſum, à fide Legis ſervatorem promittentis, ad fidem Euangelii promiſſum exhibentis traducens: alius qui juſtificat incircumciſum, à cultu ſimulacrorum ad communem fidem vocans.

31 Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit: ſed legem ſtatuimus.

31 Verum, hîc dixerit Judæus quiſpiam: Quid ais Paule? Si verum eſt quod ais, omnia nunc per fidem præſtari, Moſi Legem prorſus otioſam & inutilem facis Judæis. Bona verba. Imo adeo non abolemus Legem, aut labefactamus, ut eam etiam confirmemus, ſtabiliamuſque, id prædicantes factum, quod Lex futurum promiſerat, cumque nuntiantes, in quem ceu ſcopum ſumma Legis ſpectabat. Neque enim id aboletur, quod in meliorem reparatur ſtatum: non magis quam ſi defluentibus arborum floribus ſuccedat fructus, aut umbræ ſuccedat corpus.

CAP. IV.

Datque fides vitam: quam circumciſio ſignat:
Hæc facit hæredes: hac nitet Abra pater.

1 Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem noſtrum ſecundum carnem?

ALIOQVI ſi quis hunc Legis Moſaicæ ſtatum, ut nunc eſt craſſæ & carnalis, mordicus tenere pergat, & hujus fiducia cæteris ſalutis adipiſcendæ ſpem oſtendat, huic ego proponam non quemvis Judæum, ſed ipſum Abraham, circumciſionis principem, quo ſtirpis auctore præcipue gloriatur & jactat ſeſe gens univerſa Judæorum. Quanquam is quidem, quod ad carnalem attinet cognationem, ſic Judæorum pater eſt, ut non minus tamen pater ſit omnium, quicunque illum fidei ſimilitudine referunt, hoc eſt, animi imagine reddunt, non corporis. Nam circumciſio, quæ, ut dixi, primum prodita eſt in Abraham, totius Moſaicæ Legis ceu pignus eſt ac ſignaculum, &, ut ita dicam, peculiare ſymbolum, quo Judæi, Judæi ſunt. Diſpiciamus igitur, quid is ſit conſecutus, & qua ratione ſit conſecutus.

2 Si enim Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum.

2 Primum enim huic contigiſſe juſtitiæ laudem teſtantur divinæ Litteræ. Quod ſi ea laus illi contigit ex circumciſione, aut cæteris hujuſmodi, quæ Moſi Lex præſcribit obſervanda, habet ille quidem quod glorietur, verum apud homines, non item apud Deum. Quare apud homines? Nimirum quod ex rebus corporeis, de quibus homines judicant. Quare non apud Deum? Quia non ex commendatione fidei, quæ nos Dei commendat oculis. Sed Abraham conſequutus eſt juſtitiæ laudem apud ipſum Deum. Igitur non ex obſervatione præſcriptorum Legis eam eſt conſecutus, ſed ex eadem fide, per quam nunc omnibus Judæis ſimul & Gentibus eſt laus eadem ambienda, videlicet vere filiis Abrahæ.

3 Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo: & reputatum eſt illi ad juſtitiam.

3 Non habeant pondus quæ dico, niſi id clariſſime ſacræ Litteræ pronuntiant. Sic enim legis in libro Geneſeos Capite XV. *Credidit Abraham Deo, & ea credulitas imputata eſt illi ad juſtitiam.* Promiſerat Deus poſteritatem ſtellarum numero parem ei, cui & uxor eſſet ſterilis, & nullus adhuc hæres exſtitiſſet. Ille nihil cunctatus fidem habuit pollicenti, non conſiderans quale eſſet quod promittebatur, ſed quis eſſet promiſſi auctor: ſtatimque ob fiduciæ meritum juſtus eſt habitus, non ex circumciſione, quam nondum acceperat, ſed ex credulitate: & habitus eſt utique non apud homines, ſed apud Deum, quo uno teſte hoc negotii tum agebatur, & à quo illi hoc imputatum eſt ad juſtitiam, cum Legis Moſaicæ juſtitias non præſtitiſſet.

4 Ei autem qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum.

4 Nam imputari, ſive acceptum ferri, proprie dicitur, quod re perſolutum non eſt, ſed tamen ex imputantis benignitate pro ſoluto habetur. Quod ſi ipſe Abraham Patriarcha non aſſecutus eſt juſtitiæ laudem merito circumciſionis, ſed ante circumciſionem commendatione fidei, quid eſt quod Legis ſuæ ceremoniis fidat Judæus, cui Lex hæc ad tempus eſt data? At multo minus Ethnicus, cui Lex ea data non eſt. Nam Judæo, Legis ceremoniis obnoxio, ſi quid præmii rependitur obſervanti Legem, velut ex pacto debitum rependi videtur, potius quam ex conferentis favore: rurſum ſi quid pœnæ infligitur non obſervanti, ipſius merito infligitur. Siquidem ut accipit dimenſum ſuum ſervus, qui penſum operis abſolvit: ita flagris emendatur, qui officii ſui non meminit.

5 Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam ſecundum propoſitum gratiæ Dei.

5 Cæterum Gentibus, quæ Legis ceremonias neſciunt, aut Judæis etiam qui à Legis ſervitute ad Chriſti fidem deſciſcunt: nec jam operantur, velut ex præſcripto, ſed pure ſimpliciterque fidunt illi, qui gratis perfectam juſtitiam confert, etiam impiis, quorum univerſa ſcelera, ſua morte ſuſtulit: his, inquam, ad exemplum Abrahæ fides hoc præſtat, ut pro juſtis habeantur nulla Legis obſervatæ commendatione, ſed ſolius fidei, ad quam nemo cogitur, ſed invitantur omnes: ut voluntatis ſit, non ſervitutis, quod in Chriſtum credimus, gratiæ, non debiti ſit, quod in juſtorum numerum per illum aſſerimur.

6 Sicut & David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert juſtitiam ſine operibus:

6 Pro nobis facit & David ille Propheta Regius, & Rex Propheticus, prima ſecundum Abraham Judaicæ gentis gloria, & in quo nobis præcipue promiſſus eſt Chriſtus, unicus juſtitiæ noſtræ fons. Nam is Pſalmo XXXI. ad eundem modum deſcribit hanc, quæ nunc per Euangelium aperitur, hominis beatitudinem, ut declaret eam non contingere ex Moſaicæ Legis operibus, ceu debitam, ſed ex beneficentia divina, qua ad Chriſti fidem trahimur.

7 Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.

7 *Beati*, inquit, *quorum remiſſa ſunt iniquitates, & quorum obtecta ſunt peccata.*

8 Bea-

Digitized by Google

8 *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.*

[8] *Beatus vir, cui non imputarit Dominus peccatum.* Audis remitti iniquitates adversus Legem Mosaicam commissas. Audis obtegi peccata adversus naturæ legem patrata. Audis nullum omnino peccatorum genus imputari, jam beatitudinem adepto per Christum, & tamen nulla sit usquam Legis observatæ mentio.

9 *Beatitudo ergo hæc in circumcisione tantum manet, an etiam in præputio? Dicimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam.*

[9] Non est igitur, quod hanc beatitudinem à David descriptam, aut justitiæ laudem Abrahæ tributam, Judæi, velut horum posteri, proprie sibi vindicent, exclusis Gentibus. Alioqui illud mihi respondeant: Felicitas hæc promissa utrum ad eos tantum pertinet, qui circumcisi sunt, & ob hoc Legi obnoxii? an ad eos quoque, qui nec circumcisionem norunt, nec Legis ceremonias? Certe fatentur ipsi, Abrahæ fidem imputatam fuisse ad justitiam. Atqui ab hoc cum sit totius gentis Judaicæ caput, juxta id reliquum genus oportebit æstimari. Neque enim par fuerit nepotes sibi vindicare jus, quod in generis auctore non fuerit.

10 *Quomodo ergo reputata est? in circumcisione, an in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio.*

[10] Constat justum esse dictum Abraham, sed illud expediant, quam ob causam dictus sit: num ob amputatam præputii pelliculam? an potius ob fidem, citra ullam circumcisionis commendationem? Palam est ob circumcisionem Judaicam illi non contigisse justitiæ laudem, cum id temporis nec esset adhuc circumcisus, nec justus circumcidi. Prius credidit ex suo semine nasciturum Christum, per quem beatitudinem hanc & paternam justitiæ laudem assequerentur omnes Gentes, & ob hanc credulitatem justus est habitus.

11 *Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio: ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad justitiam:*

[11] Deinde accessit circumcisio, non quæ justitiam conferret, sed quæ symbolum quoddam ac nota foret apud homines, non apud Deum, qua dignoscerentur esse filii ejus, qui Deo credidisset nondum circumcisus, atque incircumcisus etiamnum sola tamen fide Deo placuisset. Si circumcisus credidisset, ac justus esset appellatus, videri poterat hujus nominis felicitas ad solos circumcisos pertinere: nunc contra, priusquam circumcidi jussus esset, fidei commendatione justus est pronuntiatus.

12 *Et sit pater circumcisionis, non iis tantum qui sunt ex circumcisione, sed & iis qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ.*

[12] Successit autem circumcisio, non ut justitiæ parens, quæ jam contigerat, sed partim ut typus quidam veræ circumcisionis, hoc est, innocentiæ secuturæ in his, qui crediturі essent Christo, quæ circumcisio non silice peragitur, glandis pelliculam resecante, sed spiritu, pravas cupiditates omnes ab animo recidente: partim ut signaculum quoddam ac pignus, quo certa esset Abrahæ hujus promissi fides, non continuo præstandi in Isaac, qui Christum adumbrabat duntaxat, sed suo tempore exhibendi in Filio Dei: atque ita demum Abraham, primum exemplum fidei, intelligeretur pater omnium, qui ipsius imitatione crederent Christo, citra ullam carnalem circumcisionem: & quemadmodum illi fides fuit imputata ad justitiam, ita his quoque ceu germanis ac legitimis Abrahæ filiis imputaretur fides ad justitiam. Atque ita sit Gentium pater, ut tamen Judæi non excludantur, si modo non hoc tantum nomine sibi placeant, quod ab Abrahæ circumcisi stirpe ducant genus, nota duntaxat corporis cognationis argumentum circumferentes, sed multo magis fidem illam exprimentes, qua nondum circumcisus Deo habitus est justus. Nullum enim certius argumentum liberos non spurios parentibus suis asserit, quam paternarum virtutum æmulatio. Cum enim homines abdicent ex se prognatos, suosque negent esse liberos, qui degenerant à moribus ingenioque majorum, multo magis Deus hac nota nothos à legitimis filiis discernet.

13 *Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini ejus, ut heres esset mundi: sed per justitiam fidei.*

[13] Porro quemadmodum Abraham non promeritus est hoc observatione Legis Mosaicæ, quæ nondum erat prodita, nec merito circumcisionis, quam, ut dictum est, nondum acceperat, ut eum Deus tam magnificis promissis honoraret, pollicens fore, ut totius orbis dominium ad ipsum aut posteros illius hæreditate deveniret, sed fidei commendatione, qua justi cognomen meruit: ita non est, quod Judæi sperent hujus pollicitationis divinæ jus, solo circumcisionis, aut Legis titulo ad sese perventurum.

14 *Si enim qui ex lege, heredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio.*

[14] Nec enim alia ratione propagari potest in posteros, quam qua primum partum est ipsi generis auctori. Nam si quibuscunque sub Lege Mosaica nasci contigit, ad hos Legis titulo pertinet Abrahæ posteris promissa orbis hæreditas, videtur irrita facta Dei fides, & inanis esse pollicitatio, cum constet Legis beneficio non contingere cuiquam, quod Deus promisit Abrahæ.

15 *Lex enim iram operatur. Ubi enim non est lex, nec prævaricatio.*

[15] Tantum enim abest ut Mosi Lex tam eximiam felicitatem præstare possit, ut iram magis & indignationem inducat æterni Numinis, dum gravioris offensæ ministrat occasionem. Fides contra, ex impio justum reddit. Neque enim illic est hæreditas, quæ filiis debetur, ubi offensæ sunt, & indignatio. Quod si roges, quomodo Lex iram magis conciliet, quam justitiam, dicam. Reum agere non potes, ni prius Lege latam pœnam denunties.

16 *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solum, sed & ei qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrum,*

[16] Porro Lex Mosaica plurima præscripsit de circumcisione, de sabbatis, de neomeniis, de ciborum discrimine, de morticinis, de suffocatis, de sanguine, de lotionibus, quæ omnia sunt ejusmodi, ut observata non conferant salutarem illam justitiam, & tamen qui transgrediatur, reus sit, pœnæque obnoxius. Lex autem hæc quoniam non alligat, nisi Judæorum gentem tantum, & Abrahæ promissa est hæreditas omnium Gentium, non potest per Legem carnalem, Dei promissum ad omnes pervenire. Consequitur ergo, ut ex fide contingat hæreditas, ut res gratiæ ac favoris non debiti videatur. Atque ita constabit fides promissi divini, quo posteris omnibus Abrahæ, spes hujus felicitatis ostensa est. Posteros autem voco, non eos qui duntaxat per Legis cognationem ad Abraham pertinent, sed multo magis qui fidem parentum exprimunt. Par est enim ut plus habeat momenti cognatio fidei, per quam ille promissum meruit amicus Dei factus, quam cognatio Legis, quæ offensas gignit, & reos facit. Stulte igitur Judæi hoc patre ceu peculiari gloriantur, cum is sit pater omnium nostrum, quicunque ex quacunque Natione profecti Christi fidem amplectimur.

(17 *Sicut scriptum est: Quia patrem multarum gentium posui te) ante Deum, cui credidit, qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt:*

[17] Quemadmodum testatur & ipse Deus Gen. Cap. XVI. cum adaucto nomine, & pro Abram dicto Abraham, ait, *Patrem multarum Gentium constitui te.* Certe verum sit oportet, quod locutus est Deus. At quî tandem pater erit multarum Gentium Abraham, si is ad unicam circumcisorum Nationem pertinet? Imo sicut Deus communis est omnium sibi fidentium, ita voluit Abraham, qui Dei typum gerebat ut Isaac Christi, esse patrem non hujus aut illius Nationis proprium, sed communem omnium, quas illi fidei affinitas copulasset. Non potuit autem Abraham falli credulitate sua, quandoquidem fisus est illius promissis, qui non solum effœtis dare potest fœcunditatem, verum etiam mortuis vitam reddere, adeo ut postea jussus occidere filium unicum Isaac, in quo uno spes omnis posteritatis erat sita, nihil tamen addubitarit de fide promissoris, à quo sciebat illum in vitam posse revocari, & ea quæ mortalium opinione prorsus nihil sunt, perinde quasi sint aliquid, ad hanc felicitatem adsciscere. Judæi sibi videntur vivere, videntur aliquid esse, Gentes ceu mortuos, & nulla bona re dignos abominantur, at his plus præstat Dei vocatio, quam Judæis sua cognatio.

18 *Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est ei: Sic erit semen tuum.*

[18] Ac sane digna erat favore, tam solida, tamque firma senis fides, qui pollicente Deo fretus, de his rebus certam spem concepit, de quibus juxta naturæ vires nulla erat spes, agnoscens ac re testans

Digitized by Google

promissoris tum fidem, tum omnipotentiam. Nec dubitavit cum ipse esset effœtus, & uxorem haberet sterilem, se tamen fore patrem multarum Gentium, ac posteritatis auctorem tam numerosæ, ut Stellarum multitudinem posset æquare, quod Deus educto in agrum cum ostendisset cœlum innumerabili Stellarum densitate diffortum, dixit: quam hos ignes numerare non potes, tam erit innumerabilis posteritas ex te proditura:

19 Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum cum jam fere centum esset annorum, & emortuam vulvam Saræ.

19 Id cum haudquaquam probabile aut simile veri tum videretur ob ætatis imbecillitatem, tamen infirmus licet viribus corporis, non infirmabatur fidei vigore, nec diffidentium more, circumspicere cœpit argumenta, quibus hoc aut fieri posset, aut non fieri; neque respexit corporis vires jam effœtas, & ad generandum invalidas, ut qui jam accederet ad annum centesimum, nec consideravit ætatem uxoris, cui & ipsi jam per ætatem emarcuerant membra mulicbria, ut etiamsi ipse gignendi viribus nondum fuisset defectus, tamen illa ferendo utero esset inhabilis.

20 In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo: 21 Plenissime sciens quia quæcunque promisit, potens est & facere.

20, 21 Nihil, inquam, horum venit in mentem, nihil diffisus est, nihil hæsitavit, sed toto pectore fretus promissis Dei, & tam fide robustus, quam corpore invalidus, de sua virtute desperans, de promissoris virtute certissimam spem obtinuit, atque hac in re nihil sibi vindicans, totam gloriam ac laudem uni Deo transcripsit, quem sua tam inconcussa fiducia simul & veracem testatus est, qui nollet quemquam fallere, & omnipotentem, qui præstare posset quicquid esset pollicitus, quantumlibet illud humanas vires excederet.

22 Ideo & reputatum est illi ad justitiam.

22 Hac gloria potissimum delectatur, qui nostris officiis nusquam eget, atque ob id imputatum est Abrahæ ad justitiam, ut inquit divina Scriptura.

23 Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad justitiam:

23 Neque vero id unius Abrahæ gratia scriptum esse arbitrandum est, quod fides illi sit imputata ad justitiam: neque enim hoc tantum agit divina Scriptura, ut Abrahæ gloriæ consulatur:

24 Sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum à mortuis:

24 Sed ut nobis Abrahæ nepotibus paretur exemplum, & perspicuum fiat universis, ut quemadmodum Abraham fiduciæ commendatione, citra Legis patrocinium aut adminiculum assequutus est, ut apud Deum justus haberetur, ita nobis hoc nequaquam à Legis observatione petendum esse. Ille justus dictus est, quod credidit Deo. Nobis non aperitur alius ad justitiam aditus, nisi ut credamus & ipsi in eundem Deum, qui quod Abrahæ pollicitus est in typo Isaac, id nobis præstitit in Christo Jesu Domino nostro, quem suscitavit à mortuis, declarans non frustra credidisse Abraham, eum esse qui vitam daret & mortuis, & ea quæ non sunt, perinde revocet, quasi sint.

25 Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.

25 Christo igitur non Mosi justitiam & innocentiam nostram acceptam feramus oportet, qui sponte sese tradidit in mortem, ut gratis per fidem nostra dilueret commissa: atque idem revixit excitatus à mortuis, ut à mortuariis factis abstineremus, neque posthac peccaremus, ea rursus committentes, ob quæ ille mortem oppetisset. Mortuus est, inquam, ut in nobis culpam occideret, & resurrexit à mortuis, ut prius per illum mortui pristinis culpis, mox una cum illo & per illum resuscitati in novam vitam, deinceps justitiæ vivamus, quam illius beneficio accepimus.

CAP. V.

Ergo dat hac pacem: Christi mors liberat hostes: Noxa minor dono, mors quoque morte furis.

1 Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum:

1 ETENIM quum sola peccata simultatem pariant inter Deum & homines, posteaquam ex impiis & peccatoribus justi facti sumus, idque nec per Legem Mosaicam, quæ magis augebat offensas, nec factorum nostrorum merito, sed ad exemplum patris nostri Abrahæ, commendatione fidei reconciliati sumus Deo Patri, cui & Abraham amicus est factus fidei merito: idque non per Mosen, sed per Filium Dei unicum, Dominum nostrum Jesum Christum.

2 Per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei,

2 Qui noxias nostras suo sanguine diluens, & morte sua, Deum nobis ante ob commissa nostra infensum, reconcilians, aperuit nobis aditum, ut intercedente fide, citra Legis aut circumcisionis adminiculum ad hanc Euangelii gratiam perduceremur. In qua quidem fide firmi stamus, neque stamus solum animis alacres & erecti, verum etiam gloriamur non modo nobis pacem esse cum Deo, verum etiam spem certissimam ostensam, fore ut per fidei perseverantiam fruamur aliquando gloria Dei:

3 Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus; scientes quod tribulatio patientiam operatur;

3 Nec invidemus Judæis, si de sua circumcisione glorientur. Non pœnitebit nos fidei nostræ, quæ fructum adfert tanto uberiorem, neque gloriæ nostræ, cujus spe interim fulcimur & erigimur. Ea si nondum apparet, & si ad hanc multa ferendo perveniendum est, tamen has ipsas etiam afflictiones interim nobis gloriæ laudique ducimus, quas & glorioso titulo patimur, quæque ad immortalitatem viam aperiunt.

4 Patientia autem probationem, probatio vero spem,

4 Siquidem & novum istud exemplum à Christo sumsimus, & eximiam doctrinam ab eodem accepimus, quod tolerandis malis, corroboratur tolerantiæ virtus, tolerantia velut aurum igni roddimur Deo & hominibus spectatiores ac probatiores.

5 Spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

5 Rursus quo pluribus malis fuerimus probati, hoc firmior præmii spes nobis nascitur. Neque vero periculum est, ne ea spes nos fallat, aut destituat, ut apud impios pudeat credidisse, quandoquidem jam nunc certissimum pignus & arrhabonem accepimus, miram & inauditam Dei caritatem erga nos, quæ non solum exhibita est foris, verum etiam abundantissime impressa est cordibus nostris, quæ nos illum redamare compellat, idque per Spiritum Sanctum, qui pro frigida Legis littera datus est nobis, velut arrha promissi.

6 Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est? 7 Vix enim pro justo quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori.

6 Nisi enim summa quadam pietate nos adamasset Deus, nunquam hujus unicus Filius Jesus Christus volente Patre descendisset in terras, & assumto mortali corpore, mortem pro nobis oppetisset, præsertim cum id temporis adhuc imbecilles essemus, cupiditatibus nostris obnoxii, quas Lex irritare poterat, coercere non poterat. Et tamen tales adamavit in spem salutis, imo impios & idolis servientes adamavit: & sic adamavit, ut quo nullum amoris argumentum, nec evidentius, nec rarius, mortem etiam volens nostra gratia subierit.

8 Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus

7 Atqui inter homines vix ullum reperias tam amicum, ut integri promeritique amici periculum sua morte redimat.

9 Christus pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum.

8 Sed demus inveniri, qui pro bono amico fortassis mortem non recuset adire, Deus tamen omnia humanæ caritatis exempla superavit, qui pro impiis & indignis Filium suum in mortem tradiderit.

10 Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus: multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.

9 Quod si tantum beneficium præstitit impiis ac nocentibus, quanto magis hoc idem præstabit jam purgatis, & emendatis †, & Filii sanguine reconciliatis, ne denuo peccatrices recidamus in iram, tanto gravius condemnandi, quod ad impietatis culpam, & ingratitudinis malum accesserit.

11 Non solum autem: sed & gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc

10 Christus pro nobis mortuus est ad tempus, sed idem resurrexit, semper victurus. Ut nobis mortuus est, ita nobis resurrexit. Quod si mors illius tantum nobis præstitit, ut cum antea Deum haberemus iratum & infensum, postea cœperimus habere propitium ac benevolum, multo magis hoc nobis præstabit illius vita, ne in veterem simultatem recidamus. Mors illius abstulit peccatum, vita tuebitur innocentiam. Mors eruit à potestate Diaboli, vita Patris erga nos amorem conservabit.

11 Hæc argumenta divinæ erga nos caritatis adeo sunt evidentia, ut non solum securos reddant, certam-

† Alia Editio, *emundatis*.

Digitized by Google

reconciliationem accepimus.

tanque spem præbeant, nos fore tutos ab ira ventura, verum etiam tantam addant alacritatem, ut gloriari etiam juvet, haud quidem nostra jactantes merita, sed Deo Patri gratantes, cujus beneficentiæ debemus hanc totam felicitatem: quam nobis largiri voluit, non per Legem ac * circumcisionem, sed per Jesum Christum Filium suum, cujus interventu cum illo redimus in gratiam, quo videlicet summa hujus beneficii non alio referatur, quam ad ipsum Deum, & ejus unicum Filium.

12. Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum introivit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.

12 Idque miro & arcano Dei consilio curatum est, ut restitutæ salutis ratio, cum accepti exitii ratione congrueret. Proinde quemadmodum per unum Adam, qui primus prætergressus est Dei præscriptum, peccatum irrepsit in mundum, peccatum autem mortem comitem secum traxit, quandoquidem peccatum animæ venenum est, atque ita factum est, ut malum à principe generis ortum, in universam posteritatem dimanaret, dum nemo non imitatur primi parentis exemplum: ita per unum Christum, in quo renascimur omnes per fidem, innocentia inducta est, & innocentiæ comes vita, atque ea felicitas ab uno novi generis principe profecta, derivatur in omnes, qui fidei cognatione ad Christum pertinent, & innocentis vestigia sectantur innoxia vita.

13. Usque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset.

13 Porro simulatque peccatum semel in orbem irrepserat, & hominum genus universum occuparat, profligari non poterat, nec Lege naturæ, nec Lege Mosaica, nisi quod hactenus profectum est legibus, ut qui peccarent, rei jam ac pœnam commerti viderentur. Nam sicuti pueris, in quibus naturæ lex nondum habet locum, ob ætatem minus adhuc discernentem quid rectum, quid secus, non imputatur adhuc peccatum; ita nec Ethnicis imputabatur, si quid adversus Legem Mosaicam commisissent. Ante Legem igitur, quæ proderet transgressionem, non aberat omnino peccatum, ob Legem naturæ, sed homines sibi indulgebant, ac velut impune peccabant tanquam exleges.

14. Sed regnavit mors ab Adam usque ad Mosen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri.

14 Itaque cum nondum venisset ille, qui peccatum tolleret mundi, quique mortis tyrannidem profligaret, mors per Adam ingressa regnavit impune, in eos quoque, qui non peccaverant impie contra Dei præceptum, quemadmodum fecerat Adam, qui jam tum typum & figuram gerebat Christi, multo post venturi, non quod is simpliciter adsimilis sit Christo, sed quod aliquo usque Christi prætulerit imaginem. Hoc similis, quod uterque generationis fuerit princeps, sed ille terrenæ, hic cœlestis. Item hoc quod ab utroque quiddam velut ab auctore profectum dimanarit in omnes homines, sed à terreno Adam injustitiæ & mortis origo, à cœlesti innocentiæ vitæque principium.

15. Sed non sicut delictum, ita & donum: si enim unius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.

15 Atqui ut aliqua ex parte similes fuerunt, ita nequaquam pares fuerunt. Siquidem cum alioqui per se sit efficacius servare quam perdere, longe potentior est Christus ad servandum, quam Adam fuerit ad perdendum, & obedientia Christi multo fuit efficacior ad conferendam vitam, quam Adæ transgressio, ad inducendam mortem, & omnino noxam Adæ Christi vincit bonitas, ne quis tantum tribuat peccato primi parentis, ut de sarcienda salute diffidat.

16. Et non sicut per unum peccatum, ita & donum: nam judicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in justificationem.

16 Etenim si tantum valuit ille peccandi princeps, ut tantus hominum numerus ob unius commissa, morti sit obnoxius, plus valebit, & in plures exundabit Dei beneficium, ac benignitatis munus, quod nobis per unum item hominem Jesum Christum innocentiæ principem largitur; per quem non modo mortis & peccati tyrannidem abstulit, sed pro peccato justitiam, pro mortis tyrannide vitæ regnum contulit, sic ut Adæ damnum, Dei benignitate nobis in lucrum cesserit. Rursum licet per unum Adam peccantem invecta sit pernicies, & per unum Christum innocentem invecta sit salus, tamen utrumque alteri par non est. Siquidem pernicies sic est orta, ut unius peccatum in omnes posteros propagaretur, atque ita tandem omnes redderet obnoxios: contra, Dei beneficium sic confertur, ut universa omnium delicta jam agglomerata, jam confirmata, semel Christi morte aboleantur, neque solum aboleantur admissa, verum etiam justitia gratis conferatur.

17. Si unius unius delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum.

17 Quod si tantum valuit una unius hominis culpa, ut omnes mortis tyrannidi redderet obstrictos, & qui ad primi parentis exemplum peccabant, similiter mortis jugum ferrent, plus tamen largitur exuberantissima Dei benignitas, nimirum ut qui ad Christi exemplum innocentiam ac justitiam amplectuntur, non solum liberi sint à peccati mortisque tyrannide, verum etiam regnante vita regnent & ipsi per illum, unicum omnis nostræ felicitatis auctorem.

18. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.

18 Hoc igitur convenit, quod sicut per unius hominis commissum irrepsit peccatum, quod omnes morti reddidit obnoxios, ita per unius hominis justitiam, quæ propagata est in omnes qui credent, & vitæ regno sese subjicient, justos facit, & vitæ participes.

19. Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obeditionem, justi constituentur multi.

19 Quemadmodum enim unus Adam, dum non obtemperat præcepto Dei, plurimos traxit in peccatum avitæ transgressionis imitatores, ita unus Christus, qui obediit Deo Patri usque ad supplicium crucis, multos reddet justos, obedientiæ sectatores.

20. Lex autem subintravit ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia.

20 Sed ut redeamus ad id, quod aliquanto superius institueramus: Si Dei consilio destinatum erat hac via tollere peccatum, & conferre justitiam ac vitam, quorsum attinebat Legem inducere, quæ nihil conferret? Immo hoc certe contulit Lex, ut per hanc clarior & evidentior esset Dei erga nos beneficentia. Quo magis enim eminet, & sævit peccatum, hoc magis elucet ejus beneficium, qui à peccato liberat. Lex aperuit peccati tyrannidem, dum huic frustra obluctatur *. Potens erat & valida erat tyrannis, sed potentior Dei benignitas, quam hoc magis sentimus, quo graviorem mortis tyrannidem hactenus experti sumus.

21. Ut sicut regnavit peccatum in mortem: ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.

21 Atque hoc certe Legi debemus, quod intelligimus divini beneficii magnitudinem, quo factum est, ut quemadmodum Diabolus per peccatum tyrannidem adeptus, mortem animarum, quæ verissima mors est, in omnes invexit, ita Deo largiente regnum adepta innocentia, conferat omnibus vitam, auctore Jesu Christo, quo uno Domino ac Principe gloriamur, jam à mortis servitute liberi, sub cujus mortis imperio paulo ante militavimus.

CAP. VI.

Fons sacer assimilat Christo: ne crimina regnent: Membra vices mutent: mors malefacta manet.

1. Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato ut gratia abundet?

1 AT quoniam diximus per Legem exuberasse peccatum, idque in hoc profuisse quod magis exuberavit Dei benignitas, ne quis hinc occasionem arripiat in vitiis perseverandi, ac secum ita cogitet: Si peccatum illustrat & auget beneficentiam Dei erga homines, expedit etiam atque etiam peccare, quo magis ac magis exuberet.

2. Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?

2 Absit à piis mentibus ista tam impia cogitatio. De pristinæ vitæ peccatis locutus sum, quæ Deus nobis vertit in bonum. Verum absit, ut postquam semel à peccati tyrannide sumus asserti in regnum innocentiæ, rursus à vindice nostro desciscamus, & in veterem tyrannidem præcipites eamus. Pugnant inter se vita & mors adeo, ut vicissim sese profligent, neque simul cohæreant juxta eandem rationem. Itaque cum simulatque cœpimus Christo vivere, mortui simus Diabolo, qui convenit ut adhuc illi vivamus, cui jam mortui sumus? Si Chri-

* Alia Editio, *aut.*

* Altera Editio, *obluctarentur.*

sto vivimus, Diabolo non vivimus. Si Diabolo vivimus, Christo mortui sumus. At nunc Christo viventes, mortui sumus peccato, quod is sua morte profligavit.

3 An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus?

3, 4 Etenim cum baptismum Christi simus adepti, non est consentaneum fugere vos, quid baptismus ille vel efficiat, vel designet. Cum enim baptizamur in nomine Christi, commorimur una cum illo pristinis peccatis, illius morte abolitis, neque solum commorimur illi, verum etiam una sepelimur, idque per eundem baptismum: ut quemadmodum ille, qui nunquam vixerat peccato, tamen pro nostris sceleribus mortuus, revocatus est ad vitam æternam, non humanis viribus, sed Patris virtute: ita nos à morte vitiorum excitati per eundem, pristinis vitiis mortui, jam novam agentes vitam, versemur in pietatis vestigiis, semper ab honestis ad honestiora progredientes.

4 Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.

5 Nam cum per baptismum inseramur corpori Christi, & quodammodo in illum transformemur, quicquid in illo gestum videmus, qui caput est, id omne in nobis, qui membra sumus, vel exprimendum est, vel sperandum. Resurrexit ille, adscendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Hæc jam in Christo peracta, ita demum nobis speranda sunt, si hæc eadem, quoad nobis licet, æmulemur, ac veluti meditemur.

5 Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus: simul & resurrectionis erimus.

6 Proinde si baptismo accepto peccatis pristinis & noxiis cupiditatibus mortui, Christi mortem, ut possumus, referimus, par est ut posthac vitantes turpia, & piis actibus nos jugiter exercentes, resurrectionem item illius exprimamus. Sic autem interim Christi mortem imitamur: non ut vere mortem oppetamus, aut corpus nostrum violemus, sed quemadmodum optime nostis, si ad pristinas cupiditates omnes sic obstupescamus, ut illis mortui videamur. Siquidem juxta duplicem originem, duos in nobis homines oportet imaginari: alterum veterem & crassiorem, & Adæ terrenum similitudine reddentem: alterum novum & cœlestium appetentem, ut qui à Christo cœlesti duxit originem. Vetus igitur ille noster homo, velut occisus est, una cum Christo sublatus in crucem, exstinctaque est omnis illa rerum caducarum cupiditas, quarum universam vim corpus peccati merito quis dixerit. Id salubriter moritur in nobis, quoties exstinctis noxiis affectibus, non amplius servimus peccato.

6 Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, & ultra non serviamus peccato.

7 Nam qui vere imitatur ad hunc, quem dixi, modum, Christi mortem, is jam in justorum numerum cooptatus, desiit esse peccato obnoxius, à cujus tyrannide jam assertus est.

7 Qui enim mortuus est, justificatus est à peccato.

8 Igitur si, ut sæpe jam dixi, commortui sumus Christo mortuo, à pristinis vitiis liberi, confidimus fore, ejusdem beneficio, ut posthac per vitæ inculpatæ innocentiam una cum vivente vivamus, & ita vivamus, ne relabamur unquam in mortem, & in hoc Christi simulacrum, quoad fieri potest, referentes.

8 Si autem mortui sumus cum Christo: credimus quia simul etiam vivemus cum Christo:

9 Neque enim ille sic resurrexit, ut denuo jus aliquod morti in se permitteret, sed revixit immortalis deinceps futurus.

9 Scientes quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.

10 Nam quod peccato mortuus est, semel duntaxat est mortuus, cæterum quod nunc vivit, vivit Deo, cujus virtute revocatus est ad vitam immortalem.

10 Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo.

11 Ad hujus igitur exemplum cogitate vos quoque semel mortuos esse peccato, exstinctis pristinis vitiis & cupiditatibus, nunc alios factos, ac veluti resuscitatos, vivere vitam immortalem Deo, cujus beneficio contigit innocentia. Neque enim Deo vivit, nisi qui vivit pietati, nisi qui justitiæ cæterisque virtutibus. Cum enim insiti corpori Christi, idem facti simus cum illo, necesse est, ut capiti membra respondeant. Caput autem Christus est. Is cum Deo vivat jugiter, convenit ut nos item eidem vivamus, per eundem Jesum Christum Dominum nostrum. Qui quemadmodum semel excitatus à morte, non patitur rursum ullam mortis tyrannidem, ita vobis enitendum est, ne peccatum semel profligatum, tyrannidem amissam in vobis recuperet, mortisque jus iteret. Id enim fiet, si parueritis impiis cupiditatibus, quibus Diabolus vos in pristinam servitutem illectat.

11 Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Iesu Domino nostro.

12 Neque committatis, ut membra vestra, jam Christo consecrata, posthac militent Diaboli arbitrio à Christo devicti, ad patrandam iniquitatem: quin potius vos totos posthac tales præstare curetis, ut ex omni vita vestra perspicuum sit, vos una cum Christo reliquisse quæ mortis sunt, & ad novam vitam translatos esse.

12 Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.

13 Id præstabitis, si posthac membra vestra, hoc est, animi corporisque vires omnes militent, non vitiis ad serviendum Diabolo, sed justitiæ ad serviendum Deo. Æquum enim est, nos totos ei militare, cui semel nomina dedimus, neque quicquam habere commercii cum eo, à quo jam descivimus, cujusque jugum excussimus.

13 Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viventes: & membra vestra arma justitiæ Deo.

14 Neque vero periculum est, ne peccatum vos nolentes in pristinam retrahat servitutem, quandoquidem jam non estis obnoxii Legi, quæ cupiditates irritabat potius quam coercebat, sed gratiæ Dei, quæ sicuti præstare potuit, ut à peccati tyrannide liberaremur, ita præstare potest, ne revolvamur in peccati tyrannidem.

14 Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratia.

15 Verum, absit interim, ut quis hæc ita interpretur, ut quoniam dixi vos liberos à Lege, existimetis sublata Lege, impune peccandum esse, aut Dei gratiam, quæ pristina commissa condonavit, pariter & in posterum delinquendi indulsisse impunitatem. Immo hoc magis abstinendum est à peccatis, quod jam ad benefaciendum non servili more cogimur præscripto, sed ut filii meritis & amore provocamur.

15 Quid ergo? peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit.

16 Mutata est servitus, non prorsus ademta. Ita desiistis esse servi Legis, ut cœperitis esse servi Christi, cui servire felicitatis est summa. Jam partim in te situm est, utram velis amplecti: nam utramque simul tenere non potes. Liberum erat nulli in servitutem temet addicere, verum ubi sponte Domino tui jus feceris, semelque parere cœperis, uni pareas oportet, cui te servum feceris. Proinde qui peccato sese addicunt, ac peccato se in servitutem dedunt, iis servitii fructus mors est. Contra, qui Christo se dicarunt, huic obediant oportet, obedient autem suo bono. Nihil enim acquirent Christo obedientia, sed sibi parabunt justitiam, hoc est, omnium virtutum chorum & concentum.

16 Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obedendum, servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam?

17, 18 Gratulor autem vobis, & hoc nomine Christo gratiam habeo, quod cum olim miserrimam istam servitutem servieritis, simulacris & fœdis cupiditatibus addicti, nunc desciscentes à Diaboli tyrannide, ultro & ex animo vos Christi imperio dedideritis, victuri posthac non ex affectuum aut Legis arbitrio, sed juxta novam Euangelicæ doctrinæ formam, ad quam à pristinis erroribus traducti estis, & ita traducti, ut prorsus in aliud jus transieritis, manumissi quidem è dominio peccati, sed hinc traducti, ut justitiæ serviatis, & hujus imperata faciatis. Neque vero durum videatur, quod jubeamini servire virtuti. Sicut longe alia ratio est peccati, alia innocentiæ, ita fructus longe alius, quo fit, ut si rem ipsam spectemus, multo diligentius serviendum sit Deo, quam Diabolo. Quisquis enim vitiis servit, Diabolo servit: Deo servit, quicunque servit innocentiæ.

17 Gratias autem Deo, quod fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis.

18 Liberati autem à peccato, servi facti estis justitiæ.

19 Non exigam tamen interim à vobis, quod meo jure possem. Orationem meam attemperabo infirmitati quorundam, in quibus nondum adolevit spiritus, & adhuc repullulare meditantur affectus. Illud modo requiram, ut parem habeat apud vos ju-

19 Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.

Digitized by Google

justitia conditionem cum peccato. Sicut antehac præbuistis membra vestra ad serviendum spurcitiis & vitiis, sic, ut libidinum arbitrio à turpitudine ad turpitudinem prolaberemini, semper inquinatiores: ita nunc par est, ut itidem exhibeatis membra vestra ad serviendum justitiæ, in cujus jus ultro vos asseruistis, à virtute ad virtutem usque proficientes, semper vobis ipsis puriores, emendatioresque reddamini. Vehementer enim iniquum videtur, non hoc saltem jus apud vos obtinere Christum, quod pridem obtinebat Diabolus: & non idem obsequium præstari dominæ justitiæ, quod tyranno peccato præstitistis.

19 Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ.

20 Siquidem ad excusandam pristinam vitam, utcumque prætexi posset aliquid, nempe quod quandiu versabamini in Paganismo, quoniam serviebatis peccato, videbamini à justitia alieni, neque quicquam illi debere, cui nondum eratis addicti. Nunc nihil est quod possit prætexi.

21 Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est.

21 Quod si ipsa recti natura parum vos movet, fructum obsequii longe diversissimum expendite, qui utrumque servitutis genus estis experti. Redeat vobis in memoriam, cum vitiis serviretis, & obscœnis cupiditatibus ceu mancipia obsecundaretis, quod tandem præmium reportabatis? Ipsa vitia secum adferunt suum supplicium, dum statim hominem conspurcant & contaminant, & talibus probris ac dedecoribus deformant, ut nunc posteaquam resipuistis, velut à vitiorum temulentia, pudeat vos vestri, & animus à cogitatione quoque pristinarum voluptatum abhorreat. Videtis quam hoc statim auctoramentum sit non affectandum. Et tamen præter hanc mercedem, supremum stipendium, quod sibi servientibus persolvit Diabolus, mors est æterna. Quanquam & interim vita sic acta, mors est omnium teterrima, non vita.

22 Nunc vero liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam.

22 Nunc videte, quam feliciter sit vobis commutata servitus, qui liberati à tyrannide Diaboli, Deo cœperitis esse servi. Perspicitis nimirum, quam dispares sint Domini. Quod si præmium quoque vultis, primum pro inquinatis & impiatis, vivitis innocentes, puri, sanctique, quæ sola vera est vita: deinde expleto brevis servitii tempore, manet vos summum stipendium immortalitatis.

23 Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei, vita æterna, in Christo Iesu Domino nostro.

23 Componite jam cum eo Deo Diabolum, cum spurcitie sanctimoniam, cum æterna morte vitam immortalem. Nam plane, sicut dixi modò, res habet. Stipendium Diaboli mors est, quod ille pro turpi miseroque servitio rependit. Contra, qui Deo serviunt pro sua virili, his non ut merces debita, sed ut beneficium à propitio Patre reponitur immortalitas. Idque non per Mosen, sed per Jesum Christum Dominum nostrum, cui voluit acceptum referri Pater, quicquid nobis largiri placuit, potius quam per ullam Legem, aut circumcisionem.

CAP. VII.

Grande jugum excussum est: Christo nunc liber obedi: Quod jubet altera lex, altera sæpe vetat.

1 An ignoratis fratres (scientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur, quamdiu tempore vivit?

1 CHRISTVS enim nos non solum à peccato & à morte, verum etiam à Legis, ad tempus modo datæ, servitute liberavit, non Gentes tantum, quæ huic Legi non fuerunt obnoxiæ, verum ipsos etiam Judæos, Legi Mosaicæ antehac obnoxios. Id ita habere vel ipsius Legis testimonio doceri potest. Ac vos interim appello Judæi, qui quum Legis præscripta teneatis, non potestis nescire, hominem legi cuipiam obnoxium, sicut vos Mosaicæ Legi pridem eratis obnoxii, tantisper teneri Lege, donec ea Lex vivat, hoc est, vigorem, vimque suam obtineat. Quæ si antiquetur, aut abrogetur, definit esse obnoxius.

2 Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi: si autem mortuum fuerit vir ejus, soluta est à lege viri.

2 Nec enim aliud servandum est in Legis obligatione, quam in obligatione mulieris viro junctæ lex ipsa jubet servari. Siquidem mulier viro nupta, & maritali subjecta dominio, tantisper obligata est viro, quoad vixerit vir. Is simulatque mortuus fuerit, eximitur uxor ab ejus matrimonii vinculo, suique juris fit illico ab obitu mariti prioris.

3 Igitur, vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri: ut non sit adultera si fuerit cum alio viro.

3 Proinde si vivo marito, in cujus jus semel venit, tentet alteri nubere, adultera censebitur, quæ reliquerit eum virum, à quo sola morte liberari poterat. Contra, si exspectet obitum mariti, desinit illi esse obstricta, sibique jam reddita, jus habet alteri viro, cui volet, nubendi. Neque enim ut jus herile transit ad hæredem, & servus morte heri non mutat statum, sed dominum, ita mariti jus in uxorem, transit ad alium, sed ultra ipsius vitam non porrigitur. Quod si maritus esset immortalis, semper maneret obligata mulier. At Mosi Lex, quoniam typis ac ceremoniis Christum adumbrabat, ad tempus aliquod tantum est data, donec exoriente luce cederent umbræ, & apparentibus veris facesserent simulacra verorum. Atque ob id Lex Mosaica, quoniam (ut ita loquar) mortalis erat, non mirum si nunc mortua est.

4 Itaque fratres mei, & vos mortificati estis legi per corpus Christi: ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo.

4 Proinde quandiu Legis tempus durabat, viguit Lex, & jus habebat in eos, qui sese illi addixerant. Vobis autem cum Lege Mosi nihil est commercii, quum illa jam emortua sit vobis, & vos vicissim illi mortui sitis, etiamsi illa viveret. Posteaquam enim Christus, qui est veritas, exortus est, abrogata est tota Mosi Lex, sane quod ad litteram attinet. Quoniam autem estis initi in Christi corpus, & illi veluti sponsa sponso juncti, & liberi à priore vinculo in novi sponsi jus cessistis, sponsi, inquam, immortalis: ut qui semel à mortuis resurrexerit, in ævum victurus: adeo, ut posthac non sit vobis cogitandum de novando matrimonio, aut divortio, (alioqui contumelia fuerit in talem sponsum, si adhuc prior ille maritus vobis succurrat) illud potius agendum, ut quemadmodum ex Lege ceu marito fructum qualemcunque & à marito non degenerem produxistis, ita nunc felicius nacti matrimonium, fructum edatis, Deo socero, Christoque sponso dignum.

5 Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti.

5 Quandiu enim eramus Legi crassæ carnalique ceu marito obnoxii, visa est nobis veluti maritali jure dominari, dum cupiditates per Legis occasionem irritatiores, tantum valebant in membris nostris, ut mancipiorum ritu pertraheremur ad peccandum, atque ita ex infelici matrimonio, infelices fœtus sustulimus, quicquid nasceretur morti exitioque gignentes.

6 Nunc autem soluti sumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, & non in vetustate litteræ.

6 Nunc vero, posteaquam liberati sumus à Legis dominatu, sub qua viximus antea, immo quoniam in peccatis viximus, non viximus, sed mortui fuimus, & tamen in ea detinebamur ad tempus præfinitum, non est fas adhuc obtemperare carnali illi marito, hoc est, litteræ Legis, sed novo sponso, qui cœlestis est & spiritualis, serviendum, non per vetustatem litteræ, sed per novitatem spiritus, quem ab illo ceu nuptiale pignus accepimus.

7 Quid ergo dicemus? lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.

7 Sed vereor, ne cui interim calumnioso veniat in mentem, ut existimet me, cum dicerem nos Legi servientes abiisse in peccatum & mortem, Legem ipsam damnare velut auctorem peccati. Nam sicuti proprium est, inquiet, justitiæ parere vitam, ita peccati proprium est parere mortem: si Lex mortem adfert, aut ipsa peccatum videri potest, aut certe cum peccato conjuncta. Sed absit, ut quisquam ita sentiat. Neque enim Lex auctor peccandi, sed index peccati, quod fallebat ac latebat nos quodammodo, priusquam Lex exstiterat, dum suis quisque cupiditatibus blandiens, putat sibi licere quod valde libet, & rectum esse ducit illud concupiscere, quo frui dulce sit. Igitur indulgens mihi veluti nescirebam esse peccatum concupiscentiam alienæ rei, nisi Lex vetuisset, ne concupiscerem. Ac Lex quidem in hoc adhibebatur, ut peccata coerceret. Verum res nostro vitio in diversum exiit.

8 Dum

8 Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat.

9 Ego autem vivebam sine lege aliquando. Sed cum venisset mandatum, peccatum revixit.

10 Ego autem mortuus sum: & inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem.

11 Nam peccatum occasione accepta per mandatum, seduxit me, & per illud occidit.

12 Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum, & bonum.

13 Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem: ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.

14 Scimus enim quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato.

15 Quod enim operor, non intelligo: non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio.

16 Si autem quod nolo, illud facio: consentio legi, quoniam bona est.

17 Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.

8 Dum enim Lex prodit peccatum, nec addit robur, quo vitiis repugnemus, factum est, ut hac occasione libido peccandi magis sit irritata, sic ut est humanum ingenium ad ea propensius, quæ fuerint interdicta. Itaque cum ante Legem proditam quædam peccata nescirem, quædam ita scirem; ut mihi tamen licere putarem, quod vetita non essent, levius ac languidius sollicitabatur animus ad peccandum, ut frigidius amamus ea, quibus, ubi libeat, potiri fas sit. Cæterum Legis indicio proditis tot peccandi formis, universa cupiditatum cohors irritata prohibitione, cœpit acrius ad peccandum sollicitare. Atque hac occasione peccatum robur ac vigorem accepit, quod priusquam esset Lex torpebat, ac veluti mortuum erat.

9 At ego interim velut exlex vivebam, seu potius videbar mihi vivere, quasi impune liceret peccare.

10 Cæterum ubi intervenit præceptum vetans ne peccarem, peccatum non solum coercitum non est, verum etiam reviviscere visum, & novum vigorem accipere: sed dum reviviscit peccatum, ego qui antea videbar vivere, jam mortuus sum, reatum meum agnoscens per Legem, & nihilominus peccans. Atque ita factum est, ut quod ad vitæ subsidium fuerat institutum, mihi cesserit in mortem, haud tamen Legis vitio, sed meo ipsius vitio.

11 Cum enim esset in me propensio ad peccandum insita, animus æger à Lege occasionem arripuit, avidus peccandi. Atque ita Diabolus bono organo male utens, per Legis occasionem illexit me ad peccandum, & per peccatum occidit, ut jam me reum & alieni juris agnoscerem.

12 Proinde nihil est hîc quod Legem calumnietur, quæ ut à bono Deo data est, ita præcepta proponit sancta, æqua & bona. Quod enim malum prohibet, id bonum sit oportet.

13 Sed rursus objecerit aliquis, cum simile gignat simile, si Lex bona est, quomodo mihi mortem peperit, quæ utique mala est, & à peccato gigni solet? Recte dicerentur hæc, si Lex nobis mortem peperisset. Atqui illud, ut modo dixi, longe secus habet. Neque enim Lex nobis est mortis parens, sed ipsum verius peccatum exitium nobis dedit: quod adeo malum est, ut rem per se bonam in perniciem verterit: quo fieret evidentius, quam res esset scelesta peccatum, cujus vitio, quæ optima sunt, cedant in rem pessimam.

14 Atque id ut accideret, Legis præceptum occasio fuit, in culpa non fuit. Siquidem illa, quod omnes scimus, spiritualis est, & ad honesta invitat. Verum quo minus efficiat, quod studet, ipse in culpa sum, (ut exempli gratia de me loquar) qui carnalis sum, & ad inhonesta proclivis, & longa jam peccandi consuetudine sic peccato obnoxius & obstrictus, ut mancipium emtitium obstrictum est hero suo, adeo ut nesciam ipse, quid debeam agere, vitiis excæcatus.

15 Neque enim hoc ago, quod mens & ratio dictat esse honestum: quanquam hac quidem illud expeto, sed tamen potius quod inhonestum est, & ut inhonestum odi, facio, nimirum cupiditate victus. Quo fit, ut nocentes etiam intelligant, Legi nihil imputandum.

16 Etenim si prava cupiditate pellectus, committo id, quod mens & ratio damnat ac refugit, nimirum testor Legem esse bonam, quæ vetuerit ea, quæ ipse juxta meliorem animi portionem damno. Bonam esse necesse est, quæ prohibet ea, quæ libeat faciam, carni obsequens, tamen intelligo esse mala.

17 Sed inquiet aliquis: Cur igitur non obtemperas menti tuæ, si consentit Legi ad honesta vocanti, & à turpibus deterrenti? Verum oportet duos in uno me homines imaginari (quandoquidem nunc docendi gratia personam suscepi hominis adhuc vitiis & affectibus obnoxii) hominem carnalem & crassum, & hominem alium puriorem minusque crassum. Illum externum dicere licet, hunc internum. Ille affectibus obnoxius, ad vitia proclivis est: hic honesti semina nonnulla retinens, ad honesta utcunque nititur, & in mediis vitiis, ut potest, reclamat ac refragatur. Atque id potius sumus, quod juxta potiorem nostri portionem dicimur. Quoties igitur mens consentiens Legi, nititur ad honesta, & tamen quod diversum est agit, non ego videor agere quod ago. Quis enim agat quod nolit? Sed parti mei crassiori insita est peccandi vis, & ad vitia proclivitas, per quam fit, ut cum velimus honesta, turpia patremus.

18 Quod si quis hac parte me velit metiri, fateor in me nihil esse boni. Quamvis enim juxta rationis instinctum cupio quod honestum est, non tamen adest facultas præstandi quod probo.

19 Fit enim, ut dum plus valet cupiditas ad turpia pellicens, quam ratio ad honesta invitans, non id faciam quod cupio, nempe honestum: sed id potius quod damno, nempe malum.

20 Quod si facere non videtur, quod quis facit invitus, cum facio quod juxta meliorem hominis partem nolo, jam non ego videor facere quod facio, sed ipsa potius peccandi vis insita crassiori parti mei.

21 Hanc mihi non eximit Lex, sed tamen si quando conor illi parere, facit ut intelligam meum malum penitus insitum & infixum animo.

22, 23 Nam rapit quidem ad se vis honesti, quod video in Lege: sed ex adverso, comperio aliam legem in membris hominis externi, repugnantem ei legi, quæ placet rationi. Jam cum alio vocet ratio, alio cupiditas, præpollet tamen in me quod deterius, vincitur id quod est rectius. Adeo enim penitus insita est carni peccandi proclivitas, tantumque valet delinquendi consuetudo, jam velut in naturam versa, ut ceu captivus quispiam nolens ac reluctans, tamen ad peccatum pertrahar.

24 O me hominem infelicem, tam molestæ servituti obstrictum! Quis me liberabit ab hac carne, tot affectibus, tot vitiis, tot pugnis obnoxia, semperque ad mortem pertrahente? An non merito sic exclamet, qui tam dura necessitate premitur?

25 Quo plus nos sane debemus beneficio Dei erga nos, qui nos à tantis malis eripuit, non per Legem aut circumcisionem, sed per Jesum Christum Dominum nostrum. Quod ni esset factum, ipse quoque cum unus & idem sim homo, ad eundem modum distraherer, ut mente servirem Legi Dei cupiens honesta: carne legi peccati, vincente peccati illecebra.

18 Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle, adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio.

19 Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago.

20 Si autem quod nolo, illud facio: jam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum.

21 Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet:

22 Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem:

23 Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.

24 Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?

25 Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.

CAP. VIII.

Hic dubios vegetat: sonat Abba: flebilis orat Spiritus: abjungit nil ab amore Dei.

1, 2 Quod si nunc nonnullæ etiam reliquiæ pristinæ servitutis resident in nonnullis Christianis, tamen eas pio studio superabunt, neque pertrahentur nolentes ad grave crimen ullum, ob quod damnari mereantur ii, qui semel Jesu Christo per fidem ac baptismum sunt insiti, qui jam desierunt ex cupiditatum & affectuum carnalium arbitrio vivere, postcaquam Lex Christi, quæ spiritualis est & vitæ parens, efficacior ac victrix, liberavit nos à lege peccati, & à morte hujus comite.

1 Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant.

2 Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me à lege peccati & mortis.

3 Id cum Lex Mosi quatenus carnalis est, & ob id inefficax, non posset efficere, novo consilio Deus nostræ saluti consuluit. Quemadmodum (ut dictum est) in uno homine, veluti duo sunt homines, carnalis & spiritualis: ita in una Mosi Lege, ceu sunt duæ Leges, altera crassa & carnalis, altera spiritualis. Prior illa Legis pars Mosen habet latorem, & ut

3 Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus

Digitized by Google

filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne,

ut perpetua non est, ita parum efficax ad præstandam salutem. Altera pars est spiritualis, efficax & potens, & immortalis, quam Christus velut alter Moses nobis absolvit. Congruebat autem ut caro carnem aboleret, peccatum peccato vinceretur, & mors mortem superaret. Misit igitur Deus humanæ salutis avidus, Filium suum, licet ab omni prorsus peccati contagio alienum, tamen eadem indutum carne, qua cæteri peccatores induti sunt: communem enim hominum naturam assumsit, & inter peccatores, ceu peccator versatus est. Imo inter facinorosos, ut facinorosus crucifixus est.

4 Ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.

4 Adeo velut peccati personam in se recepit, ut peccatum peccati specie primum convinceret, mox aboleret, pro nostris commissis factus hostia: atque ita moriens secundum carnem assumtam, mortem subegit, quæ nobis per carnis affectus, & Legem carnalem dominabatur, fecitque, ut posthac carne Legis abolita, succederet pars illa Legis melior, quam spiritualem diximus, quæ non gignit iram ut illa, sed justitiam veram confert iis, qui non juxta litteram Legis more Judæorum, sed juxta spiritum Legis vitam agunt, velut in Christo renati. In illis umbra quædam justitiæ delineata fuit, in nobis vera perfectaque pietas absoluta est per Jesum Christum. Mutata studia novum vitæ genus declarant.

5 Qui enim secundum carnem sunt: quæ carnis sunt, sapiunt: qui vero secundum spiritum sunt: quæ sunt spiritus, sentiunt.

5 Videmus iis, qui in veteri Judaismo perseverant, quoniam adhuc carnales sunt, ea quæ carnis sunt esse cordi. Contra qui Christo insiti spirituales esse cœperunt, neglectis iis quæ ad carnem pertinent, ad ea quæ spiritus sunt affectu rapiuntur.

6 Nam prudentia carnis, mors est: prudentia autem spiritus, vita & pax.

6 Nam talia cuique curæ sunt, qualis est ipse. Carne mortales sumus. At Christus immortalis nos vocavit in vitam, cum ipse sit vita nostra. Porro carnalis illa Judæorum Lex juxta litteram tantum observata adversatur Christo, & à Christo avocat, & ob id mortem parit, videlicet pugnans cum eo, qui solus auctor est vitæ. Judæi enim studio zeloque suæ Legis, justitiæ vitæque auctorem occiderunt. Contra qui spreta Legis littera sequuntur ea quæ spiritus sunt, hi vitam inveniunt in Christo, nec digladiantur de frigidis observatiunculis, sed quæ caritatis sunt sectantes, pacem habent cum omnibus. Rixosa est superstitio, quieta ac tranquilla est vera pietas.

7 Quoniam sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subjecta: nec enim potest.

7 Neque vero mirum, si cum hominibus habet dissidium, cui cum Deo pax non est. Nihil est enim aliud, adhærere Legi carnali, quam Deus per Christum antiquatam esse voluit, ut succederet Lex spiritualis, quam Deo rebellare. Siquidem hic affectus, quoniam dissidet à voluntate Dei, non potest illi non repugnare, ad longe diversa vocanti.

8 Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.

8 Proinde ne quis existimet mediocre periculum, inniti litteræ Legis, & in hac perseverare. Frustra placemus hominibus, nisi Deo placeamus. At qui Mosaicam Legem juxta carnalem intelligentiam mordicus tenent, neque placent Deo, neque placere possunt, nisi contemta carne ad spiritum desciscant. Urgeant quantum libet Judæi neomenias & sabbata, non assequentur, quod sibi promittunt.

9 Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.

9 Sed hæc nihil ad vos, quibus nihil est negotii cum Lege carnali, sed spirituales estis, si tamen ita vivitis, ut Spiritus Dei dignetur habitator esse pectoris vestri. Nam qui nihil aliud quam baptizatus est, adhuc ad carnem pertinet, nisi spiritum combibat Christi, & spiritu illius afflatur. Non ceremoniis, sed spiritu Christo copulamur, quo qui vacat, is à Christo est alienus.

10 Si autem Christus in vobis est: corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem.

10 Quod si Christus in vobis est, cum is nihil aliud sit, quam castitas, quam veritas, quam temperantia cæteræque virtutes, quis est vitiis locus? Christum exprimat oportet, qui Christum habet. Is carne mortuus est, ut ante diximus, sed vivit vitam immortalem. Hunc sic exprimimus, si corpus, hoc est, crassior illa pars nostri, quæ cupiditatum lenociniis ad mortifera sollicitat, mortua sit, & omni peccandi libidine careat, vivat autem spiritus, hoc est, melior pars nostri, ad honesta sollicitans, & ad ea, quæ sunt justitiæ, impetu suo rapiens.

11 Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.

11 Itaque si vere Spiritus Dei, qui excitavit Jesum Christum à mortuis, habitat in vobis, non erit otiosus. Vivida quædam & efficax res est Spiritus, idem efficiet in vobis, juxta captum vestrum, quod effecit in Christo, illum excitavit à mortuis, nec sinit denuo mori. Vos item à vitiis, quæ vera mors est, revocabit in vitam exstinctis perversis affectibus, idque per Spiritum ejus vitæ auctorem, jam inhabitantem in vobis.

12 Ergo fratres debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus.

12 Huic igitur Spiritui vivimus, huic obnoxii sumus, huic parendum, non carni, cui jam mortui sumus. Desiimus enim debere carni, posteaquam idem esse cœpimus cum Christo. Absit igitur ut posthac ex illius libidine vivamus, quæ servire potius debet spiritui. In vitam vocati estis.

13 Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

13 Porro si juxta carnem vixeritis, ad mortem properatis: contra si vigore spiritus, carnis cupiditates exstinxeritis, mortuis illis vos vivetis.

14 Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.

14 Neç durum est Spiritus imperium. Evocat ad magna, sed volentes & cupidos. Adspirat enim vim amoris, cui nihil esse potest difficile, nihil non suave. Ut suo spiritu vivit corpus, ita suo spiritu vivit anima. Si languet spiritus corporis, torpet omne corpus, si viget, est alacre totum corpus. Itaque quicunque aguntur Spiritu Dei, filii Dei sunt.

15 Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater.)

15 Filii spirant ac reddunt indolem paternam, & alacres ultroque faciunt quod senserint illi placere. Servi, quoniam Domino natura conjuncti non sunt, metu continentur, maloque adacti funguntur officio. Judæorum est istud, quos Legis delectat servitus, vos semel ab ea manumissi non rursus in eandem servitutem reciditis, ut metu coerceamini. Sed accepistis Spiritum Dei, per quem adoptati estis in numerum, non servorum, sed filiorum Dei. Is Spiritus eam nobis fiduciam suppeditat, ut si quid opus sit, vocem illam occinamus auribus Dei, quæ parentibus solet esse gratissima, compellantes eum Pater, Pater.

16 Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.

16 Non auderemus hanc illi vocem opplorare, nisi confideremus nos illi esse filios, & illum nobis Patrem propitium, dum non coacti, sed sponte ex illius nutu vivimus. Alioqui Spiritum hunc suum non impartisset nobis, nisi pro filiis haberet.

17 Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, ut & conglorificemur.

17 Hoc igitur veluti pignus ac symbolum paternæ caritatis, fidem facit spiritui nostro, quod ejus simus filii, qui pignus hoc dedit. Quod si filii sumus, non servi, nimirum sumus & hæredes. Hæredes quidem Dei, à quo velut auctore proficiscuntur omnia, cohæredes vero Christi, cujus corpori insiti, Patrem cum eo cœpimus habere communem, & per hunc in jus communis hæreditatis pervenimus. Cujus tamen possessio non aliter continget, quam si eadem via ad illam tendamus, qua Christus ipse pervenit.

18 Existimo enim, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.

18 Ille ferendis malis pervenit ad bonorum possessionem, per obedientiam venit ad regnum, per ignominiam venit ad gloriam, morte pervenit ad immortalitatem. Patiendum igitur nobis cum illo, ut cum eo bonorum contingat fruitio: obediendum, ut cum illo regnemus: ferenda probra mundi, ut cum illo simus glorioſi: moriendum ad tempus cum illo, ut cum illo semper vivamus. Hac lege aditur hæc hæreditas, quæ cum sit immortalis, ac tanta, ut omnem humanæ mentis captum & æstimationem transcendat, si omnes hujus vitæ afflictiones in unum hominem conferas, leves erunt, si expendantur ad futuræ gloriæ præmium, quod illis paratur ac velut emitur incommodis. Atque ejus felicitatis licet jam pignus habeamus, ut diffidere non oporteat, nondum tamen ob corpus hoc morti & doloribus obnoxium absoluta plenaque est. Gustus interim quidam occultus datur intus per Spiritum, sed ea tota

Digitized by Google

proferetur, cum resuscitatis corporibus, & abjecta omnis mortalitatis injuria, cum Christo immortali regnabimus immortales.

19 Nam expectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei expectat.

19 Hoc tempus interim universa hæc Mundi fabrica exspectat, velut optans eum diem, quo jam absoluto numero filiorum Dei, patefiat illorum gloria, qui dum onerati adhuc mortali corpore, fame, siti, morbis, doloribus, variisque malis affliguntur, videtur & ipse mundus aliquo modo particeps infelicitatis humanæ, propterea quod terra, aqua, aer, ipsa corpora cœlestia, denique & ipsi Angeli, in hoc præcipue condita sunt, ut hominum necessitatibus observiant.

20 Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe:

20 Proinde nec ipse Mundus liber futurus est, donec perfecta libertas contigerit filiis Dei, interim fert servitutem, non volens. Quandoquidem etiam in rebus animo carentibus inest nativa quædam perfectionis appetitio.

21 Quia & ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.

21 Fert autem, obtemperans ei, cujus voluntate ei servituti addictus est, & hoc fert tolerabilius, quod intelligat se non in ævum addictum, verum hac lege, ut simul atque filii Dei plene liberati fuerint ab omni mortalitatis contagio, tum & ipse Mundus desinat esse obnoxius incommodis mortalitatis.

22 Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, & parturit usque adhuc.

22 Cum enim videamus omnia Mundi elementa tot vicibus variari, tot esse obnoxia corruptelis: Solem & Lunam, præterquam quod in rebus semper caducis reparandis pene incassum laborant, sua sentire deliquia, Sydera cum Syderibus pugnare: cumque dubium non sit, quin universus Angelorum populus nostras calamitates ex alto contemplans, pio quodam erga nos affectu commoveatur, & quoad licet nostris malis indolescat: nonne universa rerum natura una nobiscum gemit, ac parturientis in morem optat laborum ac dolorum finem.

23 Non solum autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes; & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri.

23 Jam minus mirum videri debet hoc cæteris accidere, cum nos quoque, quibus post Servatoris adventum, omnium mortalium primis contigit Christi afflari Spiritu, neque id vulgari more, tamen adhuc tot malis simus obnoxii, partim ob varias hujus vitæ necessitates, partim ob impiorum improbitatem, ut sæpenumero apud nos ipsos ingemiscamus, cogamurque quotidie malis alienis indolescere, optantes votis diem illum, quo corpus universum Christi suis membris absolutum, liberetur ab omnibus incommodis, ex crasso & carnali jam factum spirituale & immortale. Quicquid interim malorum nos affligit, ferimus spe felicitatis à Christo promissæ. A quo licet pignus salutis acceperimus, plenam tamen salutem non hîc præstitit, sed in futuro seculo voluit exspectari.

24 Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat?

24 Perfecta vero salus nostra sita est in rebus futuris, quarum certam spem concepimus. Spes autem non est rerum præsentium, & oculis subjectarum, sed earum quæ nondum apparent. Alioqui quis unquam dictus est sperare quod oculis cerneret?

25 Si autem quod non videmus, speramus: per patientiam exspectamus.

25 Nec hîc ulla fidei fuerit laus aut spei, si jam exstarent omnia, quæ Christus nobis promisit: verum ita demum fide commendamur Deo, si ea, quæ corporeis oculis cerni non possunt, oculis fidei cernimus, & interim perseverantes in doloribus, spe pertinaci exspectamus quod promissum est.

26 Similiter autem & Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

26 Molesta est interim afflictio juxta carnem, verum fortasse sic expedit nobis affligi. Spiritus tamen boni consulit, & cum corporis infirmitate pugnat, sed adspirat Dei Spiritus adjuvans imbecillitatem carnis nostræ, & spe erigens ad omnia toleranda, commonstrans quid votis optandum sit, aut quid deprecandum. Nam ipsi juxta humanum affectum nescimus quid sit optandum, neque quomodo sit optandum. Unde non raro fit, ut pro salubribus oremus pestifera. Quod mihi ipsi usu venit, cum ægre ferens corporis afflictionem, improbus implorabam opem divinam, ter rogans, ut relinqueret me Satanas, à quo tum affligebar, & ob id negatum est, quod postulabam, quia non expediebat impetrare. Pro jucundis data sunt salubria. Audit quidem Deus vota suorum, si modo non precentur juxta carnis affectum, sed juxta vocem * Spiritus arcanis rationibus agentis in nobis. Is, etiamsi ipsi sileamus, tamen pro nobis interpellat Deum, idque non humano more, sed gemitibus inenarrabilibus. Spiritus hominis interdum magnis suspiriis deprecatur externam afflictionem, aut precatur corporalia commoda, existimans esse maxima quæ levia sunt: sed cœlestis ille Spiritus insitus piorum cordibus ea postulat, quæ si absint, non referendis gemitibus sint desideranda; si adsint, veram & absolutam adferunt beatitudinem.

27 Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus: quia secundum Deum postulat pro sanctis.

27 Ab hominibus postulandum est oratione, quod velis impetratum, quibus neque cognitum est, quod optas, nisi didicerint, neque satis discernunt, quid tibi sit optimum. At Deus qui intimos etiam cordis sinus rimatur, penitusque introspicit, novit & silentibus nobis, quid desideret Spiritus, qui quoties interpellat pro sanctis, indolescens super illorum malis, non juxta humanum affectum interpellat, sed juxta Dei voluntatem. Non optat nisi quæ ad salutem æternam, non optat nisi quæ ad Dei gloriam faciunt. Ea qui ex animo optat, etiamsi forsitan errat in delectu, non errat tamen proposito. Largitur ergo Deus non quod postulatum est, sed id quod maxime conducit ad hoc, ad quod votorum tuorum summam destinasti.

28 Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti.

28 Nec est quod trepidemus, ne magnitudine malorum victi deficiamus, cum illud habeamus certissimum, quicquid horum acciderit piis, omnia cedere in bonum: tantus est Dei favor in eos, quos ex destinata animi sui voluntate delegit, ac vocavit in hanc felicitatem. Noster conatus est, cæterum eventus pendet à decreto Dei.

29 Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.

29 Non temere delegit Deus, quos delegit: novit ille suos multo antequam vocaret. Nec novit tantum, quos vocaret, verum certo animi decreto jam præfinierat, ut inserentur corpori Filii sui Jesu, & ad illius similitudinem transformarentur: qui devicta carne & morte triumphans adiit immortalitatem, ut idem sperent in se membra, quod in capite jam peractum conspiciunt: atque ita per unum Filium plurimos sibi pararet filios, inter quos Christus Jesus caput ac dux esset, velutique primogenitus, suum jus cæteris quoque communicans:

30 Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit.

30 Et quo certa fides sit, nobis Deum, quod semel instituit, ad plenum usque præstiturum, quos ante omnia tempora noverat ac delegerat, de quibus animi sui decretum jam evulgarat Prophetarum oraculis, hos per Euangelium etiam vocavit, nec frustra vocavit, vocatos sua indulgentia ex impiis pios, ex nocentibus innocentes reddidit. Tantum supereſt gloria, quæ nunc quoque magna ex parte contigit, nisi forte parum est magnificum, vacare vitiis, innocentiæ gloria florere, affectibus esse incorruptis, sic insitum esse Christo, ut idem sis cum illo, Spiritum illius habere pignus, hæredem esse Dei, cohæredem Christi, ut de hoc, quod supereſt suo tempore implendum, non liceat diffidere.

31 Quid ergo dicemus ad hæc? si Deus pro nobis, quis contra nos?

31 Hæc cum ita habeant, quid est quod de diffidendo loquatur aliquis? Tot argumentis jam declaravit Deus suam erga nos caritatem ac beneficentiam. Qui si à nobis stat, quid poterit ullus adversarius? Quid valebit hominum malitia, protegente nos Deo?

32 Qui etiam proprio Filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?

32 Aut quid jam non exspectemus ab eo propitio, qui pro nondum reconciliatis, haud pepercit unico Filio suo, sed pro nobis omnibus unum exposuit? Exinanivit ac dejecit, ut nos subveheret: peccatum fecit, ut nos à peccatis liberaremur, in mortem tradidit, ut nos revivisceremus. Proinde cum Filium dede-

* Alia Editio, votum.

Digitized by Google

dederit, in quo sunt omnia, nonne consequitur eo nobis donato simul donata esse omnia, quæ sunt Filii, cujus nos fecerit cohæredes? Aut quid non impartiet nobis posteaquam impendit eum, qui potior est universis creaturis?

33 Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat,

33 Nec periculum est, ne hunc animum erga nos suum vertat mutetque Deus, opera calumniatoris. Quis enim ausit accusationem instituere adversus eos, quos Deus ipse destinato certoque consilio delegit, ac pro suis ducit? Num audiet calumniatorem adversus eos, quibus ipse gratis omnia commissa condonavit?

34 Quis est qui condemnet? Christus Iesus, qui mortuus est, immo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.

34 Deus, omnium judex, nos à pristinæ vitæ reatu absolvit, ac pro justis habet, & quis erit, qui condemnet absolutos? modo nos caverimus, ne in pristinas culpas relabamur. Christus est is, qui tam raro sit in nos affectu, ut pro nobis servandis, mortem etiam oppetierit; immo qui & nobis resurrexerit à mortuis, ne suis deesset. Is tantus advocatus & idem judex assidens dexter Deo Patri, cui per omnia par est, causam nostram apud illum agit. Itaque cum Pater morte Filii nos absolverit ab omni reatu, cum Filio tam cari simus, quid est quod posthac metuamus Diabolum, aut Diaboli ministrum hominem, vel criminantem, vel condemnantem?

35 Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?

35 Cum tot beneficiis, tot pignoribus obstricti simus Deo Christoque, quis erit qui nos ab illorum caritate distrahat, ut non redamemus sic adamati? Num ulla malorum humanorum procella? Num afflictio aut angustia? Num fames aut nuditas? Num naufragium, aut simili casu quodvis incidens periculum? Nam persecutio impiorum, aut gladius mortem intentans?

36 (Sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis.)

36 Quandoquidem hæc eventura piis in hoc Mundo jam olim prævidit mysticus ille Psalmographus, cum divino afflatus Spiritu canit Ps. XLIII. *Quoniam propter te morti tradimur quotidie, habiti sumus velut oves cædi destinatæ.*

37 Sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos.

37 Hæc quamvis acerba videantur, nihil est tamen quod nos terreant. Incidere possunt, opprimere non possunt. Immo quo gravius incumbent, hoc magis ac magis confirmabunt nostram erga Christum, & Christi erga nos caritatem, dum ubique victores discedimus, haud quidem nostris ipsorum præsidiis, sed ipsius protectu, cui debemus omnia. Neque enim ille quando nos sic amat, sinet vinci: neque nos memores illius erga nos beneficentiæ, ullis malorum insultibus labefactabimur ab illo redamando.

38 Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo,

39 Neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

38, 39 Verum adhuc vulgaria duntaxat commemoravi. Dicam etiam audentius quiddam, sed quod mihi certissimum maximeque persuasum habeam. Magis erant formidanda pericula, quæ poterant ab invisibilibus substantiis proficisci, & mentem etiam oppugnare, non modo corpus, quo semel contemto, non terrent illius discrimina. Nec hinc vero est quod metuamus, quando neque Angelus ullus gregarius, quovis tamen homine potentior, neque inter Angelos præcipuus quisquam, quod genus principatus ac virtutes vocant, nec ulla sublimitas, nec ulla profunditas, hoc est, sive è sublimi impetant, sive ex imo, sive honesti specie, sive diversa, etiamsi de cœlo prodeant miracula, sive ab inferis minitentur terrores, neque instantia, neque futura, sive præsens intentetur discrimen, sive in futuram vitam, quid multis? etiamsi quid præterea sit aut exsistat usquam in rebus creatis, sive visibile, sive invisibile, quantumvis potens & efficax, haud tamen poterit nos distrahere à caritate, qua conglutinamur Deo, per Jesum Christum Filium illius, Dominum nostrum.

CAP. IX.

Judæos luget: Jacob non natus amatur:
Quod vile est polit hoc gratia sola lutum.

1 Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto:

1 Ad quem utinam & Judæi omnes sese convertant, Mose suo relicto, qui nunc sibi persuadent, satis esse ad consequendam salutem, quod filii sint Abrahæ, quod Legem teneant olim à Deo datam, cum horum nihil profuturum sit, nisi per fidem se dignos præbeant, qui trahantur ac diligantur à Deo. Verum ab his pertinaciter rejicitur Christus Lege promissus, quem Gentes recipiunt. Neque vero hoc dixerim odio Gentis meæ, licet mihi ubique infestæ. Quod res est loquar, teste Christo omnium conscio, neque quicquam mentiar, teste mihi mea conscientia, cujus auctor & inspector est Spiritus Sanctus.

2 Quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo.

2, 3 Majorem in modum animum meum discruciat, jugique dolore conficit, quorundam suapte culpa pereuntium interitus.

3 Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem,

4 Adeo non odi Judæos, ut optarim, si qua liceat, meo ipsius exitio illorum salutem redimere, neque recusem ipse à Christo rejici, modo omnes, quibus gentis ac generis cognatione junctus sum, mecum item socientur in fide Christi, & sicut genere sunt Israelitæ, ita cognitione veri, vere sint Israelitæ, quos omnium maxime conveniebat eum amplecti, quem Lex promiserat: cum ea sit Natio, quam olim Deus à cæteris secretam sibi peculiariter delegerit, ac cæteras Gentes ceu pro nothis habens, hanc unam veluti germanos verosque filios foverit, cumque penes hanc sit gloria dignitasque præcipua, quod spretis simulacris, Deum verum coluerint. Penes hanc à Deo conditæ Legis auctoritas, ac prærogativa. Penes hanc pacta fœderaque cum Deo inita. Penes hanc cultus rituque sacrorum juxta Dei præscriptum, penes hanc Vatum oracula multis ante seculis Christum venturum, & hanc, de qua paulo ante gloriabar, felicitatem pollicita.

4 Qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa:

5 Quorum patres, & ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

5 Qui genus ducunt ab inclytis illis, ac Deo gratissimis Gentis nostræ luminibus & auctoribus, Abraham, Isaac, Jacob, aliisque, ex quorum stirpe Christus ipse nasci dignatus est secundum carnem; ut hac certe parte jam illi, velint, nolint, propinqui cognatique sint Christo, qui longe præstantior est patribus illis, quorum titulis sese venditant. Siquidem illi quantumvis pii fuerunt, nihil aliud tamen quam homines fuerunt. At Christus sic est homo, ut idem & Deus sit, non hujus aut illius Gentis peculiaris, sed universorum Deus, & idem cum Patre Deus: qui præsidet omnibus, cujusque inscrutabili consilio geruntur hæc omnia, cui soli ob tam inauditam erga genus humanum caritatem debetur laus & actio gratiarum in omne ævum, Amen.

6 Non autem quod excciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ;

6 Quo magis exsecranda est quorundam Judæorum impietas, qui dum maledici sunt in Filium, Patrem, qui per Filium voluit illustrari, contumelia afficiunt. Neque tamen tantum valet istorum impietas, ut ideo non præstet Deus, quod Prophetarum oracuIis se præstaturum promisit. Populo Israelitico, ac posteris Abrahæ promissa fuit ista felicitas, verum non quibuslibet, sed iis modo, qui vere essent horum posteri. Neque enim omnes, qui genus ducunt ab Israele, veri sunt Israelitæ, sed qui fidei robore fortes sunt & invicti adversus hujus Mundi incommoda, quibus Deus explorat animi nostri pietatem, in hos vere competit cognomen Israelitæ, hoc est, potentis Deo.

7 Neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii: sed in Isaac vocabitur tibi semen;

7 Neque quicunque ex Abrahæ sanguine sunt orti, continuo filii sunt Abrahæ, ut promissionis hæreditatem sibi vindicent, sed qui fidem Abrahæ referunt, per quam ille meruit hanc in posteros exhibendam felicitatem. Ac vide, si non id palam aperit Dei promittentis sermo: *In Isaac*, inquit, *vocabitur tibi semen.*

8 Semini Abraham promissum est, fore ut per illud celebres essent universæ Nationes. At non vult quosvis Abrahæ posteros in seminis venire appellationem, nisi sint in Isaac, qui est fidei filius, & Christi typum gerit. Isaac non juxta communem nativitatis rationem editus est, verum ex patre effœto quidem, sed fidente Deo, ex anu item effœta natus. Hunc igitur Dei virtus & patris fides genuit verius quam caro. Quid igitur sibi vult, quod ait: *In Isaac vocabitur tibi semen*, nisi ut palam explicaret, non quoslibet juxta carnem natos ex Abraham, esse continuo filios Dei, & per hoc hæredes promissorum, sed quibus adest fides, per quam Abraham Dei promissum promeruit, hos demum pertinere ad semen Abrahæ.

9 Quod si Deus hac forma promisisset, quicunque nati fuerint ex te, ad hos pertinebit mea promissio, jure sibi vindicarent hanc gloriam, quicunque ad progeniem Abrahæ pertinerent, juxta sanguinis cognationem. Nunc cum dixerit: *Secundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius*, unicum, eumque fidei filium designavit, quem sua voluntate Deus ad hoc delegisset, non ex commendatione circumcisionis, cum nondum esset natus, sed ob meritum paternæ fidei. Abrahæ postea nati sunt liberi ex aliis uxoribus, & tamen solius Isaac nomine promissa est Abrahæ benedictio.

10 Quod in Isaac evenit & cæteris Abrahæ liberis, idem evenit in Jacob & Esau. Si corporum sola cognatione benedictionis hujus hæreditas obveniret, magis ad Esau majorem natu pertinebat, quam ad Jacob. Isaac pater erat amborum communis, mater eadem ambos unico mariti congressu concepit, simul intra matris uterum gestati sunt, simul in lucem editi, & tamen alterum agnovit Deus ceu partum legitimum, alterum ceu nothum abdicavit, dicens: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.*

11, 12 Quæ res igitur discrevit hos geminos? Non carnalis propinquitas, non Legis observatio, non circumcisio. Siquidem de nondum natis, prius quam omnino quicquam egissent, vel juxta Legem, vel adversus Legem, dictum est,

13 Major serviet minori. Cur ita visum est Deo, aut quid nobis hoc facto declaratum esse voluit? Quid aliud, quam ne quis circumcisionis, aut Legis fiducia jus hujus promissi sibi vindicet, nisi talem se fide præbeat, ut inter electos habeatur, ac talis sit, qualis fuit Isaac & Jacob? Quandoquidem electio Dei filios facit Abrahæ, non propinquitas. Quod si Deus Judæos rejicit & aversatur, quemadmodum olim aversatus est Esau, nihil profuerit ex Abrahæ stirpe descendisse. Rursus si Gentes fidei merito adscisit Deus ad hanc hæreditatem, nequaquam obfuerit, nihil esse cum Abraham affinitatis carnalis, cum eas agnoscat Deus in filiorum jus adoptatas.

14, 15 Nec est quod hæc, quæ diximus, quisquam impius eo detorqueat, quasi jam culpa non sit penes homines, sed penes Deum, qui nihil commeritos aut promeritos pro sua libidine rejiciat aut adscisat: absit ut ejusmodi cogitatio subeat animum cujusquam, neque sic interpretetur quod in Exodo Cap. xxxiii. Mosi loquitur Deus: *Miserebor cujuscunque misereor, & commiserabor quemcunque commiseror;*

16 Quum non sit volentis aut currentis assequi salutem, sed miserentis Dei, quandoquidem frustra cupimus, frustra adnitimur, nisi Deus volens nos attraxerit: attrahit autem, quos illi visum est, etiam nihil promeritos, & rejicit nihil commeritos. Nec tamen hinc consequitur, Deum in quenquam esse injurium, sed in multos misericordem. Nemo damnatur, nisi sua culpa: nemo servatur, nisi Dei beneficio: eo dignatur quos vult, sed ita, ut sit de quo gratias agas, misericorditer attractus, non sit quod queraris tuæ malitiæ derelictus.

17, 18 Neque enim Deus indurat animos hominum, quo minus credant Euangelio Christi, sed eorum pertinacia, qui suapte malitia recusant credere, abutitur ad illustrandam beneficii sui magnitudinem, ac declarandam potentiæ suæ gloriam. Sic enim accipiendum, quod in Exodo dictum est Pharaoni: *In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem, & prædicetur nomen meum in universa terra.*

19 Ex hujusmodi dictis ansam arripit impius, & dicit: Si cujuscunque vult misereatur, & quemcunque vult indurat, quid est in quo nos incuset postea? Quando voluntati illius resisti non potest, sibi imputet, non nobis, si peccemus. Sed audi nunc contra. Voluntati Dei nemo resistit, verum illius voluntas non est tibi causa exitii. Nec sic induravit cor Pharaonis, ut ipse pertinaciam immitteret, sed cum nosset arrogantiam tyranni subito dignam exitio, tamen paulatim ingravescentibus suppliciis in eum usus est, quibus ille corrigi potuisset, ni ipsius malitia obstitisset. Verum divina lenitas impiam mentem magis exacerbabat. Hujus igitur malum, Deus in suam vertit gloriam. Plura poteram pro Deo respondere, sed odit Deus omnem arrogantiam.

20 Quid autem arrogantius, quam hominem, quo nihil abjectius, cum Deo disceptare, velut ex æquo contendentem? Quis enim ferret, si luteum vas cum figulo suo expostulet, dicatque: *Cur me sic finxisti?*

21 Quod lutum est in manu figuli, hoc omnes sumus in manu Dei: quemadmodum per Esaiam Prophetam loquitur ipse Dominus. Ille fingit quodcunque animo suo collibuit, aliud vas in sordidos usus, aliud in honestos producens. Quocunque judicio id facit, suo jure facit figulus, nec convenit lutum consilii rationem ab illo exigere. Lutum ex sese nihil aliud est quam lutum. Ex eo si figulus fingit poculum elegans, quicquid hoc est honoris debet suo artifici: sin matulam, nulla sordido vilique luto fit injuria. Ita si Deus deserit hominem in peccatis, sic natus est, nulla est injuria: sin vocat ad justitiam, gratuita est misercordia. In illis Deus declarat suam justitiam, ut timeatur: in his patefacit suam bonitatem, ut ametur. Nec est hominis a Deo consilii rationem exigere, cur hunc vocet serius, illum maturius, hunc attrahat immeritum, illum deserat nihil promeritum. Longe vilior est homo collatus cum Deo, quam argilla collata cum homine figulo. Si prodigiosæ sit arrogantiæ, lutum argutari cum figulo: quanto majoris arrogantiæ est, hominem de consiliis Dei disceptare? quæ tanto supra nos sunt, ut vix umbram aut somnium possimus assequi? Incipe credere, & define disceptare, atque ita citius intelliges. Et figulus errare potest, Deus non potest. Illud tibi satis est credere, Deum, cum sit omnipotens, posse quicquid vult: sed eundem cum sit optimus, non velle nisi quod optimum est. Neque culpari debet, si nostris malis bene utitur. Immo hoc ipsum summæ bonitatis est argumentum, quod aliena mala vertat in bonum. Deus non finxit te vas immundum. Tu teipsum conspurcasti, & inhonestis usibus addixisti. Post hæc, si ille pro sua sapientia, tuo malo abutitur ad salutem piorum, suique nominis gloriam, nihil est hinc tibi quod queraris.

22 Tu tuæ malitiæ justas pœnas luis, pii tuo exemplo cautiores redduntur, & alacrius agunt gratias, dum ex tua cæcitate, tuoque exitio magis agnoscunt, quantum debeant divinæ beneficentiæ. Non habebat Pharao quod incusaret Deum, suapte malitia subversus est, & tamen hujus malitia gloriam Dei illustravit apud Hebræos. Quid vero sit quod incusent, si nunc item Deus ut olim distulit exitium Pharaonis, diu multaque lenitate sustinet ac tolerat incredulos ac pertinaces Judæos, ceu vasa immerita, quæ mox confringantur, quo magis evidens

8 *Id est, non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine.*

9 *Promissionis enim verbum hoc est: Secundum hoc tempus veniam; & erit Saræ filius.*

10 *Non solum autem illa: sed & Rebecca ex uno concubitu habens, Isaac patris nostri.*

11 *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, (ut secundum electionem propositum Dei maneret)*

12 *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei:*

13 *Quia major serviet minori: sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.*

14 *Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? Absit.*

15 *Moysi enim dicit: Miserebor cujus misereor: & misericordiam præstabo cujus miserebor.*

16 *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.*

17 *Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam: & ut annuntietur nomen meum in universa terra.*

18 *Ergo cujus vult misereatur, & quem vult indurat.*

19 *Dicis itaque mihi: Quid adhuc queritur? voluntati enim ejus quis resistit?*

20 *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic?*

21 *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere vas aliud quidem in honorem, aliud vero in contumeliam?*

22 *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa iræ, apta in interitum,*

dens

Digitized by Google

dens fiat omnibus, illos esse exitio dignos, qui tot modis provocati, corrigi non queant: simulque ut illorum supplicio cæteri metuant Deum omnipotentem, quem non oportet sine fine peccando ad certam iram provocare:

23 Utque copiosius ostendat gloriæ suæ magnitudinem erga pios, quos prius vasa immunda purgavit, & honestis usibus consecravit, non ex circumcisionis aut Legis, sed ex fidei merito, cujus unius commendatione adsciti sunt ad hoc honoris.

24 Adsciti sunt autem, non solum ex Judæis, veluti nos, verum etiam ex Gentibus. Quandoquidem hîc non nativitas, sed Dei delectus facit hæredes. Neque mirari debent Judæi, Gentes antehac profanas, & à Deo alienas, nunc adoptari in numerum filiorum Dei, cum ipsi olim ob commissa sua in Deum, spreti rejectique & velut abdicati, tamen postea resipiscentes & emendati, recepti sint in gratiam lenitate clementiaque divina.

25, 26 Testatur hoc ipsorum Propheta Osee, dicens: *Vocabo non plebem, plebem meam, & non dilectam, dilectam, & misericordiam non consecutam, misericordiam consecutam: futurumque est, ut in eo loco, in quo prius dicebatur, vos non estis plebs mea, ibi vocentur filii Dei.* Cur damnant in aliis, quod in se sunt experti? Cur non potius cavent, ne rursum fiant sua culpa, quod olim fuerunt? Cur invident iis, quos possunt imitari, nisi mallent contendere, quam obedire? Quod si maxima pars hominum sua pertinacia perit, tamen his paucis, qui crediderint, præstabit Deus, quicquid omnibus est promissum. Neque deerunt unquam hujus hæreditatis successores.

27 Non dissimulavit hoc Esaias, sed clara voce testatur prædicans de populo Israelitico: *Si fuerit*, inquit, *numerus filiorum Israel par numero arenarum, quæ sunt in marino littore*, sique tam multi suo vitio pereant, *tamen aliqui supererunt semper*, qui fide salvi fiant. Nulla quamlibet ingens turba decidentium, Dei promissum irritabit. Fallere fidem in promissis, est hominum; at Deus est is, qui quicquid dixit plene præstet, & quidem compendio, nec dolo, sed vere justeque.

28 Propterea quod quemadmodum idem dixit Esaias: *Sermonem in compendium contractum faciet Dominus super terram.* Fuci nonnihil habere videntur umbræ, ac multiloqua Lex est, promittens, adumbrans, præcipiens, minitans, consolans. At Christus missus semel exhibuit quicquid erat promissum, expressit quicquid erat adumbratum, ac præscriptionum multiloquium redegit ad unicum præceptum caritatis Euangelicæ. Sparsit cœlestis doctrinæ semen, quod licet infrugiferum sit in multis meæ Gentis, non desunt tamen in quibus fructum attulerit.

29 Rursus idem superius testatur: *nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti fuissemus, neque secus quam Gomorrha fuissemus habiti.* Proinde licet desciscant à Christo Judæi plerique, non sinet Christus intermori germanum ac legitimum semen Abrahæ.

30 Hæc ita cum habeant, quid dicemus? Nimirum id quod res est, quod Gentes, quæ videbantur à justitia alienæ, & à legalibus cæremoniis immunes, veram tamen assecutæ sunt justitiam, non enim Judaicam, quæ rebus corporeis constans, umbram quandam modo justitiæ præ se ferebat, sed salutarem efficacemque justitiam, quæ contingit non iis, qui sibi placent operibus legalibus, sed qui se per fidem simplicem Deo submittunt, deduntque.

31 E diverso populus Judæorum, dum justitiæ legem juxta carnem sectatur ac mordicus tenet, ad veram justitiæ legem non pervenit, videlicet excidens à Christo, in quem ceu scopum omnia Legis Mosaicæ tendebant oracula.

32 Dixerit aliquis, unde tam repentina rerum commutatio? qui res sic in diversum exiit? Nimirum quod Deus aversatur elatos, & sese impartit modestis ac submissis. Atque idcirco Gentes agnoscentes morbum suum, & sese Deo submittentes recepit: Judæos rursum erectos, sibique falso justitiæ titulo plaudentes, fretos, sabbatis, lotionibus, circumcisione, atque his consimilibus observatiunculis, fidei jugum dedignantes recipere, rejecit, Christum abnegantes, & auctorem vitæ morti tradentes: quod ipsum eventurum olim præscius vaticinatus est Esaias, videlicet ut Christus, quem Lex Servatorem promiserat, illis ob incredulitatem fieret occasio ruinæ, atque idem lapis, qui piis erat futurus solido tutoque præsidio, istis verteretur in perniciem, dum in illum malunt impingere reluctantes, quam in eo conquiescere credentes:

33 Sic enim apud Prophetam Esaiam Cap. XXVIII. loquitur Deus Christi Pater: *Ecce pono in Sion lapidem in quem impingant, & saxum in quod incurrant. Caterum quisquis crediderit in eum, non erubescet*, sua fruſtratus fiducia.

CAP. X.

Cæcus amor legis: Christus perfectio legis: Vox quæ fidem gignit, missa per omne genus.

1 FRATRES, hæc ingenti cum animi dolore loquor, propterea quod illis ex animo bene velo, si queam pereuntibus succurrere. Nunc, quod unum possum, in quotidianis precibus meis, quibus Deum sollicitare soleo, precor ut resipiscant aliquando, neque semper in hac cæcitate perdurent.

2 Non possum excusare illorum incredulitatem, sed tamen aliquid utcunque prætexi potest illorum peccato. Non sunt omnino à Deo alieni, veluti Gentes, quo magis optarim, ut quod aliqua ex parte cœperunt habere, perficiatur, & cujus umbram aliquandiu circumtulerunt, ejus nunc assequantur veritatem. Quamvis enim ad summam impietatem prolapsi, Dominum omnis gloriæ fontem crucifixerunt, tamen hoc illis tribuo, nec inficias eo, ducuntur aliquo studio zeloque Dei, sed absque judicio. Non omnino errant in affectu pietatis, sed vehementer errant in delectu. Præstabat qualecunque religionis habere studium, quam nullum omnino habere, & merebantur, ut habentibus apponeretur aliquid, nisi sic pertinaciter inhærerent rudimentis pietatis, ut veram pietatem rejiciant; sic premerent & urgerent umbras ac simulacra veritatis, ut ipsum veritatis fontem adspernentur.

3 Etenim dum Legem Mosaicam sedulo quidem, sed tamen inscite tuentur ac retinent, prorsus à tota Lege excidunt, cum eo pugnantes, cujus gratia Lex erat instituta. Nam sabbatum, circumcisio, discrimina ciborum, fuga cadaverum, jejunia, festi dies, hoc consilio fuerant ad tempus instituta, ut his ceu rudimentis ad veram justitiam præluderent, & ab humana quadam justitia proficerent ad justitiam Dei summam atque perfectam. Non convenit autem amore studioque ejus, quod alterius melioris rei gratia fuerat adhibitum, adspernari ac rejicere id, cujus unius causa cætera omnia adhibebantur. At Judæi cum publicata jam Dei justitia, debuerint humanam relinquere justitiam, præpostere faciunt, sic pristinam illam & jam pestiferam etiam non modo supervacaneam justitiam defendentes ac propugnantes, ut Dei justitiam nolint agnoscere, ac suis freti cæremoniis, repugnent Euangelio Christi, cui per fidem submitti oportuit, si vere justi vellent esse.

4 Oportet enim imaginari ceu geminam justitiam, alteram cujus auctor fuerit Moses, alteram cujus auctor sit Christus. Illa constat cæremoniis, altera constat fide & obedientia. Ac prior illa ceu rudimen-

23 *Ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.*
24 *Quos & vocavit non solum ex Judæis, sed etiam ex Gentibus,*
25 *Sicut in Osee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam.*
26 *Et erit: In loco, ubi dictum est eis; Non plebs mea vos: ibi vocabuntur filii Dei vivi.*
27 *Isaias autem clamat pro Israel: Si fuerit numerus filiorum Israel tamquam arena maris, reliquiæ salvæ fient.*
28 *Verbum enim consummans, & abbrevians in æquitate: quia verbum breviatum faciet Dominus super terram:*
29 *Et sicut prædixit Isaias: Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma fuissemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus.*
30 *Quid ergo dicemus? Quod gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam: justitiam autem, quæ ex fide est.*
31 *Israel vero sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit.*
32 *Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offensionis,*
33 *Sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis & petram scandali: & omnis, qui credit in eum, non confundetur.*
1 *Fratres, voluntas quidem cordis mei, & obsecratio ad Deum, fit pro illis in salutem.*
2 *Testimonium enim perhibeo illis, quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.*
3 *Ignorantes enim justitiam Dei, & suam quærentes, statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.*
4 *Finis enim legis, Christus, ad justitiam omni credenti,*

Digitized by Google

mentum est & initium posterioris, perinde ut truncus initium est aliquod futuræ Statuæ, aut sanguinis coagulum futuri animantis. Stultissimum autem sit, ubi ad id, quod perfectum est, perveneris, rudimentis inhærere. Sed totius Mosaicæ Legis per se rudis, & invalidæ, perfectio Christus est, ad consequendam veram justitiam non per circumcisionem, sed per fidem. Atque hic aditus ad justitiam non Judæis solum patet, sed cuicunque credenti.

5 *Moyses enim scripsit, quoniam justitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, vivet in ea.*

5 Utriusque justitiæ imaginem Moses ipse depinxit. Nam temporariam illam justitiam, quæ in ceremoniis ad certum modo tempus servandis sita erat, describit in Levitico Cap. xviii. dicens: *Custodite leges meas, atque judicia, quæ qui fecerit homo, vivet in eis.*

6 *Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: quis ascendet in cælum? id est, Christum deducere:*

6 Porro veram & perennem justitiam, quam via fidei vivæ consequimur per Christum, describit libro Deuteronomii Cap. xxx. cum ait: *Ne dixeris in corde tuo, quis adscendit in cœlum? Nam id est Christum è cœlo detrahere.*

7 *Aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum à mortuis revocare.*

7 *Aut ne quis dicat, quis descendit in abyssum terræ? nam id fuerit Christum a mortuis revocare.* Neuter horum credere videtur, cum experimentum flagitet. At qui sincere credit, huic certius persuasum est, quam ut ullum præterea desideret documentum, Christum & olim descendisse de cœlo, & nunc sedere in cœlis ad dexteram Patris, etiamsi rursus utrumque non exhibeat oculis. Item Christum descendisse ad inferos, & ab inferis reversum, revixisse, licet nihil horum iteret sensibus humanis. Hæc semel esse facta sat est. Superest ut iis, qui viderunt, credamus.

8 *Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod prædicamus.*

8 Atque id non è longinquo petendum est. Viderunt hæc Judæi, & non crediderunt. Audierunt qui non viderunt, & crediderunt. Nec id tacet Scriptura, quæ mox subjicit, *Prope est quod dicimus, nimirum in ore tuo, & in corde tuo.* Quis iste sermo est, de quo loquitur Scriptura? Nimirum sermo Euangelii, quod nos hujus justitiæ præcones prædicamus, præsentem adfert salutem. Tu tantum animum per fidem accommoda.

9 *Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris.*

9 Quomodo autem est in ore? quomodo in corde? Si ore tuo confitearis & agnoscas Dominum Jesum, atque idem ex animo vereque credideris, quod Deus resuscitarit à mortuis, ut nos cum illo à vitiis redivivi posthac innocenter vivamus, salvus eris.

10 *Corde enim creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem.*

10 Nam corde quidem creditur, quæ janua est ad justitiam. Cæterum quoniam gloriam debemus Christo, non satis est animo tenere fidem, nisi quoties res postulat, & ore confitearis eum, ad perfectam salutem consequendam.

11 *Dicit enim Scriptura: Omnis, qui credit in illum, non confundetur.*

11 Videtis summam hujus negotii non à ceremoniis pendere, sed à fide. Quod & Esaias testatur cum ait de Christo: *Quicunque crediderit in eum, non pudefiet.*

12 *Non enim est distinctio Judæi & Græci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.*

12 Cum ait, *quicunque*, nonne tollit omne discrimen Judæi & Græci? Cum ait, *crediderit*, non autem ait *circumcisus fuerit*, aut simile quippiam, nonne Legis antiquat ceremonias? Sola fides requiritur. Ea ex æquo communis omnium esse potest. Ac Deus is est, qui non tantum Dominus sit Judæorum, sed ex æquo omnium, cujus beneficentia non sit tam angustis circumscribenda terminis, ut ad solos Hebræos porrecta, mox exhauriatur, imo immensa est illius bonitas exuberans atque exundans, non in unam aut alteram Gentem, sed in omnes cujuscunque nationis populos, modo sincera fiducia Numinis, opem ipsius implorent.

13 *Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.*

13 Affirmat hoc ipsum Propheta Joel Cap. ii. *Omnis*, inquiens, *quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Nullum hominum genus excipit sermo propheticus. Quisquis fidenti animo invocaverit, salutem consequetur, sive Judæus, sive Græcus, sive Barbarus. Atque è diverso, quicunque non invocaverit, peribit.

14 *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?*

14 Nullus autem invocat eum, aut opem implorat ab eo, cui non fidit. Sed quî fident ei, de quo nihil audierint? Rursum quomodo audient, nisi sit qui prædicet ignotum?

15 *Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est: Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!*

15 Quî prædicabunt autem Apostoli, nisi missi sint ab eo, cujus est Euangelium? de quibus idem meminit Esaias Cap. xxv. cum inquit: *Quam decori pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona?* Auditis quid jubeantur prædicare Christi præcones, non circumcisionem & sabbatismos, sed pacem, quæ per fidem abolitis peccatis nos mutua caritate in Christo conglutinet, & ea bona quæ semper bona sint, quia suapte natura bona sunt.

16 *Sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim dicit: Domine quis credidit auditui nostro?*

16 Cum igitur nihil sit prætermissum ab eo, qui mortales omnes ad salutem invitat, nullique Gentium non sit prædicatum Euangelium, non omnes tamen credunt Euangelio. Atque ita futurum, idem prædixit Esaias, ita loquens sub Apostolorum persona: *Domine, quis credidit sermonibus nostris?* Siquidem & inter Gentes perpauci credunt Euangelio, si cum iis, qui non credunt, conferantur.

17 *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.*

17 Colligamus igitur rerum, quas diximus, summam: si invocatio affert salutem, nec invocat qui diffidit, nimirum fides in primis exigitur, non circumcisio. Porro fides concipitur in animo, non per experimenta, sed per Apostolorum prædicationem, hoc est, non per oculos concipitur, sed per aures, per quas in animum obedientem transfunditur Euangelium Christi.

18 *Sed dico: Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

18 Cum igitur jam per universum orbem eluxerit Euangelii fulgor, & innotuerit Christi nomen, quid sibi vult, quod tam pauci Judæorum credunt? An habent quo se excusent, quod de Christo nihil audierunt? Imo jam impletum cernimus, quod prædixerat David Ps. xviii. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

19 *Sed dico? Numquid Israel non cognovit? Primus Moyses dicit: Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem insipientem, in iram vos mittam.*

19 Ergo cum olim tot Prophetarum oraculis sit Christus promissus, cum nunc palam in omni Natione per Apostolos testes idoneos prædicatus, cum prædicationi fidem adstruant miracula, num Judæi prætexere possunt, quod Christum nesciant? Imo viderunt lucem, sed malitia excæcavit oculos eorum. Audierunt Euangelium, sed livor obsepsit aures illorum. Malunt enim Gentibus ad salutem vocatis invidere, quam fidem illorum imitari. Atque hoc etiam utrumque, videlicet Judæos rejecturos esse sermonem Euangelii, & Gentes recepturas, à Mose simul & ab Esaia prædictum est: quorum prior Moses libro Deuteronomii in Cantico Cap. xxxii. sic facit loquentem Dominum, offensum incredulitate Judæorum: *Ego vos ad æmulandum provocabo per Gentem contemtissimam*, quæ hactenus præ vobis non sit habita pro gente: & cum ipsi videamini vobis sapere, *irritabo vos per Gentem* vestro judicio *stultam ac brutam*, quo magis vos stimulet animi livor.

20 *Isaias autem audet, & dicit: Inventus sum à non quærentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant.*

20 Ac Moses sequutus Esaias Cap. lii. nihilque veritus testatur aperte, Deo gratiorem fuisse Gentium obedientiam, quam Judæorum pertinaciam. Sic enim ait sub persona Christi: *Inventus sum à non quærentibus me, palam apparui his, qui de me non interrogabant.* Tam magnificum fidei testimonium præbet Gentibus.

21 *Ad Israel autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.*

21 Cæterum adversus Israeliticum populum, quem magis oportebat amplecti fidem Euangelicam, quid continenter subjecit idem Esaias? *Toto*, inquit, *die expandi manus meas ad populum incredulum.* Misi Prophetas, eos trucidarunt: ipse tot miraculis editis, illos provocavi, pro gratia dixerunt, Dæmonium habet, & præsidiis Beelzebub principis Dæmoniorum facit ista. Humilitatem despexerunt, virtutem impie sunt interpretati.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XI.

Lethum Juda sibi est: nam sit gens credula salva: Spes reliquorum aliqua est: ô via mira Dei!

1 SED quorsum hæc, quæ diximus, tendunt? An huc, ut doceam Gentes ob fidem adoptatas à Deo, cum ante ab illo essent alienæ: contra populum prius à Deo selectum, nunc ob incredulitatem prorsus esse rejectum? Nequaquam: nam minime consentaneum est, Deo nunc prorsus rejectum esse populum, quem hactenus ut selectum ac peculiariter suum libenter agnovit. Etenim si gentem totam repulisset Deus, ipse non prædicarem Christum, quandoquidem genere verus sum Israelita, oriundus ex stirpe Abrahæ, pertinens ad tribum Benjamiticam. Cumque ipse non recto Legis studio prius persequerer pios, adscitus sum ad munus Euangelicum.

2 Certe non fugit vos, quod legitur libro Regum III. Cap. XIX. ubi Helias Propheta Deum alloquitur, querens & incusans Judæos impietatis:

3 *Domine*, inquit, *Prophetas tuos occiderunt, altaria tua subverterunt, atque ego relictus sum solus, & insidiantur vitæ meæ.* Post tam impiam crudelitatem, merito videbatur Deus prorsus abjecturus gentem, ceu deploratam.

4 Sed tamen quid divinitus responsum est Heliæ? *Reliqua feci mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua coram idolo Baal.*

5 Quod igitur tum accidit, ut non in totum Deus abjiceret populum, sed ex tot impiis aliquem numerum sibi faceret reliquum, idem nunc usu venit. Neque enim Deus universam Judæorum gentem passus est alienari. Neque reliquum omne mortalium genus passus est suis immori vitiis: licet ex utroque numero pauci credant, præ his qui credere recusant.

6 Sed tamen aliquot Deus sua benignitate servavit, non quod generis sint Judaici, non quod Mosi Legem servarint, sed quod hos Deus elegerit è multis, quibus suam munificentiam & gratiam impartiret. Id si munificentiæ est, non meriti, jam non imputetur factis. Nam quod factis rependitur, merces est, non munificentia: quod ultro defertur immerentibus, id demum est beneficium. Quod si supputantur operum merita, jam beneficium desinit esse beneficium, & in præmii vocabulum abit.

7 Quid igitur evenit? Nempe quod Israeliticus populus Legis fiducia quærebat, ob incredulitatem non est consecutus, ii solum consecuti sunt, qui non ad circumcisionem, sed ad electionem pertinent. Cæteris vero nihil profuit circumcisio, aut Legis observatio: sed malitia sunt excæcati, ut nec visis tot prodigiis fidem habuerint, oculis corporeis cernentes Christum tam diu exspectatum, oculis animi non videntes.

8 Atque id quoque futurum prædixerat Esaias, quod nunc factum videmus, ac dolemus. Etenim quia Spiritum illum sanctum ac lenem Christi rejecerunt, idcirco Deus immisit illis spiritum asperum ac spinosum & intractabilem, ut quod oculis cernunt, tamen perinde negent, quasi non videant, quod auribus audiunt, tamen non magis eos moveat, quam si non audiant. Tales olim erant Prophetis, tales fuerunt ipsi Christo, tales & in hunc usque diem sunt Euangelii præconibus.

9 Vidit hæc & David oculis Propheticis, ac dignum tanta pertinacia adversus cœleste Numen exitium imminere vaticinatur: *Mensa*, inquit Ps. LXVIII. *illorum vertatur illis in laqueum, in captionem, & in ruinam, atque in pœnam factis debitam.*

10 *Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsa eorum semper encurva.* Quandoquidem iis, quæ apposita sunt, frui noluerunt, quæque oculis & auribus exhibita sunt, aversati sunt: nec curarunt, ut erectis in cœlum oculis, agnoscerent conditoris erga se benignitatem, sed humili Legis litteræ affixi, fastidiunt sublimia, adspernantur æterna, temporariis rebus addicti. Circumferunt Mosi libros, nec eos intelligunt: legunt Prophetas, & ab iis promissum negant.

11 Sed quorsum hæc, inquiet aliquis? Excæcati sunt, capti sunt, incurvati sunt, obsurduerunt. Sed num ita lapsi sunt, ut prorsus conciderint, nulla resurgendi spe reliqua? Bona verba. Imo lapsus hic ad tempus incidit, & vobis feliciter incidit, quandoquidem illorum lapsus occasio fuit, ut vos ad salutem adsciscerentur, quo vicissim Judæi Gentium exemplo, vel in fine mundi ad pietatis veræ studium perpellantur: & sicut illorum à Christo defectio Gentibus ad Christum veniendi viam aperuit, ita vestra fides Judæos exstimulet aliquando vel æmulatione quadam ad credendum.

12 Quod si lapsus illorum per occasionem sic profuit, ut Judæorum defectio, non solum nihil attulerit dispendii, sed fides in multo plures sit propagata, dum paucis deficientibus, ad omnes derivatum est Euangelium, & unius Gentis jactura, tot Nationes lucrifecit Christo, quanto magis ditabitur Mundus, cum vestra pietate provocata, jam & ea Natio cæteris adjungetur?

13, 14 Vos appello Gentes, ut meos discipulos, quatenus sum Gentium Apostolus, licet genere Judæus. Quamvis vestra causa nihil non faciam, tamen magis etiam adnitar illustrare munus Apostolicum mihi commissum, & quamplurimos vestrum ad Christi societatem pellicere, pellectos Christo dignos exhibere, si qua fieri possit, ut hac ratione provocem Gentem meam: meam quidem affinitate generis, licet fide alienam, ad æmulandum pietatem vestram, vel invidia quapiam ac livore, ut est zelotypum genus, atque ita si cunctos non queam adducere, saltem aliquot ex illis servem. Etenim scio vos hoc ipsum optare, quod opto.

15 Nam si Judæorum rejectio reliquum mundum per occasionem reconciliavit Deo, quod dum illi excidunt à gratia, Gentes ad gratiam admissæ sunt, hoc est, si malum illorum bene cessit mundo: quanto plus boni fuerit, si qui nunc alieni sunt, per fidem assumantur velut è mortuis redivivi, ut impleto fidelium numero, nihil jam supersit, nisi corporum resurrectio?

16 Neque enim de universa Gente desperandum est, ob quorundam impietatem. Si Gentes à Religione alienæ, Deo vocante ad veram Religionem adduci potuerunt, quid vetat ex ea Gente ad fidem revocari, quæ pios habuerit auctores ac principes? Imo magis est consentaneum, ut ex piis nascantur pii, quod exordium fere sapiant, quæcunque hinc proficiscuntur. Si fermentum sanctum est, oportet & totam massam haberi sanctam, quæ fermento imbuta est. Et si radix arboris sancta est, par est & ramos à radice profectos esse sanctos. Judæi generis ac stirpis auctorem habent Abraham, cujus fides Deo probata est. Quid vetet posteros, auctoris sui fidem referre?

17 Quod si non faciunt, desinunt esse illius nepotes, non secus ac ramus desinit radicis ali succo, si defringatur. Quod si fieri videmus, ut rami defringantur è sua nativa arbore, in qua primum nati sunt, quanto minus mirum sit, si defringi contingat in alienam insitos arborem? Proinde si vides Judæos è sancta radice veræ olivæ natos ceu nativos ramos, defractos, revulsosque ob incredulitatem à sua stirpe, sic ut nihil illis profit radix: tu contra cum ex oleastri radice prodieris, non natura, sed arte ac voluntate Dei insitum olivæ, & inter illius ramos acitum cooptatumque, sic ut exemptus ab in-

1 *Dico ergo: Numquid Deus repulit populum suum? Absit. Nam & ego Israelita sum ex semine Abram, de tribu Benjamin.*

2 *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit. Annescitis in Elia quid dicit Scriptura? quomodo interpellat Deum adversus Israel?*

3 *Domine Prophetas tuos occiderunt, altaria tua subfoderunt: & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam.*

4 *Sed quid dicit illi divinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.*

5 *Sic ergo & in hoc tempore, reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt.*

6 *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.*

7 *Quid ergo? quod quærebat Israel, hoc non est consecutus: electio autem consecuta est: cæteri vero excæcati sunt:*

8 *Sicut scriptum est: Dedit illis Deus spiritum compunctionis: oculos ut non videant, & aures ut non audiant, usque in hodiernum diem.*

9 *Et David dicit: Fiat mensa eorum in laqueum, & in captionem, & in scandalum, & in retributionem illis,*

10 *Obscurentur oculi eorum ne videant: & dorsum eorum semper incurva.*

11 *Dico ergo: Numquid sic offenderunt ut caderent? Absit. Sed illorum delicto, salus est Gentibus ut illos æmulentur.*

12 *Quod si delictum illorum divitiæ sunt mundi, & diminutio eorum divitiæ Gentium: quanto magis plenitudo eorum?*

13 *Vobis enim dico Gentibus: Quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo,*

14 *Si quomodo ad æmulandum provocem carnem meam, & salvos faciam aliquos ex illis.*

15 *Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi: quæ assumptio, nisi vita ex mortuis?*

16 *Quod si delibatio sancta est, & massa: & si radix sancta, & rami.*

17 *Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis olivæ factus es,*

Digitized by Google

infrugifera ſtirpe, jam conſors & particeps ſis factus radicis alienæ; cumque rami nonnulli in ea nati arbore reciſi exareſcant, te alieno ſucco lætum ac frugiferum eſſe, cave ne ob id tibi ſtulte placeas, ac ramos reciſos faſtidias.

18 *Noli gloriari adverſus ramos. Quod ſi gloriaris: non tu radicem portas, ſed radix te.*

18 Quod ſi efferris animo, ſi inſoleſcis, ſi intumeſcis, memineris quod radix te portat, non tu radicem.

19 *Dices ergo: Fracti ſunt rami ut ego inſerar.*

19 Cave ne qua hujuſmodi cogitatio tibi veniat in mentem, ut apud te dicas, fracti ſunt rami nativi, ut ego inſererer. Non in tuam gratiam fracti ſunt, ſed tamen conſecutum eſt, ut tu inſerereris.

20 *Bene: propter incredulitatem fracti ſunt. Tu autem fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time.*

20 Recte tamen dicis quod fracti ſunt, cum è radice ſint nati, vide vero quamobrem fracti ſint. Nimirum ob incredulitatem jacent illi & calcantur, tu ſtas in arbore fulciente fide. Noli gaudere malis alienis, quin potius illorum infelicitas te doceat modeſtiam, ex illorum calamitate diſce quid tibi ſit metuendum, ſi ſimiliter peccaveris.

21 *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne forte nec tibi parcat.*

21 Etenim ſi vides Deum naturalibus ramis non peperciſſe, nec illis quicquam profuiſſe, quod ex ſanctis patribus oriundi, ad populum Deo peculiarem pertineant: periculum eſt, ne tibi quoque parſurus non ſit, ſi illum arrogantia & ingratitudine alienaris. Ab illorum caſu diſce, quid vites. Tua felicitas non tibi criſtas addat, ſed divinæ in te bonitatis admoneat. Eſt quod tibi gratuleris, eſt unde Deo gratias agas: non eſt quod inſultes abjectis. Illi jure exciſi ſunt, tu præter meritum inſitus.

22 *Vide ergo bonitatem, & ſeveritatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, ſeveritatem: in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate, alioquin & tu excideris.*

22 Utrumque in Deo perpende, bonitatem & ſeveritatem: quarum altera te gratitudinem doceat, altera ſuperbiam ac ſupercilium dedoceat. Severitatis exemplum proditum eſt in Judæos, qui à priſtino ſtatu prolapſi ſunt in hanc cæcitatem, ut Chriſtum tot ſeculis exſpectatum, contumeliis inſectentur. Benignitatis exemplum in te ipſo expertus es, qui gratis adſcitus ſis ad tam eximiæ felicitatis conſortium, quæ nec generi profano, nec vitæ impiæ debebatur. Semel gratuito tibi condonata ſunt admiſſa vitæ priſtinæ, ſemel favore Numinis cooptatus es in numerum filiorum, ſed ita cooptatus es, ut qui citra tuum meritum adſcitus es, tuapte culpa poſſis excidere. Auferet ab ingrato Deus, quod gratis largitus eſt, niſi beneficium agnoveris, niſi munere divino recte utaris. Ingratitudo tua perdet, quod bonitas illius donavit. Arrogantia perdet, quod obedientia lucrifecit. Quod ni caveris, rurſus excideris ab olea, in quam inſitus es.

23 *Sed & illi, ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur: potens eſt enim Deus iterum inſerere illos.*

23 Itidem & Judæi, ſi mutarint id, quod illos alienat à Deo, nimirum incredulitatem, denuo inſerentur, unde reſecti ſunt. Et eo reponet fides, unde dejecit incredulitas.

24 *Nam ſi tu ex naturali exciſus es oleaſtro, & contra naturam inſertus es in bonam oliva: quanto magis ii, qui ſecundum naturam inſerentur ſuæ olivæ?*

24 Nam ſi tu ex profanis natus profanus, ceu deſectus ex oleaſtro, præter naturam inſitus es oleæ, quanto citius fiet, ut Judæi ex piis parentibus orti, redeant ad ſui generis indolem, & *rurſus inſerantur nativæ oleæ, unde defecti fuerant?

25 *Nolo enim vos ignorare fratres myſterium hoc, (ut non ſitis vobis ipſis ſapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo Gentium intraret,*

25 Aperiam vobis fratres arcanum quiddam, quod fortaſſe ſilentio tegendum erat, niſi veſtra referret me loqui, videlicet ne vobis arroganter placeatis, quod Judæis prælati videamini. Incidit hæc cæcitas in gentem Judaicam, ſed nec in univerſam, nec in perpetuum. Complures & hinc agnoſcunt Chriſtum, & cæteri tantiſper in ſua cæcitate perſiſtent, donec Gentium numerus fuerit expletus, quibus nunc Judæorum lapſus aditum aperuit.

26 *Et ſic omnis Iſrael ſalvus fieret, ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion, qui eripiat, & avertat impietatem à Iacob.*

26 Verum ubi viderint univerſum orbem florere profeſſione fidei Chriſtianæ, ſuum illum Meſſiam fruſtra exſpectari, urbem, templum, ſacra, gentem diſſipatam ac ſparſam, incipient receptis oculis tandem errorem ſuum agnoſcere, & intelligent Chriſtum verum eſſe Meſſiam. Atque ita totus Iſraeliticus populus ad ſalutem reſtituetur, quamvis nunc ex parte degenerarit. Tum enim vere dignus erit hoc cognomine, cum Chriſtum Deum ac Dei Filium oculis fidei cernere cœperit, ac fide robuſtus, magis quam operum fiducia, à Domino extorſerit benedictionem. Quod quo magis credatis, prædictum eſt hoc quoque ab Eſaia Propheta. Utrunque prædictum eſt, fore ut deciderent, fore ut reſipiſcant: alterum videmus eveniſſe, atque ipſa res fidem arrogat vaticinio: alterum exſpectamus ſimili fide eventurum. Sic autem habet vaticinium Cap. v. *Veniet ex Sion, qui eripiet & avertet impietatem ab Jacob, & hoc illis à me teſtamentum, cum abſtulero peccata eorum.*

27 *Et hoc illis à me teſtamentum: cum abſtulero peccata eorum.*

27 Pepigit olim Deus fœdus cum hac Gente, id ſemel ſancitum, non ſinet prorſus irritum fieri, quorundam culpa, qui ſe præbent promiſſis indignos. Non deerunt tamen aliqui, qui totius generis perſonam ſuſtineant. Neque enim ſic exciderunt à gratia Dei, ut reconciliari non queant.

28 *Secundum Euangelium quidem, inimici propter vos: ſecundum electionem autem, chariſſimi propter patres.*

28 Plerique qui Chriſti non recipiunt Euangelium, litteræ Legis adhærentes, ſunt inimici Dei, idque (ne quid inſultetis) vobis in bonum ceſſit, quandoquidem Euangelium illis rejicientibus, citius ad vos delatum eſt. Cæterum quatenus ex ſanctis prognati ſunt, & ad Gentem pertinent, quam Deus ſibi ex omnibus unam ut peculiarem delegit, horum commendatione cari ſunt: proinde facilius in gratiam recipientur, ſi reſipuerint, quod horum patribus Deus promiſerit id, quod nos prædicamus.

29 *Sine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei.*

29 Neque enim ſic pollicetur ſe daturum Deus, aut ſic adoptat, ut poſt pœnitudine tactus, mutet ſententiam, hominum more. Prorſum immutabilis eſt, in quem ut non cadit errare, ita non cadit pœnitere. Meminerit ille ſui promiſſi, ſimulatque iſti rejicere deſierint. Vices rerum omnium ſunt, lapſis non oportet inſultare, præſertim ſi tibi bono fuit, reſipiſcentibus eſt gratulandum.

30 *Sicut enim aliquando & vos non credidiſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis propter incredulitatem illorum:*

30 Nam quemadmodum vos aliquando fuiſtis id quod nunc ſunt plerique Judæi, hoc eſt, increduli Deo: neque tamen vos deſtituit in æternum, quando nunc miſericordia ejus factum eſt, ut illis fidem rejicientibus, vos in fidei conſortium ſitis recepti:

31 *Ita & iſti nunc non crediderunt in veſtram miſericordiam, ut & ipſi miſericordiam conſequantur.*

31 Ita & hos nunc viciſſim Deus paſſus eſt ad tempus à fidei conſortio eſſe alienos, dum vobis datur aditus ad fidem, ut & ipſi poſtea reſipiſcentes vocante Deo, una vobiſcum miſericordiam conſequantur, ut neutri alteris exprobrent, ſed utrique alteris gratulentur parum experti miſericordiam.

32 *Concluſit enim Deus omnia in incredulitate: ut omnium miſereatur.*

32 Sic enim Deus ineffabili conſilio diſpenſat ac temperat res humanas, ut nullum ſit genus hominum non obnoxium peccato: non quod ille cuiquam ſit auctor peccandi, ſed quod ad tempus ſinat homines ſuo vitio prolabi, ut agnito errore, ſentiant ſeſe non ſuo merito, ſed gratuita Dei miſericordia ſervatos eſſe, ne poſſint inſoleſcere. Atque interim dum hæc agit, adeo nemini malum immittit, ut etiam aliena mala, ſua bonitate mire vertat in bonum noſtrum.

33 *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!*

33 Sed altius fortaſſis ingredimur adytum hujus arcani, quam par eſt homini apud homines eloqui: Stupor oboritur contemplanti ineffabilem divini conſilii rationem, & cum explicare nequeam, exclamare libet: O profunditatem exuberantiſſimæ ſapientiæ divinæ, ut nullis humanis mentibus illius judicia deprehendi, aut percipi poſſunt, ut conſiliorum rationes nullus creatus intellectus perveſtigat!

34 *Quis enim cognovit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius ejus fuit?*

34 Quis enim cognovit unquam mentem Domini, aut quis illi fuit in conſilio?

35 *Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?*

35 Aut quis illum prior officio provocavit, ut quod ab illo profectum ſit, præmium videri poſſit operæ debitum?

36 *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi gloria in ſæcula. Amen.*

36 Sic ille conſulit hominum ſaluti, ratione nobis quidem inſcrutabili, ſed ut meliore non poſſit fieri: ſic vult ſuum beneficium à nobis ſentiri, ut inde nobis nihil poſſimus vindicare. Quandoquidem ſi

* Alia Editio, *ut*.

Digitized by Google

si quid est mali, id nostris vitiis imputare licet. Cæterum quicquid est bonorum, ex ipso proficiscuntur omnia, velut è fonte, per ipsum conferuntur velut auctorem: & in ipso sunt, velut in tutore, custodeque munerum suorum, ut nullam hinc laudis portionem homo sibi possit arrogare, cum ad illum pertineat & initium, & medium, & finis: cui uni ob id debetur honor, laus, & gloria in omne ævum, unde nefas est homini sibi quicquam asserere.

CAP. XII.

Munus quisque suum tueatur: id obsecro: amorque
Sit verus: benedic & mala vince bonis.

1 *Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.*

1 ERGO posteaquam vobis Dei munere contigit, ut à pristina superstitione sitis ad veram translati Religionem, ut ab onere Mosaicæ Legis sitis liberi, obsecro & obtestor vos fratres per eas misericordias Dei, quas multifariam erga vos præstitit præstatque, cujus gratuitæ bonitati summam vestræ felicitatis debetis, ut posthac immoletis illi victimas ista professione dignas, non hircos, aut oves, bovesve, quæ ut pura deliguntur animalia, & rebus divinis apta, quemadmodum mos est Ethnicis ac Judæis. Hactenus indulsisse sat est crassis istiusmodi sacrificiis, posthac longe alios ritus, alium cultum, alias victimas Deus à vobis requirit, nimirum ut offeratis illi vestra ipsorum corpora: non mutilandis membris, sed subigendis malis affectibus: hoc est, non mortuas pecudes, sed viventem hostiam, vere puram ac sanctam, Deo gratam & acceptam, sacrificium rationale, victimam animi, non brutæ pecudis. Dum lex durabat carnalis, patiebatur Deus sibi corporeas immolari pecudes: posteaquam Lex cœpit esse spiritualis, spiritualibus illi victimis litandum est. Pro vitulo immola superbiæ affectum, pro ariete iram efferveſcentem jugula, pro hirco exure libidinem, pro columbis & turturibus lascivas ac lubricas animi cogitationes Deo sacrifica. Hæc demum sunt Christianis digna sacra, hæ Christo gratæ victimæ. Deus est animus, & animi donariis conciliatur: nec ceremoniis, sed affectibus puris coli postulat. Pro præputio, ab animo supervacaneos & indecoros affectus reseca. Sabbatismus tibi sit, mens à tumultu perturbationum vacans. Christus semetipsum obtulit pro nobis, par est ut ipsi nosmet illi viciſſim immolemus.

2 *Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri: ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, & bene placens, & perfecta.*

2 Atque ita fiet, ut quemadmodum exemti estis ab hoc sæculo professione, insiti cœlo, ita vita & affectibus à pristina vita dissideatis, ac velut in novos homines, hoc est, cœlestes transformemini quoad licet, si nondum corporum immortalitate, certe novatis animi affectibus: ut posthac non ea vobis arrideant, quæ vulgo profano, & rebus caducis addicto probantur, sed nihil affectetis, nisi quod Deo probatum sit, neque ducamini Judaicis præscriptis hominum, sed à nutu voluntateque divina pendeant omnia vestra studia simul & actiones, qui nihil moratur crassum & imperfectum, sed quod vere bonum sit, quod acceptum, quod ad cultum divinum ac pietatem, legitimum sit & idoneum.

3 *Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos: Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: & unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei.*

3 Mos est apud mundi cultores, ut felicior fastidiat infeliciorem, ut infelicior invideat feliciori. Ego vero præcipio vestrum unicuique, quicunque ille sit, sive potens, sive plebejus & humilis, modo jam sit insitus gregi Christiano, & à mundi consortio exemtus, ne per animi fastum plus sibi tribuat quam par est, sed sobrio modestoque sit animo: primum, ne quis plus arroget sibi quam habeat, deinde ut meminerit hoc ipsum quod habet, sibi non per operum, sed per fidei commendationem esse donatum à Deo, & in hoc donatum, non ut inde sibi placeat, sed ut in communem conferat utilitatem. Varie autem Deus suas dotes partitur, ne quis aut fastidiat alium, aut unum se sibi sufficere putet. Sed singulorum dotes fraterna caritas faciat omnium communes.

4 Neque enim convenit, ut minus in nobis valeat Christi gratia, quam in corpore cujuslibet animantis valeat vis naturæ. Quæ societas est membrorum inter ipsa in corpore animantis, ea est societas singulorum inter ipsos, qui ex variis Sectis ac Gentibus in Christi consortium sunt cooptati. Nam quemadmodum corpus hoc visibile, licet sit unum & idem, tamen ex multis membris compactum est. Porro non omnium membrorum idem est officium: alio munere funguntur oculi, alio pedes, alio venter ac manus, & tamen oculus non sibi uni, sed toti prospicit corpori: venter non sibi tantum, sed omnibus membris concoquit. Jam quod sunt officia singulorum membrorum in corpore, hoc sunt variæ dotes, aliis atque aliis nostrum varie distributæ.

4 *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent:*

5 Quemadmodum igitur membra præstabiliora, velut oculi, non fastidiunt humiliora, sed officio suo succurrunt omnibus, alioqui totum corpus collaberetur: ita suam quisque dotem sive præclara contigit, sive mediocris, pro sua portione conferre studeat in totius corporis commodum, posteaquam semel insiti Christi capiti ceu conflati sumus in unum corpus spirituale. Nec aliud est Christianus Christiano, quam membro membrum ejusdem corporis.

5 *Ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.*

6, 7 Sed tamen, ut dixi, variæ sunt singulorum hominum dotes, non juxta nostra merita, sed juxta munificentiam Dei, quæ partitur singulis, ut videtur expedire. Ne quis igitur eo, quod contigit, dono efferatur, sed sobrius ac modestus utatur in bonum omnium: sive contigit prophetiæ dos in explicandis arcanis litteris, juxta modum fidei, quam solam respicit Deus, non cætera merita, citra supercilium, suum bonum cæteris communicet: sive contigit facultas opera sua juvandi fratrem, modeste suo fungatur officio: sive cui obtigit doctrinæ dos, ne fastidiat indoctos, sed citra fastum eruditionem suam aliis impartiat:

6 *Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes; sive prophetiam secundum rationem fidei,*

7 *Sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina,*

8 Sive cui datum est, ut ex divinis Litteris possit ad pietatem ac mores honestos inflammare dicendo, utatur sua dote modeste: sive cui contigerunt facultates, unde suppeditet egentibus, & largiatur iis, quibus opus est, hac succurrat cæteris, non ad gloriam, non spe redituræ cum fœnore gratiæ, sed simplici pectore: sive cui cura delegata est cæterorum, ut unus præsit aliis, eaque in re valet, non illum honos reddat elatiorem, sed cura commissa sollicitum, neque sibi gerat munus delegatum, sed iis, quorum curam in se suscepit: sive quis miseris & calamitosis succurrit, absit tristitia, quæ premat eum qui sublevatur, & beneficium velut exprobret, sed hilaritate gratiam officii conduplicet: ut quicquid facitis, velut ex alieno & ex animo facere videamini.

8 *Qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate.*

9 Hujusmodi malis corrupta sunt fere profanorum hominum officia, etiamsi quid benigne facere videantur. A vobis absit omnis fucus, sed sit mutua inter vos caritas, quæ simulandi ac dissimulandi juxta sit ignara, quæ singula cujusque officia Deo commendabit. Ne quid ex vestris cupiditatibus metiamini, quod profanum hominum vulgus facit, sed sola virtute, aut turpitudine, abhorrentes ab omni malo, adhærentes rebus honestis.

9 *Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adhærentes bono:*

10 Et quoniam fratres estis, quotidie communem Patrem implorantes, & ad communem hæreditatem destinati, sitis fraterna caritate erga vos invicem propensi ac benigni. Inter mundanos de præcellentia dignitatis certamen est, vobis diversum sit certamen, dum alius alium conatur sibi præferre.

10 *Charitate fraternitatis invicem diligentes: Honore invicem prævenientes:*

11 Nemo per otium sibi vivat, sed pro se quisque studeat suo fungi officio: neque somniculosi ac desides, velutique carnis infirmitate videamini languidi, sed alacres ac ferventes spiritu. Carnales esse desiistis, spirituales esse cœpistis. Torpere carnis est, agilis quædam ac vivida res est spiritus.

11 *Sollicitudine non pigri: Spiritu ferventes: Domino servientes:*

12 Ne reluctemini malis, sed tempori servite, rebus præsentibus vosmetipsos accommodantes, & si

12 *Spe gaudentes:*

Digitized by Google

In tribulatione patientes: Orationi insistentes:

quid inciderit incommodorum, vel declinantes, si liceat commode, vel tolerantes, non mœsti interim, quod est diffidentium, sed in rebus asperis spe futuri præmii gaudentes & alacres. Illud interim cogitantes, si quid cui conceditis aut condonatis, id vos Domino condonare, nimirum cum fœnore reddituro. Quod si impiorum improbitas gravius affligat, ne parate defensionem, ne moliamini vindictam, ne confugiatis ad humana præsidia, sed assiduis & improbis precibus cœleste auxilium imploretis.

13 Necessitatibus sanctorum communicantes: Hospitalitatem sectantes.

13 Si quid opus erit cæteris Christianis, is cui suppetit, impartiat non gravatim ac inamœne, quasi stipem egenti porrigat, sed quasi suum censum cum illis communem esse ducat. Eamque benignitatem exercete, non solum inter vos, verum etiam in absentes. In eos vero, qui se peregre ad vos conferunt, hospitales sitis, ne aut turpiter egeant, aut ad Ethnicos cogantur indecore divertere.

14 Benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere.

14 Atque ut oportet manus habere benignas, ita linguam convenit habere innoxiam. Eos qui vos odio Christi persequuntur & affligunt, adeo non oportet ulcisci, ut nec male precandum sit. Bene precemini & illis, bene precemini, inquam, ut resipiscant: tantum absit, ut quenquam devoveatis. Quibus re non potestis benefacere, tamen bene optandum est.

15 Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus:

15 Sit inter vos vera amicitia, quæ læta pariter ac tristia faciat communia, ut jungatis tum gaudia, tum mœrorem ac lachrymas. Concors animus, & communis affectus vos in omnibus societ, sive quid læti obtigit, sive quid adversi incidit.

16 Idipsum invicem sentientes: Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos:

16 Ne sitis elatis animis ac fastidiosis erga vos invicem: sed qui major est, humilibus & inferioribus sese inclinet & accommodet.

17 Nulli malum pro malo reddentes: providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.

17 Ne vos vobis ipsis placeatis, ut suo quisque judicio sibi magnus sit & admirandus. Non enim facile cedit cuiquam, qui sic affectus est. Quod si quis forte læsit, non convitium convitio, nec injuriam injuria retalietis. Licet hoc apud Judæos & Ethnicos justum habeatur: apud Christum impium est, malum malo conduplicare: & quod in alio damnas, consulto imitari. Vos benefactis certate, & ita certate, ut non solum, teste conscientia Deo placeant quæ facitis, verum etiam ut omnibus hominibus probentur, neu quem offendant infirmum specie mali. Et usque adeo absit omnis vita, non tantum ab omni crimine, verum etiam ab omni suspicione, quoad fieri potest, criminis, ut nec mali queant eam calumniari.

18 Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes:

18 Id fiet, si quantum in vobis est situm, pacem habeatis, non modo cum Christianis, verum etiam cum his qui à Christo sunt alieni.

19 Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindicta; ego retribuam, dicit Dominus.

19 Magna vis est heroicæ virtutis, etiam hostes rapit in amorem & admirationem sui. Pax autem constare non potest, si suum quisque dolorem perget ulcisci. Ethnicorum ac Judæorum est ultio: vos, injuria lacessiti, ne poscite vindictam, quin potius cedite iræ: quæ melius evanescet tua lenitate, quam si mutua talione magis ac magis irrites. Si lenitate victi furentem, lucrum est. Sin pergit ille furere, non deerit cui det pœnas. Tu illum suo relinquito judici, qui jus ulciscendi nobis adimit, ac sibi servat, ita loquens in Deuteronomio Cap. xxxii. *Mea est vindicta, ego rependam, dicit Dominus.*

20 Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus.

20 Imo tu adeo ne lædas læsus, ut & pro maleficio reponas beneficium: & si forte esuriat inimicus tuus, cibo illum subleva: si sitierit, potum porrige. Vix ullum est ingenium tam barbarum, tam efferum, tam immite, quin officiis possit deliniri, quando hac via mansuescunt & feræ. Hac expugna hostem. Expertus tantam lenitatem, tantam pietatem tuam, fortassis resipiscet, pudebit, pigebit, pœnitebit feritatis, jamque ceu victus tua caritate inflammabitur ad redamandum. Hac via finiri possunt simultates, cum mutua malorum retaliatione propagentur in immensum. Benefactis certare pulchrum, vincere pulcherrimum. Malefactis certare turpissimum est. Verum, hoc fatentur & Ethnici. Vestra peculiaris laus erit, si malefacta benefactis superetis, si iracundiam lenitate, si maledicentiam benedicentia, si injuriam officio superetis.

21 Nolli vinci à malo, sed vince in bono malum.

21 Cavendum est autem ne qui malus est, tuam bonitatem expugnet sua malitia, & incipias tui dissimilis esse, jamque illum imitari quem damnas. Quin potius tua bonitas, illius expugnet feritatem, ut victus in tuas partes rapiatur.

CAP. XIII.

Numen dat Reges: Summa est, dilectio, legis
Nunc ubi nox pulsa est arma diurna cape.

1 Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt.

1 QVOD si Principum & Magistratuum in vos cooriatur ob Christiani nominis professionem persecutio, toleranda quidem est, nullo vestro vitio coorta. Cæterum non est irritanda, aut accersenda detrectando illis, quod ceu suo jure postulant, & à nobis Deo non offenso pendi potest. Ordine constat Respublica, ea prætextu religionis turbari non debet. Sunt cupiditates fœdæ, sunt vitia, in quibus cum cæteris non oportet congruere: sunt rursus in quibus ob tranquillitatem publici status oporteat etiam cum Ethnicis convenire pro temporum ratione, ne vestro exemplo pejores fiant, quos expedit utcunque metu coerceri. Totam enim rerum summam, in tria genera dividamus licebit. In ea quæ vere cœlestia sunt, quæ tanquam Christo peculiaria, sunt ubique rebus omnibus anteponenda. In ea quæ prorsus sunt hujus mundi, veluti cupiditates, ac vitia. Hæc vobis sunt omnibus modis fugienda. In medium quoddam genus, quod per se neque bonum, neque malum, sed necessarium tamen pro totius Reipub. statu concordiaque tuenda. Nolim autem per vos turbari, etiamsi quam justitiæ umbram, aut speciem mundus hic habet, modo ne pugnet palam cum Christi justitia. Ferenda persecutio, ferendum & mundanum imperium, etiamsi sit aliquanto iniquius, ne cum vos persequuntur, justo titulo facere videantur, si publicas leges ab omnibus receptas, soli rejeceritis, quas Christus ut non sanxit, ita nec reprobavit, sed velut ignoravit, nimirum aliud agens. Quisquis igitur est hominum, pareat publicis legibus: obtemperet Magistratibus, qui qualemcunque Dei gerunt imaginem, & in malis puniendis utcunque Dei negotium agunt. Atque hactenus sane potestas illorum à Deo proficiscitur.

2 Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt:

2 Proinde qui Principi aut Magistratui etiam impio & Ethnico, suo fungenti officio resistit, is non resistit homini fungenti, sed Deo, à quo proficiscitur omnis auctoritas. Sicut enim umbra Legis Mosaicæ fuit à Deo, nec licuit antehac contemnere: sic & legalis justitia à Deo proficiscitur, ut & huic pro tempore conveniat aliquid tribuere. Quemadmodum enim Deus in suo corpore voluit esse membrorum ordinem, de quo modo diximus: ita in universa Republica, quæ malis ac bonis constat, voluit esse ordinem quendam. Atque ipse ordo per se bonum quoddam est, etiamsi quis abutatur magistratu:

3 Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa:

3 Proinde qui perturbant hunc ordinem, Deo auctori repugnant: & qui repugnant Deo, merito pœnas luent. Quod si nolis esse legibus aut Magistratibus obnoxius, ne putes te id assequi posse contumacia, sed innocentia potius. Nihil enim illi jure possunt, nisi in eos qui committunt quod non licet. Tu recte vivito, & lex nihil ad te, nec est quod metuas Magistratum. Imo præmium est & honos per illos suo fungentibus officio.

4 Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit.

4 Itaque sicut Magistratus Dei minister est puniendis flagitiis, sic & ejusdem minister quodammodo videtur, dum recte factis habet honorem. Proinde plusquam liber est à legibus, qui recte agit. Cæterum

Digitized by Google

rum si quid commiseris supplicio dignum, tua culpa factum est, ut tibi jam formidandus sit Magistratus: siquidem in hunc usum gladium gestat, ut nocentes puniat, atque hac quoque parte divinæ subservit justitiæ, quæ in malis puniendis & malorum abutitur ministerio.

5 Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.

5 Proinde quando publicus rerum status non potest consistere, nisi Magistratibus sua deferatur auctoritas, ob communem Reipublicæ necessitatem & vos illis obtemperate, non tantum ob id, ne contumacia provocati, probabili causa in vos sævire videantur, jam non velut in Christianos, sed velut in seditiosos, sed etiam ob conscientiam: quæ, licet nullum immineat ab illis supplicium, dictat non esse perturbandum, quod Deus ordinatum esse voluit.

6 Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes.

6 Et quoniam hac in parte publicum gerunt negotium, quod autem publicum est, ad omnes pertinet, propterea velut officii præmium vectigal ac tributum illis penditis: qui licet impii sint, tamen quia publicam administrant justitiam, & Deus justitia est, Dei ministri sunt, & illius quodammodo vices gerunt, dum in hoc incumbunt, quod illis publica auctoritate mandatum est. Itaque si quid vetant isti, quod per se nefas est patrare, parete, quos oportebat etiam nullo timore proposito, quod rectum est, sequi. Sin imperant impia, Deo parendum est potius quam hominibus.

7 Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.

7 Quod si quid veluti suo jure exigunt, cujus jactura non adducit pietatis dispendium, non tanti est ut illos ea gratia in vos irritetis, solvite omnibus, quicquid exigunt, ceu debitum. Ipse Christus nulli prorsus obnoxius solvit Cæsari vectigal, non quod deberet, sed ne quid illos offenderet. Ne committite ut à vobis suo jure fraudati videantur. Si quis tributum exigit, pendite tributum: si quis vectigal postulat, solvite vectigal. Si quis reverentiam efflagitat, qua negata, putet contemtam auctoritatem suam, huic deferte publicam reverentiam. Si quis honorem ob dignitatis publicæ functionem sibi deferri velit, huic honorem solennem impendite. Si cum laude funguntur suo magistratu, Deo penditur honos: sin secus, tribuitur hoc publicæ tranquillitati. Ne quid fiat reliquum, quod istorum quisquam à vobis exigat, satisfacite necessitati publicæ.

8 Nemini quidquam debeatu, nisi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem implevit.

8 Cæterum inter vos nullum sit jus aut debitum, nisi mutuæ caritatis. Ea non moratur exactorem officii, sed ultro prævenit monitorem. Illis si pendetis quod exigunt, desinis debere: caritas etiamsi satisfaciat aliis, sibi ipsa *nunquam satisfacit, semper officia cumulans officiis. Hanc igitur in primis amplectamini, quæ leges omnes compendio complectitur. Quisquis enim sincera Christianaque caritate proximum diligit, is summam habet totius Legis Mosaicæ; si caritas absit, nullæ leges, quamlibet multæ, sufficiunt: si adsit, non aliis est opus legibus, quando hæc una dictat efficacius, quicquid innumeris legum præscriptis jubetur.

9 Nam: Non adulterabis: Non occides: Non furaberis: Non falsum testimonium dices: Non concupisces: & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.

9 Vetat Lex Mosaica, ne quis adulterium committat, ne quis occidat, ne quis furtum faciat, ne quis falsum testimonium dicat, ne quis rem affectet alienam, ne quis ad usuram fœneret, & si qua sunt id genus alia. Atqui horum omnium summa, brevi caritatis præcepto comprehenditur, quo dictum est: *Diliges proximum tuum sicut temetipsum.*

10 Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.

10 Caritas prodest, quoad potest, omnibus, etiam malis, nocet nemini. Quorsum igitur attinet singulatim vetare, ne lædas his aut illis modis, cum hujus natura sit, neminem omnino lædere? An occidet, qui diligit? an stuprabit alienam uxorem, cui alter æque carus est, atque ipse est sibi? an furto compilabit eum, quem paratus est & suis opibus adjuvare? an calumnioso testimonio opprimet, quem suo quoque periculo servatum velit? an fœnori daturus est ei, qui cum sibi putet omnia esse communia? an illi damnum optabit, cui precatur eadem quæ sibi? an ulla ratione nocere aut contristare poterit, pro quo sciat Christum esse mortuum? Itaque quod dixeram, summa legum omnium est caritas: per hanc compendio discitur, quid fugiendum, quid sequendum.

11 Et hoc scientes tempus: quia hora est jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus.

11 Ad hujus igitur studium ipsa quoque temporis adhortatur ratio, videlicet ut à pristinæ vitæ somno ac tenebris resipiscentes, expergiscamur. Nox præbere videtur peccandi licentiam, quod vacet pudore. Cæterum etiam qui noctu lasciviunt & ineptiunt, tamen simulatque illuxit, vel pudore componunt sese ad hominum adspectus, ac velut alii facti, prodeunt in publicum, pro temulentis sobrii, pro libidinosis casti, pro jurgiosis moderati, pro oscitantibus alacres. Rapienda igitur temporis oportunitas, qua si recte utamur, propius abest nostra salus, quam tum cum Lege Mosaica freti, proxime abesse putabamus.

12 Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.

12 Nox nostra processit vitæ pristinæ, imminet dies ille, qui reteget etiam occultissima. Respondeamus diei nostro, abjiciamus mores actusque nocturnos, & quorum nos in luce pudeat. Si Sole exoriente decentioribus vestibus tegimus corpus, ne quid offendat oculos hominum, multo magis Euangelii Luce jam exoriente, mentem virtutum ornemus amictu, qui luce dignus sit, nec reformidet oculos Dei.

13 Sicut in die honeste ambulemus; non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione:

13 Posthac ita vitam omnem componamus, ut appareat nos, abjectis pristinæ vitæ tenebris, clara in luce ambulare, & Deo conspicuos & Angelis, & hominibus, non luxui indulgentes in comessationibus, aut temulentis compotationibus, non spurcæ Veneri libidinique servientes, non per contentionem ac livorem mutuum turpiter inter nos concertantes, quibus omnibus obnoxii fuistis, dum errantes in pristinæ vitæ tenebris versaremini. Indecore tali cultu vestitur anima.

14 Sed induimini Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis.

14 Nunc posteaquam per baptismum Christo estis insiti, hunc ipsum induite. Eluceat in omni vita, quem sitis professi. Exprimite quem imbibistis, ille sobrietas, ille castitas, ille pax est, ille caritas est, istiusmodi amictus decet hanc Euangelii Lucem. Quibus hactenus usi estis ad voluptatem, posthac utamini ad corporis necessitatem, & quibus antehac turpiter indultum est cupiditatum arbitrio, de cætero per sobrietatem eatenus adhibeantur, quatenus naturæ usus postulat. Corpus sic alendum est, ut valeat ac vivat, non ut lasciviat: cibus ac potus sitim ac famem arceat, non libidinem invitet ac nutriat.

CAP. XIV.

Omnia sunt puris pura, haud contemnito fratrem: Quod non ex vera est, culpa sit atra, fide.

1 Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum.

1 PORRO quanquam in harum rerum usu nullum est discrimen aut delectus apud eos, qui plene Christi fidem sunt assecuti, modo his, ut diximus, ad necessitatem utantur, non ad voluptatem, tamen si quis erit inter vos, fortassis Judæus genere, qui ob diutinam superioris instituti, vitæque consuetudinem sit adhuc superstitiosior, nec adhuc sic in eo fides adoleverit, ut omnem pristinæ Legis observationem excludat: is non est statim rejiciendus contemtu, sed humanitate facilitateque magis alliciendus ac fovendus, donec & ille proficiat, fideique robur accipiat. Id commodius fiet benevolentia, quam contentiosis disputationibus. Siquidem in ejusmodi non convenit protinus in malam partem interpretari, quod citra vitium fieri potest.

2 Alius enim credit se manducare omnia: qui autem infirmus est, olus manducet.

2 Quo pax & concordia undique constet inter vos, quædam dissimulanda sunt, quædam ferenda, quædam benignius interpretanda. Magnam vim habet ad mutuam vitæ societatem hæc commoditas, candorque. Nunquam pax cohærebit inter multos, nisi in nonnullis alius alii vicissim concesserit, ut sunt hominum variæ sententiæ. Nam qui vacat omni superstitione, putat sibi fas esse, citra delectum ullum quovis vesci genere ciborum, quippe nihil

* Alia Editio, *ipsi*.

Digitized by Google

hîc aliud ſpectans, quam naturæ neceſſitatem. Rurſum qui infirmior eſt adhuc ac ſuperſtitioſior, veſcitur oleribus, ne incidat in aliquod piſcium aut cæterorum animantium genus, quod vel interdictum ſit juxta Judaicum inſtitutum, vel ſimulachris immolatum.

3 Is qui manducat, non manducantem non ſpernat: & qui non manducat, manducantem non judicet: Deus enim illum aſſumpſit.

3 Hæc vobis non debent eſſe tanti, ut ob ea ſcindatur fraterna concordia. Is qui firmior eſt, & veſcitur quibuſlibet, ita fruatur ſua firmitate, ut tamen infirmiorem, qui veſci metuit, non ſpernat. Ac rurſus qui animi ſui infirmitati obſequens, abſtinet à certis ciborum generibus, ne damnet ac judicet ſine delectu veſcentem, quicquid appoſitum fuerit. Quin potius firmus ferat infirmum, ſic interpretans: Error eſt ex longa priſtinæ vitæ conſuetudine relictus, ſubito revelli non poteſt, paulatim elabetur, & creſcente vera pietate evaneſcet ſuperſtitio.

4 Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat, aut cadit: ſtabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum.

4 Item ſuperſtitioſulus ille, cum veſcentem videt quibuſvis cibis, ſic ſecum cogitet: Mea nihil refert quid agat, & conſentaneum eſt bono animo fieri, quandoquidem Dominus illum ſibi adjunxit, ſuumque fecit, cujus arbitrio vivit, cuique peccat uni, ſi quid peccat in iſtiuſmodi, quæ per ſe mala non ſunt. Quod ſi crimen eſt arrogantiæ, faſtidire ſuperſtitionem infirmi & ſimpliciter errantis, quanto intolerabilioris erit arrogantiæ, ſi qui fide eſt infirmior, judicet ac damnet meliorem ſe, juxta vulgarem imperitorum regulam, qui injuſtum putant quicquid ipſi non faciunt, & ſanctum exiſtimant, quicquid amant? Nonne huic merito dicetur: *Tu quis eſt, qui judicas ac damnas ſervum alienum?* Unus eſt omnium Dominus Chriſtus Jeſus, illi ſtat, ſi firmus eſt fide, illi cadit, ſi quid peccat, ut tu ſuſpicaris. Non enim ob iſta cadet, imo ſtabilietur, ut perſiſtat in ſuæ fidei robore. Siquidem Dominus illius abunde potens eſt & idoneus, qui ſervum ſuum fulciat, ne quid vacillet.

5 Nam alius judicat diem inter diem: alius autem judicat omnem diem: unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet.

5 Quod de ciborum delectu dictum eſt, idem de Sabbatorum ac Neomeniarum obſervatione accipiendum eſt. Nam qui infirmus eſt, ac imperfectæ fidei, is diſcernit inter diem & diem, quaſi ſit alius ſacer, alius profanus, & in hoc nefas ſit veſci cibis, aut opus facere, quod in alio fas ſit. Contra, qui firmus eſt, ſolidæque fidei, nullo delectu habet omnes dies, univerſum vitæ tempus exiſtimans pietatis officiis ſacrum eſſe, ac dedicatum. Ob iſta ne ſcindatur inter vos concordia Chriſtiana, ſed ſuo quiſque animo fruatur, non damnata alterius ſententia, præſertim cum utrumque vacet crimine, & in utroque conſtet hoc, quod eſt veræ pietatis caput.

6 Qui ſapit diem, Domino ſapit. Et qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo.

6 Qui ſapit & ſentit apud ſe, quemvis diem ex æquo ſacrum ac ſanctum eſſe, Domino ſuo ſapit, nec tua refert, quam ille ſapiat. Item qui credit inter diem & diem intereſſe nonnihil, ſi errat, Domino ſuo errat, ad te non pertinet. Item qui citra delectum quibuſlibet veſcitur cibis, Domino ſuo veſcitur. Siquidem gratias agit Deo, cujus beneficio veſcitur, & cujus benignitas in uſum hominum condidit omnia. Rurſum qui ob infirmitatem animi à certis cibis abſtinet, Domino ſuo abſtinet, nec tua refert, præſertim cum oleribus ſuis veſcens, æque ac tu gratias agat communi Domino. Quod ſi is probat & acceptum habet illius gratiarum actionem, cur tu de eo pronuntias? Cauſa diverſa eſt, res eadem, animus idem, & idem Dominus. Hic gratias agit, pro libertate veſcendi quibus velit, quod Euangelica lex animos diſcernat, non cibos: ille pro fructu continentiæ, dum occaſione infirmitatis fugit crapulam, & intra temperantiæ cancellos coercetur. In hujuſmodi pares ſumus omnes, neque quiſquam pro ſua ſententia tuenda debet digladiari cum fratre: ſatis eſt, ſi Dominus approbat, ad quem pertinet earum rerum judicium, quæ vel incertæ ſunt, vel pro temporum ratione ferendæ.

7 Nemo enim noſtrum ſibi vivit, & nemo ſibi moritur.

7 Nullum eſt jus Chriſtiano in Chriſtianum, niſi ut alter alteri proſit. Neque ſibi vivit quiſquam, cum omnes ſimus illius, qui nos aſſeruit à vitiis ad pietatem, à morte ad vitam. Itaque nemo ſibi neque vivit, neque moritur, non magis quam ſervus alieni juris, in quem hero poteſtas eſt & vitæ, & necis.

8 Sive enim vivimus, Domino vivimus: ſive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.

8 Quod ſi ſervus vivit, non ſuo nec alieni, ſed Domini ſui commodo aut incommodo vivit. Sin moritur, Domini compendio, aut diſpendio moritur, ut impudenter facturus ſit, qui conſervus de conſervi negotiis ſeſe admiſceat, ſi modo Domino fiat ſatis. At nullum mancipium inter mortales tam heri ſui eſt, quam nos ſumus Chriſti, qui nos non argento aut auro, ſed ſuopte ſanguine emit. Sive igitur cadimus, illi cadimus, ſive ſtamus, illi ſtamus: ſive vivimus, illi vivimus, ſive morimur, illi morimur. Alia mancipia fortaſſis deſinunt eſſe Domini, poſteaquam mortua ſunt. Nos ſive vivimus, ſive morimur, Domini ſumus, cui vivunt omnia.

9 In hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit: ut & mortuorum & vivorum dominetur.

9 Chriſtus jus habet, non ſolum in vivos, ſed etiam in mortuos, qui & vitam ſuam & mortem ſuam nobis ſervandis impendit. Siquidem idem mortuus eſt, mea cauſa factus homo, atque idem à morte revixit, ut pariter & morientium & viventium eſſet Dominus. Si vivimus pietati, illi debemus. Si mortui ſumus vitiis, illi debemus. Ille Dominus eſt, ille judex eſt.

10 Tantum quid judicas fratrem tuum? aut tu quare ſpernis fratrem tuum? Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti.

10 Cur ſervus in ſervum ſibi jus vindicat, quod Domini peculiare eſt? Tu vero qui ſuperſtitioſulus es, qua fronte judicas fratrem tuum, te firmiorem, quia libere veſcitur, aut quovis die ex æquo utitur? Aut tu peritior, quare ſpernis ac faſtidis fratrem tuum infirmiorem, perinde quaſi Dominus illius ſis, ac non magis conſervus? Cur aut hic aut ille Domini vicem uſurpat, & judicii diem prævertit? Non eſt alius ab alio judicandus. Unus ille qui omnium eſt Dominus, pronuntiabit de omnibus. Nam apud tribunal Chriſti aliquando ſiſtendi ſumus omnes, illius voce vel damnandi, vel abſolvendi, qui perſpicit intimos ac retruſiſſimos animorum ſæceſſus.

11 Scriptum eſt enim: Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu: & omnis lingua confitebitur Deo.

11 Interim ne ſibi conſervus in conſervum dominatum uſurpet. Quandoquidem hoc honoris uni ſibi ſervatum eſſe voluit, ut ipſe teſtatur apud Prophetam Eſaiam, Cap. XLV. *Vivo ego*, inquiens, *mihi curvabitur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.*

12 Itaque unuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo.

12 Hoc interim pro ſua quiſque virili ſtudeat agere, quo pacto apud hunc judicem pro ſe rationem reddat, nec alius alium judicet in malum.

13 Non ergo amplius invicem judicemus: ſed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum.

13 Quod ſi quid hîc judicandum eſt, interea hoc magis eſt judicandum ac ſtatuendum, qua ratione fieri poſſit, ut alius alii viciſſim auxilio ſimus, neque cuiquam aut demus malum, aut occaſionem mali, quoad licet, præbeamus. Erigamus vacillantem, non dejiciamus, & linum fumigans excitemus, non exſtinguamus. Dignitatis ratio poſcebat, ut imperitior obtemperaret peritiori, ſed caritatis eſt Chriſtianæ, ut peritior aliquoties cedat & obſecundet imperitiori, non ut aſſentiatur erranti, ſed quo vel corrigat, vel certe ne gravius offendat.

14 Scio & confido in Domino Jeſu, quia nihil commune per ipſum, niſi ei qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt.

14 Nam ut de me loquar exempli gratia, Moſes olim quoſdam cibos deſignavit impuros, quos ille ſuo more communes vocat, ceu profanos, quibus veſci nefas erat, quoſdam mundos, quibus veſci fas erat. Nunc ſcio ac perſuaſiſſimum habeo, Chriſti afflatu, qui carnalem Legis partem prorſus abolitam vult, quod nihil ſuapte natura impurum, nec ullus ſit omnino ciborum delectus. Quod ſi quid impurum eſt, id ei duntaxat impurum eſt, qui tale putat eſſe, hoc eſt, infirmo & ſuperſtitioſo impurum eſt, firmo vereque Chriſtiano nihil eſt impurum, ſed omnia pura puris.

14 Et

15 Si enim propter cibum frater tuus contristatur: jam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.

15 Et tamen ab eo, quod per se impurum non est, fortassis abstinere præstat aliquoties, non quod ita decernat Lex Mosaica, sed quod ita dictet fraterna caritas, quæ peculiaris est Christianorum. Etenim si ob cibum corporis tui læditur, aut mœrore afficitur animus fratris tui, quem oportebat tibi æque carum esse, atque ipse es tibi, videris tibi vivere, nec satis meminisse mutuæ caritatis, qui lapsum & offensam infirmi fastidis ac negligis, cum re levicula possis mederi. Quid enim magni, si paulisper & à licitis abstineas, quo periclitanti proximo succurras? Ne tibi tam vilis sit frater licet infirmior, licet imperitior, ut cibi tui causa sinas eum perire, pro quo servando mortuus est Christus. Si tanti fuit Domino, qualis qualis est, non est tibi ob rem levis momenti negligendus.

16 Non ergo blasphemetur bonum nostrum.

16 Ne vero satis esse putes, si rectum sit quod tu facis, quin illud etiam curandum, ut quod per se rectum est, non sit obnoxium suspicioni criminis, & quod tibi bonum est, vertatur in malum alienum, si viderint homines inter vos de cibo potuque, aut de similibus rebus exigui momenti esse contentiones.

17 Non est enim regnum Dei, esca & potus: sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto:

17 Nam quemadmodum seculo futuro in regno Dei non erit esca neque potus, quæ nunc mortalitatis nostræ subsidia sunt, ita doctrina Euangelica vitaque vere Christiana, neque ciborum delectu constat, neque potus discrimine, quæ nihil habent momenti ad pietatem. Illa potius nobis meditanda sunt, quæ nobiscum transferri queant in vitam illam cœlestem. Quæ sunt autem illa? Nimirum justitia, pax, & gaudium, quæ non conferuntur ciborum observatione, sed Spiritu Sancto. Disceptatio de cibis parit iram ac dissidium, parit dolorem, parit offensam & querimonias. Spiritus Sanctus parit pro dissidio pacem, pro tristitia gaudium, pro offensa & injuria officium. Ut enim justitiæ est, nemini velle nocere, ita pacis est, cum nemine contendere, & caritatis est, neminem mœrore afficere.

18 Qui enim in hoc servit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus.

18 Hæc spiritualia sunt, in his quisquis Christo servit, is simul & Deo placet, ea sectans, quæ sunt illi gratissima, & hominibus probatur, dum obsequio vitat omnem mali suspicionem aut occasionem. Carni serviunt, qui de cibis ac diebus inter se digladiantur. Spiritu Christo serviunt, qui non sua tuentur, sed aliis per caritatem obsecundant, & omnibus fiunt omnia, quo omnes lucrifaciant, & omnibus sese attemperant, ut omnibus placeant.

19 Itaque quæ pacis sunt, sectemur: & quæ ædificationis sunt, in invicem custodiamus.

19 Nos igitur qui spirituales sumus, omissis istiusmodi disceptationibus, ea sectemur, quæ ad pacem faciunt, quæ concordiam alunt, quæ mutuum amorem nutriunt, denique quibus meliores reddamur, mutuoque juvemur officio, non quibus offendatur quispiam. Hoc est nostræ professionis caput.

20 Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem sunt munda: sed malum est homini, qui per offendiculum manducat.

20 Tu qui firmior es, ne committas, ut ob cibum humanum perdatur opus Dei. Tibi potius pereat cibus, quam ut per occasionem cibi tui pereat id, quod Deus morte Filii sui redemit. Hominis negotium est cibus, Dei negotium caritas, cum alterutrum periclitatur, illud potius cedat, quod levius est. Non quod in ipsis cibis sit ullum vitium, aut alius purus sit, alius impurus juxta Judæos, aut quod per se culpa sit, cibo quo velis vesci, sed tamen per occasionem fit culpa, non quod vescaris, sed quod vescendo fratrem offendis infirmum, atque ita cibus natura purus, ob neglectum proximi periculum, fit impurus.

21 Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.

21 Quod nobis adeo negligendum non est, ut præstabilius sit, vel in totum abstinere à carnibus, & oleribus vesci, & in totum à vino temperare, quam ut vescens aut bibens, fratri tuo sis occasio ruinæ. Neque vero mihi dixeris: Cur ille metuit, ubi nihil est opus? Me non reprehendit mea conscientia, quid mihi cum aliena infirmitate? An vis ut mea relicta sententia, in illius sententiam pedibus eam, & incipiam deligere ciborum genera? Nequaquam. Non istuc postulo, ut illius infirmitatem imiteris, sed ut obsecundes pro tempore, hac spe, ut & ille proficiat. Probo tuam fiduciam, qua negligis ciborum discrimina, verum istam cela ac tege, si quando conspexeris ejus occasione periclitari fratrem.

22 Tu fidem habes? penes temetipsum habe coram Deo: Beatus, qui non judicat semetipsum in eo quod probat.

22 Satis tibi sit interim, si fortitudinem animi tui novit & approbat Deus. Ea tamen tantisper dissimulanda est, dum vitas offendiculum proximi, tuam firmitatem ad illius infirmitatem inclinans atque accommodans. Atque illud etiam videndum, ut quod ciborum delectum negligere te prædicas, animi firmitas sit, non voluptatis aut luxus prætextus, neu cum alterum contemnis ac reprehendis, quod ceu superstitiosus à cibis abstineat, ipse tecum hæsites, & oratione firmus sis potius quam fide. Beatus est is, qui tantum fidei robur obtinet, ut in eo, quod probat ac defendit apud alios, non sentiat intus reclamantem conscientiam, taciteque in sinu pectoris damnantem, quod palam approbat.

23 Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est: quia non ex fide. Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.

23 Quisquis enim hæsitat, putans non licere vesci, is judice conscientia damnatus est. Quare damnatus est? Quia quod facit, non facit ob robur fidei, animique constantiam sibi bene conscii, sed conscientia refragante. Quicquid autem non proficiscitur à fide, cum vitio conjunctum est. Siquidem cum rem per se non malam, hæsitans mala sit, necne, faciat tamen, declarat sese & rem per se malam facturum, si inciderit. Etenim vera pietas refugit ab omnibus, quæ mali vel speciem habent. Qui malitia peccat, meretur objurgari, & si se præbeat inemendabilem, vitandus est etiam. Cæterum quoties error ex infirmitate nascitur, doceri monerique meretur, qui errore tenetur, fastidiri, aut rideri non meretur.

CAP. XV.

Perferto infirmum: gentes gaudete: ministro
Gentibus; hæc feci: hæc porto: redibo brevi.

1 Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere.

1 QVOD si nos firmiores sumus, adeo, ut monitore non sit opus, tamen cavendum, ne dum alterius leviculum errorem insectamur superstitionis, ipsi in graviorem culpam incidamus arrogantiæ: quin potius, quo sumus firmiores, hoc magis æquum est aliorum ferre infirmitatem. Ut enim qui natu grandiores sunt, aut corporis robore validiores, non ideo protrudunt aut proculcant natu minores, seu viribus impares, quasi in hoc robur acceperint, ut quibus possint noceant: sed quo magis præcellunt corporis firmitate, hoc turpius sibi ducunt, lædere invalidam ætatem, aut ob senium viribus defectam: ita nos quo magis valemus animi judicio doctrinaque, hoc magis oportet nosmetipsos imbecillitati alienæ attemperare potius, quam dum nostra scientia insolescimus, nobisque placemus, fratris imbecillitatem exasperare malimus, quam vel ferre, vel mederi.

2 Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem.

2 Ne quis igitur sua dote sibi placeat, velut eam ad fastum acceperit, sed hoc potius agat, ut sui contemtor, proximo morem gerens illi placeat, haud quidem obsequens ad quidvis, sed in hoc, ut illi prosit, ac meliorem reddat.

3 Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est: Improperia improperantium tibi ceciderunt super me.

3 Atque hanc sanandi erroris alieni viam Christus ipse nobis aperuit, qui cum fons esset omnium virtutum, non tamen his usus est ad gloriam suam, veluti sibi placens: sed quo subveniret errantibus & infirmis, non solum neglexit suam, quam promerebatur gloriam, verum etiam probris affici sustinuit, quemadmodum & David ejus afflatus Spiritu, futurum prædixit Psalmo LXVIII. *Improperia eorum, qui tibi improperabant, inciderunt in me.*

4 Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam, & consolationem Scripturarum, spem habeamus.

4 Scriptum est autem hoc in Psalmis, non tantum ut sciamus, sed ut imitemur quoque, atque ex illius exemplo discamus, qua lenitate sit proximus

Digitized by Google

sustinendus ac fovendus, donec in Christo grandescat, & puer atque imbecillis esse desinat. Quemadmodum igitur ille se dejecit ad humilitatem nostram, ut nos paulatim ad suam sublimitatem proveheret, ita convenit ab illo petere exemplum proximi ad veram pietatem pelliciendi: atque id exemplum nobis in sacris Litteris, velut in tabula depictum, jugiter oportet habere præ oculis: ut quemadmodum ille non vulgari mundi hujus via, sed tolerantia sua redemit ac servavit nos, & per humilitatem provectus est ad veram gloriam, ita & nos per lenitatem, qua toleramus infirmiores, & subsidia divinorum Voluminum, ad exemplar Christi provocantium, confidamus & nos assecuturos præmium, quod manet eos, qui illius vestigiis ingrediuntur.

5 Summa professionis vestræ pax est. Itaque precor Deum, auctorem patientiæ, quique nos per arcanas litteras ad tolerantiam adhortatur, sine cujus auxilio nihil omnino possumus, ut vobis largiri dignetur, ut unus idemque sit omnium vestrum animus, summoque consensu jungamini ad exemplum Christi Jesu, qui nihil nobis æque commendavit, ac mutuum amorem, mutuamque concordiam.

6 Atque ita sane illustrabimus gloriam Dei, qui est Pater Christi Jesu, si quod ille docuit & exhibuit erga nos, invicem inter nos exhibeamus: atque ita intelligent homines vos esse vere Christi discipulos, si quemadmodum uno ore Deum prædicatis, ita mutuo consensu declaretis, vos animo eodem copulari.

7 Quapropter ne sit ullum dissidium inter Gentes ab idolis vocatas ad Christum, & Judæos ab umbra pietatis ad veram Religionem adscitos: quin potius mutuis obsequiis invicem suscipite, ac porrectis vicissim dextris promovete: quemadmodum Christus suscepit vos, nec vobis imputavit pristinæ vitæ commissa, sed fraterna caritate complexus est, ad illustrandam inter homines gloriam Dei Patris, ut & per vos invicem præstantes, quod ille præstitit in omnes, illustretur gloria ejus.

8 Christus autem utrique hominum generi inservivit, Judæis quidem, ut declararet Deum Patrem veracem, qui præstaret ea posteris, quæ majoribus fuerat pollicitus per oracula Prophetarum, ut sibi gratulentur, quibus contigerit eorum veritatem accipere, quæ Lex Mosi typis & umbris præfigurarat.

9 Gentibus autem, quibus nihil erat promissum, ut præter meritum ac præter omnem spem sola Dei misericordia ad communem salutem admissi, divinam prædicent bonitatem. Illi gaudeant, quod diu exspectata tandem assecuti sunt, hi quod non exspectatis potiuntur. Atque id ita fore jam olim destinatum erat consilio divino. Sic enim Patri loquitur ipse Christus apud Psalmographum Ps. XVII. *Propterea celebrabo gloriam tuam inter Gentes, & nomini tuo laudis hymnum canam.*

10 Rursus in Cantico Deuteronomii Cap. XXXI. *Lætamini Gentes una cum populo ipsius.*

11 Et iterum Psalmo CXVI. *Laudate eum omnes Gentes, & collaudate eum omnes populi.*

12 Idem prædixit Esaias Cap. XI. *Et erit in die illo radix Jesse, & qui exorietur ad gubernandas Gentes, in ipso Gentes spem habebunt.*

13 Porro Deus, qui vobis hanc spem fecit oraculis Prophetarum, precor ut nunc præstet affatim, quod olim se facturum ostendit, ut secluso mœrore dissidioque, impleat vos omni gaudio concordiaque, idque per fidem: ut spes vestra, quam de Deo concepistis, in dies augescat fiducia bonæ puræque conscientiæ, corroborante vos Spiritu Sancto.

14 Hæc vero loquor, non quod diffidam de vestra virtute. Persuasum enim habeo de vobis, quod ipsi vestra sponte summa caritate prædi-
A ti estis, summa prædi-
ti scientia, ut etiam citra me monitorem, possitis vos invicem super his rebus admonere.

15, 16 Sed tamen familiarius ac liberius aliqua ex parte scripsi vobis, non vel ut ignaros docens, vel ut invitis imperans, sed veluti commonefaciens, quid factu sit optimum, ut id quod intelligitis esse faciendum, & jam vestra sponte facitis, meo hortatu cumulatius faciatis, hac quidem in parte meo fungens officio mihi licet indigno per Dei gratiam delegato, & obsequens voluntati Christi Jesu, cu-
B jus negotium ago studens pro viribus, ut illustrando Dei Euangelio inter vos Gentes, puram illi victimam offeram. Opinor autem illi sacrificium longe gratissimum futurum, si vos illi obtulero dignos ipso, velut hostiam non carnalibus ceremoniis, sed Spiritu Sancto purgatam ac sanctam, qui unicus est auctor veræ sanctimoniæ.

17 Quod quidem cum videam me in nonnullis assecutum, est quod optimo jure gloriari possim, non memetipsum jactans apud homines, sed apud Deum gaudens de felici prædicationis meæ successu: quem mihi tamen, aut meæ industriæ non imputo, sed Christo Jesu, cujus & vices ago, cujusque præsidio prædicationis munere fungor.

18, 19 Non enim sustinet animus meus aliena ge-
C sta commemorare, ne videar alienorum factorum laudem mihi vindicare, tantum ea commemorabo, quæ meo ipsius ministerio effecit Christus, nimirum ut Gentes antehac impiæ & simulacrorum cultui deditæ, jam pareant & obediant Euangelio, commotæ partim verbis ac factis meis, partim magnitudine vique signorum ac prodigiorum, quæ per me sunt edita, ad confirmandam doctrinæ meæ fidem: edita vero non mea virtute aut viribus, sed auctore Spiritu Dei, cujus ego nihil aliud quam organum sum ac minister. Ergo dum super successu meæ prædicationis glorior, Christi gloriam præ-
D dico, non meam. Atque hac quidem ratione merito glorior, qui laudem officii mei sic Deo tribuo, ut hominum tamen nulli concedam.

20, 21 Non enim vulgari more prædicavi Euangelium, sed hactenus in his Regionibus prædicavi, ubi Christi nomen nondum erat auditum: eamque laudem ambii apud Deum, quo latius jacerentur fundamenta Christianæ Religionis, & illius ditionis pomeria longius proferrentur: nec visum est fundamentis ab aliis Apostolis jactis superstruere: quod ut difficilius erat Religionis exordia parere, quam semel parta tueri atque augere, ita magis judicabam ad Euangelii negotium pertinere, maxime quod intelligerem ita jam olim prædictum oraculo
E sanctissimi vatis Esaiæ Cap. LII. *Quibus* inquit, *nihil fuerat annuntiatum de eo, videbunt; & qui non audierant de eo, intelligent.*

22 Atque hoc proferendæ fidei Christianæ studium magnopere me distrinxit, adeo ut non licuerit hactenus vos invisere, licet jam pridem cupidissimo, sed subinde conantem istuc proficisci, remorata sunt negotia, sic opinor volente Spiritu Christi.

23, 24 Nunc vero posteaquam peragrata Achaja & Macedonia, nullum in hisce Regionibus video lo-
F cum supereſse vacuum, in quo non jecerim fundamenta Christianæ Religionis, & annis jam complu-
ribus stimulor cupiditate visendi vestri, dabitur (spero) occasio satis faciendi desiderio meo, ut cum in Hispaniam proficiscar, istac iter faciens, vos in transitu visam, deinde vobis deducentibus eo pergam, quo institueram, at non prius quam aliquot dies apud

autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis: spero quod præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero.

5 Deus autem patientiæ & solatii, det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum:

6 Ut unanimes, uno ore honorificetis Deum, & patrem Domini nostri Jesu Christi.

7 Propter quod suscipite invicem, sicut & Christus suscepit vos in honorem Dei.

8 Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum:

9 Gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est: Propterea confitebor tibi in Gentibus Domine, & nomini tuo cantabo.

10 Et iterum dicit: Lætamini Gentes cum plebe ejus.

11 Et iterum: Laudate omnes Gentes Dominum: & magnificate eum omnes populi.

12 Et rursus Isaias ait: Erit radix Jesse, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes sperabunt.

13 Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo: ut abundetis in spe, & virtute Spiritus sancti.

14 Certus sum autem fratres mei & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, itaut possitis alterutrum monere.

15 Audacius autem scripsi vobis fratres ex parte, tamquam in memoriam vos reducens: propter gratiam, quæ data est mihi à Deo,

16 Ut sim minister Christi Jesu in Gentibus, sanctificans Euangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta, & sanctificata in Spiritu sancto.

17 Habeo igitur gloriam in Christo Jesu ad Deum.

18 Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus in obedientiam Gentium, verbo & factis:

19 In virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti: itaut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Euangelium Christi.

20 Sic autem prædicavi Euangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem: sed sicut scriptum est:

21 Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent.

22 Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos, & prohibitus sum usque adhuc.

23 Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem

24 Cum in Hispaniam proficisci cœpero

Digitized by Google

25 *Nunc igitur proficiscar in Ierusalem ministrare sanctis.*

apud vos commoratus, vestri consuetudine aliqua saltem ex parte desiderium meum explevero. Id brevi futurum arbitror, volente Christo.

25 Cæterum in præsentia destinatum est iter Hierosolymam, quo Christianis Judæis illic agentibus exhibeam beneficium Macedonum & Achaicorum mihi commissum.

26 *Probaverunt enim Macedonia & Achaia, collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Ierusalem.*

26 Sic enim illis visum est, ut aliquanta pecunia promiscue collecta ab iis, qui sponte conferrent, sublevarent egestatem quorundam Hierosolymis agentium, religione quidem opulentorum, cæterum facultatibus tenuium.

27 *Placuit enim eis: & debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles: debent & in carnalibus ministrare illis.*

27 Nullus eos ut facerent coegit, sed ita visum est illis, ac mea sententia, recte visum est, quandoquidem illis obligati sunt acceptæ primum ab eis Religionis nomine. Proinde cum Hierosolymitani Christi doctrinam Gentibus priores impartierint, par est, ut hi vicissim de pecuniis suis aliquid illis impartiant, ut rem omnium pretiosissimam re vilissima utcunque pensent. Illi communicarunt gratis, quod ad animæ salutem pertinet: hi sponte ac volentes communicant, quod ad corporis necessitates attinet.

28 *Hac igitur cum consummavero, & assignavero eis fructum hunc: per vos proficiscar in Hispaniam.*

28 Hac igitur in re simulatque meo fuero perfunctus officio, & hoc quicquid est compendii, quibus est destinatum, tradidero (tradam autem tum ipse, tum obsignatam pecuniam, ne vel per alios dolo fraudetur aliquid, vel ipse possim cuiquam venire in suspicionem, quasi nonnihil inde arroserim, cum gratis alienum agam negotium) isthac iter facturus proficiscar in Hispaniam.

29 *Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Euangelii Christi veniam.*

29 Et quanquam propero Hispanis Euangelium prædicaturus, tamen haud pœnitebit hujus moræ dispendiique: nihil enim addubito, quin ubi venero ad vos, ita venturus sim, & tales vos offensurus, ut adventus meus ad amplissimam Christi laudem pertineat, simul & vobis, pro vestra pietate studiis alacribus nos excipientibus, & nobis auxilio Dei, per omnia vestris votis respondentibus.

30 *Obsecro ergo vos fratres per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum,*

30, 31, 32 Interim obsecro vos fratres per communem Dominum nostrum Jesum Christum, perque sinceram caritatem, quam ex illius hausimus Spiritu, ut quoniam præsentibus præsens nondum frui possum, certe piis votis ac precibus ad Dominum effusis, me in tantis rerum difficultatibus laborantem ac periclitantem adjuvetis, quo ejus ope liberer ab incredulis, quos habet Judæa & Euangelio Christi rebellibus, ne quid illorum malitia nostræ prædicationis fructus impediatur, utque meum hoc in reddenda pecunia officium, quo functurus sum Hierosolymis, nullo interpellante sit gratum & acceptum sanctis, ut rebus his ex sententia peractis, simul & meus adventus vobis lætus sit, ita volente Deo, & ipse post exantlatos agones aliquantisper refociller apud vos.

31 *Ut liberer ab infidelibus qui sunt in Iudæa, & obsequii mei oblatio accepta fiat in Ierusalem sanctis,*

32 *Ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, & refrigerer vobiscum.*

33 Sed ut unde cœpi finiam exhortationem meam, precor ut Deus sinceræ pacis concordiæque parens, auctor & tutor, semper apud vos maneat, qui ut longe refugit ac resilit ab elatis ac discordibus, ita mutuo consensu conciliatur ac retinetur.

33 *Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.*

CAP. XVI.

Quæ Phœbe sit narrat: multos inde salutat: Vitandosque docet blandiloquos reprobos.

1 *Commendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris:*

1 CAETERVM his litteris commendo vobis hinc ad vos profectam sororem nostram Phœbam, cui has dedi perferendas litteras, quæ modis omnibus inservivit & suppeditavit congregationi credentium apud Cenchreenses;

2 *Ut eam suscipiatis in Domino digne sanctis: & assistatis ei in quocumque negotio vestri indiguerit: etenim ipsa quoque astitit multis: & mihi ipsi.*

2 Rogans ut illam sic excipiatis ac tractetis, ut decet à sanctis excipi mulierem optime de sanctis meritam, utque illi adsitis, in quocunque negotio vestrum desiderabit officium. Par est enim, ut illi adsitis, quandoquidem ipsa frequenter adfuit, cum aliis sanctis compluribus, tum mihi etiam ipsi.

3 *Salutate Priscam & Aquilam adjutores meos in Christo Iesu*

3, 4 Salutate meis verbis Priscam, & hujus maritum Aquilam Pontici generis Judæum, qui mihi, ob Judæorum insidias periclitanti, sunt opitulati, ne prædicario Christi impediretur studio malorum, adeo ut pro tuenda vita mea, ipsi subierint vitæ discrimen, ceu meum caput suo capite redemturi: ob quæ merita non ego solus illis ago gratias, verum etiam mecum agunt omnes Ecclesiæ Gentium, partim quod similiter de cæteris mereantur, partim quod mei servati beneficium ad omnes existiment pertinere.

4 *(Qui pro anima mea suas cervices supposuerunt: quibus non solus ego gratias ago, sed & cuncta ecclesia Gentium)*

5 *Et domesticam Ecclesiam eorum. Salutate Epænetum dilectum mihi, qui est primitivus Asiæ in Christo.*

5 Nec hos tantum salutate, sed universam etiam illorum familiam. Salutate Epænetum ob laudatissimos mores suo dignum nomine, atque hoc etiam nomine mihi præcipue carum, quod hunc Achajæ primitias merito dicere liceat, ut quem primum omnium apud Achivos Christo lucrifecerim.

6 *Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis.*

6 Salutem dicite Mariæ, quæ non citra periculum ac molestiam, multum officiorum in me contulit.

7 *Salutate Andronicum & Iuniam, cognatos & conseptivos meos: qui sunt nobiles in Apostolis, qui & ante me fuerunt in Christo.*

7 Salvere jubete Andronicum ac Juniam, ut sanguinis cognatione, ita & captivitatis mihi societate aliquando junctos, qui sunt inter Apostolos insignes, & in numero septuaginta duorum eminentes ornamentis veræ Religionis, qui & meipsum hoc dignitatis titulo præcedunt, quod priores me Christo sint initiati. Etenim si jure deferimus honorem, qui priores nati sunt à parentibus, quanto rectius deferetur iis, qui prius renati sunt in Christo.

8 *Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in Domino.*

8 Salutate Ampliam, qui raræ pietatis commendatione, cum primis carus est animo meo.

9 *Salutate Urbanum adjutorem nostrum in Christo Iesu, & Stachyn dilectum meum.*

9 Salutate Urbanum socium & adjutorem laborum meorum in negotiis Euangelii Christi, & hujus consortem Stachyn, mihi magnopere carum.

10 *Salutate Apellem probum in Christo.*

10 Salutate Apellem multis afflictionibus pro Christo tolerandis exploratum, spectatumque, & probatum.

11 *Salutate eos, qui sunt ex Aristoboli domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos, qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in Domino.*

11 Salutate quotquot ad Aristobuli familiam pertinent. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate domesticos Narcissi, præsertim eos qui jam in Christo renati sunt.

12 *Salutate Tryphænam & Tryphosam, quæ laborant in Domino. Salutate Persidem charissimam, quæ multum laboravit in Domino.*

12 Salutate Tryphænam & Tryphosam, quæ suo studio curaque juvant rem Euangelicam. Salutate Persidem unice mihi dilectam, ut quæ multum suderis impenderit juvando Christi Euangelio.

13 *Salutate Rufum electum in Domino, & matrem ejus, & meam.*

13 Salutate Rufum pietate ac religione eximium, simulque matrem illius, quam mihi cum illo communem esse duco.

14 *Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermen, Patrobam, Hermam, & qui cum eis sunt fratres.*

14 Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermen, Patroban, Herman, cæterosque, qui illis conjuncti sunt fratres.

15 *Salutate Philologum & Iuliam, Nereum & sororem ejus, & Olympiadem, & omnes, qui cum eis sunt sanctos.*

15 Salutate Philologum, & illius conjugem Juliam, Nereum ac sororem ejus, & Olympam, cæterosque sanctos omnes, qui in illorum vivunt contubernio.

16 *Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi.*

16 Salutate vos invicem osculo Christianis digno, quod & castum sit, & simulatione careat, sed veræ concordiæ non mendax sit argumentum. Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi, quarum omnium ego novi propensissimum erga vos studium.

17 *Rogo autem vos fratres, ut observetis eos, qui dissidia & offendicula ferunt, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis.*

17 Illud autem rogo vos fratres, ut observetis eos, qui dissidia & offendicula serunt inter vos, conantes vos in aliud doctrinæ genus inducere, præter id quod jam accepistis, ac studentes Judaismum cum Christianismo miscere. Istos agnoscite, ut agnitos vitetis. Nec erit omnino difficile agnoscere.

18 Non

Digitized by Google

18 *Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri: & per dulces sermones, & benedictiones, seducunt corda innocentium.*

19 *Vestra enim obedientia in omnem locum divulgata est. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo.*

20 *Deus autem pacis conteret satanam sub pedibus vestris velociter. Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum.*

21 *Salutat vos Timotheus adjutor meus, & Lucius, & Iason, & Sosipater, cognati mei.*

[18] Non enim sincere, quod rectum est, docent, nec pure Christi negotium agunt, sed suo ventri, suisque compendiis serviunt, dum blandis sermonibus & suavibus magis quam salutaribus dictis seducunt animos simplicium, quibus facile imponunt simulatæ pietatis prætextu.

[19] Nam vestra quidem obedientia passim est divulgata, quo sane nomine de vobis gaudeo. Primus enim ad pietatem gradus est obtemperare. Sed etiam atque etiam circumspiciendum cui obedias. Simplicitas laudanda est, sed tamen quoniam suspicionem nescit, sæpe obnoxia est impostoræ. Proinde volo vos ita simplices esse, ne cui noceatis, aut ne quem circumveniatis, ut tamen sapientes & oculati sitis, ad ea sectanda, quæ bona sunt, & declinanda, quæ pietatis sinceritatem vitiant.

[20] Non me clam est, esse multos, qui adversantur Euangelio Christi, per quos Satanas conatur salutem mortalium impedire. Alii persecutionibus impetunt, alii falso Religionis prætextu à Christo alienant, & ad Mosen pelliciunt. Vos modo perseverate, non defuturus est vestris conatibus Deus, quo propugnatore, nihil est quod formidetis. Is enim ut potentior conteret, comminuetque Satanam oppugnatorem, ac victum prostratumque pedibus vestris, sua virtute subjiciet, idque brevi. Favor Domini nostri Jesu Christi vobis omnibus semper adspiret.

[21] Salutat vos Timotheus Derbensis in Euangelii prædicandi munere Collega meus, cumque hoc Lucius, & Jason Thessalonicensis, & Sosipater Pyrrhi filius, Beroensis, cognati mei.

A

[22] Saluto vos ego nomine Tertius, qui Paulo hanc dictanti Epistolam, studio pietatis scriptoris operam commodo.

[23] Salutat vos Cajus, unus inter paucos, quibus administravi baptismum, apud quem nunc diversor: nec ego solum, verum etiam universa congregatio credentium, cui ille benignum præbet hospitem, cum est opus. Salutat vos Erastus Corinthiorum urbis quæstor ærarius. Præterea Quartus frater.

[24] Favor Domini nostri Jesu Christi vobis omnibus semper adsit, quæ mea vota, rata firmaque faxit Deus.

B

[25], [26], [27] Ei vero, qui & citra nostram operam potest vos confirmare ac stabilire in isto vitæ instituto, quod juxta meum Euangelium, quo Jesum Christum prædico, accepistis, per quod non Lex Mosaica prorsus est abrogata, sed arcanum, quod pluribus retro seculis celatum fuit, nunc juxtà Prophetarum priscorum oracula profertur & aperitur Euangelio coruscante, idque ordinatione jussuque Dei, qui nobis prædicandi munus, & efferendi secreti negotium delegavit, ut provulgato jam apud omnes arcano religionis Euangelicæ, per quam abrogatur omnis Dæmonum cultus, ac cessant Mosaicæ Legis ceremoniæ, omnes per fidem obediant,

C

sesque Deo submittant, qui solus vere sapiens est, gratias agimus per Jesum Christum, cui gloria in omne ævum, Amen.

22 *Saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam, in Domino.*

23 *Salutat vos Cajus hospes meus, & universa Ecclesia. Salutat vos Erastus arcarius civitatis, & Quartus, frater.*

24 *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen.*

25 *Ei autem, qui potens est vos confirmare juxta Euangelium meum, & prædicationem Iesu Christi, secundum revelationem mysterii temporibus aeternis taciti,* (26 *Quod nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum secundum præceptum aterni Dei, ad obeditionem fidei) in cunctis Gentibus cogniti,* 27 *Soli sapienti Deo, per Iesum Christum, cui honor & gloria in secula seculorum. Amen.*

PARAPHRASEOS IN EPISTOLAM D. PAVLI AD ROMANOS

FINIS.

VERSVS MEMORIALES

IN EPISTOLAM D. PAVLI AD ROMANOS.

ACCVSATIO: *Barbari*: *Juda*: *Caussa fide stat*:
Dans exemplum Abraha hic: *Eque fide pia pax.*
Fi similis Christo: *Gemina est lex*: *Haud separat quid*:
In Christo electi: κλῆσις ἡ ἐξ αἰωνος.
Lethi auctor Judas: *Monet hic bene*: *Nox modo pulsa est.*
Omnia pura bonis: *perfer, age, & teneros.*
Qua Phœbe fiet hic narrat, sanctosque salutat:
Octo ad Romanos bis tibi membra dabit.

CLARISS.

Digitized by Google

CLARISS. PRINCIPI ET EIDEM REVERENDISS. PRAESVLI LEODIENSI;

D. ERARDO DE MARCA;

NVNC CARDINALI,

DES. ERASMVS ROTERODAMVS

S. D.

CVm mihi multorum, & litteris, & oratione, tua Celsitudo fuerit sæpenumero prædicata, velut omnibus ornamentis, omnibus affatim cumulata dotibus, quæ magno Principe dignæ videri queant, tamen paucorum dierum consuetudine talem eam expertus sum, ut illi perquam maligne, parceque, ac prope dixerim invide, tuam felicitatem, imo nostram potius retulisse viderentur. Itaque mutatis in diversum rerum vicibus, factum est, ut tu jam pridem quorundam prædicatione majorem in modum inflammatus in nostri videndi desiderium, à congressu moderatius amare cœperis, opinor quam primum expostulaturus cum his, qui tibi ex tantula musca, tantum fecerint elephantum: ego contra, qui prius satis magno tenebar tui desiderio, simulatque datum est coram, & cominus te contemplari, totus raptus sum in amorem & admirationem tuæ magnitudinis, moxque cum his expostulavi, qui te mihi tam maligne depinxerant. Neque vero hic commemorabo vetustissimam gentis tuæ nobilitatem, clarissimaque majorum stemmata, non ditionis amplitudinem, non totius corporis prorsus heroicam majestatem, quæ procul etiam eximium Principem testetur, quamquam haud sum nescius, hisce quoque rebus animi dotes commendari. Mihi magis admirari libet, quæ magis tua sunt, incredibilem morum suavitatem, nulli non obviam atque expositam comitatem, qua fit, ut quocunque te converteris, protinus hilarescant omnia, ingenium mire dextrum, & in omnia versatile, nusquam non sibi præsens, nusquam non expromtum, judicium in omni genere rerum singulare, quod suapte natura felicissimum, felicius reddidit plurimarum rerum usus, inauditam consilii vim, quo nomine nostro quoque Principi, nostræque aulæ, cui nuper adjunctus es, gratulor. Ad hæc haud vulgarem animi propensionem erga pietatem ac bonas litteras, quibus utrisque præmines ipse. Cum primis autem perpetuum pacis studium, qui post tot bellaces Episcopos, incredibili prudentia sic moderatus es populum, alioqui satis ad bella præcipitem, ut nec ipse cuiquam prædæ fuerit, nec quenquam armis lacessiverit. Arduum ac rarum est, probum agere Principem, rarius integrum & incorruptum Præsulem. Tu unus utrumque munus sic præstas, ut vix alius alterutrum possit absolutius, nec minus religionis antistitem geris, quam Reipublicæ ducem. Verum hæc alias fortasse tempestivius referentur, &, ut arbitror, aliis rectius quam tibi.

At interea, ne talem Principem, à quo sic essem provocatus officiis, denuo vacuus, & asymbolus convenirem, aut ne putares ab hac tua florentissima Academia, præter aromatiten nihil mitti, litterarium hoc xeniolum pauculis hisce diebus adornavi Paraphrasin in duas Epistolas ad *Corinthios*, quo *Paulum*, illum unicum nostræ Religionis antistitem, quocunque lubitum fuerit circumferas, posthac absque prolixis commentariis tecum dilucide familiariterque confabulaturum. Neque dubito quin hujus colloquium sit tibi non minus frugiferum quam volupe futurum. Primum enim in hisce duabus Epistolis aperiuntur permulta de nascentis Ecclesiæ primordiis, de quibus admiror prope nihil esse proditum historia graviore, cuique tuto possis credere. Solus *Lucas* de paucis Apostolis pauca quædam attingens, *Paulum Romam* usque prosequitur. Nam *Dionysius*, qui in Hierarchia secunda, priscos Ecclesiæ ritus satis copiose describit, eruditis recentior quispiam fuisse videtur, quam fuerit Areopagites ille *Pauli* discipulus. Legi *Græcorum* Liturgiam, quam illi *Chrysostomo* tribuunt, cui nihil fere non tribuunt, mihi non sit verisimile. Atque utinam quæ *Paulus* hic attigit, ac veluti per transennam ostendit, de ritibus Ecclesiasticis, aliquanto copiosius & explariatius tradidisset. Quam enim circumcise meminit de Eucharistia sive synaxi, quasi veritus, ne quid de tanto mysterio secus diceret quam oporteat, de quo recentiores quidam quam *illotis*, ut ajunt, *pedibus*, quid non differunt, quid non definiunt? Vtinam illud saltem aperuisset, à quibus, quo tempore, quo cultu, quo ritu, quibus verbis consecrari soleat panis ille mysticus, ac sacrosanctum Dominici sanguinis poculum: è cujus indigna tractatione *Paulus* crebros morbos ac mortes nasci docet, qui sermo nos quoque circumspectiores reddere debet, ne forte lues, quæ compluribus jam annis passim grassatur, hinc nobis orta sit. Tractat autem indigne non solum, qui libidine pollutus accedit, sed multo magis qui livore, qui odio, qui virulentia, qui obtrectatione, qui vindictæ studio conspurcatus, aliisque hoc genus vitiis, quæ suapte natura ex diametro pugnant cum Christiana caritate, quam hoc mysterio repræsentamus. Plenius aliquanto differit de dotibus linguarum, interpretationis, prophetiæ, cæterisque, in quorum locum postea successit cantus Ecclesiasticus, sacra lectio & concio. Nam dona sanationum & Apocalypsis, jam olim nos destituerunt, posteaquam frigescente caritate, & languescente fide, magis ab humanis præsidiis pendemus, quam ope cœlesti. Attingit nonnihil & de jurisdictione Ecclesiastica, cum prohibet adiri judices Ethnicos, ac lites pecuniarias per Christianos arbitros transigi jubet. Quin & sibi cognitionem judiciariam vindicat, cum ait: *Ubi venero, in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* Rursus in exsecutione demonstrat auctoritatem Apostolicam, tradens Satanæ virum, qui patris uxorem sibi adjunxerat: in cujus rei locum nunc successit Excommunicatio, quæ hisce temporibus, mea sententia, plus satis in promtu est, dum passim & quamlibet frivolis de causis intentatur fulmen illud terrificum, nec unquam acrius, quam cum pecuniola periclitatur: cum *Paulus*, ni fallor, præter *Hymenæum* & *Alexandrum*, unum modo tradiderit Satanæ: illos quod pertinaciter obsisterent Euangelio, cum haberentur Christiani, quos ut damnatos legimus, ita non legimus restitutos: hunc ob publicum vulgoque notum incestum: & tamen nec in hunc pronuntiavit, nisi ex communibus omnium suffragiis: nec usquam hominis nomen prodidit, in damnando crimen notasse contentus: in reconciliando ne criminis quidem facit mentionem, ut in flagitium sævitum intelligas, non in hominem. Neque tum aliud erat *tradi Satanæ*, quam ad tempus vitari à cæteris, quo pudor ad resipiscentiam adduceret. Nam id admiscet sententiæ *Paulus*, *in afflictionem carnis, ut spiritus salvus fiat in die Domini:* ut ipsa quoque severitas, qua medetur malo, spiret Apostoli caritatem. At mox eundem quanto studio commendat *Corinthiis*, ut correctum blande recipiant in suum consortium, sollicitus ne graviore mœrore absorberetur. Hac pœna tum erat contenta lenitas Apostolica. Ad hæc cum plures essent qui peccarant, in unum modo, quo sit aliis exemplo, voluit animadvertere, sed miti supplicio, imo remedio potius quam supplicio. Cæteros per Epistolas crebris minis territat, quo resipiscant, veluti non ha-

Digitized by Google

biturus sæviendi jus in eos, qui sua sponte resipuissent. Nunc quam tyrannice sævimus in plebeculam, ipsi nobis graviorum scelerum conscii.

Sed interim, hujus incesti damnati ac recepti argumento, explosum est dogma *Montani* ac *Novatiani*, qui lapsum graviter à baptismo non recipiunt in gregem Christianum. Quanquam *Augustini* temporibus semel duntaxat dabatur locus publicæ pœnitentiæ, ne frequenti usu vilesceret remedium, etiamsi relapsis in idem flagitium non adimit veniæ spem apud Deum, hac de re pluribus differens in Epistola ad *Macedonium*, quæ nunc habetur LIV. Ab eodem exemplo natæ sunt canonicæ satisfactiones, quas olim severissimas fuisse testantur veterum Pontificum decreta. Ab his rursus ortas apparet, quas nunc vulgo vocant *Indulgentias*, quibus utinam nobis contingat tam pietate ditescere, quam quorundam arcæ nummis locupletantur. Ac primum de pœnis solennibus, ab Episcopo indictis, relaxabatur aliquid, sed ut parce, ita non nisi ob graves piasque causas, nunc passim venditur purgatoriæ carnificinæ remissio: nec venditur modo, sed obtruditur nolentibus, non jam dicam ob cujusmodi causas. Jam Pseudapostolos, tametsi *Paulus* sciret esse pestilentissimos, tamen tolerat ad tempus, ne sæviens in paucos, publicum Ecclesiæ statum perturbaret: non abhorrens ab *Augustini* sententia, qui quosdam clam, non palam arguendos putat, ne ad majorem insaniam concitentur, & ex flagitiosis fiant vel tyranni, vel hæresiarchæ.

Quin & in ferendis legibus Apostolico munere fungitur. De matrimonio concesso aut inconcesso, pari & impari, de digamia, de divortio: quorum alia suadet ut utilia, rursus alia præcipit ut necessaria. Ex his quædam mea sententia satis, ne dicam plus satis, mordicus tenemus, veluti de divortio, quædam prorsus abrogata sunt, veluti quod *Paulus* suadet, ut uxor Christiana adhæreat Ethnico marito, si is non quærat divortium. Præscribit & de carnibus idolothytis, de quibus & in Actis decernunt *Jacobus* & *Petrus*, quod nunc fortasse locum non habet, cum nemo jam sacrificet Dæmonibus. Etiamsi huic quoque decreto jam derogatum est, quod suffocato & sanguine vesci nefas non habeatur. At *Ambrosius* sub interdicto sanguinis, omnium animantium, quæ sanguinem habent, esum prohibitum interpretatur: & ob id à *Græcis* ex supervacuo adjectum de suffocato, quod qui prohibet simpliciter, ne vescamur pecude; idem prohibet edere de suffocato. Verum an *Ambrosiana* sententiæ subscribendum sit, alii viderint. Mihi purioris Christianismi videtur, magisque consentaneum Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ, si nulli certum cibi genus præscribatur, sed admoneantur omnes, ut quisque pro corporis habitu vescatur, quæ maxime conducunt bonæ valetudini, non ad luxum, sed ad sobrietatem, cum actione gratiarum, ac studio bonæ mentis. Sed ut currat oratio, docet hic obiter Apostolus, quatenus mos gerendus infirmis, & quatenus vitandum offendiculum, videlicet ubi præsens imminet fidei periculum, & offendiculi occasio pene est invincibilis, tum reperta & ex pristino vitæ instituto relicta, non nata è nobis & accersita. Nam an *Augustino* sit assentiendum, qui in Epistola quadam ad *Publicolam*, in qua varias quæstiones tractat hujus argumenti, existimat simpliciter esse rectius fame mori, quam immolatitiis carnibus forte repertis vesci, si constet esse immolatitias, aliorum esto judicium, cum *Paulum* hic nihil offendat, nisi infirmi offendiculum, palamque clamitet nec idolum, nec idolothytum esse aliquid: & indignetur quod male audiat ob id, pro quo ipse gratias agit. Quo scrupulo sublato, quid est cur fame moriatur Christianus? Neque enim similia sunt, quæ confert in libro de bono conjugii, suscipere liberos & mori fame. Neque *Paulus* hanc admiscet circumstantiam, quin potius abstinere pro tempore jubet, cum undevis alioqui suppetat, quo ventrem sedare possis latrantem. Si mihi conceditur furtivo cibo vitam prorogare, cur ob alienam suspicionem mori jubeor? Atque hæc quidem tum erant constitutionum Ecclesiasticarum rudimenta, cum nondum de Dignitatibus ac Præbendis, nondum de pallio & usu pallii, nondum de decimis prædialibus ac personalibus, nondum de repræsaliis quæstio verteretur.

Ad hæc aperitur nonnihil de censu, salarioque Sacerdotum, cum palam inculcat æquum esse, ut qui serviunt Euangelio, vivant ex Euangelio: sed vivant, non ditescant, non satrapas agant, neque vivant tamen, nisi serviant & assideant altari. Quanquam ipse jus hoc aliis defendens, sibi non usurpat, etiamsi plus omnibus in Euangelii negotio laborans. Hanc egregiam ac vere generosam *Pauli* mentem tot jam seculis non video qui studeat æmulari. Nihil gratis geritur, imo exigitur præmium, nec præstatur officium, cum Apostoli ultro delatis sint usi, *Paulus* ne delatis quidem. Colliguntur & pecuniæ, sed quæ sponte conferebantur ab his, quibus supererat, non extorquentur: & colliguntur in usus sanctorum egentium, non in luxum ditiorum: & ita colliguntur, ut hinc nec ad *Paulum*, nec ad *Titum*, per quos agebatur negotium, quicquam omnino compendii rediret. Unde post natum apparet, ut Ecclesiæ multorum opes committerentur in viduarum ac senum aliorumque necessitates erogandæ, quas postea quorundam improbitas in suam vertit tyrannidem. Mittuntur ultro citroque legati, quibus & suus habetur honos, tum in excipiendo, tum in deducendo: sed opinor pompam fuisse frugaliorem, quam hodie videmus. De mandatis enim nihil disputo. Gratulandum auctis Ecclesiæ rebus, si cum splendore strepituque tantundem crevit Religio. Neque tamen id temporis Apostolis sua defuit dignitas ac majestas, non defuere præsidia. Jactat *Paulus* arma sua non carnalia, sed spiritualia: potentia, non armatis ferro copiis, sed præsidio Dei: non ad demoliendas urbes, non ad deprædandum populum, aut trucidandos homines, sed ad dejiciendam omnem cogitationem erigentem sese adversus consilium Dei. Ea cujusmodi sint, clarius etiam explicat *Ambrosius* in Libro *de vidnis: Ecclesia*, inquiens, *non armis secularibus vincit adversarias potestates, sed armis spiritualibus, quæ sunt fortia Deo.* Ac paulo post: *Arma*, inquit, *Ecclesiæ, fides: arma Ecclesiæ oratio est, quæ adversarium vincit.* Succinit huic sententiæ *Nicolaus* Papa, cujus verba referuntur in sententiis Theologicis lib. IV. dist. 37. §. *His adjiciendum*, &c. His armis, his copiis, & sic instructo milite *Paulus* bellator invictus subacta *Græcia*, magnaque minoris *Asiæ* parte, *Romanum* aggressus est, ac cepit imperium, tum nullis Regum armis expugnabile. Quicquid autem terrarum subegit, *Christo* subegit, non sibi: cujus præsidiis hoc ipso ducem invictum præstitit, quod nullis humanis præsidiis niteretur. Cœleste regnum cœlestibus armis asseruit, & Euangelicam militiam Euangelicis opibus gessit; coriarius pontifex, peripsema mundi, sed electum organum *Christi*, cujus humili sublimitate, & facunda infantia, atque eloquenti balbutie suum nomen voluit per superstitiosam *Judæam*, per eruditissimam *Græciam*, per regnorum omnium reginam *Romam* illustrari: in quem vere competit, quod olim in *Periclem*, nisi fallor, dictum est, *Fulgurat, tonat ac miscet*, non *Græciam* modo, quemadmodum ille, verum etiam *universum terrarum orbem*.

Cæterum illud interim mirari subit, in ipsis statim initiis ac rudimentis periclitatam fuisse doctrinam Euangelicam, ni *Paulus* omni, quod ajunt, pede contra stetisset, non aliter quam fœtus quidam de vita periclitantur, priusquam in vitam emerserint. Tanta zizaniorum vis coorta est, quæ teneram etiamnum, & herbescentem *Christi* sementem pene obruit, mox Philosophia mundana, mox *Judaica* superstitio, ceu de composito junctis copiis in *Christum* conspirabat. Philosophia dissuadebat resurrectionem, & humanis argutiis nonnihil vitiare cœpit Euangelii sinceritatem. *Judaismus* totum *Mosen* vel usque ad circumcisionis in-

juriam

juriam nobis invexerat, ac cœleſtem illam Philoſophiam ad craſſas frigidaſque ceremonias pertraxerat, niſi ſtrenuiſſimus hic *Iſaac* † noſter tot puteos Euangelicæ venæ, tot fontes vivi laticis adverſus *Philiſtæos*, omnia terra opplentes, aperuiſſet. Philoſophia tum per moroſophos ſuos libris ac linguis, per tyrannos gladiis etiam graſſabatur in puſillum ac ſimplicem *Chriſti* gregem, veſtigiis & in hæc uſque tempora relictis. *Judaiſmus* per Apoſtolos perſonatos, ſub umbra prætextuque pietatis pernicioſius etiam irrepebat, adeoque totam *Chriſti* ſegetem occupavit, ut ne nunc quidem revelli poſſit. Certe divus *Auguſtinus* in Epiſtola quadam ad *Januarium*, quæ nunc habetur numero CXIX. teſtatur, in *Africa* tanta ſuperſtitione obſervari ſolere pelluvia, quorum meminit & * *Juvenalis*, ut gravius corriperetur, qui per octavas ſuas terram nudo pede tetigiſſet, quam qui mentem vinolentia ſepeliſſet, ſtomachans & indignans Eccleſiam *Chriſti*, quam pauciſſimis celebrationum ſacramentis miſericordia Dei eſſe liberam voluit, tot ſervilibus oneribus premi, ut tolerabilior videretur conditio *Judæorum*, qui etiamſi tempus libertatis non agnoviſſent, legalibus tamen ſarcinis, non humanis præſumtionibus ſubjicerentur. Sed hujuſmodi zizania utcunque tolerat, licet invitus, illud nullo pacto ferendum putat, utpote palam repugnans fidei ſanæque doctrinæ, quod quidam ſic ab eſu carnium abſtinerent, ut eos, qui veſcerentur, pro immundis ducerent. Exſtant & hujus ſuperſtitionis hiſce temporibus non obſcura veſtigia, pleriſque bonam pietatis partem in ciborum delectu ponentibus, quos ex æquo Deus creavit ad veſcendum, cum gratiarum actione. Nec hic minus præpoſterum judicium, quam apud *Afros* in pedum lotione, dum nemo fere non gravius crimen exiſtimat, die ſabbati carnibus veſci, quam mendaci virulentia famam fratris inceſſere, aut etiam hominem ferro jugulare. Erant qui juxta *Pauli* vaticinium in totum prohiberent nubere. Ex qua ſuperſtitione relictum videtur, quod divus etiam *Gregorius* Romanæ Eccleſiæ uſu receptum, præcipit obſervandum, ut vir qui cum uxore propria rem habuiſſet, abſtineret aliquamdiu ab ingreſſu Templi, nec ingrederetur niſi lotus, *noctem*, ut ait ille, *flumine purgans*, ac rei ſuperſtitioſæ cauſam adfert: non addam qualem, nimirum hanc, quod *licet honeſtum ſit matrimonium, tamen voluptas, ſine qua non conſtat coitus, nullo modo poſſit eſſe ſine culpa.* Quod dico, refertur in ſententiis Theologicis Lib. IV. diſt. 31. §. *Sed forte aliquis*, &c. Ficulnum vero auxilium eſt, quod ibi comminiſcitur Magiſter, hoc intelligendum de congreſſu per incontinentiam: qui dicit, *nullo modo*, nihil excipit.

Quin & aliarum hæreſeon quamvis ſublata ſint vocabula, tamen reliquias ac ceu cicatrices quaſdam licet hodieque deprehendere, velut eorum, qui dicebantur *Eſſeni*, qui *Ebionitæ*, qui *Apoſtolici*, qui *Pſalliani*, ſive *Enchitæ*, ne quid attingam de *Simoniacis*, quæ vox jam olim habetur inter obſoletas. Verum hujuſmodi ſectarum diſſidia, quibus poſtea totus prope conflagravit orbis, præſertim *Ario* duce, rebus tam ambiguis, ut incertum eſſet utro ſe mundus inclinaret, vivo etiam *Paulo* pullularunt, non de condonationibus, aut applicationibus, aut id genus aliis, quæ nunc obtorto collo trahimus ad fidei materiam: ſed de reſurrectione mortuorum, quæ caput ac baſis eſt noſtræ profeſſionis. Adverſus hanc peſtem, quanquam acerrime depugnat *Paulus*, tamen adhuc vereor ne ſpiret etiamnum in quorundam animis hæc excetra: quandoquidem apud *Italos* quotannis in publicis concionibus conantur aſſerere reſurrectionem, exiſtimantes rem in portu fore, ſi docuerint, *Ariſtotelem* non ſuſtuliſſe prorſus immortalitatem animarum. Nihil enim interim dicam de conviviorum fabulis. Porro quid credant alii, non eſt meum divinare: certe, quod eſt in propatulo, ſic vivunt quidam, præſertim potentes in hoc mundo, quaſi de futuro ſeculo nihil omnino credant. Atque utinam hic quoque *Paulus* aliquanto plus lucis nobis aperuiſſet: qualiter exſtent animæ ſemotæ à corpore, & ubinam exſtent, an fruantur immortalitatis gloria: an impiorum animæ jam nunc crucientur, an eis ſubveniant noſtræ preces, aut alia benefacta, an indulgentia ſummi Pontificis ſubito liberentur à pœnis, quando video multos ſuper hiſce rebus ambigere, aut certe diſputare, quod ſupervacuum erat, ſi *Paulus* aperte definiſſet. Ad hæc cum in Chriſtum renatos conveniat veterem hominem exſuere cum actibus & affectibus ſuis, tamen videmus adhuc Euangelio recenti, præſidente *Paulo*, libidinem, avaritiam, contentionem, ambitionem, diſſidia, cæteraſque pietatis ac bonorum morum peſtes in populum irrepſiſſe, quædam vitia ex ſuperiori vita relicta, non potuiſſe prorſus atque à ſtirpe revelli, ne quis admiretur his temporibus eſſe, in quibus, quia refrixit caritas, abundet iniquitas. Quin vivo etiamnum *Paulo* ingeſſerant ſeſe Pſeudapoſtoli, qui rem Euangelicam in ſuum quæſtum verterent, qui *Chriſti* gloriam in ſuam tyrannidem transferrent, qui ſe prædicarent magis quam Deum: qui pro *Chriſto* mundum, pro ſpiritu carnem docerent: qui cœleſti doctrinæ doctrinas hominum admiſcerent: qui fundamento *Chriſto* ſtructuram indignam inducerent, hoc nocentiores hoſtes Eccleſiæ, quod hæc agebant ſub prætextu *Chriſti*, quod Apoſtolorum titulo perſonaque commendati. Atque utinam hodie nullos haberet Pſeudapoſtolos Eccleſia *Chriſti!* Utinam omnes, qui in Euangelii prædicandi vices ſucceſſerunt, ad exemplum *Pauli*, *Jeſum Chriſtum* non ad quæſtum, non ad ambitionem, non ad gratiam potentum, non ad odium aut favorem hominum, ſed pure ſincereque prædicarent! *Paulus* enim ipſe vinculis alligatus gloriatur ſermonem Domini non eſſe alligatum **. Nunc, proh dolor! cernere eſt quoſdam, qui potentum ſalariis in hoc ipſum velut auctoramento redemti, non tam ea prædicant, quæ faciunt ad *Chriſti* gloriam, quæque ad veram pietatem, quam quæ conducunt ad venanda Sacerdotia, ad illaqueandas Dignitates, ad irretiendos Epiſcopatus: ibi fortes ac vocales, ubi non tuta modo, verum etiam quæſtuoſa eſt adulatio: rurſus ubi damnoſa veritas, magis muti vel ipſis piſcibus. Quod ſi ſal inſulſus eſſe cœperit, quid ſupereſt, unde ſaliatur inſipidus popellus? Si lumen vertitur in tenebras, quid diſcutiet imperitæ multitudinis caliginem? Si paſtores vertuntur in lupos, quæ ſpes gregi? Si cæci ſunt qui viæ duces agunt, quis revocabit ab errore? Si caupones ſunt, qui patres eſſe debebant, quis erit uſquam ſinceritati locus? Adeo-ne plus apud nos valet hominum terror, quam timor Dei? Plus humanis quam divinis præmiis commovemur? Niſi forte nobis ipſis primum adulamur, quo perditius adulemur aliis. *Paulus* non patitur quenquam mortalem prædicari, non patitur Euangelii laudem in homines transferri. Nunc quidam velut antiquato *Chriſto*, novum idololatriæ genus invehunt, ex hominibus, ut ita loquar, Deos facientes. Interim imponitur plebi, interim populus non ſimplici premitur tyrannide.

Hæc plerique perſpicimus, & tacemus: nec ſolum tacemus, ſed diverſam etiam partem adjuvamus. Fateor, inquimus, eſſe rectum, ſed tutum non eſt. Si apud Chriſtianos tutum non eſt Euangelium pure libereque prædicare, ubinam id tuto fiet? Quod ſi hic metus apud omnes æque valuiſſet, quis nobis tradidiſſet Euangelium? Et ideo fortaſſis procerum aures ægrius ferunt vera conſilia, quod nimium illas aſſuefecimus aſſentationi. Non hæc loquor quo quenquam taxem, utinam nulli ſint, in quos hæc vere competant! Non prodentur à me, ſed ipſi ſeſe Libris editis, ipſi ſe publicis concionibus quotidie produnt, tam impudenter aſſentantes, ut ipſis etiam mimis ſint deridiculi. Vox ea, quam pietati dicatam eſſe oportebat, ſervit quæſtui: quæ docere debebat regnum cœlorum, ſubſervit regno mundi: quæ *Chriſti* myſteria debebat enarrare, narrat hominum ſomnia. Euangelica tuba, quam intendi jubet *Eſaias* ‡ ad ebuccinandam Dei gloriam, in citharam verſa,

† Gen. XVI. & XXVI. * Sat. VI. ℣. 440. ** 2 Timoth. II. ‡ Cap. I.

Digitized by Google

delinit aures hominum. Lingua, quam idem gloriatur ſibi datam eruditam, ad revellenda vitiorum plantaria, ad inſerenda ſemina pietatis, ad uſum longe diverſum accommodatur, docens quod non oportet, & inſectans quod laudatum oportuit. Lingua canis, qua decuit cum manſuetudine mederi vulneribus nocentium, ſæpe lacerat famam innocentum, imo, quod eſt fœdius, benemerentium. Hæc nobis vice teli eſt, quo confodimus, ſi quis nos offendat, imo ſi nec offendat, ſed officio provocet. Dicas medicam illam linguam, verſam in linguam viperæ. Quin potius *Paulinam* imitamur linguam, quæ præter Dominum *Jeſum* nihil ſonare poteſt. Quin potius meminimus prædicatorem angelum eſſe Domini, è cujus ore populus legem exſpectat Dei, non convitia in membra *Chriſti*, plurimumque intereſſe inter hierophantam & ſycophantam, inter Theologum & ſpermologum, inter doctorem & delatorem. Hîc Epiſcoporum partes deſiderantur, quorum eſt curare, ne paſſim cuivis detur locus apud populum concionandi. Nec ſatis eſſe credamus ad munus Apoſtolicum obeundum, geſtare cucullam. Non omnes qui linguam habent, cor habent: ſed his de rebus alias fortaſſe commodius dicetur.

Nunc ut ad id, quod in manibus erat, redeam: Cum *Paulus* noſter ubique vafer ſit, ac lubricus, in his tamen duabus Epiſtolis ſic polypum ac chamæleontem, ſic Proteum, ac Vertumnum quendam agit, ut cum *Corinthiis* plus quam *Græcis* agens, quodammodo juxta vetus proverbium πρὸς Κρῆτα κρητίζειν videatur, in omnia ſe vertens, quo illos transfiguret in *Chriſtum*. Adeo ceu per varios labyrinthi flexus ſeſe volvit ac revolvit, ſubinde alius atque alius nobis prodiens. Quam ſupplex ac blandus alicubi, obſecrat per manſuetudinem *Chriſti*, rogat, ut ferant ſtultitiam ſuam aliquantiſper, rurſus auſterus ac minax clamat: *An experimentum quæritis per me loquentis Chriſti?* Alibi ſeſe dejiciens peripſema ſe vocat, abortivum, & indignum Apoſtoli nomine, ac mox ingens & erectus ſummis etiam Apoſtolis ſe præfert, hîc humi repit, illic è tertio cœlo nobis apparet. Nunc collaudat *Corinthiorum* pietatem, mox in vitia illorum detonat. Quædam palam exigit, quædam ceu per cuniculos inſinuat. Alicubi imperitus ſermone, nihil novit niſi *Jeſum*, & hunc crucifixum, alibi ſapientiam loquitur inter perfectos. Alicubi cordatum ac ſobrium agit, ac rurſus alibi ſumit ſibi ſtulti parumque ſobrii perſonam. Nunc ſuum jus ſibi fortiter aſſerit, mox illis blande remittit. Ex animo loquitur alicubi, eſt ubi εἰρωνεύεται, *Condonate*, inquit, *mihi hanc injuriam*. Reperias ubi ſibi parum conſtare videatur, ita ſui diſſimilis, ut maxime tamen ſit ſui ſimilis: ita inconſtans, ut maxime conſtans. Nuſquam enim non agit *Chriſti* negotium: nuſquam non conſulit gregis ſui commodis, fidi medici ritu, nullum remediorum genus non admovens, quo perfectam ſanitatem ſuis reſtituat. Sudatur ab eruditiſſimis viris in explicandis Poetarum ac Rhetorum conſiliis, at in hoc Rhetore longe plus ſudoris eſt, ut deprehendas quid agat, quo tendat, quid vetet, adeo ſtropharum plenus eſt undique, abſit invidia verbis. Tanta vafricies eſt, non credas eundem hominem loqui. Nunc ut limpidus quidam fons ſenſim ebullit, mox torrentis in morem ingenti fragore devolvitur, multa obiter ſecum rapiens: nunc placide leniterque fluit, nunc late, velut in lacum diffuſus exſpatiatur. Rurſum alicubi ſe condit, ac diverſo loco ſubitus emicat, cum viſum eſt, miris Mæandris, nunc has, nunc illas lambit ripas, aliquoties procul digreſſus, reciprocato flexu in ſeſe redit. Quo magis admiror quoſdam, qui cum vix primoribus labris guſtarint rudimenta Grammatices: nec omnino ſciant, quid ſit dicere, tamen *Pauli* linguam intelligere, rem facilem, ac pene puerilem exiſtimant. Quid nos præſtiterimus, aliorum erit judicium. *Ambroſium* ac *Theophylactum*, *Bulgarienſem* Epiſcopum, potiſſimum ſecuti ſumus, quorum hic tametſi recentior eſt, tamen veterum interpretum *Græcorum* commentarios legit, qui nobis interciderunt. Et tamen hos duos ſic habuimus in conſilio, ut ſemper id amplecteremur, quod ex ſententia *Pauli* maxime videretur. Fidei meæ *Paulum* ipſum teſtem facio. Video præfationem æquo longiorem, nec habeo quo lemmate culpam deprecer, niſi quod hic error mihi cum multis communis eſt, hac præſertim tempeſtate, & amor erga te meus me fecit aliquanto loquaciorem. Celſitudinem tuam incolumem ac florentem nobis quam diutiſſime ſervet Princeps ac Dominus noſter *Chriſtus Jeſus*. *Lovanio* 5. Feb. Anno 1519.

IN EPISTOLAM AD CORINTHIOS PRIOREM

ARGVMENTVM

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

CORINTHVS Achaiæ *metropolis olim erat, ob Portuum commoditatem (eſt enim Iſthmus) emporium totius* Aſiæ, *tum celeberrimum, tum opulentiſſimum. Fere fit autem, ut ejuſmodi civitatum mores multo ſint corruptiſſimi, quod undique ex omni Natione, non tam mores quam vitia ſolent importari, & magnam vitæ licentiam negotiatorum genus ſibi vindicat. Proinde* Corinthii, *tametſi prædicatione* Pauli *jam pridem Euangelicam doctrinam accepiſſent, tamen adhuc ingenii vitæque prioris veſtigia nonnulla, ac reliquiæ manebant, adeo ut periculum eſſet, ne per Philoſophos, crucis prædicationem, ut humilem & indoctam faſtidientes, & Pſeudapoſtolos ad* Judaiſmum *invitantes, à* Chriſti *ſinceritate alienarentur. Uſque adeo ardua res eſt, & ab iis, in quibus natus ſis, & quibus diu aſſueveris, in alium hominem transformari. Quin divus* Hieronymus *in Præfatione ſecundi Libri Commentariorum, quos ſcripſit in Epiſt. ad* Galatas, *teſtatur: ſua etiamnum ætate apud* Achaicos *horum, qua* Paulus Corinthiis *objicit, exſtitiſſe reliquias, cum hodie ſatis eſſe putemus, aquula modo tingi, ut ſubito fias abſolutus Chriſtianus.* Paulus *igitur ſciens, non minoris eſſe virtutis parta tueri, quam paraſſe: filios ſuos, quos magno ſtudio* Chriſto *genuerat (nam ſeſquiannum apud illos egerat) pari ſtudio ad* Chriſtum *revocat, & in Euangelica doctrina confirmat, nunc Apoſtolica ſæviens auctoritate, corripiens, objurgans, ac minitans denique: nunc paterno affectu blandiens, atque exhortans, & neceſſaria reprehenſionis acrimoniam laudis admixtu leniens, ac ſapientum medicorum exemplo, amarum abſinthii pharmacum prælito melle condulcans, ſinguliſque malis oportuna admovens remedia. Primum opulentia comes ſolet eſſe tumor, ac ferocitas. Et inter feroces plerunque factiones oriuntur, dum nullus alteri vult cedere, & ſe quiſque potiorem ducit. Ad hæc opes comitatur luxus, & gula ſtudium. Luxus libidinem comitem trahit. Porro negotiatorum peculiaris eſt avaritia. Neque vero ſolum tumebant opibus* Corinthii, *verum etiam* Græcanicæ *Philoſophiæ ſupercilio, qua deſtitutos cæteros ut barbaros deſpiciebant. Tumoris erat, quod ex dignitate Apoſtolorum, a quo quiſque fuerat baptizatus, efferrent ſeſe. Hinc illæ diſſidiorum voces,* ego Apollo, ego Cephæ, ego Pauli. *Præterea quod ne in conventiculis quidem ſolennibus ſatis inter eos conveniret, cum in donis ſpiritualibus ſibi quiſque placeret: & dum in eodem dono ſibi nolunt invicem cedere, tumultus & confuſio naſceretur, adeo ut in publico conventu mulieres etiam loquerentur, ac docerent. Porro luxus ſimul & tumoris erat, quod quoties ad ſacroſanctam cœnam convenirent,*

Digitized by Google

nirent, quam Paulus *Dominicam vocat, in qua maxime conveniebat præstare Christianam concordiam, divites non exspectatis tenuioribus cibum caperent, & usque ad temulentiam sese ingurgitarent, esurientibus cæteris: ut jam non solum dissidium illic esset, & intemperantia, verum etiam indecora quædam inæqualitas, quam Dominica cœna nesciebat. Jam partim tumoris, partim Philosophiæ vitium erat, quod* Paulum *quidam illorum, ut tenuem atque humilem, deinde ineloquentem & imperitum fastidirent. Proprium vero Philosophiæ fuit, quod resurrectionem mortuorum, fidei nostræ basim, in dubium vocarent. Luxus erat, quod promiscue vescerentur iis, quæ tum simulacris Dæmonum immolabantur, non vitato offendiculo infirmorum. Libidinis erat, quæ nusquam gentium regnabat impunitius, quam* Corinthi, *quod præter alia repertus sit inter eos, qui patris uxorem, hoc est, novercam suam stupro contaminarit, nec hujus auctorem flagitii e suo contubernio profligarint: quodque cum aliis flagitiosis Christianis commercium habuerint, velut illorum vitiis faventes. Huc pertinet, quod præter decorum, & viri essent comati, & mulieres non verecrentur nudo capite conspici in cœtu Ecclesiastico, velut ipso corporis habitu mores effœminatos ac delicias præ se ferentes. Avaritiæ erat, quod non de fama, neque de capite, sed de re pecuniaria inter sese lites agitarent, eo gliscente pecuniæ studio, ut Christiani rerum ejusmodi contemtum professi, apud Ethnicos & impios judices litigarent, magno dedecore Christiani nominis, & adeo non negligerent parvum pecuniolæ jacturam, ut ipsi ultro alios in hujusmodi negotiis circumvenirent. Postremo de matrimonio inter sese dissentiebant, jam tum asseverantibus quibusdam, Christianis in totum à conjugio temperandum, cum viderent Apostolos ab uxoribus suis abstinere.*

Morbos ostendi Corinthiorum, *non omnium, sed quorundam, qui ne gregem universum contagio inficerent,* Paulus *his remediis occurrit. Primo loco præfatus fiduciam suam de futura illorum constantia in Evangelio* Christi, *severius objurgat ac docet, ne per contentionem humanam in hominibus glorientur, sed per concordiam ex æquo glorientur in* Christo, *cui uni accepta ferenda sunt omnia, obiter indicans fontem ejusmodi dissidiorum, animi tumorem esse. Proinde à supercilio mundanæ Philosophiæ ad crucis humilitatem revocat, quæ licet ostentationem non habeat, vim tamen & energiam habet. Indicat & auctores hujus mali Pseudapostolos, qui post* Pauli *abitum sese ingerebant, declarans se rectum fecisse fundamentum, cavendum ne illi superstruerent, quod paulo post esset demoliendum, hoc est, ne quid discerent* Corinthii, *quod mox esset dediscendum. Deinde ceu pater cum filiis expostulat, quod huc provecti sint magnitudinis, ut jam auctorem suum velut humilem contemnant, nihil non perpetientem Evangelii gratia, cui ob idipsum magis etiam favere conveniebat. Hortatur autem filios, ne degenerent à patre, neu ultro se pædagogis in servitutem dedant. Atque hæc quidem potissimum agit Capp.* I. II. III. *&* IV.

Porro quarti finis ad quinti initium mihi videtur pertinere. De incesto præcipit, & publico consilio decernit, vitandam hominis consuetudinem, partim quo pudore correctus resipiscat: partim ne hujus contactu cæteri inficiantur. Admonet autem non hunc modo vitandum, verum etiam omnes, qui falso titulo Christiani, manifestis flagitiis essent infames. Nam Ethnicos non ita oportere vitari, vel quod nostra non referat, quales illi sint, vel quod passim essent flagitiosi, ut omnes vitandi fuerint ei, qui flagitiosos vellet effugere. Hæc agit Cap. V.

Tertio de litibus admonet, si quid hujusmodi quæstionum inter ipsos natum esset, quod ipsum tamen inter Christianos fœdum videretur, ob pecuniam, quæ nobis debeat esse vilissima, contendere: ne res eo procedat, ut Ethnici judices adeantur, sed ipsi per arbitros quoscunque rem inter se transigant. Idque agit Cap. VI. *cujus magna pars ad septimum pertinet, mea quidem sententia, nimirum ab eo loco, quo de matrimonio tractaturus, inter cætera vitia, scortationem, adulterium, & masculam Venerem damnat, idque prosequitur sub initium proximi Capitis:* Nescitis quod membra vestra templa sunt Christi?

Quarto loco præcipit de matrimonio, de viduitate, de impari connubio, de divortiis, de virginitate, obiter admonens ob susceptum Christianismum non esse mutandum externum vitæ statum. Totoque hoc sermone ita hortatur ad cœlibatum & continentiam, ut tamen conjugii remedium non adimat iis, quibus opus est. Hoc agitur Cap. VII.

Quinto docet carnes immolatas simulacris, re nihil differre à cæteris carnibus, & tamen ab his abstinendum, si periculum sit, ne quis Ethnicus, aut Christianus infirmior, ex eo quod vescaris existimet te simulacrorum assentiri culturæ. Ab his & hujusmodi vitiis Veterum exemplo deterret. Idque agit Cap. VIII. *ac rursus Cap.* IX. *Nam in medio exspatiatur in commendationem sui, tacite se præferens cæteris Apostolis, etiam summis, qui solus omnium* Corinthiis *gratis impartierit doctrinam Evangelicam.*

Sexto docet quid oporteat observari in conventu publico Christianorum, ne viri sint comati, ne mulieres nudo capillitio; tum in Dominico convivio servetur communitas & æqualitas: neque enim illic agi negotium ventris, quod domi rectius agatur, sed mysticis epulis repræsentari cœnam Dominicam. Præterea monet, ne quis ob dotem spiritualem sibi placeat, sed suam quisque dotem in commune conferat commodum, exemplo membrorum corporis exhortans, ut reliquis quidem donis, quæ contigerunt, recte utantur, præcipue tamen enitantur ad caritatem, sine qua reliqua adeo nihil conducant, ut officiant etiam. Porro cum inter dona spiritus caritati primas tribuerit, proximas tribuit prophetiæ: sic enim vocat enarrationem arcanæ Scripturæ. In hac admonet vitandum esse tumultum & confusionem. Id fore, si vicissim & pauci dicant, mulieribus interim silere jussis, adeo ut nec discendi gratia rogare liceat in cœtu. Hæc agit Capp. X. XI. XII. XIII. *&* XIV.

Septimo loco variis argumentis adstruit resurrectionem mortuorum, declarans qualis & quibus modis sit ea futura. Atque id quidem Cap. XV.

Postremo Capite familiaria quædam subjicit, de collatione pecuniæ in subsidia pauperum, de suo ad Corinthios *reditu. Postremo* Timotheum *& alios aliquot illis commendat.*

Divus Ambrosius *putat hanc non esse primam Epistolam, quam* Paulus *scripserit* Corinthiis, *illam opinor conjecturam secutus, quod Capite* V. Scripsi, *inquit,* vobis in Epistola, *quasi prius alteris litteris super hac re ad illos scripserit, etiamsi* Græci *Interpretes dissentiunt. Hanc missam putant per* Timotheum, *cujus semel atque iterum facit mentionem, simulque per* Stephanam, Fortunatum, *&* Achaicum, *quos illis commendat. Rursus alii putant ab* Epheso *missam, quod in calce scribat:* Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten. *Alii è* Philippis, *nam hanc inscriptionem habent* Græcorum *codices. Nec mihi conjectare licet quid secuti sint, qui ita senserunt, nisi colligunt ex itinere scriptam, ob ea quæ scribit* Paulus: Veniam autem cum Macedoniam pertransiero, nam Macedoniam pertransibo. *Ac mox:* Nolo enim vos modo in transitu videre.

ARGVMENTI FINIS.

Digitized by Google

PARAPHRASIS
IN EPISTOLAM PAVLI AD CORINTHIOS PRIOREM
PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

CAPVT I.

Audio propter vos lites : ſapientia mundi
Stulta eſt : infirmis magna Jehova facit.

1,2 PAVLVS non Pſeudapoſtolus, nec uſurpator Apoſtolici muneris, quales apud vos ſunt quidam, ſed adſcitus ad hanc functionem, ut Chriſti legatus eſſem, non legatus hominum. Adſcitus autem non meo merito, ſed tantum, quia ſic viſum eſt benigniſſimo Deo Patri, ut meo miniſterio Filii gloria diffunderetur, ne quid forte vos hujus Apoſtoli pœniteat, aut alios deſideretis. Paulus igitur ille vobis non ignotus, ſimulque mecum religione frater, muneris ſocietate collega Soſthenes, Epiſtolam hanc ſcribimus, non factionibus ac diſſidio decertantibus, ſed Eccleſiæ congregationi, quam Dei, cujus juſſu fungor hac legatione, bonitas unanimi concordia, mutuaque, ſicuti Chriſtianis dignum eſt, caritate conglutinavit Corinthi, novam ac cœleſtem urbem in veteri condens, & ex humano populo cœleſtem ſubſtituens, videlicet repurgatum à priſtinis vitiis & cupiditatibus, faſtu divitiarum, ſupercilio philoſophiæ, reliquiſque morbis, unde ſolent inter mortales pullulare diſſidia ac digladiationes: à quibus oportet longiſſime abeſſe, quos idem Deus, idem aſſertor Chriſtus, idem baptiſmus, eadem religio, idem præmium, tot modis connectit & copulat. Priſtinæ vitæ vitia ſemel gratis abſtulit Chriſtus, ut poſthac innocentiam reſtitutam, ſancte vivendo tueamini. Non enim veſtro merito vobis ea parata eſt, neque enim eam debetis, vel opulentiæ, vel philoſophiæ, vel obſervationi Legis Moſaicæ, ſed Chriſto Jeſu, qui vos ſemel expurgatos ſuo ſanguine vocavit ad jugem perpetuamque vitæ integritatem ac ſanctimoniam. Neque vero * ſermo hic ad vos ſolos pertinet, pertinet ad omnes, quicunque ubilibet terrarum profitentur nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſuis opibus diffiſi, ab hujus pendent præſidio, ſive apud Judæos, ſive apud Gentes. Eadem eſt omnium Eccleſia, idem contubernium, uni Chriſto debent ex æquo cuncti, quod à vitiorum fœdiſſimo ſervitio manumiſſi ſunt, & ad ſanctimoniæ profeſſionem delecti. Nec locus, nec genus diſcernit Euangelii cauſam, Chriſtus ex æquo communis eſt omnium, æque gratuitum eſt, quicquid ab illo confertur in quoſcunque.

3 Proinde tum illis, tum vobis communem opto gratiam atque concordiam, quorum utrumque non alius præſtabit, quam is cui debetis omnia, Deus Pater, à quo ceu fonte omnis noſtra felicitas proficiſcitur, ac Dominus noſter Jeſus Chriſtus, per quem unum is voluit eſſe collata omnia. Gratia tuebitur innocentiam, hanc comitatur concordia. Illa vos à peccatis aſſertos, Deo reconciliat, hæc vos vobis invicem conciliat. Per illam ita ſentitur beneficium, ut auctor non ignoretur: per hanc declaratur, quod non titulo tenus modo, verum etiam ipſa re Chriſtianiſmum ſitis amplexi. Per illam cœleſtis beneficentiæ participes eſtis, per hanc quod divinitus accepiſtis, pro modulo veſtro viciſſim alii in alios transfunditis.

4 Eſt per divinam munificentiam, de quo vobis gratuler, atque illi gratias agam. Eſt rurſus quod in vobis deſiderem, quodque correctum malim. B Sunt inter vos qui profeſſioni ſuæ reſpondeant, ſunt in quibus priſtinæ vitæ reliquias veſtigiaque agnoſcas. Nam ut veſtra commoda pro meis duco, ita ſi quid ſecus eſt, mea referre puto.

5 Proinde non ceſſo gratias agere Deo meo veſtro nomine, quod hujus bonitate, ſic exuberarit in vobis Chriſti munificentia, ut qui antehac opes terrenas, fluxas ac temporarias venabamini, nunc cœleſtibus nec unquam perituris opibus Chriſti beneficio ſitis locupletati, quæ ſolæ vere beatos reddunt. Nullum eſt enim vel ſermonis, vel ſcientiæ donum, quod non ſitis ampliter aſſecuti. Dudum inanis Philoſophiæ ſupercilio tumebatis, nunc pro falſa veram amplexi ſapientiam, colitis modeſtiam. C

6 Quondam humana eloquentia freti vobis placebatis, nunc cœlitus afflatis linguis, cœleſtia loquimini. Atque in eo, quod optimum eſſe cognoſtis, conſtanter perſtitiſtis, unde & Euangelii veritas, & Chriſti fides per vos facta eſt illuſtrior, confirmatiorque, dum ipſa re declaratum eſt omnibus, quod in vobis geſtum eſt, non eſſe geſtum humanis auſpiciis, ſed auctore Deo, qui ſuis dotibus additis noſtram prædicationem comprobavit.

7 Quamvis enim nec Petrum nec Jacobum vidiſtis, quos quidam vel ſolos, vel præcipuos Apoſtolos eſſe putant, tamen nihil eſt earum rerum, quibus Deus ſolet Apoſtolorum miniſterium comprobare, in quo videamini cæteris inferiores, ut ſatis liqueat, licet diverſus ſit miniſter, auctorem eundem eſſe, cum idem effectus conſequatur. Jam ut iſta ceu pignora immortalitatis futuræ tenetis, ita ex his quæ cernitis, fidem eorum colligentes quæ non cernitis, exſpectatis diem illum, quo Chriſtus, qui nunc in membris ſuis adhuc laborare videtur, palam aperiat majeſtatem ſuam, ſegregans impios à piis, & omnem afflictionem à ſuis depellens. Hujus diei deſiderio toleratis incommoda, hujus metus continet vos in officio. Siquidem, ut perperam damnent aut abſolvant homines, certe dies ille certis calculis, aut æternis ſuppliciis addicturus eſt, aut immortalitati deſtinaturus. D

8 Nec eſt quod diffidatis. Quem olim eſtis habituri judicem, nunc habetis opitulatorem. Hujus muneris eſt, quod ab erroribus priſtinæ vitæ ſitis ad innocentiam reſtituti: ejuſdem munere continget, ut quemadmodum cœpiſtis piam puramque vitam agere, ita perſeveretis eſſe moribus inculpatis, ne quid reperiat in vobis dies ille formidabilis Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod atrum calculum mercatur. E

9 Id ita fore confido, non meis aut veſtris præſidiis, ſed Dei bonitate fretus, qui neminem ſua ſpe deſtituit, neque quicquam non præſtat, quod pollicetur. Is cum gratuito favore ſuo vos adſciverit, & adoptarit in conſortium unici Filii ſui Domini noſtri Jeſu Chriſti, favebit & in hoc adnitentibus, ut in adoptionis honore perſeveretis, nec excidatis ab hæreditate, cujus jam arrhabonem tenetis. F

10 Hactenus dictum eſt, de quibus vobis gratuler, & in quibus cupiam vos veſtri ſimiles eſſe, & in quibus vos uſque progredi velim. Nunc accipite, quid in quibuſdam veſtrum deſiderem, quidque mutatum oporteat, & in quo magnopere velim, ut veſtri diſſimiles ſitis. Non eſt opus ut doceam quid deceat profeſſionem veſtram, quod ipſi non ignoratis. Tantum obteſtor, fratres cariſſimi, per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod optimo jure ſacroſanctum eſt omnibus illi ſemel initiatis, ne

1 *Paulus vocatus Apoſtolus Jeſu Chriſti, per voluntatem Dei, & Soſthenes frater,*

2 *Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, ſanctificatis in Chriſto Jeſu, vocatis ſanctis, cum omnibus qui invocant nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, in omni loco ipſorum, & noſtro.*

3 *Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.*

4 *Gratias ago Deo meo ſemper*

5 *Quod in omnibus divites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientia:*

6 *Sicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis:*

7 *Itaut nihil vobis deſit in ulla gratia, expectantibus revelationem Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

8 *Qui & confirmabit vos uſque in finem ſine crimine, in die adventus Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

9 *Fidelis Deus: per quem vocati eſtis in ſocietatem filii ejus Jeſu Chriſti Domini noſtri.*

10 *Obſecro autem vos fratres, per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti: ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata:*

pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Jeſu:

* Alia Editio, *enim*.

Digitized by Google

sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia.

ne vestra concordia fœdis dissidiis scindatur, sed animis pariter ac linguis consentiatis, ut vere sitis unum corpus, membris omnibus inter se cohærentibus integrum. Mundana sapientia, dogmatis & placitis variis discinditur, & hinc familiarum ac sectarum æterna certamina. Christianæ Philosophiæ eadem apud omnes sunt dogmata, neque novit istos sectarum & opinionum humanarum rivulos. Unus est omnium præceptor & auctor. Proinde par est, ut quemadmodum animorum consensu junguntur huic initiati Philosophiæ, ita temperent à verbis, quæ dissidium sonent. Intus dissentire impium est, verbis pugnare fœdum.

11 Significatum est enim mihi de vobis fratres mei, ab iis qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos.

11 Ac ne me putetis hæc vana suspicione colligere, delata sunt ad me per eos, quorum pietas & integritas fidem meretur. Nostis Chloen, religione spectatam fœminam, nostis hujus suæ patronæ non dissimiles familiares. Ab his dum & vestris favent commodis, & meis curis auxiliantur, accepi inter vos esse contentiones, ceu factionibus quibusdam inter se decertantibus.

12 Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego vero Cephæ: ego autem Christi.

12 Quid enim aliud sonant ista verba, quæ passim inter vos audiuntur? dum (exempli gratia) hic dicit: *Ego sum Pauli*, *ille rursus*, *ego Apollo*, *alius*, *ego sum Cephæ*: *alius*, *ego sum Christi*. Quid? an non hæc factionum & sectarum sunt nomina? Sic ex his, qui stultam hujus mundi sapientiam sectantur, alius Pythagoram, alius Platonem, alius Aristotelem, alius Zenonem, alius Epicurum, alius alium atque alium auctorem jactat, & pro suo quisque cum altero belligeratur.

13 Divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?

13 Nobis unicus est auctor, eadem placita, idem scopus, & unde ista nominum varietas? Num sectus est Christus, & à seipso dissidens? Cur hujus professionis gloriam, quæ tota uni illi debetur, partimur in homines, ex ministris auctores facientes? Cui debetis innocentiam? nonne ei, qui lavit vos suo sanguine? Cur igitur aliud nomen prætexitur, quam ejus cujus est beneficium? An Paulus pro vobis crucifixus est? ut ita loquar docendi gratia. Si soli Christo debetis hoc beneficium omnes, & ex æquo debetis, quandoquidem pariter mortuus est pro omnibus, cur diversorum hominum titulos vobis adscisitis, velut illis tribuentes, quod uni Christo acceptum ferri oportuit? Per baptismum inserimur Christo, & hujus nomine baptizamur, unde vis omnis baptismi proficiscitur.

14 Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum & Cajum:

14 Quî vero convenit Pauli vos dici potius quam Christi, cum non Pauli nomine, sed Christi nomine sitis baptizati? Si per hanc occasionem gloria, quæ Deo debetur, hominum nominibus vindicatur, gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizarim, præter Crispum & Cajum, qui, ni fallor, nihil hinc arrogant sibi gloriæ, & me ministrum agnoscunt, Christum auctorem.

15 Ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis.

15 Quod si complures baptizassem, fieri poterat ut exsisterent, qui se pro Christianis Paulinos appellari vellent.

16 Baptizavi autem & Stephanæ domum: ceterum nescio si quem alium baptizaverim.

16 Verum interim succurrit, quod Stephanæ familiam baptizarim. Præterea non satis commemini, si quem alium baptizarim. Magis eorum memini, quæ magis ad rem pertinent.

17 Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare: non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi.

17 Minimum est in baptismo, quod ab homine confertur. Solennia verba quivis proferre potest. Volentem ac promtum aqua tingere, tum proclive est, tum etiam tutum. Verum efficaci sermone à vitiis, quibus diutissime jam assuevit, à patriis ritibus & institutis, in longe diversam & religionem & vitam hominem traducere, idque non sine magno capitis tui periculo, id vero munus est Apostolico viro dignum. Hinc erat justior gloriandi causa, si fas esset nobis quicquam vindicare. Non quod improbem baptismum, sed quod potiora præferam, præsertim cum hoc potissimum mihi sit delegatum. Nec enim Christus ideo destinavit mihi hanc legationem apud Gentes, ut baptismi tantum minister essem, sed ut meo præconio nominis illius gloriam illustrarem apud omnes, & quam plurimos per Euangelicam doctrinam illi adjungerem. Etiamsi ne hic quidem est, quod humano more glorier. Neque enim id fieri voluit humanæ sapientiæ facundiæve præsidiis, quibus nihil hujusmodi præstari poterat, sed incomposito simplicique sermone rem tam arduam geri voluit, ut tota laus facti Deo transcribatur, cui placuit per contemtam & ignominiosam Christi crucem innovare mundum universum.

18 Verbum enim crucis, pereuntibus quidem stultitia est: iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est.

18 Humilis & abjecta res videtur Christi crux, sed hæc humilitas vincit omnem hujus mundi celsitudinem. Stulta quæpiam & indocta res videtur sermo rudis & inconditus, quo Christum prædicamus cruci affixum, & in cruce mortuum, sed quibus tandem ita videtur? Nimirum iis, qui pristinis excæcati vitiis, non audiunt intus sermonem Euangelicum, & ideo pereunt, eo rejecto, unde poterat salus obtingere. Cæterum ii, qui salutem æternam hinc consequuntur, profecto sentiunt non esse rem imbecillam, sed omnibus humanis præsidiis efficaciorem, ac prorsus à Deo profectam.

19 Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.

19 Ei visum est nova hac minimeque vulgari ratione mundum universum instaurare, quod olim se facturum per Esaiam Prophetam promiserat, apud quem ita loquitur; *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium refellam.*

20 Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi?

20 An non præstitit quod est pollicitus? Nonne videmus innovari mundum? nonne videmus homines pristinæ religioni, pristinæ philosophiæ diffisos, Christi crucem amplecti? nonne jam intelligunt impium esse, quod antea pietas habebatur, & stultissimum esse, quod prius sapiens videbatur? Ubi interim sapiens Legis scientia tumens? ubi Scriba Legis interpretatione superbus? ubi Philosophus, qui scrutatur arcana naturæ, & opificis oblitus, res conditas admiratur? Magnum quiddam pollicebantur omnes, verum & falli sunt, & fefellerunt. Justitiam & felicitatem promittebant, infelices interim ipsi, & vitiis operti. Passus est illos Deus (sic merebatur illorum arrogantia) per cæcitatem ire præcipites in omne dedecoris genus, ut illos sibi ipsis ostenderet, ac resipiscentes tandem intelligerent inanem esse sapientiæ professionem & inefficacem. An non igitur Deus, hujus mundi sapientiam stultam esse declaravit.

21 Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.

21 Declararat & antea suam sapientiam per hoc pulcherrimum spectaculum mundi, summa ratione conditi, ut ex operis admiratione raperentur in amorem opificis. At ea res ipsorum vitio cessit in diversum. Res conditas admirati veneratique sunt, auctorem velut incognitum contemserunt, itaque vixerunt, quasi Deus aut faveret vitiis, aut quod condidisset non idem moderaretur. Proinde rem eandem diversa via aggressus est. Visum est, ut quibus sapientia declarata per res conditas cessisset in deterius, hos restitueret per prædicationem rei, quæ mortalibus stulta & humilis videretur: ut qui philosophantes, muta saxa pro Diis colebant, jam credentes, salutem veram assequerentur per crucem Christi, jamque diffisi præsidiis humanæ Philosophiæ, per fidem divinæ fiderent bonitati. Nec enim spes erat salutis, nisi fuisset intellectum, unde salutem sperare oportuisset. In primis igitur erat auferenda cunctis fiducia sui, non solum Judæis, verum etiam Gentibus.

22 Quoniam & Judæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt.

22 Etenim ut Judæi prodigia postulant, ac majorum suorum miraculis sese jactitant, ita Græci sectantur eruditionem, ac Philosophiæ cognitionem, ab hac sibi pollicentes felicitatem & gloriam. Utrosque sua fefellit opinio. Nam & Judæi fiducia Legis exciderunt à Christo: & Philosophi, sapientiæ persuasione turgidi, non recipiunt humilem in speciem crucis prædicationem.

23 Nos autem prædicamus

23 At nos neque Mosi cum Deo colloquia, nec Angelos hospitio exceptos Abrahæ, nec Solem stare jussum,

Digitized by Google

Vocamus Christum crucifixum Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.

jussum, nec hujusmodi quicquam prædicamus, unde Judæi cristas tollunt: neque rursus orbium motus, aut syderum vires, aut fulminum causas prædicamus, quarum rerum cognitio Græcis addit supercilium. Quid igitur? rem prima fronte stultam & humilem prædicamus, videlicet Christum crucifixum, cujus humilitas Judæis ruinæ fuit occasio, qui Jonæ prodigium admirantur, Christi tanto Jona majoris facta calumniantur. Græcis vero, qui rationibus humanis vestigant omnia, stultum videtur virginem cœlitus concepisse fœtum, sub homine latuisse Deum, morte vitam esse restitutam, revixisse qui semel esset mortuus. Ita Christus utrisque videtur adspernabilis, sed his duntaxat, qui suis adhuc præsidiis male fidunt.

24 Ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam:

24 Cæterum ii, quos divinus afflatus ad fidem vocavit, jamque transformati sunt per Euangelii prædicationem, sive Judæi, sive Græci, sentiunt humilem illum Christum crucifixum, Dei virtutem esse, ac Dei sapientiam: ut jam nec prodigia desiderent Judæi, qui majora reperiunt in Christo, nec sapientiam Græci, semel reperto omnis sapientiæ fonte Christo.

25 Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.

25 Dejecit se quodammodo Deus à sua sublimitate ad nostram humilitatem: descendit à sua sapientia ad nostram stultitiam, & tamen quod in illo stultum est visum, præcellit universam mundi sapientiam: & quod in illo visum est imbecille, validius fuit omnibus humanis viribus. Quid abjectius, quam inter maleficos ut maleficum tolli in crucem? Atqui hoc pacto mortem, nulli non invictam, solus devicit. Quid simplicius aut popularius Euangelica doctrina? Hæc orbem totum innovavit, quod antehac nulla Philosophorum professio valuit efficere, ne quid hujus laudis humanis præsidiis adscriberetur. Id erat futurum, si opum, aut eruditionis adminiculis, per potentes ac sapientiæ professione celebres res administrata fuisset. Nunc cum per idiotas & piscatores expugnatum sit humanæ sapientiæ fastigium, totius hujus negotii gloriam intelligimus uni deberi Deo, cujus occulta vis contrarius rebus, contraria præstitit.

26 Videte enim vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles:

26 Nec in Christo tantum aut Apostolis locum habet, quod dico, idem apparet in vestro grege, quos Deus ad hanc gratiam vocavit. Videtis ipsi fratres, quam pauci sint inter vos humana eruditione præditi, quam non multi potentes juxta vulgarem æstimationem, quam pauci majorum imaginibus clari. Per humiles orta est Euangelii gloria: per humiles dilatatur, ut versis rerum vicibus, humilitas expugnet altitudinem, simplicitas coarguat humanam astutiam.

27 Sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia:

27 Ac proinde quæ rudia indoctaque videntur apud mundum, ea potissimum delegit Deus, quo magis pudeat humanæ sapientiæ professores frivoli conatus: quæque juxta vulgarem hominum æstimationem videntur imbecilla, ea potissimum elegit, quo magis irridcat istos, qui factionibus ac opibus, aut tyrannide, aut alia quavis facultate, sibi potentes videntur.

28 Et ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret:

28, 29 Quæque juxta mundum humilia sunt contemtaque, imo quæ pro nihilo ducuntur: hæc præcipue delegit, ut antiquaret ea, quæ plurimum habere momenti videbantur, ne quid haberet mortalitas, aut sensus humanus, quo sibi fidat apud judicem Deum. Nam apud homines inanis est gloriatio. Inter divina & humana nulla est comparatio.

29 Ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.

30 Ex ipso autem vos estis in

30 Vos autem quamvis mundi hujus judicio, vi-

A Mosaicæ Legis opem desideretis. Per hunc accessit vitæ sanctimonia, ne quis hanc suis adscribat meritis. Per hunc contigit libertas, ut cujus sanguine redemti sumus à vitiorum tyrannide.

Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio:

31 Breviter felicitatis summam uni Christo debemus, & auctori Patri, quo plane fiat quod scripsit Jeremias: Ne sibi placeat sapiens ob sapientiam suam, ne fidat potens viribus suis, ne efferatur dives opum fiducia: nam hæc non præstant felicitatem: verum si quis velit vere gloriari, glorietur hoc nomine, quod Deum agnoverit, omnium verorum bonorum auctorem ac fontem: aut ita glorietur, ne quam hujus negotii portionem mundi præ-

B sidiis arroget.

31 Utquemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur.

Cap. II.

Blandis non utar: mysteria condita pando:
Quæ non scit mundus, non animalis homo.

1 Et ego, cum venissem ad vos, fratres, venio non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi.

1 Videruntigitur, qua re vobis præstantiores sint, quos pudet humilitatis Christi, sed Legis, opum, ac sapientiæ titulo sese jactant apud vos: ego certe non his præsidiis vos ad Christum converti. Etenim cum primum venirem ad vos, arcanam & reconditam Euangelii sapientiam vobis traditurus, non veni admirandæ cujuspiam eloquentiæ viribus instructus, aut eximia quadam Philosophiæ cognitione suspiciendus, quod hominum genus sciebam

C apud vos plurimi fieri.

2 Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum.

2 Adeo nihil horum, quæ mundo præclara videbantur, professus sum, ut non aliud existimaverim inter vos scire me, quam Jesum Christum, & hunc sane crucifixum. Hominem prædicavi, sed à Deo unctum, & à Prophetis promissum ad redimendum genus humanum. Quod in illo est humillimum, inde sum Euangelii prædicationem auspicatus.

3 Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos:

3 Ea quanquam in vobis efficax fuit, tamen hinc nihil mihi laudis arrogavi, sic vivens apud vos, non ut potens quispiam, sed ut imbecillis ac tenuis, non ut regnum affectans, sed ut insidiis impiorum ac periculis omnibus obnoxius. Potentium vires tole-

D rantia vicimus.

4 Et sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis:

4 Porro qualis erat vitæ habitus, talis & oratio. Quemadmodum illa nullis hominum præsidiis, sed solius Dei protectu munita erat adversus improborum violentiam: ita sermo meus nequaquam instructus erat Rhetorum ornamentis, aut Philosophorum argumentis, qui declararet quantum ipse pollerem, vel eloquentia, vel eruditione, sed tamen efficax fuit ad transfigurandos vos, non ostentatione doctrinæ, sed spiritu ac virtute Dei, qui afflatu miraculisque, nostro, licet incondito, sermoni vim addebat:

5 Ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.

5 Ne quis hoc, quod à superioris vitæ tenebris ad Euangelii lucem estis translati, re tam incredibili penitus persuasa, existimet vos humanæ doctrinæ

E aut eloquentiæ debere, quam nobis non vindicamus: sed potentiæ divinæ, per quam sermo noster efficacior fuit, quam Philosophorum oratio, quamlibet arguta, aut composita.

6 Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam vero non hujus seculi, neque principum hujus seculi, qui destruuntur:

6 Vobis humana sapientia tumidis, sed divinæ sapientiæ rudibus, proposuimus simpliciora, sed ad salutem necessaria. Habemus & reconditiora de Christo, verum ea loquimur inter perfectos. Ergo curate ut perfecti sitis, quo mysteriorum sitis capaces. Porro qui stultitiam docere videmur apud incredulos, Christi crucem prædicantes, iidem apud eos, qui plene credunt, eximiam quandam sapientiam

F prædicare videmur, sed hanc longe diversam ab ea, quæ mundi hujus causas humanis rationibus frustra scrutatur: nec humanam, qua se jactant ac venditant, qui vulgo summates habentur: quorum auctoritas una cum ipsa sapientia per Christum abrogatur & antiquatur, prodita illorum stultitia: sed loquimur divinam sapientiam, non præ se ferentem quod intus non habet, sed occultis viribus potentem & efficacem.

? Fa-

Digitized by Google

7 *Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram,*

7 Fastum non habet, nec quibuslibet est obvia. Arcana est, & arcanis afflatibus sentitur, ab iis duntaxat, quos Deus dignatur hujus arcani participes facere. Hujus secretiora non objicimus vulgo, sed in occulto communicamus idoneis. Eam, licet hisce demum temporibus prodita est, tamen Deus ante omnia tempora æterno suo consilio paraverat suis: ut quemadmodum elatus mundus hactenus stulte jactat humanam sapientiam, ita posthac habeant humiles longe præstantiorem sapientiam, quam sibi gratulentur.

8 *Quam nemo principum hujus sæculi cognovit: si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

8 Hæc simplicibus ac puris animis delectatur, & ob id nemo Principum hujus ævi eam est assecutus, nec Magi, nec Philosophi, nec Pilatus, nec Annas, aut Caiphas, nec Pharisæi, nec ipsi Dæmones. Alioqui si cognovissent futurum, ut quamlibet humilis aut stulta crux Christi suo fulgore mundi gloriam obscuraret, & quamlibet imbecillis, mortis ac peccati tyrannidem expugnaret, nunquam illum principem ac fontem omnis gloriæ cruci affixissent.

9 *Sed sicut scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum:*

9 Quamlibet eruditos in cognitione rerum visibilium, quamlibet turgidos scientia Legis, tamen hoc arcanum illos fefellit, solis iis communicandum, quos animi modestia Deo conciliasset. Id enim fore prædixerat Esaias, declarans hanc, de qua loquimur, sapientiam secreto mentibus inspirari: *Quæ*, inquit, *nec conspecta sunt unquam humanis oculis, nec humanis auribus audita, nec unquam cujusquam hominis cogitatione concepta sunt, ea paravit Deus iis, à quibus* sincere *diligitur*, qui fide philosophantur, non ratiocinationibus.

10 *Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.*

10 Non meruerunt hoc elati Principes, nec tumidi Philosophi. Nobis velut amicis arcanum hoc patefecit Deus, non per humanam doctrinam, sed per afflatum occultum sui Spiritus. Is quoniam divinus est, & à Deo profectus, etiam abditissima retrusissimaque Dei secreta rimatur, quo non pertingit humana curiositas.

11 *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.*

11 Faciem hominum cuivis promtum est cernere. Cæterum quid lateat in intimis animi recessibus, nemo mortalium perspicit. Id solus novit ipse spiritus & animus hominis sibi conscius. Ita res conditas contemplantur ac investigant complures, cæterum quæ sunt abstrusa in mente consilioque divino, nemo novit, nisi Spiritus æternus, qui Deo intimus est, & ob id illi conscius omnium. Homo impartit homini cogitationes arcanas tacito susurro. Deus impartit piis suum consilium per Spiritum, non hominis, qui præter humanas res nihil adferre potest, sed Dei. Qualis est Spiritus, talia docet. Habet & mundus hic Spiritum suum, eo qui corripiuntur, mundana tum sapiunt, tum amant.

12 *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis:*

12 At nobis divini Spiritus afflatus cœlestia suggerit, ut intelligamus, quantum bonorum Deus nobis largitus sit per Christi crucem.

13 *Quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes.*

13 Atque hæc est Philosophia, quam ut à Spiritu Christi hausimus, ita vicissim tradimus piis ac simplicibus, non verbis arte compositis, quemadmodum tradunt Philosophiæ professores id quod profitentur, sed verbis inconditis quidem illis, verum spiritualem doctrinam tradentibus. Convenit enim, ut quoniam magnopere diversum est sapientiæ genus, diversa sit & tradendi ratio. Humana quæ sunt, humano more traduntur. Quæ cœlestia ac spiritualia, novo modo tradenda erant, nec id sane quibuslibet, sed iis duntaxat, qui hausto Christi spiritu jam habiles sunt doctrinæ spirituali, quippe spirituales & ipsi. Auditor enim spiritualis, spirituali Philosophiæ congruit, purgato per fidem intellectu, & castigato per caritatem affectu.

14 *Animalis autem homo, non percipit ea quæ*

14 Nam crassus & animalis homo, qui rerum visibilium scientia tumet, & humanis affectibus ducitur, non recipit ea quæ sunt Spiritus divini, pro stultitia ducens ac deridens quicquid ab iis, quæ sapit, diversum est. Non enim credit nisi quod vel experimento compertum habet, vel humanis rationibus approbatum: nec animadvertit, quod hæc Philosophia, quæ docet Christum è virgine natum, verum Deum fuisse pariter & verum hominem, moriendo deviciisse mortem, à morte revixisse, idem præstaturum in membris suis, quod in se præstitit, per afflictiones iter esse ad veram felicitatem, per mortes perveniri ad immortalitatem: hoc non comprehenditur humana ratiocinatione, sed afflatu Spiritus. Ne mihi huc adferas ingenium vafrum & acutum, simplicem potius ac puram fidem adferas. Hoc organum idoneum est artificio Spiritus, quod se totum illi præbeat fingendum formandumque.

sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere: quia spiritualiter examinatur.

15 *Spiritualis autem judicat omnia: & ipse à nemine judicatur.*

15 Cæterum qui spiritualis est, nihil non dijudicat; temporarias res negligens, æternis inhians, nec ipse tamen à quoquam carnalium dijudicari potest, quos fugit hæc cœlestis & arcana sapientia. Ut enim homo non judicat divina, ita carnalis homo non judicat spiritualem. Nam quæ hîc traduntur, ex intimis divinæ mentis arcanis depromta sunt, non ex humanis ratiocinationibus.

16 *Quis enim cognovit sensum Domini, qui instruat eum? Nos autem sensum Christi habemus.*

16 *Quis autem mortalis ex se novit mentem immortalis Dei, ut ipsi possit esse in consilio*, tanquam arcanorum conscius, quemadmodum dixit Esaias? Nova ratione divina mens voluit asserere suos, quæ falleret omnem hominis curiositatem. Nos autem ideo mentem Christi tenemus, quia Spiritum illius hausimus.

CAP. III.

Carnales estis: planto: fundamina feci:
Arguet ignis opus: stultus es ô sapiens.

1 *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo,*

1 SUNT hujus Philosophiæ rudimenta, sunt profectus, est fastigium. Ad cujusque captum accommodandus est sermo. Proinde cum primum vos adirem, non potui vobis summa tradere, tanquam plene spiritualibus, sed dejeci sermonem meum ad vestram imbecillitatem, apud rudes rudi sermone sum usus, crassis crassius sum locutus, ac velut apud infantes balbutii. Habet enim & fides profectus suos.

2 *Lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis.*

2 Vos igitur cum adhuc infantes viderem in Philosophia Christi, doctrinæ crassioris ceu lacte vos alui, non solido cibo doctrinæ perfectioris: non quod nos non potuerimus vobis tradere majora, sed quod vos ob carnalem affectum, ac pristinæ vitæ caliginem nondum essetis capaces altioris doctrinæ. Ac ne nunc quidem estis omnes.

3 *Cum enim sit inter vos zelus, & contentio: nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?*

3 Sunt enim inter vos, qui licet per baptismum Christo dederint nomina, tamen nondum exfuerunt omnes affectus humanos. Qui tales sunt, hactenus certe carnales sunt, non spirituales. Quid verbis opus? aut cur id verear de vobis pronuntiare, cum ipsa res clamitet? Ex effectu vis rei cognoscitur. Cum Christi spiritus gignat concordiam, contra, livor, contentiones ac dissidia non nisi ex humanis affectibus oriantur, nonne hæc inter vos comperta, coarguunt vos adhuc affines crassis & humanis affectibus.

4 *Cum enim quis dicat: Ego quidem sum Pauli; alius autem: Ego Apollo: nonne homines estis? Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus?*

4 Unde alioqui voces istæ inter vos audiuntur, quæ dissidium sonant, nisi à mente corrupta? Cum auctor ac princeps communis sit omnium, tamen alius apud vos dicit: Ego sum Paulinus: rursum alius, ego sum Apollonius. Nam istiusmodi titulis inter sese decertant humanæ Philosophiæ discipuli: Ego sum Aristotelicus, ego Platonicus, ego Stoicus, ego Epicureus. Non quod ex meo aut Apollonis nomine, hujusmodi quicquam sit natum, sed his nominibus abuti volui, quo rei indignitatem evidentius perspiciatis. Etenim si indignum est, ut gloriam & auctoritatem, quæ Christo debetur, transferatis in nos, qui veri simus Apostoli, neque quicquam vo-

Digitized by Google

bis tradidimus, nisi quod hauserimus è Spiritu Christi, quis ferat, si adscitis hominum qualiumcunque, fortasse Pseudoapostolorum, cognominibus, salutis ac religionis auctoritatem uni *Christo* debitam, homunculis tribuatis? Veluti si Frangilius quispiam, aut Benotius, aut Augulius, aut Carmilius, aut alius quocunque nomine, nam sint hæc exempli gratia dicta, commentus sit aliquod humanum vitæ institutum, an protinus horum cognomentis elati, fœdum certamen inter vos suscipietis, & obliterato Christi nomine, veræ religionis, cujus unicus auctor est Christus, facietis homines auctores? Quid supereſt, nisi ut quemadmodum cognominibus factitiis, ita cultu quoque ac victu, totoque vitæ genere dissidium animorum & declaretis & alatis? ut quemadmodum satellites Satraparum, alii colore flavo, alii rubro, alii tessellatim variegato, alii aliis id genus notis testantur varios præfectos, quibus serviunt: ita vos sic hominibus addicti, quasi ab illis libertatem ac vitam acceperitis, cognomentis illorum gloriemini, quasi parum glorioſum sit dici Christianos? An pudet hujus cognominis? An non satis est hunc vitæ innocentia profiteri? Dissecatis id quod est unum, & Christi gloriam in homunculos distrahitis. Qualis illi sint nondum eloquor.

5 Ministri ejus, cui credidistis, & unicuique sicut Dominus dedit.

6 Ego plantavi, Apollo rigavit: sed Deus incrementum dedit.

7 Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus.

8 Qui autem plantat, & qui rigat, unum sunt. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.

9 Dei enim sumus adjutores: Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.

10 Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui: alius autem superædificat. Unusquisque autem videat quomodo superædificet.

11 Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.

12 Si quis autem superædificat super fundamentum

5 Sint Apollones, sint Pauli, ut summates etiam Apostoli sint, quid aliud sunt quam ministri Christi, cui creditis? Auctores non sunt, & negotium alienum administrant suo periculo: atque hanc ipsam administrandi facultatem Christo debent. Hoc auctore communi, aliis alii partibus funguntur, ut cuique delegatum est à Deo.

6 Ego, verbi gratia, primum consevi plantulam jactis Euangelicæ doctrinæ fundamentis: Apollo rigavit, piisque monitis fovit, quod à nobis cœptum est. Cæterum quod adolescit arbuscula, quod aucta divitem fœtuum proventum effundit, id Deo tribuendum est, non nobis.

7 Siquidem frustra laboret qui plantat, frustra qui rigat, nisi cœlum afflet vim suam occultam, sed hoc magis efficacem quod occulta est. Quæ si destituat agricolam, neque qui plantat quicquam agit, neque qui rigat: sin faverit, totus proventus cœlo Deoque debetur.

8 Nam quod ad hanc laudem attinet, & qui plantat, & qui rigat, pari conditione sunt, cum uterque juxta alienum agat negotium, officii præmium accepturus, non à vobis, sed à Deo, cujus operæ sumus.

9 Nos velut operarii conducti, in Dei opere laboramus: vos illius estis fundus, quem illi colimus, non nobis: vos ædificium, quod illi surgit, non nobis. Operam illi debemus, dispiciat quisque qualem illi præstet operam: si fidelem ac sinceram, accepturus est honestum præmium: sin secus, aut luserit operam, aut mercedem se dignam retulerit.

10 Ego (ut exempli gratia sic loquar) tanquam doctus architectus jeci fundamentum ædificio, non meis viribus, sed ejus ope, qui delegarat hoc officii. Alius atque alius fundamentis per me jactis superstruit, sed etiam atque etiam videat quisque quid superstruat.

11 Nam fundamentum, quod à nobis positum est, mutari non potest. Succedant nobis quocunque nomine prædicatores, nisi Christum Jesum prædicant, & eum crucifixum, audiendi non sunt.

12 Quod si fundamentum probant, supereſt ut structuram inducant tali fundamento dignam. Cœleste ac spirituale fundamentum est, non convenit huic structura carnalis ac terrenæ doctrinæ. Ut hominum judicium fallat inanis ac fucata structura, Dei judicium non effugiet. Huic igitur fundamento si quis superstruat eximia solidaque, velut aurum, argentum, lapides pretiosos. Aut contra, si quis addat frivola viliaque, veluti ligna, fœnum ac stipulam, eventus ipse declarabit, quam quisque operam commodarit. Dicam crassius, quo magis intelligatis: Ego Christum vobis scopum proposui, si quis hujus exemplo doceat, innocenter vivendum, bene merendum & de inimicis, non fidendum opibus, adspernandos honores, voluptates fœdas ut pestem exsecrandas, omnia ad Christi referre gloriam, præter immortalitatem nullum sperare præmium rectè factorum, mortem etiam optandam, si pro Christo sit obeunda, is structuram addit Christo fundamento dignam: sin humanas addit constitutiunculas, de cultu, de victu, de frigidis ceremoniis, deque similibus rebus, quas homines comminisci solent, non in rem Christi, sed in suam ipsorum gloriam, aut etiam in quæstum, ut orsi à tam nobili fundamento degenerent in superstitiosos pro piis, jam lignum, fœnum ac stipulam induxit.

boc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam,

13 Sed uniuscujusque opus, cum propius admotum fuerit ad lucem veritatis, & regulam Euangelicam, palam arguetur quale sit. Si doctrina, quæ accessit, reddat vos invictos ad omnes humanos affectus, palam est efficacem esse: sin reddit imbecilles ad ferenda incommoda, si irritabiles, si morosos, si contentiosos, si obtrectatores, si fucatos, hinc satis liquet adulterinam fuisse doctrinam. Quibus dies dictus est apud judicem hominem, frequenter elabuntur; sed exacta sunt Dei judicia, perinde quasi rem explores igni. Rebus tranquillis fortasse non apparet mutilis substructio. Cæterum simulatque ingruerint persecutionum procellæ, aut irritamenta cupiditatum, tum labascentes, re declaratis ceremoniis, aut humanis dogmatis, non hauriri spiritum, quo qui præditi sunt, hæc omnia pro Christo vel cum gaudio tolerant. Hic est ignis, qui cujusque opus quale sit probaturus est.

13 Uniuscujusque opus manifestum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.

14 Proinde si in hoc incendio perdurarit, quod hic aut ille superstruxit, nihil hinc laudis sibi vindicabit apud homines, sed à Deo, cui laboravit, mercedem reportabit:

14 Si cujus opus manserit quod superedificavit, mercedem accipiet.

15 Sin exustum fuerit hujus aut illius opus, operarius operæ suæ jacturam fecerit, præmioque frustrabitur, etiamsi ipse fuerit incolumis, sed sicuti qui ex incendio nudi subducunt sese, neque quicquam supereſt, nisi ut novis impendiis superstruat, quod fundamento respondeat. Primum & optimum erat iis, qui Christo fuissent initiati, nihil tradere, nisi Christo dignum. Id si factum non est, utrisque conduplicatus est labor, & his qui docuerunt dedocenda, & his qui didicerunt dediscenda. Spes tamen est salutis, quandiu manserit fundamentum Christus? Quî convenit turpi vitæ cum ista professione? Quî frigidis ceremoniis cum ignea Christi caritate? His rebus qui vos sua doctrina inficiunt, dignas Deo pœnas dabunt.

15 Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem.

16 An non meministis vos esse templum Deo consecratum, quod divinus ille Spiritus inhabitator sanctificat?

16 Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?

17 Quod si afficitur supplicio, qui Templum ab homine dicatum profanat, an non hunc perditurus est Deus, qui suum templum conspurcarit? Cum Deus Spiritu suo templum hoc semel purum sanctumque reddiderit, adnitendum ut à nobis purum sanctumque servetur. Innocentia, ac moribus Christo dignis servatur. Ambitione, libidine, dissidio, & his similibus affectibus ac morbis profanatur, conspurcaturque. Vos igitur cum sitis templum Dei, è vivis saxis constructum, in Deum impius est, qui mores, aut affectus, aut doctrinam Christo indignam in cœtum vestrum invehit.

17 Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.

18 Neminem fallit Christus, si quis huic innitatur. At videat quisque ne præsidiis humanis malefretus, fallat seipsum. Nihil est quod felicitatem vestram à Philosophiæ aut Legis præsidiis exspectetis. Neque quisquam hoc sese cæteris anteponat, quod humana doctrina polleat. Imo qui sibi videtur esse sapiens, juxta mundanam æstimationem, sapien-

18 Nemo se seducat: si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens.

Digitized by Google

pienter ſtulteſcat, ut vere fiat ſapiens. Deſinat eſſe ſtultæ ſapientiæ turgidus profeſſor, & idoneus erit, qui ſit ſapientiſſimæ ſtultitiæ diſcipulus.

19 Sapientia enim hujus mundi, ſtultitia eſt apud Deum. Scriptum eſt enim: Comprehendam ſapientes in aſtutia eorum.

19 Etenim ut opes hujus mundi non reddunt vere divitem, ut honores mundi non efficiunt vere clarum, ut voluptates mundi non faciunt vere felicem, ita ſapientia mundi hujus non reddit vere ſapientem apud Deum, cujus judicium nemo fallit, etiamſi apud homines ſapientiæ titulum ſibi vindicet. Irridet Deus hujuſmodi ſapientiam, dum eam declarat adeo non eſſe ſalutiferam, ut officiat etiam ad ſalutem parandam, dum elatos ac feroces, & ob hoc indociles reddit. Prædictum eſt autem hoc jam olim, in Libro, qui de patientia Job conſcriptus eſt, cum ait de Deo loquens: *Qui comprehendit ſapientes per ſuam ipſorum aſtutiam.*

20 Et iterum: Dominus novit cogitationes ſapientium, quoniam vanæ ſunt.

20 Ac rurſus in Pſalmo LXIII. *Dominus novit cogitationes hominum*, qui ſibi ſapientes videntur, *quod vanæ ſint* & inefficaces ad præſtandum, quod pollicentur.

21 Nemo itaque gloretur in hominibus. 22 Omnia enim veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollo, ſive Cephas, ſive mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præſentia, ſive futura: omnia enim veſtra ſunt:

21 Cum hoc negotium ſalutis noſtræ totum divinum ſit, non eſt quod homines ſibi quicquam hinc vindicent, nec eſt cur ullam gloriæ portionem homini velut auctori tribuatis, cum tota debeatur Deo.

22 Jam cum unum ſitis corpus, mutua caritate compactum, non eſt quod aliud alius ſibi peculiariter vindicet, cum in commune veſtra ſint omnia. Sive quid valet Paulus, aut Apollos, aut Cephas, beneficio Dei in veſtrum commodum ex æquo valent: ſive quid obſtrepit mundus, in veſtrum cedit bonum: ſive nobis obtingit vita, vobis doctrina confirmandis vivimus, ſive mors ingeritur, vobis exemplo roborandis morimur: ſive occurrunt præſentia, neglectim utendum eſt momentariis, ſive futura, ad hæc magno animo connitendum, quæ licet non cernatis oculis corporis, tamen oculis fidei cernitis.

23 Vos autem Chriſti: Chriſtus autem Dei.

23 Faceſſant igitur partium ac factionum vocabula, cum per unicum auctorem omnia ex æquo veſtra ſint, etiamſi ipſi veſtri non eſtis, ut jus veſtri in hominem traducatis, ſed Jeſu Chriſti, cui nos pariter ac vos ipſos debetis. Porro Chriſtum Deo debetis omnium ſummo auctori, qui per illum omnia nobis largiri voluit.

CAP. IV.

Diſpenſatores: patefient: tot mala paſſus: Ut pater admoneo: quomodo vultis agam?

1 Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.

1 HUjus igitur nomine glorietur, qui vere velit gloriari. Nos vero ſic æſtimet homo, non ut auctores aut dominos, ſed ut æſtimari par eſt, qui ceu miniſtri, Chriſti negotium agunt, quique rem ab alio creditam diſpenſant, myſteria non hominum, ſed Dei.

2 Hic jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur.

2 Cum igitur in confeſſo ſit, quod omnes, quales quales ſunt, rem adminiſtrent, ſummam quidem, ſed alienam, quod ad horum æſtimationem attinet, nihil aliud interim ſpectetur in his, niſi ut quod à Deo creditum eſt, bona fide diſpenſet aliquis, non alio ſpectans quam ad Chriſti gloriam. Qui pro divinis humana docent, qui veſtra obedientia ad quæſtum ac faſtum abutuntur, qui ſub Euangelii prætextu rem ſuam agunt, qui ſub umbra gloriæ Chriſti, tyrannidem affectant, malæ fidei diſpenſatores ſunt, & quamvis imponant humano judicio, Deum non fallunt, cui probari ſummum eſt.

3 Mihi autem pro minimo eſt ut à vobis judicer, aut ab humano die: ſed neque meipſum judico.

3 Nam mihi pro minimo eſt, ſi veſtro tantum judicio prober aut improber: imo ſi quocunque judicio humano. Tantum enim abeſt, ut homines de hominis conſcientia recte judicare poſſint, ut nec de me ipſo auſim pronuntiare, an laudem merear apud Deum, nec-ne.

4 Nihil enim mihi conſcius ſum: ſed non in hoc juſtificatus ſum: qui autem judicat me, Dominus eſt.

4 Ipſe quidem pro viribus adniſus ſum, ut officio delegato ſatisfaceram, nec ullius fraudis mihi ſum conſcius, at non hinc auſim mihi vindicare juſtitiæ laudem. Siquidem fieri poteſt, ut imprudens, ſive excedens, ſive deficiens fecerim aliquid ſecus quam oportuit. Id cum ſoli Deo ſit cognitum, hunc unum habeo judicem officii mei. Huic igitur, cujus oculis perſpicua ſunt omnia, judicium omne de occultis deferamus, pronuntiaturo de ſingulis, cum ipſi tempeſtivum videbitur.

5 Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus: qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit unicuique à Deo.

5 Proinde vobis cavendum eſt, ne ſervi ſententiam Domini anticipetis judicantes ante tempus. Nec enim tempus eſt de his pronuntiandi, donec adverterit Dominus, judicaturus & cœleſtia, & terreſtria, & ſubterranea. Is tum in lucem proferet, quicquid nunc in tenebris abditum eſt, & oculis omnium conſpicuum reddet, quod nunc in ſinuoſis humani cordis receſſibus occultatum, fallit hominum conſcientias. Tunc ab eo, cujus certa ſunt judicia, pro meritis contingent præmia. Qui ſincere functus erit officio, laudem æternam feret à Deo, etiamſi parum commendatus fuit hominibus: qui ſecus, pudefiet ac pœnas dabit condemnante Deo, quamlibet apud homines in pretio habitus.

6 Hæc autem, fratres, transfiguravi in me & Apollo, propter vos: ut in nobis diſcatis, ne ſupra quàm ſcriptum eſt, unus adverſus alterum infletur pro alio.

6 Cæterum ne quid erretis, hactenus ſermonem in me atque Apollo tranſtuli, non quod nos ſimus hujuſmodi factionum occaſio, (nam neque nos vindicamus nobis quicquam, neque quiſquam apud vos ſe Paulinum, aut Apollonium jactat) ſed intelligens inter vos eſſe varia partium ſtudia, ne quem irritarem, malui rem fictis nominibus proponere, ut lecta in commune Epiſtola, ſe quiſque tacitus agnoſcat. Idque veſtra cauſa factum eſt, ut noſtris nominibus res odioſa tractaretur, quo citra ullum tumultum diſceretis, quam indecore gloriantur quidam Pſeudapoſtolorum cognominibus, alios præ ſe deſpicientes, impieque tribuentes hominibus, quod eſt Dei: nec ob aliud attollentes ſui quiſque Apoſtoli dignitatem, niſi ut ipſi interim præſtantiores habeantur: non minus ſtulte de ſe judicantes, quam de illis judicant, quorum titulis efferuntur. Fortaſſe ferri poterant hæc, ſi ſtulta tantum eſſent, nunc cum hinc pernicioſa naſcantur diſſidia, res non poteſt diſſimulari. Neque enim plus tribuendum eſt viris Apoſtolicis, quam, ut modo dixi, alienæ rei diſpenſatoribus tribuere par eſt: neque cuiquam hujus aut illius nomine gloriandum, cum hoc ipſum, etiam quod per illos adfertur, Deo debeatur.

7 Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?

7 Hæc cum mecum perpendo, non poſſum non admirari, unde inter vos ambitio fœdiſſima, vel Apoſtolorum ſtulte ſibi vindicantium, quod eſt Chriſti, vel diſcipulorum, qui malunt de homine miniſtro, quam de auctore Deo gloriari. Appello te quiſquis es, qui ob fucatam gloriam ejus, à quo baptiſmum, rem facilem accepiſti, tibi vel places, vel diſplices. Quis eſt iſtius diſcriminis auctor, ut hic minus, ille plus accepiſſe videatur? Si quis in aureo, aut gemmeo labro baptizetur Satrapis ſuſceptoribus, idque per Apoſtolum, aut ſi hoc parum eſt, per ſummum Apoſtolum, qui toto ſtrepitu, Regum opulentiam ſuperet: quis auſit pronuntiare, huic plus eſſe collatum, quam ſi per Petri piſcatoris, aut meum coriarii miniſtrum aliquem in alveo ficulno baptizatus eſſet? Rurſus appello te quiſquis es, qui ſtultiſſimum hunc errorem inſeris in animos ſimplicium, aut certe abuteris errore, quem caſtigatum oportuit, quid tandem eſt iſtud, unde tollis criſtas? Tua tradis, an aliena? ſi tua, teipſum prædicas, non Jeſum Chriſtum. Sin aliena, qua fronte vindicas à Deo acceptum, quaſi à te profectum eſſet? Si credis tuum eſſe, quod divini muneris eſt, quid te cæcius? Sin intelligis, & tamen hinc te jactas ac venditas, perinde quaſi tuum eſſet, quid te impudentius?

8 Jam saturati estis, jam divites facti estis: sine nobis regnatis: & utinam regnetis, ut & nos vobiscum regnemus.

8 Ab humili fundamento quo magnitudinis venistis ô Corinthii? Nos famelici, tenues, & egentes apud vos, adeo ut coriis consuendis nobis diurnum victum paraverimus, nos humiles & indignis modis afflicti Christum vobis pure prædicavimus. Nunc eo veniſtis, ut nobis fastiditis, per alios Apostolos, & saturitate tam sitis feroces, & opulentia turgidi, & regno seditiosi? Et tantam rerum amplitudinem possidetis, nobis, qui difficillimam istius negotii portionem exhausimus, excluſis? An magnum aliquid assecuti sitis, vos videritis. Optarim certe vos vere regnum Christo dignum adeptos esse. Ingereremus nosmet in aliquam portionem istius regni, ut qui rudimenta jecerimus, simul quoque vobiscum regnaremus. Nec enim arbitror vos usque adeo futuros inciviles, ut à quibus felicitatis vestræ nata fuissent exordia, hos prorsus à consortio felicitatis excluderetis. Nisi prorsus hac infelicitate nati sumus, aut cum alii doctrina non sincera tantam gloriam sibi comparent, nos præter contemtum, famem, infamiam, carcerem, plagas, capitis discrimina, nihil præmii reportemus.

9 Puto enim quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tamquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.

9 Si præmiis humanis pensandum erat officium Apostolicum, arbitror præcipua deberi nobis, qui tantis periculis Christum primi vobis insevimus. At si recte regnant apud vos, qui optimo fundamento per nos jacto qualiacunque superstruxerint, opinor irato Deo nos solos infelices esse. Illis opes & sapientiæ titulus auctoritatem, ac tyrannidem apud vos conciliat: nos opinor omnium postremos Christus ad Apostolicum munus accivit, ut suppliciis ac mortibus objiceret, similes iis, qui ob maleficia sua bestiis objiciuntur, quo plebi spectaculo sint. In quod prætorium non sumus pertracti? Quis est carcer non conscius afflictionis nostræ? Quod forum est, in quo non simus publico ludibrio affecti, adeo ut spectaculo fuerimus, non solum huic mundo, qui Christum damnat, non solum hominibus, qui terrena sapiunt, verum etiam ipsis Dæmonibus, qui nostris malis oblectantur.

10 Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles.

10 O rerum vices in diversum versas! Nos ceu stulti despicimur ob Christum, quod hunc crucifixum & humilem prædicaverimus, vos ut sapientes sustuliſtis animos fiducia Christi. Nos ut imbecilles dejecimus nos ob Christi gloriam, vos ut potentes insolescitis. Nos contemti & obscuri, vos insignes & clari.

11 Usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus,

11 Ad nos præter laborem & molestiam nihil rediit; totus fructus penes vos est. Quid enim accesſit nobis præmii, pro tot periculis ac malis? Ad hunc usque diem adeo non regnamus, sicut quidam Apostolorum nomine sese venditantes, ut sæpe desit quod edamus, sæpe quod bibamus, sæpe quo vestiamur, tantum abest ut opes collegerimus ex Euangelio. Quin & colaphis subinde cædimur, tantum abest, ut honorem lucrifecerimus. Adhuc incertis vagamur sedibus, quod quidem extremæ tenuitatis est, nec ædiculas esse proprias, in quibus saltem hoc commodius feras pauperiem, quod tectius.

12 Et laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus:

12 Adeo non expilamus quenquam, ut opificio manuario nobis victum paremus. Adeo non aucupamur humanam laudem, ut devoventibus nos bene precemur, ut pro convitiis, quibus afficimur assidue, benedicta rependamus. Adeo non opprimimus quenquam, ut persecutorum sævitiam taciti perpetiamur.

13 Blasphemamur, & obsecramus: tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.

13 Quid multis opus est? Alii gloria potiuntur apud vos, nos vestri causa in hunc usque diem ut rejectamenta habemur hujus mundi, quibus nihil esse possit abjectius aut conculcatius.

14 Non ut confundam vos, hæc scribo,

14 Si juxta morem quorundam, meos labores, mea pericula, mea officia vobis imputare vellem, nonne foret expostulandi justissima ratio? Nunc non hæc scribo, velut alienatus à vobis ob ingratitudinem, quo vos afficiam pudore: quin potius ut amantissimus pater filios carissimos admoneo, non mea causa, sed vestra. Nam si res vobis in bonum cederet meo tantum malo, meum incommodum pro nihilo ducerem, gratularer vobis, quorum commodis & meipsum non dubitem impendere. Nunc cum videam vos per novos Apostolos in pejus delabi, cogit me pietas erga vos, ut vos admoneam periculi, quod ego sane meum esse duco.

sed ut filios meos charissimos moneo.

15 Non est vobis hic animus adspernandus, Corinthii, vere germaneque paternus. Immensum discrimen est inter pædagogum & patrem: ille pro tempore sævitiam exercet in ætatem innocentem, & aut mercedis gratia, aut mali metu facit officium, si tamen facit: at pater ob insitam penitus à natura pietatem, vel suo malo, filiorum commodis consulit. Ut contingant vobis vel decem pædagogorum millia, certe paucos in his experiemini patres. Cur autem non appellem me patrem, vos filios? cum primus omnium vobis prædicarim Euangelium, cum per me sitis renati Christo. Nonne ego quodammodo vos genui? Quæ mater tantum laboris in nixu patitur, quantum ego passus, cum vos Christo parturirem.

15 Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Euangelium ego vos genui.

16 Proinde si patrem hunc agnoscitis, si vere filii estis, obsecro per pietatem mutuam, patrem vita ac moribus exprimatis. Cur è nobis prognati, aliorum similes videri mavultis? Ista, quæ ad me deferuntur de vobis, unde sint, vos videritis, certe à me non hausistis.

16 Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut & ego Christi.

17 Quod si quid excidit vobis nostri, quando mihi nondum venire licet, mitto ad vos Timotheum, velut alterum me, nimirum filium haudquaquam degenerem, sed Dei beneficio fidelem: qui ut primum per me Christum imbibit, ita à paternis vestigiis nusquam discedit. Is vobis in memoriam revocabit institutum vitæ meæ, quod ad exemplum Jesu Christi, & sequor, & trado, non vobis tantum, sed cuivis conciliabulo Christum profitenti. Quemadmodum is communis est omnium auctor, ita debet omnibus eadem esse vivendi ratio. Qui germanus est filius, is ex animo, non mali metu, suo fungitur officio.

17 Ideo misi ad vos Timotheum, quem filium meum charissimum, & fidelem in Domino: qui vos commonefaciet viæ meas, quæ sunt in Christo Jesu, sicut ubique in omni Ecclesia doceo.

18 At sunt inter vos, qui ob absentiam meam, excusso pudore sic insolenter se gerant, quasi nunquam sim rediturus.

19 Sed fallentur isti: nam propediem adero, si Dominus permiserit, ac tum re ipsa experiar, non quantum sermone polleant isti, qui tam insolenter efferunt sese, sed quantum factis.

18 Tanquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam.

19 Veniam autem ad vos cito, si Dominus voluerit: & cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem.

20 Neque enim in magnificis dictis sita est Euangelii vis, quæ cuivis in promtu sunt, sed in vi, aut virtute cœlesti, quæ malorum tolerantia, quæ concordia, quæ totius vitæ innocentia, quæ miraculis declaratur.

20 Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute.

21 Vultis ad vos veniam? Veniam equidem. Cæterum vos videritis, ut me, sicuti par est, excipiatis. Vobis in manu est efficere, ut vel austerus ac terribilis veniam, vel lenis ac mansuetus. Est mihi auctoritas à Christo tradita, virga suppliciorum coercendi premendique rebelles & intractabiles. Verum ego malim hac non uti, malim hujusmodi moribus esse vos, ut ceu pius, propitius ac mitis pater, aut gratuler innocentiæ vestræ, aut si quid fuerit levium erratorum, molli paternaque castigatione emendetur.

21 Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?

CAP. V.

Expelli talem jubeo: purgetis amarum
Fermentum: vitet pectore quisque malos.

1 Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter

1 VERUM, illud & notius est, quam ut negari possit, & gravius quam ut ferri debeat, & pernicioſius, quam ut differri expediat, quod inter vos, quos ut templum Deo sacrum decebat omnis puritas, fœdus rumor est libidinis, & hujusmodi libidinis, ut ejus infamia, nec apud Ethnicos, &

à

Gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.

à Christo alienos comperiatur, videlicet ut aliquis novercam suam uxoris loco habeat. Quanto cum probro puratis Christiani nominis, jam hujusmodi flagitia publicus rumor de vobis spargit?

2 Et vos inflati estis: & non magis luctum habuistis ut tollatur de medio vestrûm qui hoc opus fecit.

2 Et vos interim perinde quasi tantum vestræ professionis dedecus nihil ad vos pertineret, vobis ipsis placetis, inani sapientiæ persuasione turgidi, cum magis conveniret, publico luctu testari, vobis turpissimum admissum vehementer improbari, profligato è contubernio vestro tanti sceleris auctore: primum ne favere turpibus admissis videamini, si ceu familiarem ac contubernalem agnoscatis eum, qui nondum declaravit se pœnitere flagitii. Deinde ne pestis exitialis semel admissa latius serpat apud vos. Postremo ut auctor nefarii sceleris, si vitetur à vobis, velut omnium publico judicio damnatus, pudore tactus resipiscat, donec certa pœnitudinis signa declarent hominem idoneum, qui in sanctorum consortium recipiatur: id à vobis illico factum oportuit, ubi fœdus rumor hominem (nam adhuc parco nomini) reum ageret nefandi criminis.

3 Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens, eum, qui sic operatus est,

3 Hoc ipse facturus eram, si præsens apud vos fuissem. Nunc absens (licet non totus absim, nam ut absum corpore, ita spiritus auctoritate præsens sum) absens igitur, sed perinde quasi sim præsens fero sententiam, quam vos quoque sequi debetis, ut publico cœtu, frequentique conventu decernatis (ne quis hoc auctoritatis sibi privatim vindicet) quem oportet nullo humano affectu convenire, sed nihil aliud spectantem, quam gloriam Domini nostri Jesu Christi, in quo simul adero spiritu duntaxat, ut dixi.

4 In nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu,

4 Nec deerit auctoritas Domini nostri Jesu Christi, cujus nomine convenietis, qui nostram sententiam sua potentia reddet efficacem.

5 Tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.

5 Ut qui scelus hoc tam turpiter admisit, ejectus à vestro contubernio tradatur Satanæ, quo juxta carnem affligatur, pudefactus humano judicio, ut spiritus & animus sit incolumis apud judicem Jesum Christum omnia judicaturum, non hæc tantum, aut hunc tantum. Expedit interim hoc etiam isti, ut exactum illud ac severum Dei judicium antevertat, & temporaria castigatione maceretur potius, quam æternis suppliciis addicatur. Nostrum est medelam parare potius, quam pœnam: sic enim agendum cum nocente, ut sit qui possit emendari. Nec enim hominem è medio tollimus, sed exstincto peccato servamus hominem. Hac pœna debet esse contenta Christiana mansuetudo. Lapidare Judæorum est, mederi Christianorum.

6 Non est bona gloriatio vestra. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?

6 At nihil horum vobis curæ fuit, neque vos commune dedecus, neque vos commune periculum commovit, perinde quasi re bene gesta vosmet efferentes. Multum interest inter gloriationem mundanorum, & gloriationem Christianorum. Ista gloria vobis dedecori est, nec dedecori solum, verum etiam periculosa. Esto, inquitis, unus est qui peccavit, quid hoc ad totam congregationem? An ignoratis, quod ingentem farinæ conspersæ vim paululum fermenti afficit, & acidam reddit.

7 Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.

7 Fermentum est quod è corrupta massa supereſt. Si quid igitur veteris vitæ residet in vobis, diversum à simplicitate Christi, fermentum est, prorsus à vobis expurgandum, ut per vitæ novitatem sitis nova conspersio, nec in universa massa quicquam pristinæ malitiæ sit admixtum. Sicut enim Christus vos à peccatis semel immunes reddidit, ita vobis danda est opera, ne rursus irrepat in vos aliquod superioris vitæ contagium, & innocentiæ Christianæ vitiet sinceritatem. Amat Deus, qui hoc carent fermento. An non id olim typis mysticis adumbratum est? Hebræi cum emensi mare, liberati fuissent ab Ægyptia servitute, jussi sunt quotannis in hujus rei symbolum ac monumentum stato tempore, mactato agno anniculo, septem diebus vesci panibus nullo fermento corruptis, quemadmodum fecerant jam fugam adornantes ex Ægypto. Interea farinam puram secum efferunt, fermentum omne relinquunt Ægyptiis. Neque dignus habetur, qui vescatur agno paschali, nisi qui septem diebus fermentum non attrigerit. Imo piaculum habebatur id temporis, quicquam usquam fermenti reperiri in domibus Hebræorum. Umbras rerum habebant illi, nos verum phase tenemus, agnum omnis maculæ nescium. Is est Christus Jesus, pro nobis à teterrima mortis ac vitiorum tyrannide liberandis, in crucis ara immolatus. Non temere est immolatus.

8 Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ: sed in azymis sinceritatis & veritatis.

8 Semel Ægyptum evasimus, superest ut jugiter hoc festum celebremus, haudquaquam gaudentes atque attollentes nos iis rebus, quibus olim capiebamur, cum adhuc haberet nos fœda simul ac dura servitus, hoc est, non fermento Legis Mosaicæ, non fermento veteris malitiæ ac versutiæ, sed libis ac panibus nullo fermento vitiatis, id est, moribus innoxiis, simplicibus, sinceris, nulloque fuco simulatis.

9 Scripsi vobis in epistola: Ne commisceamini fornicariis.

10 Non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exisse.

9, 10 At ne quid erretis, quod paulo ante jusserim à vobis vitari consuetudinem infami libidine contaminatorum: non hoc sentio, quod postulem ut universos hujus regionis impudicos devitetis, nec cum ullo consuetudinem agatis, qui avaritiæ rapacitatisve infamia laboret, aut simulacrorum cultui deditus sit, quod si conemini, tota hæc Græcia vobis sit relinquenda, cum istiusmodi nusquam non occurrant.

11 Nunc autem scripsi vobis non commisceri si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cum ejusmodi nec cibum sumere.

11 Quanquam id quoque cupiam, si liceat, nunc quod fieri non potest, non exigo: illud exigo, ut si quis titulo Christianus, palam hujusmodi vitiis infectus sit, quæ plurimum absunt ab instituto Christiano, puta scortatione, aut avaritia, aut simulacrorum cultu, aut maledicentiæ morbo, aut temulentia, aut rapacitate, adeo vitetis hominis familiaritatem, ut ne cibum quidem cum illo capere dignemini, donec resipiscat. Id vestra plurimum refert, ut vester cœtus purus sit & incorruptus.

12 Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare? Nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis?

12 Quales sint aliis, viderint ipsi: illorum vitia nec vos inficiunt, nec cedunt in probrum Christiani nominis. Ergo qui tales sunt, non oportet sinere impunitos, si modo crimen in propatulo est inter vos. Id satis est mihi. Quorsum enim attinet, ut de his quoque judicem, qui ut sunt à Christo alieni, ita non pertinent ad nos? Nonne domi quisque suæ censorem ac judicem agit, nec sua referre putat quid agatur in ædibus alienis? Si quid domi suæ commissum est, id existimat ad totius familiæ rem pertinere. Proinde satis est nobis, si Christiani de Christianis judicemus. Qui sunt alieni à professione Christiani nominis, hos divino judicio relinquimus.

13 Quod si nemo finit domi suæ sceleroſum ac pestilentem, vos quoque tanti facinoris auctorem è vestro contubernio profligate: hoc & illius refert & vestra, & ad Christiani nominis dignitatem pertinet. Nam & ille pudore correptus ad se redibit, & vos periculum contagii simul ac suspicionem à vobis propelletis, & intelligent omnes hæc non probari Christo, qui vitæ docuit ac præstitit innocentiam. Pestilens quidem fermentum hactenus ostendi, seditiosæ contentionis, ac fœdæ libidinis, penitus à vobis rejiciendum.

13 Nam eos, qui foris sunt, Deus judicabit. Auferte malum ex vobismetipsis.

Cap VI.

Fiunt cur lites? regnum non cedit iniquis:
Cuncta licent: stuprum quale nefas sit, habes.

1 Audet aliquis vestrûm habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, & non apud sanctos?

1 Sed alias quoque comperio in vobis pristinæ vitæ reliquias, quæ fermentum avaritiæ sapiunt. Ut vestra non interest de iis, qui ab Ecclesiæ consortio sunt alieni, ferre sententiam, ita vehementer indecorum est, Christianos à non Christianis judicari. Primum illud admiror, quo pacto quis Christum professus, si quid exstiterit controversiæ de re pecuniaria, possit animum inducere, ut non vereatur ad judicem

Digitized by Google

dicem provocare, & quod gravius est, ad judicem impium potius, quam Christianum. An æquum judicabit, qui tota vitæ professione iniquus est?

2 An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt? Etsi in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis?

2 An non videtis quam præposterum sit, ut mundus, cujus impietas ex sanctorum fide vitaque sit olim damnanda, nunc ceu justior ac melior, de sanctis ferat sententiam, & illorum lites dirimat? Quod si tanta res vobis committitur, ut per vos totius mundi, hoc est, omnium impiorum vita damnetur, an parum idonei vobis videmini, qui de rebus frivolis ac levissimis judicetis? Vos enim estis lux mundi, quæ coarguat impiorum errores. Hoc quo pacto fiat, si in vobis ipsis sint tenebræ? sitque quod redargutione sit dignum? Nunc causas vestras ad impios judices defertis, quasi aut plus sapiant illi quam vos, aut penes illos plus sit æquitatis, quam penes vos.

3 Nescitis quoniam angelos judicabimus? quanto magis sæcularia?

3 An ignoratis, quod non homines solum mundo deditos, verum etiam Angelos, impios hujus mundi tyrannos olim judicaturi sitis? Ne magnum videatur si causas infimas de rebus, quæ ad vitæ corporalis usum pertinent, inter vos finiatis. Vestra credulitas illorum incredulitatem, vestra pietas illorum impietatem, vestra innocentia illorum impuritatem condemnabit, atque hodie condemnat, si vitam Christo dignam egeritis.

4 Sæcularia igitur judicia si habueritis: contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum.

4 Et obliti dignitatis vestræ, eos judices facitis rerum vestrarum, de quorum omnium capite per vos pronuntiabitur? Quod si tam estis contentiosi, si tam amantes rerum fluxarum, quarum contemtum profitemini, ut super his non solum dissideatis inter vos, sed ita dissideatis, ut omnino judices sint adeundi, vel ad quoslibet, quantumvis in vestro contubernio contemtos & humiles causas istiusmodi deferatis.

5 Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum?

5 Non hoc dico, quod ita fieri velim, sed ita loquor, ut vos vestri pudeat, cum apud Ethnicos judices decertatis. Si respondetis professioni vestræ, qui inter vos abjectissimus est, præstantior est iis, qui apud impios summi habentur. Usque adeo-ne vos ipsos contemnitis? Adeo nullus est inter vos, qui tantum sapiat, ut de rebus tam levibus arbiter sedeat, & inter duos Christianos litem finiat? inter quos, quoniam fraterna caritate ac rerum omnium communione conglutinantur, oportebat facillime convenire.

6 Sed frater cum fratre judicio contendit: & hoc apud infideles?

6 Nunc adeo non convenit, ut Christianus cum Christiano contendat judicio, idque quod est fœdius, apud hos, qui à Christo sunt alieni, quasi possint illi ad legum humanarum regulam, quod justum est pronuntiare, vos ad Euangelicam regulam non idem possitis.

7 Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?

7 Videte quot modis hîc peccetis. Primum hoc ipsum vobis turpe est, quod istiusmodi controversiolas non ipsi inter vos componatis, citraque tumultum, aut contentionem ullam transigatis, vel mutua concessione, vel certe per arbitros, sed eo pertinaciæ ventum est, ut dum neutra pars alteri vel cedit, vel concedit aliquid, apud publicos judices, teste populo, res sit agenda. Non carebat vitio, si hæc agerentur apud judices Ecclesiasticos. Nunc quam fœdum est spectaculum, apud judices impios decertare de rebus nihili? Nostra religio pax est, ac per Christum in unum corpus insiti, plusquam germani facti sumus. Ad hæc rerum istarum vilium, pro quibus hic mundus depugnat, neglectus, nos reddit Christianos. At cum pro his ipsis tam acriter contenditis, ut non pudeat Christianum in jus trahere Christianum, & a ud impium judicem reum agere, quid creditis in mentem venire iis, qui conspiciunt? An non sic apud se cogitabunt? Ubi inter istos Christianos pudor? ubi fraterna caritas? ubi rerum omnium communitas? ubi pax, quam semper habent in ore? ubi pecuniæ contemtus? ubi lenitas illa Euangelica, qua jubentur & tunicam ultro relinquere, si quis pallium ademerit? Ecce quantula de re, quam turpiter digladiantur, non solum nobiscum, verum & inter ipsos. Quî fit, ô Corinthii, ut adhuc tanti vobis sit pecunia, ut hujus gratia tantum dedecus in Christianum nomen adsciscatis? Respondebit aliquis: nisi meum jus persequor, non abfuturus sum ab injuria, nisi quod meum est vindico, futurus sum in damno. At etiam atque etiam videte, ne dum levem jacturam timetis rei pecuniariæ, grave damnum faciatis innocentiæ, bonæque famæ, atque adeo gravem jacturam inferatis Euangelio. Præstabat non evincere rem, quam hanc ansam præbere incredulis obtrectandi Christo. Satius erat levem injuriolam negligere, quam dum sic persequeris, animum ulciscendi cupidum profiteri.

8 Sed vos injuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus.

8 Jam vero tantum abest, ut Christiana mansuetudine damnum aut injuriam impune feratis ab aliis, ut ipsi ultro alios afficiatis injuria, ultro fraudetis ac circumveniatis alios, non incredulos tantum, verum etiam religionis consortio germanos. An non ista pristinæ vitæ fermentum sapiunt? An non ista longissime dissonant, & à doctrina, & à professione vestra? Quisquis Christum profitetur, innocentiam profitetur, & his factis promissum est regnum cœlorum. Nec enim satis est tinctos esse liquore, non satis est insitos esse Christo, nisi tota vita Christi doctrinæ respondeat. Ideo à mundo exemti, coptati estis in corpus Christi, ut posthac integritate vitæ Christo capiti respondeatis.

9 An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis servientes neque adulteri,

10 Neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.

9, 10 An illud vos fugit, quod injuste viventes, quamlibet baptizati, excludendi sint ab hæreditate regni cœlestis? Ne quis sibi imponat, etiam atque etiam dico, edicoque vobis. Neque scortatores, neque simulacrorum cultores, neque adulteri, neque molles, qui velut evirati prodigiosæ libidini observiunt, neque qui masculis mulierum vice abutuntur, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque qui per vim invadunt aliena, consortes erunt regni Dei. Nihil proderit novus titulus, si vita veteribus vitiis sit inquinata, imo Christus his vertitur in occasionem gravioris damnationis.

11 Et hæc quidam fuistis: sed ablati estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.

11 Atque hæc quidem dedecora, quæ modo commemoravi, quondam in vos competebant, antequam essetis per Christum renati. Non exprobro quod fuistis, modo ne eodem revolvamini. Abluti estis à pristinis commissis, gratis abluti fuistis, cavete ne rursus inquinemini. Neque solum ablutis suo sanguine restituit innocentiam, verum etiam ultro sanctimoniam contulit & justitiam, idque non præsidio Legis, aut meritorum vestrorum, sed per Jesum Christum, cujus nomine baptizati estis, perque Spiritum Dei nostri, cujus arcano afflatu efficacia sunt ecclesiastica sacramenta. Quo magis admitendum, ne tantum beneficium, quod gratis contigit, vestro vitio perdatis, simul & ingrati erga auctorem, & in vos ipsos pessime consulentes.

12 Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.

12 In his, quæ sunt necessitatis naturæ, mihi licita sunt omnia. Nullus enim me vetat uti eodem jure, quo cæteri utuntur Apostoli. Sed fortassis non semper expedit vobis, ut utar meo jure. Qui vestro cibo vivunt, qui vos expilant, velut emti vestra munificentia, non audent libere vos admonere turpitudinis vestræ, ne offensi commodum alio conferatis. Mihi quoque jus erat gravare vos sumtu, jus erat accipere mercedem operæ impensæ, præsertim cum plus laborarim, quam alius quisquam. Non mihi deerat potestas hæc agendi, sed nolui committere, ut utens hac potestate, redigerer sub alienam potestatem, & cuiquam vestrum devinctus viderer: quo magis vobis liqueret, & si quid doceam, me vestrum, non meum agere negotium: & si quid objurgem, vos patienter audire debere. Nec enim facile offendit libertas admonentis, qui nullo nomine sit obstrictus ei, quem corripit.

13 Alio-

Digitized by Google

13 *Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc & has destruet: corpus autem non fornicationi, sed Domino: & Dominus corpori.*

13 Alioqui non ita magni refert, cujus utare cibo, cum omnino cibo sit opus. Escæ ventri destinatæ sunt, venter vicissim escis dicatus est, age serviatur interim pro tempore necessitati. Nam brevi futurum est, ut & ventrem & escas abolcat Deus, hoc est, ut neque venter nos fame torqueat, neque ullus sit escarum usus. Cæterum ut necessitati parendum est nobis, qui Christo sumus initiati, quod habemus cum Ethnicis commune, ita vitiorum nulla debet esse communio. De cibis nihil veto, vescatur quisque quibus velit, fœdam libidinem interdico. Neque enim ut venter escis dedicatus est, ita corpus dicatum est spurcæ libidini. Imo corpus nostrum Domino Jesu consecratum est, & ille vicissim nobis adglutinatus est. Sic enim illi visum est, ut nobis membrorum, illo capitis vice fungente, mysticum corpus pariter constituamus. Hæc conglutinatio temporaria non est. Mors solvit vescendi necessitatem, at non dirimit conjunctionem cum Christo.

14 *Deus vero & Dominum suscitavit: & nos suscitabit per virtutem suam.*

14 Nam quemadmodum Deus Pater Dominum Jesum, caput nostrum, suscitavit à morte, ita nos quoque illius membra una cum illo suscitabit, simulque cum illo donabit immortalitate. Potens enim est ille & idoneus, qui hoc præstet, etiamsi quibusdam incredibile videatur. Igitur ut anima nostra non erit particeps illius immortalitatis, nisi fuerit eam hîc per jugis integritatis studium meditata: ita corpus resuscitatum non erit particeps illius gloriæ, nisi hîc à peste vitiorum fuerit immune.

15 *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, facium membra meretricis? Absit.*

15 Quam vero prodigiosum spectaculum, si membra capiti innocentissimo dissimillima videantur? An non venit vobis in mentem, quod, ut diximus, corpora vestra membra sunt Christi? Quid igitur? Eo-ne dementiæ veniam, ut cum hæc sciam, summa cum contumelia capitis, tollam membrum Christi, & ex eo faciam membrum scorti? Id quidem avertat Deus. Et tamen quid aliud agit, qui cum scorto rem habet?

16 *An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne una.*

16 An vos illud fugit quod est clarissimum, eum, qui adglutinatur scorto, idem corpus cum eo fieri? Sic enim legimus in Genesi de marito & uxore: *E duobus fiet una caro, idemque corpus.* Nam ut in licito matrimonio honestus consensus è duobus animis unum reddit, corporum item legitima commixtio è duobus unum efficit: ita in nefario coitu, quisque fit idem cum eo, cui se turpiter admiscet. Quod si fœdum habetur, si corpus suum uxor, fraudato marito, cum adultero miscat: ita nefarium est, corpus semel Christo consecratum putido scorto miscere.

17 *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est.*

17 Nam qui Domino Jesu adglutinatur, ob corporis & capitis communionem, unus cum illo spiritus redditur, cui, cum purissimus sit, pessime convenit cum spurca libidine, quæ mentis usum adimit homini, ac velut in brutam pecudem transformat.

18 *Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.*

18 Proinde summo studio fugite nefariam libidinem. Cætera fere scelera quæ patrant impii, licet nascantur ex corpore, tamen cum alieni corporis injuria conjuncta videntur, nec totum, ut videtur, hominem conspurcant. Cæterum qui libidine peccat, in suum ipsius corpus contumeliosus est, quod turpi admixtu polluit atque contaminat. Nec enim adulter adulteram conspurcat, nisi simul conspurcato corpore proprio, sine quo flagitium non admittitur. Homicida, qui jaculo configit hominem, intacto suo corpore lædit alienum, & una duntaxat sui parte pollui videtur. Libido totum conspurcat hominem, quod vulgus etiam intelligere videtur. Siquidem à coitu solet uti balneis, quo sordes è commixtu corporum contractas abluat. Facinus est, in corpus alienum esse injurium. At dementiæ simillimum videtur, proprium corpus ignominia afficere.

19 *An nescitis quoniam membra vestra, templum*

19 Ne putetis levem esse culpam libidinis, etiamsi corpus potissimum conspurcaret. Et corpori suus habendus est honos, quod animæ immortalis est domicilium, quod ablutum sacro liquore, jam ipsum quoque sic Deo consecratum est, ut templum sit Spiritus Sancti, quem hausistis in baptismo, quoque Christo conglutinamini, nunquam ab eo divellendi. Quod si vestri contumelia vos nihil commovet, certe moveat, quod istud cum gravi injuria Christi committitur. Semel in jus illius toti cessistis, in cujus corpus estis cooprati. Ille vos à morte redemtos suos effecit, ut posthac vestri juris non sitis. Jus emtitii corporis penes emtorem est, id qui alienat, aut qui secus tractat, quam ex arbitrio Domini, injurius est in eum, cui debet seipsum.

sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri?

20 *Empti enim estis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore vestro.*

20 Neque vero vili vos emit Christus, qui pretiosum sanguinem suum vobis asserendis impendit. Proinde quando toti Deo dicati estis, ne velitis in hujus contumeliam polluere corpora vestra, verum ut animorum innocentia, ita corporum integritate numen inhabitans in vobis circumferatis, & apud homines illustretis. Utrumque illius est, utrumque castum præstate, ne ob vestra dedecora, apud impios male audiat Christus, cujus nomine censemini. Nam quemadmodum Dominorum claritas ad servos quoque pertinet, ita servorum turpitudo Dominis gignit infamiam. Proinde Deus licet nec gloria clarior, nec ignominia potest obscurior reddi, tamen apud homines quodam modo & infamatur malefactis suorum, & cohonestatur integritate morum, ac sanctimonia vitæ, dum ex horum vita apud vulgus æstimatur.

CAP. VII.

Grata hic Paullus verbis de conjugii usa:
Mox de virginibus de viduisque monet.

1 *De quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere.*

1 NEQVE vero hæc dixerim, quod existimem quovis coitu contaminari corpus, quemadmodum quidam vobis persuadere conantur, quo sibi, ut hypocritæ, concilient apud vos opinionem sanctimoniæ. Est & castus quidam ac legitimus usus conjugii, sed omnibus ex æquo vitandus est illegitimus coitus. Legitimo matrimonio catenus cuique utendum, aut non utendum, quatenus ad Euangelii negotium expedit, aut officit. Proinde ad quæstiones, de quibus me per litteras consuluistis, paucis respondebo quid faciendum iis, qui jam matrimonio sunt irretiti, rursum quid iis, qui in cœlibatu degunt, ac viduis; item quid iis, qui matrimonio molesto, aut etiam impari sunt impliciti; postremo quid virginibus elocandis, aut non elocandis. Primum igitur, ut nunc est temporum status, multis de causis commodum erat in totum ab uxorum commercio temperare, quo magis liberum esset Euangelico negotio, bonæque menti vacare. Nam quamvis honesta res est matrimonium, tamen curis mundanis quamlibet nolentem involvit hominem, & quantum his additur studii, tantum rebus sacris deciditur. Deinde hujus usus habet crassum quiddam, quod totum hominem ad tempus absorbet, atque ipsum sibi aliquando* minus hominem restituit.

2 *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat.*

2 Video quid maxime sit optandum, sed quod opto non ausim exigere, ne parum feliciter quod est optimum affectantes, per occasionem in deteriora prolabamini. Novi quam sit indomitus ac violentus hic affectus: nec me fugit, quam in hunc sitis peculiariter propensi. Tutius igitur arbitror, ut sua cuique sit uxor, & suus cuique maritus, ut mutuo officio uterque alterius intemperantiæ medeatur.

3 *Uxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro.*

3 Nam hac quidem in parte æquum jus est utrisque, licet alicubi potior sit auctoritas mariti! siquidem nec maritus hactenus sui corporis dominus est, ut quod ad usum conjugalem attinet, ejus copia fraudet uxorem, & alteri copiam faciat. Vicissim jus uxorii corporis penes maritum est, quod ad usum matrimonii pertinet, non penes uxorem, quæ sui copiam nec marito negare debet, nec alteri facere. Mutuum est debitum, & utrinque bona fide, cum res poscit, præstandum.

4 Red-

* Alia Editio, *aliquanto*.

Digitized by Google

4 Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.

4 Reddat igitur maritus, quod ex lege conjugii debet uxori. Reddat uxor, quod ex jure matrimonii debet marito. Cæteris in rebus fortassis imperium & auctoritas penes maritum est, hîc mutuum obsequium ex æquo debetur. Id negare poscenti, fraus est. Neque enim is solum fraudator est, qui pecuniam debitam non reddit, verum etiam qui debitum detrectat officium.

5 Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterùm revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.

5 Neuter igitur studio castitatis fraudet alterum, nisi si quid inter vos convenerit, utrinque assentientes, ut ad tempus à congressu temperetis, quo magis defecatis animis vacetis precibus sacris, ac cœlestium rerum meditationi, quod corporum ille complexus nonnihil hebetare soleat animi vigorem. Ergo aut neuter, aut uterque contineat, sed ex pacto: nec ob quamlibet causam, sed studio rerum cœlestium: neque nimium diu, sed ad tempus aliquod, ac mox ad pristinam consuetudinem redeatis: non quod non intelligam optimum esse, si quis jugiter vacet pietati, sed quod periculum videam, ne Satanas, qui nusquam non vigilat in vestram perniciem, vos ad libidinem proclives, per hanc occasionem pelliceat ad deteriora. Malo in vobis quod imperfectius est, modo sit tutum, quam id quod præclarius est, sed cum magni mali periculo conjunctum.

6 Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundùm imperium.

6 Cæterum non hæc loquor, quo quenquam cogam uxorem ducere, aut vetem amplecti jugem castitatem, si tanto proposito justum adsit robur, & in matrimonio mutuus intercedat consensus, sed conscius imbecillitatis vestræ, consulo vestris periculis.

7 Volo enim omnes vos esse sicut meipsum: sed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius verò sic.

7 Alioqui, si liceat, cupiam omnes mei similes esse, ut aut prorsus liberi sint à vinculis conjugalibus, aut uxores fororum habeant loco, purique cum puris, casti cum castis degant. Verum, quod Christus non exegit à suis, non ausim à vobis exigere. Beatos pronuntiat ille, qui se castrassent propter regnum Dei: non rejicit, qui jure conjugii caste moderateque uterentur. Eximia quædam res est perpetua castitas, ob Christi negotium suscepta. Sed honesta res est & legitimum connubium, cujus auctor & consecrator est ipse Deus. Verum ingens est corporum atque animorum varietas, nec pares sunt dotes omnibus à Deo datæ. Fortassis supra vires hominis sit, in totum à coitu temperare. Felices quibus hoc robur à Deo contigit, sed amavit ille varietatem hanc in suo populo, ut alii aliis dotibus præminerent: atque ista rerum varietas ad totius harmoniam ac decorum mire faceret. Proinde neque damnet quisquam alienum statum, neque sui pœniteat quenquam, sed quisque pro sua virili, dono, quod accepit à Deo, respondeat. Est castum conjugium, est impura virginitas. Habetis meum consilium de ducendis ac habendis uxoribus.

8 Dico autem non nuptis, & viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego.

8 Nunc ad digamiæ quæstionem accipite. Sunt enim, ut audio, qui licet non adimant vobis jus conjugii, tamen nolint iterari matrimonium, simulatque mors alterius alterum liberarit. His de rebus ita sentio: Si quis à morte conjugis cœlebs est, aut si qua ab obitu mariti vidua est, si vires adsunt ad perpetuam continentiam, præclarum fuerit, si nec ille repetat uxorem, nec illa maritum, sed suam uterque libertatem rebus divinis consecret. Quod optimum judicavi, id ipse sum amplexus, ne quid me remoretur ab Euangelii negotio: quod mihi sic cordi est, ut ejus studio facile contemnam voluptatem uxoriam. Quod si sciam omnibus eandem esse mentem, non dubitem omnes ad exemplum mei vocare.

9 Quodsi non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri.

9 Hîc igitur, quoniam dispares sunt corporum atque animorum habitus, idem consilium omnibus dari non potest, sed suas quisque vires consulat oportet: & ad quod vitæ genus natura maxime sit appositus, id amplectatur. Qui semel experti conjugium, sentiunt sese adhuc impares esse violentis libidinis stimulis, repetant potius conjugium, ut legitimo coitu suæ medeantur incontinentiæ, quam in cœlibatu graviter pruriente libidinis affectu, gravioris flagitii periculis affines esse velint. Hîc igitur nec cogo ad matrimonium, nec veto matrimonium, sed quid expediat, ex suo cuique animo perpendendum relinquo. Nihil enim habeo, quod à Domino præscriptum vobis tradam. Quanquam illud à Jesu Christo præceptum non dubitem à vobis exigere. Qui carent conjugio, iis liberum est, ut dixi, pro suo judicio, vel amplecti, vel non amplecti conjugium, modo ne alio spectent quam ad Christum.

10 Verum, ubi semel coiit matrimonium, nolim id fieri, quod passim fit apud Judæos & Ethnicos, ut quibuslibet de causis dirimatur conjugium. Vetuit enim Dominus, ne vir uxorem rejiciat ob mediocres offensas, licet hoc indulserit Judæis olim Moses, non quod hoc rectum esse judicaret, sed quod metueret, ne homines natura vindices & obstinati ademto jure divortii, atrociora divortio committerent. Unam causam excepit Dominus, si uxor cum alio rem haberet: sive quod tum exciderit à jure conjugii, quæ uni pacta sui copiam, se alteri communicavit: sive quod iniquum videatur à quoquam exigere, ut cum ea domum, lectum, focum, ac mensam habeat communem, quæ prodita conjugii fide, qua nihil est sanctius, turpi adultero sese admiscuit. Adeo Christus societatem hanc firmam & indivulsam esse voluit. Proinde nisi quid hujusmodi intercesserit, nec uxor divertat à marito, nec maritus uxorem ejiciat.

10 Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere:

11 Quod si per alias offensiones oborto dissidio contingat uxorem à viro divertere, ne sibi spem reditus intercludat, abstineat ab iterando conjugio: intactam fortasse maritus jam placatior recipiet, corruptam quis recipiet? Quod si nec tantisper temperat mulier, ut à coitu se contineat, det operam ut cum marito redeat in gratiam. Id si non impetrat, meminerit cuicunque sese adjunxerit, nomine conjugium fore, re adulterium.

11 Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.

12 Jam ad ea, quæ de impari matrimonio interrogatis, non habeo quod ex auctoritate Domini respondeam, sed est quod pro mea sententia velut utilius suadeam. Adeo res est odiosa divortium, ut nec ob religionem diversam dirimi velim semel initum matrimonium. Si contigerit, ut mulier Christiana juncta sit marito nondum professo Christum, atque is, licet alienus à Christi mysteriis, non tamen adeo infensus est, ut ob diversam religionem putet eam repudiandam, si me audiet uxor, non relinquet maritum.

12 Nam ceteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.

13 Rursus si obtigerit, ut vir Christo initiatus conjunctus sit uxori, quæ à Christo sit aliena, (quando non convenit quenquam ad suscipiendam religionem compelli) nec ea quærat divortium offensa diversa religione, meo consilio vir non ejiciet illam. Nec enim est quod horreat Christianus aut Christiana, ne admixtu hominis à Christo alieni, labem sibi contrahat. Licet impura sit alterius religio, tamen legitimum ac purum est conjugium, quod illos, licet aliis impares, ex æquo copulat. Non inficit deterioris impietas alterius pietatem, quin illud potius præponderat, quod melius est & efficacius.

13 Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum:

Itaque maritus quamvis religione profanus, tamen per Christianæ consortium, quod ad conjugii negotium attinet, sanctus redditur. Item uxor nondum initiata Christo congressu mariti Christiani quodammodo sancta puraque redditur, ob legitimum usum matrimonii. Quod ni esset, liberi vestri communes, velut ex incesto coitu nati, profani impuriique haberentur. At nunc constat eos legitimos ac puros esse, tanquam ex legitimo congressu progenitos. Siquidem uxor baptizata, cum rem habet cum viro nondum baptizato, non admiscetur Ethnico, sed obsequitur marito: nec amat impium, sed tolerat futurum pium. Hanc spem de se præbet, qui licet

14 Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi

essent, nunc autem sancti sunt.

licet ipse nondum profiteatur Christum, tamen in uxore non horret Dei cultum. Nec enim totus Ethnicus est, & aliqua ex parte Christianus est, qui æquo animo convivit uxori, quæ Christi nomen profitetur, qui crucis signum communi lectulo præfixum videt æquis oculis. Nulli tam ægre cohærent, quam quos diversa separat religio. Hæc igitur spes retinere debet in convictu eam, quæ prior Christum amplexa est.

15 Quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi: in pace autem vocavit nos Deus.

15 Quod si divortium oriatur ab eo, qui nondum credidit, isque odio Christi repudiat uxorem, quando jam spes non est illius mutandi, non est cur amplius cum impio cohæreat. Excidit à jure matrimonii, qui Deum horret auctorem matrimonii. Neque enim Christo dicatum hactenus obstringit matrimonii fides, ut impium maritum assidue jurgantem, Christoque convitiantem ferre cogatur. Utatur igitur divortii libertate, quam ille dedit, ac tranquille Christo serviat. Nec enim ideo vocavit nos Deus ad Euangelicam vitam, ut in jurgiis, sed ut in concordia paceque vivamus. Proinde si non convenit inter impares, & divortium postulat incredulus, non hæreat invito uxor Christiana: sin convenit, spe mutandi mariti maneat uxor, ac vicissim spe mutandæ uxoris maneat maritus.

16 Unde enim scis mulier, si virum salvum facies? aut unde scis vir, si mulierem salvam facies?

16 Etenim quî scire potes uxor, an domesticis alloquiis*, an modestia suavitateque morum, an affectu conjugali sis effectura, ut resipiscat maritus, tecumque servetur? Aut quî scire potes marite, an his rationibus sis uxorem servaturus, & lucrifacturus Christo? Quod si contingit, an non ingens est lucrum? Si non succedit, tamen approbabit Deus bonam mentem tuam, quæ id studuerit. Sed interim dum incertum est successurum sit, nec-ne, bona spe cohæreat conjugium, nec mutet diversa religio vitæ statum. Nec enim baptismus vindicat uxorem à jure mariti, si is eo legitime utatur: nec servum à jure domini, si is quatenus fas est, eo utatur.

17 Nisi unicuique sicut divisit Dominus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet, & sicut in omnibus ecclesiis doceo.

17 Ut cuique sua sors obtigit à Deo, in ea Christo serviat. In quo quemque statu deprehenderit Euangelii doctrina, in eo perseveret. Religionis novitas veterem abolet vitam, non abrogat veterem statum, eo quod cum quovis conditionis genere conveniat Christianismo: qui nequaquam ob id inductus est, ut turbet publicum rerum humanarum statum, sed ut in omni statu sancte pieque vivatur. Hæc est mea sententia, quam non vobis solum, verum etiam omnibus Ecclesiis propono. Nec gravabimini sequi quod omnes amplectuntur.

18 Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus est? non circumcidatur.

18 Itaque si Dei vocantis afflatus deprehenderit te conjugatum, non est cur ideo rescindas matrimonium: si circumcisum, non est cur pigeat te tuæ sortis, & præputium velis accersere. Nihil enim officit præputium novæ religioni. Rursus si alienum à circumcisione, non est cur optes circumcidi.

19 Circumcisio nihil est, & præputium nihil est: sed observatio mandatorum Dei.

19 Nam quantum ad novatam religionem, nihil refert, circumcisus sis, an incircumcisus. Illud ex æquo refert utriusque, ut posthac non juxta cupiditates carnales, sed juxta jussa Dei, cui jam initiatus est, vitam agat.

20 Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.

20 Satis est vitam mutari, statum nihil necesse est, quod id absque rerum perturbatione fieri non queat.

21 Servus vocatus es? non sit tibi curæ: sed & si potes fieri liber, magis utere.

21 Quod de matrimonio, deque circumcisione dictum est, idem sentiendum de servitute. Quos Euangelica doctrina deprehendit obnoxios servituti, æquo animo ferant sortem suam, nec ideo se putent manumissos à jure dominorum, quod à tyrannide vitiorum sint manumissi. Rursus qui ingenuus vocatus est ad Christum, non est quod mutatum velit statum suum, ac semet in servitutem conjiciat. Quin potius illud agendum, ut si detur occasio, libertatem arripiat, ac mutet servitutem.

22 Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, servus est Christi.

22 Si dominus odio Christi rejicit servum, non est cur novum quærat herum. Nec est cur sibi displiceat, quod domino careat, cum Christum habeat patronum ex servo factus hujus libertus. E diverso, qui ingenuus natus, per baptismum renatus est, non est quod sibi vel displiceat, vel placeat conditionis nomine, cum is per baptismum factus sit servus Christi: ut rerum vicibus permutatis, libertas contigerit servo, servitus accesserit ingenuo, quo moderatius uterque suam sortem ferat. Sunt enim hæc ex eorum genere, ad quæ Christus veluti connivet. Arripiatur ansa commodior, si gravat servitus, hoc nomine te consolare, quod licet dominus qualecunque jus habeat in corpus, tamen animus exemtus à vitiis, Christo manumissus est.

23 Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum.

23 Si quid erigit animum ingenuitas, cogita te emtum à Christo, nec emtum pretio mediocri. Habes Dominum modis omnibus observandum, ne tibi putes esse liberum ex affectuum tuorum arbitrio vivere. Et qui debet servitutem homini, eatenus manumissus est per Christum, ut si quid impium jubeat dominus, Christo potius auscultet novo patrono, quam veteri domino, qui abusu jus suum perdidit. Æquum erat, ut quos Christus pretio sui sanguinis asseruisset in libertatem, non premerentur hominis dominio. Faveo libertati si contingat: nam Christi servitus vera ingenuitas est. Impio servire Christianum, videtur indignum. Et conveniebat, ut domino Christiano servi abeant in nomen & affectum fratrum ac filiorum ob communem Dominum, à quo communi pretio redemti sunt utrique.

24 Unusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum.

24 Verum ne prætextu religionis Christianæ turbetur ordo Reipublicæ, suam quisque sortem ferat, & in ea perduret, sed ita perduret, ut interea meminerit, Dei jussa hominum imperatis anteponenda. Parete dominis, sed approbante Deo, cui plus debetis, ut à quo pluris sitis redemti, quam ab istis emti. Quæ de servitute ac libertate dicta sunt, quadantenus locum habent in matrimonio & cœlibatu: nam qui matrimonii jugo semet implicuit, quodammodo servus est. At qui cœlebs vivit, huic liberius vivendi potestas est. Semper igitur id, quod commodius est, oportet sequi, si liceat. Nec enim usque adeo libertas est affectanda, ut hujus studio in gravioris periculi scopulum impingamus.

25 De virginibus autem præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis.

25 Itaque de hoc quod quæritis, an Christiani filias virgines elocare debeant, an veluti Christo sacras, in perpetua virginitate tenere domi, quo liberius ei serviant: licet non habeam Domini præceptum, ex quo vobis certo respondeam, habeo tamen consilium, quo suadeam quod mihi videtur optimum. Nec opinor vobis adspernandum meum consilium, quando mihi quoque delegata est auctoritas Apostolica, mihi quoque licet immerenti, contulit divina bonitas, ut ex ejus animo dem fidele ac salubre consilium, non spectans, quid in rem meam sit, sed quid vobis expediat.

26 Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse.

26 Arbitror igitur ob libertatem optandum esse, ut virgo nulli sese addicat nisi Christo: non quod negem sanctam & honestam rem esse conjugium, sed quod ob affinitates, ob curam educandorum liberorum, multum afflictionum ac sollicitudinum secum trahat. Hanc necessitatem, ac veluti servitutem effugit, qui abstinet à conjugio. Præstat igitur libertatem amplecti, si sit vel integrum, vel tutum. Integrum non est his, qui sese jam matrimonii vinculis implicuerunt: tutum non est iis, qui sibi non temperant.

27 Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem.

27 Proinde si jam alligatus es uxori, ne Christi prætextu quæras divortium. Si contingit tibi libertas, noli affectare matrimonii capistrum.

28 Si autem accepe-ris uxorem: non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit: tribulatio-

28 Quod si diffisus tuis viribus duxisti uxorem, non est quod te pœniteat, nihil enim sceleris admissum est. Rem curis obnoxiam, sed legitimam suscepisti. Nec ideo Christo deterior eris, quod uxorem habeas, sed afflictior, & curis mundanis magis obnoxius. Quin etiam si virgo malit esse materfamilias, non peccat si viro legitimo nupserit. Ni-

* Alia Editio, *colloquiis*.

Digitized by Google

nem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco.

hil est incommodi, nisi quod ob curas rei familiaris, minus liberum erit assidere sacræ lectioni, ac precibus, aut aliis officiis pietatis. Itaque dum utrumque vobis liberum facio, duplici nomine vobis parco. Qui potest carere conjugio, hujus libertati consulo: qui non potest, hujus periculo succurro. Laudo cœlibatum ut felicioremi, probo matrimonium ut tutius. Igitur hac de re quid quisque statuat, ipse viderit. Neque compello quenquam, neque veto, duntaxat in his, quæ Dominus nec exegit, nec interdixit.

29 Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve est: reliquum est, ut & qui habent uxores, tamquam non habentes sint:

29 Illud à vobis promiscue exigam, fratres, quando tempus hoc angustum est, quod imminet dies ille supremus, pro viribus ad ea properandum est, quæ nos in eum diem præparent, rejectis iis, quæ nos eo festinantes remorantur. Incertus est dies ille, sed certum est non procul abesse. Hunc qui cogitet semper instare, rebus fluxis ac momentariis levissime tangetur, sive quid molestum obvenerit, sive quid expetendum obtigerit. Nam ultimus ille dies adimet nobis utrunque. Adimet & mors, si forte diem illum prævenerit. Quorsum igitur attinet in iis, quæ mox peritura sunt, anxie distorqueri, aut magnopere gestire, cum res æternitatis agatur? Habeant uxores qui velint, sed habeant neglectim, perinde quasi non habeant, ita levius affliget matrimonii servitus, & levius remorabitur conjugii voluptas.

30 Et qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudentes: & qui emunt, tamquam non possidentes:

30 Quos fortuna rebus adversis premit, sic plorent, quasi non plorent. Quibus arridet fortuna hujus mundi, sic gaudeant, quasi non gaudeant. Qui mercantur, sic mercentur, quasi rem emtam non possideant, utpote mox auferendam, & velis nolis alio demigraturam.

31 Et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi.

31 Et quos casus aut necessitas involvit mundanis negotiis, sic utantur, quasi non utantur. Sit harum rerum postrema cura, prima cœlestium, si solam esse non licet. Umbras modo bonorum ac malorum mundus hic habet, in quibus neque solidum est quicquam, neque diuturnum, quibus hærere toto animo, non est eorum qui contendunt ad immortalitatem.

32 Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo.

32 Hæc ideo loquor, quod cupiam vos quam minimum distineri curis mundanis, atque hoc vitæ genus potissimum amplecti, quod vos quam minimum involvat profanis negotiis. Hac in parte potior est cœlibis, quam conjugati conditio. Siquidem qui cœlebs est, non distrahitur in diversas curas,

33 Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.

quomodo socero, socrui, quomodo cæteris affinibus, quomodo uxori ac liberis satisfaciat, unde victum familiæ in dies crescenti suppeditet, unde dotem evincat, sed totus vacat Christo, summam votorum adeptus, si illi uni placeat.

33 Contra qui duxit uxorem, ut ex parte Domino vacet, tamen aliquam sui partem debet uxori, ac rebus uxoriis. Itidem accidit in muliere. Uxor quoniam sui juris tota non est, non potest tota vacare Christo, sed in diversas curas dilecta, dimidiata servit Christo, dimidiata matrimonio.

34 Et mulier innupta, & virgo, cogitat quæ Domini sunt; ut sit sancta corpore, & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.

34 Rursus virgo aut mulier, alioqui cœlebs, unum illud curat, ut Christo sponso placeat, cui non aliter placet, quam si se totam castam & incorruptam servet, non corpore solum, verum etiam animo. At quæ nupta est, necesse habet, ut se Christo mundoque partiatur, ita satagens placere Christo, ut marito, cui debet obsequium, non displiceat.

35 Porro hoc ad utilitatem vestram dico: ut non laqueum vobis injiciam, sed

35 Totus autem hic sermo meus, quo cœlibatum effero, ne quis aliorsum vertat, huc tendit, non quo vobis libertatem adimam contrahendi, aut non contrahendi matrimonii, aut necessitate adigam in aliquod vitæ genus, quod cujusquam animo non sedeat: sed amico consilio vestris consulo commodis, ut cum sciatis utriusque jus esse vobis, ad id potius vergatis, quod præter decus honesti, libertatis quoque commodum habeat adjunctum, per quam cœlibi licet perpetuo studio cultuque sic adhærere Domino Jesu Christo, ut nullis terrenis sollicitudinibus unquam ab eo divellatur. Illud expendat quisque secum, an quod honorificum ac liberum videt, idem sibi judicet esse tutum, aut etiam ex animi sententia.

ad id, quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.

36 Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta, & ita oportet fieri: quod vult faciat: non peccat, si nubat.

36 Nam qui metuit, ne quid dedecoris aut infamiæ sibi contrahat, si filiam virginem, jam viro maturam, nec abhorrentem à nuptiis, ultra justum tempus domi clausam teneat: atque ita res suadet ut nubat, nihil obsto, quo minus faciat, quod videbitur facto opus. Quamvis enim matrimonium cum servitutis & sollicitudinis incommodis conjunctum diximus, tamen cum peccato non est conjunctum. Legitima res est & honesta, quibusdam etiam necessaria. Proinde palam ac mature jungat filiam virginem marito, ne furtim turpiter faciat, quod in conjugio abest à probro.

37 Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc judicavit in corde suo, servare virginem suam, bene facit.

37 Verum, si quis intelligens sibi liberum esse virginem elocare, aut non elocare, nec ulla ad utrumvis adigi necessitate, tamen ex animi sui sententia statuit ac decrevit servare domi virginem, quæ non optet nuptias, recte facit. Etenim ut non est tutum nupturientem à matrimonio arcere, ita pium non est, à castitatis studio votoque labefactare puellarem animum.

38 Igitur & qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit.

38 Itaque qui metu periculi nuptum dat volentem nubere, recte facit. At qui perpetuæ castitatis appetentem non impellit ad nuptias, sed honesto voto puellæ obsequitur, rectius facit. Nam præter honestatem, & hoc lucrifacit commodi, quod vacabit virgini, totam & indivulsam vacare sponso suo Christo. Nec enim in alium usum captanda est cœlibatus libertas. Apud Deum longe pulchrius est, in matrimonio quod necessariis curis subduci potest, consecrare divino cultui, quam virginitatis prætextu ad luxum, aut iners otium, vitæque licentiam abuti.

39 Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat: tantum in Domino.

39 Tantum igitur abest ut virgini primas nuptias negem, ut ne viduæ quidem jus adimam iterandi conjugii, cum secundis nuptiis nec mundus habeat honorem. Quid cuique expediat, non est meum singulatim præscribere. Hac parte suum quisque animum in consilium adhibeat. Quid citra delictum fieri possit ostendo. Virgini licet nubere, quia sui juris est. Semel nuptæ, non idem jus est, jam enim desiit sui juris esse, sed marito sese adstrinxit fœdere conjugii, donec ille vixerit. Sola mors dirimit hanc necessitudinem. Qui * enim init matrimonium, hoc init animo, ut sit indivulsa copula. Quod si diem suum obierit maritus, redit uxori superstiti postliminio sua libertas, ut si placeant iteratæ nuptiæ, nubat cuicunque velit, modo sit Christianum conjugium, hoc est, nec turpitudinis gratia affectatum, & cum ejusdem religionis viro contractum.

40 Beatior autem erit si sic permanserit, secundum meum consilium: puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam.

40 Attamen ut fateor non esse obnoxiam peccato, quæ concessas iterat nuptias: ita feliciorem arbitror, quæ studio vacandi Christo, tuetur redditam libertatem. Id igitur non præcipio quidem, ut necessarium, sed consulo, ut commodius. Hominis consilium audis, sed non abhorrens à mente Christi, qui multa per se, nonnulla per suos tradit. Hujus cum & Apostolus sim, &, ni fallor, Spiritum hauserim, ut Apostoli cæteri, non est quod meum consilium leve pondus apud vos habeat.

CAP. VIII.

Haud quidquam Idolum est: fac vero ne tua fratrem Perdat cognitio, dum male cautus, edis.

1 De iis autem, quæ idolis sacrificantur, scimus quia omnes

1 AD matrimonii quæstiones satis responsum arbitror, ne posthac super hisce rebus diversis opinionibus inter vos digladiemini. Nunc quoniam hoc quoque verti in quæstionem intelligo, fas-ne sit Christiano vesci carnibus pecudis idolis immolatæ, quas

* Alia Editio, *quisquis*.

Digitized by Google

ſcientiam habemus. Scientia inflat, charitas vero ædificat.

quas Ethnici pro ſacris habent, etiam ſuper hac re meam accipite ſententiam. Sunt inter vos, qui quod intelligunt ſimulacrum nihil aliud quam lignum, aut æs, aut ſaxum eſſe, proinde carnes huic immolatas re vera nihil à cæteris differre carnibus, nec animum hominis ullo cibi genere pollui poſſe, male freti ſua ſcientia, paſſim nulloque delectu ſeſe ingurgitant carnibus immolatitiis, bene quidem judicantes de re, ſed parum memores Chriſtianæ caritatis, quæ ſolet offendiculum omne vitare, ac ſemet accommodare infirmioribus, donec paulatim ad meliora proficiant. Quid autem magni eſt, ſi intelligant ſimulacra nihil habere numinis? Quis iſtud Chriſtianus non intelligit, quod intelligunt & inter Ethnicos paulo cordatiores? At ſæpenumero conſultius eſt ſequi, quod dictat caritas, quam quod dictat ſcientia. Scientia frequenter officit, ut quæ tumorem ac ſupercilium adferat.

2 Si quis autem ſe exiſtimat ſcire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oportet eum ſcire.

[2] At caritas ubique prodeſſe ſtudet, lædit neminem. Quanquam magna ſcientiæ pars abeſſe videtur iis, qui neſciunt quatenus ſit utendum ſcientia. Id præſcribit caritas, è proximi commodo metiens omnia. Hanc igitur in conſilium advocet oportet, qui vere ſcientia præditus videri velit. At qui caritatis expers, inani ſcientiæ perſuaſione tumet, tantum abeſt à ſcientia, ut nec illud etiam ſit aſſecutus, ut ſciat quatenus oporteat uti ſcientia.

3 Si quis autem diligit Deum, hic cognitus eſt ab eo.

[3] Quiſquis apud Deum ſapiens eſt, is vere ſapit. Etenim qui ſibi placet, ſuæque ſtudet gloriæ, neglecto fratris periculo, hujus ſcientiam non approbat Deus. Cæterum qui Deum vere diligit, & proximum diligat neceſſe eſt. Hunc igitur ut ſuum diſcipulum agnoſcit Deus, quippe qui quemadmodum ille ſuam ſublimitatem accommodavit ſervandis hominibus, ita ſuam ſcientiam ſubjicit, ac ſervire cogit commodo proximi.

4 De eſcis autem, quæ idolis immolantur, ſcimus quia nihil eſt idolum in mundo, & quod nullus eſt Deus, niſi unus.

[4] Igitur ut ad id, quod inſtitutum erat, recurrat ſermo: novimus plerique, quod ſimulacrum, licet adoretur ab Ethnicis, perinde quaſi numen habeat, re vera tamen nihil aliud ſit, quam lignum, aut ſaxum, neque plus habeat divinitatis, quam quivis arboris truncus indolatus, aut quodvis rude ſaxum: atque ideo carnibus huic immolatis nihilo plus ineſſe vel boni, vel mali, quam iis, quæ in macello veneunt. Nam quod ſculptum videtis ſaxum, ad hominis aut alterius animantis imaginem, cum unus ſit Deus, iſque ſimulacro careat, (nec enim effingi poteſt) quid eſt quod ſimulacrum repræſentet, niſi Dæmonia, quibus infelices pro Deo ſacrificant? Iſtos igitur polluunt hujuſmodi cibi, quos ut vere ſacros capiunt, cum ſint profani, Chriſtianum non polluunt, qui non veſcitur ut ſacris, ſed ut à Deo conceſſis, ad ſedandam famem. Neceſſitatis cauſa veſcitur, non religionis, irridens apud ſe ridiculam Ethnicorum Deorum turbam, ac certus nullum alium eſſe Deum, præter unum, cui ſacra ſunt omnia.

5 Nam etſi ſunt qui dicantur dii, ſive in cœlo, ſive in terra (ſiquidem ſunt dii multi, & domini multi:)

[5] Nam ut ſint alii, qui vocentur Dii, ſive in cœlo, quos illi cœlites vocant, ſive in terra, quos inferos illi dicunt, quod genus ſane ſunt Dii multi, ac Domini multi, nomine duntaxat ſunt Dii ac Domini, & in iis duntaxat tales ſunt, qui eos per errorem craſſiſſimum tales credunt, & in Deos ac Dominos adoptarunt.

6 Nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.

[6] Nobis autem Chriſtianis non eſt niſi unicus Deus, nimirum Pater ille Jeſu, conditor & auctor univerſi, à quo uno nobis proficiſcuntur omnia, cuique ſoli addicti, pio cultu placere ſtudemus. Unus item Dominus Jeſus Chriſtus, per quem unum omnia nobis contulit Pater, & cujus unius beneficio Deum verum agnoſcimus, ut jam cum falſis ac profanis Ethnicorum Diis, nihil omnino commercii ſit nobis, neque pluris æſtimari debeant, quam ſi omnino non ſint.

7 Sed non in omnibus eſt ſcientia. Quidam

[7] Itaque quiſquis robore Chriſtiano contemnit ſimulacrum, & ſimulacris immolatum, recte quidem ſentit, & recte veſceretur immolatitiis carnibus, perinde ut quibuslibet, ſi quod veriſſimum eſt, ex æquo perſuaſum aut perſpectum eſſet omnibus: nullus enim offenderetur. Nunc accumbunt in convivio, quibus ex majorum inſtitutis à prima pueritia perſuaſum ac penitus infixum eſt, ſimulacrum rem eſſe ſacram, & quicunque accumbunt in epulis, hujuſmodi ſuperſtitionis eſſe conſortes, neque credunt iſta tantopere poſſe contemni, quæ ipſi tantopere verentur ac metuunt. Hi quod tu judicio bonaque fide facis, ſic interpretabuntur, apud ſe loquentes: Non eſt tam exſecrabilis idolorum cultus, quandoquidem à ſacris noſtris non abhorrent Chriſtiani. Accumbit aut adſtat fortaſſis & Chriſtianus aliquis, qui licet Chriſto ſit initiatus, tamen nondum robore fidei perfectus eſt, ſed ex veteris inſtituti contagio, quod à majoribus imbibit ex diutina publicaque conſuetudine relictis veſtigiis laborat, atque immolatitiis carnibus, non ſine religione veſcitur, nonnihil ſperans aut timens, ne Dæmon ille, quiſquis eſt, aut proſit aliqua, aut officiat. Quid enim mirum, ſi hoc accidat Græcorum aliquibus, quod videmus pleriſque Judæorum accidere? Arduum eſt, penitus ac radicitus ex animis hominum revellere, quod illic primæ ætatis inſtitutio, quod publicus uſus, quod diutina conſuetudo fixit. Nemo repente fit plene Chriſtianus. Habet ut natura, ſic & religio gradus ſuos. Itaque quemadmodum ætate robuſtiores, natura magiſtra ferimus ac fovemus imbecilles: ita exemplo Chriſti, qui provectiores ſunt in fide, debent infirmioribus obſequi nonnunquam, donec progreſſu temporis, robur juſtum colligant. Verum ut hodie ſunt apud Hebræos Chriſtum profeſſi, qui tamen ob hauſtam à proavis religionem, non poſſint iſtiuſmodi contemnere, quamvis id palam & ſacri Vates futurum prædixerint, & Chriſtus ipſe fieri juſſerit: ita fuerunt apud Græcos primum illuceſcente Euangelio, quin & hodie ſunt, qui licet Chriſtum agnoſcant, tamen nondum penitus expulerint ex animo patriæ religionis horrorem: atque ita veſcuntur carnibus victimæ ſimulacris immolatæ, non quatenus habiles ſunt ad medendum latranti ſtomacho, ſed quatenus ſacræ ſunt, huic aut illi Dæmoni dicatæ. Hic cum te, quem exiſtimat doctrina judicioque præcellere, viderit cum Ethnicis in ſacris epulis accumbentem, ſuſpicans te non alio animo veſci, quam veſcatur ipſe, offenditur exemplo tuo, ac perperam imitatur factum, cujus animum ac judicium non perſpicit. Igitur qui paulo ante vacillabat, ac leviter erat ſuperſtitioſus, per occaſionem redditur ſuperſtitioſior. Non hæc dico, quod probem hujus vel ſuperſtitionem, vel ſuſpicionem. Etenim infirmitatem non collaudandam aut alendam, ſed ad tempus alicubi ferendam ac fovendam docet Chriſtiana caritas. Nec enim arbitror ubilibet obſecundandum infirmorum cupiditatibus. Quid enim hoc aliud eſſet, quam ſuperſtitionem in immenſum alere, & ſic obſequi infirmis, ut ipſe deſinas eſſe firmus? Docendus eſt infirmus ille, monendus eſt, arguendus eſt, qui cum debuerit infirmior auſcultare firmiori, tamen apud ſe judicat ac damnat meliorem ſe: & cum convenerit ex illius exemplo fidei robur colligere, confirmat animi ſui morbum: cumque magis oportuerit ad illius perfectionem eniti, cogit illum ad alienam infirmitatem deſcendere. Verum ſi non * capax eſt qui monetur, Chriſtianæ pietatis arbitror, ut qui firmior eſt, obſequatur aliquantiſper imbecilli, ſed profecturo; præſertim in hujuſmodi negotio, in quo duo peculiaria ſunt expendenda: primum ſuperſtitionis affectum, quem hauſtum una cum lacte longi temporis conſuetudo confirmavit, rem eſſe pene inexpugnabilem, ad hæc nullum periculum formidabilius idololatriæ periculo. Sed infirmiorum cauſam alias agemus. Interim quoniam in hanc partem video frequentius peccari inter vos, illud potius agendum, ut arrogantem, & caritatis expertem ſcientiam retundamus.

autem cum conſcientia uſque nunc idoli, quaſi idolothytum manducant: & conſcientia ipſorum cum ſit infirma, polluitur.

* Alia Editio, *nondum*.

Digitized by Google

8 *Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si manducaverimus, abundabimus: neque si non manducaverimus, deficiemus.*

8 Approbo quod dicis, esca non commendat nos Deo. Cum enim Deus universa creaverit ad usus humanos, neque quicquam à nobis exigat præter vitæ pietatem, quid illius refert, piscium, an quadrupedum, an volatilium carnibus vescamur? nihil enim horum, pietati quicquam vel addit, vel adimit. Horum delectus superstitiosum facere potest, pium nequaquam, Christus nullum horum discrimen docuit. Proinde temeritatis sit, si quis homunculus conetur quenquam hujusmodi constitutionibus onerare. Pro suo quisque corporis affectu vescatur quibus velit, modo sobrie parceque, super omnibus gratias agens Deo, nec damnans quenquam, qui diversis vescitur, nec sibi placens, quod ob corporis commoditatem illis, aut illis non vescatur. Verum, in aliis non perinde magnum periculum est, hîc ubi summum est, dandum est aliquid infirmitati quorundam. Sive vescaris iis, quæ sunt immolata simulacris, nihilo fueris impurior, sive non vescaris, nihilo fueris sanctior.

9 *Videte autem ne fortè hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis.*

9 Verum, illud interim cavendum, ne ista quibuslibet vescendi potestate sic utamini, ut infirmis præbeatis occasionem ruinæ.

10 *Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem: nonne conscientia ejus, cùm sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta?*

10 Quidni id futurum sit, si quis hac superstitione nonnihil adhuc infectus conspexerit te, qui judicio doctrinaque videris antecellere, una cum cæteris, qui sacrificarunt simulacro, in communibus epulis accumbentem, ac licet dissimili animo, tamen non dissimili specie vescentem? Nonne hujus animus suapte sponte propensus ad pristinam superstitionem, exemplo tuo fulcietur, & incitabitur ad idololatriam, ut quibus tu bona firmaque fide veseeris, ac tranquilla conscientia, hic insincera conscientia vescatur? Quid tum postea, inquies?

11 *Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est?*

11 Videlicet periculum est, ne per occasionem tuæ firmitatis pereat frater infirmus, quamlibet infirmus, sed tamen frater, hoc est, Christianus, quem adeo non contemsit ipse Christus, ut pro eo servando non gravatus sit mori. Christus pro infirmis suam vitam vilem habuit; & tibi fratris tui salus adeo pro nihilo est, ut ob viliissimum cibum negligas illius periculum? præsertim cum non desit, quo citra fratris offendiculum possis explere ventris necessitatem?

12 *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.*

12 At ne leve putetis crimen, peccare in hominem, quoties ad istum modum offenditis infirmos, exemplo suspecto vulnerantes illorum imbecillem conscientiam, & Christum ipsum offenditis. Quantumvis pusilli sunt, quantumvis imbecilli, agnoscit tamen hos Christus ut sua membra, in his sese lædi putat; quod his impensum est officii, patitur imputari sibi.

13 *Quapropter si esca scandalizat fratrem meum: non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.*

13 Nec abs re tantopere monuit cavendum ab offendiculo pusillorum. Nemo me magis intelligit in cibis nullam esse portionem vel pietatis, vel impietatis, sed tamen si sensero periculum fore, ne frater adhuc superstitiosior, per occasionem pertrahatur ad vescendum his, quibus irrequieta conscientia vescitur, citius per omnem vitam in totum ab esu carnium abstinuero, quam committam, ut mea causa periclitetur Christi membrum. Non polluit vescentis firmam conscientiam cibus immolatus simulacro, fateor. Sed sic vescentem polluit fraterni periculi neglectus, quem æque diligere jubemur, atque nos ipsos.

CAP. IX.

Jura mea haud posco liber: verum omnia fio:
In stadio curro: membraque subjicio.

1 *Non sum liber? Non sum Apostolus? Nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi? Nonne*

NON est igitur quod quisquam queratur adimi sibi jus rei concessæ. Non semper spectandum quid liceat, sed quid expediat: neque protinus faciendum quod possit defendi, sed illud potius sequendum, quod suaserit Christiana caritas, quæ non studet suis commodis, sed alienis. Alioqui quam multæ res sunt, in quibus meo jure non sum usus. Non mihi deerat judicium, intelligebam quid mihi liceret, sed potius fuit, quid vobis expediret. Permulta feci, quæ sciebam ad pietatem nihil habere momenti, quo placarem eos, quos nolebam alienari à Christo. Permulta non feci, quæ mihi facere licuisset, nisi diversum suasisset vestra utilitas. Quid enim? An non sum Apostolus, quemadmodum cæteri, qui hoc titulo gloriantur? Nonne jussu Christi missus sum ad Gentes? Quod si æque sum Apostolus atque alii, quî minus mihi jus est Apostolicæ potestatis? An non & mihi datum est videre Dominum nostrum Jesum Christum, si cui magnum, ut est, videtur, quod aliis à resurrectione sit conspectus? Quod si ex iis, quæ præstiterunt, ac rebus præclare gestis æstimentur Apostoli, quid est quod vel hîc in me desideretur? An non facinus est Apostolicum, Corinthum olim sic addictam mundanis cupiditatibus Christo lucrifacere? Atqui hoc facinus opitulante Domino per me designatum est.

opus meum vos estis in Domino?

2 Et si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum: nam signaculum Apostolatus mei vos estis in Domino.

3 Mea defensio apud eos, qui me interrogant, hæc est.

4 Numquid non habemus potestatem manducandi, & bibendi?

2 An Judæis sim Apostolus, ipsi viderint, qui Christum cum Mose studeant commiscere. Certe vobis Apostolus sum, qui meo suasu Christo creditis, qui sensistis vim divinam adesse meo sermoni. Vos igitur meum opus estis, si facta requiruntur. Licet quicquid hîc laudis est, Christo debetur, non mihi. Nonne vos estis diploma meum, per quod docere possim, ad Christi gloriam mihi delegatam Apostolicam functionem?

5 Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?

3 Ita soleo respondere iis, qui rogitant, quo argumento me declarem Apostolum.

6 Aut ego solus, & Barnabas, non habemus potestatem hoc operandi?

4 Si per me factum est in vobis, quicquid usquam per summos Apostolos effectum est in aliis, quî minus sum Apostolus quam illi? Quod si par est mihi cum illis Apostolicæ functionis vel auctoritas, vel fructus, quid vetet, quo minus pari cum illis jure utar, & æqualis aut fortassis superior in laboribus, æqualis sim & in præmiis? An solis nobis jus non erat edendi, bibendique sumtu eorum, quibus Euangelium prædicamus?

7 Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?

5 An solis nobis fas non est, Christianas matronas circumducere, quæ de suo nobis quæ vitæ sunt necessaria suppeditent, quod faciunt Apostoli, non quilibet, sed Apostolorum summates, fratres Domini, qui vocantur Jacobus & Joannes, quin ipse etiam Cephas, cujus prima est inter Apostolos existimatio.

8 Numquid secundum hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit?

6 An uni mihi & Barnabæ, quia non idem facimus quod illi, non videtur idem esse jus in otio vivendi, & alieno sumtu prædicandi Euangelium? Opes ex Euangelio adeo non venamur, ut quod alioqui justissimum erat, ne simplicem quidem ac frugalem victum gratis acceperimus.

9 Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo?

7 Quis unquam in bello suis militat stipendiis? Quis colit vineam, ut non edat de proventu vineæ? Quis pascit gregem, non interim edens de lacte gregis? In omni officio, sumtus ab eo suppeditatur, cui datur opera.

10 An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt: quoniam debet in spe, qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi.

8 Quid? an hæc humanis duntaxat argumentis asservo? Nonne quod naturæ ratio dictat, idem & sacra Lex jubet?

9 Siquidem Mosaica Lex vetat, ne quis obliget os bovi, cum ad trituram circumducitur; quod inquum sit non inde suppetere pabulum in quo laboratur. Sed dixerit aliquis: Quid istuc ad Apostolos? An probabile est Deum hac lege Bubus tantum cautum ac prospectum voluisse? an potius aliquid altioris sententiæ latet, quod ad nos pertineat? Adeo Deus non vult operarium fraudari suo victu, ut ne Bubus quidem id fieri voluerit.

10 Proinde non tam Boum, quam nostra causa scriptum est hoc, ut quisquis laboriosam agricolationem exercet in segete Domini, non fraudetur spe præmii sui: & qui trituram exercet in area Domini,

Digitized by Google

ni, præter ſpem æterni præmii, præſentis etiam mercedis ſolatio laborem leniat.

11 Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus?

11 Neque vero magnum eſſe putetis, ſi nos, cum vobis contulerimus ea, quæ ad vitam attinent immortalem, viciſſim à vobis accipiamus quod ad hujus vitæ neceſſitatem pertinet, & cum vobis ſpiritualia ſeminaverimus, veſtra carnalia recipiamus. Non habet cur imputet ſuum beneficium, qui pro rebus pretioſiſſimis viliſſimas commutat. Non ſumus vobis obnoxii, ſi victum à vobis oblatum recipiamus, ſed vos ingrati, ſi victum negaveritis iis, qui veſtris commodis deſudant.

12 Si alii poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos? Sed non uſi ſumus hac poteſtate: ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti.

12 Quod ſi hoc jure apud vos uſi ſunt, & utuntur Apoſtoli qualeſcunque, (nihil enim interim de his pronuntio) quanto juſtius nos, qui & omnium primi, & omnium maxime vobis laboravimus, hoc jure poteramus uti? Et tamen ſcientes ac prudentes non ſumus uſi jure noſtro, non quin liceret, aut quia nobis aliunde ſuppeteret, quin potius in gravi rei familiaris inopia nihil non pertulimus, ne quid exſiſteret, quod Euangelicæ doctrinæ profectum interrumperet.

13 Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt: & qui altari deſerviunt, cum altari participant?

13 Alioqui niſi magis ſpectaſſemus veſtram ſalutem, quam noſtrum emolumentum, ſciebamus vobis notiſſimum eſſe, quod ut apud Græcos, qui ſacrorum miniſtri ſunt, è ſacrificio victum habent, ita apud Judæos, qui aſſiſtunt altari, participes ſunt altaris.

14 Ita & Dominus ordinavit iis, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio vivere.

14 Neque ſecus ordinavit Dominus Jeſus, videlicet ut qui prædicant ac docent Euangelium, his ex Euangelio victus ſuppeditetur. Nam ſimplici victu contentus eſſe debet etiam is, qui in Euangelico negotio fidelem navat operam. Abſit enim ut quiſquam ex ea re coacervet divitias, quæ docet divitiarum contemtum.

15 Ego autem nullo horum uſus ſum. Non autem ſcripſi hæc ut ita fiant in me: bonum eſt enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet.

15 Videtis quot nominibus, quot argumentis mihi licuerit facere, quod cæteri faciunt, & tamen nihil horum me commovit, ut à vobis quicquam acciperem. Nec eſt animus id unquam in poſterum facere, ne quis arbitretur in hoc tantum argumentorum à nobis adductum eſſe, quo, quod antehac non feci, poſthac excuſatius faciam. Adeo me non pœnitet hujus animi, ut citius emoriar fame, quam committam, ut quiſquam hanc mihi adimat gloriam, quam ſemel amplexus mordicus tuebor.

16 Nam ſi euangelizavero, non eſt mihi gloria: neceſſitas enim mihi incumbit: væ enim mihi eſt, ſi non euangelizavero.

16 Neque enim mœrens hæc perfero, quin potius voluptati eſt, & gloriæ mihi duco, quod gratis prædicem Euangelium, quando ſic expedire video veſtræ ſaluti, ut & vos meo exemplo nonnunquam & à licitis temperetis, ubi poſtularit aliorum utilitas. Etenim ſi more cæterorum Euangelium prædicem, non eſt quod glorier. Injunxit Dominus hoc officii, cui parere, velim nolim, oportet. Nihil igitur laudis eſt, ſi delegato fungar officio: ſed contra, paratum ſupplicium, ſi ceſſarim in Euangelii prædicatione.

17 Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: ſi autem invitus, diſpenſatio mihi credita eſt.

17 Si volens & injuſſus prædicaverim Euangelium, erit à Deo præmium promtæ voluntati: ſi invitus, tamen peragendum quod delegatum eſt. Concreditum eſt Euangelium, non ut apud me conditum ſervem, ſed ut Gentibus impartiam. Si communico, rem Domini, non meam communico: ſin minus, Domino facio injuriam, cujus talentum, quod ille volebat uſuris creſcere, ſterile apud me detineam.

18 Quæ eſt ergo merces mea? Ut Euangelium prædicans, ſine ſumptu ponam Euangelium, ut non abutar poteſtate mea in Euangelio.

18 Sed dixeris, ſi pœna manet non fungentem officio ſuo, nec præmium eſt fungenti, quid igitur eſt, ô Paule, unde tu gloriaris? Videlicet, hinc laus debetur, ſi quis ultra quam juſſus eſt, præſtet officium. Præcepit Dominus Euangelium prædicare, at non præcepit, ut gratis noſtroque cibo prædicaretur, imo jus fecit, ut ederemus ac biberemus de iis, quæ offerrent ii, quibus Euangelium traderemus. Quod igitur ille licitum eſſe voluit, ipſe mihi nolui licere. Nec uſus ſum poteſtate conceſſa, quod intelligerem magis in rem veſtram, & in rem Euangelii eſſe, gratis vobis impertiri doctrinam Euangelicam, quo major eſſet vos admonendi libertas: planeque perſpicuum eſſet, me non facere quod quidam faciunt, qui ad quæſtum docent, ſuum agentes negotium, non Jeſu Chriſti.

19 Nam cum liber eſſem ex omnibus, omnium me ſervum feci, ut plures lucrifacerem.

19 Jam quemadmodum hîc jure meo non ſum uſus, ita alibi me ſubjeci, velut adſtrictus ad ea, ad quæ non eram obligatus. Etenim cum neque Gentium legibus ſim obnoxius, & per Euangelii gratiam à Lege Moſaica liberatus, tamen ultro, velut obſtrictus, omnibus obſervio, quo plures lucrifaciam Domino meo.

20 Et factus ſum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrarer.

20 Itaque Judæis memet accommodavi, nonnunquam ſuſcepto voto, raſoque capite, item circumciſo Timotheo, perinde quaſi vere Judæus eſſem, cum ſcirem abrogatam eſſe Legem Moſaicam: ut quibus nondum eximi poterat patriæ Legis ſuperſtitio, eos obſequio meo blande pellicerem ad Chriſtum, aut certe ne graviter offenſos alienarem à Chriſto. Apud hos igitur, qui ſe Legi putabant obnoxios, ſic me geſſi, quaſi forem & ipſe obnoxius.

21 Iis qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem (cum ipſe non eſſem ſub lege) ut eos, qui ſub lege erant, lucrifacerem: iis qui ſine lege erant, tamquam ſine lege eſſem (cum ſine lege Dei non eſſem: ſed in lege eſſem Chriſti) ut lucrifacerem eos, qui ſine lege erant.

21 Rurſus apud alios, qui liberi ſunt & immunes à Lege Moſaica, ſic geſſi me nonnunquam, quaſi & ipſe nulla Lege tenerer, cum prorſus apud Deum non caream Lege, ſed obnoxius ſim Legi Chriſti, quam ego longe præfero Moſaicæ. Et tamen juxta ſpeciem ad horum captum & affectum memet accommodavi: velut apud Athenienſes non protinus odioſe vociferans in Deos illorum, quos magna ſuperſtitione colebant, ſed ex aræ inſcriptione captans occaſionem inſinuandi Chriſtum: de quo primum ſic temperavi ſermonem, ut eximium quendam hominem fuiſſe docerem, ac velut ob egregie geſta in Divos relatum, non Deum & hominem aſſeverans, quod hujus myſterii ſcirem illos nondum eſſe capaces. Quin ex ipſorum etiam Auctoribus adduxi teſtimonia, nihil non faciens, quo poſſem illos ad Chriſtum allicere. At nihil horum mea cauſa feci, nihil vitio levitatis, ſed ſtudio dilatandi Euangelii.

22 Factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.

22 Poteram uti firmitate mea, meique ſimilis eſſe, ſed malui, quod mihi quidem erat inutilius. Cæterum magis expediebat Euangelio, ut memet ad alienam infirmitatem attemperarem, perinde quaſi ſimili tenerer imbecillitate, quo lucrifacerem infirmos. Quid multis? Apud quoſvis in quamvis ſpeciem me verti, ut nuſquam non ſervarem aliquos, in omnium animos irrepens obſequio.

23 Omnia autem facio propter Euangelium, ut particeps ejus efficiar.

23 Non eſt hoc obſequium blandientis, quo vos captant quidam: at ſit ſane, ſi quicquam à vobis præmii vel cepi, vel captavi. Euangelii negotium ago, non meum: Domini lucrum venor, non meum. Ab hoc uno præmium exſpecto, ſi rem ex illius ſententia geſſero. Inſigne præmium non contingit, niſi inſigni virtuti. Huc enitendum in Euangelico ſtadio, ut non ſolum officio functi videamur, verum etiam palmam gloriamque feramus.

24 Neſcitis quod ii qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit brabium? Sic currite ut comprehendatis.

24 An non videtis in vulgaribus ſtadiis, in quibus propoſito præmio, curſu certatur, certamen eſſe multorum, ſed uni tamen decerni præmium, qui primus omnium metam attigerit. Ne ſit igitur vobis ſatis, utcunque veſtro fungi officio, ac pœnam effugere: ad ſumma pro viribus enitendum eſt, atque ita currendum in Euangelico ſtadio, ut laudem apud agonothetam Deum aſſequamini.

25 Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam.

25 Hujus gratia nihil non & ferendum & faciendum. Multa toleranda, licet dura, modo conducant ad hoc præmium: à multis temperandum, licet alias licitis, ſi palmam remorentur. Ad metam properanti, quicquid obſtat vitandum eſt. Turpe eſt, ſi nos ſegnius pro tanto brabeo certamus, quam vulgus hominum pro vili præmio. Nam quiſquis certat in popularibus iſtis certaminibus, à cibis, à voluptatibus, aliiſque multis rebus per ſe ſuavibus, ſe continet, quod ad victoriam ſint inutiles: multa tolerat, licet inſuavia, moleſtiam omnem negligens, modo contingat palma, quam unam ſpectat. Quod ſi iſti nihil non tum faciunt, tum patiuntur, quo ridiculum plebis applauſum, quo laudem ab homine, quo vile præmiolum auferant, quanto magis

Digitized by Google

gis par est eadem facere nos, quo plausum ab Angelis, laudem à Deo, & æternum immortalitatis præmium consequamur? Tanta res cum agatur, an cibus interim vilissimus, aut simile quicquam nos ab instituto cursu remorabitur? Ipsi videritis, quo modo geratis vos in hoc pulcherrimo certamine.

26 Ego igitur sic curro, non quasi incertum: sic pugno non quasi aerem verberans:

27 Sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.

26, 27 Ego certe curro non segniter, ut solent ii, qui ad nullam certam metam properant. Sic pugilem ago, non quemadmodum solent, qui per lusum pugnis aerem feriunt, sed modis omnibus veris incommodis subigo corpus meum, sic assuefaciens, ut domitum obsequatur spiritui: utque quoties postularit Euangelii negotium, & facile temperet à licitis, neque gravate ferat, si quid est molestum: ne mihi veniat usu, quod quibusdam accidit, ut cum præconio meo alios ad hoc certamen evocarim, ipse nihil laudis in eodem assequar. Cumque aliis ad laudis studium stimulos addiderim, ipse discedam illaudatus. Certissima spe præmiorum certo, neque quicquam alios doceo sermone, quod ipse vita non præstem.

CAP. X.

Cur Patres puniti sint: idola cavete: De poclo Domini: vendita cuncta licet.

1 Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt;

1 Ac totus hic sermo meus huc tendit, ne nobis sufficere putemus ad salutis brabeum obtinendum, quod per baptismum cooptati sumus in familiam Christi, quod hujus beneficio exemti à vitiorum tyrannide, libertati simus restituti, nisi posthac ab omni turpium cupiditatum commercio fuerimus immunes. Baptismus communis est omnium, at præmium non erit omnium commune. Proinde nolim hoc vos latere fratres, quod in nostris proditum est libris: Majores nostros, cum Pharaonis tyrannidem duce Mose fugerent, omnes ex æquo nubis divinitus obtentæ protectu fuisse defensos ab æstu Solis, omnes æque per discissas maris undas pedibus iter feciss̄e, ac fere quicquid donorum in nos collatum est per Christum, id in illis quodammodo præcessisse.

2 Et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube, & in mari:

3 Et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt,

4 Et omnes eumdem potum spiritalem biberunt: (bibebant autem de spiritali, consequente eos, petra: petra autem erat Christus)

2 Nos auctore Christo baptismus eximit à vitiorum tyrannide: illi dum ductu Mosi, tecti nube, mare, quod ad ictum Mosaicæ virgæ dissiliit, transeunt, suo quodam modo baptizati sunt, nostrum baptismum adumbrantes.

3, 4 Nos quotquot baptismo purgati sumus, ex æquo sacrosancti corporis cibo vescimur, de calice mystico bibimus omnes. Similiter & illi manna cœlitus demissum edebant omnes. De latice, quem ictu virgæ Moses elicuit è saxo, æque bibebant omnes. Neque tamen hæc vulgari more, aut fortuito gesta sunt, Christus hæc in illis tum præludebat, quæ nobis palam ac vere præstitit. A Christo manna illud depluebat, Christi vis, quæ nusquam suis non adest, siccum ac sterile saxum aquæ fœcundum reddidit. Christus erat, qui suos tantis beneficiis, tantoque honore dignabatur.

5 Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto.

5 Honos & beneficium erat omnium commune, sed non omnes eo, quo destinatum erat, pervenerunt. Nihil profuit effugisse Ægyptum, si Ægyptum secum extulerant. Nihil profuit veterem exsuisse servitutem, si postea suis cupiditatibus turpius quam Pharaoni serviebant. Imo hoc magis illos oderat Deus, quod prioribus erratis etiam ingratitudinis crimen addidissent. Itaque variis malis afflicti vindice Deo, prostrati sunt in deserto, nunc incendio, nunc gladio, nunc lue, nunc serpentium incursu.

6 Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt.

6 Sed quemadmodum illorum fuga, nostrum baptismum adumbrat, ita illorum supplicium nobis exemplo est, ne baptismo freti, vitam agamus baptismo indignam: ut nec per luxum, noxiarum carnium desiderio, animo redeamus in Ægyptum, quemadmodum illi magno suo malo fecerunt, fastidito manna.

7 Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis: quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.

7 Neque per stultitiam atque intemperantiam ad idolorum cultum relabamur, aut relapsi videamur, quod illis accidit, cum Vitulum fusilem neglecto Deo colerent, ritu profanarum Gentium. Sic enim scriptum est in Exodi volumine: *Mactatis victimis, sedit populus ad edendum & bibendum, ac saturati surrexerunt ad ludendum.* At mox ultore Deo cæsa sunt viginti tria millia.

8 Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt una die viginti tria millia.

8 Neque rursus turpiter commisceamur scortis impiorum, quemadmodum illi cum Moabitarum scortis sese miscuerunt. Sed irritato Deo conciderunt uno die viginti quatuor hominum millia.

9 Neque tentemus Christum: sicut quidam eorum tentaverunt, & à serpentibus perierunt.

9 Neque diffidentes per impatientiam tentemus Christum, sicut quidam illorum eum tentaverunt, impio murmure provocantes ad iram, & immissis igneis serpentibus exstincti sunt.

10 Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore.

10 Neque obmurmuremus Christo, Christique ministris, quemadmodum quidam illorum Deo ac Moysi obmurmurarunt, inita conspiratione duce & auctore Chore, quo tempore perierunt quatuordecim hominum millia, exceptis his, quos terra dehiscens absorbuerat vivos.

11 Hæc autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt.

11 Atque hæc quidem acciderunt priscis illis, quorum memoria prodita est per annales majorum. Verum, quicquid illis accidit, non temere accidit, sed magis ad exhibendum exemplar, quid nobis sequendum sit, aut fugiendum, qui in hanc ultimam ætatem mundi incidimus. Illi quoniam ad luxum, ad idololatriam, ad turpes lusus, ad scortationem, adque alios morbos, quos hauserant ex Ægyptiorum contubernio, redibant, exciderunt à gratia Dei: nec profuit exemtos fuisse, quia non responderunt Dei beneficiis. Quin hodie nullum hominum genus longius rejectum est à Deo, quam Judæorum. Nobis quo pluribus Dei beneficiis ad innocentiam provocati sumus, hoc magis est metuendum, ne gravissimas pœnas demus Christo, si per baptismum semel elapsi ab Ægypto, sub titulo Christi mores obtineamus Ægypto, non Christo dignos.

12 Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat.

12 Proinde ne quis sua firmitate male fretus contemnat infirmos: aut baptismo fretus, sibi promittat salutem, nisi vitam adjungat baptismo dignam. Sibi placebant & illi, quod è tot exemti periculis, Deo peculiariter curæ essent: & tamen hoc gravius in illos animadversum est, quod semoti à profanis gentibus, in illorum tamen mores recidissent. Nemo sibi tuto fidit. Imo qui stat, huic maxime cavendum ne cadat. Tutissimum autem semper ad meliora progredi, nec ulli gradui fidere.

13 Tentatio vos non apprehendat nisi humana: fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere.

13 Multa incidunt arte Satanæ, quæ nos alienent à Christo. Neque vero sum usus his horrendis exemplis, quod simile periculum vobis metuam. Peccatum est hactenus à vobis, & nonnihil à puritate Christiana deflexistis, sed adhuc humanum ac sanabile malum video. Imo confido futurum ut Deus non patiatur vos eo prolabi, ut sitis prorsus inferiores malis vos sollicitantibus: verum etiamsi patietur incidere malorum quippiam, sic temperabit eventum, ut possitis sufferre. Fortasse sunt inter vos qui nos ob tenuitatem negligunt, & aliis Apostolis ob strepitum & blandiloquentiam magis favent, sed nondum perventum est ad seditionem Chore. Sunt qui nimium licenter intersunt sacris epulis impiorum, sed nondum eo prolapsi mores, ut ipsi simulacris immolctis, verum, in confinio periculum est.

14 Propter quod charissimi mihi, fugite ab idolorum cultura:

14 Quapropter, filii carissimi, modis omnibus resilite à cultu simulacrorum. Quisquis cum illis vescitur, ut maxime firmus sit animo, tamen speciem de se præbet, quasi consentientis illorum superstitioni.

15 Ut prudentibus loquor, vos ipsi judicate quod dico.

15 Non est quod vobis hæc multis verbis persuadeam, cum ipsi pro vestra prudentia rem probe teneatis. Vos ipsi judicate, num verum sit quod dico. Quid commercii tam sacris epulis nostris, cum illorum profanis sacris? Videtur agnoscere communem religionem, qui communibus cibis vescitur.

16 Non-

Digitized by Google

16 *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?*

16 Nonne poculum illud sacrum, quod nos in memoriam mortis Christi cum actione gratiarum sumimus & consecramus, consortium arguit, quod pariter sanguine Christi sumus redemti? Rursus sacer ille panis, quem exemplo jussuque Christi partimur inter nos, arguit fœdus, ac societatem summam inter nos, velut iisdem Christi sacramentis initiatos.

17 *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.*

17 Panis ex innumeris granis sic conflatus est, ut discerni non possint. Corpus sic ex diversis membris constat, ut inter omnia sit societas inseparabilis. Nos igitur cum ejusdem panis participes simus omnes, declaramus nos quamlibet multi simus numero, tamen animorum consensu unum panem, & unum esse corpus.

18 *Videte Israel secundum carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?*

18 Ita qui profanarum epularum participes sunt, videntur agnoscere societatem superstitionis. Videte an non idem habeatur apud istos, qui juxta Mosi Legem adhuc victimas immolant. Non admittunt ad immolatæ pecudis esum nisi Judaicæ religionis consortes: & qui vescuntur sacris, sacrificiis item illorum assentiri videntur.

19 *Quid ergo? dico quod idolis immolatum sit aliquid: aut quod idolum sit aliquid?*

19 Quorsum hæc, inquiet aliquis: An negas Paule, quod paulo ante confirmasti, simulacrum nihil esse, & quod simulacro sit immolatum, nihil esse.

20 *Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum:*

20 Haud nego, verum, illud dico, victimas, quas immolant Gentes, Dæmoniis immolant, non Deo. In rebus ipsis nihil est discriminis, animus discrimen facit. Illi Dæmones pro Diis habent, & horum numen Statuis inesse putant. Itaque qui cum illis immolatitiis vescitur, erroris impii socius esse videtur. Nolim autem vos semel Deo consecratos, fieri consortes Dæmoniorum.

21 *Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.*

21 Qui pietatem profitetur, abnegat impios cultus. Non competit in eundem tam diversa religio. Nec potestis simul bibere de sacrosancto poculo Christi, & exsecrabili poculo Dæmoniorum. Nec potestis mensæ Dominicæ participes esse, simulque mensæ Dæmoniacæ, si res agatur vel cum animi consensu, vel cum ingenti offensione infirmorum. Nihil convenit inter Christum & impios Dæmones: utrisque serviri simul non potest, nisi cum insigni contumelia Christi.

22 *An æmulamur Dominum? Numquid fortiores illo sumus? Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.*

22 Num hunc igitur data opera provocamus, cum hostibus illius inito consortio? Nulla atrocior contumelia. Num illo fortiores sumus, ut irritati Domini non metuamus ultionem? Absit, ut quisquam vestrum hoc sit animo. Sed idololatria res est usque adeo exsecrabilis, ut oporteat nos non solum ab ipso crimine, verum etiam à suspicione criminis longissime abesse. Hæc persuasio ferme infixa est animis omnium, religionis esse consortium iis, qui simul vescuntur immolatitiis. Res quidem ipsa vitio caret, sed ex opinione nascitur offendiculum. Quod hîc certe, si alias usquam, vitandum est.

23 *Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.*

23 Quod ad cibos attinet, nihil mihi non licet, at non quidvis expedit proximo, cujus gratia nonnunquam & à licitis temperandum est. Nihil mihi non licet, at non quidvis conducit aliis ad pietatem.

24 *Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius.*

24 Porro Christiana caritas dictat, ne quis suis commodis privatim serviat, sed potius commodis alienis. Utatur quisque suo jure, sed si id cum fratris periculo futurum sit, magis perpendat, quid illi expediat, quam quid ipsi liceat.

25 *Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* 26 *Domini est terra, & plenitudo ejus.*

25 Alioqui quicquid vendi solet in macello, promiscue edite, nihil interrogantes, immolatitium sit an secus, idque propter conscientiam. Vitandum enim est offendiculum, si incidat, non accersendum.

26 Nihil hujusmodi rerum per se impurum est, propterea quod omnia Domini sunt. Neque potest impurum esse, quod ab illo conditum est in usus hominum: sicuti testatur & Psalmographus: *Domini*, inquit, *est terra, simulque quicquid usquam terra continetur.* Ab animis oritur impuritas, non à cibis.

27 *Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire: omne, quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.*

27 Itaque si quis à Christo alienus ad cœnam vocat, & alioqui visum est ire, quicquid in mensa vobis apponitur, edite, nihil dijudicantes, aut interrogantes, immolatitia sint, nec-ne, quæ apponuntur, ne quid offendatis conscientiam.

28 *Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est idolis: nolite manducare, propter illum qui indicavit, & propter conscientiam:*

28 Porro si quis vobis ultro dixerit, hoc simulacris immolatum est, ne vescamini, non vestra causa, sed ejus qui admonuit immolatitium esse, ne quid offendatis conscientiam: conscientiam, inquam, non tuam, quæ sincera est ac firma, sed illius alterius, qui sentire videtur, non esse fas Christianis vesci carnibus immolatitiis. Et periculum est, ne huic vel amici Dæmonum, vel lurcones videamini, atque ita secum cogitet: Quantumvis verbotenus abominantur Deos nostros Christiani, tamen non abhorrent ab immolatitiis carnibus, haudquaquam facturi si nostram religionem tam exsecrarentur animis quam verbis.

29 *Conscientiam autem dico non tuam, sed alterius. Ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conscientia?*

29 Hujus igitur conscientiæ consulendum est, & consuli potest non magno negotio. Errat ille, sed cedendum ad tempus errori, quem non possis tollere. Christus in his summam libertatem nobis esse voluit, qui nullum cibi genus aut indixit, aut interdixit. Cur igitur mea libertas judicatur ab aliena conscientia? Cur quod recte fieri potest, rapitur in sinistram suspicionem?

30 *Si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo quod gratias ago?*

30 Quod si ego vescor his; quæ Dei benignitas in usum vitæ nobis indulsit, cur ob id maledictis afficior ab homine, pro cujus usu gratias ago Deo, non Dæmonibus?

31 *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.*

31 Hac igitur lege vescemini, aut non vescemini, ut sive biberitis, sive ederitis, sive quid aliud feceritis, omnia referatis ad gloriam Dei.

32 *Sine offensione estote Judæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei:*

32, 33 Ac vitam omnem sic pro temporum atque hominum habitu attemperetis, ne quid sit, quo jure possit offendi quisquam, vel Judæus, vel Ethnicus, vel Christianus, idque meo exemplo, qui me per omnia accommodo omnibus vescens, non vescens: accipiens, non accipiens: Judaissans, non Judaissans: hæc quæ vel recte fieri, vel recte possunt omitti pro re nata, non ad meam ipsius utilitatem temperans, sed ad utilitatem multorum, quos meo venor obsequio: non ut prædæ sint mihi, sed ut ad salutem alliciantur.

CAP. XI.

Lege caput nudato vir, & velato precando
Fœmina: quos mores mensa sacrata petat.

33 *Sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.*

1 *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.*

1 NEQVE pigeat vos Apostoli vestri sequi exemplum, cum id non tam meum sit, quam Jesu Christi. Is sese per omnia nobis infirmis accommodavit, quo nos Patri lucrifaceret. Hunc ego sequor Dominum ac Præceptorem, vos patrem filii & Apostolum discipuli sequamini. Atque hactenus de carnium esu, deque vitandis impiorum sacris satis dissertum arbitror. Nunc quid in vestris conventibus sit observandum aut vitandum attingam, ne quid hîc quoque vel indecore, vel per contentionem aut luxum geratur.

2 *Laudo autem vos fratres, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.*

2 In primis collaudo vos fratres, quod in cæteris per omnia mei memores, tenetis quæ præscripseram, quæque vobis institueram observanda in solenni conventu. Illud addam, quod tamen levius est, & pro tempore, locoque secus fieri potest.

3 *Volo autem vos scire, quod omnis viri caput Christus est: caput autem mulieris, vir: caput vero Christi, Deus.*

3 Sed tamen interim nolim vos lateat, quod ut omnis viri caput Christus est, & omnis uxoris caput est maritus, ita Christi caput est Deus. Vir licet imperet uxori, tamen Christum agnoscit Dominum: Christus ipse Patris auctoritatem agnoscit in omnibus: cui quisque subjectus est, ejus gloriæ serviat

Digitized by Google

viat oportet. Privatim agatis, ut cuique videbitur expedire.

4 *Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum.*

4 Cæterum vir quicunque in publico cœtu precatur, aut vaticinatur operto capite, dedecorat caput suum tegens ceu servile, cum præter Christum non agnoscat Dominum, in cujus gloriam æquum est illi nudari caput, non solum amoto pileo, verum etiam derasa coma. Siquidem & coma operimentum est corporis verius, quam pars.

5 *Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum: unum enim est ac si decalvetur.*

5 Contra mulier, si in solenni conventu precetur, aut vaticinetur capite retecto, dehonestat caput suum, quod privatim in gratiam mariti fortassis aperiendum erat, non in publico conventu, ubi Christo servitur, non maritis. Siquidem quod viro est tonderi aut radi, id est mulieri flammeum abjicere.

6 *Nam si non velatur mulier, tondeatur. Si vero turpe est mulieri tonderi, aut decalvari, velet caput suum.*

6 Quod si decorum est mulieri exemplo viri, velum capitis abjicere, eadem opera, juxta virilem morem tondeatur etiam aut radatur, ut calvo capite palam precetur seu vaticinetur. Quod si omnium consensu ridiculum ac fœdum sit futurum, operto capite testetur se viro subditam esse.

7 *Vir quidem non debet velare caput suum: quoniam imago & gloria Dei est, mulier autem gloria viri est.*

7 At non idem deceat virum, qui Dei gerit imaginem, sic mulieri præfectus, quemadmodum Christus Ecclesiæ, & per hunc illustratur gloria Dei, quæ tegi non debet. Ex adverso, mulier ut subjecta est viro, ita ad hujus gloriam colitur, in quem sit contumeliosa, si palam renudato capite, simul & impudentiam suam testetur, & ceu libera, viri præfecturam abneget. Honoratur Christus, si vir palam ac retectus illi serviat, illiusque gloriam prædicet. Honoratur vir, si uxor pudore, silentio, cultuque verecundo, modestiam simul & obediendiam præ se ferat.

8 *Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro.*

8 Dixerit hîc aliquis: Quo jure mulier cogitur subdi viro, non contra? Quoniam cum primum Deus conderet genus humanum, non vir ex muliere prodiit, sed contra mulier ex viro. Primum Adam conditus est è limo, mens divino afflatu indita: mox è latere subducta est Eva, ceu viri portio quædam. Prius conditum est quod erat perfectius, idque contra vulgarem naturæ ordinem: mox quod erat imperfectius. Quod enim in homine est ratio, id maritus est in matrimonio: quod in homine affectus, id mulier est in conjugio.

9 *Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum.*

9 Ad hæc vir non est conditus mulieris gratia, sed contra mulier in viri solatium est addita, atque in generationis adjumentum, ubi pro forma & actu est vir, mulier pro materia. Par est autem, ut penes eum sit auctoritas, qui & prior est conditus, & Deo duntaxat conditus est, non mulieri.

10 *Ideo debet mulier potestatem habere supra caput propter Angelos.*

10 Hoc igitur juris cum ipsa naturæ primordia dederint viro, debet mulier suam sortem agnoscere, nec obsequio solum, verum etiam cultu, mariti sui dominium testari. Ut autem rasus vertex libertatem arguit, ita capitis velamen servitutis est insigne. Quod si mulier eo venit impudentiæ, ut testes hominum oculos non vereatur, saltem ob Angelos testes, qui vestris conventibus intersunt, caput operiat.

11 *Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro, in Domino.*

11 Hactenus agnoscit mulier, quid se deceat. Non quod hanc debeat maritus habere vilem, eo quod jussa sit parere, aut uxor sibi displicere, quod viro subdita sit. Nam quantum ad religionis consortium attinet, utrique pares sunt. Sæpe maritus uxoris indiget officio, sæpe uxor mariti.

12 *Nam sicut mulier de viro, ita & vir per mulierem: omnia autem ex Deo.*

12 Ad hæc, olim ex viro mulier prodita est, nunc nec absque viro gignit mulier, neque vir absque muliere pater fieri potest. Nec tamen est, quod his rebus sibi quisquam placeat, aut displiceat, cum omnia sint ad Deum auctorem referenda, qui sic temperat ordinem universi.

13 *Vos ipsi judicate: decet mulierem non velatam orare Deum?*

13 Sed ut redeam ad id, quod cœperam: Si vobis tot argumentis nondum persuadeo, quam sit indecorum mulierem in propatulo nudato capite precari, vel ex suo quisque sensu animoque rem expendat. Nullus enim tam stupidus est, opinor, qui naturæ judicium amiserit.

14 *Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi:*

14 An ne natura quidem ipsa docet vos, viro probro verti, si fœminarum more comatus sit?

15 *Mulier vero si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.*

15 Contra, mulieri decus accedere, si comata sit, quod huic à natura capillitium densius ac copiosius, quam viro datum sit, ne usquam deesset capitis velum ei, quæ viro subjecta est. Ostendi quid mihi magis decorum esse videatur.

16 *Si quis autem videtur contentiosus esse: nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.*

16 Quod si videbitur quispiam apud vos contentiosius super hac re tueri suam sententiam, faciat arbitratu suo, modo sciat neque nobis hunc esse morem, neque cæteris Ecclesiis Dei. An decorum sit, vos & ab Apostoli vestri institutis exemploque, & à reliquarum congregationum consuetudine dissidere, ipsi videritis. Minus erat mali futurum, si in hisce rebus utcunque concordaretis: externa sunt ista, nec perinde faciunt ad Euangelicam pietatem.

17 *Hoc autem præcipio: non laudans, quod non in melius, sed in deterius convenitis.*

17 Verum, illud à vobis non dubitem exigere, quod quidem à me traditum displicet non observari. Quod in cæteris institutionum mearum memineritis, probo: quod hic ubi maxime conveniebat idem facere non memineritis, non probo. Instituëram, ut conveniretis sine tumultu, sine luxu, sine contentione, summa æqualitate, quæ vel in primis alit concordiam: & sic ageretur inter omnes, ut suam quisque domum rediret melior.

18 *Primum quidem convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo.*

18 Nunc eo mores prolapsi sunt, ut præstiterit non convenire, quam ad istum modum convenire, idque multis de causis, neque enim una in parte peccatur. Ac primum quidem cum solenniter convenitis, audio inter vos esse dissidia, quod fœdius est profecto, quam ut credere libeat: & tamen aliqua ex parte credo, ut vestra sunt ingenia.

19 *Nam oportet & hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.*

19 Vitari non poterat, quin orirentur inter vos ejusmodi dissidia. Atque ex re mala illud boni capitur, quod hinc magis illucescit, qui vere probi sint, dum hi, cæteris indecore tumultuantibus, & ingurgitantibus sese, modeste sobrieque juxta præscriptum Apostolorum, ac veterem Ecclesiæ morem agitant sacra convivia, quibus ultimam illam Christi cum discipulis suis cœnam repræsentamus memores initi nobiscum fœderis, & ad exemplum mutuæ inter nos concordiæ.

20 *Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare.*

20, 21 At nunc irrepsit apud vos mos supra modum indecorus, ut quoties convenitis, non videatur agi cœna Dominica, qualem ille cum suis egit, sed tumultuosum aliquod & inæquale convivium, quod per luxum & gulæ intemperantiam, non exspectatis cæteris, suam quisque cœnam occupat. Itaque fit, ut hic tenuis esuriat, vel quia non habet quod edat, vel quia non in tempore venit: ille dives cœnæ occupator, satur sit & ebrius, ac mysticum illud convivium duplici nomine dehonestetur: & quod per fastum divitum pauperes fastidiuntur, quos non fastidiit Christus, & quod cœna Domini crapula luxuque polluitur.

21 *Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est.*

22 *Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo.*

22 Hîc unanimitatis Christianæ mysterium agitur, non ventris aut gulæ negotium, quod non in publico cœtu, sed privatim in ædibus curatum oportuit. Si libebat explere alvum, an desunt vobis domus, in quibus seorsim hoc agatis? An publicam Christianorum congregationem contemnitis, ut hac teste gulæ serviatis, velut hoc interim data opera agentes, ut vobis publice luxum & apparatum ostentantibus, pudefiant tenues, qui quod offerant, non habent? Quid hîc dicam, Corinthii? Laudem vos? Optarim quidem id vestro merito posse: & in aliis sane laudo, hac in re non possum laudare. Mores isti nimium dissonant ab illa cœna Dominica, ad cujus exemplum oportet inter vos agitari sacra convivia.

23 *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis:*

23, 24 Demiror qui ritus istos in vos invexerint: nam ipse, ut Apostolus accepi à Domino, quod & tradidi vobis: nimirum quod Dominus noster Jesus sub

Digitized by Google

tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem,

sub eam noctem, qua per discipulum proditus est, & captus, accepit panem, & gratiis actis Deo, fregit panem ac dixit: Sumite, edite, hoc est meum corpus, quod pro vobis frangitur omnibus impartiendum. Hoc quod me facere videtis, posthac & vos faciatis in memoriam mei. Videtis hîc cum præceptore suo simul omnes accumbere, mensam ac cibum esse communem omnibus, ne Judam quidem

24 Et gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.

proditorem à consortio mensæ semotum, panem eundem in omnes ex æquo distributum. Dominus sic egit cum suis discipulis, & vos despicitis fratres, ejusdemque religionis consortes?

25 Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.

25 Ad eundem modum post distributum panem, & poculum sumsit in manus, cœna jam peracta, dicens: Hoc poculum novum est testamentum per meum sanguinem: ex hoc quoties bibetis, in memoriam mei facite. Hic igitur de eodem poculo bibebant omnes, & inter vos divites ebrii sunt, pauperes sitiunt. Christus hoc convivium mortis suæ commemorationem, & æterni fœderis symbolum esse voluit, cum nunc per luxum ac dissensionem apud vos celebretur. Mysticus est panis, cujus ex æquo participes esse debent omnes. Sacrosanctum est poculum ad omnes æque pertinens, haudquaquam paratum ad placandam corporis sitim, sed ad arcanæ rei repræsentationem, ne vobis veniat in oblivionem, quo pretio sitis à pristinæ vitæ vitiis redemti.

26 Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis donec veniat.

26 Proinde quoties ad edendum hunc panem, aut bibendum ex hoc poculo convenitis, non ventris negotium agitis, sed mortem Domini Jesu mystico ritu repræsentatis, cujus jugis memoria vos in officio contineat, donec ipse rursus advenerit judicaturus orbem.

27 Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne: reus erit corporis & sanguinis Domini.

27 Itaque quisquis ederit panem hunc, aut biberit de poculo Domini secus, quam illo dignum est, gravi crimini se reddit obnoxium, qui corpus & sanguinem Domini secus tractarit, quam ipse tractari jusserit.

28 Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat.

28 Siquidem res omnium maxime mystica pure ac reverenter erat tractanda: verum ne id accidat, se quisque prius examinet atque exploret. Itaque sibi bene conscius edat de pane illo, & de poculo bibat. Parum bene sibi conscius abstineat potius, ac domi gulæ suæ sacrificet.

29 Qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit: non dijudicans corpus Domini.

29 Licet enim res sit salutifera corpus & sanguis Domini, tamen quisquis edit aut bibit indigne, huic vertitur in pestem atque exitium, propterea quod irreverenter & illoto animo tantum adierit mysterium: non satis perpendens, quanto cum tremore sumendum sit corpus Domini. Dabunt hi pœnas profanati mysterii, simul atque Christus advenerit.

30 Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.

30 Quanquam & interim quosdam urget pœna commissi: nam hinc est quod tam multi reperiuntur inter vos valetudinarii, malisque febribus ac languoribus obnoxii, quin & percunt ante diem multi. Sunt hæc exordia quædam, ac minæ futuri judicii.

31 Quod si nos ipsi dijudicaremus ante sumendum,

31 Quod si nos ipsi dijudicaremus ante sumendum, haudquaquam sic judicaremur à Domino.

32 Dum judicamur autem, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.

32 Sed præstat interim hic judicari, quam in illo die condemnari. Nam cum levibus malis affligimur judice Domino, non exstinguimur, sed plagis emendamur, ne post in æternum cum mundo damnemur: ne quis stulte sibi blandiatur, si indigne tractans hoc mysterium vegeto vivacique sit corpore.

33 Itaque fratres mei, cum ad edendum convenitis, invicem expectate.

33 Proinde fratres mei, cum ad has epulas convenitis, quo sit ad exemplum Christi convivium æquabile, vos invicem exspectate.

34 Si quis esurit, domi manducet: ut non in judicium conveniatis. Cetera autem, cum venero, disponam.

34 Quod si quis tam avidus est cibi, ut dilationem non ferat, domi comedat, non in mystico publicoque convivio, ne quod ad vestram salutem est institutum, vertatur in occasionem damnationis. Atque hac de re jam satis dictum est. De cæteris, quæ ad hanc rem pertinent, ipse præscribam ubi venero.

CAP. XII.

Munera dat Flatus sicut vult: & facit unum
Ex multis corpus: sit tamen ordo decens.

1 De spiritualibus autem, nolo vos ignorare fratres.

2 Scitis quoniam cum Gentes essetis, ad simulachra muta prout ducebamini euntes.

1, 2 JAM ut de donis Spiritus Sancti nonnihil dicam, quando nec in his satis inter vos convenit, volo vos meminisse fratres; quod aliquando Pagani fuistis: ac tum quidem pro superstitione majorum ad inanima mutaque simulacra utcunque ducebamini, sic ibatis. Tunc errorem habebatis ducem, nunc Christi Spiritum. Nunc non imputatur pristinus error. Superest, ut quemadmodum tum impiam religionem moribus ac ritibus impiis æquiparastis: ita nunc veræ sanctæque religioni, piis moribus respondeatis, ut quicquid inter vos geritur, sic geratur, ut appareat afflatu divini Spiritus geri. Quicquid in gloriam Christi dicitur, aut canitur, ex illius Spiritu profectum est.

3 Ideo notum vobis facio; quod nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu: Et nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto.

3 Proinde nolim vos illud fugiat, quod nemo afflatus Spiritu Dei Patris exsecratur Jesum hujus Filium. Neque quisquam potest ex animo Jesum vocare Dominum, nisi per afflatum Sancti Spiritus. Quicquid igitur in vobis est boni, id hujus beneficentiæ debetis, & hujus gloriæ convenit impendi.

4 Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus:

4 Verum licet sit idem omnium Spiritus, tamen varia sunt ejus dona, quæ pro suo arbitratu aliis alia partitur afflatu suo.

5 Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus:

5 Et horum functiones varie distributæ sunt, cum idem sit omnium Dominus, cujus munera dispensantur.

6 Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.

6 Quin & effectus visque Spiritus aliter in aliis agit ac viget, cum interim unus sit Deus omnium communis, à quo vis & actus proficiscitur omnium, quæ in singulis hoc aut illo modo geruntur. Uni igitur auctori Deo debentur omnia dona, sive mediocria, sive eximia: nec est quod hinc se quisquam efferat.

7 Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.

7 Alieni muneris est, quod habet, & quicquid contigit afflatu Spiritus, in communem utilitatem collatum est, non ad privatum fastum.

8 Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum:

8 Nam huic quidem per Spiritum Dei contigit, ut sapienti sermone det fida cordataque consilia. Rursus illi contigit ejusdem beneficio Spiritus, ut cognitione rerum ac disciplinarum adjuvet commodum Reipublicæ.

9 Alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum in uno Spiritu:

9 Huic ejusdem afflatu Spiritus contigit fiduciæ robur, quæ juxta Domini promissum vel montes loco dimovet. Illi per eundem contigit vis medendi morbis.

10 Alii operatio virtutum; alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum:

10 Est cui data sit insignis potestas edendi miracula. Est cui contigit prophetiæ dos, ad explicanda quæ vel futura sunt, vel alioquin abstrusa. Est alius cui datum est, ut sagaci judicio discernat afflatus hominum, utrum à Deo profecti sint, an secus. Rursus alius fortitus est hanc dotem, ut idem variis linguis loquatur, quæ res non mediocriter conducit ad cognitionem sacrorum Voluminum: alius, ut vel per afflatum, vel arcanarum litterarum peritiam interpretetur & explanet, quod illi locuti sunt. Non enim quisquis linguam tenet, idem tenet sensum arcanum sermonis.

11 Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.

11 Nihil est, quod hic sibi quisquam vel placeat, cum sint aliena quæ habet, vel displiceat, quando distributio pendet ab arbitrio Spiritus Sancti, qui dotes has omnes, quamvis varias, & alias in aliis, unus & idem opifex partitur cuique, ut ipsi visum fuerit, sed sic, ut ob mutuam inter vos caritatem, singulorum dotes sint omnium communes, & ad harmoniam ac decorum faciat varietas, non ad dissidium.

12 Nam quî minus fiat in corpore Christi mystico, quod in corpore naturali fieri videmus? Quemadmodum enim cujusque corpus cum sit unum, tamen ex diversis membris compactum est, sed sic, ut idem spiritus vitæ munus impartiat membris omnibus, quæ cum multa variaque singulatim sint, tamen simul omnia unum corpus sunt: sic esse voluit Christus in suo corpore.

13 Quandoquidem ex æquo participes baptismi per eundem & omnibus communem Spiritum in idem corpus compacti sumus, sive Judæi, sive Græci, sive servi, sive liberi, sive mares, sive fœminæ, sive conjugati, sive cœlibes, sive potentes, sive humiles. Et eundem Spiritum hausimus omnes, licet aliter in aliis vim suam exserat.

14 Neque corpus unico membro constat, sed multis quamlibet diversis.

15 Jam si pes dejiciens sese dicat, non sum manus, nihil mihi cum reliquo corpore, num ideo non est pars corporis?

16 Et si dicat auricula, deplorans sortem suam, non sum oculus, aliena sum à reliquo corpore, num ideo non sit pars corporis? Situs aut usus diversus, non vergit in contumeliam membri, quando hæc ipsa varietas ad totius corporis incolumitatem pertinet. Et quicquid cuique membro datum est muneris, id toti corpori juvando datum est.

17 Præclara corporis pars est oculus, sed si totum corpus sit oculus, ubi erunt aures? Rursum si totum corpus sit auricula, ubi erit nasus?

18 Hoc prospiciens Deus, diversis membris compegit corpus, ac membro cuique suum locum, suumque munus attribuit, non ex merito membrorum, sed ex ipsius arbitratu.

19 Quod si quæ nunc multa ac diversa sunt membra, redigerentur in unum membrum, puta nasum, aut oculum, ubi corporis harmonia?

20 Nunc non ita res habet, sed cum membra singulatim inter se differant, tamen ob consortium ejusdem animæ, nihil aliud sunt, quam unum corpus, ut nullum membrum à cæteris membris fastidiri possit, quamvis humile.

21 Neque enim potest oculus ceu pars corporis excellentior, ac velut organum animi familiarius, dicere manui, ceu membro crassiori, non est mihi opus tuo præsidio. Neque rursum caput, licet regia sit animi, dicere potest pedibus, velut extremis, nihil moror vestrum officium.

22 Tantum abest, ut ullum corporis membrum despiciatur, ut contra potius, quæ videntur membra corporis imbecilliora, his ut necessariis præcipuam curam impendamus:

23 Quæ juxta vulgi æstimationem minus habentur honesta, his extrinsecus honorem addimus uberiorem, quæque parum decora videntur, his plus decoris adjungimus, velut pensantes officio, quod alias diminutum videtur: nec ignari uniuscujuslibet membri probro totum corpus dehonestari.

24 Nam quæ per se decus habent in nobis, non egent adscititiis ornamentis, veluti facies, aut manus, cum pudenda nostri, vestitus ornatu tegantur.

25 Hoc consilio conditor Deus mira quadam harmonia diversarum partium corpus omne temperavit ac miscuit, ut cui videbatur aliquid honestatis deesse, (etiamsi natura nulla corporis pars est inhonesta) huic ex officio plus honoris adderetur: ne videlicet dissidium oriretur membrorum inter ipsa, cum nullius usus non sit necessarius, sed ut omnia pari sollicitudine, mutuis officiis sese vicissim tueantur, ne per dissidium (dum quodque sibi privatim favet) collapso corpore, percant omnia.

26 Quin potius si quid commodi, aut incommodi, huic aut illi membro obtigerit, omnia putant ad se pertinere: sive quid affligitur unum membrum, simul affliguntur omnia membra: sive quid honoris contigit uni cuipiam membro, sibi gratulantur omnia membra.

27 Num saltem hoc exemplo desinctis inter vos contendere, quos arctius in unum compegit Christi Spiritus, quam corporis membra compegit idem halitus? Quî fit, ut plus possit natura quam gratia? Nonne vos estis corpus Christi, aut certe pars aliqua membrorum illius?

28 Quæ sic in suo corpore digessit, quod est Ecclesia, ut suum cuique locum, suum cuique munus attribuerit. Ac primo quidem loco collocavit Apostolos, qui dispensatores Euangelicæ gratiæ, Christi vicibus funguntur. Proximo Prophetas, qui vel aperiant futura, vel explicent occulta. Tertio Doctores, qui litteris ac disciplinis præditi, quod habent in communem usum conferant. Quarto loco potestate præditos ad coercendum vim Dæmonum, & Christi nomen miraculis illustrandum. Quinto, qui valent tollendis morbis. Secundum hos, alios, qui possint auctoritate consilioque subvenire afflictis, qui prudentia præpolleant ad multitudinem in officio retinendam. Postremo, qui linguarum peritia possint esse usui cæteris. Hæc varietas vos ad mutuam concordiam non hortatur modo, sed etiam compellit, dum aliorum alii vicissim opem desideratis.

29 Num omnes Apostoli? num omnes Prophetæ? num omnes Doctores?

30 Num omnes potestate præditi? num omnibus adest medendi vis? num omnes variis linguis loquuntur? num omnes interpretandi donum habent? Minime, sed sua cuique dos contigit.

31 Nemo fastidiendus est, sed tamen omnibus enitendum, ut ad ea, quæ in his præcipua sunt, admitti mereantur, ac semper ad meliora proficiant. Neque enim hac lege sua cuique dos assignata est, ut spes ademta sit meliorum. Dona sunt Spiritus, ne quid nobis hinc arrogemus, sed is ad dandum & quod dedit tuendum augendumque nostro conatu nostrisque precibus solet evocari. Præclara dona sunt quæ commemoravi, sed quæ possint in parum pios competere. Verum aperiam quod his omnibus sit excellentius, & quo cum primis sit enitendum, quando sine eo nec ista quicquam valent, quæ diximus, quæque vos ceu sola sectamini.

CAP. XIII.

Nunc verum ut fidei fructum, commendet amorem:
Mensura hic superat spemque fidemque sua.

1 PRÆCLARVM est linguis loqui, quo nomine vos vobis præcipue placetis. Sed quamvis linguis omnibus loquar, non solum hominum, verum etiam Angelorum, ut sic dicam exaggerandæ rei gratia, non adsit autem studium benemerendi de proximo, ac Dei donum in communem usum conferendi, non minus inutilis sim futurus, quam æs inani strepitu discindens aerem, aut cymbalum inutili tinnitu feriens aures.

2 Quod si hoc quoque præclarius quiddam obtigerit, puta donum prophetiæ, per quam arcanos sensus omnes divinæ Scripturæ teneam (si cuiquam tamen hoc mortalium obtigit, ut unus teneat omnia) si accesserit omnium disciplinarum absoluta cognitio, postremo si tantum fidei robur accesserit, ut hujus præsidio montes quoque loco dimoveam, desit autem caritas, frustra adsunt illa, quæ nulli prosunt.

3 Si tanta adsit dos opitulationis, ut quicquid mihi facultatum est, id totum alendis egenis insumam, imo si pro sublevandis oppressis corpus omnibus periculis objiciam, vel usque ad incendium, desit autem,

21 *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus.*
13 *Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi: & omnes in uno Spiritu potati sumus.*
14 *Nam & corpus non est unum membrum, sed multa.*
15 *Si dixerit pes: Quoniam non sum manus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore?*
16 *Et si dixerit auris: Quoniam non sum oculus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore?*
17 *Si totum corpus oculus: ubi auditus? Si totum auditus: ubi odoratus?*
18 *Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore sicut voluit.*
19 *Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus?*
20 *Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus.*
21 *Non potest autem oculus dicere manui: Opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus: Non estis mihi necessarii,* 22 *Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt:* 23 *Et quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus: & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent.* 24 *Honesta autem nostra nullius egent: sed Deus temperavit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem.* 25 *Ut non sit schisma in corpore: sed idipsum pro invicem sollicita sint membra.* 26 *Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra.*
27 *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.*
28 *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum.*
29 *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores?*
30 *Numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?*
31 *Æmulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem vobis demonstro viam.*
1 *Si linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.*
2 *Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam; & si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* 3 *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Digitized by Google

tem, si fieri potest, caritas, hoc est, animus vel gratis benemerendi sitiens, nihil fructus ex meis dotibus refero. Hæc una commonstrat, quatenus utendum est dotibus, quas frustra tenças, si nescias uti.

4 Charitas patiens est, benigna est: Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur,

4 Cæteras dotes vitiat ambitio, vitiat livor, vitiat dissidium, à quibus omnibus malis plurimum abest caritas. Cæteræ dotes suam quæque habent utilitatem peculiarem. Caritas nec vitiari potest, & usu sui latissime patet. Caritas leni animo est ad tolerandas injurias, eadem ad vitæ consuetudinem commoda comisque est. Caritas nescit cuiquam invidere, quæ sua quoque bona transfundit in alios: non est procax, quæ obsecundat omnibus: non inflatur, quæ se cuivis submittit:

5 Non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum,

5 Nihil sibi putat indecorum, modo prosit: non studet suis privatis commodis, non irritatur injuria, & adeo non retaliat acceptam injuriam, ut ne cogitet quidem de ulciscendo:

6 Non gaudet super iniquitate, congaudet autem veriti:

6,7 Et tantum abest ab iniquitate, ut nec alienam ferat injustitiam, sed magis gaudet moribus sinceris ac simplicibus, nihil non suffert juvandi studio, quamlibet durum, nihil non credit, tantum abest ut de quoquam perperam suspicetur: non facile desperat de quoquam, sed omnes infatigabili spe tolerat, & meliorum exspectatione pertinacissime perdurat.

7 Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.

8 Quid multis? nusquam cessat caritas: etiam quum post hanc vitam sublata erit officii necessitas, manebit tamen animorum caritas. Atque hîc interim quocunque profeceris, caritas ubique comitatur, ceu perpetuum donum, ac per omnem Christianorum vitam diffusum: sive continget aboleri

8 Charitas numquam excidit; sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur.

prophetiam, sive linguæ cessabunt, sive scientia antiquabitur, accessione majoris profectus:

9 Nam quod hactenus ex his tenemus, imperfectum est, nec ad plenum cognovimus, nec ad plenum per prophetiam tenemus mysteria.

9 Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus.

10 Itaque cum contigerit id quod perfectum est, quodam modo abolebitur, quod nunc dimidiatum est.

10 Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.

11 Habet suos gradus Christiana religio, habet suas ætates, & ætatum accessus, quemadmodum natura. Cum essem puer, ut puer loquebar, ut puer eram affectus, ut puer cogitabam. Cæterum ubi factus sum vir, rejeci puerilia, jam animum appellens ad meliora, donec paulatim ad summa provehar: quod si non contingit in hac vita, tamen hîc meditandum est, quo contingat in futura.

11 Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.

12 Quantulum enim est, quod nunc per has dotes cernimus, nec id admodum perspicue, sed velut in fidei speculo, imagines tantum rerum cœlestium intuemur, & ex Scripturis, ceu per involucrum ænigmatis, Dei mentem conjicimus. Verum ubi contigerit perfectio, res ipsas coram contemplabimur. Nunc aliqua modo ex parte cognosco, tunc præsens præsentem Deum cognoscam, sicut ab ipso cognitus sum. Nam ab illo cognosci, diligi est, & quo quisque illi carior est, hoc plenius ac propius illius ineffabili notitia fruetur.

12 Videmus nunc per speculum in ænigmate: nunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.

13 Sed interea licet reliquæ dotes velut inutiles cessaturæ sint, satis jam confirmata fide, cui propagandæ ac stabiliendæ serviunt illæ, tamen interea manent fides, spes & caritas. Fides, qua procul cernimus immortalitatem futuram: spes, qua confidimus nos illius fore participes: caritas, qua Deum sic de nobis meritum redamamus, & hujus gratia proximum. Hæc tria cæteras dotes omnes antecellunt, sed tamen in his ipsis primas tenet caritas, cui fidem etiam & spem debemus, aut certe sine qua nec illæ sunt ad salutem efficaces.

13 Nunc autem manent, fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas.

CAP. XIV.

Omnino esto loquens linguis interprete sano
Inferior: justum servet uterque modum.

1 Sectamini charitatem, æmulamini spiritalia: magis autem ut prophetetis.

1 AT hæc non eo tendunt, quæ tam magnifice prædicamus de caritatis præminentia, quod reliquæ dotes negligendæ sint, aut fastidiendæ: sed ita sectemini caritatem, ut nihilo secius interim probetis ac suspiciatis genera linguarum, aut interpretationem sermonis, ad id tamen quod utilius est magis enitentes, videlicet ut prophetetis, mysticum sensum ad salutem auditorum explanantes.

2 Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur; sed Deo: nemo enim audit. Spiritu autem loquitur mysteria:

2 Etenim qui lingua tantum loquitur, non hominibus loquitur, quibus nihil adfert sua voce, sed Deo loquitur, quem verbis non intellectis laudat. Nam quod ad cæteros attinet, quid refert utrum taceat, an loquens non intelligatur? Velut afflatus Spiritu loquitur arcana, quæ ut ipse intelligat secum, certe nemini communicat, & ut prosit, non prodest nisi sibi uni. Frustra igitur loquitur in Ecclesia, qui à nemine auditur. Non auditur autem qui non intelligitur: porro non intelligitur sermo spiritualis, nisi retrusiorem sensum accipias, quem illis verbis nobis significavit cœlestis Spiritus. Id vero nullus hominum potest, nisi ex peculiari dono Spiritus.

3 Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem.

3 Contra, qui Prophetæ fungitur munere, non Deo loquitur solum, verum etiam hominibus loquitur, non simplicem illis adferens utilitatem, quippe qui simul & malos invitat ad vitam meliorem, & segnes exstimulat ad vigilantiam, & pusillanimes erigit ac solatur. Videte quantum inter donum & donum interest.

4 Qui loquitur lingua, semetipsum ædificat: qui autem prophetat, Ecclesiam Dei ædificat.

4 Qui loquitur lingua, sibi privatim uni prodest: at qui per prophetiæ donum enarrat Scripturæ mysteria, toti prodest congregationi. Porro bonum quo latius patet, hoc est præstabilius, itaque repetam quod modo dixeram: Ne fastidiatis donum linguarum, per se magnum est, & à Spiritu Sancto contingit.

5 Volo autem omnes vos loqui linguis; magis autem prophetare. Nam major est qui prophetat, quam qui loquitur linguis: nisi forte interpretetur, ut Ecclesia ædificationem accipiat.

5 Volo vos omnes, si videtur, loqui linguis, potius tamen optarim vos in altero, quod præstantius est, præcellere. Major enim est, qui Prophetam agit, quam qui linguis loquitur verba sacra, sed nulli intellecta sonans, nisi forte qui prius linguis locutus est, mox quid dixerit interpretetur, quo saltem aliquis fructus redeat ad populum. Sunt enim qui nec ipsi satis intelligunt, quod linguæ plectro sonant.

6 Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina?

6 Cæterum ex verbis intellectis, aliquid fructus utcunque capi poterit: alioqui fingite me nunc primum venisse ad vos, nec aliud quam linguis loqui, quid utilitatis sim vobis allaturus, nisi sic loquar, ut mox aperiam vobis arcanum per apocalypsis donum, aut per scientiæ donum erudite disseram de iis, quæ ad cognitionem fidei pertinent, aut per prophetiæ donum aperiam sensus retrusos, aut per doctrinæ donum edisseram aliquid, quod ad bonos mores pertinet.

7 Tamen quæ sine anima sunt vocem dantia, sive tibia, sive cithara, nisi distinctionem sonitum dederint; quomodo scietur id quod canitur, aut quod citharizatur?

7 Quin & quæ animæ sunt expertia, sive tibia sit, sive cithara, cum non in aliud parata sint, quam ut sonent, tamen nisi certos ac distinctos sonos dederint, qui certis harmoniis ac modulis testentur, aut cantionis argumentum, aut affectum quo vocat cantio, hoc est, si tantum sonent, quid fructus aut voluptatis accipiet auditor, cum non dignoscat quale sit, quod cithara tibiave canitur, lætum an lugubre?

8 Etenim si incertam vocem det tuba; quis parabit se ad bellum?

8 Jam si tuba vocem incertam dederit, non ipso cantu distinguens, utrum prælium iniri jubeat, an receptui canat, quid referet tuba clangere, cum miles non intelligat quo vocetur.

9 Ita & vos per linguam ni-

9 Itidem & vos, nisi linguis loquentes vocem ediderit, certi quiddam repræsentantem auditori-

si manifestum sermonem dederitis; quomodo scietur id quod dicitur? eritis enim in aera loquentes.

bus, sine fructu loquemini, quando non valet intelligi quod dicitur. Itaque loquentium vox non penetrabit in animos audientium, sed aerem tantum feriet inani strepitu verborum.

10 Tam multa, ut puta, genera linguarum sunt in hoc mundo: & nihil sine voce est.

10 Tam multa videlicet sunt Linguarum genera in mundo, quorum sua cuique vox est. Ea quidem ab omnibus percipi potest, verum si nihil accedat voci, frustra uterque alteri loquemur.

11 Si ergo nescio virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus: & qui loquitur, mihi barbarus.

11 Etenim cum uterque recte sonet suam linguam, tamen quoniam neuter alterum intelligit, fit ut & ego, qui Græce loquor, barbarus sim Afro, & mihi vicissim ille sit barbarus Africe nescienti.

12 Sic & vos, quoniam æmulatores estis spirituum, ad ædificationem Ecclesiæ quæritote ut abundetis.

12 Proinde vos quoque Corinthii, quando vestra sponte sectamini, magnique facitis dotes, quæ vocis habent miraculum, meo hortatu dabitis operam majoribus, quo sitis usui congregationi toti.

13 Et ideo qui loquitur lingua, oret ut interpretetur.

13 Itaque cui contigit donum Linguarum, precibus à Deo flagitet, ut accedat donum interpretandi.

14 Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est.

14 Alioqui si precer lingua populo ignota, puta, apud Græcos Persica, imo si (quod quidam solent, qui cantionem, quam edidicerunt, peregrina lingua gaudent sonare, quam nec ipsi qui sonant, intelligunt) sermonem sonem, non minus mihi, quam aliis ignotum: spiritus quidem & halitus meus edit verba precantia, cæterum animus meus fructus est expers, cum & mihi vel nihil, vel minimum prosim, & aliis etiam molestus sim, aut etiam ridiculus, non solum inutilis.

15 Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente.

15 Quid igitur mihi faciendum est? Precabor voce, cum locus postulabit, sed hoc non contentus, precabor & mente animoque. Canam laudes Dei vocis organis, sed hoc non contentus, canam & animo, addita linguæ peritia.

16 Ceterum si benedixeris spiritu: qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem, quoniam quid dicas, nescit.

16 Alioqui si tu laudes Dei decantas sermone omnibus ignoto, qui plebis vice fungitur, quomodo succinet solitum illud Amen, ad finitam gratiarum actionem tuam? Nam hujus vocis accentu confirmatur id, quod precibus aut hymnis est dictum. Scitis enim hanc, ut ita loquar, fabulam agi variis personis. Qui docti sunt, præcinunt, plebs indocta promiscuaque comprobans quod dictum est, velut omnium voce acclamat, Amen. Quis autem acclamabit, si nesciat quid dicas?

17 Nam tu quidem bene gratias agis: sed alter non ædificatur.

17 Sanctum est quod tu pronuntias, & tibi fortasse bono est, verum interim populus nihilo fit melior: qui in hoc convenit, ut ex eruditorum sermone domum melior redeat, atque hoc discat in publico, quomodo privatim sit vivendum.

18 Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor.

18 Porro ne quis me suspicetur, ut Linguarum imperitum, parum favere dono Linguarum, sicuti vulgo quisque miratur & extollit, in quibus ipse valet, diversa contemnit & elevat, gratiam habeo Deo, quod hoc dono vos omnes superem, qui hoc præcipue vobis placetis. Nullum enim sermonis genus apud vos est, quod ego non & sonem, & intelligam.

19 Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, ut & alios instruam: quam decem millia verborum in lingua.

19 Itaque non livore, sed judicio, donum interpretationis antepono dono Linguarum, quo privatim magis uti convenit, quam in solenni conventu. Nam in Ecclesia cœtuque sanctorum malim quamlibet paucula verba sic loqui, ut ipse meam intelligens vocem, efficiam ut à cæteris quoque intelligar, quam decem millia verborum ita sonare, ut nullus intelligat cæterorum, ac fortassis ne ipse quidem.

20 Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote: sensibus autem perfecti estote.

20 Proinde fratres, quando, ut dictum est, pietas habet velut ætates & accessus suos, date operam, ut relictis inferioribus donis, ad majora proficiatis, ne perpetuo pueri videamini. Sunt dotes, quæ congruunt primum initiatis Christo, sunt quæ decent jam provectiores. Volo quidem vos perpetuo pueros esse, quod ad morum simplicitatem atque innocentiam pertinet, at animi dotibus velim vos usque proficere, donec ad summum perveniatis. Neque enim jam vobis satis est, si nulli nocueritis, sed enitendum est, ut jam adulti & prodesse valeatis omnibus. Puerorum est, quamlibet exigua demirari, atque his sibi magnifice placere. Sed adfert illis hoc ætas, ut mox negligant quæ prius jactabant, contendentes ad majora.

21 In lege scriptum est: Quoniam in aliis linguis & labiis aliis loquar populo huic: & nec sic exaudient me, dicit Dominus.

21 Habet Christiana fides & rudimenta sua, in quibus turpe sit consenescere. Id ita esse, testatus est olim & ipse Deus, hunc in modum loquens apud Esaiam Prophetam: *Variis linguis ac diversis labiis loquar populo huic, ac ne sic quidem audient me.*

22 Itaque lingua in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus: prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus.

22 Itaque Linguarum donum faciebat ad Ecclesiæ rudis primordia, ut hoc miraculo commoverentur increduli, cum his qui credunt sit otiosum. At contra, prophetiæ donum, non solum incredulis prodest in hoc, ut resipiscant, verum etiam credentibus, ut in dies reddantur firmiores, ac seipsis meliores. Itaque perspicuum esse debet, quam parum utilitatis habeat Linguarum usus, cum aliquoties officiat etiam, & offendat.

23 Si ergo conveniat universa Ecclesia in unum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiota, aut infideles: nonne dicent quod insanitis?

23 Nam facite mihi jam totam congregationem convenisse, simulque omnes variis, sed ignotis Linguis sonent, alius Hebraica, alius Africa, alius Asiatica, atque intrent interim in cœtum vestrum alii Christiani Linguarum imperiti, aut etiam increduli, Linguarum item imperiti, nonne cum audierint confusissimum diversarum vocum strepitum, nihil omnium intelligentes, dicturi sunt quod mente capti lymphatique sic ineptiatis.

24 Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus.

24 Contra, si per prophetiæ donum, alius doceat, alius admoneat, alius exhortetur, alius consoletur, & interim superveniat in cœtum vestrum hospes quispiam imperitus, aut etiam incredulus, qui & intelligit sermonem vestrum, & vicissim intelligitur, nonne dum veram pietatem agnoscit in vobis, damnat apud se suam superstitionem, suosque mores impios detestatur, collatos ad vestram pietatem: totusque sibi ostenditur, dum audit à vobis veræ religionis disciplinam, à qua videt sese hactenus plurimum abfuisse, sibique conscius est eorum vitiorum, quæ sermo vester exsecratur.

25 Occulta cordis ejus manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit.

25 Denique fit, ut ille mutatus in alium virum, ac sui pœnitens, pronus in terram procumbat, agnoscens, palamque testificans, quod vere Spiritu Dei sitis afflati, non more phanaticorum loquamini, qui Dæmoniaco furore correpti, voces effundunt, nec ab ipsis, nec ab aliis intellectas, sonum edentes sine mente.

26 Quid ergo est, fratres? cum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant.

26 Quid igitur faciendum est fratres? Quoties in publicum cœtum convenitis, suam quisque dotem secum adfert: alius habet canticum mysticum, quo lubet canere Deum: alius doctrinam habet, qua possit ad instituendam vitam erudire: alius revelationem habet, ut eruat abstrusa reconditaque in sacris Litteris: alius Linguæ dono præditus est. Nihil horum fastidiatur, sed omnia conferantur ad publicam utilitatem in cœtu publico, verum ita, ne quis exsistat tumultus, aut confusio.

27 Sive lingua quis loquitur, secundum duos, aut ut multum tres, & per partes, & unus interpretetur.

27 Detur & Linguarum dono præditis suus locus, sed ita ut bini duntaxat loquantur in singulis conciliabulis, aut ut plurimum terni, neque id tamen simul, sed per vices, neque rursus soli loquantur, sed adsit qui quod ab illis dictum est, interpretetur populo. Unus interpres duobus aut tribus Linguæ dono præditis sufficerit, quod necesse non sit, multum verborum sonari linguis.

28 Si autem non fuerit interpres, taceat in Ecclesia, sibi autem loquatur, & Deo.

28 Quod si desit interpres Linguarum peritus, non est quod in cœtu loquatur: qui præter Linguarum donum nihil habet, utatur suo dono, sed privatim, ubi sibi canat ac Deo. In cœtu publicum negotium agitur.

29 Prophetæ autem duo, aut tres dicant, & ceteri dijudicent.

29 Ad eundem modum Prophetæ non omnes, sed bini,

Digitized by Google

bini, aut terni loquantur, idque viciſſim, ſed adſint quibus adeſt donum dignoſcendi Prophetarum afflatus, veri ſint, nec-ne, qui rejiciant, ſi quid dictum eſt Chriſti Spiritu indignum.

30 Quod ſi alii revelatum fuerit ſedenti, prior taceat.

30 Quod ſi uno quopiam loquente, is, qui huic aſſidet, interloqui cœperit, velut afflatus Deo, ne ſit vocum tumultus, prior conticeſcat. Jam enim apparet alteri patefactum, quod prior quærebat, quandoquidem afflatus & impulſu Spiritus interpellavit.

31 Poteſtis enim omnes per ſingulos prophetare: ut omnes diſcant, & omnes exhortentur:

31 Quod ſi fiat, nihil vetat quo minus omnes prophetetis, modo viciſſim id fiat, & alter alteri loquendi vices concedat, quo major doctrinæ fructus ad omnes pertineat, in medium adferentibus ſingulis, quod inſpirarit Deus, & uberiore conſolatione reficiantur omnes, dum ſinguli conferunt in commune, quod Chriſti Spiritus inſpirarit.

32 Et ſpiritus prophetarum prophetis ſubjecti ſunt.

32 Nec eſt quod excuſetis, afflatos Numine ſui juris non eſſe, quemadmodum in lymphatis videmus accidere. Longe ſecus eſt de afflatu Chriſti, qui ſic addit impetum mentis, ut nihilo ſecius in tua ſis poteſtate, ſive res ſermonem poſcat, ſive ſilentium. Sanus eſt hic afflatus, nec aliud, quam piæ mentis impetus ad ea, quæ videntur ad Dei gloriam facere.

33 Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis: ſicut & in omnibus Eccleſiis ſanctorum doceo.

33 Is hoc magis ſervire debet tranquillitati publicæ, & hoc longius abeſſe à contentione, quod à Deo proficiſcatur, qui pacis eſt auctor, non tumultus, aut diſſidii. Id cum obſervetur in omnibus conventiculis ſanctorum, par eſt, ut itidem in veſtris conciliabulis, ſi ſancta videri vultis, ſervetur, ne quid à cæteris videamini diſcrepare ritibus, à quibus non diſſidetis profeſſione religionis.

34 Mulieres in Eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit.

34 Atque hac ipſa de cauſa ſileant veſtræ mulieres in ſolenni conventu, ne (ut eſt ſexus affinis loquacitatis vitio) tumultus indecorus oriatur. Neque enim illis permiſſum eſt, ut in publico concionentur, velut auctores rerum, ſed præceptum eſt ut viris ſubditæ ſint. Sic enim in Geneſi Deus mulieri loquitur: A viro pendebis, & ille tibi dominabitur. Hanc igitur legem agnoſcant, non ſolum tectis capitibus, verum etiam ſilentio, quo maxime decoratur ille ſexus.

35 Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent. Turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia.

35 Dixerit aliquis, uſque adeo linguam adimis mulieribus, ut nec diſcendi gratia, ſciſcitandique fas ſit loqui? Prorſus adimo in publico, cæterum ſi quid erit, quod non ſatis intelligant, cupiantque diſcere, domi maritos ſuos interrogent. Ita fiet, ut nec doctrina fraudentur, nec quicquam indecore geratur. Nam prorſus indecorum ſpectaculum eſt, videre mulierem in publico cœtu ſanctorum loqui, cum id etiam in profanis concionibus Ethnicorum fœdum habeatur.

36 An à vobis verbum Dei proceſſit? aut in vos ſolos pervenit?

36 Quid eſt, cur vos gravemini ſervare ritum, à cæteris omnibus obſervatum, Corinthii? An à vobis primum profectum eſt Euangelium, ut cæteri cogendi ſint ad veſtrum morem? An ad vos ſolos pervenit Euangelium? Quod ſi nec primi Chriſti religionem tenetis, nec ſoli, cur piget ad aliorum ritus vos attemperare?

37 Si quis videtur propheta eſſe, aut ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcribo vobis, quia Domini ſunt mandata.

37 Si quis apud vos videtur eſſe Propheta, aut alioqui ſpiritualibus præditus dotibus, agnoſcat, quæ ſcribo vobis, non mea eſſe præcepta, ſed Domini.

38 Si quis autem ignorat, ignorabitur.

38 Quod ſi quis per contentionem ſic agit quaſi ignoret, & hæc velut humana juſſa contemnit, ignoret ſuo periculo, viciſſim ignorandus à Deo. Decertare non eſt meum, ſatis eſt admonuiſſe.

39 Itaque fratres æmulamini prophetare: & loqui linguis nolite prohibere.

39, 40 Igitur ut hunc ſermonem finiam fratres, huc enitamini, ut contingat prophetiæ donum, quod longe præclarius eſt, ſed ſic, ut interim non prohibeantur loqui linguis, quibus aliud donum non contigit, modo, quemadmodum præſcripſi, cuncta fiant & cum decoro, & ordine, ne quid turpitudinis aut tumultus exoriatur.

40 Omnia autem honeſte, & ſecundum ordinem fiant.

CAP. XV.

Per Chriſti vitam reducis vivemus & ipſi:
Denuo victores mors tua Chriſte facit.

1, 2 JAM quoniam audio fratres de reſurrectione mortuorum à nonnullis veſtrum ambigi, quibus humana philoſophia etiamnum tumidis hoc perſuaderi nondum poteſt, non eſt quod novi quicquam vos doceam, tantum in memoriam revoco vobis Euangelium, quod vobis primum tradidi, quodque ſemel eſtis amplexi, & in quo hactenus perſeveratis, cujuſque præſidio ſalutem adipiſcimini: ut ſimul & mihi ſupervacaneum ſit denuo tradere, quod ſemel recte traditum eſt, nec vobis honeſtum, ſi per inconſtantiam ab eo deſciſceretis, quod ſemel eſtis amplexi, præſertim cum experiamini noſtrum Euangelium vobis ad ſalutem efficax eſſe. Atqui præcipua pars Euangelicæ doctrinæ eſt, credere reſurrectionem mortuorum. Qua de re non oportet ambigere, niſi, quod abſit, fruſtra credidiſtis. Quorſum enim attinebat Euangelium amplecti, ſi quod eſt hujus rei caput, negatis, videlicet mortuos olim revicturos?

1 Notum autem vobis facio, fratres, Euangelium, quod prædicavi vobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis,

2 Per quod & ſalvamini: qua ratione prædicaverim vobis, ſi tenetis, niſi fruſtra credidiſtis.

3 Hujus in primis meminiſſe vos oportebat, quod vobis in primis tradidi ſermone, nunc litteris repeto, quodque vos ſemel accepiſtis: nimirum illud, quod Dominus Jeſus Chriſtus mortuus ſit, ſuaque morte nos à peccatis liberarit, pro nobis dependens, quod ipſi commiſeramus: quod ita futurum multis ante ſeculis Scriptura dixerat, ut tanquam ovis ad lanienam duceretur, ut ſuo livore noſtris malis mederetur, ut de ligno crucis regnaret ac Diaboli tyrannidem frangeret.

3 Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi: quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum Scripturas:

4 Ad hæc tenendum eſt, quod non ſolum vere mortuus ſit, verum etiam ſepultus, ac tertio die revixerit: quod & ipſum fore jam olim prædictum fuerat Prophetarum oraculis, quo magis credatis factum, quod per ſacros viros Deus fore promiſerat. Nam ita loquitur Oſee: *Poſt biduum & tertio die reſurgemus & vivemus in conſpectu ejus.* Rurſus David ita loquitur: *Non derelinques animam meam apud inferos.*

4 Et quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas:

5, 6 Super hæc, quo certius crederetis, docui vos, quomodo redivivus multis ſe conſpiciendum præbuerit, primum Cephæ, deinde duodecim illis, & quod poſt hæc viſus ſit plus quam quingentis fratribus ſimul congregatis. Quorum plerique vivunt in hunc uſque diem, ſi quis addubitet de fide narrationis. Aliquot diem ſupremum obierunt.

5 Et quia viſus eſt Cephæ, & poſt hoc undecim:

6 Deinde viſus eſt plus quam quingentis fratribus ſimul: ex quibus multi manent uſque adhuc, quidam autem dormierunt:

7 Sub hæc conſpectus eſt Jacobo, qui frater Domini dictus, primus apud Hieroſolymos Epiſcopi dignitate functus eſt. Deinde conſpectus eſt diſcipulis omnibus, non tantum illis duodecim, à quibus primum ortum Apoſtoli cognomen in plures derivatum eſt.

7 Deinde viſus eſt Jacobo, deinde Apoſtolis omnibus:

8 Poſt omnes autem & mihi conſpectus eſt, velut Apoſtolo abortivo, qui poſt maturos partus tandem velut imperfectus fœtus, ejectus ſum verius, quam natus.

8 Noviſſime autem omnium tanquam abortivo, viſus eſt & mihi.

9 Non queror, quod poſtremus omnium viderim Dominum. Magnum eſt, quod videre meruerim. Nam ego ſum infimus Apoſtolorum, nec ſatis dignus, qui dicar Apoſtolus, propterea quod perſecutus ſum Eccleſiam Dei, quam Apoſtoli conſtituunt.

9 Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.

10 Indignus igitur eram, qui vel poſtremus in ordinem Apoſtolicum allegerer, ſed gratuita Dei bonitas me licet immerentem hoc honore dignata eſt, ut quicquid ſum, illius ſit muneris, non meriti mei. Neque paſſus ſum illius in me beneficentiam otioſam aut ſterilem eſſe. Quin potius licet poſtremus ſim ordine temporum, tamen in functione muneris Euangelici, non geſſi me in poſtremis, ſed plus laborum exhauſi, quam quiſquam alius Apoſtolorum, ne quis hoc nomine mihi minus tribuat auctoritatis,

10 Gratia autem Dei ſum id quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus

Digitized by Google

laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum.

quod ultimus sim Apostolorum. Quanquam hoc ipsum, quod laboravi, non mihi vindico, sed beneficentiæ divinæ adscribo, cujus præsidio factum est, quicquid gestum est.

11 Sive enim ego, sive illi; sic prædicamus, & sic credidistis.

11 Igitur ut ad rem redeam, sive illis potior est auctoritas in Euangelico negotio, sive mihi, certe consentientes idem prædicamus omnes, & quod nos magno consensu prædicamus, id vos veluti certum & indubitatum credidistis. Nos nostri dissimiles non sumus, supereſt ut vos vestri similes sitis, non jam in dubium revocantes, de quibus semel statuistis.

12 Si autem Christus prædicatur quod resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?

12 Quod si omnium Apostolorum testimonio prædicatum est, & prædicatur, quod Christus princeps & auctor resurrectionis, à morte revixerit, qua fronte quidam inter vos dicunt, quod nulla sit resurrectio mortuorum?

13 Si autem resurrectio mortuorum non est: neque Christus resurrexit.

13 Quod si nulla est, consequitur ne Christum quidem ipsum resurrexisse. Quorsum enim attinebat ducem & caput nostrum resurgere, nisi ut prævius membrorum suorum resurrectionem appararet, viamque nobis omnibus aperiret?

14 Si autem Christus non resurrexit, inanis ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra:

14 Quod si Christus non resurrexit, inanis videlicet est prædicatio nostra, inanis est & credulitas ac fiducia vestra. Si nobis persuasum est Christum revixisse, certum sit oportet & nos revicturos, quibus ad vitam revocandis ille revixit.

15 Invenimur autem & falsi testes Dei: quoniam testimonium dixi-mus adversus Deum, quod suscitaverit Christum; quem non suscitavit, si mortui non resurgunt.

15 Alioqui futurum est, ut non solum utrique luserimus operam, nos prædicando, vos credendo, verum etiam injurii comperiamur in Deum, de quo non recte testati sumus, quod Christum excitarit à morte, cum illum non excitarit. Non excitavit autem, si cæteri mortui non reviviscunt.

16 Namsi mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit.

16 Aut utrumque credendum est, aut utrumque negandum, cum eadem sit capitis ac membrorum resurrectio. Si mortui non resurgunt, quorum gratia resurrecturus erat Christus, ne Christus quidem resurrexit.

17 Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris.

17 Quod si Christus non resurrexit, frustra credidistis illum resurrexisse, frustra credidistis vos per fiduciam in illum factos immunes à peccatis. Estis igitur adhuc pristinis obnoxii peccatis. Nihil actum est baptismo, quo mystice per Christum interim à peccatis reviviscimus.

18 Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt.

18 Quin etiam hi, qui cum hac fiducia mortui sunt, atque hac spe suas cervices carnificum securibus præbuerunt, prorsus interierunt si nulla spes est reviviscentiæ.

19 Si in hac vita tantum in Christo speran-tes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.

19 Quod si tota spes nostra, quam de Christo concepimus, non porrigitur ultra terminum vitæ præsentis, non solum non sumus felices, verum etiam calamitosiores cæteris, qui à Christo sunt alieni. Siquidem illi vitæ præsentis commodis utcunque fruuntur, nos & hîc affligimur ob Christi nomen, & post hanc vitam nihil nanciscemur præmii, si non toti reviviscemus. Sed avertat Deus ut quisquam tam absurde credat, in suum ipsius malum.

20 Nunc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium:

20 Imo si Christum resurrexisse creditis, quod nemo pius non credit, necessario consequitur, & nos resurrecturos. Siquidem in illo cœpta est resurrectio, quæ perficietur in nobis: & ut ille totus revixit recepto corpore, ita nos toti reviviscemus. Caput non divelletur à membris. Ille ceu princeps ac dux primus revixit, veluti primitiæ quædam omnium, qui cum resurrectionis spe moriuntur. Ille resurrectionem auspicatus est, alii secuti sunt, comites Dominicæ resurrectionis, & nos olim sequemur. Neque enim dubitandum, quin in omnibus suis membris præstaturus sit, quod in seipso, quodque jam in compluribus sanctis præstitit.

21 Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.

21 Oportet enim imaginari duo corpora, unum morti obnoxium, quod pendet à capite Adam: alterum immortalitati destinatum, quod pendet à capite Christo. Quemadmodum igitur olim mors per unum hominem peccantem irrepsit, ac velut à capite sparsa per membra, in cæteros omnes grassatur: ita per unum hominem ab omni prorsus peccato immunem, invecta est resurrectio mortuorum.

22 Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.

22 Siquidem ob unius Adæ commissum omnes ab illo profecti, sumus obnoxii morti: ob unius Christi innocentiam omnes immortalitati restituentur, qui meruerint esse in illius corpore.

23 Unusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus: deinde ii, qui sunt Christi, qui in adventu ejus credide-runt.

23 Reviviscent omnes, sed suo quisque ordine, princeps omnium est Christus, deinde qui Christo adhærent, ceu membra capiti, quorum aliquam multi jam egressi è monumentis, una cum Christo resurrexerunt, cæteri reviviscent in extremo illius adventu.

24 Deinde finis; cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum evacuave-rit omnem principa-tum, & potestatem, & virtutem.

24 Jamque peracta totius corporis resurrectione, nihil supererit nisi finis humanarum vicissitudinum. Id non ante futurum, quam cum penitus abolita mortis tyrannide, Christus victor regnum tranquillum ac pacatum tradet Deo Patri, cui debellatis hostibus suam ditionem asserit: cumque prorsus à toto corpore suo depulerit, & in nihilum redegerit omnem adversariorum potestatem, principatum ac vim.

25 Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus.

25 Siquidem tamdiu necesse est Filium hoc asserendi Deo Patri regni negotium agere, donec universos hostes suos internecione devictos, substraverit pedibus suis, ne qua sit usquam rebellio, aut metus malorum.

26 Novissima autem inimica de-struetur mors: Omnia enim subje-cit sub pedibus ejus.

26 Per peccatum regnat mors, per mortem regnat Satanas. Peccato exstincto desinet regnare mors. Id quanquam interea molimur pro viribus, tamen ad plenum non prius continget, quam extrema resurrectio vim omnem mortalitatis aboleverit, velut extremo jam hoste confecto, qui pertinacissime rebellabat.

27 Omnia subjecta sunt ei; sine dubio præter eum, qui subjecit ei omnia.

27 Siquidem ita decrevit Pater, omnia subjicienda sub pedes Filii, quemadmodum scriptum est in Psalmis: *Omnia subjeciſti sub pedes ejus.*

28 Cum autem subjecta fuerint illi omnia: tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.

28 Atqui cum dicit, fore ut omnia subjiciantur pedibus Filii, non sic accipiendum est, quasi Patre excluso, Filius solus regno sit potiturus, imo idem est Filii Patrisque regnum. Per Filium Pater regnum hoc novum ac peculiare, quo devictis cupiditatibus, nulla sit adversus divinam voluntatem rebellio, sibi asserit: quod ita habet commune cum Filio, ut penes ipsum maneat auctoritas, utpote à quo profectum est Filio regni consortium, quod ita plenum ac perfectum est Filio, ut nihil interim decedat Patri, cum sit eadem utriusque voluntas. Ergo cum acciderit, ut Filio subjecta sint omnia, tunc & ipse Filius totum, hoc est, cum corpore sese subjecturus est Patri, quo auctore factum est, ut omnia cesserint in Filii ditionem: ut posthac nec in membris sit quod à Christo dissideat, & Filius totus cum Patre consentiat, à quo ceu summo principio pendebunt universa, & huic velut auctori feretur ab omnibus acceptum, quicquid usquam præclare gestum est.

29 Alioquin quid facient qui baptizan-tur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut quid & baptizan-tur pro illis?

29 Hæc cum vobis olim tradiderim, vosque receperitis, quid est quod rursus quidam ambigunt, num revicturi sint mortui? Cujus si nulla spes est, nihil egerint isti quidam, qui licet superstitiose magis, quam pie, vice mortuorum baptismum accipiunt, metuentes ne non inter justos resurgat, qui sine baptismo decessit. Id ne fiat, subornant aliquem, qui mortui loco respondeat se credere, ac baptismum cupere. Fidem probo, factum non probo: nam ut ridiculum est existimare, mortuo succurri baptismo alieno, ita recte credunt resurrectionem futuram. Neque enim metuerent mortuo, si crederent eum non revicturum.

30 Ut quid & nos periclitamur omni hora?

30 Quin & ipsi nos stulte facimus, ob Christi doctrinam quotidie de vita periclitantes, si post gravissimas afflictiones non sequetur præmium.

31 Quotidie morior

31 Neque periclitamur modo, verum etiam in singulos

Digitized by Google

per vestrum gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro.

gulos dies quodammodo morimur, novis subinde periculis expositi, neque simplici morte defungimur. Quod dico non mentior, ita mihi semper gloriari liceat hac gloriatione, quam habeo per Christum Jesum Dominum nostrum, in cujus gloriam cedunt etiam ipsa mala, quæ perpetimur.

32 Si (secundum hominem) ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.

32 Quod apud Ephesios tantum malorum perpessus sum ob Euangelium Christi, ut mihi fuerit cum bestiis depugnandum, morti addictissimo, quid fructus fuerit, aut quod præmium, si mortui non reviviscunt? Quæ dementia sit, ultro tot malis immergi, si mox à morte nihil referat, quomodo vixeris? Si tota spes hominis morte finitur, quid supererst, nisi ut quod apud Esaiam dicunt impii, diffisi de promissis futuræ vitæ, ac felicitatis summam hujus vitæ commodis metientes: *Edamus & bibamus, cras enim morimur.* Quod ex vita rapuerimus, id demum nostrum est, à morte nihil sumus.

33 Nolite seduci: Corrumpunt mores bonos colloquia mala.

33 Hujusmodi fortasse cantilenas vobis occinunt vel Philosophi, vel Pseudoapostoli. Sed cavete, ne vos suis fabulis in periculosum errorem illiciant, semper memores, quod vere dictum est à Comico quodam vestrate: *Mores bonos colloquia corrumpunt mala.*

34 Evigilate justi, & nolite peccare: ignorantiam enim Dei quidam habent, ad reverentiam vobis loquor.

34 Ex otio luxuque vitæ nascitur ista diffidentia, dum sibi male conscii, nolunt esse resurrectionem: tanta vitiorum caligine tenentur quidam in diem viventes. At vos per justitiæ studium, non voluptatum, expergiscamini, neque in tantum diffidentiæ malum prolabamini cum cæteris. Sunt enim inter vos, qui licet humanæ sapientiæ supercilio tumeant, tamen quæ præcipua sapientiæ pars est, ea carent, Deum ignorantes, cujus vi non credunt mortuos in vitam restitui posse, cum sit omnipotens. Nec animadvertunt facilius esse restituere quod collapsum est, quam quod non est, ex nihilo condere. Hæc dico non infensus vobis, sed ut pudore correcti, posthac non auscultetis istis, qui tam stulta, tamque impia vobis persuadere conantur.

35 Sed dicet aliquis: Quomodo resurgunt mortui? qualive corpore venient?

35 Jam cum certum sit futuram resurrectionem, rogabit aliquis curiosior, quomodo futura sit, aut cujusmodi corpore sint resurrecturi: quandoquidem hæc corpora vertuntur in favillam, aut terram, aut aliud vilius.

36 Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur.

36 Stulte quî mireris, semel id posse præstare Deum in resuscitandis corporibus, quod quotidie natura facit in eliciendo semine?

37 Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus cæterorum.

37 Tu semen aridum ac mortuum conjicis in terram, ibi rursus putrefactum interisse videtur, atque ita demum exsiliens è terra, veluti renascitur, ac reviviscit, nec aliter reviviscit, nisi mortuum ac sepultum fuerit. Ac longe alia specie renascitur semen, quam conditum fuerat in scrobe. Pusillum, vile, nigrum ac siccum granulum infoditur humo, id in limo putrefactum, suo tempore veluti revivi-scens crumpit in teneram herbam, mox culmi, deinde aristæ. At nihil horum apparebat in granulo illo minuto, quod terræ credidisti. Sua cuique semini vis inest, ea se profert, ubi rursus emerserit, ut jam aliud omnino videatur, cum idem conspicias, sed renatum in meliorem speciem. Ex quantulo grano, quantam arborem enatam vides? Quod stirpis robur, quæ radicis ambages, quam late sparsi rami, quæ pompa frondium, quæ florum amœnitas, quæ fœtuum ubertas? Nihil horum erat, cum tu vile ac minutum illud granum insepelires humo. Et tamen hæc omnia audebas sperare, naturæ viribus fretus, & non audes idem à Deo sperare, fretus illius omnipotentia?

38 Deus autem dat illi corpus sicut vult: & unicuique semini proprium corpus.

38 Granum est quod seminas, non arbor, & tamen Deus excitato grano corpus addit, quale visum est ipsi, qui singulis seminum generibus peculiarem vim penitus indidit, ut cum renascantur omnia, non tamen eadem specie renascantur.

39 Non omnis caro, eadem caro: sed alia quidem hominum, alia vero pecorum; alia volucrum, alia autem piscium.

39 Quod idem fit in animantium genere. Suum cuique semen est, neque quodvis animal è quovis semine provenit. Et quanquam illud est omnium commune, quod corpus habent carneum, tamen non parum interest inter carnem & carnem. Siquidem alia est hominum caro, alia pecudum, alia piscium, alia volucrum.

40 Et corpora cœlestia, & corpora terrestria: sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium.

40 Item in his quæ carent anima, licet omnia corpora dicantur, tamen alia species est corporibus cœlestibus, alia terrestribus, puta saxis, aut aquæ terræve.

41 Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum: Stella enim à stella differt in claritate:

41 Quin ut alia gloria est ac dignitas corporum cœlestium, alia terrestrium, ita inter ipsa corpora cœlestia discrimen est. Primum non est eadem gloria Lunæ, quæ Solis, nec cæterarum Stellarum quæ Lunæ. Denique & ipsæ inter se Stellæ differunt claritate. Nec enim omnes æquant Luciferi radios.

42 Sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.

42 Itidem in resurrectione suo cum corpore reviviscent omnes, sed dispari dignitate, nimirum pro cujusque sorte, proque vitæ meritis. Nam alia specie reviviscent impii, alia pii. Rursum inter pios, prout quisque se gessit in vita, ita novati corporis honore præminebit. Omnibus tamen piis longe felicius restituetur corpus, quam in morte deposuerint. Quod in natura est semen humo condere, hoc est in resurrectionis causa sepelire cadaver. Quod est illic enasci, hoc hîc reviviscere. Ut illic longe præclarius est, quod nascitur, quam quod erat creditum terræ: ita hîc licet idem, tamen longe dissimile corpus excitatur. Conditum est humo ceu seminis granum, corpus putrefactioni obnoxium, at idem reviviscet nulli prorsus obnoxium corruptioni.

43 Seminatur in ignobilitate, surget in gloria: Seminatur in infirmitate, surget in virtute:

43 Contemtum ac vile corpus humo conditur, at reviviscet idem multa præfulgens gloria. Sepelitur corpus, etiam cum viveret imbecille, sed resurget immensis præditum viribus.

44 Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Si est corpus animale, est & spirituale, sicut scriptum est:

44 Sepelitur corpus, quod ut viveret, tamen crassum erat ac pigrum, & ob id sæpe oneri moderatori animo; sed resurget corpus non animale jam, sed spirituale, quod nusquam in mora sit animo, quocunque tulerit illius impetus. Nam est hæc quoque corporum differentia, cum aliud sit animale, quod cibis eget ac somno, quod labore fatigatur, quod morbis afficitur, quod ætate contabescit, quod crassis aut vitiatis organis suis frequenter impedit animi conatum, quod ob insitos affectus sæpe sollicitat ad vitia, cui cum inhæret & obsequitur animus, ipse velut in corpus vertitur, è mente degenerans in carnem: aliud spirituale, quod hic paulatim à sensibus & affectibus corporeis defecatum, mox per resurrectionem renascens, quodammodo transfiguratum est in animum, cui sese studio pietatis accommodaverat: ut quemadmodum noster animus obtemperans divino Spiritui, rapitur ac quadantenus transformatur in illum, ita corpus nostrum obsequens animo, repurgetur & exsuat crassitudinem suam, extenuatum in tale corpus, ut menti simillimum sit.

45 Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem.

45 Corpus hoc crassum ac terreum accepimus à principe nostri generis Adam illo priore, qui ut de limo fictus erat, ita terrenis affectibus fuit obnoxius. Verum, est alter Adam posterior, non nativitatis, sed reviviscentiæ princeps, qui ut cœlestem habet originem, ita fuit ab omni contagio terrenarum cupiditatum immunis. Ita legimus & in Genesi: *Conditus est primus Adam, ut animæ beneficio viveret.* Sed ita, ut anima, velut illigata corpori crasso, nihil ageret, nisi per organa corporis, aut certe aliquid materiale. Sed post hunc datus est posterior Adam, qui ut è Spiritu Sancto conceptus est, ita suis vitam impartiret, non crassam hanc, & pleriisque in rebus communem cum pecudibus, sed vitam spiritualem ac divinam.

46 Sed non prius quod spirituale est, sed quod animale: deinde quod spirituale.

46 Itaque per Christum modis omnibus in melius renascimur. Quod tempore prius est, id & re crassius est, juxta naturæ quoque ordinem. Animale corpus nunc gestamus, olim fruituri spirituali. Quemad-

admodum craſſior ille generis noſtri parens præceſſit, ſucceſſit Chriſtus auctor novæ generationis.

47 Qualis fuit parens ille luteus, tales ſunt & hujus poſteri, nempe terrenis addicti cupiditatibus.

48 Rurſum qualis fuit Adam ille cœleſtis, tales ſunt in hunc renati, quibus cœleſtia cordi ſunt.

49 Nam quod olim perfecte continget, hîc jam meditandum eſt. Quemadmodum ante baptiſmum, primi parentis ingenium improbis moribus expreſſimus, ita per baptiſmum renati Chriſto, cœleſtem auctorem vita cœleſti referemus. Quod ni fecerimus, nec hîc pertinebimus ad corpus Chriſti, nec tum reſurrectionis gloria fruemur.

50 In Dei quidem regnum cooptati ſumus, verum, illud dico fratres, quod caro & ſanguis, hoc eſt homines primæ generationis, non poſſunt ad hæreditatem regni Dei pervenire. Neque vita corrupta vitiis, immortalitatis hæreditate fruetur.

51 En rem arcanam vobis aperio, ne quid vos lateat de modo reſurgendi. Non omnes morituri ſumus, nam fortaſſe dies ille noſtrum aliquot vivos deprehendet, ſed tamen omnes ad immortalitatis gloriam immutabimur, qui hîc pietatis ſtudio quodammodo meditamur immortalitatem, abſtinentes à peccati contagio.

52 Ea immutatio non continget paulatim, quemadmodum in rebus naturalibus fieri videmus, ſed in momento punctoque temporis ad cantum extremæ tubæ. Clanget enim tuba, ad cujus vocem qui tum mortui fuerint, reviviſcent jam immortales. Et nos, quos vivos reperiet ille dies, ſubito immutati, jam aliter vivemus, videlicet ad eorum morem qui revixerint.

53 Oportet enim, ut priuſquam regno cœleſti plene potiamur, prorſus exſuamus omnia quæ terram ſapiunt, & corpus, quod nunc habemus corruptioni obnoxium, reddatur incorruptibile, & quod nunc habemus mortale, reddatur immortale.

54 Id ubi contigerit, tunc re præſtabitur, quod Oſee Propheta futurum præſagiens, dicit, exſultans adverſus mortem internecione deletam: *Abſorpta eſt mors per victoriam.*

55 *Ubi nunc tuus ô mors aculeus? ubi tua victoria tartare?*

56 Porro mortis aculeus eſt peccatum. Robur autem peccati lex, quæ per occaſionem irritat peccandi libidinem. Lege ſublata, languet peccati vis: ſublato peccato, ceſſat mortis potentia, exemto videlicet aculeo, quo nos ferire ſolet.

57 Tam violentis hoſtibus prorſum impares eramus, ſi noſtris præſidiis res fuiſſet gerenda: ſed tamen eſt habenda Deo gratia, qui fecit ut nobis, ſi velimus, in manu ſit tam inclyta victoria per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſua morte pro nobis mortem expugnavit, quique noſtra commiſſa in ſeſe recepit expianda.

58 Proinde fratres mei cariſſimi, quando certum eſt, futuram reſurrectionem, quando certum eſt tantam felicitatem per eam præſtari, quæ tamen non continget, niſi qui hîc per innocentiam & peccati fugam cœleſtem vitam meditati fuerint: ne vacillet is in eo, quod ſemel credidiſtis, neque ſinatis vos malorum colloquiis à recta ſententia dimoveri: quin potius detis operam, ut in his, quæ vos Deo conciliant, in dies proficientes, ſemper vobis ipſis meliores poſſitis evadere, præparantes voſmetipſos ad futuram reſurrectionem. Ne pigeat ullius laboris, cum certum habeatis, quod opitulante Chriſto, pro temporariis moleſtiis æterna gaudia ſitis aſſequuturi.

47 *Primus homo de terra, terrenus: ſecundus homo de cœlo, cœleſtis.*
48 *Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes.*
49 *Igitur, ſicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis.*
50 *Hoc autem dico fratres: quia caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt: neque corruptio incorruptelam poſſidebit.*
51 *Ecce myſterium vobis dico: Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.*
52 *In momento, in ictu oculi, in noviſſima tuba: canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti: & nos immutabimur.*
53 *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem.*
54 *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in victoria.*
55 *Ubi eſt mors victoria tua? ubi eſt mors ſtimulus tuus?*
56 *Stimulus autem mortis peccatum eſt: virtus verò peccati lex.* 57 *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* 58 *Itaque fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote, & immobiles: abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino.*

CAP. XVI.

Quid de collectis jubeat: quæ mens ſit Apollo: De Stephano: ſubdit, ſcriptor ego ipſe fui.

1 CÆTERVM quod attinet ad ſublevandos benignitate veſtra ſanctos, qui degunt Hieroſolymis, quemadmodum præſcripſi Galatis, ut in eum uſum pecunia colligeretur, ſi qui ſponte ſua conferre vellent, itidem fiat apud vos, ut hac quoque in parte cum cæteris Eccleſiis congruatis.

2 Primo die ſabbati, hoc eſt die Dominico, quiſque veſtrum apud ſe reponat ac recondat, quantulumcunque cuique viſum fuerit. Hoc ideo moneo, quo magis in promtu ſit, quod quiſque largiri decreverit, ne cum venero, tum denique ſit corradenda pecunia.

3 Cæterum ubi venero ad vos, quoſcunque vos delegeritis ad hoc negotii, hos cum meis litteris mittam Hieroſolymam, ut perferant veſtram munificentiam.

4 Quod ſi videbitur operæ pretium ut ipſe proficiſcar illuc, illi mecum proficiſcentur, ne quis ſuſpicari queat, ulla ex parte me meum negotium agere.

5 Sum autem inviſurus vos, ubi per Macedoniam iter fecero, nam illos obiter duntaxat inviſam.

6 Apud vos autem aliquandiu commorabor, haud ſcio an totam hyemem exacturus, ut ſub proximum ver, vobis deducentibus, proficiſcar, quocunque negotium Euangelii vocabit:

7 Alioqui nunc vos adiſſem, ſed nolui vos obiter atque in tranſcurſu videre. Nam ſpero futurum, ut mihi liceat dies compluſculos apud vos commorari, ſi modo Dominus Jeſus permiſerit.

8 Interea commorabor Epheſi uſque ad quinquageſimum diem.

9 Res moræ nonnihil poſtulat, quod cum illic mihi ſit aperta janua ingens, & ampla ſpes illuſtrandi Euangelii, tamen multi ſunt qui adverſentur.

10 Quod ſi interim contigerit Timotheum adire vos, videte ne quid illi obtingat ab elatis ac divitibus quibuſdam periculi. Juvenis eſt, ſed meus eſt collega, & in Euangelico munere ſincere libereque verſatur ut ego.

11 Proinde ne quis illum deſpiciat, quod ætate ſit junior, quin potius ut Apoſtolum & collegam meum indemnem & illæſum dimittite, & officii gratia proſequamini abeuntem, ut ad me veniat. Nam illum exſpecto una cum cæteris fratribus, ejus comitibus.

12 Porro quod poſtulaveratis, ut Apollos potius iſthuc mitteretur, per me quidem non ſtetit, quo minus iverit. Nam vehementer hortatus ſum, ut adiret vos cum aliquot fratribus, ſed fruſtra. Siquidem ob certas cauſas non erat ullo pacto animus nunc adire vos, venturus tamen eſt ſimulatque vacabit.

13 Vigilate adverſus inſidias male ſuadentium. Perſiſtite in fide ſemel ſuſcepta, infracto animo ſitis adverſus ea quæ obſiſtunt Euangelio, ſitis robuſti validique.

14 Quicquid autem apud vos geritur, non per contentionem, ſed per caritatem geratur.

15 Obſecro vos fratres, ſed quid opus precibus? Ipſi noſtis familiam Stephanæ, dignam quam obſervetis, vel quod has ceu primitias ex Achaia Chriſto lucrifecerim, vel quod ſeſe totos dediderint ſanctis officio ſublevandis.

16 Par eſt igitur, ut vos quoque viciſſim talibus honorem habeatis: nec his ſolum, verum etiam quicunque nobiſcum adjuvat rem Euangelicam, noſtrique laboris particeps eſt. 17 Gra-

1 *De collectis autem, quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite.*
2 *Per unam ſabbati unuſquiſque veſtrûm apud ſeſe ponat, recondens quod ei bene placuerit: ut non, cum venero, tunc colligantur.*
3 *Cum autem præſens fuero: quos probaveritis per epiſtolas, hos mittam perferre gratiam veſtram in Jeruſalem.*
4 *Quod ſi dignum fuerit ut & ego eam, mecum ibunt.*
5 *Veniam autem ad vos cum Macedoniam pertranſiero: nam Macedoniam pertranſibo.*
6 *Apud vos autem forſitan manebo, vel etiam hiemabo: ut vos me deducatis quocumque iero.*
7 *Nolo enim vos modo in tranſitu videre, ſpero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, ſi Dominus permiſerit.*
8 *Permanebo autem Epheſi uſque ad Pentecoſten.*
9 *Oſtium enim mihi apertum eſt magnum, & evidens: & adverſarii multi.* 10 *Si autem venerit Timotheus, videte ut ſine timore ſit apud vos: opus enim Domini operatur, ſicut & ego.* 11 *Ne quis ergo illum ſpernat: deducite autem illum in pace, ut veniat ad me: expecto enim illum cum fratribus.* 12 *De Apollo autem fratre vobis notum facio, quoniam multum rogavi eum ut veniret ad vos cum fratribus: & utique non fuit voluntas ut nunc veniret: veniet autem, cum ei vacuum fuerit.* 13 *Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini.* 14 *Omnia veſtra in charitate fiant.* 15 *Obſecro autem vos fratres, noſtis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaici: quoniam ſunt primitiæ Achaiæ, & in miniſterium ſanctorum ordinaverunt ſeipſos:* 16 *Ut & vos ſubditi ſitis ejuſmodi, & omni cooperanti, & laboranti.*

Digitized by Google

17 *Gaudeo autem in præsentia Stephanæ, & Fortunati, & Achaici: quoniam id, quod vobis deerat, ipsi supplevérunt:*

17 Gratum fuit, quod Stephanam, Fortunatum, & Achaicum huc miseritis. Siquidem hi supplevérunt officio suo, venientes omnium nomine, quod adhuc desiderabam vestri.

18 *Refecerunt enim & meum spiritum, & vestrum. Cognoscite ergo qui hujusmodi sunt.*

18 Nam refocillarunt spiritum meum, imo vestrum, quippe qui non aliud spectat, quam vestrum commodum: nec alia re magis exhilaratur, quam vestris profectibus. Tales igitur agnoscite, peculiari quodam honore illos prosequentes.

19 *Salutant vos Ecclesiæ Asiæ. Salutant vos in Domino multum, Aquila & Priscilla, cum domestica sua Ecclesia: apud quos & hospitor.*

19 Salutant vos congregationes Asiaticæ. Multam salutem ex affectu pietatis optant vobis Aquila & Priscilla, reliquaque congregatio Christianorum, quam habent domi suæ.

20 *Salutant vos omnes fratres. Salutate invicem in osculo sancto.*

20 Salutant vos omnes, qui hîc Christi nomen profitentur. Sitis & vos mutua inter vos benevolentia conjuncti, vosque invicem salutate sancto puroque osculo, veræ concordiæ symbolo.

21 *Salutatio, mea manu Pauli.*

21 Saluto vos Paulus, atque id meapte manu subscripsi, pariter testans & meum erga vos affectum, & hanc Epistolam non esse subditiriam.

22 *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, Maranatha.*

22 Si quis non diligit Dominum Jesum, anathema sit, Maranatha, quandoquidem aversatur eum, à quo solo poterat consequi salutem: & venisse negat, quem constat venisse magno bono credentium, sed magno malo incredulorum.

23 *Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum.*

23 Adsit vobis favor ac beneficentia Domini Jesu Christi.

24 *Charitas mea cum omnibus vobis in Christo Jesu. Amen.*

24 Precor ut quemadmodum ego vos Christiano affectu diligo, ita vos invicem sincere diligatis ea caritate, qua vos conglutinavit Christus Jesus, Amen.

PARAPHRASEOS IN PRIOREM PAVLI APOSTOLI EPISTOLAM AD CORINTHIOS

FINIS.

IN POSTERIOREM AD CORINTHIOS EPISTOLAM

ARGVMENTVM,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

PRIMVM *reddit causas* Corinthiis, *quare non revisérit illos, quemadmodum pollicitus est Epistola superiore, prius quædam præfatus de suis afflictionibus, quas ob Euangelium* Christi *perpetiebatur, ostendens, in tantis malis Deum sibi fuisse solatio. Mox reconciliat* Corinthiis *eum, quem superiore Epistola jusserat tradi Satanæ, ut amanter reciperent castigatum, quem peccantem ejecerant. Hæc ferme Capite primo ac secundo. Deinde commemorat studium suum in Euangelio prædicando, obiter taxans ac notans cæteros Pseudapostolos, qui suo servientes quæstui, sua studentes gloriæ, nusquam non pelliciebant ad Legem Mosaicam: quam* Christo *sic conabantur admiscere, quasi sine hujus accessione, non esset spes salutis. Itaque umbris Legis* Mosaicæ *præfert Euangelii lucem: subinde adhortans illos, non ad cæremonias Legis, sed ad conscientiam vitamque* Christo *dignam: testans interim, qua sinceritate prædicaverit Euangelium* Christi, *quantumque malorum ejus gratia perpessus sit, spe præmii cœlestis. Ad hæc indicat, quibus in rebus sita sit potissimum Christiana pietas. Hæc tractantur in calce Capitis secundi, Capite tertio, quarto, quinto, & principio sexti. Nam reliqua hujus Capitis parte, simulque initio proximi hortatur illos, ut agnoscentes dignitatem & sanctitatem sua professionis, modis omnibus abstineant ab inquinamentis Ethnicorum, cum quibus nihil esset illis commune. Quarto loco lenit superioris reprehensionis acerbitatem, collaudans illorum obedientiam, quod Epistolæ suæ, licet objurgatrici, per omnia paruissent, gratulaturque quod is mœror temporarius summum gaudium utrisque pepererit, velut cum ex amaro pharmaco consequitur gratissima sanitas. Quinto loco cum exemplo* Macedonum, *tum variis argumentis, ac Scripturarum testimoniis provocat, ut pro sua quisque facultate, proque animi propensione, conferat aliquid in subsidium sanctorum, qui* Hierosolymis *agebant, memor hoc sibi mandatum à* Petro, *ad hoc negotii misso* Tito *cum altero collega, ut plerique putant* Luca, *quos commendat* Corinthiis. *Hæc agit Capite octavo & nono. Sexto, quos ante taxavit oblique, palam insectatur Pseudapostolos, qui fastu ac supercilio dignitatem ac majestatem Apostolicam præ se ferebant,* Paulum *in contemtum vocantes, velut humilem, ut qui cerdonicam exercuerit, velut imperitum & infantem, ad hæc toties cæsum ac vexatum injuriis. Adversus hos auctoritatem suam asserit apud* Corinthios, *testans nusquam sibi deesse auctoritatem ac potestatem Apostolicam, sed qua nolit uti gravandis aliis, quemadmodum cæteri, sed tantum ad commodum suorum &* Christi *gloriam. Deinde præfatus veniam stultitiæ, quod de se glorioſius quædam dicere cogeretur: primum æquat se summis Apostolis, deinde præfert etiam, idque multis nominibus, vel quod latius sparserit Euangelii doctrinam, vel quod unus gratuito eam tradiderit, neque per se, neque per suos gravans* Achaicos: *vel quod plura perpessus sit Euangelii causa, quam illorum quisquam, ea sibi gloriæ vertens, ob quæ quibusdam videbatur contemtior. Porro sermonis imperitiam agnoscens modestiæ causa, rerum scientiam sibi vindicat, ne quid vel hîc desiderent. Postremo quoniam Pseudapostoli fictis Angelorum visionibus sese venditabant apud simplices,* Paulus *veram & insignem adducit visionem, se raptum in tertium usque cœlum, atque illic edoctum, quæ captum hominum excedant. Hæc fere Capite decimo, undecimo, & duodecimo. Septimo, ne per Pseudapostolos relaberentur in pristina vitia, testatur sibi in animo esse invisere illos, cum auctoritate interminans, ne tales eos offendat, ut sui dissimilis esse cogatur, aut ne sicut Epistola sævire coactus est, ita præsens quoque sævire cogatur, quod antehac non fecerit, cum suo jure potuisset. Hæc agit in calce Capitis duodecimi, & Capite decimo tertio.* Græcorum *inscriptiones testantur hanc Epistolam missam è* Philippis *per* Titum & Lucam. *Cæterum argumenta, quæ nullo auctore, sed commoda brevitate habentur in* Latinis *Codicibus, testantur, per eosdem missam e* Troade: *nam hujus loci meminit Capite secundo.*

ARGVMENTI FINIS.

Digitized by Google

IN EPISTOLAM PAVLI AD CORINTHIOS POSTERIOREM

PARAPHRASIS,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

CAP. I.

Afflicti varie recreamur: mors probe vicit:
Nostis me: fidum est NON ETIAM QVE meum.

1 PAVLVS Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater, Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, cum omnibus sanctis, qui sunt in universa Achaia.

1, 2 PAVLVS legatione fungens nomine Christi Jesu ex auctoritate Dei Patris, simulque Timotheus frater consortio religionis, collega communione officii: gregi Christiano qui degit Corinthi, neque Corinthi solum, verum etiam omnibus sanctis, qui Christo serviunt per totam Achaiam, cujus metropolis est Corinthus, precamur vobis gratiam & pacem, concordiamque, largiente Domino Jesu Christo, & hujus Patre Deo, quem cum illo communem habemus patrem.

2 Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino Jesu Christo.

3, 4 Verbis bene ominantibus, prædicandus est, ac laudibus vehendus Deus, & idem Pater Domini nostri Jesu Christi, qui fons est & auctor omnis beneficentiæ, ac Deus non formidabilis piis, sed à quo proficiscitur omnis nostra consolatio: qui non cessat refocillare ac sublevare nos Apostolos, quicquid undecunque nobis inciderit afflictionis: idque facit non nobis tantum consulens, ne fracti malis deficiamus, verum etiam vobis omnibus: qui ut nostris malis pro mutua caritate discruciamini, ita nobis refectis, solatium & ipsi capitis, nostroque exemplo spe divinæ refectionis fortiter perduratis in afflictionibus tolerandis, confidentes Deum nec vobis afflictis defuturum, quem videtis nobis oppressis ac pene exstinctis præsidio fuisse: qui pro modo malorum, quibus premimur, temperat consolationem suam.

3 Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis,

4 Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: ut possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipsi à Deo.

5 Non piget afflictionum, quas ob Christum, & exemplo Christi perpetimur. Is quo graviora passus est, hoc majore solatio fruitur. Et nos, quo gravius afflicti sumus hujus causa, hoc eodem opitulante majore solatio refecit Deus malis exemtos, ut vos in vobis idem speretis, quod in nobis factum cernitis.

5 Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis: ita & per Christum abundat consolatio nostra.

6 Proinde sive quid affligimur rebus adversis, id facit ad animandos vos, vestræque saluti conducit, ut nostro exemplo confirmati, fortiter feratis asperrima quæque, quorum tolerantia, licet amara sit, tamen est salutifera. Sive recreamur depulsa malorum procella, rursus & hoc facit Deus, quo nobis sublevatis vestros reficiat animos, ne præ dolore deficiatis, sed vicissitudine malorum ac solatii positis & ipsi perpeti, quæ nos perpetimur.

6 Sive autem tribulamur pro vestra exhortatione & salute, sive consolamur pro vestra consolatione, sive exhortamur pro vestra exhortatione & salute, quæ operatur tolerantiam earumdem passionum, quas & nos patimur:

7 Quod quidem ita fore confidimus, ut quemadmodum participes estis afflictionum nostrarum, ita sitis & solatii nostri participes: & quemadmodum nobis divexatis indoluistis antehac, ita ereptis gratulemini, quando convenit inter amicos bonorum pariter ac malorum esse societatem.

7 Ut spes nostra firma sit pro vobis: scientes quod sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis.

8 Magis autem gratulabimini, si plene cognoveritis, quanto malorum turbine perculsi fuerimus in Asia. Nam illic mirum in modum pressi sumus afflictionum pondere, prorsus graviore, quam pro viribus nostris. Nam eo ventum erat, ut de vita quoque desperaremus, nimirum impares ferendis tot tamque malis.

8 Nonenim volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut taderet nos etiam vivere.

9 Tantaque persecutionum erat violentia, ut non solum alii diffiderent nos posse subsistere, verum etiam ipse noster animus diffidens suis viribus, nihil nisi mortem præ oculis haberet, neque quicquam præsagiret, nisi supremum exitium. Huc nos deduci passus est Deus, ne quid fideremus nostris viribus, sed ipsius præsidio, quod tum maxime solet esse præsto, cum maxime nos humana præsidia destituunt: qui cum vult, non solum eximit à mortis periculo, verum etiam exstinctos ad vitam revocat.

9 Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos:

10, 11 Quantum ad me pertinebat, jam mortuus, jam exstinctus eram, verum ab hac morte me Deus eripuit, & nunc etiam eripit, de quo confidimus, quod & in posterum sit erepturus, maxime si vestræ preces accesserint, quæ mihi Dei favorem concilient: ut quemadmodum multorum votis, & in multorum commodum servamur, ita multifariam per multos agantur gratiæ Deo pro nobis servatis: quasi beneficium Dei, quo mihi contigit incolumem esse, non in unum me qui servor, sed in omnes quorum bono servor, collatum videatur.

10 Quidc tantis periculis nos eripuit, & eruit: in quem speramus quoniam & adhuc eripiet,

11 Adjuvantibus & vobis in oratione pro nobis: ut ex multorum precibus, ejus quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.

12 Alioqui quantum attinet ad me, domi habeo quod me vel in mediis afflictionibus soletur, atque etiam ad gloriationem usque erigat exhilaretque: nimirum hic animus sibi testis ac conscius, quod non, quemadmodum faciunt quidam apud vos, per ostentationem humanæ doctrinæ, quæstum venantes, sed per simplicitatem ac sinceritatem Deo dignam versati sumus in Euangelico negotio, cum in omni Græcia, tum præcipue apud vos: quorum gratia cum tanta perpessi simus, nihil unquam tamen mercedis à vobis vel exspectavimus, vel cepimus, ne cui daretur ansa suspicandi, quod ad nostrum quæstum vos captaremus.

12 Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei, conversati sumus in hoc mundo: abundantius autem ad vos.

13 Hæc non arroganter à me dicuntur, sed vere. Non hæc vane de nobis jactamus, ipsi fecistis periculum: neque enim nos unquam aliusmodi comperistis, quam quales fuisse nos testamur his litteris, quas legitis: nec alios nos facimus in Epistola verbis, quam quales nos apud vos præstitimus factis. Quin etiam spero fore, ut quales nos hactenus ex parte comperistis, tales semper experturi sitis, ut merito possimus utrique de alteris gloriari, si ut ego vobis præstiti sincerum Apostolum, ita vos tanquam grati docilesque filii, parentis ac doctoris officiis animoque respondeatis.

13 Non enim alia scribimus vobis, quam quæ legistis, & cognovistis. Spero autem quod usque in finem cognoscetis,

14 Jactent interim alii sese apud homines, qui me velut hominem rejectum & afflictum adspernantur. Certe cum venerit Dominus, nec ullus erit fuco locus, ibi de vobis gloriabor, quod Christo lucrifecerim: & vos vicissim de me, qui nihil vobis tradiderim, nisi quod Christo dignum esset.

14 Sicut & cognovistis nos ex parte, quod gloria vestra sumus, sicut & vos nostra, in die Domini nostri Jesu Christi.

15 Hæc fiducia mei animi sibi bene conscii, simulque spes de vestro profectu concepta, in causa fuit ut in animo fuerit antehac invisere vos, quo vos duplici gaudio afficerem: primum ob Epistolam, deinde ob præsentiam.

15 Et hac confidentia volui prius venire ad vos, ut secundam gratiam haberetis:

16 Statueram enim, ut in Macedoniam proficiscens, vos obiter inviserem, ac rursus è Macedonia reversus ad vos me reciperem, id quod proximis litteris pollicebar, atque ita deducentibus vobis proficiscerer in Judæam.

16 Et per vos transire in Macedoniam, & iterum à Macedonia venire ad vos, & à vobis deduci in Judæam.

17 At illud interim veniet in mentem alicui, cum hæc . . . . . .

17 *Cum ergo hoc voluiſſem, numquid levitate uſus ſum? Aut quæ cogito, ſecundum carnem cogita, ut ſit apud me EST & NON?*

hæc ſtatuiſſem in animo, num per inconſtantiam mutaverim ſententiam, aut humano conſilio non præſtem, quod præſtare voluerim, utcunque pro re nata mutatis decretis. Nequaquam, imo conſulto non obtemperavi cupiditati meæ, quod intelligerem magis eſſe in rem veſtram, ut dilato reditu meo caſtigarentur quidam, quos impuros videre nolui. Semper in hoc mei ſimilis & conſtans, quod ubique ſervio veſtris commodis, ut hac in parte nuſquam vacillem, ſed ſemper præſtem, quod veſtra ſuaſerit utilitas, ſemper fugiam, quod intellexero vobis inutile fore: non quod in nobis ſitum arbitrer, ut quicquid decreverimus expedire, idem præſtemus.

18 *Fidelis autem Deus, quia ſermo noſter, qui fuit apud vos, non eſt in illo EST & NON.*

18 Sed non fallit Deus, cujus præſidio factum eſt, ut ſermo noſter, quo vobis illius Euangelium prædicavimus, non vacillarit, ſed ſemper ſui ſimilis fuerit.

19 *Dei enim filius Jeſus Chriſtus, qui in vobis per nos prædicatus eſt, per me, & Silvanum, & Timotheum, non fuit EST & NON, ſed EST in illo fuit.*

19 Neque enim humana vobis prædicavimus, ſed rem ſolidam, efficacem, & immutabilem conſtanter eodemque tenore vobis tradidimus, ego, Sylvanus ac Timotheus, videlicet Filium Dei Jeſum Chriſtum, cujus nomen non fuit inefficax apud vos, ſed potens & efficax fuit: non noſtro præſidio, ſed ipſius beneficio.

20 *Quotquot enim promiſſiones Dei ſunt, in illo EST: ideo & per ipſum Amen Deo ad gloriam noſtram.*

20 Hactenus experti dotes Sancti Spiritus tenetis arrhabonem, nec fallent, quæ in poſterum promiſſa ſunt. Etenim quæcumque ſunt promiſſa, per illum fidelia ſunt, & per ipſum indubitata ſunt, cui debetur hæc gloria. Neque enim noſtra promiſſa ſunt, quæ vobis propoſuimus. Auctor eſt Deus, nos tantum miniſtri ſumus ac nuntii. In illius gloriam cedit, ſi quod illius nomine prædicamus, verum comperitur & efficax.

21 *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus:*

22 *Qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.*

21, 22 Porro quod nos Chriſtum conſtanter prædicavimus, quodque vos in ſuſcepta Chriſti religione perſtatis, Dei muneris eſt: qui quo magis ipſius promiſſis fideremus, & arcanis dotibus ſuis unxit nos, ac mentibus noſtris ſigillum quoddam impreſſit, quin & Spiritum ſuum indidit cordibus noſtris, velut arrhabonem ac pignus in poſterum promiſſæ felicitatis.

23 *Ego autem teſtem Deum invoco in animam meam, quod parcens vobis, non veni ultra Corinthum: non quia dominamur fidei veſtræ, ſed adjutores ſumus gaudii veſtri: nam fide ſtatis.*

23 Itaque ne quis tribuat inconſtantiæ, quod huc uſque diſtulerim reditum meum ad vos, Deum animi mei teſtem facio, quod hactenus non veni Corinthum, haud factum eſſe odio veſtri, ſed benigno potius animo, ne ſi prius veniſſem, cogerer ſævire in quoſdam, qui nondum reſipuerant, quos tamen interim emendatum iri confidebam. Malui me vobis aliquanto ſerius reddere, modo meus adventus mihi ſimul ac vobis eſſet jucundior, quem triſtem ac nubilum eſſe nolebam. Neque vero hæc minaciter atque imperioſius dicta videantur, ſed emendandi veſtri gratia. Non dominamur niſi his, qui peccarunt. Itaque fidei nomine nullum habemus in vos dominium, in qua perſeveratis, ſed eſt in vita, quod in vobis correctum volebam. Adeo vero non comminamur iſtis, quo noſtram in vos auctoritatem oſtentemus, ut potius hac via veſtro gaudio conſulamus, quod nolebam ob quorundam impuros mores meamque neceſſariam ſeveritatem ullo mœrore contaminari.

CAP. II.

Bis nolo veniens lugere: ſit hoc ſatis illi:
Quæro Titum: Chriſtum nos bene olere facit.

1 *Statui autem hoc ipſum apud me, ne iterum in triſtitia venirem ad vos.*

1 IMO quoniam vos ſuperioribus litteris neceſſario in mœrorem conjeceram, damnato inceſto, viſum eſt mihi non committere, ut adventus quoque meus novum mœrorem adferret mihi pariter ac vobis. Optarim vobis ſemper eſſe voluptati, mœrori nunquam, ſi per vos liceat.

2 *Si enim ego contriſto vos: & quis eſt, qui me lætificet, niſi qui contriſtatus ex me?*

2 At ſi quando provocatus admiſſis quorundam cogor, dum emendo paucos, omnibus mœrorem injicere, mœrens ipſe, quis erit qui me rurſus exhilaret, niſi is quem ego mœrore affecero? Id fiet ſi conſpexero correptionis amaritudine ſanatum, voſque ſanato gratulantes, quemadmodum antea mœroris eratis participes.

3 *Et hoc ipſum ſcripſi vobis, ut non cum venero, triſtitiam ſuper triſtitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere: confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium, omnium veſtrûm eſt.*

3 Atque hac eadem de cauſa ſcripſi vobis hanc Epiſtolam, prius quam venirem, ne ſi venero ad vos, dolorem capiam ex his, ex quibus par erat me voluptatem ac ſolatium capere: præſertim cum vos ſic erga me confidam affectos eſſe, ut ſive mœream ob emendationem quorundam, mœror meus ſit omnibus vobis mecum communis, ſive gaudeam ob caſtigatos aliquos, gaudium meum ſit vobis item omnibus commune. Nihil mihi triſtius, quam ſi videro in vobis, quæ veſtra profeſſione ſunt indigna. Nihil lætius, quam ſi conſpexero nihil eſſe in vobis, quod vituperari poſſit.

4 *Nam ex multa tribulatione & anguſtia cordis ſcripſi vobis per multas lacrymas: non ut contriſtemini: ſed ut ſciatis quam charitatem habeam abundantius in vobis.*

4 Proinde ſupra modum perculſus tanti flagitii probro, quod inter vos compertum eſt, has ſcripſi litteras non ſine gravi cruciatu animi, & anxietate cordis, nec abſque multis lachrymis, non quo vos contriſtemini, ſed ut intelligatis affectum & amorem meum erga vos, qui quo propenſior eſt atque uberior in vos, hoc gravius diſcrucior, ſi quid turpitudinis in vobis exſtiterit.

5 *Si quis autem contriſtavit, non me contriſtavit: ſed ex parte, ut non onerem omnes vos.*

5 Quod ſi quis mœroris cauſam dedit, non me tantum contriſtavit, ſed aliqua ex parte duntaxat, cum mecum vos omnes contriſtaverit.

6 *Sufficit illi, qui ejuſmodi eſt, objurgatio hæc, quæ fit à pluribus:*

6 Verum ſatis ſupplicii eſt iſti homini, (neque enim prodo nomen, & facinoris non libet meminiſſe, cujus pœnitet auctorem) quod ſic palam in conſpectu omnium correptus eſt, ac vitatus ab omnibus. Datum eſt hoc illi ſanando, cæteriſque deterrendis.

7 *Ita ut e contrario magis donetis, & conſolemini, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur qui ejuſmodi eſt.*

7 Nunc ſupereſt ne quid à vobis adjiciatur mœroris afflicto, quin potius qui peccantem horruiſtis, iidem pœnitenti condonate: mœrentem conſolamini, ne qua fiat, ut is immodico dolore abſorbeatur.

8 *Propter quod obſecro vos, ut confirmetis in illo charitatem.*

8 Quapropter obſecro vos, quoniam illum caritate, non odio condemnaſtis: nec in aliud condemnaſtis, quam ut reſipiſceret ac ſervaretur, efficite, ut hic quoque experiatur efficacem in ſe veſtram caritatem, ut alacriter & amanter recipiatis correctum, quem mœrentes ejeciſtis.

9 *Ideo enim & ſcripſi, ut cognoſcam experimentum veſtrum, an in omnibus obedientes ſitis.*

9 Nam hoc quoque fuit in cauſa, ut haſce litteras vobis ſcriberem, quo videlicet experirer, an meis juſſis in omnibus obtemperetis. Obtemperaſtis condemnantes, quem condemnari juſſeram: obtemperabitis & in gratiam recipientes, cui volo vos eſſe reconciliatos, ut ubique noſtra voluntas conſentiat.

10 *Cui autem aliquid donaſtis, & ego: nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti, ut non circumveniamur à ſatana: non enim ignoramus cogitationes ejus.*

10 Cui vos condonatis aliquid, eidem condono & ego, ratus mihi ſatis factum, ſi vobis video ſatis factum. Nam & ipſe ſi quid cui condonavi, veſtra cauſa condonavi, teſte & approbante Jeſu Chriſto, ne per deſperationem aliquem è noſtris ſibi Satanas uſurpet, nobis ademtum. Nec enim ignoramus illius animum, qui non ſolum per voluptates, verum etiam per mœrorem inſidiatur nobis, illic ad flagitia pellicens, hîc in deſperationis barathrum præcipitans.

12 *Cum veniſſem autem Troadem propter Euangelium Chriſti, & oſtium mihi apertum eſſet in Domino,*

13 *Non habui requiem ſpiritui meo, eo quod non invenerim Titum fratrem meum, ſed valefaciens eis, profectus ſum in Macedoniam.*

12, 13 Cæterum ubi veniſſem Troadem prædicaturus illic Euangelium Jeſu Chriſti, & oſtenderetur illic, favente Deo, fructus copioſi ſpes, male diſcruciatus ſum animo, quod, ut ſperabam, non reperirem illic Titum fratrem & collegam meum, cujus auxilio mihi fuiſſet opus ad ſuſtinendum negotii pondus. Itaque dimiſſis illis abii in Macedoniam, non ſine gravi periculo:

14 Sed gratias ago Deo, qui Chriſtiani nominis triumph-

Digitized by Google

14 *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco:*

triumphum semper per nos circumfert, & illustriorem reddit, in dies latius corruscante Euangelii gloria, quique nusquam locorum non spargit sui notitiam, nostro præconio, veluti thymiamatis suave olentis vice nobis utens.

15 *Quia Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salvi fiunt, & in iis qui pereunt:*

15, 16 Nam Euangelii gloriam ubique gentium prædicantes, quid aliud quam Christi spargimus fragrantiam, per se quidem gratam, ac salutarem omnibus, sed multis ipsorum vitio exitiabilem: salutarem his, qui credentes Euangelio salutem consequuntur, mortiferam his, qui rejicientes, mortis damnationem sibi conduplicant, pristinis flagitiis, ingratitudinis ac pertinaciæ crimen addentes. Ad id præstandum, quotus quisque est idoneus? Qui hoc velit fungi munere, nihil aliud spectet oportet, quam Christi gloriam.

16 *Aliis quidem odor mortis in mortem; aliis autem odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idoneus?*

17 At sunt qui ad ambitionem aut quæstum docentes Euangelium, non tam Christi spargunt odores, quam suos fucos, & sibi proficiunt, non Christo: à quorum moribus nos longe abhorremus. Neque enim nostris compendiis servientes, humana doctrina vitiamus sermonem Dei, sed sincero pectore tanquam ex Deo, non ex nobis profectum tradimus, idque Deo ipso teste, in gloriam Jesu Christi.

CAP. III.

Commendemus nos? Deus est qui nos facit aptos: Mosis quam Christi est gloria jure minor.

17 *Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur.*

1 SED vereor, ne cui videamur hæc rursum apud vos jactare, quo vobis simus & aliis commendatiores. Quid opus commendatione, cum res ipsa commendet hominem? An nobis opus est commendatitiis Epistolis, quas circumferunt Pseudapostoli, vel ab aliis impetratas ad vos, vel à vobis ad alios?

1 *Incipimus iterum nosmetipsos commendare? aut numquid egemus (sicut quidam) commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis?*

2 Nihil moramur Epistolas hujusmodi. Epistola viva, qua satis nos commendari putamus, vos estis Corinthii, cordibus nostris inscripta, quo facilius ubique mecum circumfero. Ea passim & intelligitur & legitur ab omnibus hominibus, ut jam aliis Epistolis non sit opus, quando per vestram pietatem satis testatum est omnibus, quales fuerimus Apostoli:

2 *Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus:*

3 Et de vestro in nos animo sic confidimus, ut officio commendati per nos ipsos, non egeamus hominum commendatitiis litteris, dum sinceritate fidei, vitaque Euangelica declaratis, quod sitis Epistola Christi, ab illo quidem scripta, sed nostro ministerio: scripta vero non atramento, quales sunt quas scribunt homines humana docentes, sed scripta Spiritu Dei viventis: neque rursus inscripta tabulis saxeis, quemadmodum inscribuntur leges humanæ, sed tabulis cordis carneis. Animi vestri, quibus Euangelicam doctrinam impressimus, nobis membranæ vice fuerunt, lingua calami, sed Christus ipse dictavit per suum Spiritum, quod scriberemus.

3 *Manifestati quod epistola estis Christi à ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.*

4 Cæterum quo præstantior est Euangelica doctrina quam lex Mosaica, hoc potior est nostra, quam illius opera. Non hoc tantum facinus arrogamus nobis, sed tamen quod verum est loquimur, teste Deo, qui per Christum nostro ministerio peregit quod dicimus.

5 Alioqui qui nos sumus, ut nostris viribus vel cogitare quicquam ejusmodi possimus, ne dicam efficere?

6 Sed si quid valuimus aut valemus, Dei beneficio valuimus ac valemus: qui ut nobis adest laborantibus, ita munus hoc dispensandi novi testamenti nobis delegavit, ut vobis impartiremus non vetus testamentum, quod apud Pseudapostolos crassum est, & in littera situm, cujus administratio Mosi credita est: sed novum, quod spirituale est ac cœleste, in

4 *Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum:*

5 *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est:* 6 *Qui & idoneos nos fecit ministros novi testamenti; non littera, sed Spiritu: littera enim occidit, Spiritus autem vivificat.*

A affectibus situm, non ceremoniis. Non est diversus auctor qui delegavit, sed diversa functio est, ac longe præstantior Apostolica. Nam littera, quæ Mosi credita est, præscriptis legibus ad mortem adigit, dum & per occasionem irritat peccandi libidinem, & peccantem capitis supplicio punit. Contra spiritus, qui per Euangelicam doctrinam confertur, condonatis omnibus superioris vitæ commissis, mortem meritis vitam offert.

7 *Quod si ministratio mortis, litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria; ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi, propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur:*

7 Quod si Lex illa prior, quæ litteris insculpta saxo, mortem adferebat prævaricatori, gratiam non conferebat, tantum majestatis habuit & gloriæ, ut cum iterum deferret tabulas Moses, Hebræi non B possent intueri vultum ejus, ob dignitatem ac majestatem, quæ tamen erat aliquando peritura.

8 *Quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria?*

8 Cur non potius Euangelicæ functioni sua dignitas erit ac majestas, qua per fidem & Spiritus benignitatem æterna salus confertur?

9 *Nam si ministratio damnationis gloria est: multo magis abundat ministerium justitiæ in gloria.*

9 Si tantus honos fuit Legi, quæ damnare potuit, servare non potuit: longe plus honoris meretur Euangelium, per cujus prædicationem non solum aboletur peccatum, verum etiam justitia confertur.

10 *Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam.*

10 Quibus in rebus tantum est discriminis, ut si quis propius conferre velit, quod per se magnificum fuit, nihil omnino dignitatis habere videatur, vel- C ut obscuratum eminenti gloria dignitatis Euangelicæ.

11 *Etenim si quod evacuatur, per gloriam est: multo magis quod manet, in gloria est.*

11 Etenim si Lex, quæ ad certum modo tempus data est, mox antiquanda, tantum habuit apud homines dignitatis; multo plus dignitatis habet Euangelica Lex, quæ ut omnibus datur, ita nunquam est abroganda. Siquidem novum testamentum, quo vetus antiquatur, æternum dicitur à Christo, quemadmodum docui superiori Epistola.

12 *Habentes igitur talem spem, multa fiducia utimur:*

12 Hujus rei certissima persuasione freti, non utimur involucris, sed libere ac palam Euangelii lucem ingerimus, confisi & eam esse gloriam hujus D Legis, ut celari non debeat, & vos esse ea firmitate puritateque mentis, ut intueri possitis.

13 *Et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israel in faciem ejus, quod evacuatur,*

13 Proinde non facimus, quod à Mose factum legitur, qui cum post priores tabulas dissractas secundas inferret, velo faciem texit, ne in hanc oculos defigerent Israelitæ, neve illic hærerent perpetuo, cum vel hoc argumento significaretur eis abolendam illius Legis gloriam, quæ ne tum quidem fulgebat insigni gloria, cum ferretur: nam frustra glorioſum est, quod cernere non licet.

14 *Sed obtusa sunt sensus eorum. Usque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum, (quoniam in Christo evacuatur)*

14 Hic typus illius populi crassitudinem depingebat, qui videns non videbat, & audiens non audiebat: ut quod in Mosi facie gerebatur, id in illorum mentibus verissime gereretur, quas velut he- E betudinis velo obtectas, habebant excæcatas. Quin & hodie manet huic genti vetus illa cæcitas, ut cum Legis libros legant, tamen non intelligant: & illum studio Legis pertinaciter rejiciant, cujus adventu Lex ipsa sese testatur antiquandam.

15 *Sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.*

15 Sic igitur cum legunt Vetus Testamentum, ut novum in eo promissum nolint amplecti, nonne manet illis etiamnum velum illud Mosaicum: nec eo per fidem amoto perspiciunt, quod per Christum antiquatur involucrum illius Legis? Mosen suum adhuc mordicus tenent, cum venerit quem Moses audiri jussit. Hunc legunt in Synagogis suis, sed crasse legunt, nihil spectantes nisi corporalia, cum F Lex sit spiritualis, si quis perspicaces adferat oculos. Obstat nimirum illis in hunc usque diem velum, quod cordibus illorum oppansum est, id tollitur per fidem Euangelicam.

16 *Cum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.*

16 Verum ubi & illi relicta crassitudine mentis, amplexique communem fidem, sese converterint ad Dominum, tum auferetur velum, quo cernant ea, quæ non cernuntur, nisi purgatissimis oculis fidei.

17 Mo-

Digitized by Google

17 Moſes corporalis erat & craſſus, at Dominus Jeſus ſpiritus eſt, non ea docens quæ corporeis cernantur oculis, ſed inviſibilia, quæ per fidem credantur. Moſaica Lex, quoniam metu ſuppliciorum continebat in officio, ſervilis erat, & velum ſervitutis eſt indicium. At ubi Spiritus Domini Jeſu, qui ſecretos addit ſtimulos, ut injuſſi quoque feramur ad officia pietatis, ibi libertas eſt. Nullus ad fidem compellitur. At qui vere credidit, ultro vitat turpitudinem, & innocentiam amplectitur, ac longe plus præſtat volens impetu caritatis, quam à Judæis potuerit extundi pœnarum metu.

18 Cæcutiunt igitur illi, qui fidei carent oculis: nos retecta facie, per ſinceram fidem Domini gloriam intuemur, cujus fulgorem dum ſpeculi ritu excipimus, quodammodo transformamur in eandem imaginem, in alios transfundentes fulgorem à Domino acceptum. Quemadmodum olim Moſi facies ex colloquio Dei, ceu ſpeculum ex objectu Solis reluxit: ita noſter animus ſecretis incrementis in dies magis ac magis afficitur, ac proficit à gloria in gloriam, ob familiaritatem Dominici Spiritus agentis jam nunc inviſibiliter in nobis, quod olim palam perficietur.

CAP. IV.

Dicta obſcura quibus: gazam vas fictile portat: Exercent vires vitaque morſque ſuas.

1, 2 PROINDE cum miſericordia Dei nos tam inclytæ felicitatis præcones ac miniſtros eſſe voluerit, delegata functione Apoſtolica, non ſegniter quod mandatum eſt, obimus, ſed ut vere glorioſam rem prædicamus, ita rejecimus involucra, quæ dedecori congruunt, non gloriæ: non per aſtutiæ fucos vitam agentes, neque per humanæ doctrinæ vafriciem inſincere tractantes ſermonem Dei, ſed propalam ac libere, citraque fucum, omnem omnibus patefacientes veritatem nudam, nullo velatam nubilo, ita nos gerentes in hoc officio, ut ipſa vita citra humanam commendationem nos commendet apud omnes homines, teſtes & conſcios ſinceritatis noſtræ: nec apud homines modo, qui falli poſſunt, verum etiam apud Deum, qui nihil non perſpicit.

3 Eluceſcit itaque per nos Euangelii veritas, nulli non conſpicua. Quod ſi ſint adhuc quibus non patet, & ideo non confert ſalutem, ipſorum vitio fit, non Euangelii, neque noſtro.

4 Siquidem quemadmodum de Iſraelitis dictum eſt, ita hi quoque velum habent cordis oculis impoſitum, ne quæ per ſe clariſſima ſunt, cernant, ac velut in medio Sole caligent. Nam ſecum adferunt oculos impuros, & mundanis cupiditatibus vitiatos, quibus Satanas hujus ſeculi Deus (nam Deum illum ſibi faciunt, qui huic magis auſcultant, quam Deo vero) excæcavit mentes incredulorum, obtectis illorum oculis, ne poſſit illis illuceſcere lumen veritatis Euangelicæ, per quam declaratur gloria majeſtaſque, non Moſi, ſed Chriſti, qui eſt imago Dei Patris, ut per Filium æqualem, & Patrem liceat cognoſcere.

5 Neque enim juxta quorundam morem nos ipſos prædicamus, ad noſtrum quæſtum aut gloriam tradentes Euangelium, ſed prædicamus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum: hujus dogmata tradimus, non noſtra: huic ceu Domino laboramus, quicquid laboramus, nobis adeo nihil arrogantes, ut nos fateamur veſtros eſſe ſervos, miniſtrantes vobis in Euangelio, non metu veſtri, aut ſpe compendii, ſed propter Jeſum, cujus amore, cum ſimus liberi, noſmet omnibus veluti ſervos ſubjicimus.

6 Laboravimus & ipſi quondam eadem cæcitate, qua laborant adhuc quidam. Nec ipſi nobis lucem hanc peperimus, ſed Deus, cujus juſſu primum condita eſt lux, à quo proficiſcitur omne lumen, diſcuſſis animi noſtri tenebris, juſſit illic emicare lumen veritatis: quin ipſe potius, ut eſt æterna lux, illuxit cordi noſtro, quo per nos deinde latius apud omnes eluceſceret ipſius majeſtas, innoteſcens per Euangelii prædicationem, quo Dominum Jeſum prædicamus, in cujus facie clariſſime refulget imago gloriaque Patris.

7, 8 Sed interim tanta res in animis duntaxat geritur, cum juxta corporis ſpeciem abjecti miſerique videamur, & theſaurum tam pretioſum circumferimus in fictilibus vaſculis, hoc eſt, in corpuſculis, afflictioni contumeliæque obnoxiis: ſic Deo viſum eſt, nec temere viſum eſt. Nam illud cavit, ne forte beneficii magnitudine ac miraculorum ſublimitate, quæ per nos geruntur, elati, nobis aliquid hinc vindicaremus, ſed conſcii noſtræ imbecillitatis, intelligeremus eminentem illam potentiam, quæ data eſt Apoſtolis, non eſſe noſtrarum virium, ſed ſolius Dei, dum ipſi quotidie per noſtram imbecillitatem malis affligimur, ſed Dei præſidio in perferendis malis perduramus invicti: dum modis omnibus premimur quidem adverſis rebus, at non anxii reddimur: redigimur ad egeſtatem, at non deſtituimur in egeſtate.

9 Perſecutionem patimur, at non in perſecutione deſerimur: dejicimur & conculcamur, at ſic, ut tamen non pereamus, & hac in parte pro virili Dominum Jeſum, quem prædicamus, imitantes.

10, 11 Is ſemel mortuus eſt pro omnibus, nos quotidie mortis periculis expoſiti, veluti mortem illius in corpore noſtro circumferimus, vitam hanc vobis impendentes: ut quemadmodum morientes pro vobis, Jeſu mortem imitamur, ita vita quoque Jeſu, qua mortuus revixit, declaretur in noſtro corpore: ſive dum per illum eripimur à morte, ſive dum contemta corporis vita, palam teſtamur & aſſerimus corporum reſurrectionem. Neque enim tam vilis eſſet nobis vita corporis, ſi crederemus ſemel exſtinctum, nunquam eſſe revicturum. Fit itaque novo modo, ut vita Chriſti immortalis per afflictionem corporis noſtri morti obnoxii, vobis fiat teſtatior.

12 Ac mortis quidem impetus in noſtrum impingit caput, cæterum vitæ fructus, qui naſcitur ex morte noſtra ad vos redit, quorum gratia nos his malis exponimus.

13 Nec tamen ob id nos pœnitet Euangelii; ſiquidem cum donum fidei, qua futuram immortalitatem ſperatis, quod per nos animis veſtris infuſum eſt, idem habeamus & ipſi, fit ut quemadmodum David in Pſalmo myſtico teſtatur, ſe ideo loqui, quia crediderit, ita nos noſtra fiducia freti, non dubitemus cum capitis periculo prædicare veritatem Euangelicam.

14 Certi nimirum, quod qui ſuſcitavit à morte Dominum Jeſum, nos quoque pro illo mortuos, per illum ſuſcitaturus ſit, ſimulque vobiſcum exhibiturus in communi reſurrectionis gloria, quos hic copulat fides communis.

15 Sed ſive affligimur interea, ſive liberamur ab afflictione, omnia veſtra cauſa fiunt, quo latius apud vos ſpargatur Euangelii veritas: & quo plures reſipiſcant, hoc plures agant gratias, non nobis, ſed Deo, ad cujus gloriam pertinet ut fides, quam omnibus communem eſſe voluit, quam latiſſime propagetur.

16 Hac ſpe, atque hoc animo freti, nullis malis delaſſamur, imo potius invaleſcimus, haud ignari, quod licet exterior noſtri pars corpus, quotidianis laboribus paulatim conficiatur, tamen animus interior ac melior noſtri pars, in dies deficiente corpore, vegetior fiat ac valentior, veluti malis ipſis repubeſcens, ac futuram immortalitatem præſentiens.

17, 18 Si

17 *Dominus autem Spiritus eſt: Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.*
18 *Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.*
1 *Ideo habentes adminiſtrationem juxta quod miſericordiam conſecuti ſumus, non deficimus,*
2 *Sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in aſtutia, neque adulterantes verbum Dei, ſed in manifeſtatione veritatis commendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coram Deo.*
3 *Quod ſi etiam opertum eſt Euangelium noſtrum; in iis, qui pereunt, eſt opertum:*
4 *In quibus deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Euangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.*
5 *Non enim noſmetipſos prædicamus, ſed Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, nos autem ſervos veſtros per Jeſum:*
6 *Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris; ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, in facie Chriſti Jeſu.*
7 *Habemus autem thesaurum iſtum in vaſis fictilibus: ut ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis.*
8 *In omnibus tribulationem patimur, ſed non angustiamur: aporiamur, ſed non deſtituimur:*
9 *Perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur: dejicimur, ſed non perimus:*
10 *Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris.*
11 *Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jeſum: ut & vita Jeſu manifeſtetur in carne noſtra mortali.*
12 *Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis.*
13 *Habentes autem eundem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt: Credidi propter quod locutus ſum: & nos credimus, propter quod & loquimur:*
14 *Scientes quoniam qui ſuſcitavit Jeſum, & nos cum Jeſu ſuſcitabit, & conſtituet vobiſcum.*

15 *Omnia enim propter vos: ut gratia abundans, per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei.* 16 *Propter quod non deficimus: ſed licet is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur, tamen is, qui intus eſt, renovatur de die in diem.*

Digitized by Google

17 Id enim, quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis,

18 Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt.

17, 18 Siquidem corporis afflictio, quam Euangelii gratia suscipimus, levis est ac momentanea. Sed hæc levis afflictio, non leve pondus, imo pondus ineffabile gloriæ parit in nobis, dum ob levem afflictionem pro Christo susceptam, summa felicitate digni reddimur, & temporaria mors pro Christo obita, parit nobis præmium immortalitatis æternæ, cujus spe fulti, corporis vitam pro nihilo ducimus, haud spectantes ista, quæ videntur oculis corporeis, sed ea, quæ non videntur nisi oculis fidei. Nam quæ hîc cernuntur, præterquam quod nec vera sunt bona, nec vera sunt mala, (quod genus sunt lucrum, honos, voluptas, vita, damnum, ignominia, cruciatus, mors) ne diuturna quidem sunt, cum ea quæ cernuntur oculis fidei, sint ut vera, ita & æterna.

CAP. V.

Est domus ecce duplex: quod fecit quisque reportat: Mors pro omni unius est: simus homo inde novus.

1 Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.

1 HAC nimirum fiducia, vitam quoque vilem habemus, certo scientes, quod etiamsi contingat in terris animam excuti ex hujus corpusculi domicilio (quod tabernaculum dixerim verius, quam domicilium, ut in quo non liceat commorari diutius, quamvis absit qui exigat) paratam esse domum aliam in cœlis, unde nunquam simus ejiciendi. Hæc domus quoniam lutea est, & ab homine condita, velimus, nolimus, in dies collabitur, ut nemo demoliatur: non aliter atque cernimus ædificia, quæ manibus hominum construuntur, vetustate corrumpi. Quod ad hominibus conditum est, non potest esse diuturnum: quod à Deo restitutum est, jamque cœleste factum, non sentit temporis injuriam.

2 Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cælo est, superindui cupientes:

2 Nam ex hoc corpusculo adeo non horremus emigrare, ut hic interim suspiremus, optantes exonerari sarcina mortalis corporis, quo gravatur in terris animus alio gestiens evolare, & glorificati corporis domicilio tegi, quod nobis reddetur è cœlo commutatum.

3 Si tamen vestiti, non nudi inveniamur.

3 Si tamen hoc exsuti corpore, non omnino nudi reperiamur, sed ex bonæ vitæ fiducia, spe immortalitatis amicti.

4 Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati: eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri; ut absorbeatur quod mortale est, à vita.

4 Siquidem interim ingemiscimus, hoc onerati corpore, tot malis obnoxio, non quod per se felix sit hinc emigrare, sed quod optemus hoc corpus in melius restitui, proque mortalitate dari immortalitatem per resurrectionem: ut non exspoliati corpore, quod ad tempus posuimus, sed melius vestiti videamur eodem, quod pro caduco recipiemus æternum. Nec est quod diffidamus, quamlibet incredibile videtur, ut pro mortali corpore resurgat immortale, nullis obnoxium injuriis.

5 Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus.

5 Deus est qui nos in hoc ipsum paravit, ut immortalitatis gloria fruamur, atque idem interim pignoris & arrhabonis vice, Spiritum suum nobis impartiit, qui spem futuri præsenti confirmet afflatu.

6 Audentes igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino:

6 Ita quicquid inciderit tempestatum, semper animo fidenti sumus, non ignari, quod quam diu domi sumus in hoc corporis habitaculo, peregrinamur ac divulsi sumus à Deo, cui nos propius jungit exitus, non quod interim Deus non adsit nobis, sed quod nondum clare cernatur, quemadmodum tunc conspicietur.

7 (Per fidem enim ambulamus, & non per speciem)

7 Nam interea conspicitur utcunque per fidem, sed velut è longinquo: tunc cominus, ut est, videbitur, non per involucrum.

8 Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.

8 Confidimus igitur, etiamsi velit nos Deus in corpore diutius affligi, facile feremus spe futuri præmii, quicquid obtigerit: sed tamen optabilius nobis est, si contingat ex hoc domicilio demigrare, ut divulsi à corpore, Deo cominus jungamur.

9 Et ideo contendimus sive absentes, sive præsentes, placere illi.

9 Quapropter enitimur, ut sive cogamur perdurare in hoc domicilio, sive, quod optamus, contingat emigrare, hoc est, sive viventes, sive morientes, Deo probemur. Neque enim sperare potest immortalitatis præmium, nisi qui Deo gratus hinc decesserit, ne quis existimet ad id sibi sufficere baptismum absque piis factis. Siquidem impii suo malo recipiunt corpora, quibus hîc non ad gloriam Dei, sed ad suas cupiditates sunt abusi. Pro meritis vitæ contiget cuique suum præmium.

10 Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.

10 Ea nondum in propatulo sunt, sed tamen oportebit nos omnes palam sisti ad tribunal Christi, ubi nihil erit opertum, quo quisque messem metat, prout sementem fecit in corpore, & recepto corpore tale ferat præmium, qualia erant, quæ gessit in corpore, sive bona, sive mala.

11 Scientes ergo timorem Domini, hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus. Spero autem & in conscientiis vestris manifestos nos esse.

11 Itaque semper horrendum illum diem præ oculis habentes, damus operam, ut undique placeamus & hominibus & Deo. Ut enim hominibus imponamus falsa specie pietatis, Deo tamen conspicui sumus, qui mentium intima perspicit, homines non item. Quanquam confido me sic egisse vobiscum, ut sinceritatem nostram apud vos cognitam ac perspectam habeatis. Nam hac gloria contenti sumus.

12 Non iterum commendamus nos vobis, sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis: ut habeatis ad eos, qui in facie gloriantur, & non in corde.

12 Non enim rursus ob id efferimus officium nostrum, quo pluris fiamus à vobis, aut commodi quicquam à vobis venemur: sed quoniam alios video gloriantes, quod ab eximiis Apostolis sint instituti, damus vobis occasionem, ut de nobis item vobis gratulari possitis adversus eos, qui vos hoc nomine dejiciunt, quod Apostolum abjectum & humilem nacti sitis: qui licet non viderimus Dominum in mortali corpore, sicut viderunt alii, tamen immortalem vidimus, & ab hoc munus Apostolicum accepimus, quemadmodum cæteri, nec minus præstitimus hujus auxilio, quam cæteri. Hæc vestra causa commemoro, quo sit quod respondeatis, qui non contenti conscientia recte factorum, ex fastu ac supercilio gloriam humanam captant, cum animus sibi male sit conscius.

13 Sive enim mente excedimus, Deo: sive sobrii sumus, vobis.

13 Nihil nostra causa loquimur: sive magna de nobis ipsis prædicantes, videmur insanire, Deo insanimus, ad cujus gloriam prædicamus, quæ per illum gessimus: sive mediocria de nobis loquentes, sani videmur, vobis sani sumus, ad quorum imbecillitatem sermonem nostrum attemperamus.

14 Charitas enim Christi urget nos: æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt:

14 Non per jactantiam æquamus nos cæteris Apostolis, sed Christi caritas nos compellit, ut palam eloquamur, quod ad illius gloriam facit. Nam in illius laudem cedit, non nostram, si quid egregie per nos quidem gestum est, sed illius munere, quo magis testatum sit omnibus, mortem illius non infrugiferam fuisse, cum omnibus ex æquo prosit: ut per nos etiam vim suam exserat, non solum per eos, qui Christum in corpore viderunt, aut quibus est cum illo carnalis affinitas. Quin illud magis apud nos perpendimus, quod si Christus unus pro omnibus ex æquo mortuus est, omnes æque morti fuerint obnoxii necessum est, quos sua morte voluit à morte redimere.

15 Et pro omnibus mortuus est Christus: ut, & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.

15 Atque ideo mortuus est pro omnibus, ut omnes ex æquo sibi haberet adstrictos, utque qui illius beneficio vivunt per illum renati, non amplius sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, ac pro ipsis resurrexit. Ex hisce rebus æstimandi sumus, non ex carnis propinquitate.

16 Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum: sed nunc jam non novimus.

16 Quin & ipsi, licet de genere Israelitico gloriari possimus, tamen postea quam Christo sumus initiati, neminem novimus secundum carnem. Hos cognatos ducimus, qui fidei consortio nobis copulantur. Frustra igitur gloriantur quidam, quod gentem habent cum Christo communem, quod illi sanguinis propinquitate juncti sunt, quod cum eo corporalem habuerint consuetudinem. Caro ad tempus exhibita est. Nunc sublato corpore, ac misso Spiritu, juxta spiritum vult agnosci, eumque sibi proximo gradu cognatum ducit, qui maxime fidit ipsius

17 *Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt: ecce facta sunt omnia nova.*

ipsius promissis. Nec est quod nos posteriores Apostolos quisquam hoc nomine minoris faciat, quod Christum mortali corpore in terris versantem non novimus, quando etiam si contigisset novisse, nunc eam notitiam, quæ obstabat spiritui, depositissemus, & spiritualem factum, spiritualiter amaremus.

17 Proinde quisquis per baptismum insitus est Christo, ponat veteres affectus, non cogitet, hic Judæus est, ille Græcus, hic servus, ille liber, sed meminerit unumquenque renatum in novum hominem, jam è carnali factum spiritualem. Vetera præterierunt, & ecce per Christum repente innovata sunt omnia. Absint igitur illæ voces hominum, hic Græcus est, hic Barbarus, hic Judæus, hic modo cultor simulacrorum, hic sacrilegus. Desiit esse quod erat, & Christi opificio versus est in novam creaturam tam sui dissimilis, ut nulla bestia sit homini magis dissimilis.

18 *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum: & dedit nobis ministerium reconciliationis.*

18 Sed quicquid nobis per hunc collatum est, id à Patre profectum est, qui nos sibi reconciliavit, devicto peccato, per Filium suum Jesum Christum: atque hujus reconciliationis prædicationem nobis idem commisit Pater, ut quemadmodum Filius pro Patre legatione functus est apud homines, ita nos pro Christo legatione fungamur:

19 *Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis.*

19 Siquidem cum Christus versaretur inter mortales mortalis, licet homo simplex videretur, tamen Deus Pater erat in illo, per ejus ministerium sibi mundum reconcilians, & per eum instaurans in novitatem, per quem olim condiderat mundum: tantaque clementia recepit homines in gratiam, ut non solum non ulciscereturvitæ prioris admissa, sed ne imputaret quidem cuiquam, quod ante baptismum gessisset, perinde quasi jam non esset idem homo, qui prius. Hanc reconciliationis gratiam per Filium conferre voluit, per nos prædicari.

20 *Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.*

20 Hac igitur ab eo commissa legatione fungentes vice Christi, tanquam Deo vos exhortante per nos, obsecramus nomine Christi, ut omissis pristinis vitiis reconciliemini Deo.

21 *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.*

21 Nam is ut semel nos à peccatis eximeret, Filium suum, cum sit ipsa justitia, quodam modo vertit in peccatum, ut carne, quæ in nobis peccato est obnoxia, cinctus, fieret hostia pro nostris sceleribus expiandis, quasi facinorosus inter facinorosos cruci affixus, quo nos, qui nihil aliud quam peccatum eramus, per illum commutaret in justitiam, non nostram, neque Legis, sed Dei, cujus clementia condonata sunt admissa, ut posthac nos insitos Christo pro justis haberet, qui illum pro nobis habuit pro peccatore.

CAP. VI.

Fortiter enumerat toleranda: Deus male quadrat Cum Belial: Christus nos sua templa facit.

1 *Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.*

1 CVPIT hoc Christus, cupit hoc Deus, ut ipsius beneficium sit in vobis efficax. Proinde nostra opera simul & Dei voluntatem exsequentes, & vestræ saluti consulentes, obtestamur vos, ne committatis, ut semel gratis à peccatis exemti, in pristinam vitam relabentes, in vanum receperitis gratiam Dei. Nunc licet sarcire, si quid labimur, at idem non semper licebit.

2 *Ait enim: Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.*

2 Sic enim loquitur Deus apud Esaiam Prophetam: *In tempore acceptabili exaudivi te, & in die salutis succurri tibi.* En adest nunc tempus illud à Deo promissum, placabile, quo Deus non aversatur peccatorem ex animo resipiscentem: en adest dies ille, quo pie vivendo salutem assequi liceat. Sequetur formidabilis ille dies, quo frustra quæretur reconciliatio.

3 *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum:*

3 Nos igitur studentes in hac parte nostro fungi officio, damus operam, ne qua in re cuiquam simus offendiculo, ne nostro vitio vituperetur Euangelium Christi, cujus ministri sumus.

4, 5, 6, 7 Vituperaretur autem si sic viveremus, ut quod nos alios docemus, ipsi non credere videremur: sed modis omnibus ipsa re nosipsos commendamus, ut dignum est iis, qui Dei gerunt negotium, non suum. Quibus autem argumentis nos commendamus? non fastu, non opibus, non quæstu, non præscribendis ceremoniis, ut faciunt quidam, sed iisdem rebus, quibus se commendavit Christus, nimirum multa patientia, quotidianis afflictionibus, necessitatibus, anxietatibus, plagis ferendis, carceribus, tolerandis seditionibus, jejuniis, puritate vitæ, vere Apostolica scientia, mansuetudine, suavitate, Spiritu Sancto, caritate sincera minimeque fucata, sermone veraci, nihil non audentes, haud quidem præsidiis humanis, sed potentia Dei: non instructi armis & opibus mundi, sed hinc atque hinc septi armis justitiæ: à dextris, ut recta conscientia fultos non efferant res secundæ: à sinistris, ne consternent adversæ.

4 *Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis,* 5 *in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis,* 6 *in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta,* 7 *in verbo veritatis, in virtute Dei: per arma justitiæ à dextris, & à sinistris:*

8 Hac freti, per omnia penetramus ad peragendum Euangelii negotium, per gloriam & ignominiam, per convitia & laudes: pro impostoribus habiti, cum simus veraces: pro ignotis habiti, cum simus noti:

8 *Per gloriam, & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam: ut seductores, & veraces, sicut qui ignoti, & cogniti:*

9 Similes morientibus, cum ecce vivamus: quasi correpti, cum non occidamur:

9 *Quasi morientes, & ecce vivimus: ut castigati, & non mortificati:*

10 Quasi dolentes, cum semper gaudeamus: quasi pauperes, cum multos locupletemus: quasi nihil habentes, cum per Christum omnia possideamus, plusque suppeditet caritas, quam patrimonium, si nostro jure velimus uti.

10 *Quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tamquam nihil habentes, & omnia possidentes.*

11 Sed quo me rapit sermonis calor? Non mihi tempero, quin effundam quicquid est in animo. Os nostrum apertum est erga vos, ô Corinthii, cor nostrum dilatatum est. Tantum fiduciæ concepi de vobis, sic audeo de vobis gloriari. Non me pœnitet sortis meæ, ne vos pœniteat vestræ.

11 *Os nostrum patet ad vos, ô Corinthii, cor nostrum dilatatum est.*

12 Si vos meo voletis animo respondere, est cur de vobis glorier, est cur vobis ipsis de me gratulemini, non est quod mea causa sitis angusti animi. Si quid angustæ mentis in vobis est, ex vestris affectibus nascitur.

12 *Non angustiamini in nobis: angustiamini autem in visceribus vestris:*

13 Ego vestræ salutis gratia nihil non tum facio, tum patior, vos non perinde respondetis amori mutuo. Ego spe resurrectionis & amore vestri nihil non fero infracto pectore: vos cum idem maneat præmium, quum hactenus paterna caritate vos fim complexus (non hæc exprobro velut hostibus, sed ut apud filios carissimos commemoro) par est ut animi magnitudine patri respondeatis. Audete contemnere frigidas Judæorum ceremonias: audete contemnere mundum hunc: audete fidere bonis vestris. Angusti animi est, rebus præsentibus esse contentum. Angusti pectoris est, nihil ambire, præter has mox perituras bonorum umbras. Christus vobis abunde dives est, abunde glorios us, abunde potens, abunde felix, is unus vobis sufficiat, hunc amplectamini toto pectore.

14 Agnoscite magnitudinem vestram, agnoscite felicitatem, vosque majores ducite, quam ut cum incredulis habeatis commercium. Plus est inter vos discriminis, quam ut eodem jugo copulari possitis.

15 Nam quod omnino consortium justitiæ cum injustitia? aut quæ communio luci cum tenebris? aut quæ concordia Christo cum Belial?

16 Diversa numina, diversa religio, diversi mores, diversa spes. Quid convenit templo Dei cum profanis simulacris? Nam vos estis templum Dei vi-

13 *Eamdem autem habentes remunerationem, tamquam filiis dico, dilatamini & vos.* 14 *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras?* 15 *Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli?* 16 *Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.*

Digitized by Google

viventis, quemadmodum in mysticis litteris ipse testatur Deus: *Inhabitabo in illis, & in illis inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi vicissim erunt populus mihi dicatus, ac peculiaris.*

17 *Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis:*

17 Quapropter si Judæi horrent Ethnicum, velut impurum ac profanum, atque ejus fugitant contagium, vos, qui Deo vivo vere consecrati estis, exite de medio profanorum, segregate vos ab illorum commercio, quemadmodum per Esaiam hortatur Dominus: *Cum sancti, inquit, sitis, quod pollutum est ne tetigeritis.* Impii mores vere polluti sunt, & periculosum habent contagium, quorum commercio cavete ne vestra puritas inquinetur. Non in loco, sed in affectibus est fuga, quam suadeo.

18 *Et ego recipiam vos: & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.*

18 Quod si feceritis, tum vos agnoscam, ac recipiam sanctus sanctos, tum me patrem sentietis, ego vos ut filios amplectar: dicit hoc Dominus omnipotens: ne quid diffidatis auctori promissorum.

CAP. VII.

Gaudeo quod recte vos fecit Epistola tristes:
Exhibitusque Tito me recreavit honos.

1 *Has ergo habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.*

1 PROINDE carissimi, freti promissis hujusmodi Dei, demus operam, ut promissis digni videamur. Purgemus nosipsos ab omni spurcitie, non corporis solum, verum etiam animi, quo simul & apud homines innocenter vivamus, & Deo bonam mentem approbemus, plenam ac perfectam sanctimoniam nobis paremus in adventum Christi, continente nos interim in officio non hypocrisi, sed timore Dei, qui pro suis cuique factis præmium reponet. Ego totos vos toto complector animo, tanta est amplitudo caritatis erga vos. Vos vicissim me in vestros animos, ut sumus, recipite, quandoquidem alios recipitis, qui cum minus vos diligant, tamen onerant vos sumtibus ac fastu, gravant vos ceremoniis.

2 *Capite nos. Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus.*

2 Nos neminem læsimus, neminem adulterina doctrina corrupimus, à nemine quicquam extorsimus.

3 *Non ad condemnationem vestram dico: prædiximus enim quod in cordibus nostris estis, ad commoriendum, & ad convivendum.*

3 Non hæc loquor, quo vos damnem ac rejiciam, sed quo reddam meliores. Siquidem ex superiore sermone meo satis perspicuum est, quod toto pectore vos complector, & indivulsa caritate prosequor, paratus & commori vobis, & convivere. Nihil non audeo apud vos, tanta est de vobis fiducia: est quod vehementer glorier de vobis, quos per omnia morigeros reperi.

4 *Multa mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis: repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.*

4 Non dubitavi libere corripere delinquentes, sed ubi vos emendatos video, tanto expletus sum solatio, tam exuberanti gaudio perfusus sum, ut in omnibus meis afflictionibus absterserit animi molestiam, dum volupe etiam est, pro talibus pati, nam alioqui variis malorum procellis jactati sumus.

5 *Nam & cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus: foris pugnæ, intus timores.*

5 Etenim cum venissemus in Macedoniam, nulla data est relaxatio à laboribus corpori nostro, sed undique premebamur. Foris bellum movebant hostes Euangelii: intus periculum discruciabat, ne quos subverteret astutia Pseudapostolorum. Ab illis cædebamur, his interim metuebamus, ne nostris malis consternati diffiderent.

6 *Sed Deus qui reficit humiles & afflictos, refecit nos.*

7 *Non solum autem in adventu ejus, sed etiam in consolatione, qua consolatus est in vobis, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem pro me, ita ut magis gauderem.*

6, 7 Sed Deus, qui reficit humiles & afflictos, refecit ac refocillavit nos per adventum Titi, non solum quod advenerit, quem maxime cupiebamus nobis adesse, verum etiam quod lætus & alacris à vobis redierit. Eam voluptatem à vobis haustam in me refudit, cum mihi referret, quantum vos haberet desiderium mei, cum exponeret mihi lachrymas vestras, mœrentium quod offensus nondum venissem, cum narraret, quo studio mea jussa exsequeremini, adeo ut his cognitis per Titum, plus ceperim voluptatis ex obsequio vestro, vestri correctione, quam mœroris ex commissis ceperam.

8 *Quoniam etsi contristavi vos in epistola, non me pœnitet: etsi pœniteret, videns quod epistola illa (etsi ad horam) vos contristavit;*

8, 9 Invitus contristo vos, verum quando bene cessit, non me pœnitet, quod superioribus literis vos ad mœrorem adegerim, etiamsi quid antea pœnituit. Siquidem tristis illa mihi pariter ac vobis Epistola, quanquam vos ad tempus mœrore affecit, tamen nunc mihi voluptati est, non quod per nos sitis affecti mœrore, sed quod hic mœror vos adduxerit ad pœnitentiam. Habet hic mundus suum mœrorem, sed noxium & infrugiferum, cum homines ob jacturam pecuniarum, aut voluptatum amissionem, aut ob iram, aut invidiam animo discruciantur. Habet & pietas suum mœrorem, sed frugiferum ac salutarem, quo sic estis affecti, ut bonæ mentis lucrum feceritis, tantum abest, ut ullum ex me senseritis detrimentum.

9 *Nunc gaudeo: non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis.*

10 Nam qui hoc mœret, quod Deum offenderit, correctæ mentis præbet argumentum, atque ita dolor adducit ad pœnitudinem, ut non sinat hominem in pristina commissa relabi. Contra mœror, qui ex mundanis cupiditatibus nascitur, exitium adfert, noxius corpori pariter atque animo. An non hoc ipsa declarat res?

10 *Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur.*

11 Siquidem hic ipse mœror, quo secundum Deum fuistis affecti, quantum in vobis studium excitavit? Quid dico studium, imo satisfactionem, qua vos apud me purgastis, testati vobis non probari turpe commissum, imo indignationem, qua sic sævistis in flagitiosum, ut mihi fueritis ad lenitatem ac moderationem revocandi, imo timorem, quasi periculum unius esset omnium commune, imo desiderium illico corrigendi quod erat admissum, imo zelum & ardorem imitandi nos in profliganda turpitudine, imo vindictam denique, quod illico pœnas dederit, qui peccarat. Nam modis omnibus declarastis vos esse puros, & immunes in hoc negotio.

11 *Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem: sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam: in omnibus exhibuistis vos, incontaminatos esse negotio.*

12 Proinde tametsi scripsi vobis super hac re, tanquam ad omnes pertineret, non scripsi tantum ejus gratia, qui peccatum commiserat, aut ejus in quem admissum erat: sed ob id potius, quo vobis esset perspicuum, quanta me teneat cura vestri, teste Deo, qui tantopere fuerim sollicitus, ne serperet inter vos ista mali lues, & unius aut alterius peccatum totum corpus contaminaret: ac vicissim innotesceret, quo studio sitis erga me, cujus voluntati tam alacribus animis parueritis.

12 *Igitur, etsi scripsi vobis, non propter eum qui fecit injuriam, nec propter eum qui passus est: sed ad manifestandam sollicitudinem*

13 Ea res cum vobis cesserit in solatium, ut qui gaudeatis esse correctos, quos oportuit, gaudeo & ipse ob gaudium vestrum: sed hanc nobis voluptatem auxit gaudium Titi, qui me commendante sic acceptus est apud vos, ut ab omnibus recreatus sit illius animus, cum videret auctoritatem meam tantum habere ponderis apud vos.

14 Unde fit, ut si quid apud illum gloriatus sum de probitate vestra, deque obedientia, non fuerim pudefactus. Nam huic periculo sese exponit, qui commendat aliquem. Illum vobis, vos illi commendaram. Utrumque bene cessit: nam ut vos Titum comperistis per omnia qualem vobis eum prædicaram, ita quæcunque de vobis jactaram apud illum, vera comperit ille. Itaque nec apud vos, nec apud hunc, pudet me vanitatis.

15 Is cum & antehac diligeret vos, tamen nunc expertus officium vestrum, ex intimis visceribus vehementius etiam erga vos affectus est, dum reputat ac recolit suo cum animo, quanta cum alacritate vos omnes parueritis voluntati nostræ, quam ille detulit, quantaque cum reverentia ac timore venientem exceperitis.

16 Gau-

nostram, quam habemus pro vobis 13 *Coram Deo: ideo consolati sumus. In consolatione autem nostra, abundantius magis gavisi sumus super gaudio Titi, quia refectus est spiritus ejus ab omnibus vobis.* 14 *Et si quid apud illum de vobis gloriatus sum, non sum confusus: sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus, ita & gloriatio nostra, quæ fuit ad Titum, veritas facta est,* 15 *Et viscera ejus abundantius in vobis sunt: reminiscentis omnium vestrum obedientiam, quomodo cum timore & tremore excepistis illum.*

16 Gaudeo quod in omnibus confido in vobis.

16 Gaudeo sane vos mihi compertos tales, ut nihil sit, in quo non debeam posthac de vobis confidere. Neque quicquam in posterum verebor à vobis exigere.

CAP. VIII.

Humanus Macedo: pauper cur factus Jesus: Perficite affectum: frater adestque Titus.

1 Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ:

1 IGITVR ut hac quoque parte respondeatis & animo nostro, & reliquarum Ecclesiarum pietati, certiores vos facio, quemadmodum adfuerit mihi Deus in Ecclesiis Macedoniæ. Nam promtis ac propensis animis receperunt Euangelium, & adeo non sunt dejecti meis, Silæque afflictionibus, ipsi nobiscum afflicti, ut fiducia Euangelii cum ingenti gaudio pertulerint omnia.

2 Quod in multo experimento tribulationis, abundantia gaudii ipsorum fuit; & altissima paupertas eorum, abundavit in divitias simplicitatis eorum:

2 Denique hoc uberius gavisi sunt nobis ereptis, quo graviora passi sumus. Hi cum sint tenues, extremæque paupertatis, tamen erat tanta animorum promtitudo, ut ex inanibus etiam scriniis, quicquid supererat, depromerent in subsidia pauperum. Unde factum est, ut quo pauperiores redderentur & exhaustiores pia benignitate, hoc magis ac magis detescerent promtissimi pectoris candore ac simplicitate.

3 Quia secundum virtutem testimonium illis reddo, & supra virtutem voluntarii fuerunt,

3, 4, 5 Siquidem adeo non comperimus eos difficiles ad hanc largitionem, ut vere testis illis esse possim, quod non solum pro viribus, verum etiam supra vires conferre voluerint, animo superante facultates: adeo ut cum nos veriti, ne post immodicam liberalitatem, egestas suaderet illis pœnitudinem, recusaremus accipere, quod ultro offerebant, multa cum obtestatione rogarint nos, sineremus & ipsos in hujus laudis venire consortium, ut de facultatibus suis nonnihil impartientes sanctorum inopiæ, vicissim illorum pietatis fierent participes, non solum respondentes exspectationi nostræ, verum etiam spem omnem vincentes, qui non tantum obtulerint sua, verum etiam semetipsos ultro dederint, primum Deo, deinde nobis quoque, Deo volente, cujus afflatu movebantur, ut nobis tam alacriter obtemperarent.

4 Cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam, & communicationem ministerii, quod fit in Sanctos.

5 Et non sicut speravimus, sed semetipsos dederunt primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei;

6 Quorum animus adeo me delectavit, ut hortaremur Titum, ut quemadmodum ipsius hortatu cœpistis hanc in sanctos munificentiam, ita quod cœptum esse in vobis consummaret, quo magis etiam illi sitis divincti, per quem hanc quoque pietatis laudem fueritis consequuti, ne quid hac in parte sitis inferiores cæteris.

6 Ita ut rogaremus Titum, ut quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam istam.

7 Imo quemadmodum in cæteris dotibus excellitis, dono fidei, dono linguarum, dono scientiæ, dono diligentiæ in administrando, dono caritatis, quam erga nos declarastis, ita hac etiam in dote sitis eximii.

7 Sed sicut in omnibus abundatis fide, & sermone, & scientia, & omni sollicitudine, insuper & charitate vestra in nos, ut & in hac gratia abundetis.

8, 9 Non quod id exigam à vobis, sed ideo Macedonum promtitudinem commemoro, quo vos illorum exemplo provocati, ultro declaretis caritatis vestræ sinceritatem, hac quoque parte Dominum Jesum Christum pro viribus æmulantes: qui cum esset dives, & omnium Dominus, tamen quo nobis prodesset, ultro pauperem se fecit, homo factus dissimulata potentia, quo vos illius paupertate ditesceretis, veluti permutatione rerum facta, qua humanitatis nostræ paupertate in se recepta, divinitatis suæ divitias nobis impartiret.

8 Non quasi imperans dico: sed per aliorum sollicitudinem, etiam vestræ charitatis ingenium bonum comprobans. 9 Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.

10 Et consilium in hoc do: hoc enim vobis utile est, qui non solum facere, sed & velle cœpistis ab anno priore:

10 Itaque quemadmodum superioribus litteris cœpistis ab anno priore: libatum à vobis non exegi, sed vestris consulens commodis suasi: ita & in hac re consulo, non impero, & ob id consulo, quod existimem in vestrum compendium cessurum, præsertim cum quod nunc suadeo, vos ipsi citra meum suasum, non solum facere, verum etiam ultro velle cœperitis.

11 Nunc vero & facto perficite: ut quemadmodum prompta est animi voluntatis, ita sit & perficiendi ex eo quod habetis.

11 Nunc igitur supereste, ut quod ultro cœpistis facere, perficiatis: ut quemadmodum jampridem animum istum sponte suscepistis, ita Macedonum exemplo perficiatis, non supra vires, quod ab illis factum est, sed pro facultate cujusque.

12 Si enim voluntas prompta est; secundum id quod habet accepta est, non secundum id quod non habet.

12 Non enim est acceptum beneficium, quod confertur ab invito. Cæterum cum ultro suppetit animi promtitudo, satis est, si juxta modum facultatum temperetur largitio. Nec enim exigitur ut dones quod non habes.

13 Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio; sed ex æqualitate

13 Neque vero sic est exercenda benignitas, ut quibus donatur, suaviter & in otio vivant, qui donant ad inopiam redigantur.

14 In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam supplent: ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas, sicut scriptum est:

14 Verum ut æquabilis quædam fiat inter vos commutatio, videlicet, ut interim ex opibus, quibus vos abundatis, succurratur illorum egestati, ac vicissim illorum fides ac pietas, qua superant illi, pensetj, si quid est in vobis diminutum, itaque fiat, ut utrisque communicantibus alteris, neutris desit aliquid, sed sit æquabilitas:

15 Qui multum, non abundavit: & qui modicum, non minoravit.

15 Quemadmodum legimus olim accidisse majoribus nostris in colligendo Manna, ut cui multum esset collectum, apud hunc tamen nihilo plus superesset, quam apud eum qui paulum collegisset. Sic enim scriptum est in Exodi libro cap. XVI. *Qui multum habebat, huic nihil superfuit: & qui paululum habebat, huic nihil defuit.* Pro tempore possidentur ista, ut his velut in diem vivamus. Ne quis subductis in longum rationibus æstimet, quid sibi supersit. Alioqui futurum est ut nemo sibi putet superesse quod cuiquam impartiat. Huic interim deest, tibi supereste. Quod supereste, impartiendum pro præsenti necessitate. Si quid evenerit, ut tibi quoque desit in posterum, simili benignitatis vicissitudine sublevaberis.

16 Gratias autem Deo, qui dedit eandem sollicitudinem pro vobis in corde Titi;

16, 17 Porro gratiam habeo Deo, cujus instinctu res hæc Tito quoque sit cordi, perinde atque mihi, qui cum esset sua sponte propensus, facile accepit exhortationem nostram, imo non meo hortatu, sed suapte voluntate ad vos venit, licet meis hortatibus alacrior.

17 Quoniam exhortationem quidem suscepit: sed cum sollicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos.

18, 19 Misimus autem cum hoc fratrem illum, cujus fides & integritas per omnes Ecclesias in Euangelii negotio spectata est, & adeo spectata est, ut ab Ecclesiis delectus sit comes & collega peregrinationis nostræ, quo nobis sit adjutor in colligenda pecunia, quam vestra largitur benignitas, ad ipsius Domini gloriam, cujus instinctu res agitur, ad declarandam omnibus animi vestri promtitudinem.

18 Misimus etiam cum illo fratrem, cujus laus est in Euangelio per omnes Ecclesias:

19 Non solum autem, sed & ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ, in hanc gratiam, quæ ministratur à nobis ad Domini gloriam, & destinatam voluntatem nostram: 20 Devitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur à nobis. 21 Providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. 22 Misimus autem cum illis & fratrem nostrum, quem probavimus in multis sæpe sollicitum esse: nunc autem multo sollicitiorem, confidentia multa in vos,

20 Refert autem, integros spectatæque probitatis viros ad hoc adhiberi negotium, ne qua suspicio suboriatur infirmis, neve tantam pecuniarum vim, quam ultro vestra benignitas donat, non aliis modo, sed nobis quoque colligere videamur, cum hinc præter officium colligendi ac perferendi studium, nihil nobis vindicemus.

21 Neque enim fugit nos, vulgo maxime obnoxiam esse suspicioni rapacitatis pecuniam, præsertim ingentem, nec ulla re citius corrumpi mentes hominum.

22 Addidimus his duobus, vobis spectatissimis, & tertium, fratrem quendam nostrum, quem tametsi vobis non perinde cognitus est, tamen ipsi sæpenumero sumus in multis experti diligentem ac fidum, sed in hoc negotio, quam in cæteris diligentiorem, ut plane confidam vos non dubitaturos, his pecuniam etiam quantamlibet credere:

23 Sive

Digitized by Google

23 Sive Titum spectetis, qui collega meus est, quique particeps est laborum meorum, quos vestra causa suscipio: sive cæteros huic adjunctos, qui præterquam quod fratres nostri sunt, suffragiis Ecclesiarum in hoc munus delecti sunt, per quos sic illustratum est Euangelium, ut merito non Apostoli solum, sed & gloria Christi dici possint.

24 Cum his igitur sic agetis, ut nunc potissimum declaretis, quanta caritate nos prosequamini, quamque non sine causa de vobis apud illos gloriati simus. Porro quod officii contuleritis in hos, in omnes Ecclesias contuleritis, quorum nomine veniunt legati.

CAP. IX.

In tenues larga vos uti gaudeo dextra:
Multiplicetque precor semina vestra Deus.

1, 2 NIHIL enim est opus, ut in eo sumam operam, quo vos exstimulem scriptis meis, ad munificentiam collocandam in sanctos, cum mihi sit adeo cognita perspectaque animi vestri promtitudo, ut non dubitem hanc jactare vel apud Macedones, in tantum, ut vestro exemplo plerisque provocatis, non Corinthus modo, verum omnis ferme Achaia ad eandem munificentiam promta sit ac propensa.

3 Quanquam autem perspectum haberemus animum vestrum, tamen hos fratres nostros præmittere visum est, ne qua forte fiat, ut vane de vobis videar apud alios gloriatus, hac quidem in parte: nam hactenus in cæteris meæ de vobis prædicationi respondistis. In hoc autem præmisimus, ut quemadmodum ante scripsimus vobis, mature colligatur pecunia, & in promtu fit quod visum fuerit donare.

4 Ne quo pacto fiat, ut si mecum venerint Macedones, apud quos de vobis gloriatus sum, vosque repererint imparatos, nos erubescamus, tanquam vane de vobis gloriati: ut ne dicam, ne vos erubescatis, qui hac in parte fueritis vestri dissimiles, cum in cæteris dotibus excellatis.

5 Hac de causa visum est operæ pretium rogare fratres hos, ut priusquam vos adeam, istuc irent, præparaturi jam ante destinatam ac promissam à vobis contributionem, quo magis sit in promtu: quam Græce loquentes, non abs re vocamus εὐλογίαν, id est, *benedictionem*, quod non gravate, neque cum murmure & dandum sit beneficium, & accipiendum, sed verbis bene ominantibus: alioqui videbitur extorsio, non collatio. Sponte tribuat qui velit, & quantum quisque velit.

6 Tantum illud admonemus, quo quisque largius contulit, hoc est copiosius præmium reportaturus. Qui parce facit sementem, parce item messurus est, & qui seminat alacriter beneque ominans, pari modo messurus est quod seminavit, non velut ex jussu nostro, sed prout quisque sponte destinavit in animo suo.

7 Largius enim ac libentius dat, qui sponte dat. Maligniùs donat, qui cum mœrore veluti coactus donat. Atqui hilarem datorem amat Deus. Siquidem apud illum non fungitur officio suo, qui coactus suo fungitur officio.

8 Nec est quod metuatis, ne vobis beneficium istud pereat. Siquidem Deus, qui quicquid ipsius amore confertur in sanctos, sibi patitur imputari, abunde potens est efficere, ut etiamsi nihil ab hominibus ad vos redeat gratiæ, tamen cum fœnore vestrum ad vos redeat beneficium, si dederit, ut vobis & semper suppetat pecunia, quantum ad usum vitæ satis est, & insuper exuberetis ac ditescatis omnibus pietatis officiis. Siquidem bona pietatis ac justitiæ pars est, munificentia, qua sanctorum inopiæ subvenitur.

9 Quemadmodum testatur & Psalmographus Ps. CXI. *Dispersit, dedit pauperibus, & ab hoc justitia ejus manet in seculum seculi.*

10, 11 Comprecor autem, ut is qui suggerit semen facienti sementem, & panem in cibum suppeditat, quique sortem largitus est, unde nunc succurritis inopiæ sanctorum, semper sufficiat facultates vestras, quo subinde possitis illis succurrere, atque ita multiplicet sementem vestram, simulque augeat proventum vestræ justitiæ, ut in omni virtutum genere locupletemini, semperque proficiatis in omnem animi simplicitatem, atque candorem, & in dies viliores habeatis pecunias, quæ dum erogantur non in quoslibet, sed in sanctos, fit ut vestra liberalitas redundet in gloriam Dei, dum vestra munificentia refecti pii, per nos gratias agunt Deo, ut mihi quoque nonnihil hinc præmii vindicem, qui negotium procuro.

12, 13 Siquidem hujus ministerii functione non hoc solum assequimur, quod vestra largitate refocillatur egestas hominum piorum, verum etiam quo copiosior est vestra beneficentia, hoc à pluribus aguntur gratiæ Deo, qui pietatem vestram experti, pro ista benignitate vestra laudibus efferunt Deum: quod intelligant vos tanto consensu obedire monitis Euangelicis, quibus obtemperantes, libenter & alacriter impartimini facultates vestras, non his solum, quorum negotium agimus in præsentia, verum omnibus cæteris. Siquidem ubique subveniendum est egentibus.

14 Fit denique ut in suis precibus, quas grati Deo pro vobis offerunt, optent videre vos, ut quorum eximia liberalitate reficiuntur, eorum eximiam pietatem coram adspiciant, quam vobis à Deo collatam, ex muneris magnitudine perspiciunt.

15 Sed inprimis habendæ sunt gratiæ Deo de hoc munere inenarrabili, quo & vobis istam mentem inspirat, ut donetis, & illis, ut vestris beneficiis non ad otium aut luxum, sed ad laudandum Deum provocentur.

CAP. X.

Carni haud milito, sed Domino: vindicta parata est:
Nec superat fines gloria nostra suos.

1 VERUM ut his omissis ad alia veniamus, obtestor vos, non quivis Apostolus, sed ille ipse vobis abunde spectatus Paulus, qui vestræ salutis causa tantum malorum & passus sum, & patior: obtestor autem per lenitatem ac humanitatem benignitatemque Jesu Christi, ad cujus exemplum ipse memet apud vos dejicio, sic me gerens juxta speciem, quasi sim humilis quispiam & abjectus, non præ me ferens dignitatem & auctoritatem Apostolicam, quam Pseudapostoli putant in fastu sitam, & tamen (ut isti calumniantur) cum absum, audacibus ac sævis Epistolis vos territo, vestra fretus obedientia:

2 Sic componite vitam vestram, ne cum venero cogar uti rursus eadem confidentia, qua videor usus in quosdam Pseudapostolos, qui me è suo metientes animo, judicant juxta carnales affectus versari vobiscum, quasi præsens vobis blandiar, seu captans vos, seu metuens, idem absens in litteris me jactitem, ac nihil non audeam.

3 Quic-

23 *Sive pro Tito, qui est socius meus, & in vos adjutor, sive fratres nostri, Apostoli Ecclesiarum, gloria Christi.*
24 *Ostensionem ergo, quæ est charitatis vestræ, & nostræ gloriæ pro vobis, in illos ostendite in faciem Ecclesiarum.*
1 *Nam de ministerio, quod fit in sanctos, ex abundanti est mihi scribere vobis.*
2 *Scio enim promptum animum vestrum: pro quo de vobis glorior apud Macedones. Quoniam & Achaia parata est ab anno præterito, & vestra æmulatio provocavit plurimos.*
3 *Misi autem fratres: ut ne quod gloriamur de vobis, evanuetur in hac parte, ut (quemadmodum dixi) parati sitis:*
4 *Ne cum venerint Macedones mecum, & invenerint vos imparatos, erubescamus nos (ut non dicamus vos) in hac substantia.*
5 *Necessarium ergo existimavi rogare fratres, ut præveniant ad vos, & præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse, sic quasi benedictionem, non tamquam avaritiam.* 6 *Hoc autem dico: Qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* 7 *Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* 8 *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum,*
9 *Sicut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in seculum seculi.*
10 *Qui autem administrat semen seminanti: & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum justitiæ vestræ:*
11 *Ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo.*
12 *Quoniam ministerium hujus officii, non solum supplet ea quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino,*
13 *Per probationem ministerii hujus, glorificantes Deum in obedientia confessionis vestræ, in Euangelium Christi, & in simplicitate communicationis in illos, & in omnes,*
14 *Et in ipsorum obsecratione pro vobis, desiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis.*
15 *Gratias Deo super inenarrabili dono ejus.* 1 *Ipse autem ego Paulus obsecro vos, per mansuetudinem & modestiam Christi, qui in facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis.* 2 *Rogo autem vos ne præsens audeam, per eam confidentiam qua existimor audere, in quosdam, qui arbitrantur nos tamquam secundum carnem ambulemus.*

3 Quicquid ago, vestræ salutis & Euangelii causa ago, non humano affectu. Nam licet hac mortali carne circumdati simus, tamen non militamus auspiciis, ductuque carnis, sed Spiritus, Deique præsidiis. Quantumvis humiles & imbecilli vobis videmur, tamen inermes non sumus, nec robur nobis deest ad coercendos hostes Euangelii.

4 Sed arma nostræ militiæ, quæ spiritualis est, non sunt humano more, ferro, aut chalybe valida, sed Dei afflatu valida sunt, ad demoliendum quicquid adversus illum munitum videtur.

5 His demolimur ac subvertimus callida consilia, & omnem impiorum celsitudinem, quæ sese erigit, & extollit humanæ sapientiæ præsidiis, adversus scientiam Dei, quam per Euangelium profitemur: neque dejicimus modo, sed & subigimus, & captivam ducimus omnem humanam cogitationem, ut posthac obediat Christo, cui prius rebellis erat.

6 Quod si quis obstinate rebellet, habemus & vindictam in promtu adversus omnem inobedientiam, qua vestra causa nondum usi sumus, ne sæviens in eos, qui vobis admixti sunt, & quibus adhuc aliqua ex parte favent nonnulli, arbitrantes eos præclaros Apostolos esse, tranquillitatem publicam turbem; fortassis usurus in posterum, ubi sensero vestram obedientiam eo profeciisse perfectionis, ut æquis animis laturi videamini tales à vestro contubernio semoveri, quemadmodum feciistis in vindicando incesto. Spiritualis est dignitas ac potestas Apostolica, non corporalis.

7 An vos adhuc ex iis, quæ videntur, Apostolum æstimatis, quemadmodum vulgus ex ambitu strepituque fortunæ, aut satellitio, Principem æstimat? Nihil interim dicam de Pseudapostolis, illud in genere dicam. Si quisquam hoc nomine sibi fidit, quod Christi sit, vel quod hunc mortalem viderit, vel quod huic sanguinis propinquitate junctus sit, illud item apud se perpendat, quod quemadmodum ipse est Christi, ita nos quoque Christi sumus, & hac in parte pares sumus, nec illi est, quo sibi placens, nos despiciat. Neque enim carnis commercium nos Christo conjunctiores reddit, sed spiritus. Nihil aliud interim, quam æquo me cæteris Apostolis.

8 Quod si vel amplius etiam aliquid mihi vindicem, glorians de potestate mea, imo non mea, sed à Domino tradita, verum in hoc tradita, ut prosim vobis, non ut noceam, haud, opinor, pudefiam, quasi vane magis, quam vere sim gloriatus.

9 Verum de potestatis magnitudine silebo, ne cui videar territare vos minacibus Epistolis.

10 Sic enim ait quispiam, quem honoris causa nondum nomino: Paulus Epistolas mittit arrogantes, ac potentes: cæterum cum adest ipse jam sui dissimilis, & corpore videtur imbecilli, quod nihil præ se ferat majestatis, & oratio contemtibilis non refert eam auctoritatem, qua tonant ac fulminant Epistolæ.

11 Quisquis hoc nomine nostram auctoritatem despicit, illud sibi persuadeat velim, quod qualis est absentis sermo noster in Epistolis, quem isti gravem ajunt, talis est & præsentis vis atque auctoritas, si visum fuerit ea uti. Verbis ostentare, quod re præstare non possim, aliorum est, non meum.

12 Nonenim possumus animum inducere, ut nosmetipsos conjiciamus in numerum istorum, aut etiam cum talibus nosipsos conferamus, qui se non factis, sed fucis, ac magniloquentia commendant, nequaquam intelligentes interim, quod ipsi sese non suis meritis, sed ignavi ignavorum collatione metiuntur, nec aliter magnos sese declarant, nisi suis laudibus attollendis & deprimendis aliorum meritis.

13 Absit autem ut nos ad istorum exemplum in immensum gloriemur. Siquidem ad istum modum gloriandi nullus fuerit neque modus, neque finis, si quisque tantus haberi velit, quantum se facit arrogantia. Nos nosmet nostro metimur pede, non alienam gloriam nobis usurpantes, sed ad mensuram ac modum eorum, quæ Dei præsidiis gessimus ipsi. Quantum ab illo donatum est, tantum nobis vindicamus; nec ultra modum hanc dilatamus gloriam nostram.

14 Neque vero mediocriter imperatoris nostri ditionem propagavimus, qui usque ad vos etiam pertigerimus, non ultro profecti, sed à Deo missi. Satis ingens hoc gloriandi argumentum, non quocunque modo perveniisse ad vos, sed ita perveniisse, ut vobis prædicaverimus Euangelium Christi: ut jam non sit nobis necesse verbis amplificare laudes nostras, quasi re vera non pertigerimus usque ad vos, alioqui non admodum expugnabiles. Nec enim inviisimus jam persuasos, quod faciunt Pseudapostoli, sed ipsi primi persuasimus.

15, 16 Neque sine fine nos jactamus de alienis laboribus, laudem alienorum gestorum in nos verbis transmoventes, quod quidem ignavi duces factitant, arcis aliena virtute captæ laudem sibi vindicantes: Quin speramus futurum, ut in dies magis ac magis glisscente & augescente fide, per vos majorem laudem consequamur, juxta metam nobis à Deo præscriptam, ut in aliis quoque Regionibus, quæ sunt ultra vos, prædicemus Euangelium Christi, ac longius etiam quam hactenus fecerimus, proferamus Christi vexilla, non alieno Marte atque auspiciis rem gerentes, ut in rem paratam ingerentes nos, alienis laboribus partam laudem nobis arrogemus: imo tantum abest ut ex alienis factis jactemus nos, ut nec meorum gestorum gloriam mihi adscribam.

17 Sed quisquis gloriatur, non suo, sed Christi nomine glorietur oportet, cujus negotium agit.

18 Neque enim qui sui buccinator semet ingerit, vere probatus est, sed qui delectus à Deo, tanquam idoneus bona fide mandato fungitur officio, is demum vere spectatus ac probatus est.

CAP. XI.

Laudare haud volo me: propter vos zelo fideles:
Glorior insipiens, & mea facta cano.

1 NON mihi tempero, quin aliquid magnificentius de me prædicem, quamvis non ignorem argumentum haberi stultitiæ, jactare seipsum, sed utinam feratis me pauliisper ineptientem, imo non dubito, quin laturi sitis.

2 Huc enim stultitiæ me cogit non arrogantia, non studium alicujus emolumenti, sed ingens quidam & impatiens erga vos amor, atque, ut ita dixerim, zelotypia. Nam plane zelotypus sum ego erga vos, nihil non metuens vobis, quos tenere diligo. Diligo autem non humano affectu, sed caritate divina, nec mihi zelotypus sum, sed Christo. Nam huic velut unico sponso, vos ceu castam & incorruptam virginem spirituali conjugio copulavi, à quo nunquam divellamini. Nihil mihi arrogo vestri. Ille sponsus est, ego pronubi modo functus sum officio.

3 Castam ac puram sponsam illi tradidi, sed metuo ne qua fiat, ut quemadmodum olim Serpentis versutia simplicem Evæ mentem corrupit, vitiata puritate, in qua fuerat condita, ita per Pseudapostolorum astutiam vestra quoque simplicitas corrumpatur, ac degeneretis ab illa puritate, qua hactenus estis usi erga sponsum Christum Jesum, qui purus puris vobis per nos traditus est.

4 Etenim si quis venerit prædicans alium Jesum, quem non prædicavimus, aut alium spiritum accipiatis, quem non accepistis, aut alium Euangelium, quod non recepistis, recte patiemini.

5 Arbitror autem me nihil minus fecisse quam magnos illos Apostolos. 6 Quod si & imperitus sermone, non tamen scientia. Sed in omnibus manifestati sumus vobis.

7 An peccatum feci, me ipsum humiliando, ut vos exaltaremini, quod gratis Euangelium Dei vobis annunciarim?

8 Alias ecclesias spoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum.

9 Et cum apud vos essem & egerem, nemini onerosus fui. Nam quod mihi deerat, id expleverunt fratres, qui venerunt à Macedonia. Et in omnibus sine onere me vobis servavi, & servabo.

10 Est veritas Christi in me, quod hæc gloriatio non obstruetur in me in regionibus Achaiæ.

11 Quamobrem? quia non diligo vos? Deus scit.

12 Quod autem facio, & faciam, ut amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem, ut in quo gloriantur, inveniantur sicut & nos.

13 Nam hujusmodi pseudapostoli, operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi.

14 Et non mirum: ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis.

15 Non magnum igitur si & ministri ejus transfigurent se tanquam ministri justitiæ, quorum finis erit secundum opera ipsorum.

16 Iterum dico, ne quis me putet insipientem esse: alioqui & tanquam insipientem accipite me, ut & ego modicum quid glorier.

17 Quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia, in hac confidentiæ gloriationis.

18 Quoniam multi gloriantur secundum carnem, & ego gloriabor.

19 Libenter enim suffertis insipientes cum sitis ipsi sapientes.

20 Sustinetis enim si quis vos in servitutem redigat, si quis devoret, si quis accipiat, si quis extollatur, si quis in faciem vos cædat.

21 Secundum ignobilitatem dico, quasi nos infirmi fuerimus. In quo quis audet, in insipientia dico, audeo & ego.

22 Hebræi sunt? & ego. Israelitæ sunt? & ego. Semen Abrahæ sunt? & ego.

23 Ministri Christi sunt? Minus sapio, plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.

24 A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi.

25 Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui.

26 In itinere sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in deserto, periculis in mari, periculis in falsis fratribus.

27 In labore & ærumna, in vigiliis sæpe, in fame & siti, in jejuniis sæpe, in frigore & nuditate.

28 Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum.

29 Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?

30 Si gloriari oportet, infirmitatem meam gloriabor.

31 Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in sæcula, scit quod non mentior.

32 Damascenus præfectus gentis Aretæ regis custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet.

33 Et per fenestram in sporta demissus sum per murum, & effugi manus ejus.

CAP. XII.

1 Gloriari utique non expedit: veniam autem ad visiones & revelationes Domini.

2 Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum.

3 Et scio hujusmodi hominem, sive in corpore sive extra corpus nescio, Deus scit,

4 quod raptus sit in paradisum, & audierit arcana verba, quæ non licet homini loqui.

5 Pro hujusmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis.

6 Nam & si voluero gloriari, non ero insipiens, veritatem enim dicam: parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me aut audit ex me.

7 Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet.

8 Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet à me.

9 Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.

10 Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Cum enim infirmor, tunc potens sum.

11 Factus sum insipiens: vos me coegistis. Ego enim à vobis debui commendari. Nihil enim minus fui à magnis Apostolis, etsi nihil sum.

12 Signa quidem Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, signis & prodigiis & virtutibus.

13 Quid enim habuistis minus præ cæteris ecclesiis, nisi quod ego ipse non gravavi vos? donate mihi hanc injuriam.

14 Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos, & non gravabo vos. Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Non enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.

15 Ego autem libentissime impendam & superimpendar ipse pro animabus vestris: licet plus vos diligens minus diligar.

16 Sit autem ita, ego non gravavi vos: sed cum astutus essem, dolo vos cepi.

17 Numquid circumvenit vos per aliquem eorum quos misi ad vos?

18 Rogavi Titum, & misi cum illo fratrem. Numquid circumvenit vos Titus? nonne eodem spiritu ambulavimus? nonne eisdem vestigiis?

19 Jam olim putatis quod excusemus nos apud vos? coram Deo in Christo loquimur: omnia autem, charissimi, propter ædificationem vestram.

20 Timeo enim ne forte cum venero, non quales volo inveniam vos, & ego inveniar à vobis qualem non vultis: ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones inter vos sint:

21 ne iterum cum venero, humiliet me apud vos Deus meus, & lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia & fornicatione & impudicitia, quam gesserunt.

CAP. XIII.

1 Ecce tertio venio ad vos. In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.

2 Prædixi & prædico, sicut præsens secundo, & absens nunc scribo his qui ante peccaverunt, & cæteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam:

3 quandoquidem experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis.

4 Nam & crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei. Nam & nos infirmi sumus in illo, sed vivemus cum illo ex virtute Dei in vobis.

5 Vosmetipsos tentate si estis in fide, vosmetipsos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Jesus Christus in vobis est, nisi forte reprobi estis?

6 Spero autem quod cognoscatis quia nos non sumus reprobi.

7 Optamus autem apud Deum ne quid mali faciatis, non ut nos probi videamur, sed ut vos bonum faciatis, nos autem tanquam reprobi simus.

8 Non enim possumus quidquam adversus veritatem, sed pro veritate.

9 Gaudemus enim cum infirmi fuerimus, vos autem potentes sitis: hoc & precamur vestram consummationem.

10 Ideo hæc absens scribo, ut præsens non durius agam secundum potestatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem.

11 De cætero, fratres, gaudete, perfectionem habete, consolationem habete, idipsum sapite, pacem habete, & Deus dilectionis & pacis erit vobiscum.

12 Salutate invicem in osculo sancto.

13 Salutant vos omnes sancti.

14 Gratia Domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

Ad Corinthios secunda scripta est ab Philippis per Titum & Lucam.

Digitized by Google

4 Etenim si novus iste Apostolus, qui in nostros labores irrepsit, alium Jesum prædicaret, quem nos vobis non prædicaverimus, aut si per illum alium spiritum acciperetis, quem per nos non acceperitis, aut aliud traderet Euangelium, quod per nos non sit traditum, merito ferretis illum jactantem sese, ac nobis anteponentem, ut qui contulisset, quod à nobis conferri non quiverit. Nunc si nihil ab istis adfertur, quod à nobis non sit abunde traditum, quid est quod nobis quodammodo fastiditis, illorum perferatis insolentiam?

5 Sint Apostoli quamlibet magni, certe quod ad Euangelii fructum attinet, non arbitror me vel præcipuis Apostolorum primoribus ulla in re fuisse inferiorem.

6 Sint isti sermone comptiores, certe scientia non illis concesserim. Nihil opus orationis lenocinio, cum res adsit. Venditent illi sese verborum phaleris, nos omnibus officiis declaravimus animum erga vos, & vim Apostolicam, neque quicquam passi sumus in nobis desiderari.

7, 8 Nisi forte hoc vos offendit, quo maxime debuerat vobis animus noster commendari, quod non istorum more, fastu meo vos presserim, sed metipsum apud vos humiliarim ac dejecerim, haudquaquam subdole, sed ut vos per meam humilitatem exaltaremini in fide: aut quod ad istorum exemplum, non onerarim vos sumtu, sed gratuito, meoque cibo vobis prædicaverim Euangelium Dei, adeo parcens vobis, ut cum premerer inopia, maluerim alias Ecclesias deprædari, quo vobis absque vestris impendiis inservirem, ne tum quidem cuiquam oneroſus, cum apud vos agerem, idque cum urgeret egestas.

9 Nam egestatem meam suppleverunt tum ii, qui venerant à Macedonia. Quin non hac re solum, verum etiam in omnibus cavi, & cauturus sum, ne cui sim gravis.

10 Non hæc loquor arroganter, sic mihi semper adsit Christi veritas, ut in regionibus totius Achaiæ, non solum Corinthi, hæc mea gloriatio Euangelii gratis prædicati non interrumpetur.

11, 12 Quamobrem autem hoc facio? An odio vestri, munificentiam quoque vestram adspernor? Deus novit hoc non esse in causa, verum quod facio, quodque in posterum facturus sum, idco facio, quo præripiam occasionem calumniandi me iis, qui captant occasionem: ut isti cum sint opulenti, simulantes palam se recusare munera, cum clanculum accipiant, in hoc quoque, cujus falsam laudem sibi venantur, comperiantur nihilo præstantiores nobis, qui nec inopia pressi, quicquam à quoquam accipiamus, non committentes ut isti vel hac simulata fucataque specie pietatis nos superent.

13 Nam isti quidem non ex animo, sed ad suum quæstum ac fastum prædicant Euangelium: & cum à Christo missi non sint, neque Christi negotium agant, tamen falso sibi vindicant Apostolici cognominis honorem: simulantque sese conductos in vineam Domini, opera sua rem illius agere, cum officiant ejus negotio, ac sui ventris agant negotium, sub Euangelicæ doctrinæ prætextu, sua quædam insulcientes dogmata: velut faciunt hi, qui lethale venenum, quo magis fallant, admiscent exquisitissimo vino: sumta interim Apostolorum persona, quo magis etiam imponant simplicibus animis auctoritatis prætextu, magnique nominis umbra, histriones verius quam Apostoli. Est autem hoc pernicioſissimum impostura genus, fuco pietatis, impietatis venenum inferere.

14 Christum auctorem prætexunt, cum Satanæ rem agant. Neque mirum, si discipuli exprimunt magistrum. Nam & ipse Satanas tenebrosus, non alia arte vehementius nocere solet mortalibus, quam si dissimulata sua specie, sese præstigio transfiguret in Angelum lucidum. Qui vere ministri Christi sunt, nihil per fucum agunt, Dominum suum referentes.

15 Nihil autem novum, si Satanæ ministri, personam alienam sibi sumunt, ut cum injustitiæ serviant, tamen justitiæ ministri videantur, sceleratissimi proditores, qui mentientes amicum, hostem agunt. Nondum in hos exerceo meum jus, sed ob publicam tranquillitatem illos suæ malitiæ relinquo. Cæterum non effugient pœnam, siquidem malorum operum malus erit finis.

16 Rursus à vobis petenda mihi venia est, ut de me quoque nonnihil vere prædicem, ne quis hoc stultitiæ meæ tribuat, quod mearum laudum ipse sim buccinator. Quod si non impetro, vel stultitiæ meæ, si videtur, concedite, ut cum isti apud vos tam multa de se prædicent, mihi quoque fas sit vel paululum quiddam de meipso gloriari.

17 Nam quod nunc dicturus sum, non sapiet pu-rum illum Christi spiritum, sed humanam potius stultitiam: quandoquidem super hisce rebus gloriaturus sum, quæ nos Deo nihilo reddunt gratiores, sed sunt hujus generis, de qualibus stultum vulgus sese jactitare solet, cum ex his non oriatur vera gloria. Scio, stultitiæ speciem habet quod facio, sed huc me adigit istorum jactantia, quos tamen stulte gloriantes toleratis.

18 Cum igitur tam multi sint apud vos, qui cum Apostoli velint haberi, tamen ea jactitent, quæ nihil faciunt ad dotes Apostolicas, gloriabor & ipse de me nonnihil, stultitiam istorum imitans.

19 Vos interim hanc nostram ineptiam boni consuletis, siquidem cum sitis ipsi sapientes, non gravate fertis alienam stultitiam. Æquum est autem, ut inter tam multos assidue gloriantes, me quoque paulisper feratis, præsertim cum gloriatio mea vos non sit gravatura, quemadmodum illorum.

20 Ab illis enim suffertis, si quis in servitutem adigat, cum Christus voluerit vos esse liberos: si quis sumtibus exedat atque exhauriat vos, cum nos gratis Apostolum egerimus: si quis accipiendis xeniis ac muneribus facultates vestras attenuet: si quis fastu turgidus, tyrannidem in vos exerceat: & adeo, ut quod est extremæ contumeliæ, palma vos cædat in faciem: quod si non faciunt, certe sic tractant aliis modis, ut non levior sit contumelia.

21 Hæc cum illi faciant, vobis magni videntur Apostoli, ex hujusmodi rebus eos æstimantibus, de quibus & vulgo stultum habetur jactare sese. Perinde quasi nos non potuerimus iisdem titulis abuti, ad premendos vos auctoritate, nisi maluissemus vestræ saluti, quam nostro dominio consulere. Quid enim jactant isti, aut in quo sibi placent, (ut interim stultorum more loquar) in quo non possim me illis æquare?

22 Magnum videri volunt, quod Hebræi sint, perinde quasi apud Deum quicquam referat, qua gente sis oriundus: & tamen si quid est Hebræum esse natum, Hebræus sum & ego. Israelitæ sunt, sum & ego: posteri sunt Abrahæ, sum & ego. Nam hujusmodi titulis inanibus sese venditant, in quibus ipsis tamen illis pares sumus, si libeat gloriari.

23 Cæterum in his, quæ vere faciunt ad gloriam Apostolicam, etiam præcellimus istos. Ministri Christi sunt isti, demus esse, sed magis ego sum, ut stulte loquar, sed vere. Id ita esse non declaravi fastu, non capiendis muneribus, non jactanda gentis origine, sed his argumentis, quæ vere testentur pectus Apostolicum. Plus laborum mihi exhaustum est,

4 *Nam si is qui venit, alium Christum prædicat, quem non prædicavimus; aut alium spiritum accipitis, quem non accepistis; aut aliud Euangelium, quod non recepistis: recte patieremini.*

5 *Existimo enim nihil me minus fecisse à magnis Apostolis.*

6 *Nam etsi imperitus sermone, sed non scientia: in omnibus autem manifestati sumus vobis.*

7 *Aut numquid peccatum feci, me ipsum humilians, ut vos exaltemini? quoniam gratis Euangelium Dei euangelizavi vobis?*

8 *Alias Ecclesias expoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum.*

9 *Et cum essem apud vos, & egerem; nulli onerosus fui: nam quod mihi deerat, supplerunt fratres, qui venerunt à Macedonia: & in omnibus sine onere me vobis servavi, & servabo.*

10 *Est veritas Christi in me, quoniam hæc gloriatio non infringetur in me in regionibus Achaiæ.*

11 *Quare? Quia non diligo vos? Deus scit.* 12 *Quod autem facio, & faciam: ut amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem, ut in quo gloriantur, inveniantur sicut & nos.* 13 *Nam ejusmodi pseudoapostoli, sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi.*

14 *Et non mirum: ipse enim satanas transfiguravit se in Angelum lucis.*

15 *Non est ergo magnum, si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiæ: quorum finis erit secundum opera ipsorum.*

16 *Iterum dico, (ne quis me putet insipientem esse, alioquin velut insipientem accipite me, ut & ego modicum quid glorier)*

17 *Quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia, in hac substantia gloriæ.*

18 *Quoniam multi gloriantur secundum carnem: & ego gloriabor.*

19 *Libenter enim suffertis insipientes: cum sitis ipsi sapientes.*

20 *Sustinetis enim si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit.*

21 *Secundum ignobilitatem dico, quasi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet (in insipientia dico) audeo & ego.*

22 *Hebræi sunt, & ego: Israelitæ sunt, & ego: Semen Abrahæ sunt, & ego:*

23 *Ministri Christi sunt, (ut minus sa-*

Digitized by Google

pieus dico) plus ego: in laboribus pluribus, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.

24 A Judæis quinquies, quadragenas, una minus, accepi.

25 Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui,

26 In itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus:

27 In labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate:

28 Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum.

29 Quis infirmatur, & ego non infirmor, quis scandalizatur, & ego non uror?

30 Si gloriari oportet: quæ infirmitatis mea sunt, gloriabor.

31 Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in sæcula, scit quod non mentior. 32 *Damasci præpositus Gentis Aretæ regis, custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet: & per fenestram in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus ejus.* 1 *Si gloriari oportet (non expedit quidem:) veniam autem ad visiones & revelationes Domini.*

est, quam istis: longe gravius exercitus sum plagis, sæpius in carcerem conjectus sum, frequentius capitis adii periculum.

24, 25 Quod si vultis & nominatim recenseri quædam, à Judæis quinquies cæsus quadragenas plagas una minus accepi, ter lictorum virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, totam noctem ac diem exegi in profundo mari, cum summa vitæ desperatione.

26 Quid autem pergam enumerare singulatim? cum frequenter Euangelii gratia periclitatus sim, non solum in navigatione, verum etiam in terrestribus itineribus: crebro versatus in periculis fluminum, periculis latrociniorum, periculis ex persecutione Judæorum, periculis ex violentia Gentium, periculis in civitate obortis, periculis in deserto, periculis in mari, cum parum abesset quin à nautis trucidaremur: periculis ab his, qui falso nomine Christiani, Euangelio nostro resistebant.

27 Ut ne commemorem interim assiduos labores, ac molestias Euangelii gratia susceptas, crebras vigilias, famem ac sitim sæpenumero toleratam, crebras inedias, frigoris ac nuditatis toleratam molestiam. Sed quæ hactenus recensui, ad corporis duntaxat afflictionem pertinent.

28 At interim non levius affligebar animo, quem undique quotidie premit, urgetque, sollicitudo, quam pro tot Ecclesiis gero, quæ mihi usque adeo cordi sunt, ut quicquid illis acciderit, mihi putem accidisse.

29 Cujus enim malis non indolesco perinde ut meis? Quis infirmatur, cujus malo non ægrescam & ipse? Quis læditur, cujus offendiculo non & ipse discrucier animo?

30 Si gloriandum est, de his potius gloriabor, quæ meam imbecillitatem, quam quæ magnitudinem arguunt. Jactent alii, quod per Euangelii commendationem habeantur in pretio, quod ditescant, quod sub prætextu Christi regnent. Ipse pulchrius arbitror jactare, quod Christi gratia dejectus fuerim & afflictus.

31 Deus ac Pater Domini nostri Jesu Christi novit me nihil mentiri.

32 Cum essem Damasci, is, quem Areta Rex, Herodis socer, ei genti præfecerat, excubias disposuerat in Damascenorum civitate, modis omnibus hoc agens, ut in Judæorum gratiam me comprehenderet, ac veluti tumultus auctorem occideret. Quid facerem? Didiceram à Domino præceptum, ut alicubi persecutionum sævitiam declinaremus.

33 Dictabat animus nondum adesse tempus obeundi martyrii, sed magis prædicandi latius Euangelii, verum urgebat undique tyrannus, nec aliud est effugium, nisi quod sportulæ inclusus, per fenestram è mœnibus funè demissus sum, atque hoc pacto sum elapsus è Præfecti manibus.

CAP. XII.

Mi stimulus datus est: quæ dico dicere cogor: Non gravo vos: quales inveniam timeo.

1 HACTENVS ea recensui, quæ me calamitosum & ærumnosum fuisse testantur, quæque juxta judicium humanum magis contemtum reddunt, quam glorioſum. Cæterum an & alia commemorare debeam, nondum statui, de quibus tamen alii falso se jactitant. Gloriandum est, an non? Sed non nusquam expedit gloriari, præsertim cum sermonis tenor nos deduxerit ad visiones ac revelationes Domini Jesu, quas cum isti multas confingant, & insolenter jactitent, ego coactus & invitus (ne videar vel hîc illis inferior) unam duntaxat recensebo, non ad meam, sed ad Dei gloriam.

2 Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, (sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit) raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum.

2, 3, 4 Novi quendam, qui ante annos quatuordecim raptus sit, in corpore, an extra corpus nescio, Deus scit, sed tamen raptus est in tertium usque cœlum, hinc rursum in paradisum est raptus: & utrobique audivit verba quædam ineffabilia, quæ non sit fas mortali eloqui.

3 Et scio hujusmodi hominem, (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit)

5 Hujusmodi hominis nomine gloriabor, cui tanta felicitas contigerit Dei beneficio. De me nihil interim gloriabor, nisi commemorandis his, quæ me afflictum & abjectum arguunt.

6 Alioqui si voluero hac etiam in parte prædicare de memetipso, quando nec vane quicquam, nec ad ostentationem mei dicturus sum, non possim stultitiæ condemnari, etiamsi stultitiæ nomen agnovi. Sed tamen ab his recensendis mihi tempero vestra causa, non mea, ne quis mihi plus tribuat, meque majus aliquid suspicetur esse, quam me mea facta, meaque testatur oratio.

4 Quoniam raptus est in paradisum: & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.

7 Quanquam nec mihi fortasse satis tutum fuerit de his gloriari, quæ nos magnos faciunt, & affines arrogantiæ periculo. Proinde ne plus satis efferar sublimitate revelationum, aut ne pluris habear apud homines, quam expedit haberi, permissu propitii Numinis additus est stimulus & afflictio corporis, quæ & me mei commonefaciat, & apud omnes me mortalem arguat, communibus obnoxium malis. Additus est autem affligendo mihi, qui Christi remigo, nuntius ac minister Satanæ, qui meo obstrepat Euangelio, meque sæviſſimis persecutionibus divexet, perinde quasi colaphos impingat in caput meum, dejiciens ac deprimens me, ne supra modum extollar.

5 Propter hujusmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor nisi in infirmitatibus meis.

8 Quæ res cum mihi vehementer esset molesta, ter rogavi Dominum, ut ab hac afflictione me liberaret.

6 Nam & si voluero gloriari, non ero insipiens veritatem enim dicam; parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me.

9 Verum is mihi magis consulens, quam egomet mihi, respondit ad hunc modum: Paule, contentus esto mea in te beneficentia, nec ultra quicquam efflagites. Quod afflictionibus tunderis, simul & ad meam gloriam illustrandam pertinet, dum meo præsidio tutus vinci non potes, quantislibet procellis: & ad tuam salutem, qui quo magis affligeris corporis malis, hoc magis ditescis animi bonis. Ita fit ut imbecillitas humana perficiat Dei virtutem, & infirmitas absolvat potentiam. Etenim quum per homines humiles & imbelles adversus Satanam ac mundum omni sævitiæ genere frementem perstat & efflorescit Euangelium, palam fit hoc negotium, non humanis præsidiis, sed virtute Numinis geri. Porro quo majoribus malis affligimur, hoc illustrior fit Dei gloria, per nos agentis exserentisque vim suam. Hoc responsi cum acceperim à Domino, posthac nulla de re lubentius gloriabor, quam de afflictionibus, quibus imbecillus videor potius, quam magnus: in quibus etiam si quid magnitudinis aut sublimitatis apparet, id totum in Dei gloriam cedit, ut qui propter Christum infirmus videor, per illum videar potens ac robustus.

7 Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet.

10 Quamobrem mihi potissimum placeo, ac plaudo ob afflictiones, ob contumelias, ob egestates, ob persecutiones, ob anxietates pro Christo susceptas. Etenim cum hoc modo maxime destitutus sum, ac meis diffidens opibus, tum vere potens sum Christi præsidiis.

8 Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet à me:

11 Sed quo me rapit sermonis impetus? Video me plane revolutum in manifestam stultitiam gloriando, sed vos estis in causa, qui me huc adegeritis. Si-

9 Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in

infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. 10 *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo: Cum enim infirmor, tunc potens sum.* 11 *Factus sum insipiens, vos me coegistis. Ego enim à vobis debui commendari: nihil*

Digitized by Google

enim minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli: tametsi nihil sum:

quidem quando quicquid valui, vestro bono valui, vestræ partes erant, prædicare de me, quæ nunc indecore cogor de meipso prædicare. Non arrogo mihi laudem officii, quod non præstiterim: quod si præstiti, quantum alius quisquam, cur alii nobis anteponuntur? Tenuis sum, humilis sum, afflictus sum ac dejectus, infans sum, nihil horum recuso, neque refello, hæc ad me pertinent, si quid habent incommodi. Cæterum quamlibet nihili sum, tamen quod ad vos attinet, nulla in re sensistis me inferiorem cæteris Apostolis, non dicam gregariis, sed ne summatibus quidem.

12 Signa tamen Apostolatus mei facta sunt super vos, in omni patientia, in signis, & prodigiis, & virtutibus.

12 Non jacto de me quod in me non sitis experti: nam veris argumentis docui me esse Apostolum vobis testibus. Primum ac præcipuum argumentum Apostolici pectoris est, Euangelii gratia nihil non libenter perpeti, hac certe nota præstiti Apostolum. Neque defuerunt illa, quibus ad tempus ob incredulitatem quorundam Deus fidem arrogat sermoni nostro: quod genus sunt ostenta, prodigia, factaque potentia.

13 Quid est enim, quod minus habuistis præ cæteris Ecclesiis, nisi quod ego ipse non gravavi vos? Donate mihi hanc injuriam.

13 Alioqui proferte si quid habetis, in quo fueritis inferiores cæteris Ecclesiis, aut quid ulli Ecclesiæ per magnos illos Apostolos collatum est, quod per me vobis non sit collatum? Nihil est quod in me desideretis, nisi hoc unum desideratis, quod ad Apostolorum aliorum exemplum non onerarim vos sumtibus: qua re si læsi vos, ob hoc quia non læsi, condonate mihi hanc injuriam, etiamsi non pœnitet hujus animi.

14 Ecce, tertio hoc paratus sum venire ad vos: & non ero gravis vobis. Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.

14 Jam bis apud vos fui, neque cuiquam fui gravis, & ecce est animus tertio vos invisere, nec tamen cuiquam fuero onerosus, nihilo magis, quam antehac fuerim. Non temere hoc facio, nondum enim causam seriam adfero, sed quacunque causa facio, vestris inservio commodis, ac verum ago patrem. Non enim debent filii congerere divitias parentibus, sed contra, parentes filiis. Habet hoc parentum affectus, ut non solum opes suas haud citra sudorem quæsitas, verum etiam seipsos impendant liberis.

15 Ego autem libentissime impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris: licet plus vos diligens, minus diligar.

15 Tantum igitur abest, ut quicquam à vobis extorqueam, ut non mea solum libentissime paratus sim vobis impendere, verum etiam meipsum insuper, si id postulet salus animarum vestrarum. Mihi satis est, quod hæc pater præsto liberis, etiamsi non sim nescius, idem mihi usu venire in vobis, quod vulgo solet parentibus in liberis, ut cum impensissime vos diligam, non perinde diligar à vobis, posthabitus his, qui non æque vobis benevolunt atque ego.

16 Sed esto: ego vos non gravavi: sed cum essem astutus, dolo vos cepi.

16 Sed esto, ipse vos non gravavi, metuens invidiam, verum vafer & astutus, dolo vos cepi, per subornatos agens, quod per me puduit facere. Nam id fortassis cavillabitur quispiam, ex aliorum moribus me æstimans.

17 Numquid per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumveni vos?

17 Agedum, an per quenquam eorum, qui meo nomine venerunt ad vos, extorsi quicquam à vobis?

18 Rogavi Titum, & misi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumvenit? nonne eodem spiritu ambulavimus? nonne iisdem vestigiis?

18 Rogavi Titum ut adiret vos, huic collegam addidi fratrem illum Ecclesiis omnibus spectatum. Num quid à vobis extorsit Titus? An non eadem fuit nobis mens? An non iisdem vestigiis ingressi sumus? Non enim recuso, quo minus imputetur mihi, quicquid gestum est ab iis, quos ad vos legavi.

19 Olim putatis quod excusemus nos apud vos? Coram Deo in Christo loquimur: omnia autem charissimi propter ædificationem vestram.

19 Rursum arbitramini, quod hæc loquentes, causam nostram agamus, imo quicquid loquimur, sive dejicientes nos, sive extollentes, sive vobiscum expostulantes, in vestrum commodum loquimur carissimi.

20 Timeo enim, ne forte cum venero, non quales volo, inveniam vos: & ego

20 Testis est Deus, qui novit animum nostrum: testis est & Christus, cujus negotium agimus. Nihil non tento: nullum non moveo lapidem: in omnia me verto, quo vos plane correctos reddam. Nihil est quod mihi metuam ab istis personatis Apostolis: sed vereor, ne quo pacto fiat, ut si contigerit venire ad vos, non reperiam vos quales velim: & ipse vicissim reperiar vobis, qualem nolitis. Mihi in votis est, ut vos undique purgatos conspiciam, vobis ut me lætum ac lenem adspiciatis. At metuo, ne si pergatis auscultare quibusdam, reperiam inter vos contentiones, æmulationes, iras, concertationes, obtrectationes, susurros, tumores, seditiones:

inveniar à vobis, qualem non vultis: ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos:

21 Ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos: & lugeam multos ex iis qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt.

21 Ac rursus si venero, fiat, ut quem oportebat integritate vestra festivum & alacrem conspici, satis hactenus vestris flagitiis contristatum, denuo me dejiciat apud vos Dominus, proque triumpho cogar luctum sumere multorum nomine, qui jam pridem peccatis sunt contaminati: nec adhuc resipuerunt, ut pœniteat immunditiæ, libidinis, & lasciviæ, quam patrarunt.

CAP. XIII.

Nunc repeto dictum: non parcam: vestra probate:
Nam mihi pro vobis qualiacunque placent.

1 Ecce tertio hoc venio ad vos: In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum.

1 HIC erit tertius meus ad vos adventus: in hunc se quisque præparet. Neque enim amplius connivebo, sed juxta jus strictum atque exactum res agetur. Quisquis delatus fuerit, is duorum aut trium hominum testimonio vel absolvetur, vel damnabitur.

2 Prædixi, & prædico, ut præsens, & nunc absens, iis qui ante peccaverunt, & ceteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam.

2 Jam ante vos monui, iterum admoneo: quod secundo meo adventu præsens dicebam, id nunc absens scribo: non solum iis, qui jam tum peccaverant, verum etiam omnibus, qui delicto fuerint obnoxii, si comperero inemendatos, cum bis jam admonuerim, non parcam, quemadmodum antehac feci.

3 An experimentum queritis ejus, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis?

3 Alioqui quid vobis vultis? An vestro malo quæritis experiri, utrum quæ loquor, ex me ipso loquar, an ex Christi Spiritu, per me vobis loquentis? An hunc quoque velut imbecillum contemnitis? Is erga vos non fuit imbecillis, etiamsi olim talis fuit Judæis ac Pilato. Imo potentem se declaravit apud vos, ad cujus nomen vidistis reviviscere mortuos, fugere Dæmones, sanari ægrotos.

4 Nam etsi crucifixus est ex infirmitate: sed vivit ex virtute Dei. Nam & nos infirmi sumus in illo: sed vivemus cum eo ex virtute Dei in vobis.

4 Nam quamvis olim ex naturæ, quam suscepérat, imbecillitate cruci voluerit affigi, tamen non debet ea gratia velut imbecillis haberi. Ex infirmitate suscepti corporis mortuus est, sed vivit ex virtute Dei Patris. Itidem & nos Apostoli, Christi præceptoris vestigia sequentes, licet incredulis simus infirmi, dum ab illis cædimur, conjicimur in carcerem, convitiis afficimur, tamen ex virtute Dei cum illo potentes erimus erga vos, si vestra pertinacia vicerit nostram mansuetudinem.

5 Vosmetipsos tentate si estis in fide: ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est? nisi forte reprobi estis.

5 Ne velitis experimentum nostri quærere, sed ipsi magis vestri sumite experimentum, utrum in fidei dono persistatis, an hinc excideritis. Ipsi vos inter vos explorate. Sensistis edendis prodigiis, sensistis ex donis tam variis, ne in vobis quidem Christum imbecillem fuisse. Ea vis si vos destituit, argumentum est, fidem in vobis relanguisse, aut Christum moribus vestris offensum, à vobis alienatum esse. An ipsi vobis estis ignoti, & de me vultis experimentum capere, cum ipsi non intelligatis in vobis esse Christum? Est enim, si fidei vigor in vobis manet, nisi forte fide utcunque incolumi, vita impura meruistis à Christo rejici.

6 Spero autem quod cognoscetis, quia nos non sumus reprobi.

6 Utcunque de vobis est, spero vos ipsa re comperturos, quod nos non simus reprobi. Viget in me fides,

Digitized by Google

fides, & per hanc valebit in me Christus ad castigandos, qui nolunt sua sponte resipiscere.

7 Quid autem dixi, spero? imo contra magis opto, Deumque precor, ut illius beneficio fiat, ne vestris commissis cogar meam declarare potentiam: non quod metuamus, ne si fuerit utendum potestate, deprehendamur imbecilles, quemadmodum quidam de me jactitant: sed illud optamus potius, ut vos honestate vitæ probati sitis, nos habeamur veluti reprobi.

8 Etenim si vos in fide, morumque sanctimonia perstiteritis, nihil erit quod meam potestatem in vos exerceam. Neque recuso videri imbecillis, ad istum sane modum, si ideo judicer parum valere, quod vos exercendæ potestatis non dederitis occasionem. Nihil enim possumus adversus veritatem: sed quicquid possumus, pro veritate possumus. Non sumus potentes adversus innocentiam, sed adversus admissa potentes sumus. Quod si nihil erit in vobis animadversione dignum, nos velut exarmaveritis, vosque potentes innocentia declarabitis, mihi velut imbecilli ademta sæviendi potestate.

9 Pergent obtrectatores isti mihi calumniam imbecillitatis impingere, cavillantes me non potuisse meo vitio, quod ob vestram integritatem non potui. Sed mihi voluptati est, quoties cum ad istum modum vos validi fueritis, nos infirmi judicamur: imo non solum gaudemus, si id contingat, verum etiam optamus ardentissimis votis, ut mihi videatur aliquid deesse, modo vos sitis consummati.

10 Hac de causa putavi vos severius per litteras admonendos, ne cum venero; præsens cogar esse severus. Malo minis emendari vos, quam me puniendi potestatem in vos exercere, quam dedit mihi Dominus in bonum vestrum, non in malum. Adversus innocentes nihil possum, sed vestra refert non esse semper impunitos, qui flagitiis cœtum vestrum contaminant.

11 Meo sum functus officio, superest ut vestro fungamini. Date operam, ut sublatis dolorum causis, pure gaudeatis: utque semper ad meliora proficientes, perfecti reddamini, sarcientes ea, quæ vestram lædunt integritatem: utque peracta castigatione malorum, solatium ex emendatione capiatis. Estote concordes, nec diversis opinionibus inter vos decertate. Sit inter vos pax, ac mutua caritas. Quod si feceritis, Deus, caritatis ac pacis auctor, aderit vobis favens ac propitius.

12 Salutate vos invicem osculo sancto, non juxta vulgi morem, sed ex animo. Salutant vos, qui hîc sunt sancti omnes.

13 Favor Domini nostri Jesu Christi, ac dilectio Dei Patris, & communio Sancti Spiritus adsit vobis omnibus: ut agnoscentes Filii beneficium, Patris erga vos caritatem, qui sic dilexit vos, ut unicum Filium vobis impenderit, ac bonitatem Spiritus Sancti, per quem nobis semper impartit suas dotes, ad hujus individui ternionis exemplum vivatis & ipsi concordes, ac puri, perfectique.

Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

7 *Oramus autem Deum ut nihil mali faciatis, non ut nos probati appareamus, sed ut vos quod bonum est faciatis: nos autem ut reprobi simus.*

8 *Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate.*

9 *Gaudemus enim, quoniam nos infirmi sumus, vos autem potentes estis. Hoc & oramus vestram consummationem.*

10 *Ideo hæc absens scribo, ut non præsens durius agam, secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem.*

11 *De cætero; fratres, gaudete; perfecti estote; exhortamini, idem sapite, pacem habete; & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum.*

12 *Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes sancti.*

13 *Gratia Domini nostri Jesu*

PARAPHRASEOS IN EPISTOLAM PAVLI AD CORINTHIOS POSTERIOREM

FINIS.

VERSVS MEMORIALES
In D. PAVLI EPISTOLAM PRIOREM AD CORINTHIOS.

ABSIT lis: Blando haud utar: Carnalia vestra:
Dispensatores: Ejice atramque Zymen.
Fient cur lites? Grave & uri: Hic Dæmonothyta:
In stadio curro, κήδετο μὴ πατέειν.

Lex cœnæ almæ: Munera flatus: Nomen amoris
Omnia ut ædificent: postque necem pia spes.
Qui non dilexit *Jesum*, fuerit *Marantha*:
Ad bimarem capitum sex prior atque decem.

VERSVS MEMORIALES
In D. PAVLI ALTERAM AD CORINTHIOS EPISTOLAM.

ALME Deus recreas: Bis nolo: *Christe*, *Mosesque*
Dicta obscura quibus: Est domus esse duplex.
Fanum mens: Genuine timorque. Hic pauper *Jesus*:

In benefactores: καμπύλα δεξία.
Laus vera in Domino: Mox visio: Nuncque valete.
Posterius tredecim scripta *Corinthus* habet.

IN EPISTOLAM PAVLI AD GALATAS
ARGVMENTVM,
PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

GALATÆ Græci *sunt*, *sed ex* Gallis *oriundi: unde juxta divum* Hieronymum, *originis ingenium ingenii tarditate referebant. Quandoquidem &* Hilarius, Gallus *ipse*, *in Hymnorum carmine* Gallos *indociles vocat. Et* Paulus *illos objurgans* ἀνοήτους *appellat: ad quorum ingenium, suum attemperans sermonem, acerbius illos castigat, quam ullos in cæteris Epistolis: & reprehendit magis quam docet: ut quibus ratio suadere non poterat, revocaret auctoritas. Agit in hac Epistola, quod nusquam non agit, ut à Legis* Mosaicæ *servitute invitet ad Euangelii gratiam. Quod idem agit in Epistola ad* Romanos: *nam utrisque idem error acciderat, sed diversa ratione. Nam* Romani *primum in* Judaismum *inducti, postea resipuerunt.*

Gala-

Digitized by Google

Galatæ *rectè ab Apoſtolo inſtituti, Pſeudapoſtolorum opera in* Judaiſmum *retracti fuerant. Quod* Romani *perperam inſtituti ſunt, ſimplicitatis erat: quod mox admoniti reſipuerunt, prudentiæ. Contra, quod* Galatæ Chriſtum *amplexi ſunt, facilitatis erat: quod protinus in* Judaiſmum *relapſi, levitatis atque ſtultitiæ. Ad hos igitur ſubierant Pſeudapoſtoli, velut à* Petro & Jacobo *ſummatibus Apoſtolis miſſi, &* Pauli *auctoritatem calumniis elevabant, negantes illi fidem habendam, qui ſibi non conſtaret, nunc Legis utens ceremoniis, ſuſceptis votis, raſoque capite, & circumciſo* Timotheo, *nunc cum Ethnicis Legem negligens ac damnans: potius audiendos qui apud* Petrum & Jacobum *verſati fuiſſent, quique Dominum* Jeſum *in carne vidiſſent, cum* Paulus *nec vidiſſet* Chriſtum, *& diſcipulorum duntaxat diſcipulus eſſet, non* Chriſti. *Proinde* Paulus *vehementi & acri oratione (neque enim ulla Epiſtola concitatior) ſalubrique auſteritate & clementi ſævitia, ſimul &* Galatarum *errori medetur, & ſuam aſſerit auctoritatem, & Pſeudapoſtolorum fraudulentiam aperit, in ipſo ſtatim Epiſtolæ limine teſtatus ſeſe vel ſummis Apoſtolis parem, aut etiam ſuperiorem in hoc, quod Euangelii prædicandi auctoritatem à* Chriſto *jam immortali cœlitus accepiſſet, atque hoc auctore fretum in* Arabia, *&* Damaſci *aliquamdiu prædicaſſe* Chriſtum, *priuſquam cum quoquam Apoſtolorum contuliſſet. Deinde* Hieroſolymis *vidiſſe quidem* Petrum *ac* Jacobum *diebus perpaucis, neque quicquam tamen ab illis adjutum eſſe: ſub hæc in* Syria *&* Cilicia *quatuordecim annis* Chriſti *præconem egiſſe, donec admonitus divinitus* Hieroſolymam *reverſus, una cum* Barnaba *ac* Tito, *cum primariis Apoſtolis contulit Euangelium ſuum: non quod de tot annorum prædicatione jam veniſſet in dubium, ſed ut ex eorum comprobatione, quorum ſumma erat apud omnes auctoritas, magis confirmarentur cæteri: ſed ita contuliſſe cum* Petro, *ut ab illo nihil acceſſerit, quod ad Euangelii rem attineret: & adeo non fuiſſe ſe compulſum à* Petro, *ut Gentibus Legis onus imponeret, ut* Antiochiæ Petrum *cibis communibus veſcentem, ubi ſe metu ſupervenientium* Judæorum *è convivio ſubdueeret, palam in os reprehenderit, docens ex fide contingere ſalutem Euangelicam, non ex obſervatione Legis jam antiquatæ. Id veluti* Petro *dici cœptum latius proſequitur verſus ad* Galatas, *demonſtrans Legem* Moſaicam *ad tempus modo fuiſſe datam, & ad unum* Chriſtum *illa ſpectaſſe omnia: in illa fuiſſe carnem, in Euangelio ſpiritum: in illa umbras, in Euangelio lucem: in illa imagines, in Euangelio veritatem: in illa ſervitutem, in Euangelio libertatem. Dementiæ vero eſſe guſtatis potioribus ultro recidere ad deteriora. Hæc agit Cap. primo, ſecundo, tertio, & quarto. Deinde graviter interminatus eis, ne circumciſione recepta turpiter ſe dedant in ſervitutem Legis, oſtendit Chriſtianam libertatem non eſſe peccandi licentiam, ſed ultroneam functionem officiorum pietatis, quæ caritate dictante, non Lege jubente, præſtantur. Poſtremo hortatur ad Chriſtianam concordiam, ac ſublevandos infirmiores, aut lapſos, ad benemerendum de iis, qui nos fidem edocuerunt. Hujuſmodi factis, quoniam ſpiritus ſunt, æterna deberi præmia, cum ceremoniis temporariis temporaria ſit gloria, obiter in odium vocans Pſeudapoſtolos, qui non ob aliud ſtudebant circumcidi* Galatas, *niſi ut ſuper hoc gloriarentur, velut auctores hujus facinoris. Cui morbo affines ſunt, qui hodie novos cultus, & prodigioſe inſignes reperiunt, ut dicatur, hoc hominum genus ille inſtituit. Hanc Epiſtolam, ut apparet,* Paulus, *quo ſingularem erga* Galatas *affectum teſtaretur, totam ſua manu ſcripſit, cum in aliis ſoleat duntaxat ſubſcribere. Noſtra argumenta ſcriptam teſtantur à civitate* Epheſo, *Græcorum inſcriptiones, ab urbe* Roma.

ARGVMENTI FINIS.

IN EPISTOLAM PAVLI AD GALATAS

PARAPHRASIS,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

CAP. I.

Angelus his dicens contraria ſit maledictus:
Me docuit Chriſtus, qui populator eram.

1 *PAVLVS Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitavit eum à mortuis:*

1 PAVLVS Apoſtolus, & Apoſtolus non quilibet, ne quis me ut inferioris notæ Apoſtolum contemnat, aut aliorum Apoſtolorum auctoritate premat. Neque enim hæc functio mihi ab hominibus delegata eſt, quemadmodum aliis quibuſdam, qui cum Apoſtolorum diſcipuli ſint, pro eximiis Apoſtolis ſeſe gerunt: aut qui redemtis hominum favoribus in Apoſtolicum munus ingerunt ſeſe. Neque per ullum hominem quamlibet præminentem mandata eſt Euangelii prædicandi auctoritas, ſed per ipſum Jeſum Chriſtum Dei Filium, qui me non humanis ſuffragiis Euangelii præconem eſſe juſſit, ſed ſuapte voce jam immortalis cœlitus evocavit ad hoc negotii, nimirum ex ſententia & auctoritate Dei Patris, qui Filium Jeſum excitavit à mortuis. Neque enim ideo vivere deſiit, quod à nobis videri deſierit. Imo ſi merito pro magnis Apoſtolis habentur, quos ille mortalis adhuc inter homines, hominem agens deſignavit: certe non inferior habendus videor, quem è cœlis, non ut homo jam, ſed ut Deus ad Apoſtolicum munus obeundum excivit. Siquidem in hoc par ſum etiam primariis Apoſtolis, quod ab eodem Jeſu Chriſto ſum inſtitutus: illud prærogativæ mihi jure poſſim aſſerere, quod illos adhuc noſtri corporis injuriis obnoxius delegerit, me ſeorſum unum ſevocarit, poſteaquam omnem humanæ conditionis imbecillitatem exſuiſſet. Paulus igitur ille ego Apoſtolus, & talis Apoſtolus, ſcribo vobis hanc Epiſtolam, quicunque per omnem Galatiam in Chriſti doctrinam conſpiraſtis:

2 *Et qui mecum ſunt omnes fratres, Eccleſiis Galatiæ.*

2, 3 Nec ego ſolus, ne forſitan unius levis ſit auctoritas, ſed quotquot hîc ſunt (eſt autem immenſus numerus) qui mecum unanimes Chriſti nomen profitentur: & relicta Moſi Lege, fidem ac doctrinam Euangelicam amplectuntur, optamus vobis omnibus, primum gratiam, deinde pacem & concordiam: gratiam, quæ præſtet, ut ſemel gratis exemti priſtinis peccatis, poſthac innocentem ac puram agatis vitam: Concordiam, ne quid diſſentiatis à reliquis Eccleſiis, aut etiam à vobis ipſis: quorum utrumque nobis ſperandum eſt, non à Moſe, aut ab ullo mortali, ſed ab ipſo Deo Patre, unde velut à fonte noſtra ſalus omnis proficiſcitur, & ab hujus Filio Domino noſtro Jeſu Chriſto, per quem

3 *Gratia vobis & pax à Deo Patre, & Domino noſtro Jeſu Chriſto,*

ille

Digitized by Google

ille nobis omnia largiri voluit, cui convenit acceptum ferri, quicquid malorum effugimus, & quicquid bonorum sumus consequuti.

4 Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti seculo nequam, secundum voluntatem Dei & patris nostri,

4 Neque enim circumcisio Mosaica cuiquam restituit innocentiam, sed ipse Christus ultro semetipsum in mortem obtulit, quo nostra commissa penderet, ut sic per Euangelii gratiam præstaret, quod observatio Legis Mosaicæ præstare non poterat, ut hujus unius beneficio liberati à vitiis ac noxiis cupiditatibus, quibus hic mundus obnoxius est: posthac nec turpitudini, nec humanis ceremoniis serviamus. Ita visum est Deo, patrique nostro, à quo primum conditi, nunc postaquam vitio nostro in jus alienum relapsi fueramus, denuo sumus asserti, ac veluti renati, quodammodo cœlestes è terrenis facti, è carnalibus redditi spirituales.

5 Cui est gloria in secula seculorum: Amen.

5 Huic igitur, à quo nobis felicitatis nostræ summa proficiscitur, sit honos & gloria, non temporaria, quemadmodum contigit Mosaicæ Legi, sed nullis unquam seculis intermoritura. Amen.

6 Miror quod sic tam cito transferimini, ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Euangelium:

6 Id cum sit à me nuper vobis prædicatum, cumque vos semel amplexi sitis, demiror quid acciderit, ut à tam benigno Patre desciscatis, & desciscatis tam cito, alienati ab eo, qui condonatis gratuito commissis omnibus, vocavit & invitavit vos ad æternam salutem, non per opera legalia, sed per gratiam ac beneficentiam gratuitam Jesu Christi, ac subito in servitutem Legis Mosaicæ, velut in aliud Euangelium conversi, cum nullum omnino sit Euangelium præter id, quod à nobis est prædicatum.

7 Quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere Euangelium Christi.

7 Unde tanta inconstantia? unde ista levitas, ut gratis datam libertatem ultronea servitute velitis commutare? Vestrum ingenium incusare non libet, magis arbitror imputandum Pseudapostolis quibusdam, qui Mosi præcones verius quam Christi imponunt simplicitati vestræ, vosque magnificis summorum Apostolorum titulis perturbant, metum ac terrorem incutientes animis vestris, quasi sine circumcisionis adminiculo, non possitis salutem consequi: non tam renovantes priscæ Legis ceremonias, quas jam antiquatas atque abolitas esse oportuit, quam hoc prætextu subvertentes Euangelium Christi. Quod cum per fidem ac vitæ pietatem perfectam salutem polliceatur omnibus quicunque voluerint illud amplecti, vanum ac fallax habebitur, si (quod

8 Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizavimus vobis, anathema sit.

isti docere conantur) non patet aditus ad æternam salutem, nisi juxta Mosaicum ritum amputetur præputii pellicula.

8 Absit ut ullius hominis auctoritas vos ab Euangelii sinceritate dimoveat. Et adeo vos non commoveant Petri, aut Jacobi, Joannisque quantumvis magna vocabula, quibus abutuntur quidam ad illaqueandos vos Legis oneribus, ut etiamsi quis Angelus è cœlo vobis prædicarit Euangelium diversum ab eo, quod à nobis prædicatum est, non solum non audiatur, verum etiam exsecrabilis & abominandus habeatur vobis.

9 Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis euangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.

9 Quod dixi, ne quis per iracundiam animique impotentiam mihi putet excidisse, etiam atque etiam repeto, quisquis ille fuerit, sive Angelus, sive quantumvis inclytus Apostolus, qui vobis prædicaverit diversum ab eo, quod à nobis accepistis, exsecrabilis & abominandus habeatur.

10 Modo enim hominibus suadeo, an Deo? An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.

10 Nullius enim hominis, imo ne Angeli quidem auctoritas apud nos valere debet, quoties de rectitudine fidei agitur. Qui prædicat Euangelium Christi, Dei negotium agit, non hominis. Cur igitur verear ullius hominis auctoritatem? A Deo, non ab homine, mihi commissum est Euangelium. Id utrum, quæso, sic tractare debeo, ut hominibus satisfaciam, an Deo, quem unum auctorem ac Dominum agnosco? Judæi quodam affectu humano student omnibus obtrudere ritus suos, quo videlicet ipsi pluris fiant hoc prætextu, ut quisque præclara videri cupit, in quibus ipse fuerit institutus. Proinde quidam horum A gratiam captantes, circumcisionem suadent, prædicant sabbata ac ciborum delectus: perinde quasi rem eximiam tradant, cum ista tradunt. Sed absit, ut ego eousque placere studeam Judæis, humana magis quam divina sectantibus, ut patiar Euangelii sinceritatem admixtu Judaismi vitiari. Olim addictus Judaismo genti meæ placebam, modis omnibus persequens eos, qui Christi nomen profiterentur. Sed dum hominibus placeo, Deo displiceo, qui Mosen antiquari, Christum Filium suum illustrari voluit. Quandiu Legi serviebam, Mosi præscripta servare curæ fuit, & laudem ab hominibus persequebar, nunc alio me vocavit Deus, cui soli probari cupio. B Quod si posthac etiam eandem laudem captarem ab hominibus, Christi servus esse desinerem: nam quî servus hujus videri possim, si plus tribuam hominum studiis, quam ejus præceptis, si magis metuam offendere Judæos, quam Deum Christi Patrem & Euangelii auctorem? Posteaquam semel addixi me Christo, nunquam servivi Mosi ceremoniis, quas ob Christi lucem antiquatas sciebam. Quanquam enim semel atque iterum ad sedandum tumultum quosdam ritus patrios apud Judæos agens observavi, nunquam tamen in his ullum salutis præsidium constitui, sed ideo memet ad tempus accommodavi meorum affectibus, quo plures Christo lucrifacerem. C Cæterum ubi conspicio meum obsequium ab istis alio detorqueri, ac rem eo venisse, ut non vereantur Legis observandæ sarcinam ceu necessariam imponere his quoque, quos à Legis onere liberos reperit Euangelium, palam ac libere reclamandum Mosaicis ritibus, & aperte detestandum, quod in Christi damnum cedit. Nec me deterrebit ullius Apostoli quamlibet insignis auctoritas, fretum auctore Christo, cujus præscriptum per omnia discrimina sequor.

11 Porro quo magis intelligatis me non temere desciviisse à Mosaicis ritibus, tantaque fiducia nunc prædicare libertatem Euangelicam, nolim vos latere fratres, Euangelium, quod vobis tradidimus, non esse D auctoritatis humanæ; ut ad cujusquam hominis voluntatem debeat immutari, velut ab homine profectum.

12 Qui vobis prædicant circumcisionem, unde suum sumserint Euangelium, ipsi viderint. Meum certe Euangelium nec ab homine sum mutuatus, nec ab homine sum edoctus, ut cogar vel ab auctore pendere, vel alicujus interpretationem spectare. Christus ipse mihi dignatus est aperire veteris abolitæ, novæque legis inductæ mysterium, ne quis me putet vel temere mutatum, vel à parum gravi auctore sumsisse Euangelium, quod prædico. Christus sic homo est, ut mortalis non sit, nec mortalium affectibus obnoxius. Sic homo est, ut idem sit Deus: E hujus arcana vis, & afflatus me subito mutavit in alium virum, alioqui addictior eram Legi Mosaicæ, cujus venerationem ac religionem à majoribus imbiberam, quam ut ulla persuasione humana potuerim ab ea distrahi, nisi numen aliquod afflasset animum meum.

13 Quod narro non arbitror obscurum esse: nam opinor id vobis fama cognitum, quo studio me gesserim olim in Judaismo, amore Legis, in tantum abhorrens ab Euangelio Christi, cujus arcanum nondum acceperam, ut novam congregationem, quæ tum in Euangelicam doctrinam afflatu Dei colligi cœperat, modis omnibus insectarer, ac prorsus hostili animo depopularer, existimans me rem egregiam, F Deoque gratissimam facere, dum insscius adversus Deum gero bellum.

14 Et sane succedebat res: nam in Judaismo, quem tum solum sanctum ac pium esse judicabam, tantum laudis assequutus sum inter meos, ut plerosque meæ ætatis antecellerem, hoc habitus religiosior, quo pertinacius hærebam institutis à majoribus traditis. Judicio siquidem errabam, non affectu, studioque

11 Notum enim vobis facio, fratres, Euangelium, quod euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem:

12 Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.

13 Audistis enim conversationem meam aliquando in Judaismo: quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam,

14 Et proficiebam in Judaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.

Digitized by Google

Legis auctori Legis repugnabam. Atque id quidem Deus arcano quodam suo consilio passus est ad tempus, videlicet quo mox è tanto Legis propugnatore, repente mutatus in Euangelii præconem, plures exemplo meo pertraherem ad Christum.

15 *Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam,*

15, 16 Proinde simulatque visum est Deo, qui me jam olim à matris utero destinarat ac selegerat in hoc negotium, declarare suam in me voluntatem, meque nihil tale promerentem, sua gratuita bonitate vocavit ad hoc muneris, ut per me, velut organum, notum redderet Filium suum Jesum, Judæis adhuc perpaucis, Gentium pene nulli cognitum, inter quas potissimum me voluit Euangelii præconem esse, quid me feciisse creditis? Num hæsi majorum institutis? num cunctatus sum aggredi delegatum munus? num diffisus sum oraculo Christi? num cum meæ gentis Apostolis ullis contuli meum Euangelium? aut quenquam omnino mortalem consulturus adii?

16 *Ut revelaret Filium suum in me, ut euangelizarem illum in Gentibus: continuo non acquievi carni & sanguini,*

17 *Neque veni Jerosolymam ad anteces-sores meos Apostolos: sed abii in Arabiam: & iterum reversus sum Damascum:*

17 Num Hierosolymam profectus sum, ut eorum auctoritate, qui quoniam me priores ad Apostolicam dignitatem vocati sunt, plurimi fiunt, meum fulciretur Euangelium? Minime. Neque enim existimabam hominis auctoritate comprobandum, quod ipsius Christi jussu delegatum esset. Quin protinus ubi cognovi errorem meum, ubi mandatum accepi cœlitus, nihil moratus profectus sum in Arabiam, nihil veritus Christi nomen adhuc vel obscurum, vel invisum, etiam feris ac barbaris Nationibus ingerere: nec minore studio prædicare gratiam Euangelii, quam antea Mosaicam Legem prædicaram. Rursus Arabia relicta, Damascum reversus sum, ubi mox à baptismo cœperam Christi nomen profiteri.

18 *Deinde post annos tres: veni Jerosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim:*

18 Deinde peracto triennio, veni Hierosolymam, Petri visendi gratia, potius quam cum illo conferendi. Commoratus sum autem apud illum dies non plus quindecim, quod is inter Apostolos primas tenere videretur.

19 *Alium autem Apostolorum vidi nemi-nem, nisi Jacobum fratrem Domini.*

19 Neque quenquam aliorum Apostolorum studui visere, præter Jacobum cognomento Justum, qui ob insignem vitæ sanctimoniam frater Domini dictus est: nam is Ecclesiæ Hierosolymitanæ primus omnium Episcopus est datus.

20 *Quæ autem scribo vobis; ecce coram Deo, quia non mentior.*

20 Tantum abest, ut Euangelio meo diffisus ad humana præsidia confugerim. Nihil horum fingere me, testis est ipse Deus, cujus jussu negotium Euangelii prædicandi susceptum.

21 *Deinde veni in partes Syriæ, & Ciliciæ.*

21 Post hæc contuli me in regiones Syriæ Ciliciæque, nusquam non profitens nomen Christi. Nam in his quoque Regionibus cœperant aliquot Judæorum greges conspirare in Christi doctrinam:

22 *Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judeæ, quæ erant in Christo:*

22 Verum his de facie quidem parum eram notus, licet ipse natus Judæus.

23 *Tantum autem auditum habebant: Quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc euangelizat fidem, quam aliquando expugnabat:*

23 Tantum illud rumore cognoverant, me esse illum, qui repente mutatus nutu divino, ex persecutore Christianæ fidei, nunc factus essem præco Christianæ fidei, quam pridem pro viribus oppugnatam, nunc capitis periculo defenderem.

24 *Et in me clarificabant Deum.*

24 Quamobrem duplici nomine Deo mutationis hujus auctori gratabantur: & quod gravi persecutionis molestia liberati essent, & quod professionis suæ talem essent nacti propugnatorem.

CAP. II.

Bis septem exactis repeto Solymam: rogo summos:
Qui nihil addebant: corripioque Petrum.

1 CÆTERVM ubi jam per annos quatuordecim Gentibus potissimum Euangelii doctrinam prædicassem, rursum me recepi Hierosolymam comitibus Barnaba & Tito, quos hujus rei testes esse volebam.

1 *Deinde post annos quatuordecim, iterum ascendi Jerosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito.*

2 Id autem feci, non jam officii gratia, quemadmodum prius, sed jussus oraculo divino, quo magis liqueret Judæis, non jam è circumcisione petendam salutem, sed ab Euangelica fide, posteaquam viderent tam multos è Gentibus absque circumcisionis præsidio vocatos ad communem salutem. Cum his igitur contuli meum Euangelium, quod hactenus auctore Christo prædico inter Ethnicos, sed præcipue cum his, qui plurimum apud Judæos pollebant auctoritate: ne quisquam eorum, qui credebant adhuc Legem Mosaicam cum Euangelio Christi miscendam esse, jactitaret me in Euangelico stadio, vel hactenus frustra cucurrisse, vel nunc etiam currere, quod absque mentione circumcisionis per fidei donum illis essem pollicitus eandem salutem, quam nos circumcisi, Christo freti, speramus.

2 *Ascendi autem secundum revelationem: & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in Gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse: ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem.*

3 Tantum enim abest ut circumcisionis onus Gentibus duxerimus imponendum, ut ne Titus quidem cum & Hierosolymis, & inter Judæos circumcisionem mordicus tenentes versaretur, à Judæorum primoribus Apostolis compulsus * sit circumcidi, propterea quod Græcus esset, non Judæus. Quo minus vobis id est faciendum in vestra Galatia, compellentibus huc Pseudapostolis. Qui inter Apostolos primas tenebant, non exegerunt à nobis, ut Græcum circumcideremus: nimirum id agentes, ut servitus Legis paulatim antiquaretur, & Euangelii constabiliretur libertas.

3 *Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset Gentilis, compulsus est circumcidi:*

4 Verum irrepserant in cœtum nostrum quidam falso nomine Christiani, cum id urgeant, quod Christus voluit obsolescere. Insidiose vero sese insinuarant, ut explorarent libertatem nostram, quam nobis peperit Euangelium Christi, cui invidebant, id agentes, ut nos in servitutem Legis per circumcisionem retraherent. Ab his potius, quoniam instabant odiose, compellendi videbamur, ne quid tumultus exsisteret.

4 *Sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintrojerunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent.*

5 Quanquam ne his quidem eo usque cessimus, ut illis vel ad tempus obsequentes, Titum circumcideremus, idque fecimus vestra causa, ne quod in Tito factum esset necessitate, vos citra necessitatem imitantes, ab Euangelii veritate excideretis, in Judaismum prolapsi.

5 *Quibus neque ad horam cessimus subjectione, ut veritas Euangelii permaneat apud vos:*

6 Quod si quidam, quorum est præcipua auctoritas, aliquando circumcisionem à quibusdam, vel exegerunt, vel permiserunt: recte-ne id fecerint, an secus, mea non refert: mihi satis est, quod vetere sententia relicta, nunc mecum sentiunt. Apud homines personæ valet opinio: apud Deum sola veri ratio est. Sint illi me præcellentiores auctoritate: certe, quod ad Euangelii sinceritatem attinet, adeo nihil mihi contulerunt, ut à me potius illis aliquid accesserit.

6 *Ab iis autem, qui videbantur esse aliquid, (quales aliquando fuerint, nihil mea interest. Deus personam hominis non accipit) mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt.*

7, 8, 9 Etenim ubi communicato cum illis Euangelio meo, perspexissent mihi æque à Christo commissum Euangelii prædicandi munus inter Gentes, atque Petro delegatum erat inter Judæos, meamque prædicationem non minus efficacem fuisse citra circumcisionis adminiculum, quam Petri fuerat adhibita circumcisione, cumque nobis referentibus, parem Euangelii gratiam mihi quoque collatam cognovissent, Petrus, Jacobus, & Joannes, (nam hi videbantur apud illos esse columnæ) tantum abest ut damnarint Euangelium nostrum, ut potius datis dextris mecum & cum Barnaba fœdus ac societatem inierint, ut idem Euangelium concordibus animis in sua quisque portione prædicaremus: nos inter Gentes, illi inter Judæos.

7 *Sed e contra cum vidissent quod creditum est mihi Euangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis:*

10 Neque nobis injunxerunt, ut quemquam è Gentibus ad circumcisionem vocaremus. Tantum rogaverunt, ut inter Gentes prædicantes Euangelium, pauperum, qui Hierosolymis agebant, memores essemus,

(8 *Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes*) 9 *Et cum cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis: ut nos in Gentes, ipsi autem in circumcisionem:* 10 *Tantum ut pauperum memores essemus: quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere.*

* Alia Editio, *jussus.*

Digitized by Google

mus, si qui quid in eorum subsidium conferre vellent. Qua quidem in re, quoniam non abhorrebat ab Euangelica doctrina, studiose paruimus illorum mandatis, haudquaquam parituri, si de circumcidendis Græcis nobis mandassent. Neque enim æquum est, ut tantum apud nos valeat cujusquam mortalis auctoritas, ut in illius gratiam parum recte consulamus Euangelico negotio. Etenim quemadmodum initio res ita ferebat, ut his qui ex Judaismo sese convertissent ad professionem Euangelicam (quoniam à majorum institutis, quorum religionem à pueris imbiberant, prorsus avocari non poterant) nonnihil indulgeretur ad tempus, ne per hanc occasionem complures alienarentur à Christo: ita conandum erat, ut aliquando, monitis nostris edocti, desinerent hac uti indulgentia, præsertim cum longe plus periculi, quam lucri videretur allatura. Siquidem perquam exiguus est numerus eorum, qui ex Judæis Euangelii fidem amplexi sunt, præ his quos ex Gentibus Christo lucrifecimus. Atque ex his in posterum quoque multo uberior spes arridet, cum Gentium tot Nationes latissime pateant, Judæorum genus angustis admodum finibus circumsepiatur. Horum maxima pars sic abhorrebat à circumcisione, ut citius Christum adspernaturi fuerint, quam Legis odiosæ jugum subituri. Quin & illud periculi est, ne si diu passimque hac utantur indulgentia, fiat ut beneficium salutis gratuitum, quod Deus suæ bonitati, nostræque fidei voluit acceptum ferri, videatur magna ex parte deberi Legis ceremoniis. Quas si conspexerint à primariis Apostolis observari, interpretabuntur, qui superstitiosiores sunt, absque his non satis esse fidem Euangelicam ad consequendam salutem: nam factum vident omnes, animum non vident. Et est fere in pejorem partem suspicax mortalium animus. Ita quod illi fecerint pro tempore, morem gerentes quorundam invincibili superstitioni, contraque animi sui sententiam, id alii judicabunt religione, non obsequio factum. Tolerata est ad tempus Judæorum excusabilis infirmitas, à qua paulatim oportebat illos proficere. Cæterum nullo modo permittendum est, ut à Gentibus exigatur, quod in Judæis pro tempore toleratum est. Judæos primum excusabat à majoribus hausta persuasio, diuturnus usus, cujus vis naturam æquat, auctor Deus, aliaque permulta, quorum nihil Gentibus patrocinari poterit, si Christum cum Mose miscuerint. At Gentium mihi peculiaris cura delegata est, quemadmodum Petro Judæorum. Convenit autem ut utrisque sua provincia potissimum cordi sit.

11 Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.

11 Qua quidem in re nullius auctoritati cessurus sum, adeo ut cum Petrus venisset Antiochiam, quanquam viderem hujus inter Apostolos primam esse auctoritatem, tamen non veritus sim palam & in os obsistere, pluris habens Euangelii negotium, quam illius dignitatem. Neque dubitavi metum illius ac vacillationem quam præ se ferebat coram omnibus reprehendere, cum ipsa res vel hoc nomine reprehensibilis esset, quod in gravem multorum perniciem vergeret, secus interpretantium, quam ille sentiret: videlicet quasi superstitione motus id faceret, non studio consulendi Judæorum infirmitati.

12 Prius enim quam venirent quidam à Jacobo, cum Gentibus edebat: cum autem venissent, subtrahebat & segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant.

12 Etenim cum prius accumbens in convivio quorundam, qui ex Gentibus accesserant Euangelicæ professioni, promiscuis cibis una cum illis vesceretur, mox ubi superveniissent aliquot ex Judæis à Jacobo missi, subducebat sese à convivio, dissimulans se communi cum illis usum mensa: videlicet metuens, ne quid offenderet animos eorum, quos adhuc superstitiosiores esse suspicabatur, quam ut in totum ciborum delectum possent contemnere, parumque pium esse ducentes, Judæum cum Ethnicis habere mensæ quoque communionem.

13 Et simulationi

13 Ea Petri simulatio, quamvis ab animo pio proficiscebatur, tamen inconsultior erat, & in manifestam perniciem multorum vergebat, adeo ut non solum Judæi cæteri, qui nobiscum accumbebant, assentirentur simulanti Petro, verum & Barnabas quoque collega meus, motus auctoritate Petri, se etiam una cum Petro subduceret è convivio. Quorum simulationem non dubitabam quin cæteri fere omnes fuerint imitaturi, ni acri, manifestaque objurgatione fuisset itum obviam.

ejus consenserunt ceteri Judæi; ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem.

14 Sed cum vidissem quod non recte ambularent ad veritatem Euangelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cum Judæus sis, gentiliter vivis, & non Judaice: quomodo Gentes cogis Judaizare?

14 Itaque cum viderem, quod quidam nunc Gentibus, nunc Judæis sese accommodantes, veluti claudicarent: neque satis recte aut constanter ingrederentur ad Euangelii veritatem, quæ jam sic eluxerat, ut tempus esset eam libera fronte constanterque profiteri, Legis ceremonias antiquatas esse, neque quicquam conferre ad salutem Euangelicam: ut omnium periculo mederer, restiti Petro coram omnibus, ut castigato capite, cæteri ad illius exemplum resipiscerent, ubi conspexissent illum obtemperantem admonitioni nostræ. Restiti autem his verbis: Quid agis Petre? quo consilio te subducis? Cur dum tuis inconsulto metuis, hos meos in perniciosam inducis superstitionem? Etenim si tu cum natura Judæus sis, & tamen contemta Gentis tuæ superstitione, Gentium more vivis, nihil impurum ducens, quod Deo non sit impurum: cumque id & antehac feceris cum Centurione Cornelio, ac modo nobiscum, cur nunc tui dissimilis, parumque constans subducis te è convivio: perinde quasi quod antehac ciborum delectum ac Gentium commercium neglexeris, non certo consilio judicioque feceris, sed humana facilitate: nec sentis exemplum istud tuum eo tendere, ut non solum Judæi in sua superstitione confirmentur, quam abolitam oportuit, verum etiam ex Gentibus adjuncti Christo, tuo, qui primus es inter Apostolos, exemplo cogantur Judaicis onerari ceremoniis, à quibus Christus eos liberos esse voluit: nec hos modo, quos Euangelii gratia liberos reperit, verum etiam Judæos ipsos, quos obnoxios reperit.

15 Nos natura Judæi, & non ex Gentibus peccatores,

16 Scientes autem quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi: & nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis: propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro.

15, 16 Nos qui non sumus ex Gentibus orti, quas omnes Judæi pro peccatoribus & impuris ducunt, quosque idololatras reperit Euangelii prædicatio, sed genere sumus Judæi nati sub Lege, cui recte pro tempore servivimus, tamen edocti, quod per ejus Legis observationem non contingat cuiquam homini vera justitia, sed potius per fiduciam, qua salutem speramus nobis ex Christi gratuita beneficentia, diffisi Legi majorum, ad Christi fidem confugimus, cujus præsidio nobis veram justitiam, quæ nos non hominibus commendet, sed Deo, pollicemur, quam Legis observatio velut inefficax præstare non potuit. Et post hæc Gentibus auctores erimus, ut Christo diffisi, ad Legis præsidia confugiant, cum habeamus ipsa re compertum, neminem omnino mortalium Legis beneficio veram consequi posse justitiam? Alioqui quid erat opus ad Euangelii fidem transire.

17 Quod si quærentes justificari in Christo, inventi sumus & ipsi peccatores, numquid Christus peccati minister est? Absit.

17 Quod si semel amplexi fidem Euangelicam, nihilo secius comperimus nos adhuc peccato obnoxios, ut rursus alio remedio sit opus, id quod nobis usu venit in Lege Mosaica, ac frustrati spe cogamur ad Legem semel relictam denuo refugere, quid dicemus? an quod Christus, quem auctorem perfectæ justitiæ credidimus, potius injustitiæ fomes sit, qui non solum non auferat injustitiam pristinam, verum etiam per occasionem addat injustitiæ cumulo, & adeo non conferat speratam salutem, ut graviorem insuper adducat condemnationem, quandoquidem hujus fiducia Legem reliquimus: ad quam si cogimur redire, videmur eam vitio & inconsulte reliquisse, atque hujus mali Christus videtur occasionem dedisse. Sed absit, ut quisquam ita sentiat, existimetque Euangelicæ gratiæ quicquam deesse, quod à Mosi Lege sit petendum, ad consequendam salutem. Etenim posteaquam Euangelii Legem amplexi sumus, rursus ad Mosi Legem recurrere, defectio

Digitized by Google

quædam est à Christo, & Euangelii contumelia : imo quisquis Judæus aut proselytus id facit, declarat sese Mosaicæ quoque Legis transgressorem. Nam si ea pertinebat ad consequendam salutem, cur reliquit? si non pertinebat, cur repetit?

18 *Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædifico: prævaricatorem me constituo.*

18 Si demolitus ædificium, rursus ab iisdem fundamentis erigo quod destruxeram, nonne vitium meum ipse prodo, qui instaurem quod non recte sim demolitus?

19 *Ego enim per legem, legi mortuus sum, ut Deo vivam: Christo confixus sum cruci.*

19 Nihil est igitur causæ, cur semel amplexi fidem Euangelicam, per quam Christi benignitas perfectam, & justitiam, & salutem nobis conferri voluit, ad crassæ Legis præsidia respiciamus, cui jam desivimus esse obnoxii. Nam quemadmodum mors alterius conjugum superstitem liberat à jure matrimonii, ita mihi Judæo cum Lege negotium erat, donec durante jure mutuo, & mihi vivebat lex, & ego Legi. Verum simulatque per Christi mortem ac sacrum lavacrum addictus sum Legi fidei, quæ spiritualis est, quodammodo mortuus sum Legi crassæ : nec ita mortuus illi, ut desierim vivere, sed ut felicius cœperim vivere. Antehac vivebam Mosi, nunc vivo Deo. Deus enim spiritus est. Quemadmodum Christus antea vixit mortalis, corpus nostris malis obnoxium circumferens, is mortuus carni, mortuus hominibus, nunc vivit Deo Patri, liber ab omnibus mortalitatis injuriis. At ego per baptismum una cum Christo sum crucifixus, una cum illo mortuus, rebus hisce crassioribus, quæ carnem potius quam spiritum sapiunt, adeo non teneor, ut illis sim mortuus.

20 *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne: in fide vivo filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.*

20 Neque enim vivo ego ille quondam crassus & carnalis, & humanis cupiditatibus obnoxius. Mortuus est Saulus ille Legis propugnator, & Euangelii persecutor, atqui hausto Christi spiritu, melius vivo. Imo non vivo ipse, qui ex me quidem nihil aliud quam carnalis sum, sed vivit in me Christus, cujus Spiritus omnia mea suo arbitratu moderatur. Porro quod nondum prorsus ab omni mortalitatis contagio sum immunis, sed adhuc corpus hoc circumfero, nonnihil obnoxium humanis affectibus, ac mortalitatis injuriis, quodammodo tamen vivo vitam immortalem, certa spe conceptam, idque fretus promissore Filio Dei, cujus gratuita beneficentia mihi contigit donum fidei, per fidem justitia, per justitiam continget immortalitas, non ex observatione crassæ Legis, sed ex inaudita caritate Christi, qui suapte sponte nihil promeritum dilexit, adeo, ut pro meis peccatis crucis supplicium dependerit, pro mea salute semetipsum in exitium dederit. Gratuitum est totum, quod ille largitus est. Voluit ille nos salutem nostram suæ debere benignitati, non Legis observationi. Ultro defert ille beneficium hoc omnibus; aufert peccata, largitur innocentiam.

21 *Non abjicio gratiam Dei. Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est.*

21 Nonne sim ingratissimus, imo nonne contumeliosus in Christum, si quod offert, rejiciam? An non rejicit autem, qui post baptismum acceptum, ad Legis præsidia respectat, quasi mors Christi non sat efficax sit ad abolenda peccata mundi totius, & omnibus conferendam salutem æternam? Etenim si per innocentiam contingit immortalitas, unde nobis quæso speramus utrumque, à fiducia Legis, an ex beneficentia Christi? Si ex hujus beneficentia, cur adhuc à Lege pendemus? si ex Legis observatione, Christus frustra mortuus sit necesse est, quandoquidem id, cujus gratia mori voluit, per illius mortem non assequimur.

CAP. III.

Cœpistis recte, quis vos decepit amici?
Sic nos legem non justificare probo.

1 *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus?*

1 VULGO male auditis stultitiæ, facilitatisque nomine, sed hac in re, ô vere stulti Galatæ, quibus res usque adeo absurda persuaderi potuerit, ut cum Judæos ab onere Legis liberarit Euangelii fides, vos liberi nati, ultro dedatis vos in servitutem? Quicquid est hîc mali, non totum vobis imputo : vestram credulitatem facilitatemque accuso, sed magis accuso quorundam malitiam, qui vestros animos huc induxerunt, quos utinam sequi maluissetis, quam pestilens aliorum consilium. Quis fuit ille, qui vestræ invidens felicitati, qua hactenus fruebamini per libertatem Euangelicam, fascino vos læsit, ac pristinam mentem Christo dignam excantans, istam incantavit dementiam, ut veluti Christo diffisi, ad frigidæ Legis præsidia confugiatis? ubi nunc illa præclara fiducia, qua per mortem Christi sperabatis perfectam justitiam ac salutem, absque Legis auxiliis? Quorum animis sic erat impressus Jesus Christus, unicus auctor totius salutis, sic illum cernebatis oculis fidei, per crucem suam Patri reconciliantem mundum universum, quasi aut depictus fuisset conspectibus vestris, aut vobis testibus res acta fuisset, quæ acta est Hierosolymis. Plus vos vidistis, quam Judæi, qui pendentem in cruce conspicati sunt, & abnegarunt. Inter vos vere crucifixus erat, qui ex illius morte sperabatis æternam salutem. Ad æneum Serpentem in stipite præfixum vertebatis oculos, à quo solo sperabatis remedium peccatorum omnium. Nunc subito mutati, quonam avertitis oculos vestros?

2 *Hoc solum à vobis volo discere: ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?*

2 Si quid adhuc sanæ mentis superest, vel illud perpendite, quod in promtu est, quodque vel cæco possit esse perspicuum, ne subtilibus ac longe repetitis argumentis vobiscum agam. Meministis vos nuper ad prædicationem Euangelii per baptismum, & manuum nostrarum impositionem, concepisse Spiritum Christi. Non erat inanis persuasio. Linguarum, prophetiæ, sanationum, cæterarumque dotium miracula docuerunt rem esse virtutis divinæ, non humani præstigii * Hunc autem Spiritum unde tandem accepistis, ex circumcisione Mosaica, an ex eo quod per me credidistis Euangelio Christi? Alienis à Lege Mosaica Christus tamen efficacem Spiritum suum ob fidem vobis impartivit, certum arrhabonem promissæ felicitatis. Cur nunc aliunde speratis salutem, quam unde pignus salutis habetis tam evidens? Si circumcisionem vobis prædicavi, & hujus fiducia vobis contigit Spiritus cœlestis, nihil obsto, quo minus aliquam salutis portionem acceptam feratis Legi Mosaicæ : sin nihil præter Jesum Christum à me didicistis, & in hunc unum conjecta fiducia, easdem dotes in vobis experti fuistis, quas per baptismum accipiunt Judæi, quid est causæ, cur vobis putetis Judaismum gravem & inutilem accersendum in contumeliam Christi?

3 *Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini?*

3 Cordatorum est, ab utcunque cœptis ad meliora proficere : vos contra, à tam præclaris orsis ad deteriora relabimini. Judæi sub Legis crassæ servitute nati, relictis majorum ceremoniis, ad spiritualem Euangelii doctrinam se conferunt. Vos contra, cum ab Euangelio vestram professionem sitis auspicati, in Judaismum degeneratis. Illi ex Judæis fiunt Christiani, vos cupitis è Christianis fieri Judæi? Si Lex Mosaica confert salutem, quid opus erat dare nomina Christo?

4 *Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa.*

4 Cur nunc relinquitis eum, cujus gratia tantum afflictionum estis passi ab iis, quibus invisum est Christi nomen? Desciscit enim à Christo, quisquis ex circumcisione sibi promittit salutem. Ergo ne committetis, ut tantum malorum ob Christi professionem frustra passi videamini? Sed absit, ut frustra pertuleritis ista. Errastis hactenus judicio, non affectu, alieno impulsu vacillastis, non vestra malitia. Mature resipiscetis, nec patiemini pristinæ fidei vestræ perire fructum.

5 *Qui ergo tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in*

5 Deus igitur, qui impartit vobis Spiritum suum, qui miraculorum argumentis declarat vim suam per vos, utrum id facit conciliatus vobis observatione Legis Mosaicæ, an potius ex eo, quod nobis Christum prædicantibus credidistis? Si proselytos, qui coop-

* Alia Editio, *præsidii*.

vobis: ex operibus legis, an ex auditu fidei?

cooptantur in Judaismum, ubi circumcisi sunt comitatur ea vis signorum, quæ vos comitatur, est cur Legem putetis expetendam: sin hæc solam Evangelicam fidem comitatur, cur aliunde speratis finem, quam unde videtis ortum initium?

6 Sicut scriptum est: Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad justitiam.

6 Princeps circumcisionis & auctor est Abraham, cujus filios se gloriantur esse Judæi, qui ad illius exemplum circumciduntur. At ne is quidem veræ justitiæ laudem consequutus est ex circumcisione, verum ex fide habita promittenti Deo, cum nondum esset circumcisus. Neque enim legimus in Genesi, circumcisus est Abraham, & justus factus est: sed *credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad justitiam.*

7 Cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ.

7 Itaque quod posteris Abrahæ promissum est olim, non pertinet ad istos, qui præter circumcisionem nihil habent Abrahæ, sed qui tanquam germani filii, fidem parentis referunt, credentes Evangelio. Porro qui circumcisione tumidi, filios Abrahæ jactitant sese, frustra gloriantur, cum nothi sint, non legitimi filii Abrahæ. Nam apud Deum hi demum sunt filii Abrahæ, qui ad illius exemplum toto pectore credunt, fiduntque Deo, nobis per Evangelium loquenti, quocunque genere ducant originem. Siquidem hæc propinquitas non sanguinis affinitate, sed æmulatione mentis censetur.

8 Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat Gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ: Quia benedicentur in te omnes Gentes.

8 Animadvertite vero, quam id, quod nunc dico, jam olim Scriptura præsenserit ac significarit, videlicet justitiam omnibus sperandam ex fide, non paucis ex circumcisione. Quod hodie vobis prædicatum est per Euangelium, id tot retro seculis Deus promiserat Abrahæ dicens: *Omnes Gentes laudem ac benedictionem consequentur in te.* At fieri non potuit, ut omnes Gentes ex Abraham nascerentur, & tamen omnibus per illum promittitur benedictio, tanquam illius posteris, non utique ob sanguinis propinquitatem, sed ob æmulationem fidei. Siquidem filiorum est exprimere parentem.

9 Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.

9 Proinde qui diffisi Legis ceremoniis atque operibus, fidunt Euangelicis promissis, hi tanquam veri filii Abrahæ cum parente fideli, benedictionem illi promissam consequentur, exclusis iis qui circumcisionis fidunt præsidio, ceu nothis & adulterinis, & ad quos magis pertinet exsecratio, quam benedictio.

10 Quicunque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim: Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in Libro legis, ut faciat ea.

10 Etenim quicunque pendent ex observatione Legis Mosaicæ, quam tamen non observant, obnoxii sunt exsecrationi. Ipsi Judæi non possunt inficias ire, quando constat ita scriptum in libro Deuteronomii cap. XXVII. *Exsecrabilis sit quisquis non perstiterit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis*, ac præstiterit ea, quæ lege jubentur. Non promittitur justitia servanti Legem, at denuntiatur exsecratio non servanti. Quis autem est, qui totam Legem præstare possit, quæ cum vetando irritet peccandi libidinem, non confert tamen robur ad vincendam animi cupiditatem.

11 Quoniam autem in lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est: quia justus ex fide vivit.

11 Denique ut maxime totam præstet aliquis, fortassis hic justus habebitur apud homines, apud Deum non item: apud quem si nemo justitiæ laudem meretur per Legis observationem, palam est nimirum esse verum, quod scripsit Abacuc Propheta, cap. II. *Justum ex fide vivere.* Siquidem ut peccatum mortis est seminarium, ita vitæ fons est innocentia.

12 Lex autem non est ex fide, sed, Qui fecerit ea, vivet in illis.

12 Lex autem non nititur fide, sed observatione præscriptarum ceremoniarum: eas qui servarit, vitam quidem assequetur, at non æternam vitam, quam pollicetur fides. Qualis est justitia, quam præstat Lex, talis est vita. Apud homines justus est, qui Legis præscripta non violat, apud homines vivit tutus à supplicio: at apud Deum nec justus erit, nec vivus, nisi fidat Euangelii promissis.

13 Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno:

13 Solus omnium Christus exsecrationi non fuit obnoxius, qui totus innocens Legi nihil debebat. Nos eramus obnoxii, ac per hoc exsecrabiles, verum ille nos obnoxios exsecratione liberavit, noxiam vertens in innocentiam, & exsecrationem in benedictionem. Tantum abest, ut vos* voluerit ad Legis servitutem pertrahi. Quomodo autem liberavit? Nimirum nostris admissis debitum supplicium ipse dependit innocens, & exsecrationem, quæ nos tenebat obnoxios, in se transtulit, ipse alioqui liber, & benedictionis particeps. An non in se transtulit, qui pro nobis inter nocentes, ut nocens ignominiosum crucis supplicium nobis redimendis subiit? Sic enim legimus in libro Deuteronomii cap. XXI. *Exsecrabilis est quisquis pendet in ligno.*

14 Ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem.

14 Cur autem id fieri voluit Deus? nimirum ut sublata exsecratione, quam invehebat Lex, benedictio per fidem succederet quondam Abrahæ promissa. Succederet autem non solum Judæis, verum etiam Gentibus, non per Legis beneficium, quam Christus abolitam esse voluit, sed per benignitatem Jesu Christi, cujus morte reconciliati Deo, & à crassæ Legis onere liberi, per fidem assequamur benedictionem Euangelicam Abrahæ posteris promissam, posteris, inquam, non juxta carnem, sed juxta spiritum. Tuto fidamus Deo, non enim frustrabitur quenquam. Quod pollicitus est præstabit.

15 Fratres (secundum hominem dico) tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat.

15 Id quo magis intelligatis, adducam humanum exemplum. Nam cum inter Deum & homines nulla sit comparatio, tamen hominis testamentum aut pactum, ubi semel est comprobatum ac ratum, nemo rescindit, aut addit aliquid propter † voluntatem testatoris: quo magis oportet esse rata pacta, promissaque Dei.

16 Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno: Et semini tuo, qui est Christus.

16 Is Abrahæ pollicitus est benedictionem, quæ contingeret omnibus Gentibus per illius semen. Semen dixit Scriptura, non semina, ne per Mosen, aut David, aut alios promissum exspectaremus, sed unicum illud semen designavit, ac verum semen Abrahæ patris æterni, Jesum Christum, in quem nos insiti per baptismum, & Spiritus communionem, eadem per illum exspectamus, quæ illi jam præstitit Deus.

17 Hoc autem dico, testamentum confirmatum à Deo: quæ post quadringentos & triginta annos facta est Lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem.

17 Sed ut propositum conferamus exemplum, quod Deus semel pactus est Abrahæ, ante quam Lex esset lata, idque pactum ratum esse voluit, non potest irritum facere Lex succedens promisso. Atqui id fieret, si benedictionis hæreditas Abrahæ posteris promissa, deberetur ex Legis observatione, cum in pacto nulla sit Legis conditio. Nam quî potuit esse, cum Lex ipsa nondum esset? Alioqui fingite Legem non successisse, nihilo secius præstitisset Abrahæ posteris Deus, quod illi pactus fuerat. Quod si hujus felicitatis hæreditas debetur ex promisso, & promissum ante Legem, nullam habet admixtam Legis observandæ conditionem, cur ab eo secludimus alienos à Lege, sed non alienos à fide?

18 Nam si ex lege hereditas, jam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donavit Deus.

18 Nam si Legis beneficio contingit hæreditas, videtur irritum reddi pactum Dei, quod præstare nolit, nisi conditio Legis accesserit. Perinde quasi quispiam cum homine pactus se daturum illi filiam suam uxorem, contractu rite peracto, post neget se daturum, nisi is viciſſim sororem suam ipsi locet, cum pacti tempore soror illi nondum esset nata, nec in pacto fuisset ulla mentio mutui conjugii. Gratuitum erat Dei promissum, solaque fidei conditione ratum erat, eam quisquis præstat, promissi jus habet.

19 Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris.

19 At dixerit quispiam, si hinc erat speranda salus, quo consilio postea Deus addidit Legem inutilem? Non prorsus inutilem: nam tametsi non confert innocentiam, tamen coercet peccandi licentiam, dum malas cupiditates ceremoniis, ceu cancellis quibusdam, cohibet. Nec data fuisset ea Lex, nisi compulisset hominum effrenis malitia: nec tamen in hoc data est, ut tota quoslibet in æternum obstringeret, sed ad tempus à Deo præfinitum, typis interim delineans Christum, suppliciis deterrens à peccando, & promissis invitans ad innocentiæ studium, in hunc usum instituta lataque per Angelos auctore Deo, donec evolutis seculis veniret semen illud unicum, per

* Alia E ditio, *nos*. † Eadem, *præter*.

Digitized by Google

per quod Deus Abrahæ promiſerat ſalutem omnibus legitimis Abrahæ filiis. Sic autem lata eſt per Angelos, ut totius Legis poteſtas eſſet penes Chriſtum, qui ſic medius interceſſit inter Moſaicam Legem & Euangelii gratiam, ut illius eſſet finis, hujus initium: ſic medius interponens ſe inter Deum & homines, ut ipſe naturam in ſe utramque complecteretur, utramque alteri conciliaturus.

20 Mediator autem unius non eſt: Deus autem unus eſt.

20 Atqui conciliator, qui intercedit, inter plures intercedat oportet. Nemo enim ſecum ipſe diſſidet. Deus autem unus eſt, quicum diſſidium erat humano generi. Proinde tertio quopiam erat opus, qui naturæ utriuſque particeps utramque inter ſeſe reconciliaret, Deum placans ſua morte, & homines ſua doctrina ad verum Dei cultum pelliciens.

21 Lex ergo adverſus promiſſa Dei? Abſit. Si enim data eſſet lex, quæ poſſet vivificare, vere ex lege eſſet juſtitia.

21 Num igitur Lex pugnat cum promiſſis Dei? Nequaquam. Nec enim ſuccedens irrita reddidit promiſſa Dei, ſed homines in exſpectatione promiſſorum continuit, quo magis capaces eſſent Euangelicæ gratiæ. Nec ideo nunc ceſſat Lex, quod adverſaretur promiſſis divinis, ſed quod æquum eſſet umbras cedere veris, & rem inefficacem efficaci. Nam ſi Lex ejuſmodi data fuiſſet, quæ vere vitam largiri poſſet, tum nec erat futurum cur abrogaretur: nec opus fuiſſet Euangelii præſidio, cum ex Lege vere contingeret homini juſtitia. Satis igitur fuiſſet huic fidere, quicunque ſalutem ambirent æternam.

22 Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus.

22 Nunc ne ſuis operibus freti negligerent Chriſti gratiam, in hoc data Lex eſt, quæ præſcriberet, quid agendum, quid vitandum, ut omnes intelligerent ſeſe peccatis obnoxios, dum quod per Legem didicerunt eſſe nefarium, non vitant tamen, nimirum victi ſuis pravis cupiditatibus, atque ita morbum agnoſcentes ſuum avidius amplecterentur oblatum Euangelicæ gratiæ remedium. Nam ante præſcriptum Legis impune peccabant, cum licere videbatur, quod libebat: & habebant quod admiſſis ſuis prætexerent. At Lex ſic eos conſtrinxit, ut non poſſent elabi, quin faterentur ſe commeruiſſe pœnam, quando negari non poterat, honeſtum eſſe, quod Lex præſcriberet. Hoc conſilio, cum Deus nobis noſtri fiduciam ademiſſet, ac malum noſtrum nobis poſuiſſet ob oculos, declaratum eſt promiſſum illud, quod pollicitus eſt Deus Abrahæ, quodque ſoli Judæi, veluti ſibi peculiariter promiſſum exſpectabant, tanquam ſoli Abrahæ filii, ad omnes pertinere, quoſcunque fiducia erga Deum reddidiſſet veros Abrahæ filios, non ex merito Legis obſervatæ, ſed ex eo quod ſincero pectore crederent Euangelio, per mortem Jeſu Chriſti, & innocentiam omnibus contingere, & vitam ac ſalutem.

23 Prius autem quam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi, in eam fidem quæ revelanda erat.

23 Et ad hanc quoque rem pro tempore ſervichat Lex Moſaica, quæ Judæos partim minis ſupplicio-rum, partim exſpectatione promiſſorum, partim adumbratione venturi Chriſti, ceu vallo ſeptos coercebat, ne prorſum in omnem impietatem dilapſos, neque dignos, neque capaces Euangelicæ gratiæ Chriſtus adveniens offenderet. Ex Legis igitur promiſſis utcunque ſomniabant Euangelii myſterium. Hujus igitur cuſtodia tantiſper fulciebantur, donec aperiretur quod Lex adumbraſſet per involucra, jamque vigilantes clara luce cernerent exhiberi, quod ante ceu per ſomnium exſpectaſſent.

24 Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificemur.

24 Lex igitur non præſtabat juſtitiam perfectam, ſed rudi populo ceu pædagogus erat addita, ut quos honeſti ratio nondum poterat in officio continere, eos ſupplicii metus arceret à magnis flagitiis, atque ita paulatim proficientes ad Chriſtum perducerentur, à quo ſolo veram exſpectarent juſtitiam, priſtinis diſſiſi ceremoniis.

25 At ubi venit fides, jam non ſumus ſub pædagogo.

25 Pædagogus autem non ſic additur pueris ut ſemper adſit, ſed tantiſper donec adulti jam, ſuapte ſponte ferantur ad honeſta: nec opus habeant, ut metu mali coerceantur à flagitiis, ſed patris hortatu ſponte volenteſque rapiantur ad ea quæ ſunt honeſta, viciſſim imperantes pædagogo, cujus auſteritatem ad tempus ſalubrem pertulerant.

26 Omnes enim filii Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu.

26 Quemadmodum igitur pater, tametſi liberos habet unice caros, tamen cogit ad tempus ſervire pædagogo, cui mox ſint dominaturi: ita Deus populum ſuum rudem adhuc & craſſum, Legis auſteritate coercuit, donec concepta fide Euangelica jam ſibi redditi, deſinerent eſſe ſub jure pædagogi, ſed tanquam ingenui filii, ſub benigniſſimi parentis clementia libere viverent. Neque vero ſolos Judæos Deus pro filiis ſuis ducebat, quanquam his ſolis datus eſt pædagogus: imo quicunque per fidem Euangelicam inſeruntur corpori Jeſu Chriſti, ejuſque ſpiritum hauriunt, hi redduntur filii Dei, poſteaquam idem cum Chriſto facti ſunt. Quod ſi id, per quod Chriſto jungimur, commune eſt omnium, quî minus Deus omnes ex æquo filios agnoſcet?

27 Quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.

27 Per baptiſmum autem, non per circumciſionem hauſiſtis Spiritum Chriſti. Quotquot igitur baptizati eſtis, in Chriſti conſortium tranſiſtis, hac parte nihilo inferiores Judæis, qui circumciſionis privilegio ſeſe venditant.

28 Non eſt Judæus, neque Græcus: non eſt ſervus, neque liber: non eſt maſculus, neque femina. Omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu.

28 Cæteris in rebus, quæ ab hominum indulgentia pendent, conditionis, ac perſonarum diſcrimen habetur, hoc ſuum beneficium Deus ut gratuitum eſſe voluit, ita voluit omnibus eſſe commune. Per baptiſmum renaſcimur, ac ſubito velut in aliam creaturam transformamur. Nec imputatur cuiquam, quod quidem ad hoc donum pertinet, quid quis fuerit ante baptiſmum, Judæus an Græcus, ſervus an ingenuus, maſculus an fœmina. Omnes per baptiſmum tranſiſtis in Chriſti corpus, ex æquo participes hujus doni, velut à capite in omnia membra dimanantis.

29 Si autem vos Chriſti: ergo ſemen Abrahæ eſtis, ſecundum promiſſionem heredes.

29 Quod ſi Chriſtus eſt illud ſemen Abrahæ per quod Deus pollicitus eſt omnibus Gentibus benedictionem, vos quoque Chriſto inſiti, poſteritas Abrahæ ſitis oportet. Si poſteri Abrahæ, igitur velut hæredes in jus promiſſi venitis. Si nomen filii datur per Chriſti conſortium, & in hoc omnes ex æquo recipiuntur per fidem ac baptiſmum, hæreditas ad omnes ex æquo pertineat neceſſe eſt.

CAP. IV.

Dum puer eſt hæres, ſervit: retro ire, juvat quid? Vos iterum pario: libera Sara fuit.

1 Dico autem: Quanto tempore heres parvulus eſt, nihil differt à ſervo, cum ſit dominus omnium:

1, 2 ID jus jam olim quidem debebatur ex promiſſo, ſed nunc demum in illud admittimur, quod, ut ante diximus, quemadmodum juxta leges humanas, hæres quam diu minor eſt, non exercet jus ſuum, imo nihil differt à ſervo, cum natus ſit dominus omnium, ſed metu cohibetur, ſed alieno arbitrio ducitur, ſub tutoribus & actoribus agens, uſque ad ætatem adultam, quam legis aut patris voluntas præſcripſerit:

2 Sed ſub tutoribus & actoribus eſt, uſque ad præfinitum tempus à patre:

3 Itidem & nos olim, cum nondum eſſemus capaces hujus doni, quod animos plane cœleſtes requirit, nec mentes noſtræ juſtum etiamnum robur collegiſſent, puerorum in morem craſſioribus quibuſdam legibus continebamur, accommodis videlicet imbecillitati noſtræ: ut qui nondum cœleſtem illam doctrinam ſaperemus, ſed his tantum commoveremur, quæ corporeis oculis cerni poſſent: quod genus ſunt iſta, quæ conſtant elementis hujus mundi craſſioris, veluti dierum diſcrimina, delectus ciborum, cultus differentia, pecudum victimæ, nota corporis. His omnibus ad tempus parùimus ſervorum ritu, donec majorum nondum eramus capaces.

3 Ita & nos cum eſſemus parvuli, ſub elementis mundi eramus ſervientes.

4 At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege,

4, 5 Verum ſimulatque impuberes eſſe deſiimus, poſteaquam ad ætatem adultam venire contigit, exacto temporis modo, quod Pater æternus arcano ſuo conſilio præſtituerat nobis, non paſſus eſt nos Deus amplius ſervire præceptis craſſioribus, ſed in hoc miſit Deus, non Moſen, aut Prophetam, ſed unicum Filium ſuum Jeſum Chriſtum. Miſit autem non per ſomnium aut viſum, ſed palam omnibus

5 Ut eos, qui ſub lege erant, re-

ſenſi-

Digitized by Google

dimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.

sensibus nostris exhibuit, hominem ex muliere nasci voluit, nostræ naturæ malis obnoxium, quo præsens nostris calamitatibus mederetur, quem & circumcidi, reliquamque Legis servitutem pati voluit, ut Judæos, quos Legi reperit obnoxios, à Legis onere redimeret, ne quisquam postea velut impubes, tanquam sub actoribus serviret, sed omnes in libertatem filiorum adsciscerémur: nam servitus pugnat cum filii vocabulo.

6 Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra, clamantem: Abba, Pater.

6 Atque ut certo argumento doceret divina bonitas, nos in libertatem filiorum esse assertos, amoto suppliciorum metu, Spiritum unici Filii sui infudit intimis cordibus nostris, qui nobis certissimus testis est, quod simus filii Dei. Siquidem aliud spirat, aliud clamitat spiritus servilis, aliud filiorum affectus. Ille deprecatur iram Domini, hic ingenti fiducia clamitat: Abba, pater. Nec dubitamus quin Deus agnoscat pietatis & caritatis, non metus appellationem. Quod si secus esset, neque Christus suos appellaret fratres: neque docuisset, ut communem Deum patris vocabulo compellaremus: *Pater noster, qui es in cœlis.*

7 Itaque jam non est servus, sed filius. Quod si filius: & hæres per Deum.

7 Proinde cuicunque Deus Filii sui Spiritum impartit, is jam non servus est, sed filius. Quod si filius est per Christum, per eundem & hæres sit oportet. Quisquis enim adoptat alterum in nomen filii, is in jus hæreditatis adsciscit.

8 Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui natura non sunt dii, servietis.

8 Sed quemadmodum Judæi pro tempore crassa religione, vel superstitione magis cohibebantur, ne prorsus ab omni religione dilaberentur: ita vos quondam cum Deum verum ignoraretis, ex majorum instituto coluistis Dæmones, qui cum Dii credantur, re non sunt Dii: quod propior videatur veræ religioni, qui falsa religione tenetur, quam qui prorsus credens nullum esse Numen, nullo religionis affectu tangitur. Judæis non imputatur, quod pro ratione temporis majorum institutis servierint, à quibus tamen ad verum pietatis studium sese contulerunt, posteaquam meliora sunt edocti.

9 Nunc autem cum cognoveritis Deum, immo cognitifitis à Deo: quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo servire vultis?

9 Nec vobis imputatur cultus simulacrorum, quæ rati numen habere per errorem adorastis, posteaquam per Euangelicam doctrinam verum Deum cognovistis: imo, ut melius dicam, posteaquam ab eo cogniti estis. Neque enim ille à vobis repertus est, sed ipse vos ad se pertraxit afflatu, quemadmodum quod illum nunc ut patrem diligitis, non aliunde est, nisi quod ille prior dilexit vos. Errori pristino facile ignotum est, verum inexpugnabile * flagitium sit, post cognitam veritatem, ultro ad pristinum errorem relabi. Judæi cognito vero cultu pietatis, à suis desciscunt ceremoniis: vos ab idolorum cultu revocati, ac per Euangelium veram edocti pietatem, accepto cœlesti Spiritu, rursus ad Judaicam servitutem vosmet præcipites datis: ut cum liberi sitis, tamen ultro servire cupiatis elementis hujus mundi, quæ nec vim habent ad conferendam justitiam, nec efficacia sunt ad salutem.

10 Dies observatis, & menses, & tempora, & annos.

10 An non eo relabimini, dum Judaica superstitione observatis dies, menses & annos, aliasque temporum differentias, perinde quasi sabbatismi, neomeniæ, dies festi, aliaque tempora, in quibus Judæi certa quædam exercent, aut à certis rebus ceu nefastis abstinent, quicquam conferant ad veram salutem, cum omnia tempora libera sint Christianis ad cultum pietatis.

11 Timeo vos, ne forte sine causa laborarverim in vobis.

11 Si vere Christo fiditis, unde ista superstitio? Si non fiditis, vereor ne frustra tantum laboris susceperim, in vobis instituendis. Siquidem exciditis à Christo, si Judaismum admiscetis. Ne committatis, ut & ego meam operam luserim, qui per varias afflictiones vobis Euangelium tradidi, & vos tantum malorum frustra pro Christo passi sitis.

12 Estote sicut ego, quia & ego sicut vos: fratres

12 Quin potius tales sitis, qualem me videtis esse neglecta Legis observatione soli Christo fidentem. Quandoquidem & ipse quondam fui, quales nunc estis, arbitrans eximiam quandam esse pietatem, circumcidi, servare sabbata, delectum ciborum, pecudum victimas, quarum rerum zelo tum persequebar Ecclesiam Dei, quæ omnia nunc ut inutilia negligo. Fratres, quod hæc vehementius vobiscum expostulo, vestrum, mihi credite, non meum, ago negotium. Ipse poteram recti conscientia contentus esse. Non ideo vobis infensus sum, quod me affeceritis injuria. Vestri me miseret, si à cœptis tam præclaris degeneretis. Facite ut sitis constantes, semperque ad meliora proficite potius, quam ad deteriora relabamini.

obsecro vos: Nihil me lesistis.

13 Scitis autem quia per infirmitatem carnis euangelizavi vobis jampridem: & tentationem vestram in carne mea 14 Non sprevistis, neque respuistis: sed sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum.

13 Ego me (primum prædicans vobis Euangelium Jesu Christi) ad vestram imbecillitatem dejeci, vos vicissim nunc ad meam firmitatem assurgite, nolite præclaram illam fidei vestræ gloriam amittere. Nostis enim quod pridem cum vobis traderem Euangelium, nihil magnificum præ me tulerim, sed humilis & abjecti homunculi speciem gesserim.

14 Videbatis hominem tenuem, obnoxium malis, multis invisum ob Christi nomen, multis afflictionibus divexatum, ad hæc simplici rudique sermone. Nihil aliud prædicavi vobis, quam Jesum Christum pro vobis crucifixum, & tum tanta erat promtitudo fidei vestræ, ut hisce rebus nihil offensi non rejeceritis, neque spreveritis Euangelium nostrum, cum ex ejus fide immortalitatem polliceremur. Imo summo studio, summoque cum honore excepistis me, non ut Paulum, sed ut Angelum Dei, imo ut ipsum Jesum Christum: propterea quod intelligeretis, non humanam esse doctrinam, quam ad vos adferebam, sed divinam, neque me meum ipsius agere negotium, sed Jesu Christi. Deum igitur in me, Christum in me venerati estis. Hæc docent fidem vestram spectatissimam aliquando fuisse, quæ tam promta fuerit, quæ tam constans, ut nullis meis malis, nulla specie humilitatis potuerit languescere.

15 Ubi est ergo beatitudo vestra? Testimonium enim perhibeo vobis, quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi.

15 Gratulabar vobis isto nomine, beatos judicabam, me felicem ducebam, qui tales haberem discipulos. Quod si pœnitet vos cœptorum, ubi vestra illa felicitas, ubi mea, cum & ego mihi de vobis, & vos vobis de me gratulabamini? Nam illud vere de vobis testari debeo, tanta erat animi vestri erga me propensio, ut vel oculos vestros erutos daturi fueritis, si res ita tulisset. Unde nunc à nobis alienati, novos Apostolos vobis adsciscitis, à quibus Judaismum discatis? Illi fucis ac blandiloquentia vos illectant, sibique conciliant, non ea prædicantes, quæ vestræ saluti conducant, sed quæ ad ipsorum quæstum ac fastum faciant.

16 Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis?

16 Ergo-ne ob id factus sum vobis inimicus, quod simpliciter ac vere monuerim, quæ videbam ad vestram salutem pertinere?

17 Æmulantur vos non bene: sed excludere vos volunt, ut illos æmulemini.

17 Equidem video, Galatæ, quid agatur, ambiunt vos quidam, ac veluti mihi invidentes captant, at non sincero animo. Non enim hæc faciunt, quo vobis consulant, sed ut vos ab Euangelii libertate secluSos retrahant in Judaismum, cui ipsi sunt obnoxii. Quærunt enim alios sui similes reddere, quo videantur ipsi rem præclaram ac mirificam sectari pariter ac docere.

18 Bonum autem æmulamini in bono semper: & non tantum cum præsens sum apud vos.

18 Ne putetis quidvis in quovis æmulandum esse, verum quod rectum est, decet æmulari, idque constanter, non modo cum præsens sum apud vos, verum etiam cum absum. Vidistis me Legis ceremonias negligere, nihil prædicare præter Christum, æmulabamini præsentem. Si id rectum erat, cur nunc absente me vultis alios æmulari in iis, quæ recta non sunt?

19 Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.

19 Utinam liceret vobis oculos vestros in pectus meum inserere, cerneretis nimirum, quanto cum animi dolore scribam hæc. Filioli mei, semel vos genui Christo, non sine multo nixu ac molestia, nunc desciscentes à Christo denuo parturio, donec plene formetur in vobis. Semen bonum jeceram, unde pure Christianos nasci convenitebat, sed nescio quod fascino degeneratis in Judæos, & in aliam formam

* Alia Editio, *inexpiabile.*

Digitized by Google

mam transitis. Christus cœlestis est, spiritualis est, vos terreni ac carnales esse tenditis? Sed affectum animi mei non satis exprimit Epistola.

20 Vellem autem esse apud vos modo, & mutare vocem meam: quoniam confundor in vobis.

20 Utinam nunc liceat apud vos esse, ut quod litteris utcunque significo, possim viva voce vobis aperire. Nonnihil adderet vultus, nonnihil lachrymæ, nonnihil ipse vocis ardor. In omnia me mutarem, quo vos revocarem ad Christum, nunc blandiens, nunc obtestans, nunc objurgans. Orationem melius ad varietates animorum & ad rem præsentem accommodarem. Experirer omnes remediorum vias, donec omnes ad sanitatem revocassem. Nunc cum videam vos partim ad Judaismum relapsos, partim hujus periculo proximos esse, partim, ut spero, constantes in eo quod à nobis didicistis, in varias curas metusque mihi distrahitur animus, neque satis consilii est, qualibus litteris tanto malo queam mederi.

21 Dicite mihi qui sub lege vultis esse, legem non legistis?

21 Jam ut eos peculiariter appellem, quibus omnino cordi est, in Legis servitutem revolvi, quæso ut mihi respondeatis: Si Lex Mosi placet, cur non hujus auctoritatem sequimini, si parum creditis Evangelio? Siquidem ipsa quoque Lex Mosi vult eos, qui cooptantur in societatem Christi, liberos esse à servitute Legis. Accipitis Legem, & non audistis Legem, aut si audistis, non intelligitis, quoniam hærentes in cortice litteræ non penetratis ad medullam spiritus.

22 Scriptum est enim: Quoniam Abraham duos filios habuit: unum de ancilla, & unum de libera.

22 Scriptum est enim in Libro Geneseos, Cap. xx. Abrahæ, qui princeps ac pater credentium fuit, duos fuisse filios; quorum majorem, videlicet Ismaelem, sustulit ex ancilla Agar, minorem Isaac, ex uxore legitima Sara.

23 Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem:

23 Verum is, qui natus est ex ancilla, juxta morem hominum communem natus est, nec quicquam aliud erat, quam filius Abrahæ, quemadmodum sunt & Judæi, quamlibet à Christo alieni. Is vero, qui natus est ex uxore libera, præter communem ordinem naturæ, ex effœta matre, ex vetulo patre, juxta divinum promissum natus est: & quibus ætas & corporis imbecillitas hæredis desperationem ingerebant, his promissio divina certam fiduciam prolis addidit. Itaque prior ille filius naturæ debebatur, hic fidei.

24 Quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta Unum quidem in monte Sina, in servitutem generans: quæ est Agar:

24 Neque vero fabula hæc, præter gestæ rei narrationem, nihil habet retrusioris mysterii. Nam hujusmodi ferme est Lex Mosaica, ut quemadmodum in homine, sub crasso corporis operculo latet animus corporis moderator, ita sub historia penitius quiddam ac sublimius tegatur. Scrutemur igitur, quid nobis significent per allegoriam duæ matres, quid duo filii. Nimirum duæ matres adumbrant duo Testamenta, quorum alterum edidit populum servituti Legis obnoxium, alterum populum per fidem liberum ab onere Legis.

25 Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei, quæ nunc est Jerusalem, & servit cum filiis suis.

25 Siquidem Sina mons est in Arabia, quæ Chaldæorum lingua Agar ancillæ nomen refert, confinis monti Sion, in quo sita est civitas, cui quondam erat nomen Jebus, nunc Jerusalem dicitur. Porro qui montem accolunt Agar, & hodiernis temporibus servitutem serviunt, veluti gentis auctorem conditione referentes.

26 Illa autem, quæ sursum est Jerusalem, libera est; quæ est mater nostra.

26 Cæterum Hierosolyma, quæ cessit posteris Isaac, nescit servitutem. Ea civitas quoniam in edito sita est, cœlestem illam patriam, in cujus municipium adsciti sumus, adumbrat. Ea mater est non solum Judæorum, sed omnium etiam nostrum, qui Christo credimus. Lex Mosaica terrena est, Lex Evangelica cœlestis, nimirum è cœlis profecta. Ut corpus servit animo, ita quod crassum est, servile est, quod spirituale, cum libertate conjunctum est. Lex Mosaica prior edidit suum fœtum, Lex Evangelica, tametsi serius enixa est, tamen quanto copiosiorem sobolem genuit Deo. Illa duntaxat unicam Gentem produxit, nec eandem admodum numerosam. Hæc totius orbis Nationes complectitur.

27 Atque id ne fortuito quis putet accidisse, jam olim forte prædixit Esaias Cap. LIV. qui prophetico Spiritu prospiciens Gentium multitudinem ad Evangelium Christi undique convolantem, exsultat hisce verbis: *Lætare sterilis, quæ non paris. Erumpe in gaudii vocem, & clama quæ non parturis. Nam longe plures tui filii, quæ orba & effœta videbaris, quam ejus quæ virum habet*, ac miram posteritatis spem de se pollicebatur. Perpaucos Judaismus olim commendavit Deo, plurimos autem fides Evangelii Deo conciliat, ac sine fine conciliatura est.

27 Scriptum est enim: Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe, & clama, quæ non parturis: quia multi filii deserte, magis quam ejus quæ habet virum.

28 Videtis duas matres, videtis duos filios, duarum Gentium auctores. Qui Legem Mosaicam adhuc mordicus tenent, ad Ismaelem ex ancilla natum pertinent: nos vero, qui relicta Legis fiducia, per fidem sinceram ab uno Christo pendemus, ad Isaac pertinemus, qui ex libera non secundum carnem natus est, sed juxta Dei promissum. Nec enim ideo recipimur ad salutem Evangelicam, quod sub Lege nati sumus, sed quod Deus olim promiserit salutem omnibus, qui per fidem accederent in consortium Filii sui Jesu Christi.

28 Nos autem fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus.

29 Quin hac quoque parte pulchre congruit allegoria, quod utraque posteritas sapit originem suam. Siquidem quemadmodum olim Ismael natu grandior, qui juxta carnem duntaxat fuit filius Abrahæ, tenerum adhuc Isaac persequebatur, ex promisso Dei natum, jam tunc inter colludendum plus sibi vindicans, quam æquum erat: ita nostris quoque temporibus, qui carnali Legi hærent, invisos habent eos, qui spiritualem Evangelii Legem amplectuntur, iisque præire conantur, quasi vindicantes sibi jus primogenitorum, quod uni debebatur Christo: ac vetustatis prærogativa, matris ingenuæ filios in servitutem communem pellicere conantur, videlicet quo ipsi servi majores, minoribus quodammodo dominentur.

29 Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum: ita & nunc.

30 At non probat mater ingenua commercium hoc. Non vult misceri dissimiliter natos. Clamat enim protinus indignata, quemadmodum refert Scriptura Genes. XXI. *Ejice ancillam & filium ejus, nec enim patiar, ut hæres sit filius ancillæ, cum filio meo Isaac.* Nimium hæret Synagoga iis, qui crediderunt Evangelio. Nimium urgent Judæi Christianos, quorum invident libertati. Si mater serva non vult sponte discedere, pellatur potius, quam commercio servili filium corrumpat meum. Isaac promissa est, ac debetur æternæ salutis hæreditas. Agar efferat si velit secum hydriam insipidæ Legis, quam deamat. Meus Isaac efficacem Evangelicæ doctrinæ succum bibens feliciter adolescet usque, donec evadat in virum perfectum.

30 Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam, & filium ejus: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio libera.

31 Proinde fratres mei, sinite ut Judæi, quibus nimium pertinaciter placet Lex servilis, suam sibi habeant servitutem, nec à matris ingenio degenerent. Nos qui & ipsi fuimus aliquando servituti Legis obnoxii, & tanquam filii Agar ancillæ, persequuti sumus ingenuos Ecclesiæ filios, nunc exemti sumus à servitute pristina, & cooptati in jus filiorum Saræ. Hanc libertatem Christo ferimus acceptam, cui per fidem sumus insiti, sic ut in commune jus hæreditatis promissæ venerimus. In eam libertatem, in quam nos Judæos Christus suo pretio, veluti postliminio restituit, vos Gentes vocavit per Euangelium.

31 Itaque, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberavit.

CAP. V.

Et circumcidi vanum: quis vos ita turbat?
Hæc sunt quæ pariunt Spiritus atque caro.

1 State, & nolite iterum jugo servitutis contineri.

NIHIL supererat, nisi ut in eo, quod semel estis assequuti, persistatis. Nam quæ dementia sit, à libertate, quæ vobis gratuito contigit Christi beneficio, ultro in servitutis jugum inferere colla vestra. Nos experti servitutis molestiam, gratulamur nobis, quibus tandem contigerit libertas: vos liber-

ta-

tatem pertæsi, ultro servitutem affectatis? Fortassis sic vobis ipsis blandimini. Non desciscimus à Christo, sed Legem cum Christo copulamus, quo certior sit salutis exspectatio. Christus totum hoc beneficium, ut omnibus voluit esse commune, ita sibi soli acceptum ferri voluit: non patitur in hoc negotio consortium.

2 Ecce ego Paulus dico vobis: quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.

2 Atque ut intelligatis quanto periculo meditemini Judaismum: en ego vobis non ignotus Paulus Gentium Apostolus, & Apostolus institutus ab ipso Christo, palam edico vobis, si circumcidamini, Christus vobis nihil profuturus est. Etenim si vere creditis ab hoc perfectam salutem omnibus præstari posse, cur accersitis circumcisionem? Sin diffiditis, nondum agnoscitis beneficium Christi, cujus participes esse non possunt, qui diffidunt: nam soli fidei datur, non meritis operum. Aut plane Judæi sitis oportet, abdicato Christo: aut plane Christiani sitis oportet, rejecto Judaismo. Non fert ille claudicantes utroque pede, non vult vinum novum infusum utribus veteribus, non vult vetus infusum novis utribus, non fert assutum pannum novum vestimento veteri, non fert vesti novæ veterem pannum admixtum. Si levis esset servitus, fortasse negligi poterat: si grande præmium esset servitutis, poterat conditionis onus mercedis magnitudine pensari. Nunc præterquam quod onus est molestissimum, adeo nihil est lucri, ut damnum maximum sit capiendum. Neque vero vobis ipsi blandientes, vosipsos fallatis. Non illigabimus nos universæ Legis farcinæ, tantum adspergemus aliquid ex Lege, ne prorsus simus alieni, recipietur circumcisio duntaxat, victimæ pecudum, cæteraque id genus non recipientur.

3 Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ Legis faciendæ.

3 Ego contra, ne quid inscientes erretis, clara voce testor omnibus hominibus: quisquis se circumciderit, sive Judæus sit, sive secus, obnoxium se facit observandæ toti Legi. Quemadmodum enim per baptismum toti dedicamur Christo, ita qui circumciditur, totus dedicatur Legi. Nam hac veluti tessera, in genus Judaicum cooptatur. Liberum est ex Lege quædam decerpere iis, qui circumcisi non sunt. Cæterum circumcisos tota Lex habet obligatos. Cui circumcisio placet, huic & victimæ, & sabbata, & neomeniæ, & lotiones, & ciborum delectus, & stata jejunia, aliaque id genus placeant oportet. Tantum onus ultro accersere, nonne manifestariæ cujusdam dementiæ est, præsertim hac mercede, ut ob molestissimam & inutilem servitutem, à Christo libertatis ac salutis unico auctore desciscatis?

4 Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini: à gratia excidistis.

4 Etenim, ut sæpe jam dixi, si veram justitiam exspectatis à Legis præsidio, quæ per operis fiduciam promittit qualemcunque justitiam, nimirum alieni facti estis à consortio Christi, qui suum donum gratiæ esse voluit, non meriti. Quod si discedetis à Christi contubernio, ne Lex quidem vobis erit usui, imo perniciem adferet. Etenim si quem usum habebat ante lucem Euangelicam, cum totum amisit evulgato jam Euangelii mysterio. Si Lex apud vos valet, Christus est antiquatus. Si valet Christus, Lex antiquata sit oportet. Cum Legem dico, crassam illam atque carnalem Mosaicæ Legis partem intelligo, quam solam mordicus tenent Judæi, ex observatiunculis ad corpus pertinentibus sibi pollicentes perfectam justitiam, existimantes quod pecudum sanguis adspersus expiet animum à peccatis, aut aquæ lavacrum mentium sordes abstergeat, aut cibus purus, aut impurus animum expurget, aut inquinet.

5 Nos enim spiritu ex fide, spem justitiæ expectamus.

Nos contra spiritualem Legis portionem amplexi, non ex hujusmodi rerum corporalium superstitiosa observatione promissam justitiam exspectamus, sed ex eo quod per Euangelium credimus, veram innocentiam veramque salutem per Christi mortem nobis gratis donari.

6 Nihil autem refert, utrum circumcisus venias ad Christum, an incircumcisus, quando totum hoc negotium non ab observatione Legis, sed à fide pendet, cui licet desint opera Legis Mosaicæ, non est tamen otiosa, verum occultos impetus addit ad omnia pietatis officia, non ex præscripto Legis, sed ex caritate, quæ nullius jussu, suapte sponte, multo plus præstat, quam ulla Lex posset extundere vel minis, vel suppliciis. Hæc cum adest, quorsum opus Legis præscripto? si non adest, ad quid conducit Legis observatio?

6 Nam in Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides, quæ per charitatem operatur.

7 Bene currebatis in Euangelii stadio, ad æternæ felicitatis bravium recta properantes. Quis impedivit cursum vestrum? Cur quod semel placuit non probatis constanter? Cur vestro decreto rescisso, in alienam sententiam pedibus itis? Cavete ne cujusquam hominis auctoritas tantum valeat apud vos, ut ab instituto cursu cessetis. Semel credidistis veritati, turpissimum est nunc ad umbras deflectere. Quod ego docui vos, auctore Deo docui.

7 Currebatis bene: quis vos impedivit veritati non obedire?

8 Cæterum qui vobis diversa persuadere conantur, qui fidei vestræ cursum interpellantes, ex transverso avocant ad Judaismum, non sequuntur auctorem Deum, (qui vos ad gratiam vocavit per fidem, non ad Judaismum per circumcisionem) sed sequuntur humanas cupiditates, suo quæstui, suæ gloriæ, suæque tyrannidi servientes. Etiam atque etiam cavendum ab istorum oratione.

8 Persuasio hæc non est ex eo, qui vocat vos.

9 Pauci sunt, sed hi pauci ni vitentur, periculum est, ne totam multitudinem inficiant, ac totius vestræ congregationis vitient sinceritatem, quemadmodum videtis à paululo fermenti, totam conspersionem acidam reddi cui fuerit admixtum, paulatim acorem suum per omnem farinam antea sinceram diffundens. Quantulacunque portio Judaismi, si cum Euangelio misceatur, totius fidei vestræ sinceritatem vitiabit.

9 Modicum fermentum totam massam corrumpit.

10 Sed quandoquidem hactenus alieno impulsu cœpistis vacillare, certam spem de vobis concipio, quod in pristina sententia perseverabitis, partim quidem fretus animis vestris pridem mihi perspectis & exploratis, sed multo maxime auxilio Christi. Is dedit, ut alacriter inciperetis: idem dabit, ut fortiter perseveretis. Cæterum quisquis est ille, qui fidei vestræ tranquillitatem puritatemque nova doctrina perturbat, non effugiet judicium Dei, quamvis fefellerit homines. In præsentia certis de causis, nec prodo qui sit, nec in illum sævio: Deo tamen cui non est ignotus, quique nullius auctoritate commovetur, pœnas dabit, quem læsit potius, quam me.

10 Ego confido in vobis in Domino, quod nihil aliud sapietis: qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicumque est ille.

11 Neque vero vos moveat, si quidam jactitant, me quoque non abhorrere à Legis observatione, qui sæpenumero Judæus factus sim Judæis, ac Timotheum circumciderim. Compulsus id feci, atque identidem reclamans, illique tum tempori cessi, quo neque periculi multum adhuc videbatur imminere, si feciſsem, & gravis tumultus, ni feciſsem. Nunc diversa temporis ratio, diversum consilium postulat. Postremo aliud est pati circumcisionem, aliud prædicare circumcisionem. Passus sum, ut Timotheus circumcideretur: nunquam docui oportere circumcidi. Ita frequenter cum Judæis agens à vetitis Lege cibis abstinui, nunquam præscripsi cuiquam ciborum delectum. Imo contra docui, nihil referre quibus cibis vescaris, modo sobrie cum actione gratiarum. Erat tempus cum nonnihil dandum esset invincibili persuasione Judæorum, nunc quando satis eluxit Euangelium, & pertinacibus animis hoc agunt Judæi, ut Gentes etiam in suam pertrahant superstitionem, neque rectum est, neque tutum vacillare, sed libera fronte prædicandum est, cessasse Legem Mosaicam, amplectendam omnibus libertatem Euangelicam. Nam si verum est, quod isti dictitant, me circumcisionis auctorem ac præconem esse, quid igitur est cur me Judæi tam obstinatis odiis in hodier-

11 Ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc prædico: quid adhuc persecutionem patior? Ergo evacuatum est scandalum crucis.

Digitized by Google

diernum usque diem persequuntur? Nam hinc omne Gentis odium in me, quod sic prædicem Euangelium Christi, ut doceam cessare Legem Mosi. Illi putant se pluris habendos apud omnes, si Judaici ritus admiscerentur Christo. Nunc discruciantur invidia, quod omnibus per fidem ad eam gratiam admissis ipsi circumferunt inutilem circumcisionem. Atque hæc præcipua causa, cur jam pridem obstinatis animis mihi perniciem struunt, quod per Christi crucem omnibus pollicear perfectam salutem, absque circumcisionis præsidio. Quod si circumcisionem adhuc prædico, quemadmodum quidam calumniantur, cur non cessant Judæi me persequi, cum sublata sit causa, cujus gratia fueram illis invisus? Mihi credite, Galatæ, semper eadem fuit, & futura est mea prædicatio: videte, ut vestra fides itidem sit eadem.

12 Utinam & abscindantur qui vos conturbant.

12 Tantum enim abest ut assentiar istis, qui circumcisionem docent, ut si non queant à sua Lege distrahi, distrahantur penitus ab Euangelii consortio, potius quam vos labefactent, & à recto statu sua persuasione dimoveant. Si tam pertinaciter placet istis circumcisio, faxit Deus ut non solum circumcidantur, verum etiam prorsus abscindantur, ut affatim habeant quod amant. Præstat illos perire solos, quam alios tam multos in ruinam secum trahere. Fruantur sua pudenda servitute, si tam * collubitum est ipsis.

13 Vos enim in libertatem vocati estis fratres: tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem Spiritus servite invicem.

13 Vos fratres non in servitutem, sed in libertatem estis vocati per Euangelium. Neque quicquam aliud restat nisi ut caveatis, ne libertatem acceptam per Christi Spiritum, per occasionem accommodetis ad carnis cupiditates. Nam ita sublata est servitus Legis, ut in hujus vicem successerit caritas Euangelica, quæ plus impetrat à volentibus, quam Lex exculpebat † ab invitis. Nec tamen dominatus aut servitus est inter amantes, inter quos mutuum est obsequium. Lex non præcipit, ut pro capite amici tuum caput opponas, ut tuum defraudans genium, fratris inopiæ subvenias, ut firmus infirmo, doctus indocto, melior deteriori obsecundes, & tamen hoc imperat caritas, quæ sic ubique dictat, quid sit agendum, ut ultro facias, quod dictaverit. Porro quod Lex tot præscriptis, tot minis non efficit, id compendio sola præstat caritas, totius Legis vim ac summam in sese complectens.

14 Omnis enim lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum.

14 Siquidem quicquid verbosissima Lex innumeris præceptis conatur efficere, id totum unico brevique sermone completur, nimirum hoc, quem legimus in Levitico Cap. XIX. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Proinde si mutua caritate conglutinabimini inter vos, mutuis officiis omnes fulciemini, mutuis obsequiis adjuvabimini.

15 Quod si invicem mordetis, & comeditis: videte ne ab invicem consumamini.

15 Rursum si, quod inter carnales fieri solet, mutuis odiis inter vos dissidentes, non solum non sublevatis alii alios, verum etiam obtrectationibus mordetis invicem, nec mordetis modo atque arroditis, verum etiam, quod immanium est ferarum, devoratis, quod quidem in vobis est, etiam atque etiam metuendum est vobis, ne belluarum ritu vos invicem laniantes, ad earundem exemplum mutuis vulneribus conficiamini. Huc prolabuntur, qui Euangelicæ caritatis expertes hærent Legi carnali, dum omnia suis commodis metiuntur, cum contra Christiana caritas alienis serviat commodis.

16 Dico autem: Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.

16 Horum autem quæ dicta sunt, huc tendit summa, ut posteaquam exemti estis à servitute Legis Mosaicæ, quæ carnalis est, juxta spiritualem Euangelicæ caritatis Legem vitam agatis. Id fiet, si nec ceremoniis Judaicis metiemini justitiam, & à carnis cupiditatibus temperaveritis. Non desieritis esse Legi obnoxii, si perseveretis esse obnoxii cupiditatibus. Proinde date operam, ut juxta Spiritus ductum vitam agatis, id si feceritis, abstinebitis ab his factis, ad quæ sollicitant carnis cupiditates. Etenim quemadmodum in uno homine corpus est crassum ac grave, animus cœlestis & immortalis, utque in eadem Lege crassum quiddam est, quam dicimus litteram, atque è diverso cœleste quiddam, quod spiritum appellamus: ita in eodem hominis animo vis quædam inest ad honesta vocans: rursus altera huic diversa, cognataque corpori ac litteræ, quæ nos ad diversam vitam incitet.

17 Caro enim concupiscit adversus spiritum: spiritus autem adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur: ut non quæcunque vultis, illa faciatis.

17 Inter has res perpetuum bellum est, dum caro spiritui, spiritus carni adversatur. Caro coerceri potest, prorsus opprimi non potest, quin nitatur adversus spiritum. Quæ si vincat, fit aliquoties, ut cum juxta spiritum expetat ea, quæ sunt pietatis, tamen superatus à carne faciat ea, quæ novit esse fugienda.

18 Quod si spiritu ducimini: non estis sub lege.

18 Quod si Spiritus Christi vos impellit volentes ad ea, quæ sunt honesta piaque, nihil juris in vos habet Lex Mosaica. Ac res quidem invisibilis est spiritus, res invisibilis caro, de qua loquimur in præsentia. Neque tamen difficile est colligere, carnis arbitrio serviat aliquis, an spiritus ductum sequatur. Cujusmodi sunt fontes, ejusmodi sunt ea, quæ proficiscuntur à fontibus. Vita, mores, factaque hominis testantur habitum animi.

19 Manifesta sunt autem opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria,

19 Ac ne de dubiis, aut occultis in præsentia loquamur, hæc sunt, quæ palam declarant hominem adhuc carni servire, etiamsi baptismum adeptus sit, ac Legis servitutem effugerit, adulterium, scortatio, immunditia, lascivia,

20 Idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ,

20 Simulacrorum cultus, veneficium, simultates, lis, æmulationes, iræ, contentiones, factiones,

21 Invidiæ, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

21 Invidiæ, ebrietates, comessationes. His quisquis obnoxius est, quamlibet baptizatus, tamen nondum vere liber est, sed cupiditatum malarum servus est. Nec est quod vobis ob baptismum, aut edita miracula blandiamini. Olim præsens vos monui, ac nunc rursus per Epistolam denuntio, quicunque talia patrant, secludentur ab hæreditate regni cœlestis:

22 Fructus autem Spiritus est: charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas,

22, 23 Contra, qui vere liberi sunt, & spiritus arbitrio ducuntur, hujusmodi fructibus dignoscuntur. Siquidem adsunt comites, caritas, gaudium, pax, animi lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia. Hæc qui suapte sponte præstant, iis nihil opus est admovere Legis stimulos: nam hos ipsorum innocentia liberos reddit à Lege.

23 Mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversus hujusmodi non est lex.

24 Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.

24 Porro qui vere Christi sunt, ut spirituales decet, carnem suam crucifixerunt cum suis vitiis & concupiscentiis. Siquidem per baptismum Christo commorimur, simulque cum eo sepelimur. Non convenit medios inter carnem & spiritum fluctuare.

25 Si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus.

25 Si corpori vitam impartit spiritus, æquum est, ut corpus spiritus regatur arbitrio. Si nos vitam accepimus à Spiritu Christi, non à Lege, juxta Spiritus ejusdem instinctum vivamus. Si vere hausimus Christi Spiritum, hujus fructus edamus, ac procul absimus à carnis operibus.

26 Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.

26 Ne simus inanis gloriæ cupidi, hujus gratia nos invicem provocantes ad certamen, nobis invicem invidentes. Siquidem hæc vitia frequenter obrepunt etiam iis, qui pietatis studium profitentur, cum tamen sint præcipua pestis veræ pietatis.

CAP. VI.

Ferte rogo infirmos: quæ sevimus, illa metemus:
Gloriòr in cruce: nam stigmata porto crucis.

1 OSTENDI fratres, quo sit omnibus enitendum, quicunque semel Christo dedere nomen. Et tamen quando baptismus non aufert nobis, ut homines

1 Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis: hujusmodi instruite in

* Alia Editio, *ita.* † Altera Edit. *exigebat.*

spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.

mines simus, si quis fuerit per humanam infirmitatem in culpam aliquam prolapsus, vestræ partes erunt, qui spiritu robusti, non cessistis cupiditati carnis, ut hominem hujusmodi blande leniterque restituatis, erigentes, ut resurgat, non sævis dictis proculcantes, ut desperet. Hypocritarum est hujusmodi supercilium ac sævitia. Christi spiritus, quoniam cupit omnes salvos fieri, mansuetudine pellicit ad resipiscendum. Ac sæpe flectit & humiles reddit lenis fraternaque correptio, quos prorsus alienat jurgatrix austeritas. Lex Mosaica sic coercet peccata, ut tollat peccatorem. Christiana caritas medetur vitiis, non exstinguit hominem. Quo melior es, hoc clementius accommoda te fraternæ infirmitati. Ad id si te parum hortatur exemplum Christi, qui suos lenissime pertulit, donec resipiscerent, saltem illud te adhortetur, quod intelligis fieri posse, ut in te recidant vices. Accidit huic humanum quiddam, memineris & te hominem esse. Hujus lapsus te doceat, non tibi fidere, nec efferre cristas. Sic age cum lapso, quomodo tecum agi cupias, si quid simile tibi venisset usu. Et homini potest usu venire quicquid humanum est. Qui vacillarunt impellentibus Pseudapostolis, non sunt per sævitiam alienandi, sed per caritatem revocandi ad pristinam firmitatem. Nam fieri potest, ut illi vicissim jam robusti, vestræ subveniant imbecillitati.

2 Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.

2 Qui laborat sub onere, sublevandus est, non dejiciendus. Quare vicissim aliorum si alii bajulabitis onera, tum vere præstabitis legem caritatis, quæ peculiariter Christi lex est. Is cum nec peccatis esset obnoxius, nec affinis esset peccandi periculo, tamen nostras iniquitates ipse portavit, ac benignitate sua sanavit, non condemnavit austeritate.

3 Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.

3 Nemo sibi placeat tanquam justus, & hac fiducia despiciat fratrem aliquo delicto præventum. Nam hoc ipsum argumentum est falsæ justitiæ, sibi justum videri. Proinde si quis sibi videtur esse aliquid cum nihil sit, ipse sibi imponit. Nec enim ideo quisquam justus est, quod alteri lapso se præferat. Nec ideo contaminabitur alieno commisso, si se demittat, ut lapsum erigat. Nec ideo bonus est, quod se conferat deteriori. E suis quisque factis æstimandus est.

4 Opus autem suum probet unusquisque, & sic in semetipso tantum gloriam habebit, & non in altero.

4 Neminem tamen oportet suis factis fidere, sed explorandum, num quod recte facere videtur, sit hujusmodi, ut probari Deo possit. Quod si te non remordet animus tuus, ne glorieris ob alienam imbecillitatem, sed ob tuam firmitatem: & glorieris apud te, tibi gratulans de dono divino: ne vero jactes apud alios, aut eos despicias, qui tuum robur non assequuntur. Succurre si potes: si non potes, suo illum judici relinquito.

5 Unusquisque enim onus suum portabit.

5 Nec delictum illius tuum diminuet præmium, nec tu pro alieno commisso plecteris, sed apud Deum judicem, sua cuique sarcina tollenda erit.

6 Communicet autem, is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis.

6 Cæterum quamdiu sumus in hoc sæculo, mutuis officiis nos invicem fulcire debemus. Atque ut eorum, qui præcellunt dotibus, partes sunt, doctrina, consolatione, atque exhortatione, fratris imbecillitati succurrere, ita quibus subvenitur, meminerint se non ingratos præbere de se bene meritis. Ita fiet, ut sit inter vos omnium bonorum communio, si qui doctrina valent Euangelica, erudiant, erigant, fulciantque rudes, atque hi vicissim de suis facultatibus impartiant doctoribus ac monitoribus suis, ut officiorum fiat commutatio. Videant autem qui docent, ut digna Christo sint quæ tradunt, & Christi Spiritum sapiant, alioqui præstat non assentire doctori.

7 Nolite errare: Deus non irridetur.

7 Porro qui perperam tradita doctrina Euangelica, præmium accipit ab eo quem instituit, hominem quidem fallit, imo seipsum fallit, cæterum Deum non fallit. Quare moneo, ut sincere doceatis: nam Deus non irridetur.

8 Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.

8 Sed cujusmodi sementem fecerit homo, hujusmodi quoque messem facturus est. Qui carnalem tradiderit doctrinam, pro carnali semente fructum demetet periturum. Qui vero spiritualem impartierit doctrinam, ex spirituali cœlestique doctrina mercedem adsimilem referet, vitam æternam.

9 Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes.

9 Itaque perpetuum studium sit nobis, bene mereri de omnibus, nec unquam cessemus à benefaciendo, sive gratos nanciscamur, sive ingratos, sive respondeat præmium ab hominibus, sive non respondeat. Nam suo tempore fructus continget à Deo nunquam interiturus, proque temporariis officiis merces reponetur æterna. Non semper erit sementis tempus, veniet dies, cum neque nostris benefactis, nec alienis sublevabimur.

10 Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.

10 Quamdiu versamur in hoc mundo, licet Deum benefactis demereri, licet aliis opitulari: in die judicii nec benefactis locus erit, nec bene merendi de quoquam facultas erit. Proinde dum tempus habemus, utamur tempore, benemereri studentes, cum de omnibus, tum vero præcipue de iis, quibus cum nobis religionis ac fidei contubernium est. Judæus non agnoscit nisi suos, Christianus ad exemplum Christi, de nemine non cupit benemereri.

11 Videte qualibus litteris scripsi vobis mea manu.

11 Videtis Galatæ, quantopere mihi res cordi sit, qui tam prolixam Epistolam vobis meapte manu scripserim. Agnoscitis notulas digitorum meorum. Non est quod suspicemini subditititiam Epistolam, tota mea est, mei pectoris apud vos index. Facite ut hæc plus ponderis apud vos habeat, quam Pseudapostolorum oratio.

12 Quicumque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum ut crucis Christi persecutionem non patiantur.

12 Etenim qui sunt hujus animi, ut prius habeant hominibus morem gerere, quam Deo, hi pertrahunt vos ad circumcisionem, ut simul & Gentibus invisi sitis, ob Christum, & Judæos habeatis infensos, ob præputium. Judæi sunt, & suæ Gentis odia metuunt, si Christum absque præputio profiteantur, veluti Legem abolentes. Hi magis verentur homines, quam Deum, magisque venantur gloriam apud homines, quam apud Deum. Metuunt ne sincera professio crucis Christi, persecutionem adversus ipsos excitet eorum, quibus Christi nomen est invisum, ne parum glorioso doctores habeantur, si præter crucifixum nihil doceant.

13 Neque enim qui circumciduntur, legem custodiunt: sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur.

13 Neque enim simplici Legis studio faciunt ista, quemadmodum ego quondam errans amore patriæ Legis, sæviebam in gregem Christi; quando ne ipsi quidem Judæi Legem servant, tametsi circumcisi sunt à majoribus. Sed abutuntur vestra simplicitate, vobis imponentes onus circumcisionis, ut se de vobis jactitent apud suos, quod ipsis auctoribus ac magistris Judaismum receperitis. Hac arte placare conantur invidiam suorum, indigne ferentium, per Euangelium Christi, Legem aboleri. Ego nec Judæorum invidia deterreor, nec Gentium infectatione, quo minus sincere prædicem Euangelium Christi.

14 Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

14 Absit autem, ut alia quapiam de re glorier, quam de cruce Domini mei Jesu Christi. Scio crucem hujus probrosam esse apud Gentes, invisam apud Judæos, in hac una tamen mihi satis est omnem gloriam meam ponere, quem ne tantulum quidem jam tangit mundi gloria, utpote cui per baptismum in Christi corpus insito, mundus mortuus est, & ego vicissim mundo, nec malis illius territor, nec commodis titillor, nec odium metuo, nec plausum moror, nec ignominiam formido, nec gloriam affecto. Christus mihi pro omnibus, & adversum omnia satis est.

15 In Christo enim Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura.

15 Ad hujus professionem nihil refert circumcisus venias ex Judaismo, an incircumcisus ex Gentibus. Quisquis enim in illius corpus per fidem cooptatur, ita repente transit in alium hominem, ut nova fiat crea-

Digitized by Google

creatura, eoque renasci dicitur. Facessant igitur humana discrimina.

16 Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei.

16 Quisquis Christum profitetur, tantum hoc meminerit, quod Christianus est. Hæc esto regula immobilis, hanc quicunque sequuti fuerint, his pacem precor, ac misericordiam precor: convenit enim his idem precari, quod David precatur Israelitis, cum ait in Psalmis: *Pax super Israel.* Verum duo sunt Israelitarum genera. Sunt Israelitæ secundum homines, sunt Israelitæ juxta Deum. Non protinus verus est Israelita, quisquis præputium habet amputatum, sed qui mentem habet circumcisam, quique per fidem Deo fortis est. His igitur Israelitis, quorum de numero & vos estis, opto pacem ac misericordiam.

17 De cetero nemo mihi molestus sit: ego

17 Valeant autem falso nomine Israelitæ, qui pertinacibus odiis decertant adversus Euangelium Christi. Me certe nunquam dimovebunt ab hac sententia. Quod prædicavi, semper sum prædicaturus. Quare super hac re nemo posthac mihi facessat negotium. Tantum enim abest, ut ab Euangelica veritate probris ullis, aut afflictionibus queam divelli, ut ignominiam ob Christum inustam mihi, ut carceres, ut virgas, ut vincula & lapidationes, cæteraque mala, quæ pro Christi nomine perpessus sum, ceu notas, stigmataque Domini mei Jesu Christi, mecum ubique circumferam in corpore meo, veluti trophæa quædam ostentans, ac gloriæ mihi ducens, quod, qua licet, imitari merear Christi crucem, quam prædico. *enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.*

18 Favor ac benevolentia Domini nostri Jesu Christi semper adsit spiritui vestro fratres, ut illius præsidio persistatis in Euangelii sinceritate: Quod votum ut ratum sit, faxit ille, cujus afflatu hæc scribo. *18 Gratia Domini nostri Jesu Christi, cum spiritu vestro, fratres. Amen.*

PARAPHRASEOS IN EPISTOLAM PAVLI APOSTOLI AD GALATAS

FINIS.

VERSVS MEMORIALES

In D. PAVLI EPISTOLAM

AD GALATAS.

Angelus ipse cadat: Bene culpat: Cur Galata erras?

Dum puer est hæres: En caro quæ peperit.
Ferte, rogo, infirmos. Sex Galata ista legunt.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO,

D. LAVRENTIO CAMPEGIO,

S. R. E. TT. S. THOMÆ IN PARIONE CARDINALI,

DES. ERASMVS ROTERODAMVS

S. D.

QVOTIES inconstantiam rerum humanarum intueor, *Laurenti*, Cardinalitii ordinis non infimum decus, videor mihi prorsus Euripum quendam videre, aut si quid Euripo instabilius; adeo vicibus irrequietis, sursum deorsum volvuntur ac revolvuntur, nec possunt eodem in statu diu consistere. Cum ad summa ventum est, recurritur ad relicta, donec rursus eo veniatur, ut à fastigio jam intolerabili cursum deflectere cogamur. Porro si quis mari conetur obsistere, aut hujus cursum alio derivare, nunquam id fecerit sine gravi discrimine rerum, ingentique tumultu. Sic olim *Romanorum* Monarchiam excepit Democratia, aut certe Oligarchia, quæ & ipsa tandem eo licentiæ processit, ut Tribunis plebis ac Dictatoribus foret opus: mox etiam Imperatoribus, quorum potestas in immensum evecta fecit, ut rursus pristini Reipublicæ status desiderarentur. Sed infinitum fuerit, ad hunc modum conferre singula rerum genera, surgentium vicissim ac cadentium, florentium, jacentium, ac denuo reflorescentium, novaque subinde specie repullulantium. Illud magis mirum, sacris etiam studiis, quæ maxime decebat sibi constare, suas esse vices æstuarias. Olim credebatur Philosophia Christiana, non disputabatur: & pia simplicitas hominum, sacrorum Voluminum oraculis erat contenta. Nec egebat variis præscriptis ultro promta caritas, omnia credens, nusquam hærens. Mox Theologiæ patrocinium capessebant humanis instructi disciplinis, sed ferme his, quas hodie Rhetoricas vulgus appellat. Paulatim magis ac magis adhiberi cœpit Philosophia: primum Platonica, mox Aristotelica. Cœptum quæri de multis, quæ vel ad mores, vel ad cœlestium rerum speculationem pertinere videbantur. Quæ res primum visa est propemodum necessaria. At sensim eo succrevit, ut plerique neglecta Linguarum ac politioris literaturæ peritia, imo neglectis divinis Voluminibus, in curiosis, supervacaneis, & immodicis quæstiunculis, velut ad Sireneos scopulos consenescerent. Jam ars esse cœpit Theologia, potius quam sapientia, theatrica verius, quam ad veram pietatem accommoda: hanc præter ambitionem, avaritiamque, vitiarunt & aliæ pestes, adulatio, contentio, ac superstitio. Quibus rebus ubi tandem eo ventum est, ut Christus ille purus, propemodum esset obrutus humanis argutationibus, ac limpidissimi quondam Euangelicæ doctrinæ fontes, *Philistæorum* scrobe oppleti, divinæque Scripturæ certissima regula, nunc huc, nunc illuc detorta, nostris serviret affectibus magis quam gloriæ *Christi*, quidam pia certe mente conati sunt orbem ad pristinam studiorum simplicitatem revocare, atque à lacunis jam fere turbidis, ad vivas illas ac puriſſimas scatebras reducere.

Eam

Digitized by Google

Eam ad rem conficiendam, Linguarum ac bonarum, ut vocant, litterarum cognitio visa est in primis conducere, quarum neglectu videmur huc prolapsi. Atque hîc protinus ingens tumultus in ipso rerum confinio, dum altera pars nimium mordicus tenet ea quibus assuevit: altera violentius irrumpit, hosti, quam hospiti similior. Ita utriusque malo peccatur utrinque. Sic olim Euangelicæ doctrinæ mustum aversabantur *Iudæi*, veteri vino *Mosaicæ* Legis assueti, & contumeliam interpretabantur, quo prior illa Lex & perficiebatur, & ornabatur: ac novitatem habebant invisam, cum potius ad priscam vetustatem revocarentur. Porro sic fit, ut beneficium vertatur in dispendium, cum & medicus inclementer atque incommode admovet remedium, & ægrotus saluti consulentem pro hoste ducit. Conveniebat magis, ut qui profitentur has litteras, quæ vulgo laborant invidia novitatis, cum sint antiquissimæ, civiliter irreperent potius quam hostiliter irrumperent: neque statim velut sexagenarios de ponte depellerent, sed paulatim coalescerent novi hospites cum veteribus colonis. Neque enim in hoc adhibentur litteræ politiores, ut aboleantur disciplinæ, quæ cum maximo generis humani bono traduntur in publicis Scholis, sed ut purgatiores sint, magisque sobriæ, quam hactenus fuerint apud quosdam. Sit sane regina Theologia; sed nulla regina tam potens, quæ pedisequarum recuset officium. Ab aliis admoneri se patitur, ab aliis comi, & ad suam gloriam pertinere credit, si famulas habeat quam honestissimas. Quod si qui bonarum litterarum præsidio veterem eruditionem student ornare, comiter & placide suum adhiberent officium, & hi, qui in pristinis studiis consenuerunt, nec sibi, nec junioribus inviderent, sed novos advenas in civitatis suæ consortium humaniter reciperent, futurum esset ut utraque res alteri sit, tum ornamento, tum usui futura, nimirum duplicato lucro, mutua commutatione bonorum. Nunc dum nos invicem luto conspergimus, imo dum invicem nos lapidamus, perit utrisque suus fructus, & utraque pars magno cum malo discedit. In libellis, quibus alteros alteri lacerant, plus est convitiorum, quam argumentorum. In Scholasticis Diatribis plus est dentis, quam eruditionis; plus convitii, quam judicii; plus studiorum, quam libertatis. In sacris Concionibus Euangelica doctrina, quam oportebat esse purissimam, humanis affectibus vitiatur. Peccant, qui odiose vociferantur in hactenus recepta studia, licet infantia; sed gravius peccant, qui conscenso suggesto, unde solet audiri tuba Euangelica, *Christi* gloriam personans, seditiose clamitant: *Arcete liberos vestros à Græcis litteris, hinc nascuntur hæreses. Ne tangite libros* illius & illius (neque enim à nominibus temperant) *qui corrigit precationem Dominicam, qui castigat Canticum* Magnificat, *qui emendat Euangelium sancti* Joannis. *Adeste præfecti, succurrite cives, tantam pestem arcete rebus humanis.* Quæ cum dicuntur apud imperitam multitudinem, quid fingi possit seditiosius? Si apud eruditos & cordatos viros dicantur, quid insanius? Et tamen qui hæc publice faciunt, haberi volunt Christianæ religionis columina. Nec interea perpendunt, quod *Christi* doctrinam profitentes, dum incessunt famam benemerentium, aut certe studentium benemereri, ex diametro dissident ab eo quod profitentur. Præterea non cogitant interim operæ suæ fructum magna ex parte perire, cum ipsis, tum populo, dum hisce rebus sibi fidem abrogant apud auditores. Quis enim credat odium & simultatem præ se ferenti? E diverso lucubrationes eorum, qui suis vigiliis & studiis & veræ pietati pro sua virili consulere student, minore cum fructu leguntur. Nisi parvi referre putamus, integro animo Librum sumas in manum, an inimica persuasione, aut certe imaginatione occupato. Postremo pro semine Euangelico, pessima zizania seritur, dissidiorum atque odii, quæ ubi semel occupavit hominum animos, haud facile revellitur. Nec facile quis credat, è quantulis scintillis paulatim glisscentibus quam ingens incendium sæpe nasci soleat. Nihil est autem in rebus humanis tam florens, quod non vertat in perniciem discordia. At eam nusquam magis vitatam oportuit, quam in studiis, præsertim sacris, quorum auctoritate præcipue tumultus humanarum cupiditatum sedari par erat. Quid enim aliud, quam pacem docet, qui *Christum* docet? Quod si contigerit salem esse insulsum, quid supererit, quo condiantur insulsa? Si lucem Euangelicæ Philosophiæ cupiditates obscurant humanæ, quid erit quod discutiat animi nostri caliginem? Quis autem nescit bonam religionis nostræ partem pendere à studiorum ratione? At nunc hanc quoque vitæ nostræ paradisum sic suo veneno vitiavit veterator ille Serpens, ut mihi non paulo præstabilius videatur, quemvis hortulum colere quam litteras, videlicet cepis & caulibus plus allaturis fructus cultori suo, quam ad lucernam vigilatis noctibus.

Sed jam dudum obmurmurat mihi tuus animus: Quorsum tandem hæc tam multa? Videlicet, ut tuo tuique similium admonitu, *Leo* noster P. M. circulum immortalis suæ gloriæ, quam feliciter orsus est, absolvat. Jampridem rem divinam præstitit orbi Christiano, qui Reges ac populos impiis bellis inter se tumultuantes in concordiam redegerit, fortasse non minus insigne beneficium præstaturus, si studiis quoque suam restituat tranquillitatem. Res enim tam amaris odiis, tam virulentis linguis, tam cruentis conflictationibus agitur, ut mihi nondum liqueat, majore-ne malo constiterit humano generi ille tumultus armorum, an hæc dissidia studiorum. Quod serenissimus *Angliæ* Rex *Henricus*, ejus nominis octavus, una cum *Athate* suo R. D. *Thoma* Cardinale *Eboracensi*, nec dubito quin te quoque consulto, præstitit suæ *Britanniæ*, id *Leo* præstare debet orbi terrarum, cui præsidet, *Christi* vicibus fungens, cui nulla res magis cordi fuit, quam concordia. Non opinor cuiquam veterum Regum aut Imperatorum titulum speciosiorem erectum fuisse, quam hic est nostro *Leoni* positus, ut ferunt, *Leoni decimo ob pacem orbi Christiano restitutam.* Quid, quod hæc res non solum generali quadam ratione ad illum pertinet, ad quem pertinet, quicquid ad religionis ac pietatis negotium pertinet, sed peculiariter etiam illius refert, ne quidvis quibuslibet liceat in Linguas ac bonas litteras, quibus ipse suo gravissimo judicio tantum tribuit, ut tantis impendiis suis conducat undique, qui *Romæ* profiteantur, sic existimans, urbi tot ornamentis inclytæ, non mediocre decus hinc etiam accessurum. Nimirum perspicit pectus illius oculatissimum, Linguarum cognitionem non solum ad disciplinarum professionem esse necessariam, verum etiam ad Christianæ ditionis pomœria, vel propaganda, vel stabilienda. Quod enim unquam regnum aut coaluit, aut diuturnum fuit absque linguarum communium glutino? Jam ipse judica, quantopere illius intersit, si Novum Testamentum, quod illius hortatu suscepi, quod ejusdem hortatu denuo recognovi, quod Christo & ipsi dicavi, licebit cuivis rabulæ indocto apud indoctos traducere. Me sane mei nominis jactura leviter commovet, modo *Christo* suus constet fructus, *Leoni* sua gloria. Quod si ratio sarciendæ concordiæ quæritur, ita rem confici facillime posse arbitror, si per illius oraculum edicatur, ut suam quisque professionem ornet, efferatque, citra contumeliam alienæ, ut utrinque coerceatur linguæ calamique rabies, potissimum ab his, quos magis decet hæc moderatio. Quod si quid dissentietur, ut est frequenter, quemadmodum in palatis, ita & in ingeniis quoque dissensio, omnis contentio intra civilem conflictum consistat, in rabiem ne exeat. Porro si quid ad fidei sinceritatem magnopere pertinebit (neque enim huc obtorto collo pertrahenda sunt omnia) primum res agatur per eos, qui vere norunt fidei mysteria, deinde qui non sint tales, ut sub prætextu fidei suum agant negotium, postremo ut res moderatis judiciis, non seditiosis clamoribus agatur. Neque enim omnibus fortasse

Digitized by Google

libet, quorumlibet arbitrio Christianos esse. Hæc non dubitabam, quin tibi facile persuasurus essem, cujus eruditus candor, & eruditio candida, non sum nescius quam abhorreat ab omni virulentia. Nec difficile T. R. D. persuadebit S. D. N. *Leoni*, sive quod is te ob eximias dotes tuas optimo jure facit plurimi, sive quod ipse suopte ingenio ad pacem & concordiam mire propensus est. Hujus opellæ, quam petimus, si parum justum videtur præmium, quod omnibus seculis tota litteratorum cohors *Laurentii Campegii* nomen laudibus vehet, en addo & ipse meo nomine qualecunque auctarium, Paraphrasin in quinque *Paulinas* Epistolas, quas ex omnibus illius germanis reliquas hoc impetu proximo absolvi. Neque enim ordine labor hic mihi peractus est, nec eodem tempore, nec eodem impetu. Ita factum, ut alias partes aliis dedicarim. Mihi bona spes est, hoc certe victurum Opus, utpote quod probatur & ab iis, qui velut ex professo nostra omnia solent arrodere. Simul autem visum est, fidem meam R. T. D. obstrictam, aliqua saltem ex parte liberare. Neque enim excidit, & quantum debeam inauditæ tuæ humanitati, & quid illi per litteras sim pollicitus. Hunc igitur arrhabonem boni consules, donec corrasero, unde summam quoque resolvam. *Brugis* à cœna hac oratione (memini) dimisit me R. T. D. quæcunque aula habitura esset *L. Campegium*, confiderem illic esse amicum ex animo bene volentem *Erasmo*. At ego vicissim, quæcunque tellus habitura est *Erasmum*, illic R. T. D. credat esse mancipium sibi deditissimum. Bene valeat R. T. D. *Lovanio* 5. Februarii, Anno 1519.

IN EPISTOLAM PAVLI APOSTOLI AD EPHESIOS

ARGVMENTVM,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

EPHESVS *metropolis quondam erat* Asiæ *minoris, civitas superstitiose dedita cultui Dæmonum, & præcipue* Dianæ, *unde & in Actis* Dianæ neocoros *dicitur, non illius* Venatricis, *cui Poetæ sagittas & arma tribuunt, sed* Multimammiæ, *quam Græci* polymaston *appellant, quam volebant omnium animantium esse nutricem, ut indicavit* Hieronymus. *Nam de Templo* Ephesiæ Dianæ, *toto orbe celebratissimo, passim etiam Ethnici meminere Scriptores. Hos curiosarum artium tenebat studium. Unde legimus, ad prædicationem Apostolorum, magicos libros ab eis comportatos igni traditos fuisse, & supputato pretio, compertum fuisse quinquagies mille nummûm argenti, sicuti refertur in Actis Capite* XIX. *Ut igitur à tantis erroribus illos abduceret, triennium apud illos egit: nihil interim non faciens, quod ad illorum salutem conducebat, magno studio reclamantibus & obstrepentibus multis, sicut ipse testatur alicubi, ubi & bestiis objectus est: quemadmodum ipse memorat in secunda ad* Corinthios *Epistola. At discedens,* Timotheum *apud eos remanere jussit. Abundabat autem ea civitas, ut curiosis & magiæ deditis, ita doctissimis viris. Unde* Paulus, *ut ad omnium mores & ingenia sese attemperat, de Dæmonibus ac Spiritibus crebro meminit, bonorum ac malorum differentiam indicans. Ad hæc retrusa quædam aperit. Nec enim est ulla Epistola, quæ tam abditos habeat sensus, ut ob hanc potissimum* Petrus *scripsisse videatur:* Sicut & carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut in omnibus Epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem. *Hos igitur, quoniam in fide perstiterant, hortatur ut pergant, & ad perfectionem proficiant, commonefaciens cujusmodi fuerint, cum vitiis addicti servirent impiis Spiritibus, & quales nunc facti sint, insiti* Christo, *docens interim Euangelii gratiam consilio divino, licet* Judæis *promissam, in Gentes quoque recte propagatam, & hujus muneris se ministrum à Deo constitutum. Quoniam autem scripsit è carcere, hortatur ne dejiciantur animo, ob ipsius afflictiones, verum eas potius sibi gloriæ ducant. Hæc agit Capite primo, & secundo. In cæteris tribus vitæ formam illis præscribit, demonstrans quid sequendum, quid fugiendum, quæ officia maritorum in uxores, uxorum in maritos: quæ parentum in liberos, liberorum in parentes: quæ dominorum in servos, servorum in dominos. Scripta est Epistola ab urbe* Roma *per* Tychicum *Diaconum, cujus meminit in calce, fidelem ministrum eum vocans.* Ambrosius *addit scriptam è carcere, cum* Hierosolymis Romam *deductus, sub fidejussore degeret extra castra in suo conducto.*

IN EPISTOLAM PAVLI APOSTOLI AD EPHESIOS

PARAPHRASIS,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

CAP. I.

Ante caput mundi selegit vos Deus: ob quod
Christum oro: est vestra gloriæ magna spes.

1 PAVLVS *Apostolus Jesu Christi, per voluntatem Dei, omnibus sanctis, qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Jesu.*

1 PAVLVS legatus non Mosi, aut ullius hominis, sed Jesu Christi, cujus ago negotium, legatus autem non meapte occupatione, aut hominum delegatione, sed auctoritate jussuque Dei Patris, qui me per Filium suum jussit Euangelicæ doctrinæ inter Gentes esse præconem, hanc Epistolam scribo omnibus qui vivunt Ephesi: & ita vivunt, ut & ab hujus mundi vitiis ac sordibus sese tueri studeant immunes, & sincero pectore credant Euangelio Jesu Christi, non aliunde sperantes innocentiæ sanctimoniæque præmium, quam unde sumserunt exemplum: nec ab alio præstolantes felicitatis suæ summam, quam unde profectum est exordium.

2 Interim opto vobis, non quæ solent ii, qui felicitatem suam hujus mundi præsidiis metiuntur: sed opto, ut Deus auctor bonorum omnium, quem jam patrem etiam nostrum appellare possumus, non solum ob id, quod ab eo conditi sumus, verum multo magis, quod insiti corpori Christi, cooptati sumus in jus filiorum: in dies augeat in vobis suam beneficentiam, qua gratis vos à pristinæ vitæ commis-

2 *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.*

Digitized by Google

missis assertos, ex impiis fecit innocentiæ justitiæque cultores, vestramque concordiam tueatur, ut inter vos sitis unanimes: & semel Deo reconciliati, caveatis ne iterandis peccatis, rumpatur initum cum illo fœdus, idque per Jesum Christum illius Filium, per quem, & qui cum nobis largitur omnia: quem merito Dominum nostrum posthac appellabimus, posteaquam pretio sacrosancti sanguinis illius, assertos à Diaboli tyrannide, sibi nos vindicavit, & ab illius servitute emancipatos in suum jus adscivit. Felix servitus, qua conglutinamur Christo.

3 Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo,

3 Neque casu contigit hoc nobis, neque merito nostro: sed omni genere laudis ferendus nobis est Deus, & idem Pater Domini nostri Jesu Christi, qui gratuito favore omnem benignitatem in nos effudit: non solum impartiens nobis hæc, quæ ad hujus vitæ usum, quæque ad corporis præsidia pertinent, verum etiam eas dotes, quæ ad animi salutem & ad vitam faciunt immortalem, quæ vita nos manet in cœlis, idque per Christum, per quem Pater nobis aperuit aditum ad superos.

4 Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate.

4 Ne vero quærat aliquis, unde hic tantus favor, unde tam inaudita beneficentia? Sic illius bonitati æterno consilio decretum erat, etiam ante quam orbis conditi fundamenta jacerentur. Jam tum delegerat nos, ut per Filium suum, per quem & condidit, & gubernat, & restituit universa, abolitis pristinæ vitæ vitiis, efficeremur sancti & inculpati, non solum apud homines, sed etiam apud ipsum Deum, qui ex occultis animi affectibus æstimat hominem: idque non metu Mosaicæ Legis, cujus severitas ad hoc reperta est inefficax; sed Euangelica fide & caritate, quæ plus impetrat à volentibus, quam Lex extundebat à coactis. Non est autem perfectum officium, quod à servis extorquet metus mali, aut ira Domini, sed quod à filiis impetrat ultronea caritas, pietasque.

5 Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ,

5 Id nostris viribus præstari non poterat, nisi ille æterno suo decreto sibi nos adoptasset in vicem & jus filiorum, idque per Jesum Christum: cui sic nos conglutinavit per fidem & caritatem, ut illius membra facti, simus unum cum illo, per cujus consortium consequimur, quod nostris meritis non debebatur. Non est quod hinc nobis quicquam laudis tribuamus. Sic illi placuit, qui natura bonus est, quo gratuitam suam in nos beneficentiam redderet orbi magis illustrem ac dilucidam.

6 In laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo.

6 Nos quod ad nostras vires attinebat, nihil aliud esse poteramus, quam inimici Dei, servi reprobi: sed ille per eum, quem ineffabiliter diligit, nos sibi reconciliavit, & ex odio dignis servis, filios fecit gratos & caros.

7 In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus,

7 Quamdiu sceleribus obnoxii membra eramus Diaboli, non poteramus nec amare Deum, nec ab illo diligi. Cæterum ubi carissimus illius Filius, sacrosancti sanguinis sui pretio nos redemit à servitute vitiorum, sibique ceu membra conglutinavit, non potest non amare Pater, quos Filii consortes esse voluit.

8 Quæ superabundavit in nobis, in omni sapientia & prudentia:

8 Inæstimabile beneficium, sed sic voluit opulenta largitas optimi Dei, quæ cum nusquam non promit sese, tum vero in nos peculiariter etiam exuberavit: dum æternæ voluntatis suæ arcanum, tot jam seculis orbi celatum, nunc nobis tanquam propitius pater filiis suis aperit, quod nosse, summa sapientia, summaque prudentia est, longe præstantior ea, qua hactenus cæteris mortalibus antecelluistis, humanarum disciplinarum eximie periti.

9 Ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundum bene placitum ejus, quod proposuit in eo,

9 Arcana naturæ pervestigat humanum ingenium, nec tamen protinus beatos reddunt pervestigata. Hoc arcanum nulla mentis humanæ ratio potest assequi, ni Deus ipse nobis aperuisset, & cognitum ad veram felicitatem adducit. Quod si quis roget, cur hoc tamdiu celatum, nunc demum aperiat: nihil habeo quod respondeam, nisi quod sic visum fuerit illius optimæ menti, quæ nihil potest velle, nisi quod optimum est, cum sit ipsa bonitas. Quod nobis nunc novum est, apud illum novum non est.

10 In dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt, in ipso:

10 Quod nunc misso Filio patefecit orbi, hoc ab æterno decretum erat Patri & Filio: verum id certo & inenarrabili consilio secretum & abditum esse voluit, donec impleretur tempus ab ipso præfinitum, huic arcano mortalibus aperiendo: quo jam abolitis superiorum temporum dispendiis, per quæ felicitas frustra quærebatur, aliis per observationem Legis Mosaicæ, aliis per studium Philosophiæ, aliis per superstitiosam religionem cultumque Dæmonum, summa cunctorum, quæ ad veram innocentiam veramque beatitudinem pertinent, conferretur in unum Christum, extra quem nihil jam esset cuiquam expetendum, cum ab hoc unico fonte peti posset, quicquid bonorum vel cœlum habet, vel terra. Hunc enim Pater Deus caput omnium esse voluit, ab hoc uno voluit omnes pendere, ab hoc sperari, quicquid vere sit expetendum, huic acceptum ferri, quicquid nobis sua benignitate largitur.

11 In quo etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ:

11 Per quem & nobis contigit tanta felicitas, ut in sortem & hæreditatem immortalitatis adoptaremur, non ex nostris meritis, sed quoniam ad id olim destinati fuerimus decreto illius, cujus arbitratu, cujusque vi geruntur ac temperantur universa, consilio nobis inscrutabili juxta voluntatem illius: qui cum sit optimus ac sapientissimus, non potest velle, nisi quæ sint & optima & sapientissima.

12 Ut simus in laudem gloriæ ejus nos, qui ante speravimus in Christo:

12 Sic autem illi visum est, ut nullis nostris meritis, sed gratuita illius benignitate vocaremur ad hanc hæreditatem, Christique consortium, nos qui moniti Prophetarum vaticiniis quodammodo spem nostram fixeramus in Christo nobis promisso etiam antequam illucesceret Euangelii veritas, quo beneficium hoc non adscriberetur observatæ Legi Mosaicæ, sed tota laus redundaret in gloriam bonitatis divinæ: cui sic visum est, ut hæc per Filium suum nobis gratis largiretur.

13 In quo & vos, cum audissetis verbum veritatis, (Euangelium salutis vestræ) in quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto,

13 Neque vero soli nos Judæi vocati sumus ad promissum Christi consortium, qui diffisi Mosaicæ Legis umbris, veritatem Euangelicam sumus amplexi, unde veram speramus salutem, etiam citra Legis præsidia: quin & vos licet incircumcisi, tamen posteaquam eidem credidistis Euangelio, ad idem consortium estis adoptati. Neque enim circumcisioni debemus, quod ad immortalitatis spem recipimur, sed credulitati, quæ si vobis est cum Judæis communis, quid est cur à beneficentia Dei sitis alieni? Amputata præputii pellicula, signum est, quo Judæum ab Ethnico dignoscas. At Euangelii signum latius patet, neque corpori imprimitur, sed animo. Hoc ex æquo obsignantur omnes, cujus cujus nationis fuerint, qui doctrinam Euangelicam amplectentes credunt illius promissis. Rogabit quispiam, quodnam hoc signaculum, quod Christianos discernat ab impiis? Nimirum Spiritus Sanctus, & affectus non servilis, sed qualis esse solet in piis filiis, qui hoc agit in nobis, ut toto pectore fidamus Euangelii promissis, etiamsi hic nondum appareant.

14 Qui est pignus hereditatis nostræ, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius.

14 Siquidem hæreditas, in quam sumus insiti, non tota præstabitur, nisi cum erit corporum resurrectio: sed interim tamen Spiritum suum nobis impartit, ceu pignus & arrhabonem promissæ hæreditatis. Hoc signo certi sumus, nos à Deo pro filiis haberi: neque dubium est, quin is sibi vindicaturus sit suos, quos Filii sui morte redemerit. Cupit enim divina benignitas quam plurimos lucrifacere: cupit suam magnificentiam quam maxime notam & illustrem esse mortalium generi: quæ quo latius patuerit, hoc à pluribus prædicabitur. Olim Judæi peculiariter erant curæ Deo, quod hos ex Ægyptiorum servitute liberasset. Sed parum erat in una Gente celebrari Dei bonitatem, vult ab omnibus prædicari, cum omnes à peccatorum servitute gratis redemerit: idque existimat ad suam gloriam pertinere, si non Ju-

Digitized by Google

Judæi tantùm, sed omnes totius orbis Nationes per fidem Euangelicam participes fiant salutis.

15 Propterea & ego audiens fidem vestram, quæ est in Domino Jesu, & dilectionem in omnes sanctos,

15 Has ob res nihil equidem moror in vobis circumcisionem, cum videam manifesta indicia salutis Euangelicæ: primum, quia fiduciam vestram collocastis in Domino Jesu; deinde caritatem vere Christianam declaratis erga sanctos omnes, Christi membra.

16 Non cessо gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis:

16, 17 Proinde non desino gratias agere pro vobis. Facit enim hoc Euangelica pietas, ut alienis bonis, non secus atque nostris gratulemur, semperque vestri mentionem facio in precibus meis, quibus quotidie Deum interpello, pro provehendo Euangelii negotio, ut is, qui ex æquo Deus est omnium Gentium, atque etiam Jesu Christi, juxta naturam humanam, unde & Christus habet, ut sit Deus, cui tanquam auctori, fontique bonorum omnium totius gloriæ summa debetur, magis ac magis impartiat vobis arrhabonem, de quo dixi, Spiritum suum, qui mentibus vestris inspiret cœlestem hanc sapientiam, & hujus arcani cognitionem.

17 Ut Deus, Domini nostri Jesu Christi pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & revelationis in agnitione ejus,

18 Illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hereditatis ejus in sanctis,

18, 19 Ut agnoscatis eum, qui largitor est unicus salutis, eumque interim quodammodo cernatis oculis, non quidem corporeis, sed cordis ac mentis, fidei luce perspicacibus, quibus ea quoque cernuntur, quæ futura sunt, quæque crassis oculis cerni non possunt: quo scire possitis id, quod nulla humana docet Philosophia, quam felix sit hæreditas, ad cujus spem ille vos adscivit, quantaque dignitas hujus opulentissimæ hæreditatis, quam accepturi sunt sancti, quantaque sit amplitudo, quamque eximia magnitudo potentiæ illius: quam & nunc declarat in nobis, quæ vi quadam occulta & ineffabili, sic à vetere instituto transformavit nos, ut cæteris omnibus spretis, illi soli fidamus, contemtisque his quæ videmus, ea speremus ab illo, quæ non videmus.

19 Et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus secundum operationem potentiæ virtutis ejus,

20, 21 Et ante palam declaravit in capite nostro Christo, quem potentia sua è mortuis revocavit ad vitam immortalem, tantumque habuit honoris, ut eum collocaret sibi ad dexteram in regno cœlesti, prælatum omni reliquo principatui, potestati, virtuti ac dominationi: aut si quod aliud est dignitatis potentiæve nomen quod dici possit, his etiam quæ dixi magnificentius, sive in hoc seculo, sive in futuro, ut præsideat non solum omnibus rebus corporeis, ac terrenis, verum etiam spiritualibus, ac cœlestibus.

20 Quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus,

21 Supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro.

22 Et omnia subjecit sub pedibus ejus: & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam,

22 Adeo citra omnem exceptionem, omnia subjecit pedibus illius. Atque quo certiorem nobis faceret spem, nos quoque venturos ad hujus gloriæ consortium, eundem sic universis rebus prælatum, voluit esse caput toti gregi credentium, qui sic Christo cohæret, ut capiti totum corpus connectitur, nec alterum ab altero potest divelli.

23 Porro capitis gloria membris item cæteris communis est: quibus sic præsidet caput, ut sua bona transfundat in singula. Nec corpus absolutum est, nisi caput accedat: & capiti videtur aliquid desiderandum, nisi corpus omnibus membris consummatum accesserit, in quæ singula sic suas dotes transfundit Christus, ut idem impleat omnia, jamque totus & integer vivat ac regnet adglutinatis sibi membris omnibus.

CAP. II.

Blasphemos, iræ gnatos, mera gratia servat:
Nunc unum populum sanguis utrumque facit.

1 ATQVE illud mihi videte, quomodo Pater, quod in Christo completum est, ac post in vobis complendum, jam nunc in vobis quodammodo præstare cœperit. Christus mortuus est & revixit, nunquam posthac moriturus. Non erat ille quidem obnoxius peccato, sed tamen ob corpus assumtum mortalitati erat obnoxius. Porro ut peccatum mors quædam est animi, æternæ mortis præludium, sic innocentia vita quædam est animi, æternæ vitæ primordium. Vitæ autem hujus princeps est Deus, Spiritum nobis suum impartiens. Mortis auctor est Diabolus, habens & ipse suum spiritum, quo afflati rapiuntur ad hujus mundi commoda, nimirum diffisi promissis æternæ vitæ. Christus mortuus est ob nostra commissa, & revixit, ut nobis fidem faceret immortalitatis futuræ.

2 In quibus aliquando ambulastis secundum seculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris hujus, spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ,

2 Ad hujus interim imaginem vos quoque per baptismum insiti Christo, mortui estis peccatis, ac vitiis vestris: in quibus dum male viveretis, vere fuistis mortui, nihil amantes, nisi mortiferas bonorum umbras, quibus hic mundus ad tempus imponit his, qui carent Spiritu Dei, sed aguntur spiritu Satanæ, cui nunc interim tyrannis est permissa in hunc aerem inferiorem. Hujus, inquam, spiritus, & ipse vim quandam suam exserit, in his qui diffisi promissis Euangelicis, summam felicitatis collocant in rebus visibilibus ac fluxis: nec audiunt Deum Patrem ad veram felicitatem invitantem, malentes impio crudelique servire Domino, cui quondam serviistis.

3 In quibus & nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum, & eramus natura filii iræ, sicut & ceteri.

3 At non vos tantum, verum nos etiam omnes. Quanquam enim Lex nos arceret à cultu simulacrorum, tamen omnis vita erat contaminata cupiditatibus noxiis rerum corporalium, quarum arbitrio vivebamus, facientes non ea, quæ dictabat Spiritus ille cœlestis, sed quæ nostra mens turpibus affectibus dedita nobis dictabat. Quibus rebus fiebat, ut quemadmodum qui Christo per fidem adglutinantur, pertinent ad hæreditatem filiis obedientibus promissam: ita nos velut immorigeri filii, ad diversam hæreditatem pertineremus: nimirum ejus consortes, cui nos junxeramus. Ea est mors æterna, quæ debetur impiis. Huic igitur eramus & nos addicti, quemadmodum cæteri, quod quidem ad nos attinebat. Nostra sponte nosmet illi addixeramus, nec erat virium nostrarum explicari ab ea servitute longe miserrima.

4 Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos,

4 Mortem nostram audistis, exitium audistis, sed unde vita, unde salus? Haudquaquam ex nostris meritis, nec ex Legis Mosaicæ beneficio. Unde igitur? Nimirum ex gratuita largitate Dei Patris, cujus tam opulenta est benignitas, tantaque pietas erga genus humanum, ut non solum non animadverterit in nos, sicut eramus commeriti.

5 Et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, (cujus gratia estis salvati)

5, 6 Verum etiam cum essemus mortui propter peccata nostra, una cum Christo revocarit nos ad vitam, (non erat, inquam, hoc meriti nostri, gratuitum est quod donat) neque tantum revocavit ad vitam cum Filio, verum etiam evexit nos ab his humilibus rebus ad cœlestia, atque ibi nos collocavit per Christum Jesum, per quem habemus communiter, quicquid habet ille, caput nostrum: ac nunc spe possidemus, quicquid mox sumus re ipsa possessuri.

6 Et conresuscitavit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu:

7 Idque ita visum est illi, quo tempore resurrectionis, cum apparebunt illius promissa, declaret cumulatissimam beneficentiam suam, quam pro sua gratuita benignitate voluit effundere in nos, non ob benefacta nostra, sed ob merita Christi Jesu.

7 Ut ostenderet in seculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu.

8 Sæpius enim iterandum est, quod oportet altissime infixum esse vestris pectoribus. Gratuitum est, inquam, quod ab exitio, quo tenebamini, salutem estis consequuti, ne vos occupet quorundam Judæorum error, qui servandis Mosaicæ Legis præscriptis, sibi promittunt salutem. Vos fidei debetis vestram salutem, qua credidistis Euangelio, atque eam ipsam non est quod vobis arrogetis. Prior ille dilexit vos, & attractis dedit, ut ipsum redamaretis.

8 Gratia enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est;

9 Idem gratis fidei donum infudit, per quam depulsa

9 Non ex

21 Quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur. 1 Et vos, cum essetis mortui delictis & peccatis vestris,

operibus, ut nequis glorietur.

pulsa caligine, cerneretis veritatis Euangelicæ lucem. Illius igitur munificentiæ totum est adscribendum : nec est quod quisquam hinc, tanquam de suo glorietur.

10 Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.

10 Quod conditi sumus, Deo debemus. Rursum quod per fidem ac baptismum renati sumus, ac veluti rursus alia ratione conditi, semoti à consortio parentis Adæ peccatoris, & insiti Christo, innocentiæ principi, ut posthac hujus ope atque exemplo vacemus officiis veræ pietatis, positoque vetere homine ; novum hominem novis actionibus præstemus, adeoque nostri dissimiles simus, ut merito neget quis eosdem esse. Nam ideo nobis Deus per Euangelicam doctrinam ostendit præmium immortalitatis, ut ad eam innocentia vitæ, rectèque factis enitamur. Nec enim otiosa res est fides Euangelica, sed comitem habet individuam caritatem, quæ plus officiorum impetrat ab ultroneis, quam ulla præscripta Legis extundere queant à coactis. Non vobis imponitur jugum Legis Mosaicæ, sufficit una Lex Christianæ caritatis ad omnem officiorum functionem. Nec Judæi suæ Legi debent hanc salutem, sed vos tamen hoc magis debetis divinæ beneficentiæ, quo longius abfuistis à cultu Dei, veraque religione.

11 Propter quod memores estote, quod aliquando vos Gentes in carne, qui dicimini præputium, ab ea quæ dicitur circumcisio in carne, manu facta :

11 Proinde quo magis intelligatis, quantum debeatis largitati divinæ, quod nunc tales sitis, meminisse debetis, quales aliquando fueritis. Eratis enim aliquando Gentes, certe juxta corporalem generis distinctionem, quas Judæorum Natio, carnali, & quæ manu fit, circumcisione glorians, ignominioso vocabulo præputiatos appellat, pro profanis & abominandis ducens, & existimans hanc felicitatem, etiam olim Prophetarum oraculis promissam, ad se peculiariter pertinere : nec intelligens eos demum apud Deum immundos haberi, qui mentem habeant incircumcisam.

12 Quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conversatione Israel, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo.

12 Sed eratis vos id temporis, corporibus simul atque animis incircumcisis, hoc Judæis abjectiores ac deploratiores, quod Christum vobis nec sperabatis, utpote prorsus alieni à jure consortioque Gentis Judaicæ, cui peculiariter ille videbatur esse promissus, extorres à pactis Dei, quibus ille pollicitus fuerat, cum Abrahæ Gentis auctori diceret Gen. XXII. *Per semen tuum benedicentur omnes Gentes.* Nec videbatur ulla spes reliqua servandi vestri, cum Dæmonum cultores in hoc mundo verum Deum ignoraretis, cum illi Deum suum appellarent, & ille vicissim eos suum populum diceret.

13 Nunc autem in Christo Jesu, vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi.

13 At simulatque effulsit Euangelii veritas, rerum vices invertit Christus, efficiens ut vos, qui quondam videbamini nihil ad Deum pertinere, nunc sitis illi conjunctissimi, non per circumcisionem præputii, sed per sanguinem Jesu Christi, cujus pretio liberi à peccatis vitæ pristinæ, Deo Patri fuistis reconciliati.

14 Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua :

14 Antea diffidium erat vobis cum Judæis, diffidium cum Deo, at Christus auctor pacis & concordiæ sustulit omne discrimen circumcisi, & incircumcisi, sustulit Mosaicæ Legis ceremonias, veluti maceriam quandam, Gentium ac Judæorum concordiam dirimentem, ut jam duæ Gentes prius inter se disjunctissimæ coirent, & coalescerent in unum abolita vetere simultate. Nam ante Christum Gentes à Judæorum observatiunculis, veluti superstitiosis, vehementer abhorrebant, & Judæi his adeo sibi placebant, ut horum expertes exsecrarentur.

15 Legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem,

15 Christus igitur miro consilio Legem invisam in præscriptis ceremoniarum carnalium sitam abolevit & antiquavit, ut nec Judæos alienaret, nec Gentes ejus onere premeret. Ipse enim, cum esset Deus, & idem homo, juxta carnem Legis præscripta servavit, & tamen testatus est salutem, quam juxta spiritum adferebat, ad Gentes non minus quam ad Judæos pertinere : ut jam nec præputium sit abominandum in vobis, nec in illis gloriosa circumcisio, sed abolita Gentis utriusque vetustate, è duabus unam conderet novam, quæ in unum novum hominem Christum coalesceret, servatorem utriusque ex æquo communem.

16 Et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso.

16 Et quemadmodum Judæos ac Gentes inter se conciliarat, ita simul utrosque Deo reconciliavit, ne quid usquam esset, quod pacem dirimeret, sed cœlestia pariter ac terrena, velut in unum corpus coagmentarentur. Mors Christi, quam ille pro nostris peccatis dependit, nos Deo junxit, qui cum nemo pacem habet, qui peccatis est obnoxius. Ea quoniam ex æquo impensa est & Gentibus, & Judæis, non est cur alteris alteri se præferant : præsertim cum pignus etiam, & arrhabo sacri Spiritus, de quo paulo ante diximus, sit utrisque citra discrimen communiter datus.

17 Et veniens euangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis ; & pacem iis, qui prope.

17 Jamque factum videmus, quod olim Esaias afflatus futurum esse prædixit : Christus enim non Judæis tantum obtulit Euangelicam doctrinam, quibus hæc beatitudo videbatur peculiariter esse promissa, quique jam suo quodam modo Dei veri cultores erant : verum etiam vobis, qui procul aberatis, & à cognatione Judaicæ Gentis, & à veri Dei cultu : docens, per mortem suam utrumque gregem ovium in unum ovile coiturum, & unicum pastorem agniturum.

18 Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem.

18 Is nobis aperuit aditum ad Patrem, prius iratum nostris commissis : nec alius aperuit aditum Judæis, quam qui Gentibus ; sed eidem omnes debemus, quod audemus utrique jam ad Patrem propitium accedere, nimirum freti communi Spiritu, qui nostris animis hanc ex æquo inspirat fiduciam.

19 Ergo jam non estis hospites, & advenæ : sed estis cives sanctorum, & domestici Dei :

19 Proinde ne quid vobis displiceatis, quod juxta carnis propinquitatem non sitis oriundi ex stirpe David, aut Abrahæ, aut quod immunes sitis à Lege Mosaica, cum juxta Spiritum sitis cives, consorteſque sanctorum, ad Dei donum pertinentes, quæ non ex Judæis tantum constructur, verum ex omnibus, qui pure credunt Euangelio.

20 Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu :

20 Hujus fundamenta sunt Apostoli Euangelii præcones, & Prophetæ, qui jam olim suis vaticiniis ostenderunt, Euangelii donum omnibus ex æquo fore commune. Huic fundamento vos quoque innitimini.

21 In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino :

21 Porro Jesus Christus hujus ædificii summus ille lapis est, qui in angulo additus, parietem utrumque jungit & complectitur, cujus vi complexuque tota structura credentium, undecunque coagmentata, in dies augescit, ac surgit in templum spirituale, vere sanctum : nimirum ab ipso Domino consecratum.

22 In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.

22 Atque hujus sacræ structuræ vos quoque pars estis, dum veluti vivi lapides, iisdem fundamentis superstructi, & ab eodem lapide angulari comprehensi, puritate mentis ac spiritus, Deo præstatis habitaculum sanctum, & ab omnibus inquinamentis vitiorum & cupiditatum immune. Mosi Templum non recipit nisi Judæos, ad hoc Templum omnes ex æquo pertinent, qui fidem Euangelicam amplectuntur.

CAP. III.

Constrictus : cognosco mysteria Christi :
Prædico divitias, membraque flecto Patri.

1 Hujus rei gratia, ego Paulus vinctus Christi Jesu, pro vobis Gentibus,

1 ID quo firmius etiam credatis, scitote quod ego Paulus, non aliam ob causam his vinculis oneratus sum, non enim ob maleficium, sed ob amorem Domini Jesu Christi, cui, Judæis indignantibus, vos Gentes lucrifacere studeo.

2 Si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis :

2 Si tamen audistis hanc provinciam ab ipso Christo mihi delegatam, ut Euangelicam salutem, quam antehac quidam ad solos Judæos arbitrabantur pertinere, dispensarem quaquaversum & inter Gentes, quarum de numero vos estis.

3 Quoniam secundum revelationem

3, 4 Hoc arcanum antea celatum aliis Apostolis,

Digitized by Google

notum mihi factum est sacramentum, sicut supra scripsi in brevi:

mihi potissimum Christus aperuit, quemadmodum & ante paucis cœpimus attingere, cum aliis Nationibus scriberemus, ex quorum lectione poteritis agnoscere, mihi non esse ignotum Christi arcanum consilium, qui cum Ananiæ prædixit fore, ut nomen suum circumferrem inter Gentes, tum ipse mihi jussit, ut ipsius legatione functurus irem ad Gentes procul semotas.

4 Prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi:

5 Id prius videbatur abominandum, ut impii & simulacrorum culturæ dediti, vocarentur ad Euangelii consortium, licet Deo sic decretum fuisset, jam olim ante conditum terrarum orbem, & utcunque Prophetis per afflatum patefactum:

5 Quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus, & Prophetis in Spiritu.

6 Tamen haud perinde mortalium generi fuerat patefactum, quemadmodum nunc est per me, Gentes absque Legis Mosaicæ præsidio per solam fidem Euangelicam consequi salutem, adeo ut primores etiam Apostolorum non ausi sint incircumcisos ad baptismum admittere. Nunc autem palam factum est sanctis Apostolis Christi, hujusque Prophetis, afflatu Sancti Spiritus, Gentes sic per fidem esse conglutinatas Judæis, ut & in ejusdem hæreditatis venerint consortium, & in idem corpus coaluerint, gaudentes communi capite Christo, ac per hoc simul omnium promissorum participes sint facti, quæ manent eos, qui fidem habent Euangelio Christi:

6 Gentes esse cohæredes, & concorporales, & compartícipes promissionis ejus in Christo Jesu per Euangelium:

7 Cujus Euangelii prædicandi mihi delegata est auctoritas: nec desum mandatæ provinciæ, usque ad carceres & compedes, hactenus constanter laborans in Euangelii negotio, non quod ipse meis viribus par sim tam arduæ provinciæ, sed is, qui delegavit hoc munus, idem de suo addit opem suam. Qua fit, ut meis præsidiis imbecillis & invalidus, illius beneficio fortis sim atque intrepidus adversus omnium malorum procellas.

7 Cujus factus sum minister, secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum operationem virtutis ejus.

8 Non jacto meam dignitatem, fateor me minimum esse sanctorum, sed tamen huic minimo placuit divinæ bonitati, concredere negotium longe maximum, ut inter Gentes, antehac prorsus ignaras Dei, promulgem, ac prædicem investigabiles divitias Christi, quas affatim offert omnibus:

8 Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, In Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi,

9 Utque quod antea latebat, in lucem proferam, nunc esse dispensandum in omnes nationes Euangelii beneficium, quod ante putabatur solis Judæis esse delatum, licet ab æterno secus erat Deo decretum, rerum universarum & conditori & moderatori.

9 Et illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creavit.

10 Sed hoc divinæ mentis suæ consilium hactenus arcanum esse voluit, quod hisce temporibus adeo voluit esse palam, idque per Ecclesiam suam, in quam tantum spiritualium dotium effundit, ut multiplex illius sapientia, quæ miris consiliis dispensat omnia, per mortem largiens vitam, per ignominiam adducens ad gloriam, per humilitatem illustrans Dei majestatem, quod olim nemo potuisset suspicari, nunc innotescat, non solum orbi terrarum, verum etiam principibus, ac primoribus Angelicarum mentium, atque etiam Dæmonum, qui in cœlis, summaque aeris parte versantur:

10 Ut innotescat principatibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei,

11 Quæ tametsi suspicari poterant fore, ut genus humanum aliquando redimeretur, tamen illud latebat, quibus rationibus id ab æternis seculis sapientia divina facere decrevisset: id quod tum demum innotuit, posteaquam Filium suum misit in terras, qui assumto corpore humano, modis ineffabilibus sibi assereret, atque adglutinaret Ecclesiam, cujus ipse caput esset Jesus Christus Dominus noster:

11 Secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro:

12 Per quem ut contigit nobis innocentia, nimirum abolitis peccatis nostris, ita contigit fiducia, ut tanquam filii non vereamur ad Patrem accedere, cujus irati vultum antea non fuissemus ausi obtueri. Quid enim non audeamus freti tali capite, quod haudquaquam finit ullum membrorum suorum perire, quantumvis hic interim affligamur.

12 In quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem ejus.

13 Hoc arcanum Dei consilium, quoniam fortiter ubique prædico, vehementer affligor ab iis, quibus id nondum persuaderi potest. Sed obsecro vos, ne quid vos perturbent, aut dejiciant afflictiones meæ, quas vestra causa patior. Nec est quod vos pudeat hujus Apostoli, compedibus onusti. Nam quemadmodum Christi crux nostra est gloria, ita meæ compedes, quas non ob flagitia, sed ob Euangelii sinceritatem gesto, vobis decori sunt, non probro. Etenim quo plus malorum infracto animo ferimus ob Euangelium Christi, hoc pleniorem fidem fatimus, non esse vana Christi promissa, quorum spe fulti, nullis hujus vitæ malis labefactamur. Neque mihi solum glorioſum est ob Euangelii negotium affligi, verum omnibus etiam Christo initiatis pulchrum fuerit auctoris & capitis sui exemplum sequi.

13 Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis: quæ est gloria vestra.

14, 15 Atque hac sane gratia, flexis genibus ex intimo mentis affectu deprecor Deum patrem nostrum, eundemque Patrem Domini nostri Jesu Christi, à quo ceu summo capite pendet omnis cognatio spiritualis, qua conglutinantur sive Angeli in cœlis, sive fideles in terris, & à quo uno ceu fonte proficiscitur, quicquid ad veram felicitatem pertinet:

14 Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi,

15 Ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur,

16 Ut quemadmodum cœpit exuberantem suam gloriam declarare in vobis, ita magis ac magis augeat suam erga vos munificentiam: ut qui per baptismum estis insiti Christo, quasique denuo nati, quotidianis auctibus robur ac vires colligatis, non juxta corpus, sed juxta mentem atque animum: idque semper augescente in nobis dono paterni Spiritus, per quem fortes & invicti reddimur adversus omnia terriculamenta persecutionum:

16 Ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem,

17 Eaque sit fidei vestræ firmitas, ut existimetis Christum nusquam vobis non adfuturum, imo potius habitare in intimis cordibus vestris, idque ob fiduciam, qua vos totos illi creditis. Nam iis adest maxime, qui suis opibus diffisi, toti ab ipsius auxilio pendent. Id fiet eo magis, si fidei Euangelicæ junxeritis caritatem Euangelicam, & sic adjunxeritis, ut ea penitus insideat animis vestris, ac radices agat, ut hoc stabili fundamento nixi fultique grandescatis spiritu vestro, Deique immenso Spiritui aliquo modo respondeatis:

17 Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati, & fundati,

18 Ut jam adulti eo proficiatis capacitatis, ut non solum cum Judæis, verum etiam cum universa multitudine sanctorum, quæ per fidem Euangelicam adglutinatur in corpus Christi, possitis comprehendere, quam in immensum se porrigat Dei patris bonitas, quamque non angustis finibus cohibeatur: altitudme ad Angelos usque se proferens, profunditate ad inferos usque penetrans, longitudine ac latitudine ad omnes hujus mundi plagas sese dilatans:

18 Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum:

19 Simulque possitis intelligere inæstimabilem Christi caritatem erga genus mortalium, cujus cognitio præpollet omni scientiæ* humanæ quantumvis excellenti. Atque his dotibus sic augescatis, ut ceu robusta perfectaque membra tam insigni capiti, tamque sublimi Patri respondeatis. Quemadmodum enim corporalis nativitas habet ætatum gradus, habet auctus suos, habet & metam, quoad adolescere detur: ita & hæc spiritualis generatio habet suam infantiam, habet adolescentiam, habet & perfectæ jam & adultæ ætatis robur.

19 Scire etiam supereminentem scientiæ claritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.

20 Hæc, inquam, flexis genibus peto frequenter à Patre Deo, magna quidem illa, longeque supra vires humanas, sed ab eo peto, cujus est tanta potestas, ut nihil à nobis queat excogitari tam ingens, quin ille possit longe majora: tam bonus ac benignus, ut sua liberalitate non modo æquet vota nostra, verum etiam spem superet. Neque enim hîc quicquam nostris vel meritis, vel viribus agitur. Nos nihil aliud sumus, quam organum potentiæ divinæ, quæ vim suam exserit in nobis.

20 Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quæ operatur in nobis:

21 Hujus igitur largitati transcribenda est omnis gloria, quæ relucet in Ecclesia per Christum Jesum, cujus

21 Ipsi gloria in

* Alia Editio, *sapientiæ.*

Digitized by Google

Ecclesia, & in Christo Jesu, in omnes generationes saeculi saeculorum. Amen.

cujus commercio dotes tantas possidet: atque hujus gloriæ nullus erit finis, sed per omne ævum perseverabit in æternum, quemadmodum & Ecclesia Christi nullum finem est unquam habitura. Quod dixi certum est, & indubitatum.

CAP. IV.

Digne vive: colas pacem: sunt plurima dona: Priscus homo valeat: nil mali ab ore fluat.

1 Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis,

1 QVONIAM igitur intelligitis, à quam abjecta conditione, ad quantam dignitatem, à quanta desperatione, ad quam eximia præmia vocati sitis, obtestor vos per has catenas, quibus non ob mea facinora, sed ob Dei gloriam, & vestram salutem vinctus sum, ut quod superest, vestræ professioni, Deique erga vos benignitati, morum innocentia respondeatis.

2 Cum omni humilitate, & mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate,

2 Id fiet, si professionis dignitas non reddet vos elatiores ac ferociores, sed tota vitæ consuetudo præ se ferat in omnibus veram animi modestiam, mansuetudinem, ac lenitatem.

3 Solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis.

3 Neque per fastum alius alium despiciat, sed per mutuam caritatem vos invicem toleretis, potius ad tempus obsecundantes alienæ infirmitati, quam dum suum quisque jus mordicus tuetur, scindatur concordia & unanimitas, qua per vinculum pacis estis connexi conglutinatique.

4 Unum corpus, & unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ.

4 Nec enim convenit eos inter se dissidiis animorum distrahi, quibus tam multa sunt communia. Unum corpus estis omnes, ab uno pendetis capite, eundem Christi Spiritum hausistis omnes, quin & ad eandem hæreditatis spem ex æquo vocati estis omnes.

5 Unus Dominus, una fides, unum baptisma.

5 Unus est omnium Dominus Jesus Christus, eadem est omnibus fidei professio, unum omnium baptisma, quod ex morte Christi, æqualiter efficax est in omnes qui credunt Euangelio, sive præputiati sint, sive recutiti.

6 Unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.

6 Postremo unus est Deus & pater omnium, qui velut princeps & auctor universorum sic præsidet nobis omnibus, ut interim Spiritu suo, quo nos moderatur, fusus sit per omnes, semperque nobis præsens & opitulans inhabitet in omnibus. Unius igitur est quicquid in nobis est bonarum rerum.

7 Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.

7 Nec illud officere debet nostræ concordiæ, quod hujus dotes, nec eædem, nec pares eminent in omnibus, nihilo magis profecto, quam distrahi videmus membrorum inter ipsa consensum, quod nec ad usum eundem æque valeant omnia, nec pariter sentiant capitis influxum. Imo hæc ipsa varietas magis invitare debet ad concordiam. Etenim dum nulli cuipiam membrorum omnia sua præsidia constant ex sese, fit ut singula alterius egeant officio, nec sit quod aliud possit aliud contemnere. Cæterum hæc donorum partitio non à nobis, sed à Dei pendet arbitrio, qui cuique sua beneficia dispensat largius aut parcius, utcunque perspexerit expedire. Non est cur fastidiatur, qui minus habet: nec est cur cristas tollat, qui plus habet. Illud dispensantis est Dei, hoc largientis, licet omnia per Christum, qui simul hæc largitur cum Patre.

8 Propter quod dicit: Ascendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus.

8 Nimirum hoc erat, quod olim divini Numinis afflatu prædixit Psalmographus Ps. LXVII. Jam enim Christus debellatis inferis, adscendit redivivus in sublime regnum Patris, secum adducens victoriæ suæ trophæum, captivorum gregem è peccati Diabolique tyrannide liberatum: atque inde ex liberalitate Patris per cœlestem Spiritum dedit varia donorum genera, inter homines dispartiens, quemadmodum triumphantibus est solenne, missilia in populum è sublimi spargere. E cœlo misit dona, & cœlestia misit.

9 Quod autem ascendit, quid est,

9 Porro quod dicitur adscendisse: nonne consequitur eum aliquando descendisse? Nec descensus est nisi è sublimi. Prior est descensus, posterior adscensus. Nam sublimitatem non meretur, nisi humilitas, suique dejectio.

nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ?

10 Porro summam humiliationem summa consequitur sublimitas. Christus è summo cœlo, quo nihil esse potest sublimius, demisit sese usque ad inferos, quibus nihil esse potest inferius. Atque ob id meruit, ut rursum subveheretur ultra cœlorum omnium fastigia, ita nobis subducens corporis sui præsentiam, ut è sublimi cœlestibus donis impleret omnia, & alia quadam ratione jam nobis adesset efficacius quam adfuerat, cum nobiscum in terris versaretur.

10 Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.

11 Non deservit suum corpus, sed ita partitus est singulis membris suas dotes, ut in universo nihil desideretur, licet aliis dotibus alia præpolleant. Quosdam enim voluit esse præcipuos, velut Apostolos, principes, & auctores Euangelicæ prædicationis: quosdam vero Prophetas, qui Mosaicæ Legis involucra norint explicare: quosdam Euangelistas, qui Apostolorum fungentes vicibus, obambulantes circumferant Euangelium: quosdam rursus Pastores, ac Doctores, velut Episcopos, qui pabulo sacri sermonis, ac salubri vitæ exemplo pascant Christi gregem:

11 Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem pastores, & doctores,

12 Ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi:

12 Atque item cæteros, alios aliis dotibus instruxit, ut ex his omnibus in unum collatis consummaretur sanctorum cœtus, sic instructus ad omnem officii functionem, & perfectum Christi corpus omnibus sui membris coagmentatum, sic interim mutuis præsidiis foveatur, atque interim membrum validius imbecilliori morigeretur, & imbecillius ad robustiorum exemplum enitatur.

13 Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi:

13 Donec tandem omnes perveniamus ad par fidei robur, similique perfectione cognoscamus Filium Dei: cujus auxilio sic grandescamus secretis animorum auctibus, ut tandem evadamus in virum perfectum, ac juxta modum nostrum perfectissimo capiti respondeamus, in quo nihil fuit nec imbecillitatis, nec erroris, nec vitii.

1 Ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.

14 Est ætas corporum, quæ plenum robur addit membris omnibus, & omnem pueritiæ mollitudinem depellit. Est huic similis profectus in progressu pietatis, quo connitendum est omnibus, ne posthac simus quod olim fuimus, ritu puerorum incertis opinionibus fluctuantes, nec ullis certis decretis de paranda felicitate nixi, sed veri inanes, nunc in hanc, nunc in illam sententiam, quovis doctrinæ vento circumferamur, puerili simplicitate præbentes nosmet hominum quorundam versutiæ calliditatique, non hoc agentium, ut nos Christum sincere doceant, sed ut nos callidis artibus adorti capiant illaqueatos imposturis suis, vel ratiocinationibus Philosophorum, vocantes in dubium, quæ per fidem oportet esse indubitata, vel pro veritate Euangelica, Mosaicæ Legis umbras nobis obtrudentes.

1 Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus:

15 Sed potius semel amplexi veritatem Euangelicam, huic jungamus sinceram erga mortales omnes caritatem, huc indefatigabili studio contendentes, ut pariter & in cognitione veri, & in caritatis officiis assidue proficientes, efficiamus, ut omnia membra suo capiti respondeant. Caput autem nostrum est Christus, qui & ipsa est veritas, & sic dilexit nos, ut semetipsum nobis servandis impenderit.

16 Ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem junctturam submini-strationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum

16 Huic membra congruant oportet. Ab hoc enim vitalis ille spiritus defluit in totum corpus, è diversis membris ordine sibi cohærentibus compactum & coagmentatum, per omnes artuum commissuras penetrans: quod non fieret, nisi mutua concordia partes corporis sibi jungerentur, ut eis spiritus à membro in membrum possit dimanare. Neque enim manus aut pes amputatus particeps esse possit virtutis à summo capite proficiscentis. Verum, dum omne corpus sibi conglutinatum est, fit ut in singulis membris pro suo cujusque captu atque ordine Christi Spiritus vim suam exserat: dumque membra omnia mutua caritate sibi vicissim student esse usui, totum

Digitized by Google

corporis facit in ædificationem sui in charitate.

corpus augescit, validumque ac vegetum redditur, haudquaquam cessurum ventis opinionum falsarum, huc atque illuc sollicitantibus, ut à vero deflectat.

17 Hoc igitur dico, & testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut & Gentes ambulant in vanitate sensus sui,

17 Horum igitur omnium, quæ tot involucris significare volui, summa hæc est. Non solum moneo, verum etiam obsecro, & obtestor vos per Dominum Jesum, cui debetis vestram salutem, ut posteaquam estis illi semel insiti, congruatis cum illo, non solum sinceritate fidei & dogmatum veritate, verum etiam integritate vitæ. Cum de numero Gentium essetis illorum gregi respondebatis, nunc alios factos, & in Christum renatos, alii decent mores. Gentes, quoniam Euangelii veritatem non perceperunt, ducuntur vanis opinionibus, muta simulacra colentes pro Deo, & hujus mundi commodis temporariis felicitatem metientes, atque ideo mortua colunt, ac perituris rebus inhiant, quod ignorent veram atque æternam vitam, qui Deus est.

18 Tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei, per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum,

18, 19 Atque is quoniam cerni non potest, nisi purgatis oculis animi, idcirco ab illis non cernitur, qui cor habent malarum cupiditatum tenebris ac diffidentiæ nebulis obscuratum, imo potius excæcatum: suisque vitiis relicti, tandem eo malorum venerunt, ut ceu desperantes reditum ad meliorem frugem, & ad sensum felicitatis* suæ velut obsurdefacti, præcipites abierint in omne probri genus, insatiabili libidine patrandi, quicquid est impudicitiæ, etiam usque ad eas species, quas turpe sit vel nominasse.

19 Qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam.

20, 21 Sed multum ab iis dissidet Euangelica doctrina, à qua didicistis non humanas & stultas opiniones, sed ipsum Christum, omnis innocentiæ fontem atque exemplum, si tamen vere illum audistis intus loquentem, & vere per illius Spiritum estis edocti, ut ipsi pro viribus sedulo imitemini, quæ vere fuerunt in Jesu: videlicet, ut quemadmodum ille nulli vitio fuit obnoxius, jamque victor mortis, fruitur immortalitatis gloria.

20 Vos autem non ita didicistis Christum,

21 Si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu.

22, 23, 24 Ita & vos in illum renati, exsuatis veterem hominem primam illam originem malis ac mortiferis cupiditatibus referentem, jamque novo homini Christo per baptismum insiti, renovemini & vos cum illo, non quidem juxta corpus, sed juxta mentem, in quam potissimum agit Spiritus Christi, ac deposita pristinæ vitæ vetustate, induatis novum hominem, qui spirituali quadam ratione conditus est nuper in vobis opificio divino: conditus autem ceu per metamorphosin quandam, ut abolita injustitia, succederet innocentia, & ablata immunditia cupiditatum humanarum, succederet sanctitas Euangelicæ veritatis.

22 Deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris.

23 Renovamini autem spiritu mentis vestræ,

24 Et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.

25 Hanc igitur ubique sectantes, nolite vobis invicem mendaciorum fucis imponere, sed & apud se quisque quod est verum sentiat, & veris agat cum proximo, memor omnes nos ejusdem corporis esse membra, ut nemo jam alteri nocere possit, nisi simul & sibi ipsi noceat.

25 Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: quoniam sumus invicem membra.

26 Perfectum est ira non tangi, sed si ob imbecillitatem humanæ naturæ nonnullus iræ impetus perstringat animum, memores quid admoneat sacer ille Psalmographus Ps. IV. sic iram erumpere gestientem cohibete, ut non exeat in convitium, aut injuriam, aut odium. Sit autem non solum innoxia, verum etiam brevis ira vestra, quæ citius animos vestros relinquat, quam Sol terram. Ne cum illa fervere desierit noctis adventu, vos nihilo secius interim æstuetis iracundia.

26 Irascimini, & nolite peccare: sol non occidat super iracundiam vestram.

27 Sola concordia vos tutos reddat adversus insultum Diaboli, ea si scindetur odiis & offensis mutuis, aperietur hosti rima, per quam irrumpat in vestrum exitium. Adversus unanimes imbecillis est, adversus dissidentes potens. Huic locum dabitis, si locus dabitur odio.

27 Nolite locum dare diabolo:

* Alia Editio, *infelicitatis.*

28 Qui juxta pristinum vitæ institutum furto compilabat alios, jam non solum temperet ab alienis, verum etiam ultro de suis impartiat. Quod si desit facultas, ne gravetur honestis laboribus manuum parare, unde subveniat egenti.

28 Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.

29 Nec satis est habere manus continentes, nisi & lingua sit innoxia. Variis modis solet esse pestilens mala lingua, turpiloquio inficit, obtrectatione infamat, delatione jugulat, mendacio perjurioque fallit. Nullus itaque sermo malus proficiscatur ex ore vestro. Mentis imago est oratio. Si mente pura estis, non convenit exire sermonem impurum. Neque satis est, ut innoxius sit hominis Christiani sermo, imo talis esse debet, ut in tempore, & ad usum depromtus, fructum adferat audientibus.

29 Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei: ut det gratiam audientibus.

30 Quod si secus feceritis, non solum offendetis homines, inutili, intempestivo, aut noxio sermone, verum etiam Spiritum Dei Sanctum, habitatorem mentium Christianarum, per quem animi corporaque vestra velut obsignata sunt Deo. Decet autem, ut hoc signaculum inconfusum & illibatum exhibeatis in illo die, cum accipietis præmium innocentiæ vestræ, secreti à grege malorum. Fugatur vero & offenditur hic Spiritus omni turpitudine, nec patitur cum ira, cum vindicta, cum turpiloquio commercium. Placidus, benignus, ac beneficus est, quem si vere hausistis, procul faceſſat à moribus vestris omnis amarulentia, tumor ac ferocitas.

30 Et nolite contristare spiritum sanctum Dei in quo signati estis in diem redemptionis.

31 Iracundia, vociferatio, convitium adeo faceſſat, ut nec in animo resideat ullum malitiæ fermentum, unde solent hæc pullulare mala.

31 Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitia.

32 Quin potius sitis inter vos comes ac faciles, & ad miserendum propensi, condonantes & ignoscentes vobis mutuo, si quid admissum erit per errorem & humanam imbecillitatem: ignoscentes, inquam, ob Christum, quando Deus vobis per Christum condonavit semel omnia vestra commissa, atque hac lege condonavit Dominus servis suis, ut ipsius exemplo, conservis vicissim ignosceremus. Nec enim alia ratione constare potest inter mortales concordia, nisi se vicissim in humanis erratis ferant.

32 Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut & Deus in Christo donavit vobis.

CAP. V.

Ethica de scortis, linguæ vitiis & avaris, Occultis, vino, conjugibusque docet.

1 Proinde quando per Spiritum Sanctum estis filii Dei, facite ut parentem sanctimonia vitæ referatis, quo digni sitis quos ille perpetuo diligat.

1 Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi:

2 Sic autem obtinebit ille perpetuam erga vos caritatem, si vos mutuam inter vos caritatem obtinueritis. Quanta fuerit Patris erga nos caritas, Filius illius declaravit, qui sic impense dilexit nos, ut non solum gratis condonarit omnia peccata, verum etiam semetipsum exposuerit supplicio crucis, ut hoc sacrificio, victimaque fragrantiæ vere suavis apud Deum Patrem, placatus ille ex offenso nobis redderetur propitius. Hanc caritatem si ut decet æmulabimur, non solum faciles erimus, si quid erit in nos admissum, verum etiam pro salute proximi, si res ita ferat, non dubitabimus capitis adire discrimen.

2 Et ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.

3 Jam vero quid attinet vos à fœdioribus illis & crassioribus vitiis deterrere, quod genus sunt scortatio, & si quod est aliud turpitudinis genus: item pecuniæ studium insatiabile: à quibus portentis in tantum oportet abesse mores Christianos, ut inde-corum sit hæc inter illos vel nominari. Sunt enim res quædam adeo exsecrabiles, ut purus & castus animus etiam à commemoratione abhorreat.

3 Fornicationem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos;

4 Decet autem sanctos, ut non solum vita pura sit ab omni turpitudine, verum sint & ore casto puroque. Neque satis esse putemus, si vita & oratio abſit à turpitudine, nisi sermo noster abhorreat

4 Aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet;

Digitized by Google

sed magis gratiarum actio.

& à ſtultis ac frivolis fabulis, & ab inanibus jocis, ac ſalibus, quæ ut in aliis vel ferantur, vel etiam laudentur, certe Chriſtianis non congruunt, quibus ad cœlum properantibus, aſſidue bellum eſt cum vitiis, & bellum tam periculoſum, ut otium non ſit ſimilibus nugis riſuique indulgere. Flendum potius, aut ſi exhilarandus eſt animus ob bonæ rei ſucceſſum, Hymnis, quibus Deo gratias agimus, eſt exhilarandus.

5 Hoc enim ſcitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hereditatem in regno Chriſti & Dei.

5 Neque vero me clam eſt, eſſe Philoſophos, qui doceant, Veneris uſum extra matrimonium non eſſe flagitium, quod humanis legibus non puniatur; Pecuniæ ſtudium non eſſe ſcelus, quod huic malo nulla ſit pœna. Verum, vos illud ſcire volo, quod quiſquis ſcortator ſit, aut alio genere libidinis inquinatus, aut avaritiæ deditus, qui quoniam in re muta factitiaque præcipuum ſuæ felicitatis præſidium collocat, non multum abeſt à cultu ſimulacrorum, non admittetur ad hæreditatem immortalis vitæ, quam ſuis promiſit Deus cum Chriſto communem. Hæc pœna ſi vobis videtur levis, credite iis, qui vobis perſuadere conantur hæc eſſe levia peccata.

6 Nemo vos ſeducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.

6 Ne ſinite vobis imponi vanis ac frivolis iſtiuſmodi ſermonibus, magis auſcultate doctrinæ Euangelicæ. Siquidem propter hujuſmodi vitia, etiamſi legibus humanis non puniantur, tamen ultio divina ſævire ſolet in filios inobedientes, qui diffiſi promiſſis paternis, in hujuſmodi rebus felicitatis præſidia ponunt.

7 Nolite ergo effici participes eorum.

7 Semel ab iſto hominum commercio vos ſemoviſtis, profeſſi Chriſtum, cavendum igitur, ne veſtra vita congruat cum illorum vitiis, quorum profeſſio diſſidet ab illorum inſtituto.

8 Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate:

8 Hactenus erratum eſt ignorantiæ tenebris, eas omnes diſcuſſit exorta veritas Euangelii: & vos olim in nocte verſabamini, ac nocturna dedecora patrabatis. Nunc Deus per Euangelicam lucem illuſtravit mentem veſtram, ut quæ prius ſuavia videbantur, nunc cernatis quam ſint exſecranda. Nox pudorem non habet, tegitque multa, quæ nullus auderet clara luce facere.

9 Fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & juſtitia, & veritate:

9 Sic igitur vitam omnem componite, ut memineritis vos in luce vivere, ſemper conſpicuos oculis Dei. Frequenter impingit, qui noctu facit iter, non enim cernit quid vitare debeat. Lux enim hunc habet fructum, quod indicat quid ſequendum ſit, quid fugiendum.

10 Probantes quid ſit beneplacitum Deo:

10 Docet enim ubique vitandam eſſe malitiam, maledicentiam, ac ſimulationem, proque his ſectandam bonitatem, juſtitiam, ac veritatem, & in genere ſemper illud ſpectandum, non quid arrideat hominibus, non quid ſuave ſit, aut expediat nobis, ſed quid acceptum ſit voluntati divinæ, ad cujus nutum omnis noſtra moderanda eſt vita.

11 Et nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite.

11 Ille fons eſt lucis noſtræ, cui ſemper adhærentes vacabitis frugiferis & honeſtis pietatis officiis, ac luce dignis, pudebitque poſthac habere commercium cum infrugiferis operibus tenebrarum. Tantum autem abſit ut in priſtinas tenebras revolvamini, ut veſtra potius luce prodatis & arguatis ea dedecora, quæ illi in ſuis tenebris perpetrant.

12 Quæ enim in occulto fiunt ab ipſis, turpe eſt & dicere.

12 Nam quando Deum non verentur, quoties nox aut ſecretum ademit pudorem, quæ tum patrant ejuſmodi ſunt, ut fœdum ſit etiam commemorare. Sed quamdiu nulla luce prodente peccant, licenter & impune peccant.

13 Omnia autem quæ arguuntur à lumine manifeſtantur: omne enim quod manifeſtatur, lumen eſt.

13 At quoties admota luce proditur, tum incipit agnoſci fœditas rei. Prodita vero vertuntur in melius, ac corriguntur, nocte videlicet verſa in diem, & animi cæcitate depulſa. Quod ſi veſtra vita lux fuerit, pudebit illos ſuæ turpitudinis veſtra innocentia conſpecta, atque ita fiet, ut veſtris caſtis ac ſanctis moribus excitati expergefiant ad innocentiam, ſi viderint in vobis emicare lumen Chriſti.

14 Nimirum illud eſt, quod dicit oraculum Eſ. LX. *Expergiſcere qui dormis & exſurge à mortuis, & illuceſcet tibi Chriſtus.* Lethalis eſt ſomnus, imo mors eſt, obrutum eſſe voluptatibus hujus mundi, nec attollere oculos ad æterna veraque bona. Nec aliter poſſunt expergiſci, nec aliter reviviſcere, niſi Chriſtus mentibus illorum exortus, diſpulerit craſſiſſimas tenebras ignorantiæ.

14 Propter quod dicit: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.

15, 16 Vos autem Epheſii, quibus prælucet Chriſtus Sol noſter, etiam atque etiam circumſpicite, quibus modis ambuletis, non jam viventes Gentium more, quæ ob mentis cæcitatem non ſapiunt quid ſit honeſtum, ſed uti decet eos, qui vere ſapiunt Euangelicam doctrinam, omnium rerum diſpendio redimentes iſtam oportunitatem parandæ ſalutis, quæ hoc avidius eſt rapienda, quod grave ſit hoc tempus, & undique multa ingruant, quæ poſſint incautos parumque providos à ſinceritate doctrinæ Chriſtianæ depellere.

15 Videte itaque fratres, quomodo cauté ambuletis: non quaſi inſipientes,

16 Sed ut ſapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.

17 Propterea vobis magis eſt obſervandum, ne per imprudentiam occaſionem detis impiis, vel ut ipſi ſæviant in Euangelium, vel ut vos avocent à profeſſione veſtra. Hæc eſt veſtræ ſalutis ſumma, atque hic prudentes ſitis oportet, ad reliqua conniventes, ac declarantes vos intelligere, quæ ſit voluntas Domini. Nam is cupit omnes ad Euangelicam ſalutem adduci, ſi fieri poſſit.

17 Propterea nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei.

18 Hoc agentibus conveniet ſobrietas; nam ſocors & incircumſpecta eſt temulentia, neque ſocors tantum, verum etiam præceps ac temeraria. Nolite igitur inebriari mero, quæ res ad luxum pertinet, non ad neceſſitatem, ſed impleamini muſto Spiritus Sancti.

18 Et nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria: ſed implemini Spiritu ſancto,

19 Hæc enim eſt felix ebrietas, quæ vos exſtimulet, non ad laſcivas choreas, aut ineptas cantiunculas, quibus Gentes Dæmones ſuos inclamant, ſed ad Pſalmos, ad Hymnos, ad Cantica ſpiritualia, quibus inter vos exſultetis, cantetis & pſallatis Domino, non indecoris clamoribus, qui mos eſt temulentorum, ſed intus in animis & cordibus veſtris.

19 Loquentes vobiſmetipſis in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino,

Hæc eſt voluptas, hæc caritas *, hæc comeſſatio digna Chriſtianis, ne Gentibus invideant ſua temulenta convivia. Illorum temulenta gaudia mœror excipit, nonnunquam & corporis morbus. Veſtra jugis eſt voluptas.

20 Quicquid enim vobis acciderit, ſeu lætum, ſeu triſte, lætum à propitio Deo, triſte à conſulente veſtræ ſaluti, ſemper oportet pro omnibus gratias agere, certos nihil accidere, quod vobis non cedat in cumulum felicitatis æternæ. Agendæ ſunt autem gratiæ Deo, qui cunctis eſt auctor bonorum omnium, ſed idem Jeſu Chriſto Domino noſtro, & Pater eſt, & Deus, per quem nobis largitur omnia, qui cum ſibi laudem omnium vult eſſe communem.

20 Gratias agentes ſemper pro omnibus, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Deo & Patri.

21 Ille Patri ſe ſubjecit, nos item illi ſubditos eſſe convenit, non quod conveniat Chriſtiano Chriſtianum eſſe terrori, ſed qui Chriſtum ex æquo reverentur, non gravantur ſibi viciſſim cedere, cum ille ſummus omnium, omnibus ſeſe ſubmiſerit. Agnoſcat inferior auctoritatem ſuperioris. At viciſſim ſuperior inferioris modulo ſemet accommodet, quo magis queat prodeſſe. Nam qui inter Chriſtianos præcellit honore, non in aliud præcellit, niſi ut uberius proſit.

21 Subjecti invicem in timore Chriſti.

22 Uxores igitur agnoſcant maritorum ſuorum auctoritatem, eiſque ſubditæ ſint non aliter quam Eccleſia ſubdita eſt Domino Jeſu.

22 Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint ſicut Domino:

23 Nam quemadmodum Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, ita maritus eſt caput ſuæ quiſque uxoris. Sed quemadmodum caput ſic dominatur corpori, ut ab hoc pendeat corporis ſalus: ita maritus ſic prælatus eſt uxori, non ut in illam exerceat tyrannidem, ſed ut illius ſaluti conſulat, nimirum prudentior, ac firmior.

23 Quoniam vir caput eſt mulieris: ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ: ipſe, ſalvator corporis ejus.

24 Nec ideo debet uxor adverſus maritum inſurgere, quod ille ſe præbeat amandum magis, quam formi-

24 Sed ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto,

* Alia Editio, *hilaritas.*

Digitized by Google

tra & mulieres viris suis in omnibus.

formidandum. Imo hoc magis oportet esse subjectam in omnibus, quemadmodum Ecclesia hoc magis se subjecit Christo, quo magis ille semet dejecit pro salute sponsæ suæ.

2 Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea,

25, 26 At vicissim mariti, ne vestra auctoritate tyrannice abutamini in uxores vestras, sed eas magis ea caritate prosequamini, qua Christus prosequutus est, & prosequitur Ecclesiam suam, quam adulteram ac rebellem adeo non repudiavit, ut seipsum pro illius salute redimenda, in mortem tradiderit, ex inquinata puram reddens ac sanctam, ex fœda atque immunda, speciosam ac puram, non exprobrans illi

26 Ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ,

suam turpitudinem, sed abluens illam unda sui sanguinis, ac purgans vitali lavacro invocatione Divini nominis efficaci,

27 Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.

27 Quo suo beneficio sibi sponsam pararet gloriosam, nimirum Ecclesiam, quæ jam nec maculam haberet, nec rugam, aut aliud quicquam ejusmodi, quod oculos sponsi posset offendere, sed undique pura foret atque inculpata.

28 Ita & viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit.

28 Simili affectu decet maritos esse erga uxores suas, ut nihil non faciant, quo reddant illas Christo dignas, non aliter solliciti pro illarum salute, quam caput sollicitum est pro salute corporis. Siquidem uxor viri corpus est. Morosa est uxor, impudica est, aut aliis vitiis obnoxia, ne perdas illam sævitia, sed lenitate corrige ac medere. Sic medere vitiis, ut uxorem interim ames.

29 Nemo enim umquam carnem suam odio habuit: sed nutrit, & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam:

29 Quid enim faceret caput, si conspiciat corpus suum habere morbi vitiive nonnihil? utrum odisse inciperet, & aversari, an potius mederi, si posset, ferre, fovereque, si mederi non posset? Nonne videatur absurdum, si caput male velit corpori? Quisquis uxorem suam amat, amat seipsum, nimirum partem sui. Quis unquam sic obsurduit ad naturæ sensum, ut corpus proprium habuerit exosum? Quis non magis, quale quale corpus nactus est, nutrit ac fovet illud, quo melius reddat ac vegetius? Quod naturæ vis impetrat ab Ethnicis, cur non multo magis hoc in vobis efficit Christiana caritas, quæ nos huc vocat exemplo Christi, qui non est aversatus sponsam suam Ecclesiam, licet antea fœdam, ac multis modis prostitutam, sed purgavit, sed expiavit, sed constabilivit.

30 Quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus & de ossibus ejus.

30 Hoc igitur præstate mariti uxoribus vestris, quod in nos præstitit Christus, qui sumus membra corporis ejus quod est Ecclesia, quemadmodum uxor est corpus viri, ex cujus carne & ossibus condita est, ut palam esset, non oportere divelli, quod idem esset & unum.

31 Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam. & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una.

31 Sic enim legimus in Genesi Cap. 11. Uxoris gratia citius relinquet homo patrem ac matrem, quam deserat uxorem suam, cui sic adhærebit, ut ē duobus fiat unum, corporum atque animorum summa conjunctione. Secundum Deum nulli plus debemus, quam parentibus, & tamen his præfertur uxor.

32 Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.

32 Subest hîc ineffabile quoddam, & ingens arcanum, quomodo quod in Adam & Eva sub typo gestum est, in Christo & in Ecclesia mystice peragatur. Hujus individuam copulam quisquis scrutabitur, intelliget magnum subesse mysterium. Nam quemadmodum ipse cum Patre unum erat, ita & suos omnes unum voluit esse secum.

33 Verumtamen & vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat: uxor autem timeat virum suum.

33 Quod arcanum licet retrusius sit, quam ut in præsentia sit explicandum, tamen in hoc sat est attulisse exemplum, ut suam quisque uxorem non secus diligat, atque seipsum diligit, memineritque secum illam unum & idem esse, quemadmodum Christus adamavit Ecclesiam suam, quam sibi intime adjunxit. Porro uxoris partes erunt, non solum reamare maritum, ut vitæ socium, verum etiam revereri, ut auctoritate præminentem. Optime cohærebit concordia, si utrinque constabunt officia.

CAP. VI.

Filioli patribus, Dominis vos subdite servi:
Induite arma Dei: nam ferus hostis adest.

1 Filii, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est:

1 AUCTORITATEM temperet caritas, ne qua exeat in tyrannidem, ac rursus infirmitatem cohibeat reverentia, ne surgat in rebellionem. Nec enim consensus ac tranquillitas esse potest, ubi confusus fuerit ordo. In uxorem solus maritus habet imperium. Liberi debent utriusque parentis auctoritatem agnoscere. Ad hanc igitur regulam filii morigeri dictoque audientes sitis parentibus vestris, honesta præcipientibus, Christique professione digna. Nam id simul & ipsa naturæ æquitas exigit, ut honorem deferamus iis, quibus ortum vitæ debemus, & grati simus erga eos, quorum beneficio sumus alti educatique.

2 Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione:

2 Denique idem lex Dei dictat: *Honorem*, inquit, *habeto patri tuo, & matri tuæ.* Neque sat habuit præcepisse, quemadmodum in cæteris facit, *non occides, non furaberis:* adjecit & præmium, quo magis invitaret ad officium. Alioqui quæ sunt honesta, & gratis præstanda sunt.

3 Ut bene sit tibi, & sis longævus super terram.

3 Quod autem præmium pollicetur? *ut bene sit*, inquit, *tibi, ut sis longævus in terra.* Siquidem indignus videtur diu frui vita, qui ingratus ac rebellis est adversus eos, per quos vitæ munus accepit.

4 Et vos patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros: sed educate illos in disciplina & correptione Domini.

4 Patres contra, ne abutamini vestra potestate, ac liberorum obedientia, existimantes vobis quidvis in illos licere. Filii sunt, non mancipia. Imperium leniat pietas. Cavendum est, ne senili morositate, aut sævis imperiis, aut immoderata austeritate non sanetis, sed exacerbetis illorum animos. Si quid peccant per ætatem, sic admonendi sunt, ut doceantur potius, quam percellantur. Prima curarum esto, sic eos monitis & institutione formare à teneris annis, sic illos invitare pietatis exemplis, ut appareat à Christianis parentibus juxta Christi doctrinam educatos esse. Sic enim citius perducentur ad bonam frugem, quam minis aut sævitia, si doceantur, non cogantur tantum.

5 Servi obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo:

5 Servi declarate vos ex Euangelica professione reditos esse meliores, commodioresque. Et officium, quod alii præstant heris suis, quibus juxta temporariam servitutis conditionem obnoxii sunt, vos multo præstate cumulatius. Nec enim hoc vobis adferre debet baptismus, ut servire desinatis, sed ut officiosius serviatis: nec ut dominos fastidire velitis, utpote professione jam fratres factos, sed hoc magis illos revereamini, mutuatisque offendere: neque quod servorum vulgus facit, metu præstetis officium, in animo male precantes & insidiantes illis, sed simplici, sinceroque corde sitis illis obsequentes, illud vobiscum reputantes, hoc officii vos præstare Christo, cujus voluntati paretis, si forte illi non merentur obsequium.

6 Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo,

6 Ita fiet, ut dissimiles sitis vulgo servorum, qui præsentibus Dominis obsecundant mali metu, rursus ubi sperant fore clam, ad ingenium redeunt. Hoc nimirum est ad oculum servire, non ex animo, hoc est hominibus placere velle, non Christo, cui nihil gratum est, quod fucatum aut coactum est. Vos vero, ut dignum est servis Christi, in officiis erga Dominos, ex animo bonaque fide morigeri sitis & officiosi: non quia cogit necessitas, sed quia sic placitum est voluntati Divinæ: nec vos alienet ab officio, si morosos aut impios habetis Dominos. Expedit Euangelii negotio, ut his quoque sitis morigeri, modo ne ad impietatem vergat obsequium.

7 Cum bona voluntate servientes, sicut Domino, & non hominibus:

7 Existimate vos Christo præstare, quod illis præstatis Euangelii gratia: Deoque impendi, non hominibus, quod ob amorem Dei impenditis hominibus.

8 Scientes quoniam unusquisque, quodcunque fe-

8 Quod si illos vestris obsequiis lucrifeceritis Christo, recte collocatum fuerit officium. Sin illi se ingratos præbuerint, tamen intelligite, nemini recte fa-

Digitized by Google

factorum suorum perire præmium. Id si non recipiet ab hominibus, certe à Domino recipiet olim, non solum servus, sed etiam liber, si quid officii bono animo collocarit penes hominem ingratum.

cerit bonum, hoc recipiet à Domino, sive servus, sive liber.

9 Porro quemadmodum decet, ut servi Christum professi commodiores se præbeant heris suis, sic æquum est, ut Domini Christiani mitius imperent suis mancipiis, talesque se præbeant, ut amentur magis, quam formidentur: ut fervis suis jam in fratrum consortium receptis, ex animo bene velint, non præcipites ad minas ac verbera, quemadmodum vulgus Dominorum solet. Sentiant illi vos mitiores esse factos per Euangelium, quo magis invitentur & ipsi ad communem professionem, si forte nondum professi sunt, memores potestatem herilem temporarium quiddam esse, ac juris humani, quod tamen interim per nos turbari non oportet: sed tamen apud Deum non est personarum respectus, apud quem nullus ideo minoris fit, quod servitutem serviat, nec ideo pluris, quod ingenuus sit natus. Juxta leges hominum Domini jus habetis in servos in terris, sed nihilo secius interim habetis communem Dominum in cœlis, cujus voluntas est, ut servorum saluti consulatis per moderatum imperium, non ut eos prematis tyrannide.

9 Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas: scientes quia & illorum, & vester Dominus est in cœlis: & personarum acceptio non est apud eum.

10 Quæ hactenus monuimus, eo pertinent, ut & vitæ sanctimonia respondeatis capiti vestro Christo, & mutua concordia consentiatis inter vos. Nunc superest, ut quoniam impii variis machinis impetunt tranquillitatem vestram, adversum hos quoque forti infractoque animo vosmet muniatis, haudquaquam freti vestris præsidiis, sed propugnatore Domino Jesu, qui non destituet corpus suum. Membra quidem imbecillia, sed ille potens ac robustus, qui nos tuendos suscepit.

10 De cetero fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus.

11 Ab hoc igitur petite, quicquid spiritualium est armorum, ut undique muniti possitis subsistere adversus assultus Diaboli.

11 Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.

12 Neque enim nobis bellum est cum hominibus, quorum injurias oportet tolerantia vincere, verum est nobis conflictatio cum impiis Spiritibus, inimicis & hostibus Christi, quorum hi qui nos impetunt, satellites sunt & organa. Per hos enim è sublimi nos oppugnant principes ac potestates Dæmoniacæ, in mundi hujus vitiis addictos sibi tyrannidem occupantes, & in hisce tenebris insidiantes iis, qui lucem amant Euangelicam. Adversus hos, inquam, nobis colluctandum est, non solum viribus potentes, verum etiam spirituali versutia instructos, atque id etiam in cœlesti regione, quo & facilius nos impetant, & difficilius à nobis queant prehendi.

12 Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem; sed adversus principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus.

13 Adversus hoc genus hostium nihil prosunt arma humana, solis armis Dei tutos esse licebit. Itaque semper facite, quod strenui milites solent, quibus cum hoste periculoso res est, quoties ingruit cum adversariis conflictatio. Omni armorum genere vos munite, nihil non facite, quo cum ingruerit formidabile prælium, possitis tueri locum, fixique subsistere in solida petra Christo.

13 Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.

14 Qui cum homine conflicturi sunt, primum undique se tegunt, ne qua pateant telis hostium. Deinde parant, quo feriant impetentem. Baltheo laminis contexto tegunt media corporis, utpote molliora. Thorace superiora communiunt. Suras item ac pedes ocreis convestiunt, caput operiunt galea. Porro clypeus sinistra circumagitur, ad omnem telorum assultum. Vobis igitur spirituali bello cum sceleratis Spiritibus assiduè conflictantibus, pro baltheo sit veritas, quæ lumbos animi vestri præcingat: quo semper erecti stetis & immobiles, adversus omnes falsorum bonorum ac dogmatum illecebras. Pro thorace vobis sit innocentia, justitiaque, quæ mentis præcordia virtutum omnium squamis muniat.

14 State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam justitiæ,

15 Pro ocreis, quibus suræ tegantur & pedes, sit vobis purus affectus, nihil appetens præter cœlestia, nihil formidans præter turpitudinem, quo semper possitis esse parati ad tuendum Euangelium, quod non tumultu, sed tolerantia tranquillitateque defenditur. Unde & pacis Euangelium dicitur. Hoc qui prædicant, horum pedes specioso olim demiratus est Propheta.

15 Et calceati pedes in præparatione Euangelii pacis:

16 Sed undique in promtu habendum est scutum fidei, qua nihil omnino diffidamus promissis divinis. Quicquid ingruerit terriculamentorum, hoc excipietur: quicquid ignitorum jaculorum versutus hostis in nos torserit, hoc scuto repelletur, nec sinet ullum vitalia penetrare. Quid enim vulneret animum, mortis etiam contemtorem?

16 In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere:

17 Cui si accesserit galea vigilantis animi, nihilque non prospicientis, nihil est quod saluti vestræ metuatis. Postremo dexteram semper obarmet gladius ille spiritualis, qui & pravas ab animis amputat cupiditates, ad intima cordis penetrans, & obsistentes Euangelicæ veritati refellit, falsitatem jugulans, ut vigeat veritas. Is est sermo Dei constanti fidei vigore penetrabilis, non humanis argutiis perstringens magis, quam feriens. Dilutus enim est humanus sermo, nimirum de rebus fluxis & inanibus disserens: sed efficax est sermo Dei, non nisi cœlestia sapiens, penetrans usque ad artus animæ, ossiumque ac medullarum intima perlustrans. Cum his hostibus bellum est Christianis, cum hominibus pax est: his armis sese tuentur ac vincunt, haud quidem suis viribus, sed Christi imperatoris ope, cujus auspiciis bellum hoc geritur.

17 Et galeam salutis assumite, & gladium spiritus, (quod est verbum Dei)

18 Ab hoc igitur semper & assiduis votis flagitandum, hoc nocturnis ac diurnis precibus indefesse postulandum ex intimo mentis affectu, ut hic gladius spiritualis vincat in sanctis omnibus.

18 Per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu: & in ipso vigilantes in omni instantia, & obsecratione pro omnibus sanctis;

19 Atque etiam me quoque vestris precationibus sublevare debetis, illud à Deo petentes, ut ipse mihi sermonem suppeditet Euangelicum, quoties dicendum erit, meique oris organo ad suam utatur gloriam, vestramque salutem, quo fortiter & intrepide proferam omnibus arcanam Euangelii doctrinam, ad quam omnes ex æquo vocantur:

19 Et pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium Euangelii

20 Nec obstent mihi, qui modis omnibus obnituntur ne late propagetur Euangelii gloria, pro quo legatione fungor, etiam catenis oneratus, nihil non perpetiens, quo fortiter obeam munus mihi delegatum: utque hic animus mihi perseveret, & Christo fretus, libere loquar, quemadmodum oportet me loqui. Non enim decet Euangelii præconem ullo metu deterreri, quo minus peragat Euangelii negotium.

20 Pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipso audeam, prout oportet me, loqui.

21 Porro quod ad rerum mearum statum attinet, utque mecum agatur, omnia cognoscetis ex Tychico dilecto fratre: nec fratre tantum ob fidei germanitatem, verum etiam in Euangelii negotio ministro & adjutore:

21 Ut autem & vos sciatis quæ circa me sunt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus frater, & fidelis minister in Domino:

22 Quem hujus rei gratia misi istuc, ne nesciretis quo in statu simus, éque ejus præsentia consolationis nonnihil caperetis, ne quid ob meas afflictiones animo consternemini. Sic enim vinctus sum, ut è carcere tamen triumphet Euangelium Christi.

22 Quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscatis quæ circa nos sunt, & consoletur corda vestra.

23 Fratribus omnibus precor pacem & caritatem mutuam, cum sincera fide conjunctam. Ex fide nascitur caritas, & ab hac alitur concordia. Hunc igitur felicem ternionem largiatur vobis Deus Pater ac Dominus Jesus Christus.

23 Pax fratribus, & charitas cum fide, à Deo Patre, & Domino Jesu Christo.

24 Favor ac beneficentia divina semper adsit omnibus, qui sincero affectu, vitaque incorrupta diligunt Dominum Jesum Christum, spretis hisce rebus momentaneis, æterna cœlestiaque sectantes. Quod meum votum, precor ut ille ratum esse velit..

24 Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum in incorruptione. Amen.

PARAPHRASEOS IN EPISTOLAM PAVLI APOSTOLI AD EPHESIOS

FINIS.

VER-

Digitized by Google

VERSVS MEMORIALES
In D. PAVLI EPISTOLAM AD EPHESIOS.

Ante orbem elegit : Bona gratia : Captus & oro :
Digne fac vivas : Ethica dat monita.
Fer ſancta arma Dei. Sex Epheſina tenet.

IN EPISTOLAM PAVLI APOSTOLI AD PHILIPPENSES
ARGVMENTVM,
PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

PHILIPPENSES *in prima* Macedoniæ *parte ſunt, ut narratur in Actis Cap.* XVI. *colonia oriunda ab urbe* Philippis, *dicta à* Philippo *conditore. Horum metropolis eſt* Theſſalonice. *Qui quoniam in fide ſemel accepta perſtiterant, non admiſſis Pſeudapoſtolis, quibus auſcultarant* Corinthii *&* Galatæ, *merito ab Apoſtolo collaudantur. Ad hos* Paulus *admonitu Spiritus profectus, complures dies apud illos egit, non ſine negotio. Nam hìc flagris cæſus eſt* Paulus, *& cum* Sila *conjectus eſt in carcerem, quo tempore carceris cuſtos cum tota familia baptizatus eſt. Hìc erat &* Lydia *purpuraria, quæ primo converſa,* Paulum *excepit hoſpitio. Hìc & milites cognito, quod* Romanus *eſſet civis, ultro rogarunt, ut quo vellet abiret, &* Chriſti *nomen ſatis felicibus auſpiciis inclaruit. Quin etiam cum* Paulus Romæ *ageret in vinculis, miſerunt illi quæ ad vitæ neceſſitatem pertinebant per* Epaphroditum : *quod & ante fecerant, cum ageret* Theſſalonicæ, *ſicut in hac ipſe teſtatur Epiſtola. Collaudatos igitur eos adhortatur, ut perſeverent ac proficiant, oſtendens gloriandum etiam in afflictionibus, quæ ad illuſtrandum* Chriſti *Euangelium facerent. Se vero vel mortem adeo non horrere, ut optet etiam, ſi* Chriſto *volente contingat. Deinde cum primis hortatur ad mutuam concordiam, quæ inter elatos eſſe non poteſt, & quo æquiore ſint animo, pollicetur* Timotheum, *atque etiam ipſum brevi ad illos rediturum, interim miſſo* Epaphrodito, *qui ex periculoſiſſima ægrotatione convaluerat. Hæc agit duobus primis Capitibus : nam in tertio confirmat animos illorum adverſus Pſeudapoſtolos, ad* Judaiſmum *ubique ſollicitantes, quos canes appellat, operarios iniquitatis, inimicos crucis* Chriſti : *& qui ventrem, Dei loco colerent : nuſquam apertius in eos ſtomachatus. Quartum commendationibus & ſalutationibus occupat, niſi quod monita quædam obiter admiſcet, &* Philippenſibus *pro ſua in ſe munificentia gratias agit. Scripſit ex urbe* Roma *per* Epaphroditum, *cum iterum eſſet in carcere : nam poſt primam defenſionem, rurſus in carcerem ductus eſt : cujus rei meminit ipſe in Epiſtola ad* Timotheum.

ARGVMENTI FINIS.

IN EPISTOLAM PAVLI APOSTOLI AD PHILIPPENSES
PARAPHRASIS,
PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

CAP. I.

Actito pro vobis grates : mea vincula creſcunt :
Gaudeo, mors lucrum eſt : vos quoque damna juvent.

1 PAVLVS *& Timotheus, ſervi Jeſu Chriſti, omnibus ſanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis, & diaconibus.*

1 PAVLVS ac Timotheus, in Euangelica functione collegæ, ac ſervi Jeſu Chriſti, toti cœtui ſanctorum, Jeſu Chriſti nomen integre pureque profitentium, ſimulque his qui Chriſtiano gregi præſident, ac miniſtrant Philippis.

2 *Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.*

2 Optamus vobis gratiam & pacem à Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

3 *Gratias ago Deo meo in omni memoria veſtri,* 4 *Semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens,* 5 *Super communicatione veſtra in Euangelio Chriſti à prima die uſque nunc.*

3, 4, 5 Ego ſane quoties precibus Deum interpello, id autem facio indeſinenter, nunquam non facio veſtri omnium mentionem, ſimul & gratias agens, & magnopere gaudens veſtro omnium nomine, quod hactenus ab initio veſtræ profeſſionis, ad hunc uſque diem, me veſtris officiis ac benignitate ſublevando, vos ipſos conſortes præſtiteritis Euangelio :

6 *Confidens hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu.*

6 Precorque aſſidue, ut iſtis virtutibus magis ac magis abundetis, confidens fore, ut Deus, qui iſta pietatis exordia vobis donavit, quod cœpit in vobis, perficiat uſque ad diem illum, quo adventurus eſt Chriſtus Jeſus, præmium æternum repenſurus recte factis.

7 *Sicut eſt mihi juſtum hoc ſentire pro omnibus vobis : eo quod habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defenſione, & confirmatione Euangelii, ſocios gaudii mei omnes vos eſſe.*

7 Par enim eſt, ut ita ſentiam de vobis, fretus auxilio divino, cum hactenus expertus ſim conſtantem ac vere Euangelicam erga me caritatem, ut facile ſit ex optimis initiis finem optimum colligere. Quas ob res ſic animus meus eſt affectus erga vos, ut in his etiam vinculis, & apud Neronis tribunal, ubi mihi capitis reo dicenda fuit cauſa, reliquiſque afflictionibus, quibus non minuitur aut obſcuratur, ſed confirmatur & illuſtratur Euangelii vigor, ſemper vos proſequutus ſim ſingulari benevolentia, quod hujus gaudii, quo gaudeo, per meam calamitatem in-

Digitized by Google

inclarescere Christi præconium, vos omnes semper habuerim participes.

8 Novit enim Deus ipse, quem nihil omnino latet, quanto teneam omnium vestri desiderio, non affectu quoquam humano, sive quod captem aliquid à vobis, sive quod blandiar vobis, ob vestram in me benignitatem, sed affectu pure Christiano sic amo vos, non ob aliud, nisi quod video Jesum Christum à vobis constanter ac sincerius diligi.

9 Gratulor vobis illius munera, precorque, ut ista vestra caritas magis ac magis exuberet, accedente omni cognitione, omnique intelligentia, ut sciatis in quos debeatis officia caritatis collocare. Caritas enim hoc præstat, ut velitis benefacere; prudentia demonstrat beneficentiæ materiam idoneam. Quicquid autem ob amorem Christi confertur in Euangelii præcones & provectores, rectissime collocatur, multo cum fœnore ad vos rediturum.

10, 11 Utrumque igitur ut in vobis semper augescat opto, quo probare possitis, quid sit optimum factu, sitisque puro affectu, præter Christum nihil spectantes, & Euangelicam professionem sic ornantes integritate vitæ, ut nulli sitis offendiculo, sed omnes potius allectetis ad cultum Dei, atque ita perseveretis usque ad diem adventus Christi, ut tum appareatis divites ac abundantes piis operibus, quorum hîc interim veluti sementem facitis, tunc fructum uberrimum demessuri. Idque beneficio Jesu Christi, nec ad vestram meamque gloriam, sed ad gloriam laudemque Dei, ad quem ceu fontem omnium bonorum referenda sunt omnia.

12, 13 Porro quo magis etiam sitis gaudii mei participes, scire vos volo fratres, carcerem, compedes, tribunalia, cæteraque calamitates, quæ mihi acciderunt ob Euangelium Christi, adeo non officisse propagandæ confirmandæque doctrinæ Euangelicæ, ut potius in profectum cesserint: & adeo non deterruisse credentes à suscepta professione, ut magis etiam confirmarint, roburque & animum addiderint: nimirum intelligentibus indubitatum esse quod prædico, cujus gratia non dubitem hæc perpeti, sesque meo exemplo ad similia audenda provocantibus. Nam id fere solet usu venire rebus honestis ac præclaris, ut quo magis premuntur & affliguntur, hoc magis invalescant emicentque, malorum conatu in diversum exeunte.

14 Siquidem vincula mea dederunt occasionem, ut Euangelii præconium non solum ad paucos, cosque plebejos, quemadmodum antea, pervenerit, verum etiam per omnem Neronis regiam, perque urbem universam inclaruerit, adeo ut complures ex fratribus, qui antea subtimide profitebantur Euangelicam doctrinam: nunc, Domino Jesu negotium hoc ita temperante, animati vinculis meis, cœperint & ipsi meo exemplo sermonem Euangelicum liberius ac fortius, omni trepidatione posita, profiteri.

15 Id quanquam ab omnibus factum non est pari sinceritate, quemadmodum pari studio, tamen res per occasionem cessit in Euangelii gloriam.

16 Nam erant inter hos, qui hoc malitioso studio facerent, quo mihi conflarent atrociorem invidiam, ac Neronis animum hoc acrius in nos exacerbarent, quo latius videret hanc sectam propagari, quam per errorem ille judicat imperio suo pernicioſam, existimantes futurum, ut tanto celerius me tolleret è medio.

17 Fortasse nonnulli meæ gloriæ invidentes, quam ego tamen mihi non vindico, sed totam Christo resigno, conati sunt æmulatione meam laudem obscurare, si nostrum studium etiam vincere viderentur. Rursus sunt in his, qui mecum prædicant Christum bono sinceroque animo, licet imperfecto. Nam humano favore mihi nolunt deesse, quem amant & vident ob hoc periclitari, quod constanter obeam mihi delegatum munus Euangelii tuendi adversus impios. Quanquam & qui pessimo animo prædicant, tamen auxerunt Euangelii gloriam. Christum enim annuntiant, sed animo minime Christiano: nec affectu simplici, sed hoc agentes, ut capto vinctoque addant afflictionem, si Euangelium acrius defendendo, nos in gravius odium pertraxerint.

18 Ea res utcunque cedet mihi, non magni retulerit, modo verterit in gloriam Christi, cui sic toto pectore faveo, ut gaudeam illum per omnem occasionem omnibus innotescere. Ampliſſimam laudem merentur apud Deum, qui eodem animo prædicant Euangelium, quo ego prædico. Ferendi sunt, qui privato quodam amore nostri, juvant Euangelii partes. Cæterum qui in odium mei prædicant Christum, quod sibi nocent, doleo; quod mihi male moliuntur, contemno; quod illorum perversa voluntas cedit in gloriam Euangelii, gaudeo: modo vere doceant Christum, licet animo insincero: neque gaudeo solum in præsentia, verum etiam in posterum gavisurus sum, si pergant odio mei divulgare Christi doctrinam.

19 Non me movet, quod ista moliuntur in perniciem meam, cum sciam rem præsidio precum vestrarum, atque auxiliante & negotium hoc moderante Spiritu Jesu Christi, mihi futuram saluti, sive moriar, sive vixero.

20 Neque enim me fallet mea de illo fiducia, qua mihi persuasissimum habeo fore, ut in prædicatione Euangelii, quod ille delegavit, nusquam sim destituendus, aut pudefaciendus, ut ullis afflictionibus cogar ceu vanum retractare, vel obticescere, quod verissimum esse cognovi: quin potius quemadmodum antehac afflictiones, quas juxta corpus ab hominibus perpessus sum, cesserunt in lucrum Euangelii, sive cum lapidarer, sive cum virgis cæderer, sive cum bestiis objicerer: ita & hæc afflictio, qua de capite vitaque periclitor, cessura est in laudem & gloriam Christi, seu vivere continget, seu mori. Nam ut superiores afflictionum procellæ, licet corpusculum hoc afficerent, animum tamen nunquam ademerunt, aut constantiam prædicandi Christum labefactarunt, ita neque nunc hæc tempestas adimet.

21 Si dabitur vivere, fortiter tuebor Euangelicam veritatem: si continget mori, mors ipsa mea, quam ob Euangelii negotium non invitus suscipiam, illustrabit Christi gloriam. Utrumcunque continget, mihi in tuto est mea incolumitas. Et hanc mortem adeo non formido, ut magis optandam existimem, si sic expediat Euangelio.

22 Neque enim me tædet hujus vitæ quamlibet afflictæ, cujus felicitatem omnem metior Euangelii successu: neque mortem horreo, quæ mihi lucro futura sit, quæ me reddet præmio cœlesti, tum demum vere victurum. Quanquam & hæc interim vita corporalis non caret suo fructu, dum accumulandis piis factis, accumulatur & præmium immortalitatis: atque interim nostro labore propagatur, ac confirmatur Euangelium Christi. Huic in manu est, utrum me vivere malit, an mori. Ego sic ad utrumque paratus sum, ut utrum potius eligam, ignorem.

23 Est cur optem mortem: est cur non recusem vivere. Verum ubi, mei ipsius commodi ratione subducta, meum animum consulo, video mihi longe potius esse, liberatum ab hujus vitæ ærumnis, propius jungi Christo, & ad illam ineffabilem felicitatem mihi, cum in tertium cœlum raptus essem, utcunque gustatam redire.

24 Rursum ubi reputo, quid vestris expediat commodis, intelligo conducere, imo necessarium esse, ut adhuc aliquamdiu versor in hoc munere meo.

25, 26 Atque hoc certum scio, fore ut maneam adhuc in hac vita: & ita maneam, ut vobis omnibus aliquando sim fruiturus, meique facturus copiam, quo simul & vos uberius proficiatis in fide, & ego copiosius de fidei vestræ gaudeam incremento, vosque vicissim magis etiam de me gaudere possitis, postea-

8 *Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi.*
9 *Et hoc oro ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia, & in omni sensu;*
10 *Ut probetis potiora, ut sitis sinceri, & sine offensa in diem Christi,*
11 *Repleti fructu justitiæ per Jesum Christum, in gloriam & laudem Dei.*
12 *Scire autem vos volo fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Euangelii:*
13 *Ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio, & in ceteris omnibus;*
14 *Et plures è fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui.*
15 *Quidam quidem & propter invidiam & contentionem, quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant,*
16 *Quidam ex charitate, scientes quoniam in defensionem Euangelii positus sum.*
17 *Quidam autem ex contentione Christum annuntiant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis.*
18 *Quid enim? Dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuntietur; & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.*
19 *Scio enim quia hoc mihi proveniet ad salutem, per vestram orationem, & subministrationem Spiritus Jesu Christi,*
20 *Secundum expectationem & spem meam, quia in nullo confundar: sed in omni fiducia sicut semper, & nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem.*
21 *Mihi enim vivere Christus est, & mori lucrum.*
22 *Quod si vivere in carne, hic mihi fructus est operis, & quid eligam ignoro.*
23 *Coarctor autem è duobus: desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, multo magis melius:*
24 *Permanere autem in carne, necessarium propter vos.*
25 *Et hoc confidens scio quia manebo, & permanebo omnibus vobis, ad profectum vestrum, & gaudium fidei:*

Digitized by Google

quam ad vos me recepero, denuo conſpicientes me præſidio Chriſti, non modo non ceſſiſſe his malis, ſed ſervatum etiam veſtris augendis commodis. Videtis quantam felicitatem meam veſtro lucro poſthabeam? Quis non tertii cœli cupidus, faſtidiat hujus vitæ curas? Quis non paradiſi ſuperioris deſiderio, geſtiat ab his malis evolare? Quis non verborum arcanorum memor, humana negligat alloquia? Quis non pro tot exitiis, tot periculis, tot mortibus, eligat tranquillam immortalitatem? Sed tantum apud me valet fraterna caritas, ut aliorum profectum meo deſiderio præponam.

26 Ut gratulatio veſtra abundet in Chriſto Jeſu in me, per meum adventum iterum ad vos.

27 Tantum digne Euangelio Chriſti converſamini: ut ſive cum venero, & videro vos, ſive abſens audiam de vobis, quia ſtatis in uno ſpiritu unanimes, collaborantes fidei Euangelii:

27, 28 Quo magis erit vobis enitendum, ut huic animo meo reſpondeatis. Id autem fiet, ſi curabitis ut veſtra vita digna videatur Euangelio Chriſti, ob quod hæc cuncta perpetior, ne hoc ipſo fructu fruſtrer, ob quem unum ſuſtineo diſtrahi ab optatiſſimo conſortio Chriſti. Proinde date operam, ut ſive vos inviſero, tales reperiam, quales opto: ſive quid obſtiterit, quo minus reviſam vos, tamen abſens audiam de vobis, quod quemadmodum hactenus feciſtis, perſiſtatis uno ſpiritu, quem hauſiſtis communem, eodemque animo concordes, ſimulque veſtris officiis ac precibus adjuvantes decertantem adverſus impios Euangelii fidem, nec ullo perſecutionum metu terreamini, quo minus fortiter ubique reſiſtatis adverſariis Chriſti, quorum improbitas nihil aliud efficiet, niſi ut & ipſis pariat exitium, & vobis ſalutem, ſemper in majus gliſcente Euangelii gloria, & illorum impiis conatibus in pejus uſque prolabentibus. Pulcherrimum eſt pro Chriſto perpeti, glorioſum per hunc vincere adverſarios. Verum hinc nihil eſt, quod nobis vindicemus.

28 Et in nullo terreamini ab adverſariis: quæ illis eſt cauſa perditionis, vobis autem ſalutis, & hoc à Deo:

29 Quia vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini:

29, 30 A Deo vobis hoc donatum eſt, ut non ſolum promte credideritis Euangelio Chriſti, quod ego prædico, verum etiam parati ſitis pro illo pati, videlicet meum exemplum ſequuti: neque detrectetis pro Euangelii negotio certamen idem ſubire, quale & olim vidiſtis in me, tot modis afflicto, cum iſtic agerem, & nunc audiſtis de me vincto, capitiſque reo. Hæc caſu non fiunt, ſed à Deo propitio donantur iis duntaxat, quorum pietatem vult afflictionibus hujus vitæ reddi ſpectatiorem.

30 Idem certamen habentes, quale & vidiſtis in me, & nunc audiſtis de me.

CAP. II.

Blande exemplo Chriſti humiles docet eſſe Philippos: Diſcipulos laudas optime Paule tuos.

1 Si qua ergo conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi qua viſcera miſerationis.

1 PROINDE ſi qua conſolatio eſt inter illos mutua, qui in eundem Chriſtum conſpirarunt, ſi quod eſt ſolatium, quod habet fraterna caritas, quæ triſtia pariter ac læta facit communia, ſi quam vim habet Chriſti Spiritus, omnibus vobis communis: ſi qui ſunt affectus, quibus in afflictionibus amicorum tanguntur homines: ſi quæ ſunt commiſerationes, quibus ipſo naturæ ſenſu ingemiſcimus aut indoleſcimus malis eorum, quos ex animo diligimus, quique noſtra cauſa perpetiuntur.

2 Implete gaudium meum, ut idem ſapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipſum ſentientes,

2 Per hæc omnia vos obteſtor ô Philippenſes, ut hanc voluptatem, quam ex veſtro profectu concepi, mihi perficiatis. Quicquid quocunque nomine mihi debetis, acceptum feram, ſi vos concordibus animis conglutinemini, ſi mutua ſit inter vos omnes caritas, ſi ſitis unanimes, ſi conſentientes. Non poteſt pax concordiaque conſtare inter feroces & elatos. Siquidem ferox ac tumidus animus parit contentionem, parit ambitionem, parit iracundiam. Atqui hæc caritatis fraternæ, mutuæque benevolentiæ præſentanea ſunt venena.

3 Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: ſed in humilitate

3 Ne quid igitur inter vos Chriſti Spiritu conglutinatos, Chriſtique Philoſophiam profitentes, geratur per contentionem, aut inanem gloriam, ut alius alium provocet ferocia, dum nemo vult alteri cedere, quibus ex rebus inter mundi diſcipulos oriuntur jurgia, rixæ, diſſidia. Ne ſint igitur vobis in conſilio ira, aut ambitio, aut ſuperbia, conſultores peſſimi, ſed potius fraterna caritas, & hujus comes, animi modeſtia, qua nemo ſe præferat alteri, ſed quiſque alterum ſe præſtantiorem exiſtimet, ſibi nihil arrogans, aliorum dotibus benigne candideque favens.

ſuperiores ſibi invicem arbitrantes,

4 Neque ſuum quiſquam privatum ſpectet commodum, quod ubi ſit, ibi publica concordia periclitatur: ſed quiſque per Chriſtianam caritatem, quæ non quærit quæ ſua ſunt, ſuis commodis anteponat aliena.

4 Non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed ea quæ aliorum.

5 Neque vero cuiquam veſtrum in mentem veniat impia cogitatio, cur prudens ac ſciens ultro cedam melior deteriori? Ne pudeat vos Jeſu Chriſti exemplum ſequi. Cur enim non convenit vos, qui pares eſtis & conſortes, ſic inter vos affectos eſſe, quemadmodum ille affectus fuit erga nos? Si ille ſibi vindicavit primatum, ſi ſua captavit commoda, ſit & inter vos decora pro rebus hiſce contentio.

5 Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu:

6 Atqui ille quum natura Deus eſſet, atque ipſis factis ſe Deum eſſe declararet, dum mortuos nutu reddit vitæ, dum vertit elementa rerum, dum Dæmonibus imperat, dum verbo pellit quoſlibet morbos: tamen quo nobis perfectæ modeſtiæ pararet exemplum, non ſibi per inanem gloriam vindicavit, ut haberetur æqualis Deo, ſed humiliavit ac dejecit ſemetipſum apud homines, à Patre exſpectans gloriam, ad quam demonſtravit aditum eſſe, non per ambitionem, ſed per humilitatem.

6 Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo:

7 Et adeo ſe dejecit, quum eſſet ſummus, ut non ſolum velut homo verſatus ſit inter homines dormiturens, ſitiens, eſuriens, laſſeſcens, pauper, reliquiſque noſtræ conditionis injuriis obnoxius, verum etiam ſervi ſpeciem in ſe ſuſceperit, & ſervi nocentis, quum ipſa eſſet innocentia. Quid? An non mali ſervi eſt, capi, alligari, cædi flagris, conſpui?

7 Sed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.

8 Atqui non ad hoc tantum ſeſe demiſit, verum etiam uſque ad ſupplicium mortis, ceu facinoroſus deſcendit, ac mortem longe probroſiſſimam crucis. Sic viſum erat Patri, ut ille hæc pro noſtris commiſſis penderet, iſque volens obedientem ſe præſtitit per omnia, nihil detrectans quod ad noſtram ſalutem conduceret. Qui mundano ſunt affectu, per ambitionem, contentionemque, cum aliorum injuria graſſantur ad falſam gloriam. At Chriſtianus, qui veram & æternam gloriam quærit, hac via debet ad illam contendere, qua Chriſtus ingreſſus eſt. Per falſam ignominiam iter eſt ad veram gloriam, per momentaria diſpendia aditus eſt ad immortalia compendia. Gloriam captare non oportet, ſed promereri.

8 Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.

9 Vultis audire, quid meruit humilitas Jeſu Chriſti? Ille quidem non uſurpavit ſibi apud homines, ut jactaret ante tempus majeſtatem ſuam: ſed Deus Pater evexit Filium ſuum in ſummam ſublimitatem, ac per humilitatem & ignominiam crucis illuſtrato, largitus eſt nomen, quod excellit omnem humanam gloriam.

9 Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen:

10 Nimirum, ut jam ad Jeſu illius conſputi & crucifixi nomen ſeſe flectat ac ſubmittat omne genu, non ſolum quicquid eſt in terris, verum etiam quicquid eſt vel apud inferos, vel apud ſuperos in cœlis.

10 Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum:

11 Nec ulla ſit uſquam lingua, ſive hominum, ſive Angelorum, ſive Dæmonum, quæ non confiteatur Jeſum omnium rerum Principem ac Dominum, à dextris aſſidere Deo Patri, ut regni communis gloriæque omnis conſortem, idque in gloriam Dei Patris, à quo proficiſcitur, & in quem redundat omnis Filii gloria. Quæ mortalium ambitio, quæ opes, quod regnum, quod ſtudium humanum unquam talem cuiquam paravit gloriam apud homines, qualem Chriſto ſua paravit humilitas? Atque hæc omnia noſtra cauſa fecit, non ſua. Nec enim ille meruit dejici, nec eguit illuſtrari: quo magis vobis eſt ſimilis adhibenda modeſtia, ſine qua non poſſitis eſſe incolumes.

11 Et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.

12 Pro-

Digitized by Google

12 Itaque charissimi mei, (sicut semper obedistis) non ut in præsentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu & tremore vestram salutem operamini.

13 Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate.

14 Omnia autem facite sine murmurationibus, & hæsitationibus:

15 Ut sitis sine querela, & simplices filii Dei, sine reprehensione, in medio nationis pravæ & perversæ: inter quos lucetis sicut luminaria in mundo,

16 Verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Christi, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi.

17 Sed & si immolor supra sacrificium, & obsequium fidei vestræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis.

18 Idipsum autem & vos gaudete, & congratulamini mihi.

19 Spero autem in Domino Jesu, Timotheum me cito mittere ad vos: ut & ego bono animo sim, cognitis quæ circa vos sunt.

20 Neminem enim habeo tam unanimem, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit. 21 Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi.

12 Proinde fratres mei dilecti, hac quoque parte pergite vestri similes esse, ut quemadmodum ad exemplum Christi, semper obedistis Euangelio nostro, ita & in posterum faciatis, non solum cum erimus præsentes, sed multo magis nunc cum absumus, eam curam, quam ipse præsens vobis impensurus essem, in vos ipsos transferentes. Agite negotium vestræ salutis, non oscitantes, sed cum omni sollicitudine ac tremore: non ignari quanta de re certetur, & quibus cum hostibus vobis res sit. Non est dormitationi aut securitati locus, sed rursum non est quod diffidatis.

13 Vestrum erit pro viribus adniti, Deus autem est is, qui hoc agit in vobis, ut quod ad salutem pertinet, & velitis & perficiatis quod animi bona voluntas vobis suggessit, ne nesciatis cui tribuendum sit, si quid illa vobis suggesserit.

14 Curandum est vobis, ut vestris moribus commendetis Euangelii doctrinam, iis quoque qui ab illa sunt alieni. Id futurum est, si conspexerint vos esse summa concordia, parique fiducia, & quicquid agitis, id fieri sine murmure, sine disceptationibus: quorum alterum est, non ex animo facientium, quod faciunt: alterum est diffidentium.

15 Sed magis in omnibus sinceri sitis, ac moribus adeo puris & inculpatis, ut nemo jure queri de vobis possit, utque cunctis perspicuum sit, vos esse vere filios Dei, non nothos aut adulterinos, sed Patrem cœlestem, cœlesti vita referentes, qui sic interim vitam agatis in medio nationis asperæ, tortuosæ, & insinceræ, ut nulla tamen ex parte vestra vitietur sinceritas, quin potius inter horum tenebras, innocentia vitæ sic luceatis, veluti mundi luminaria quædam, oculis omnium exposita.

16 Vos enim estis illi, de quibus in Euangelio dixit Christus: Estis lux mundi, qui in edito sustinetis vivificum Euangelii sermonem, ipsis etiam moribus Christi doctrinam exprimentes, ut confidam vobis perseverantibus me quoque gloriaturum in adventu Christi, me non frustra laborasse, nec inaniter in hoc Euangelii stadio cucurrisse, qui tales discipulos Christo lucrifecerim.

17 Et adeo me non pœnitet laborum meorum, per quos vos obtuli Deo gratissimam victimam, ut etiamsi ipse immoler super hostiam sacrificiumque fidei vestræ, & meo pariter & vestro omnium nomine sim gavisurus. Vestro, quos ad Euangelium conversos gratissimam victimam obtulerim Christo; meo, qui peracto tali sacrificio, sim & ipse totus immolandus. Nam quemadmodum video meas afflictiones cessisse in profectum vestrum, ita scio mortem meam Euangelio profecturam, atque hac de causa mors quoque mihi grata veniet.

18 Quod si decet vos in omnibus consortes esse gaudii mei, non debet mea mors vobis esse mœrori, quæ mihi est futura jucunda.

19 Habetis quo nomine de meo statu debeatis gaudere, sed spero fore, favente Domino Jesu, ut vos brevi per Timotheum invisam, quandoquidem ipsi mihi venire nondum licet. Hunc igitur velut alterum me mittam, ut quemadmodum cognito statu meo nunc gaudetis, ita & ego gaudeam per Timotheum huc reversum, cognito statu vestro.

20 Nam hic mihi potissimum visus est idoneus ad hanc legationem, cum nemo sit cæterorum, qui in Euangelii negotio sic æquet animum meum: quique in curandis vestris negotiis, fidem ac diligentiam Paulinam magis ex animo sit repræsentaturus, utpote quem merito pro filio germano habeam.

21 Sunt quorum ministerio minore dispendio poteram hîc carere, sed nolui quenquam mittere, nisi probatæ integritatis: nam cæteri fere venantur hujsmodi legationes, non perinde ut aliis prosint, atque ut suis lucris consulant potius, quam Jesu Christi, à quo animo scitis me semper abhorruisse.

22 Non arbitror opus, ut cum vobis commendem, quippe jampridem vobis spectatum ipsa re, qui meminisse potestis, quomodo se gesserit mecum in Euangelii negotio, meque ceu patrem germanus filius per omnia retulerit.

23 Hunc igitur, ut spero, mittam simul atque videro quo se deflectant res meæ.

24 Quin & illud fore confido, propitio Domino, ut & ipse propediem ad vos veniam.

25 Insuper autem & hoc sum arbitratus operæ pretium, ut & Epaphroditus Timotheo comes iret ad vos, mihi quidem & frater, & collega, & commilito, vobis autem Apostolus, ut vobis & meo & vestro ipsorum nomine debeat esse commendatus, denique qui vestram benignitatem, qua soletis necessitati meæ subvenire, ad me detulit.

26 Is jampridem ingenti desiderio tenebatur visendi vos, anxius animi, ne vos gravius discrucia-ret, quod audissetis ipsum ægrotasse periculose.

27 Nec vanus fuit ille rumor, sic enim ægrotavit, ut de vita periclitaretur, morti vicinus: sed Deus illum restituit, misertus famuli sui; imo non illius tantum, sed & mei, qui simul cum periclitante periclitabar, ne ad dolorem, quem mihi morbus illius adferebat, accederet ex morte tam fidi commilitonis desiderium.

28 Quo magis mihi studio fuit illum ad vos mittere, primum, ut ejus conspectus vobis sit voluptati, ubi videritis illum revaluisse, fortasse famæ non perinde credituri: deinde, ut mihi quoque dolor omnis abstergeatur ex animo, si sensero vos de illius valetudine certo gaudere gaudio.

29 Excipite igitur illum affectu Christiano, cum omni gaudio: nec hunc tantum, sed omnes hujus similes habete in pretio.

30 Siquidem huc à vobis missus, adeo non veritus est sævitiam Neronis, quem sciebat infensum mihi, ut ob Euangelium Christi eo periculi se demiserit, ut morti proximus fuerit, prius habens profectum Euangelicæ doctrinæ, quam suam incolumitatem, quo videlicet pensaret id, quod ob absentiam vestro erga me officio videbatur deesse, ac per illum mihi quodammodo fieretis præsentes, qui & vestram munificentiam ad me pertulerit, & suis officiis inservierit periclitanti, ut unus quodammodo vos omnes mihi referret.

CAP. III.

Cæsa lucra tutis sperno, qui lucrer Iesum:
Quæ sunt à tergo mitto: caveto malos.

1 SUPEREST igitur fratres, ut cognitis his quæ hic fiunt, & reddito vobis Epaphrodito incolumi, læto sitis animo, ac neglectis afflictionibus, quibus mundus nos exercuit, gaudeatis semper in melius provehi negotium Domini nostri Jesu Christi, cui non perinde metuo ab Ethnicis, qui palam impugnant Euangelium: atque ab istis semi-Christianis, qui sic Christum prædicant, ut Judaismum interim admisceant. Hac de re vos pro mea sollicitudine frequenter admonui, sed tamen non gravabor eadem inculcare litteris, quo magis sitis in tuto.

2 Nam adversus istos, qui nusquam non insidiantur, vix unquam satis cautum est, pestilens, improbum, & impudens hominum genus. Invident libertati vestræ, oblatrant doctrinæ sinceræ, mordent alienam vitam, laborant in Euangelico negotio:

22 Experimentum autem ejus cognoscite, quia sicut patri filius, mecum servivit in Euangelio.

23 Hunc igitur spero me mittere ad vos, mox ut videro quæ circa me sunt.

24 Confido autem in Domino, quoniam & ipse veniam ad vos cito.

25 Necessarium autem existimavi, Epaphroditum fratrem, & cooperatorem, & commilitonem meum, vestrum autem apostolum, & ministrum necessitatis meæ, mittere ad vos.

26 Quoniam quidem omnes vos desiderabat: & mœstus erat, propterea quod audieratis illum infirmatum.

27 Nam & infirmatus est usque ad mortem: sed Deus misertus est ejus; non solum autem ejus, verum etiam & mei, ne tristitiam super tristitiam haberem.

28 Festinantius ergo misi illum, ut viso eo iterum gaudeatis, & ego sine tristitia sim.

29 Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, & ejusmodi cum honore habetote.

30 Quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam, ut impleret id, quod ex vobis deerat erga meum obsequium.

1 De cetero fratres mei gaudete in Domino. Eadem vobis scribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium. 2 Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem.

Digitized by Google

tio: sed sic, ut corrumpant. Jactitant sese de pellicula præputii præcisa, cum montem habeant incircumcisam. Cavete fratres, ne vobis imponant, observate canes hujusmodi, observate malos operarios, observate incircumcisos circumcisos, imo concisos verius. Præter causam isti sese venditant, corpore circumferentes fœdam suæ nobilitatis notam, cum animo sint impuro impioque.

3 Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo, & gloriamur in Christo Jesu, & non in carne fiduciam habentes:

3 Si gloriosa est circumcisio, nos vere sumus circumcisi, nos vere Judæi, nos germani Abrahæ filii, qui Deum colimus, non pecudum sanguine, sed spiritu, (sic enim ille coli gaudet) qui gloriamur non in pellicula corporis, non in Mose, sed in Christo Jesu, qui suo Spiritu resecuit omnia vitia ab animis nostris, qui cordibus nostris notam pulcherrimam impressit, quo constet nos esse filios Dei. Hæc demum est vera gloriosaque circumcisio. Deus posthac non æstimat hominem ex habitu corporis.

4 Quamquam ego habeam confidentiam & in carne. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis,

4, 5 At isti neglecta mentis cura, totam fiduciam collocant in carne, in qua si gloriandum sit, ego sane nec hac parte cuiquam istorum cesserо, ne quid habeant, quod causentur, mihi vilem esse circumcisionem ob id, quia non habeam. Si quis alius hoc nomine sibi placet, ego magis etiam mihi possim placere, nimirum legitime circumcisus octavo die, juxta Legis præscriptum. Israelita non insitione, sed genere: non proselytus, sed Judæus ex Judæis oriundus: nec è quavis Tribu, verum è præcipua, nempe Benjamin, quæ semper juncta fuit tribui Judæ, unde Reges & Levitæ, unde & Sacerdotes constituuntur, cum plerique se putent Israelitas, quod è concubinis Israelitarum ducant genus, Hebræus ex Hebræis juxta genus, juxta Legis sectas Pharisæus, cujus ordinis semper fuit prima dignitas.

5 Circumcisus octavo die, ex genere Israel, de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus,

6 Secundum æmulationem persequens Ecclesiam Dei, secundum justitiam, quæ in lege est, conversatus sine querela.

6 Quod si libeat quenquam ex hujus Legis studio atque observatione æstimare: nec his in rebus habent in quo se mihi præferant. Nam patriæ Legis tantum me habebat studium, ut ob eam tuendam modis omnibus, persequerer Ecclesiam Christi: adeo tenax eorum, quæ Lex præscribit, ut nihil esset in quo merito culpari possem, tanquam prævaricator. Quod si quid ista præclarum haberent, justius gloriari poteram, quam isti, qui se semideos videri volunt, quod præputio careant.

7 Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta.

7 Ac tum quidem temporis, quoniam nondum eram edoctus Christum, pulchre mihi videbar felix & nobilitate generis, & dignitate Sectæ, & observatione Legis: sed ubi per Euangelium Christi dicti, quibus in rebus sita sit vera justitia, atque his typis & umbris Mosaicæ Legis cognovi res longe præclariores denotari: mox quæ prius, ut vehementer expetenda sectabar, abjeci, reliquique, damnosum esse ducens, quicquid vel tantillum à Christi doctrina remoraretur.

8 Verumtamen existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam,

8 Non quod Legem damnem, si quis ut oportet utatur, sed quod tantum tribuam Euangelio Jesu Christi Domini mei, ut hujus excellenti cognitioni, non solum posthabeam Legem Mosaicam carnalem, qua gloriantur isti, verum etiam quicquid usquam mundus hic præclarum habet aut suspiciendum, pro dispendio mihi sit. Hanc igitur simulatque gustare cœpi, nullum est ullius rei lucrum, quantumvis præclaræ, quod non pro damno, imo quod non pro rudere ducam, aut si quid rudere contemtius, modo hujus dispendio mihi liceat lucrifacere Christum fontem bonorum omnium, quæ vere bona sunt.

9 Et inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Jesu: quæ ex Deo est justitia in fide,

9 Pro nihilo habeo meam justitiam, cujus opinionem mihi vindicabat apud homines Mosaicæ Legis observatio, modo mihi contingat vera justitia, quam meam non possum appellare, cum haudquaquam nostris paretur meritis, sed gratis detur iis, qui sibi diffisi, simpliciter fidunt Christo. Nascitur & ex Lege justitia quædam, sed inefficax ad præstandam salutem.

10, 11 Verum ea, quæ datur à Deo, sic nostra non est, ut tamen nobis conferat veram salutem, si modo credentes Euangelio per fidem cognoscamus Jesum Christum, cujus nativitas mirabilior est, quam ut ulla mortali sapientia possit intelligi: cujus resurrectionis vis major est, quam ut ullis humanis argumentis queat persuaderi. Sola fides hæc nobis persuadere potest, & adeo persuasit, ut spe promissorum fretus, gaudeam venire in consortium afflictionum illius, vicissim pro illius Euangelio vinctus ac moriens, quemadmodum ille pro nobis cæsus est & crucifixus, si quo modo mihi contingat, ut sic ut mortem illius imitor, ita perveniam ad resurrectionis gloriam, per illum resuscitatus. Hæc certissima spes me consolatur in his afflictionibus, quod fidam Christi promissis, qui regni sui consortium pollicitus est iis, qui non detrectarint crucis consortium.

10 Ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis ejus, & societatem passionum illius: configuratus morti ejus:

11 Si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis.

12 Neque hæc dixerim velut in me situm sit, ut tantum assequar præmium. Nondum mihi perventum est ad metam cursus, nondum assequutus sum brabeum, nondum perfectum est certamen, sed tamen huc omnibus nervis adnitor, ut quod sequor assequar. Neque enim quomodocunque currenti contingit præmium, sed acriter instanti, sed constanter adlaboranti. Bona spes est me apprehensurum, quando in hoc ipsum reprehensus sum à Christo, atque è medio cursu, quem olim male institueram adversus illius Ecclesiam, retractus, ut in Euangelico stadio bene currens, mererer brabeum immortalitatis, ne vos præmii promissi fiducia segnes reddat ac male securos.

12 Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim: sequor autem, si quomodo comprehendam in quo & comprehensus sum à Christo Jesu.

13 Fratres ipse nondum arbitror me assequutum, quod ambio, quodque spero. Maximum est quod sequor, non temere quis assequitur. Scio veracem esse Christum, sed humanæ naturæ fragilitas ac mutabilitas me nondum sinit esse securum. Proinde magna quidem spe, rebus omnibus posthabitis, unum illud ago, ut in cursu Euangelico, velut oblitus eorum, quæ à tergo relicta sunt, toto nisu ferar in ea, quæ restant à fronte:

13 Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens me ipsum,

14 Neque rursus temere quovis feror: dispendium enim facit, qui male currit: sed recta tendo ad metam Euangelicam nobis præfixam: & ad præmium immortalitatis, ad quod Deus agonotheta noster, è cœlis spectans conatum nostrum, nos vocat, opitulante Christo Jesu. Proinde qui Legem admiscent Euangelio, quid aliud quam cursum nostrum student remorari?

14 Ad destinatum persequor, ad brævium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.

15 Quotquot igitur perfecti sumus, ita simus affecti, ut præter Euangelicum scopum nihil nobis proponamus. Quod si qui sunt inter vos aliquanto infirmiores, qui patriam Legem, cui assueverunt, non omnino possint contemnere, ferantur, donec & ipsi proficiant. Vobis revelavit Deus, Legis præsidiis nequaquam esse opus, fortasse futurum est, ut illis quoque revelet idem.

15 Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus: & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus revelabit.

16 At interim sane cursum eum, quem jam cœpimus, juxta regulam præscriptam pergamus: & in hoc certe simus concordes, ne patiamur nos ab instituto retrahi, sed pro sua quisque virili properemus ad præmium immortalitatis.

16 Verumtamen ad quod pervenimus, in idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula.

17 Sunt qui rectum cursum non teneant, eos sequi tutum non sit. Me potius imitemini recta properantem ad Euangelii brabea, & observate eos, quos videritis ad nostrum exemplar incedere. Christus optimam formam nobis exhibuit, ad hanc me videtis eodem conniti, quo pervenit ille.

17 Imitatores mei estote fratres, & observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.

18 Non omnes qui currunt in hoc stadio præmium consequuntur. Neque vobis tutum sit quosvis præcurrentes sequi. Sunt enim complures, de quibus & antea sæpenumero loquutus sum vobis, & nunc rursum cum lachrymis dico, sic Christum prædicantes, ut interim inimici sint crucis Christi. Nolunt enim imitari vitam ac mortem illius, ut cum illo vivant in æternum, sed ad quæstum & gloriam suam,

18 Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi:

Digitized by Google

suam, pro vera pietate docent Judaicas observatiunculas, circumcisionem præputii, ciborum delectum, discrimina dierum, ut his aliis oneratis ipsi interim regnent ac suaviter vivant, perinde quasi post hanc vitam non exspectent aliam.

19 Quorum finis interitus: quorum deus venter est: & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.

19 Sed ab horum moribus finis illorum nos deterreat. Nam quemadmodum per infamiam humanam tendimus ad æternam gloriam, & per temporarias afflictiones commitimur ad immortalem felicitatem: ita illi per momentarias voluptates, adsciscunt sibi sempiternum exitium, ventrem habentes loco Dei, qui non poterit eis succurrere: & per fucatam apud homines gloriam, quam collocant non in Christo, sed in rebus pudendis, festinant ad æternam ignominiam. Nam temporarium ac fucatum est, quicquid terrenum est: verum atque æternum, quicquid cœleste. At isti nihil aliud curant, quam terrestria. In his gloriam, in his voluptatem, in his opes suas collocant, multum aberrantes à scopo Euangelico.

20 Nostra autem conversatio in cœlis est: unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum,

20 Cæterum nos, qui Christum vere sequimur, licet corporibus detineamur in terris, tamen animis in cœlis vivimus, illuc assidue suspirantes, quo præcessit caput nostrum, unde & per fidem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum,

21 Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem, qua etiam possit subjicere sibi omnia.

21 Qui resuscitatis mortuis palam exhibebit ea, quæ pollicetur, interim transformaturus hoc corpusculum humile, & omnibus injuriis obnoxium, ac simile redditurus corpori suo glorioso, quo nimirum membra, quæ fuerunt hîc afflictionum illius consortia, illic vocentur in consortium felicitatis. Nec istud videbitur cuiquam incredibile, qui perpenderit vim illius, per quem res geretur. Nihil est enim quod ille præstare non possit, cui in manu est, ubi libuerit, sibi subjicere omnia. Eam potentiam tum aperiet omnibus, quamvis interim sæpenumero dissimulet.

CAP. IV.

Dilecti state: & gaudete: & honesta patrate:
Sortem utramque fero: at vestra placet pietas.

1 Itaque fratres mei charissimi & desideratissimi, gaudium meum & corona mea: sic state in Domino, charissimi.

1 ITAQUE igitur rerum spe fulti, fratres mei dilecti ac desiderabiles, quorum successum, gaudium meum esse duco, quorum victoriam, meam coronam esse judico, quemadmodum cœpistis, ita persistite, neque sinatis vos deflecti à Christo Jesu.

2 Euodiam rogo, & Syntychen deprecor, idipsum sapere in Domino.

2 Iterum atque iterum, mihi dilecti fratres, Euodiam obsecro, ac separatim Syntychen obsecro, ut concordibus animis sint in promovendo Christi Euangelio.

3 Etiam rogo & te germane compar, adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Euangelio cum Clemente, & ceteris adjutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ.

3 Quin & te rogo vera germanaque conjunx, mecum in Euangelii negotio consentiens, ut istis mulieribus adsis, quæ participes fuere laborum ac periculorum meorum in Euangelio, una cum Clemente, simulque cum reliquis, qui mihi fuerunt in Euangelio cooperarii. Quorum nomina quid attinet à me referri, cum scripta sint in libro vitæ, nunquam abolenda? Ibi scripta sunt omnium nomina, quicunque suis officiis adjuvant rem Euangelicam, quorum de numero estis & vos.

4 Gaudete in Domino semper: iterum dico gaudete.

4, 5 Has ob res gaudete semper, etiam in mediis afflictionibus. Iterum atque iterum jubeo vos læto esse animo, quantumvis sæviat in vos improborum iniquitas, tamen vestra æquitas vestraque moderatio nota sit & spectata cunctis mortalibus, non solum fratribus, verum etiam alienis à Christo, quo citius vestra bonitate provocati, pelliciantur ad Euangelii consortium. Lenitas enim morum conciliat ac frangit etiam impios. Ne velitis illos ulcisci, neve illis suas delicias invideatis. Instat enim adventus Christi, qui & vobis pro spretis hujus mundi commodis, largietur immortalitatem, & illi suæ dementiæ pœnas luent.

5 Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus prope est.

6 Vos in diem vivite, nulla de re solliciti, tantum illud agentes; ut ille adveniens vos offendat paratos, ab illo pendete totis animis. Quod si qua re fuerit opus, ne fidite mundi præsidiis, sed Deum assiduis precibus interpellate: illi votis ardentibus significantes, si quid postulatis: illi gratias agentes, quicquid evenerit, seu prosperum, seu adversum, certi fore, ut per illum & adversa vobis reddantur prospera. Novit ille quidem, etiamsi nihil postuletis, quid vobis sit conducibile, sed tamen amat hujusmodi legationibus appellari, amat piis votis solliciti, ac velut cogi.

6 Nihil sollicitissitis: sed in omni oratione, & obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum.

7 Sic enim fiet, ut pax, qua conciliati estis Deo, res felicior, quam ut humana mens queat percipere, muniat corda vestra, atque animos vestros adversus omnia, quæ hîc possunt incidere formidanda. Quid enim metuat, qui se norit Deo carum esse per Christum Jesum?

7 Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras, in Christo Jesu.

8 Ut igitur harum rerum, quibus vel blanditur, vel terret hic mundus, cura vacuos vos volo, ita totis animis advigilandum est, ut virtutibus ditescatis, quæ vos Deo commendent. Itaque quæcunque sunt vera, & à fuco abhorrentia, quæcunque decora atque honesta, digna quæ his, qui res humiles atque ineptas detestantur, quæcunque justa, quæcunque pura sanctaque, quæcunque ad alendam concordiam accommoda, quæcunque bonam famam conciliant, si qua virtus, si qua laus virtutis comes, hæc vobis curæ & cordi sint, hæc vestris animis obversentur.

8 De cetero fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate.

9 Hæc, inquam, atque his similia, quæ pridem & didicistis, & accepistis à nobis, nec audistis tantum ex me, sed etiam vidistis in me. Non enim docui vos, quod ipse non præstiterim. Hæc eadem igitur non solum memineritis, verum etiam præstetis & ipsi nos imitantes. Hæc agentibus aderit Deus auctor pacis, cui non convenit, nisi cum virtutum cultoribus.

9 Quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite: & Deus pacis erit vobiscum.

10 Porrò voluptati non mediocri fuit animo meo, quod solitus ille vestræ caritatis affectus erga me, jam aliquandiu intermissus, aliquando reviguit, ac veluti refloruit. Imo non fuit intermissus affectus, sed quum is esset sui similis, deerat vobis oportunitas mittendi, quæ volebatis.

10 Gavisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire: sic ut & sentiebatis: occupati autem eratis.

11 Proinde gaudeo non perinde commodo meo, ac vestra caritate, qua gaudeo vos Deo dignos reddi. Neque enim admodum me movet, meæ penuriæ vestra liberalitate subventum esse. Nam harum rerum rudis non sum aut insolens. Imo multo jam usu, ad horum malorum patientiam occallui.

11 Non quasi propter penuriam dico: ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse.

12 Didici præsente fortuna, quæcunque ea fuerit, contentus esse. Novi vel inter pauperculos humilis & pauper esse, novi & inter divites excellere. Si deest, contraho me: si supersit, effundo in aliorum usus, & magnificum largitorem ago. Egestas tutior est, abundantia benignior. Ad omnem locum, ad omne tempus, ad omnem occasionem memet accommodare novi, sic ad utramque fortunam factus & edoctus. Nec me corrumpit saturitas, si adsit rerum copia, nec me dejicit esuries, si desit quod edatur. Nec elatum reddit opulentia, si quid obvenerit supra necessitatem, nec exanimat inopia, si minus est, quam postulet usus vitæ.

12 Scio & humiliari, scio & abundare; ubique & in omnibus institutus sum) & saturiari, & esurire: & abundare, & penuriam pati.

13 Cur enim hæc moveant animum meum, qui compedes & flagra contemno Euangelii gratia? Nihil est horum quod non perpetiar infracto animo, confirmante & corroborante me Jesu Christo, cujus præsidio fortis sum, cum ex me ipso sim nihil.

13 Omnia possum in eo, qui me confortat.

14 Neque vero hæc dixerim, quod vestram munificentiam habeam contemtui: imo vehementer laudo pietatem vestram, qui vosmet inseruerit is in societatem afflictionum mearum, præmiorum quoque participes apud Deum futuri. Amplector sponteneam animi vestri promtitudinem. Nam ipse non soleo quicquam horum officiorum à quoquam flagitare.

14 Verumtamen bene feciſtis, communicantes tribulationi meæ.

Digitized by Google

15 Eſtis enim & ipſi teſtes Philippenſes, cum primum in finitimis Regionibus prædicarem Euangelium Chriſti, & è Macedonia diſcederem, nullam Eccleſiam mihi communicaſſe: certe quod attinet ad rationem dandi atque accipiendi. Nec enim illi dedere quicquam, nec ego ſtudebam accipere.

16 Vos ſoli ultro detuliſtis, non ſolum cum apud vos agerem, verum etiam cum eſſem Theſſalonicæ, ſemel atque iterum miſiſtis abſenti, quæ putabatis mihi eſſe opus. Ditior erat Theſſalonica, ſed vobis animus erat benignior.

17 Non illos incuſo, ſed veſtro profectui gratulor, veſtro lucro gaudeo potius, quam meo. Nam ingens lucrum facit, quiſquis ob Euangelium Chriſti rem minuit temporariam, & alienas opes cum veris & æternis opibus commutat. Ipſe non requiro munus, ſed requiro fructum, qui vobis accreſcit ex iſta munificentia promta & ultronea. Paululum decreſcit rationibus veſtris pecuniariis, nonnihil acciditur cenſui domeſtico, ſed plurimum accedit rationibus cœleſtium præmiorum.

18 Et tamen quod ad me quoque pertinet, non eſt quod doleatis parum gratam fuiſſe veſtram beneficentiam. Recepi omnia, ac nunc veſtra munificentia dives ſum: expletus ſum iis, quæ mihi à vobis pertulit Epaphroditus. Adeo copioſe miſiſtis. Accepi autem non tanquam munus ab hominibus homini miſſum, ſed tanquam hoſtiam Deo gratiſſimam, cui nullus odor ſacrificii gratior eſt, quam ſponta-neum officium Eaangelicæ caritatis.

19 Porro quemadmodum vos veſtras fortunas atteritis, ne quid mihi deſit, ita Deus meus viciſſim ſuppleat vobis, quicquid defecerit in hac vita. Quum enim is opulentus ſit, non ſinet, ut quicquam deſit uſibus veſtris, qui ob ejus Euangelium pauperescitis. Hoc ad ipſius & Chriſti gloriam pertinet.

20 Sic autem omnis gloria Deo Patri noſtro, ſeculis æternis, Amen.

Salutate cunctos, qui juxta Jeſu Chriſti doctrinam, ſanctimoniam, vitæque puritatem ſectantur.

22 Salvere vos jubent viciſſim qui Romæ mecum ſunt Chriſtum profitentes. Nec hi ſolum, qui mecum habent conſuetudinem interiorem, verum etiam cum cæteri omnes, tum præcipue qui ex Cæſaris familia Chriſti doctrinam amplexi ſunt, nec tam ſævi Principis Dominique metu à Chriſti profeſſione deterriti.

23 Favor & benignitas Domini noſtri Jeſu Chriſti ſemper adſit ſpiritui veſtro, Amen.

15 Scitis autem & vos Philippenſes quod in principio Euangelii, quando profectus ſum à Macedonia, nulla mihi Eccleſia communicavit in ratione dati & accepti, niſi vos ſoli:

16 Quia & Theſſalonicam ſemel & bis in uſum mihi miſiſtis.

17 Non quia quæro datum, ſed requiro fructum abundantem in ratione veſtra. 18 *Habeo autem omnia, & abundo: repletus ſum, acceptis ab Epaphrodito quæ miſiſtis, odorem ſuavitatis, hoſtiam acceptam, placentem Deo.*

19 Deus autem meus impleat omne deſiderium veſtrum, ſecundum divitias ſuas, in gloria in Chriſto Jeſu.

20 Deo autem & Patri noſtro gloria in ſæcula ſæculorum: Amen.

21 Salutate omnem ſanctum in Chriſto Jeſu.

22 Salutant vos, qui mecum ſunt, fratres. Salutant vos omnes ſancti, maxime autem qui de Cæſaris domo ſunt. 23 *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpiritu veſtro. Amen.*

PARAPHRASEOS IN EPISTOLAM D. PAVLI AD PHILIPPENSES

FINIS.

VERSVS MEMORIALES

In D. PAVLI EPISTOLAM AD PHILIPPENSES.

Acſito grates: Blande laudat: Caſa cutis nil: | Dilecti ſtetis: bis duo membra Philip.

IN EPISTOLAM PAVLI APDSTOLI AD COLLOSSENSES

ARGVMENTVM,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

COLOSSENSES *in* Aſia *minore ſunt, finitimi* Laodicenſibus. *Hos non viderat Apoſtolus: nam* Archippi, *ſive quod addit* Ambroſius, Epaphræ, *quibus hoc delegatum erat, prædicatione converſi ſunt ad* Chriſtum. *His vehementer imminebant Pſeudapoſtoli, conantes in dogma multo perverſiſſimum inducere, docentes, Filium Dei non eſſe ſalutis auctorem, ſed per Angelos viam patere ad Patrem. Neque enim veniſſe Filium Dei in hunc mundum, neque venturum, quum in Veteri Teſtamento per Angelos adminiſtrata ſint omnia. Deinde* Judaiſmum *& Philoſophiæ ſuperſtitionem cum* Chriſti *doctrina miſcebant, obſervantes quædam Legis inſtituta, & ſuperſtitioſe obſervantes Solem, Lunam, ac Stellas, & Elementa hujus Mundi, quibus docebant nos eſſe obnoxios. Hos igitur ſuæ profeſſionis commonefacit, oſtendens illos quicquid hactenus aſſequuti ſunt, non Angelis debere, ſed Chriſto Angelorum conditori, hunc unum eſſe caput Eccleſiæ, nec ab alio quoquam petendam ſalutem: atque interim auctoritatem ſuam aſſerit. Diligenter autem monet, ne Pſeudapoſtolorum magniloquentia, confictiſque viſionibus Angelorum ſibi imponi paterentur, & vel in* Judaiſmum, *vel in philoſophicam ſuperſtitionem prolaberentur. Atque hac agit duobus primis Capitibus. In reliquis hortatur ad officia pietatis, nominatim præſcribens, qualis uxor erga maritum, qualis debeat eſſe maritus in uxorem, qualis parens erga liberos, liberi erga parentes, ſervi erga dominos, domini erga ſervos. Extrema pars ſalutationibus occupatur, niſi quod* Archippum *commonet officii ſui. Scripſit autem è carcere ab* Epheſo *per* Tychicum, *quod ipſe palam teſtatur in hac Epiſtola. Noſtra argumenta addunt* Tychico *collegam* Oneſimum, *quemadmodum ipſe teſtatur Cap.* IV. Græcorum *inſcriptiones ex urbe* Roma *miſſam teſtantur, hinc certe remiſit* Oneſimum, *quem illic in vinculis genuerat* Chriſto.

ARGVMENTI FINIS.

IN

Digitized by Google

IN EPISTOLAM D. PAVLI AD COLOSSENSES

PARAPHRASIS,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

CAP. I.

Abstulit à tenebris Christus verus Deus: illa
Impleo quæ desunt: justa minister ago.

1 PAVLVS *Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater:*

2 *Iis, qui sunt Colossis, sanctis, & fidelibus fratribus in Christo Iesu.*

3 *Gratia vobis & pax à Deo, Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Gratias agimus Deo, & Patri Domini nostri Iesu Christi, semper pro vobis orantes:*

4 *Audientes fidem vestram in Christo Iesu, & dilectionem quam habetis in sanctos omnes,*

5 *Propter spem, quæ reposita est vobis in cœlis: quam audistis in verbo veritatis Euangelii.*

6 *Quod pervenit ad vos, sicut & in universo mundo est, & fructificat, & crescit, sicut in vobis, ex ea die qua audistis, & cognovistis gratiam Dei in veritate.*

7 *Sicut didicistis ab Epaphra charissimo conservo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Jesu,* 8 *Qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu.*

1,2 PAVLVS Legatus Jesu Christi, idque non ex institutione hominum, sed ex voluntate Dei Patris, simulque Timotheus, qui mihi fratris est loco, ob perfectum in Euangelio consensum, his qui Colossis agunt, fidentes Christo Jesu, & ad hujus doctrinam vitæ sanctimoniam sectantes, nobis jam carissimi fratres professionis consortio. Sit vobis gratia & pax à Deo Patre nostro, ut quemadmodum illi gratis estis reconciliati, ita mutuam inter vos concordiam semper alatis, sicuti decet fratres communi patre gloriantes.

3 Tametsi non contigit mihi videre vos, tamen in precibus nostris, quibus assidue compellamus Deum & Patrem Domini nostri Jesu Christi, simul etiam pro vobis, & gratias agimus pro donis illius in vos collatis, & precamur, ut suas dotes in dies augeat, ac tueatur auctas;

4 Posteaquam per Epaphram cognovimus fidem vestram, qua confidimus vos fore incolumes, non Angelorum præsidio, sed gratuito beneficio Christi Jesu, per quem Patri visum est nobis omnia largiri. Nam & hunc Christum appellari voluit, ut ex illo salutem haurirent omnes, & Jesum, ne aliunde quis speraret salutem.

5 Neque solum cognovimus fiduciam vestram erga illum, verum etiam hujus comitem caritatem, quam ad Christi exemplum habetis erga sanctos, de quibus studetis benemereri, non ulla spe redituri interim ad vos cum fœnore beneficii, sed spe immortalitatis, quam scitis vestræ pietati reconditam in cœlis. Sic enim vere persuasum est vobis per Euangelium Christi, quod ita verax est, ut licet ingentia polliceatur, & inaudita proferat, tamen quoniam auctore Deo nititur, mentiri non possit.

6 Quod ut per universum mundum, in dies magis ac magis propagatur, ita ad vos quoque pervenit, quotidie crescens & augescens, latius spargens sese, simulque fructificans piis operibus, quæ gignit ultro Christiana caritas: quod idem accidit in vobis, semper ad meliora proficientibus, ab eo die, quo primum audistis & cognovistis vere per gratuitam Dei beneficentiam omnibus condonari peccata, qui credunt Euangelio, si rectæ credulitati copuletur sincera caritas.

7 Sic enim didicistis ab Epaphra carissimo conservo meo, bonæque fidei Apostolo, quippe qui sincere nostri vicibus functus est apud vos, sic administrans pro Jesu Christo functionem Euangelicam, ut in omnibus integre sese gesserit.

8 Sicut igitur per hunc vos docui, ita per eundem intelligimus vestram erga nos benevolentiam, non vulgarem illam, qua vulgo bene volunt notis & amicis, sed spiritualem & Euangelicam, qua diligimus omnes, per quos illustratur, & confirmatur Euangelii gloria, etiamsi corporeis oculis nunquam sint nobis conspecti.

9 Nos itidem isti in nos animo respondentes, etiam non visos amamus, ex eo statim die, quo de credulitate vestra, deque caritate certiores facti sumus, assiduis precibus interpellantes Deum pro vobis, ac votis ardentibus flagitantes, ut sua munera, quæ largiri cœpit, perficiat, atque absolvat in vobis, quo & plenius agnoscatis illius voluntatem, edocti non humana philosophia, aut superititiosa quorundam hominum persuasione, sed sapientia prudentiaque spirituali, cujus jam bonam portionem estis assequuti;

10 In qua cupio vobis nihil deesse, quo perfecti sic omnem vitam agatis, ut digna Deo videatur, utque illi per omnia placeatis, non prætermittentes ullum opus bonum, nam his rebus illi placetur. Siquidem credidisse Euangelio, rudimentum est salutis, absolvitur autem ac perficitur piis actionibus.

11 Neque satis est per Euangelium didicisse, Deum esse salutis auctorem per Jesum Christum Filium suum, nisi per hanc scientiam Christianæ caritatis officiis adolescatis ac fructificetis, usque & usque in melius proficientes, atque in his constanter perseveretis, omni robore confirmati, ne qua vis aut procella persecutionis vos dimoveat à recto cursu, quam ad rem magnis sane viribus opus est. Eas non est quod ipsi nobis ex nobis ipsis polliceamur: Deus illas suppeditet oportet, sic ut omnis gloria eorum, quæ per nos fortiter geruntur, ad illum redeat, cujus beneficio nobis præstatur, uti summa cum tolerantia, summaque animi lenitate perferamus quicquid interim nobis obstrepit ob Euangelium Christi.

12 Neque satis est, ut in his fortes simus & intrepidi, quin potius decet, ut alacriter etiam suscipiamus afflictiones, cum gaudio gratias agentes Deo Patri, qui vos hoc honore dignatus sit, ut cum antea fueritis simulacrorum ac Dæmonum cultores, dignatus sit adsciscere in consortium Judæorum, qui ob veri Dei cultum præ vobis erant sancti, & ad eandem hæreditatem admittere immortalitatis, cujus spe contemnendum est, quicquid hîc vel territat, vel blanditur:

13 Utque vobis, qui prius in densissimis ignorantiæ tenebris versabamini, lucem Euangelicæ veritatis impartierit, & qui prius fœdissimam simul & miserrimam servitutem serviebatis, sub tyrannide Diaboli tenebrarum principis, inde vos exemtos transtulerit in regnum Filii sui, quo nihil habet carius, ut in illius corpus adsciti, cum eodem haberetis regni consortium.

14 In quo locus non est iis, qui peccato sunt obnoxii, eoque per Filium Dei data est libertas, per quem remissa nobis sunt peccata vitæ superioris. In hujus igitur jus cessistis, cujus beneficio fuistis restituti. Ac videte quam felix commutatio.

15 Prius ad Diaboli corpus pertinebatis, nunc insiti estis corpori Christi, cujus tanta est dignitas, ut imago sit Dei Patris, qui lucem habitat inaccessam, nec à quoquam cerni potest, etiamsi per Filium nobis utcunque cernitur, ipsi ut simillimum, ita etiam æqua-

9 *Ideo & nos ex quo die audivimus, non cessamus pro vobis orantes, & postulantes ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia & intellectu spirituali:*

10 *Ut ambuletis digne Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei:*

11 *In omni virtute confortati secundum potentiam claritatis ejus, in omni patientia & longanimitate cum gaudio,*

12 *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine:*

13 *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis suæ;*

14 *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum:*

15 *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ:*

Digitized by Google

æqualem. Neque enim minus sapiens est, aut minus potens, aut minus bonus quam Pater. Neque hæc illi nuper accesserunt, sed antequam quicquam esset conditum, ille ab æterno fuit imago Patris æterni, non conditus, sed natus ab eo, à quo sunt omnia, quique solus nullum habet principium.

16 Quoniam in ipso condita sunt universa in cælis, & in terra, visibilia, & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt:

16 Is ex se genuit Filium, ac per Filium, simulque cum Filio creavit & condidit universa, quicquid usquam est rerum, sive in cœlis, sive in terris, visibile pariter atque invisibile, nec Angelis ipsis exceptis, etiam summatibus, sive thronos dicas, sive dominationes, sive principatus, sive potestates. Quæ sic præcellunt cæteris rebus creatis omnibus, ut longe tamen sint infra dignitatem ejus, cui vos estis adglutinati. Quod enim conditum est, inferius sit oportet suo conditore.

17 Et ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.

17 At per Christum non solum condita sunt omnia, verum etiam ab eodem gubernantur & servantur omnia, hac quoque in parte Patri compare & consorte. Ipse vero nullo posterior est, sed præcedit omnia condita quæ per eundem consistunt, peritura, ni penderent ab illo.

18 Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens.

18 Videtis quæ sit dignitas ac præminentia Christi, ne quis nimium tribuat Angelis. At ne majestas illius vos deterreat, audite bonitatem ejusdem, ne putetis alium vobis quærendum esse, per quem aditum habeatis ad Patrem. Sic enim est princeps omnium Angelicarum mentium, ut idem non dignetur esse caput Ecclesiæ, quam sibi sic adglutinavit, ut non aliter cum ipso cohæreat, quam corpus annexum est capiti. Proinde nobis commune sit oportet, quicquid in capite præcessit. Primus ille resurrexit à morte, non ut solus frueretur immortalitate, sed ut nos sua membra ad immortalitatis consortium eveheret. Quod primitiis tribuitur, toti massæ commune sit oportet. Ille quidem princeps & auctor resurrectionis, sed per illum resurrecturi sumus & nos: & quemadmodum primas tenet in rebus conditis, sic tamen, ut ipse conditus non sit: sic & in restitutione rerum conditarum primas tenet, ut sicut illi debemus quod nati sumus, ita eidem debeamus, quod ad salutem renati.

19 Quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare:

19 Sic enim Patri visum est, ut in Filium transfunderet plenitudinem omnem divinæ potestatis ac bonitatis, quæ sic in illo maneret, ut non esset opus quicquam unquam aliunde petere, cum nihil velit aut possit Pater, quod idem non velit ac possit Filius. Non est nostrum disquirere, cur ita visum sit Patri, cum certum sit, optimum esse quicquid ille decrevit.

20 Et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt.

20 Sic, inquam, illi visum est, & ad nostram salutem & ad suam gloriam conducere, ut omnia sibi reconciliaret, non per Angelos, sed per Filium proprium, qui suo sanguine, supplicioque crucis, pro nostris peccatis pœnas daret, ut abolitis peccatis, quæ dirimebant concordiam & pacem cœlestium ac terrestrium, jam amicitia jungerentur omnia, sive quæ in cœlis sunt, sive quæ in terris, nimirum in unum Christum conspirantia.

21 Et vos cum essetis aliquando alienati, & inimici sensu in operibus malis:

21, 22 Quorum de numero vos quoque estis, qui cum olim sic essetis alienati à Deo, ut simulacra Dæmonum pro illo coleretis, neque solum propria voluntate dissideretis ab illo, verum impiis operibus hostes ageretis, tamen ille nunc vos nec exspectantes, nec promerentes reconciliavit sibi, & ex hostibus fecit amicos ac filios, idque non Angelorum ministerio, sed per corporalem mortem unigeniti Filii, quem in hoc ipsum voluit mortale corpus assumere. Et quoniam pax non potest esse cum Deo nocentibus, gratis condonavit omnia commissa vitæ superioris, ut exhiberet vos sanctos & irreprehensibiles & inculpatos in conspectu suo.

22 Nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos sanctos, & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso:

23 Si tamen permanetis in fide fundati, & stabiles, &

23 Quis enim vobis imputet priora debita, si ipse sibi fert accepta? Id futurum est, si semel gratis admissi ad fidem Euangelicam, semper in eo perseveretis quod estis professi, ac solido innixi fundamento, sic vos præbeatis stabiles, ut nec per homines, nec per Angelos dimoveamini à Christo, unde nobis speranda quæcunque promittit Euangelium, cui semel audito credidistis, quod neque vobis tantum prædicatum est, sed prædicatum est palam omnibus orbis Nationibus, quas cœli ambitus complectitur. Inconstantis est descisere ab eo, quod semel est probatum. Impudentis est, pro vano habere, in cujus credulitatem consentit orbis universus, postremo cujus ipse Paulus sum prædicator, haudquaquam relicturus Legem patriam, & cum Euangelio Christi commutaturus, ni compertum haberem, negotium esse cœleste, & à Deo profectum.

immobiles à spe Euangelii, quod audistis, quod prædicatum est in universa creatura, quæ sub cælo est, cujus factus sum ego Paulus minister.

24 Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia:

24 Nunc adeo mihi persuasum est, verax esse Euangelium, ut non solum me non pœniteat aut pudeat, verum etiam gaudens patiar, ac gloriæ mihi ducam flagra, carceres, compedes, quas non pro meis facinoribus, sed pro vestra salute tolero, quos reclamantibus Judæis, doceo non minus ad Euangelii beneficium pertinere quam ipsos Judæos. Cur enim non dicam me pro vestra salute pati, pro qua passus est Christus? Cur pigeat Apostolum facere, quod non gravatus est facere princeps noster? Ille non solum in suo corpore passus est pro nobis, verum etiam in nostro quodammodo patitur, velut supplens per suos vicarios, quod in illius afflictionibus videri poterat diminutum, non quod illius mors per se non sufficiat, sed quod una quodammodo sit afflictio capitis & membrorum, principis & vicariorum, quæ quo copiosior est, hoc magis redundat in cumulum vestræ salutis. Imo non vestræ solum, sed totius corporis Christi, quod est Ecclesia.

25 Cujus factus sum ego minister secundum dispensationem Dei, quæ data est mihi in vos, ut impleam verbum Dei:

25 Fungor officio delegato, mihi mandata est Ecclesiæ cura. Christus suas vices mihi delegavit, tradidit sui corporis custodiam hac præcipue portione, quæ Gentes respicit ad Euangelium recipiendas, ut opera mea suppleam, quod huic videbatur deesse, evulgaremque quod plurimis retro seculis ac Gentibus fuit absconsum, videlicet non Judæis tantum, verum etiam Gentibus per fidem aditum patere ad salutem Euangelicam.

26 Mysterium, quod absconditum fuit à seculis, & generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus,

26 Id jam olim Deo decretum fuerat, sed tamen orbi fuit hactenus celatum, nunc mea prædicatione potissimum patefactum est iis, qui pristina vita relicta, Christi doctrinam amplectuntur:

27 Quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ sacramenti hujus in Gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriæ,

27 Quibus visum est Deo patefacere, quam gloriosa sit illius in nos opulentia, cum evulgato quod ante latebat arcano, totus mundus intelligit gratuitam salutem, quam primum credebant solis Judæis delegatam*, omnium Gentium esse communem. Nec requiri Mosaicæ Legis observationem, sed fidem duntaxat, qua non dubitent de promissis Euangelicis. Pro cunctis, quibus stulte fidunt Judæi, Christus unus vobis satis est. Is si in vobis est, non est quod vos pœniteat spei vestræ, & firmæ satis, & gloriosæ per illum, qui quod pollicitus est, haud dubie præstabit ex sese.

28 Quem nos annuntiamus, corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem, in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu.

28 Hunc nos prædicamus, non Mosen, aut Angelos, admonentes non Judæos tantum, sed omne mortalium genus, ac docentes, neque omnino quicquam prætermittentes, quod ad Euangelicam sapientiam pertinet. Nimirum ut intelligant omnes homines, perfectam salutem non alibi constituendam, quam in Christo Jesu, sive circumcisi sint, sive præputiati.

29 In quo & laboro, certando secundum operationem ejus, quam operatur in me in virtute.

29 Ad quod persuadendum sic adnitor, ut non pigeat hujus rei gratia, tot me periculis ac malis objicere, gravioribus utique, quam ut nostra imbecillitas perferre possit. Sed potens est ille, cujus instinctu atque ope hæc per me geruntur, nostro sermoni fidem conciliantibus (cum res postulat) etiam miraculis.

* Altera Editio, *delatam.*

CAP.

Digitized by Google

CAP. II.

Belle ſuadet eis, Legis, mundique, hominumque Præcepta, à Chriſti morte, valere nihil.

1 *Volo enim vos ſcire quàdem ſollicitudinem habeam pro vobis, & pro iis qui ſunt Laodiciæ, & quicumque non viderunt faciem meam in carne:*

1 HÆc mihi dicta ſunt Coloſſenſes, non quo me jactitem apud vos, ſed quod cupiam vos ſcire, quanta me teneat ſollicitudo, quantumque periculorum adeam, non ſolum pro his, quibus ipſe præſens tradidi doctrinam Euangelicam, verum etiam pro iis, quibus de facie notus non ſum, præcipue pro vobis ac Laodicenſibus, quos tametſi corporis oculis non conſpexerim, animi tamen oculis contemplor aſſidue, gaudens de profectu, trepidans ſi quid periclitari ſenſero, aut labaſcere veſtram integritatem. Neque perinde mea refert, ut hæc ſciant, qui me non viderunt, atque ipſorum.

2 *Ut conſolentur corda ipſorum, inſtructi in charitate, & in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem myſterii Dei patris & Chriſti Jeſu:*

2 Exſtimulantur enim mea ſollicitudine, meiſque periculis & afflictionibus, ut magis conſentiant & cohæreant Euangelica caritate, membrorum in morem inter ſe compacti & coagmentati: quoque magis intelligant, ac certius credant, opulentam Dei Patris beneficentiam, in omne mortalium genus, imo in omnia quæque in cœlis, quæque in terris, ſeſe largiter diffundentem, patefacto jam arcano per Jeſum Chriſtum, quod hactenus celatum erat:

3 *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.*

3 Videlicet extra unum hunc, nihil nobis expetendum humanæ ſapientiæ, ſive quid promittunt hujus mundi Philoſophi, ſive quid pollicentur Moſaicæ Legis Doctores, ſive quid alii jactant ſeſe doctos ex Angelorum colloquiis, cum in hoc uno reconditi ſint & abſtruſi omnes theſauri ſapientiæ, & cognitionis fructiferæ. Ex hoc fonte compendio licet haurire, quicquid ad veram ſalutem pertinet.

4 *Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in ſublimitate ſermonum.*

4 Atque hæc quæ dicimus eo tendunt, ut etiam atque etiam caveatis, ne quis humanis artibus inſtructus adverſus Euangelicæ doctrinæ ſimplicitatem, fucum vobis faciat, & imponat falſo ſermone, ſed in ſpeciem probabili ac veriſimili. Solent enim hujus mundi Sophiſtæ captiunculis quibuſdam, & argutiis rationum humanarum, animos ſimplicium illaqueare. Non me clam eſt, eſſe quoſdam tales apud vos, inſidiantes ſinceritati fidei veſtræ.

5 *Nametſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum: gaudens, & videns ordinem veſtrum, & firmamentum ejus, quæ in Chriſto eſt, fidei veſtræ.*

5 Nam tametſi corpore abſum, nec video coram, quid apud vos agatur, animo tamen adſum, cum gaudio ſpectans ordinem ac ſtatum vitæ veſtræ, ſimulque contemplans ſoliditatem ac robur fiduciæ veſtræ, quam habetis in Chriſto Jeſu, cui ſemel vos totos concredidiſtis.

6 *Sicut ergo accepiſtis Jeſum Chriſtum Dominum, in ipſo ambulate,*

6 Supereſt, ut in eo, quod recte cœptum eſt, perſeveretis ac proficiatis, & quemadmodum ſemel accepiſtis, & credidiſtis, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum nobis eſſe ſummam bonorum omnium, fontem ac caput felicitatis noſtræ, ita vita omnis profeſſioni fideique reſpondeat, ut quemadmodum ſemel illi eſtis inſiti per baptiſmum, ita fixis in eo radicibus, robur colligatis.

7 *Radicati, & ſuperædificati in ipſo, & confirmati fide, ſicut & didiciſtis abundantes in illo in gratiarum actione.*

7 Et ſicut ſemel in vobis jactum eſt Euangelicæ doctrinæ ſolidum fundamentum, ita quæ tali fundamento digna ſint ſuperſtruatis. Ne vacillantes ad quemvis ventum novæ doctrinæ, nunc huc, nunc illuc nutetis, ſed firmi & immobiles perſiſtatis in eo, quod ſemel didiciſtis: neque perſiſtatis tantum, ſed in dies magis exuberetis, ut in dies augeſcente fidei & religionis veſtræ profectu, ſemper ſit pro quo gratias agatis Deo, cui acceptum ferri oportet, quicquid recte geritur.

8 *Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum:*

8 Vigilant qui inſidiantur ſinceritati veſtræ, vobis contra vigilandum, ne capti magnifica quadam ſpecie philoſophiæ, ſeducamini à ſoliditate fidei ad inanes hominum commentatiunculas, ac præda fiatis hoſtibus: id fiet, ſi averſi à præſcripto veritatis Euangelicæ, duci cœperitis conſtitutionibus ac præſcriptis humanis, quæ ſita ſunt in rebus viſibilibus, & in elementis hujus mundi craſſis; cum Chriſti doctrina cœleſtis ſit, ac veram tradat pietatem, in animis ſitam, non in cibo potuve, non in cultu corporis, non in obſervatione dierum, aut lotione manuum, quæ nihil conducunt ad veram religionem. Iſta magis avocant à Chriſto, diſtrahuntque à fonte, à quo petenda ſunt omnia.

9 *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter:*

9 Siquidem in hunc non velut in lacunam dotes aliquot derivatæ ſunt, ſed in eo perſeverat atque inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, ut hunc habentes, non ſit quod umbras Moſaicæ Legis, aut humanæ philoſophiæ præſtigias ſectemini. Veritas palam exhibita eſt omnibus ſenſibus, non eſt quod jam typos, aut ambiguas pollicitationes ſpectetis.

10 *Et eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis:*

10 Chriſto igitur cum ſitis ſemel inſiti, & in unum corpus compacti, non eſt quod aliunde quicquam deſideretis. Illi cum nihil deſit, & ſua velit vobis eſſe communia omnia, vos quoque per illum completi ſitis oportet, ſive ſapientiam deſideratis, ſive poteſtatem. Siquidem hic, ut eſt fons inexhauſtus omnis ſapientiæ, ita eſt caput omnis principatus ac poteſtatis. Nec eſt ulla poteſtas inter ſummos etiam Angelos, quæ huic non ſubmittat genua.

11 *In quo & circumciſi eſtis circumciſione non manu facta in expoliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Chriſti:*

11 Fortaſſe Judæus ceu magnum quiddam vobis perſuadere conatur, ut ad ipſius exemplum præputii pelliculam amputetis, perinde quaſi Deo nos commendet habitus corporis. Imo quicunque Chriſtum habent, habent & circumciſionis gloriam: qui non habent, horum inutilis eſt circumciſio. Umbram circumciſionis habent illi, res ipſa penes vos eſt. Cum enim Judaica circumciſio ſignificet craſſas ac terrenas cupiditates reſecandas ab animis, jam nihil niſi cœleſtia ſpectaturis, illi prorſus ſunt incircumciſi, qui torquentur habendi ſtudio, qui ventri ſerviunt, qui livore macerantur, qui gloriam aucupantur apud homines, qui cœleſtia præmia deſperant. Vos contra vere eſtis circumciſi per Chriſtum, non ea quidem circumciſione, quæ fit manibus, ſed ſpirituali. Neque enim particula modo carnalis hominis reſecta eſt in vobis, ſed totum corpus peccatis contaminatum, & carnalibus cupiditatibus vitiatum, detractum eſt vobis, ſpirituali circumciſione Jeſu Chriſti.

12 *Conſepulti ei in baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitavit illum à mortuis.*

12 Nam quemadmodum ille moriens, depoſuit corpus morti obnoxium, & reſurgens recepit corpus immortale: ita vos per baptiſmum juxta ſpiritum, una cum illo mortui eſtis, depoſitis omnibus peccatis vitæ priſtinæ, nec mortui ſolum cum eo, verum etiam ſimul cum illo ſepulti. Mortificatis enim affectibus ſequitur altiſſima quies mentis.

13 *Et vos, cum mortui eſſetis in delictis, & præputio carnis veſtræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta:*

13 Atque ita depoſito corpore, quod erat peccatis obnoxium (peccatum autem animæ mors eſt) per Chriſtum una cum ipſo reſurrexiſtis à peccatis liberi, non per merita veſtra, ſed tantum quia pure creditis Deum, qui ſua virtute reſuſcitavit Chriſtum à mortuis, & hoc ſua vi in vobis agere, ut per Filii mortem gratis condonatis peccatis omnibus, poſthac cum illo vivatis, nullis obnoxii peccatis, ſed innocentiæ jugi ſtudio ad veram immortalitatem properantes. Ergo Patri Deo debentur omnia, quæ vobis largitur per Filium. Non profuit Judæis carere præputio, nec vobis obfuit præputium corporale. At mortiferum erat præputium, quod addicti craſſis & impiis cupiditatibus eſſetis obnoxii morti: imo juxta ſpiritum mortui, carentes Deo, qui vita eſt mentium. Hoc, inquam, præputium vobiſcum erat nobis commune, quod ille ſuo ſpiritu amputavit, ſemel condonatis nobis omnibus peccatis noſtris, & ita condonatis, ut nihil eſſet periculi, ne nobis in poſterum imputarentur, propterea quod verbis conceptis in Moſaicæ Legis obedientiam juraſſemus, & ob hoc non ſervatæ Legis reos nos agere poſſet adverſarius, velut ex ſyngrapha obſtrictos.

Digitized by Google

14 *Dolens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci:*

15 *Et expolians principatus, & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.*

16 *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum:*

17 *Quæ sunt umbra futurorum: corpus autem Christi.*

18 *Nemo vos seducat, volens in humilitate, & religione angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ,*

19 *Et non tenens caput, ex quo totum corpus, per nexus & conjunctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum Dei.*

20 *Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi: quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis?*

21 *Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis:*

22 *Quæ sunt omnia in interitum ipso usu, secundum præcepta & doctrinas hominum: quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione, & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.*

1 *Igitur, si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens.*

2 *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.*

3 *Mortui enim estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.*

4 *Cum Christus apparuerit, vita vestra; tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.*

5 *Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam, quæ est simulacrorum servitus:*

6 *Propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis:*

7 *In quibus & vos ambulastis aliquando, cum viveretis in illis:*

8 *Nunc autem deponite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro.*

9 *Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis,* 10 *Et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit illum.*

14 Imo vetus illud chirographum, per quod nos urgebat Diabolus, Christus antiquavit professione fidei Euangelicæ, per quam non imputantur ulli vitæ prioris commissa. Quicquid enim ex hoc chirographo poterat à nobis exigi, id ipse Christus dependit in cruce, in qua dilaceratum est chirographum, ac penitus sublatum est è medio.

15 Nec est quod Satanæ tyrannidem metuamus, posteaquam Christus in cruce sua morte mortis auctorem devicit, nos ereptos, velut opima spolia, referens à devictis ac triumphatis principatibus ac potestatibus Dæmoniacis. Tunc enim illos libere palamque victos atque exsutos ostendit, cum hominibus, tum Angelis, circumferens velut in triumpho, & ostentans adversarios concisos fractosque, non Angelorum aut hominum præsidiis, sed sua ipsius virtute, tam magnificum trophæum suspendit in cruce, ut esset omnibus è sublimi conspicuum.

16 Tantum ne relabamini in pristina peccata. Non est periculum ne quis vos condemnet ob neglectas Mosaicæ Legis ceremonias, videlicet ob cibum aut potum mundum aut immundum, ob discrimen diei festi aut profesti, ob novilunium non observatum, ob otia Sabbatorum violata.

17 Siquidem hæ fuerunt umbræ, quæ portenderent olim ac delinearent ea, quæ post essent vere exhibenda à Christo. Cæterum posteaquam corpus ipsum tenemus, posteaquam veritas nobis palam illuxit, quid adhuc umbras metuimus? Qui Christo capiti adhæret in cœlis agenti, non curat nisi cœlestia, rectaque tendit ad præmium immortalitatis.

18 Cavete igitur ne quis vos ad terrena revocans, præmium, quod sectari cœpistis, vobis intervertat: pro sublimibus docens humilia, pro vera Christi religione superstitiosum quendam Angelorum cultum inducens, commentitiis quibusdam visis sese jactitans apud simplices, elatus carnali affectu suo, quo gloriam venetur apud homines, velut ex oraculis Angelorum ea docens, quæ ex sese confinxerit:

19 Nec animosus in eo, præ quo decet omnia, quantumvis sublimia, contemnere, sic fretus Angelis, ut à Christo capite cœlesti desciscat, ex quo totum Ecclesiæ corpus pendens, ab eodem omni dote spirituali defluente in singula membra per commissuras artuum ac membrorum, alitur ac augescit usque ad summam perfectionem spiritualem, Deo dignam, cui per Christum connectimur.

20 Si Christus huic visibili crassoque mundo mortuus est, & agit in cœlis, & si cum illo mortui estis juxta vitæ studium, elementis mundi, nihil spectantes præter cœlestia, quorsum attinet obnoxios esse decretis humanis, præscribentibus non quæ Christum sapiant, sed elementa mundi? perinde quasi jam non sitis mortui talibus, sed adhuc vivatis in mundo.

21 Cur auditur Judæus hæc præscribens, juxta carnalem sensum Mosaicæ Legis? Ne tetigeris hoc corpus, impurum est; ne gustaris hunc cibum, impurus est; ne contrectaris hanc rem, sacra est, nec fas est à profano tangi.

22 Quasi vobis non sufficiat doctrina Christi, ita talibus præscriptis auscultatis juxta constitutiones ac doctrinas hominum, persuadentium, in ciborum delectu, in observatione dierum, cæterisque Judaicis præscriptis sitam esse pietatem. Cibus, potus, aut vestis non commendat nos Deo, sed ad necessitatem corporis adhibentur, ipsoque abusu consumuntur, nec resident in animis nostris.

23 At qui hæc docent, præ se ferunt nescio quam falsam speciem sapientiæ apud stultos & imperitos, atque hoc pluris fiunt, quo magis impleverint animos hominum superstitione vitiosaque humilitate. Nam plane superstitio est, Angelos æquare Christo. Prava humilitas est, per Angelum sperare, quod ab ipso Christo petendum erat, aut certe per Christum à Patre. Cibi, cæteraque visibilia non ad hoc data sunt, ut cum corporis injuria cogamur ab his abstinere, sed potius ut horum adminiculo corpori subveniatur, veste quacunque defendatur adversus ventorum aut frigoris injuriam, cibo quocunque saturetur, citraque discrimen adhibeatur, quocunque tempore, quocunque loco, quidlibet, quantumlibet opus fuerit ad præsentem necessitatem. Ista curant Judæi, qui nondum habent mentem à crasso carnalique Legis intellectu circumcisam.

CAP. III.

Cœlum quisque petat: terrestria mortificate:
Hoc uxor, fili, serve sequaris iter.

1 HUMILIA sunt ista, & indigna germanis Christi membris. Vos si vere mortui terrenis rebus, una cum Christo surrexistis ad studium rerum sublimium & æternarum, contemtis istiusmodi rebus humilibus, sublimia quærite, cœloque digna, ubi caput vestrum Christus dexter assidet Deo Patri.

2 Par est enim illuc tendere studia curasque membrorum, ubi jam versatur caput, ubi & ipsa post cum suo capite regnatura sunt. Ibi quisque vivit, ubi amat.

3 Huic mundo videmini mortui, quibus nec arridet mundana felicitas, neque curæ sunt ea, quibus mundi cultores commoventur. Proinde non vivitis hîc apud homines, sed tamen cum Christo vivitis apud Deum, etiamsi interim vita vestra abscondita est, juxta judicium mundi.

4 Cæterum cum Christus rursus advenerit, orbi declaraturus & suam & totius corporis sui gloriam, tunc & vos una cum capite conspiciemini gloriæ consortes.

5 Interim curandum, ut totum corpus sublimi cœlestique capiti respondeat, cujus membra nisi penitus hîc moriantur terrenis cupiditatibus, non poterunt in cœlis vivere cum Christo. Habet & Diabolus suum corpus, quod alibi dixi corpus peccati. Hujus membra sunt, scortatio, quæ mundi cultoribus etiam laudi datur: immunditia, mollicies, reliquaque genera libidinis, fœdiora quam ut vel nominari debeant, rerum noxiarum cupiditates, ut gloriæ, ut principatus, ut vindictæ: cum primis autem pecuniæ, quod malum proxime accedit ad omnium scelleratissimam impietatem, cultum simulacrorum.

6 His qui obnoxii sunt, non possunt esse consortes gloriæ Christi, tantum enim abest, ut talibus inquinati possitis esse filii Dei, ut ob hæc sævierit etiam in suos filios Judæos, tanquam immorigeros abdicans ac perdens.

7 His malis quondam inquinata fuit & vestra vita, cum nondum per baptismum mortui cum Christo, vivebatis malis cupiditatibus.

8 Nunc per illum renatos, æquum est & vos omnia vitæ prioris abjicere, posteaquam Christus nihil mortale aut terrenum sibi fecerit reliquum. Neque solum abjicienda sunt illa enormia, de quibus modo diximus, verum etiam hæc, in quibus hominum vulgus sibi ignoscit: quod genus sunt, ira, tumor, malitia, maledicentia: nec animus tantum purus sit ab his cupiditatibus, verum etiam os purum sit ab omni turpiloquio.

9, 10 Christus ipsa est veritas, non decet ut hujus membra inter vos mentiamini. Ac ne singula persequar, postea quam Christum induistis, exuite totum veterem hominem terrenum, una cum actibus & cupiditatibus suis, & induite novum, qui nescit senium, sed in dies augescente in ipso cognitione Dei, floreſcit ac suboleſcit in melius ac majus, ad ima-

rem hominem cum actibus suis, 10 *Et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit illum.*

Digitized by Google

imaginem Christi, qui ipse novus homo, & in nobis condidit novum hominem, exstincto vetere.

11 Ubi non est Gentilis, & Judæus, circumcisio, & præputium, Barbarus, & Scytha, servus, & liber: sed omnia, & in omnibus Christus.

11 Quotquot enim in Christi corpus insiti sumus, adeo desiimus esse quod fuimus, quasi rursus alio modo conditi, ut hîc nullum sit discrimen inter Ethnicum & Judæum, inter verpum & præputiatum, inter Barbarum aut Scytham, & Græcum aut Athenienſem, inter servum & ingenuum. Ex his æstimantur homines apud mundum, apud Deum nullus est harum rerum respectus, sed Christus ex æquo communis omnium, solus omnia suppeditat omnibus. Is servo est libertas, pauperi divitiæ, barbaro cultus, præputiato circumcisio. In summa, per hunc inter vos æquantur omnia, ne quis alterum fastidiat.

12 Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam:

12 Proinde pro abjectis membris vestris Christo indignis, induite vos alia membra, diversa ab illis turpibus, quæ supra recensuimus: sed pro illis induite, quæ deceant eos, quos Deus selegit ad sanctimoniam, quosque sua dilectione dignatus est. Dicet quispiam, quænam sunt ista? nimirum quæ nos docuit, quæque præstitit Christus, affectum, inquam, misericordiæ, ut faciles sitis ad sublevandam alienam imbecillitatem: comitatem, ut tractabiles sitis ad communem vitæ consuetudinem: animi modestiam, ne cui vos per arrogantiam præferatis: mansuetudinem, ne sæviatis in errantes: patientiam animique lenitatem, ne præcipites sitis ad ultionem;

13 Supportantes invicem, & donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut & Dominus donavit vobis, ita & vos.

13 Sed sufferatis vos invicem, ac mutuò vobis condonetis, si quid per humanam infirmitatem exstiterit inter vos, ob quod aliquis possit alterum incusare. Æquum est ut vos ignoscatis vicissim peccantibus, cum Christus, qui neminem lædit, omnia nostra peccata nobis condonaverit.

14 Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis:

14 Sed præ cæteris omnibus ornet animos vestros Christiana caritas, quæ adeo nulli nocet, ut nemini non studeat prodesse, injuriam beneficio pensans. Hoc est perfectum illud & indissolubile vinculum, quo Christi corpus cohæret, & conglutinantur inter se membra, alioqui dilapsura.

15 Et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in uno corpore: & grati estote.

15 Caritatis comes erit concordia & pax, non illa quidem vulgaris, sed Christi glutino constans. Ea semper vincat ac superet in cordibus vestris, illa palmam ferat adversus livorem, superbiam, iram, & contentionem. Siquidem ad concordiam vocavit vos Deus, & hoc consilio vos omnes sibi reconciliavit, & in unum corpus cooptavit, ut inter vos unanimes viveretis, velut unius corporis membra.

16 Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes, & commonentes vosmetipsos, psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.

16 Ne vero sitis ingrati, parumque memores divinæ erga vos clementiæ. Cum illo pax non erat futura nobis, nisi ultro nobis condonasset omnia flagitia nostra. Et hujus oblitus, frater adversus fratrem bellum movet, ob levem injuriam? Ne decertetis inter vos de præcellentia philosophiæ mundanæ. Sermo Christi, qui docet ea quæ pertinent ad veram pietatem, habitet ac perseveret in vobis exuberanter, ut in hoc plurimum sapiatis, adeo ut non solum ipsi scire possitis, quid sit Christo gratum, verum etiam alius alium vicissim docere, si quis erret: commonefacere, si quis cessèt, semper interim hilares spe futuræ beatitudinis, Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritualibus recinentes Domino laudes, ac sua beneficia: recinentes autem non solum voce corporea, sed potissimum in corde vestro. Nam hujusmodi demum cantilenis delectatur Deus, ne quis magnum existimet, ore superis obstrepere.

17 Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine

17 Postremo, quicquid agitis, seu loquentes, seu facientes aliquid, sic agite, ut ad Domini Jesu gloriam pertineat, illum sapiat, illum sonet, illum spiret omnis vestra vita. Atque interea quicquid acciderit hæc agentibus, seu prosperum, seu adversum id fuerit, ne quid vos vel dejiciat, vel efferat, sed pro omnibus gratias agite Deo Patri per Filium, per quem nihil non vertit nobis in bonum.

Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.

18 Uxores subditæ estote maritis vestris, sicut convenit his, qui Christum profitentur, quos oportet in omnibus officiis esse cæteris perfectiores.

19 Contra mariti, diligite uxores vestras, quas ita memineritis vobis esse subditas, ne tamen sitis adversus illas amarulenti.

20 Filii, morigeros & obsequentes vos præbete parentibus vestris, citra ullam exceptionem, etiamsi duriora præcipiant, modo ne impia. Sic enim placitum est Christo.

21 Contra patres, ne abutamini vestra auctoritate erga liberos, neque sic irritetis illos sævitia, ut animum despondeant.

22 Servi, obedite per omnia Dominis, quibus juxta jus humanum debetis servitutem, non jam ad oculum placere studentes, quemadmodum Ethnicorum mancipiorum vulgus solet, sat habens si non offendat herum hominem, sed simplici sinceroque pectore præstantes officium, non hominis metu, sed Dei, qui respicit quo faciatis animo.

23, 24 Neque perpendite, quid mereatur dominus homo, sed quicquid obsequiorum illi, qualis qualis est, impenditis, sic habete, quasi Christo impendatis, non hominibus, certi quod ab illo recipietis præmium hæreditatis æternæ, etiamsi ingratus herus nihil indulserit peculii, nec vos agnoscat inter liberos. Siquidem dum indignis dominis ob Christum servitis, Christo servitis.

25 Nam quemadmodum herus, si quid peccat in servum, tametsi non punitur apud homines, tamen haud erit impunitus apud Deum, ita servus, qui recte se gerit, etiamsi nullum fert præmium apud homines, qui servis officio functis non arbitrantur quicquam deberi gratiæ, tamen non peribit illi sua merces apud Deum, apud quem non est discrimen personarum, sed mentium: nec est ratio conditionis, sed officii.

Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.

18 Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino.

19 Viri diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas.

20 Filii obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino.

21 Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo sint.

22 Servi obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum.

23 Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus:

24 Scientes quod a Domino accipietis retributionem hereditatis. Domino Christo servite.

25 Qui enim injuriam facit, recipiet id quod inique gessit: & non est personarum acceptio apud Deum.

CAP. IV.

De Dominis, precibus peregrinis & sale verbi Scribit, quod superest verba salutis habet.

1 Domini, quod justum est & æquum, servis præstate: scientes quod & vos Dominum habetis in cælo.

1 RVRSVM domini, ne jure vestro, quod vobis leges humanæ dederunt, non sinceritas naturæ, abutamini ad tyrannidem in servos exercendam, sed quod justum est & æquum illis exhibete, suppeditantes illis, quæ ad naturæ usum sunt necessaria: nec pro animi libidine alios in deliciis habentes, alios intolerabili servitio prementes, non ignari, vos jam conservos illis esse verius, quam dominos, quum & ipsi communem cum illis Dominum habeatis in cœlis, quem merito talem experiemini in vos, quales vos præstiteritis in servos.

2 Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione: 3 Orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi (propter quod etiam vinctus sum)

2 Atque quo magis vobis contingat, ut membra sitis Christi corpore digna, precationibus instate, non segnes aut onusti crapula, sed sobrii ac vigilantes, simul admiscentes gratiarum actionem, ut non solum à Deo postuletis, quæ conducant ad salutem, verum etiam pro quotidianis illius in vos beneficiis gratias agatis, quo cumulatius sit in vos beneficus, si memores & gratos viderit.

3 Atque interim deprecabimini Deum & pro nobis, ut dignetur amotis impedimentis omnibus, liberam reddere Euangelii prædicationem, ut illo referante per fidem pectora hominum, in omnium animos subeat mysterium, quod hactenus celatum, nunc Pater omnibus notum esse voluit de Christo, per quem sine Legis adminiculo salutem offert omnibus, ob cujus prædicationem ego vinctus sum his compedibus;

4 Ne

4 Ut manifestem illud ita ut oportet me loqui.

4 Ne quid obstet mihi, quo minus evulgem apud omnes Euangelium Christi, cupido libere & intrepide, quemadmodum ille me jussit evulgare.

5 Insapientia ambulate ad eos qui foris sunt; tempus redimentes.

5 Cum his, qui à Christi professione sunt alieni, prudenter est agendum, ne quid appareat in moribus vestris, quod illos irritet ad persecutionis sævitiam, aut alienet ab Euangelio. Postquam enim non potestis effugere, quin cum Ethnicis commercium aliquod habeatis, vitæque communis consuetudinem, experiantur vos in omnibus commodiores & humaniores factos ex professione novæ religionis, si quid sit ejus generis, in quo possitis illis citra pietatis dispendium gratificari. Nunc hoc potissimum agendum, ut omnes alliciantur ad Euangelicam professionem. Hujus rei occasio non est ob frivolas contentiones perdenda, imo jactura rerum omnium redimenda. Cedite honorem, cedite pecuniam, remittite vindictam. Ingens lucrum existimate, si harum rerum dispendio aucta fuerit res Euangelica.

6 Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.

6 Sermo vester apud illos non sit contumeliosus atque asper, sed humanitatis gratiam sapiat, cum prudentiæ sale conjunctam. Nam comis oratio citius flectit feroces animos: & prudentia docet, quid, quibus, & qua moderatione sit respondendum. Aliter enim agendum cum Principibus mundi, aliter cum mediocribus, aliter cum humilibus, aliter cum mansuetis, aliter cum iracundis, aliter cum eruditis, aliter cum idiotis. Ad cujusque habitum attemperandus est sermo, ut proficiat Euangelio. Est ubi cedere præstet, quoties furiosis convitiis reclamat, quem pares docere, aut dum insidiatur doctrinæ tuæ, cui loqueris.

7 Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus, charissimus frater, & fidelis minister, & conservus in Domino:

7 De statu rerum mearum non scribo vobis, verum de his omnibus certiores vos faciet Tychicus, qui has perfert, mihi frater dilectus ob professionem communem, & idem fidus minister & conservus in Euangelii negotio:

8 Quem misi ad vos ad hoc ipsum, ut cognoscat quæ circa vos sunt, & consoletur corda vestra,

8 Quem hac gratia misi isthuc, ut & per illum sciatis, quid agatur apud nos: & ego per eundem discam, quid agatur apud vos, ut & vestri animi refocillentur ex illius colloquio, & meus recreetur illius de vobis oratione.

9 Cum Onesimo charissimo, & fideli fratre, qui ex vobis est. Omnia, quæ hic aguntur, nota facient vobis.

9 Tychico comitem addidi Onesimum, quem nolim ex pristina conditione vitave æstimetis, cum mihi nunc sit fidus ac dilectus frater, qui & illo nomine vobis debet esse commendatior, quod vestræ Gentis sit, ex præputio conversus ad Christum. Hi duo vobis bona fide referent, quicquid hîc rerum est apud nos, quod vestra referat scire.

10 Salutat vos Aristarchus conceptivus meus, & Marcus consobrinus Barnabe, de quo accepistis mandata: si venerit ad vos, excipite illum:

10 Salutat vos Aristarchus, qui tametsi Judaicæ Gentis sit, tamen ob fidei germanitatem, vobis debet esse commendatus. Nam hunc habeo socium & consortem captivitatis meæ, pro Euangelio Christi. Salutat & Marcus, Barnabæ vobis non incogniti consobrinus, quem & alias commendavimus vobis, præcipientes quod & nunc præcipimus: ut si venerit ad vos, cum humanitate excipiatis illum.

11 Et Jesus, qui dicitur Justus: qui sunt ex circumcisione: hi soli sunt adjutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio.

11 Salutat & Jesus cognomento Justus. Sunt hi quidem diversæ Gentis, nimirum Judaicæ, sed tamen digni favore vestro, quod soli sint socii laborum meorum ad prædicandum regnum Dei, atque in hisce malis, quibus affligor, mihi fuere solatio.

12 Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi Jesu, semper sollicitus pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei.

12 Salutat vos Epaphras, vobis non solum communi Christi cultu, sed Gentis etiam cognatione conjunctus, sic vestris commodis ex animo favens, ut anxie sollicitus non desinat precari Deum pro vobis, ut illius ope persistatis in eo, quod cœpistis, sitisque non semi-Christiani, sed perfecti, consummatique, præstandis omnibus, quæ Deo grata sunt.

13 Testimonium enim illi perhibeo, quod habet multum laborem pro vobis, & pro iis qui sunt Laodicie, & qui Hierapoli.

13 Nam illud de eo testor, quod ingenti studio afficitur erga vos: nec erga vos solum, verum etiam erga finitimos vobis Laodicenses & Hierapolitanos.

14 Salutat vos Lucas medicus charissimus, & Demas.

14 Salutat vos Lucas, arte medicus, mihi unice carus, cumque hoc Demas, qui adhuc mecum agit.

15 Salutate fratres, qui sunt Laodiciæ, & Nymphan, & quæ in domo ejus est, Ecclesiam.

15 Salutate cum reliquos fratres omnes, qui sunt Laodiceæ, tum præcipue Nympham, simul domesticam ejus viri congregationem.

16 Et cum lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite ut & in Laodicensium Ecclesia legatur: & eam, quæ Laodicensium est, vos legatis.

16 Hæc Epistola cum recitata fuerit apud vos, facite ut eadem & in Laodicensium congregatione recitetur, ac vicissim vos legetis Epistolam, quæ Timotheo scripta fuit ex Laodicensium urbe, quo pluribus profint.

17 Et dicite Archippo: Vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas.

17 Archippo præfecto vestro meis verbis hæc dicite: *Vide quam provinciam susceperis.* Domini negotium est, quod tibi delatum est, non hominis. Cura ut præstes quod suscepisti, Domino rationem redditurus.

18 Salutatio, mea manus Pauli. Memores estote vinculorum meorum Gratia vobiscum. Amen.

18 Quo firmior sit apud vos hujus Epistolæ fides: rursum salutem adscribo vobis omnibus meapte manu, nempe Pauli, vobis non ignota. Memores estote vinculorum meorum, quæ vestra causa gesto: & sic vivite, ut horum me non pœniteat. Favor Jesu semper adsit vobis, Amen.

PARAPHRASEOS IN EPISTOLAM D. PAVLI APOSTOLI AD COLOSSENSES

FINIS.

VERSVS MEMORIALES IN D. PAVLI EPISTOLAM AD COLOSSENSES.

Alme caput Jesu es: Bone victor: cœlica quæram:
De Dominis: Hæc bis bina Colossus habet.

IN

Digitized by Google

IN EPIST. I. D. PAVLI AD THESSALONICENSES

ARGVMENTVM,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

THESSALONICA Macedoniæ *metropolis est, unde & regionis incolæ* Theſſalonicenſes *appellati. Hi in fide ſemel accepta tanta conſtantia perſtiterunt, ut &* Pauli *exemplo, civium ſuorum perſecutiones infracto & alacri pertulerint animo: nec ullo Pſeudapoſtolorum ſuaſu quiverint ab Euangelica inſtitutione deflecti. Quod veritus* Paulus, *quem non latebat Pſeudapoſtolorum improbitas, cum ipſi non liceret illos inviſere, miſit* Timotheum, *ex quo reverſo cum didiciſſet illorum conſtantiam, collaudat eos, gratias agens Deo. Atque id quidem agit Capite primo & ſecundo. In cæteris tribus inſtituit eos in variis pietatis officiis, ſubindicans eſſe inter eos, qui nondum omnino puri eſſent ab omni libidine: nec deeſſe qui otio dediti gravarent alios, item qui inquieti ipſi turbarent Eccleſiæ tranquillitatem, quos corripi jubet. Præterea qui de reſurrectione nondum ſatis confirmata eſſent opinione, cum defunctos ita lugerent, quaſi periſſent, ac non potius ad meliora demigraſſent. Hos inſtituit atque confirmat. Rurſus alios diſputaſſe de die adventus Domini, quaſi is præſciri prædicique poſſit, cum incertus ſit omnibus. Verum, eum ait ſubitum, & præter omnium exſpectationem adfuturum, quo magis ſimus ad omne momentum parati. Scripſit ab* Athenis *per* Tychicum *miniſtrum juxta* Græcorum *inſcriptionem, cui collegam addunt* Oneſimum *noſtra argumenta, quæ incerto auctore leguntur in vulgatis Exemplaribus.*

ARGVMENTI FINIS.

IN EPISTOLAM D. PAVLI APOSTOLI AD THESSALONICENSES PRIOREM

PARAPHRASIS,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

CAP. I.

Adſtruit eſſe fidem veram, quam tradidit ante:
Cui quod crediderant, tollit ad aſtra viros.

1 PAVLVS & Sylvanus ac Timotheus congregationi Theſſalonicenſium conſentienti in Deum Patrem, & in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, à quibus contingat vobis gratia & pax.

2, 3 Veſtro profectui, ſicuti par eſt, gratulantes, ſemper agimus gratias Deo, veſtro omnium nomine veſtri mentionem facientes, quoties cum Deo ſacris precationibus colloquimur, quod nunquam nobis non veniat in mentem, quantum præſtiteritis * in tuenda fidei veſtræ profeſſione: deinde quantum laboris exhauſeritis ob caritatem, quam habetis erga præcones Euangelii, quam fortiter & conſtanter omnia pertuleritis, freti ſpe & exſpectatione præmiorum, quæ Dominus noſter Jeſus Chriſtus promiſit in vita futura iis, qui ob nomen ipſius hujus vitæ negligunt incommoda. Non peribit vobis merces rectè factorum, rependet is, qui ſpectavit quo animo feceritis, Deus & Pater noſter.

4 Scitis ipſi fratres dilecti, non humana perſuaſione vos eſſe mutatos, ſed voluntate divina ad hæc ſelectos fuiſſe.

5 Neque enim ſic prædicavimus vobis Euangelium, ut præter verba nihil adferremus vobis, imo Dei potentia miraculis confirmavit ſermonem noſtrum. Datus eſt & per nos Spiritus Sanctus, neque quicquam omnino defuit, quod plenam faceret Euangelicæ doctrinæ fidem, quandoquidem per noſtrum Euangelium conſequuti eſtis, quicquid ad aliorum prædicationem conſequuti ſunt Judæi. Atque hîc quam pure, quam ſubmiſſe, quam laboriose nos geſſerimus apud vos, ipſi teſtes eſtis. Nihil enim non pertulimus, quo vos Chriſto lucrifaceremus.

6 Neque vos præbuiſtis degeneres diſcipulos, ſed noſtrum exemplum eſtis imitati, imo non noſtrum, ſed Domini Jeſu, qui ſic dejecit ſeſe, ſic perpeſſus eſt omnia, ut nos ſibi lucrifaceret. Adeo enim non reſpuiſtis Euangelium noſtrum, ut hujus gratia quamvis graves ac multas afflictiones pertuleritis non modo fortiter, verum etiam multo cum gaudio, quod animis veſtris ſuggeſſit Spiritus Sanctus, quem accepiſtis ad noſtram prædicationem, arrhabonem interim futuræ felicitatis, cujus ſpe dulce eſt etiam, quicquid hîc malorum inſligitur, ob Euangelium Chriſti.

7 Tam inſignis fuit fidei veſtræ fortitudo, ut exemplo fueritis omnibus credentibus in reliqua Macedonia & Achaia.

8 In tantum enim commovit omnium animos exemplum urbis Metropolitanæ, ut Euangelii fama, tubæ clangentis ritu, late perſonuerit: ardorem fidei veſtræ, quam habetis erga Deum, divulgans non ſolum in Macedonia & Achaia, verum in cæteris quoque Regionibus omnibus, ut jam nihil neceſſe ſit à nobis prædicari pietatem veſtram.

9 Etenim ſi quando tentamus his de rebus narrare, ipſi potius ultro narrant nobis, prius docti celebri rumore, quam noſtra oratione, quomodo nos primum vos adierimus, doctrinam Euangelicam prædicaturi, quantaque promtitudine nos exceperitis con-

1 *Paulus, & Silvanus, & Timotheus, Eccleſiæ Theſſalonicenſium, in Deo Patre, & Domino Jeſu Chriſto.*

2 *Gratia vobis, & pax. Gratias agimus Deo ſemper pro omnibus vobis, memoriam veſtri facientes in orationibus noſtris ſine intermiſſione,*

3 *Memores operis fidei veſtræ, & laboris, & charitatis, & ſuſtinentiæ ſpei Domini noſtri Jeſu Chriſti ante Deum & Patrem noſtrum:* 4 *Scientes fratres, dilecti à Deo, electionem veſtram:* 5 *Quia Euangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantum, ſed & in virtute, & in Spiritu ſancto, & in plenitudine multa, ſicut ſcitis quales fuerimus in vobis propter vos.*

6 *Et vos imitatores noſtri facti eſtis, & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus ſancti:*

7 *Ita ut facti ſitis forma omnibus credentibus in Macedonia, & in Achaia.*

8 *A vobis enim diffamatus eſt ſermo Domini, non ſolum in Macedonia, & in Achaia: ſed & in omni loco fides veſtra, quæ eſt ad Deum, profecta eſt, ita ut non ſit nobis neceſſe quidquam loqui.* 9 *Ipſi enim de no-*

* Alia Editio, *perſiteritis.*

bis ennuntiant qualem introitum habuerimus ad vos: & quomodo conversi estis ad Deum à simulacris, servire Deo vivo, & vero,

contemtis periculis, quæ nostra causa videbantur vobis imminere, quantaque facilitate traducti sitis à majorum superstitione, qua simulacra Dæmonum colebatis, ad cultum Dei, ut posthac detestantes falsos ac mortuos Deos, serviretis Deo vivo ac vero;

10 Cujus promissis freti, pro nihilo ducitis hujus vitæ commoda, pariter atque incommoda, exspectantes ut Filius ejus Jesus, per quem nos asseruit in salutem, ac nobis futuræ vitæ præmia pollicitus est, rursum adveniat è cœlis, exhibiturus palam orbi quæ promisit. Nam hunc in hoc excitavit ad vitam, ut & nos per illum reviviscceremus, fruituri cum illo bonis immortalibus, qui hic pro illo mala hujus mundi perpetimur. Nec erit nobis tum formidabilis hujus adventus, quos ipse suo sanguine purgatos à peccatis Deo reconciliarit, & ab æterno supplicio liberarit, quod nostris commissis debebatur.

10 Et exspectare Filium ejus de cœlis (quem suscitavit ex mortuis) Jesum, qui eripuit nos ab ira ventura.

CAP. II.

Blande se laudat, nec non sua facta sequenter:
Ne veniam, Satanas pessimus ille vetat.

1 Nam ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit:

QUID autem attinet commemorare, cum ipsi non ignoretis, licet non accesserimus ad vos, cum fastu & supercilio, grandia quædam verba trutinantes, aut magnificam aliquam philosophiam profitentes, tamen aditum nostrum non fuisse inefficacem.

2 Sed ante passi, & contumeliis affecti (sicut scitis) in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro, loqui ad vos Euangelium Dei in multa sollicitudine.

2 Imo cum & antea Philippis multa pertulissemus, quemadmodum ipsi nostis, multisque essemus affecti contumeliis una cum Sila, ob Pythonem ejectum à puella, quam tenebat, nihilo secius tamen freti auxilio Dei nostri, non veriti sumus & apud vos libere prædicare Euangelium Christi, non sine gravi discrimine:

3 Exhortatio enim nostra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo,

3 Quod si rem commentitiam & inanem vobis prædicassemus, nunquam ejus causa capitis discrimen adissemus. Nam qui ex sese docent, quod à Christo non acceperunt, & docent ad suum quæstum, hoc agentes, ut aliis imponant suo lucro: his nec adest auctoritas, & protinus se subducunt, ubi metuunt capitis aut rerum suarum discrimen. At doctrina, ad quam vos invitavimus, haud fuit commentitia fucataque, aut ad impostueram instructa, neque sub ejus prætextu celavimus artes impuras, quemadmodum faciunt Pseudapostoli: neque dolo quicquam gessimus, aliud præ nobis ferentes, alio spectantes, ac sub Christi titulo, nostrum agentes negotium, eorum more, qui se faciunt Apostolos:

4 Sed sicut probati sumus à Deo ut crederetur nobis Euangelium: ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra.

4 Sed quemadmodum Deus per Filium suum ad hoc munus nos delegit, ut sincere concreditum Euangelium prædicaremus, ita prædicamus omnibus, non ut apud homines ineamus laudem aut gratiam, sed ut Deo nostram functionem probemus, qui penitus inspicit corda nostra, atque ex his quenque æstimat.

5 Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis: neque in occasione avaritiæ: Deus testis est:

5 Neque enim cuiquam sumus adulati, cujus rei vel ipsi testes estis, neque sermonem Euangelicum vestramque credulitatem vertimus in quæstum nostrum.

6 Nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis.

6 Testis est nobis hujus animi Deus ipse, neque venati sumus ex Euangelio gloriam humanam, vel apud vos, vel apud ullos alios, cum potuerimus auctoritate nostra supercilioque uti, non minus, quam Pseudapostoli, qui cum inania doceant, & ad suum compendium, tamen honorem & obsequium à vobis exigunt.

7 Cum possemus vobis oneri esse ut Christi Apostoli: sed facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix fo-

7 At nos memores quid deceat Apostolos Christi, qui sese submisit nostræ salutis causa, non vindicavimus nobis fastum ac supercilium, sed placidos nos ac mites præstitimus inter vos, haud sævientes velut in discipulos, sed omni lenitate morigerantes

A imbecillitati vestræ, non aliter quam si mater nutrix fovcat teneram ætatem filiorum suorum:

veat filios suos.

8 Sic & nos affectu propensi in vos, ex animo cupiebamus impartire vobis, non solum Euangelium Dei, veluti pabulum animarum vestrarum, verum etiam propriam vitam impendere: non quod à vobis quicquam speraremus præmii, sed quod vos ex animo caros haberemus, haud secus ac mater diligit filios suos.

8 Ita desiderantes vos: cupide volebamus tradere vobis non solum Euangelium Dei, sed etiam animas nostras: quoniam charissimi nobis facti estis.

9 Non exprobramus officium, sed testamur affectum. Nam ipsi meministis fratres, ut vestra causa nullum laborem, nullum sudorem fugerimus: nihil aliud sitientes aut captantes, quam salutem vestram: & adeo nihil mercedis venantes à vobis, ut opera manuaria, nocturna, diurnaque nobis pararemus victum, ne cuiquam vestrum essemus oneri. Pseudapostoli suum Euangelium in vos ingerunt, & extorquent quantum possunt, nos vobis gratuito prædicavimus Euangelium Dei.

9 Memores enim estis fratres laboris nostri, & fatigationis: nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus, prædicavimus in vobis Euangelium Dei.

10 Et vos mihi testes estis, & Deus ipse testis est, quam sancte, quam juste, quam inculpate gesserimus nosmet erga vos, qui credidistis;

10 Vos testes estis, & Deus, quam sancte, & juste, & sine querela, vobis, qui credidistis, fuimus:

11, 12 Quod ipsa re compertum habetis, quam sincero affectu cuncta fecerimus, ut erga quenque vestrum sic fuerimus affecti, tanquam pater quivis erga liberos suos, nunc obsecrantes vos, nunc consolantes, nunc obtestantes, non ut nobis daretis quicquam, sed ut vitam ageretis Deo dignam, qui vos prius alienos ab omni pietate vocavit per fidem ad studium veræ pietatis, & per afflictiones temporarias adscivit in regnum suum, & gloriam immortalem.

11 Sicut scitis, qualiter unumquemque vestrum (sicut pater filios suos)

12 Deprecantes vos & consolantes, testificati sumus, ut ambularetis digne Deo, qui vocavit vos in suum regnum & gloriam.

13 Bene habet, agnoscitis beneficium Dei, quapropter & nos illi gratias agimus indesinenter, qui sic afflavit animos vestros, ut cum nos humiles venissemus ad vos, nulla dignitatis specie commendati, simul atque audissetis à nobis Euangelii doctrinam, non acceperitis tanquam sermonem, aut fabulam humanam, sed tanquam sermonem ab ipso Deo profectum, sicuti re vera erat: nam ille vobis per nos loquebatur.

13 Ideo & nos gratias agimus Deo sine intermissione: quoniam cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.

14 Dilutus & inefficax est sermo humanus, sed efficax est sermo Dei, qui simul atque hausus est vobis, non fuit otiosus, sed exserere cœpit vim suam in vobis, ita ut satis appareret vos eundem cepisse Spiritum, qui mox imitari cœperitis reliquas Ecclesias Dei, quæ in Judæa profitentur Christum Jesum. Quod Christus, quod nos, quod cæteri Judæi, qui amplectuntur doctrinam Euangelicam, passi sunt à suæ Gentis hominibus, quibus invisa est hæc doctrina, hoc & vos passi estis à contribulibus vestris.

14 Vos enim imitatores facti estis fratres Ecclesiarum Dei quæ sunt in Judæa in Christo Jesu: quia eadem passi estis & vos à contribulibus vestris, sicut & ipsi à Judæis: qui & Dominum occiderunt Jesum, & Prophetas, & nos persecuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus adversantur,

15 Nam ut hi Dominum Jesum occiderunt, & ante hunc trucidarunt suos Prophetas, impatientes veritatis: & ita & nos veritatis Euangelicæ præcones persequuntur, tanta cæcitate mentis, ut & Dei iram in se provocent, cujus voluntati rebellant, & cunctis hominibus adversentur, velut hostes humani generis ac velut omnibus invidentes salutem per fidem oblatam, & cupientes omnes secum in exitium pertrahere.

16 Neque enim privato quopiam odio sic nobis obsistunt, imo Gentium omnium bono invident, & ea gratia nobis obturbant, ne prædicemus Euangelium Gentibus, per quod servari queant, quasi parum sit illos antehac trucidasse Prophetas, mox à Prophetis Christum, nisi nobis etiam afflictis & exstinctis, absolvant cumulum facinorum suorum, & hunc veluti colophonem imponant impietati suæ, nusquam sui dissimiles, nec unquam ab insania sua resipiscentes: quibus rebus adeo provocant in se divinam

15 Probibentes nos Gentibus loqui ut salvæ fiant, ut impleant peccata sua semper: pervenit enim in a Dei super illos usque in finem.

Digitized by Google

vinam iram, ut desperandi sint, quippe destinata malitia propellentes ab sese misericordiam Dei, & Euangelium modis omnibus oppugnantes, cujus unius ope poterant ab exitio recipi.

17 Cæterum quo magis amo vos, ob alacritatem ac promtitudinem fidei vestræ fratres, hoc mihi gravius fuit vestri desiderium, quod aliquantulum temporis à vobis distracto, non licuerit frui conspectu vestro, cujus mira nos habebat cupiditas, licet animo nunquam fuerimus à vobis divulsi. Et tamen hoc non fat erat caritati in vos nostræ, nisi præsens præsentes adspicerem & corporeis oculis.

18 Quapropter non mihi satis est visum, aliquem ad vos mittere, aut per litteras colloqui, sed ipse Paulus semel atque iterum conatus sum adire vos, quo magis etiam confirmarem animos vestros, sed obstitit hæc conanti Satanas, qui per impios Judæos impedivit meam ad vos profectionem.

19 Quid autem mirum, si tanto teneor vestri desiderio? Nam quid aliud est in hoc mundo, quo mihi placeam, quo me jactem, quo fretus mihi promittam felicitatem? Omnia contemno præ Euangelio Christi. Quænam igitur est spes nostra, aut quod gaudium nostrum, aut quæ corona nostra, nonne inter cæteros, quos ex Gentibus lucrifeci Christo, vos quoque estis? Si non apud mundum, certe apud Dominum Jesum Christum. Ubi debellatis hostibus Euangelii, palam agetur triumphus in adventu illius: quæ tum trophæa, quæ monumenta victoriæ proferam in illa pompa, nisi vos vestrique similes? interim harum rerum certa spe fruor.

20 Vos igitur estis in hac vita seges ac materia gloriæ nostræ, vos gaudium nostrum, si modo perseveratis in his quæ cœpistis.

CAP. III.

Confirmabit vos meus ille profectus Athenis e
Vosque videre juvat: gaudia magna datis.

1 PROINDE cum jam impares essemus desiderio vestri, nec tamen daretur aditus ad vos, visum est nobis, ut quod per nosipsos facere non licuit, per mihi fidelissimum sodalem, ac velut alterum me facerem. Nos igitur soli resedimus Athenis, atque inde misimus Timotheum fratrem nostrum, ac spectatum Dei ministrum, socium & adjutorem officii nostri, quo fungimur in Euangelio Christi: malentes interim tam unici tamque necessarii collegæ solatio carere, quam committere ut usquam in prospiciendo rebus vestris cessasse videremur.

2 Misimus autem non nostra gratia, sed vestra potissimum causa, videlicet ut confirmaret & consolaretur animos vestros:

3 Docens his afflictionibus, quibus hinc atque hinc pulsor, neque quicquam labefactari meum animum, & magis etiam prosperari gloriam Euangelii, ne quis vestrum ob meas afflictiones, quas auditis, turbaretur. Neque enim vobis novum videri debet, si hæc accidunt Euangelii præconibus, cum me jam pridem sciretis in hoc ipsum delectum à Deo, ut mei corporis afflictionibus illustrarem Christi nomen, Præcoptorem ac Dominum hac in parte referens.

4 Etenim jam tum cum apud vos præsentes essemus, hoc ipsum prædicebamus, fore ut ob Euangelium afflictionem pateremur. Quod tum prædixeram fore, jam fieri videtis, quemadmodum & ante nostis factum. Mihi nihil inopinatum accidit, neque vobis non prædictum: quo minus est causæ, cur animo labefactemini.

5 Ergo cum pro mea ingenti de vobis sollicitudine, qua tuta etiam timeo, non ferrem desiderium vestri, Timotheum, ut dictum est, misi ad hoc, ut per hunc quodammodo præsens cognoscerem fidei vestræ constantiam, & explorarem, si quos ex vobis imbecilliores tentasset ille, qui nunquam non vigilat ad subvertendos bonos, & in his periisset mihi labor meus.

6 Nuper autem cum Timotheus à vobis rediisset ad nos, nobis lætum adferens nuntium, ac referens & fidei vestræ robur inconcussum, & caritatem pristinæ similem, quodque disjunctio nostra non abolevisset apud vos nostri memoriam, sed hanc apud vos jugem ac perpetuam esse, vosque semper mutuo nostri videndi desiderio teneri, quemadmodum nos habet desiderium videndi vos:

6 Nihil est necessitatum aut malorum, quibus premor, quod non æquo animo feram, postquam cognovi vestram fidem esse in tuto, cui metuens, ipse mihi non metuebam. Ego mihi videor incolumis, si vestra incolumis est fides.

8 Nunc vivimus, & ab omni discrimine videmur erepti, si vos auxilio Christi Jesu persistitis in eo, quod cœpistis. Non piget horum malorum, si fructus respondet in vobis, quorum gratia hæc perpetior.

9, 10 Quod quoniam video fieri, ut in dies latius Euangelium crebrescat apud Gentes, quas gratias tanto beneficio pares, Deo possimus referre, cujus beneficio nobis contigerit, in hisce malis tam insigne gaudium, quo de vestro profectu gaudemus ex animo, teste Deo nostro, cujus bonitati debetis, quod perstitistis, à quo nocturnis & diurnis precibus & illud majorem in modum flagitemus, ut ejusdem beneficio liceat aliquando vestro conspectu frui. Præstat aliquid præsentia, quod nec litteræ, nec nuntius quamlibet fidus præstare possit. Hac igitur gratia cupio videre vos, ut si quid etiam desit Euangelicæ disciplinæ, id suppleam ac farciam.

11 Cæterum precor ut quando per impios homines non licet, ipse Deus ac Pater noster, & hujus Filius Jesus Christus Dominus noster, submotis impedimentis, aperiat mihi viam ad vos, simulque vos dotibus suis sic interim augeat, ut magno gaudio vos conspicere possim.

12 Id erit si vos abundantes & exuberantes reddat mutua inter vos caritate: nec inter vos tantum, verum erga cunctos homines, quemadmodum & nos erga vos omnes eximiam quandam habemus caritatem, vel mori parati pro vestra salute:

13 Atque ita confirmet corda vestra, ut integritas vestra nulla ex parte culpari possit, non solum apud homines, sed multo magis apud Deum, & Patrem, quem nihil fallit, in adventu Domini nostri Jesu Christi, cum in conspectu sanctorum omnium palam erit, non solum quid quisque gesserit, verum etiam quo quisque animo gesserit.

CAP. IV.

Dat præcepta suis, & eorum laudat amorem:
Quodque caro in vitam sit rediura, docet.

1 QVOD superest fratres rogamus vos, & exhortamur per Dominum Jesum, quando jam satis à nobis estis edocti, quomodo vos gerere debeatis, & quibus studiis placere Deo, date operam ut in eo, quod didicistis, non solum perseveretis, verum etiam quotidianis profectibus vosipsos superetis.

2 Nostis enim ac meministis, quæ præcepta tradiderim, non meapte auctoritate, sed Domini nostri Jesu Christi. Nihil istorum præcepi, quæ vobis inculcant Pseudapostoli, de Legis Mosaicæ ceremoniis, de præcellentia visisque Angelorum, per quos sit aditus

---

17 *Nos autem fratres desolati à vobis ad tempus hora, aspectu, non corde, abundantius festinavimus faciem vestram videre cum multa desiderio:*

18 *Quoniam voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus, & semel, & iterum, sed impedivit nos Satanas.*

19 *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum estis in adventu ejus?*

20 *Vos enim estis gloria nostra & gaudium.*

1 *Propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis, solis:*

2 *Et misimus Timotheum fratrem nostrum, & ministrum Dei in Euangelio Christi, ad confirmandos vos, & exhortandos pro fide vestra:*

3 *Ut nemo moveatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus.*

4 *Nam & cum apud vos essemus, prædicebamus vobis passuros nos tribulationes, sicut & factum est, & scitis.*

5 *Propterea & ego amplius non sustinens; misi ad cognoscendam fidem vestram: ne forte tentaverit vos is qui tentat, & inanis fiat labor noster.*

6 *Nunc autem veniente Timotheo ad nos à vobis, & annuntiante nobis fidem & charitatem vestram, & quia memoriam nostri habetis bonam semper, desiderantes nos videre, sicut & nos quoque vos:*

7 *Ideo consolati sumus fratres in vobis, in omni necessitate & tribulatione nostra, per fidem vestram:*

8 *Quoniam nunc vivimus, si vos statis in Domino.*

9 *Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis, in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum,*

10 *Nocte ac die abundantius orantes, ut videamus faciem vestram, & compleamus ea quæ desunt fidei vestræ?*

11 *Ipse autem Deus & Pater noster, & Dominus noster Jesus Christus, dirigat viam nostram ad vos.*

12 *Vos autem Dominus multiplicet & abundare faciat charitatem vestram in invicem, & in omnes, quemadmodum & nos in vobis:*

13 *Ad confirmanda corda vestra sine querela in sanctitate, ante Deum & Patrem nostrum, in adventu Domini nostri Jesu Christi cum omnibus sanctis ejus. Amen.*

1 *De cetero ergo, fratres, rogamus vos & obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, sic & ambuletis, ut abundetis magis.*

2 *Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per*

Digitized by Google

Dominum Jesum.

tus ad salutem, sed ea duntaxat, quæ sciebam esse grata Deo.

3 Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione,

3 Nam hæc est voluntas Dei, ut vos sanctos & incontaminatos præstetis: nec animo solum casti sitis, sed & corpore, ut abstineatis à scortatione, qua corpora conspurcantur.

4 Ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore;

4 Corpora domicilia sunt animi: animus hospitium est Dei. Ut igitur oportet animum esse purum, ob hospitem Deum, ita decet corpus esse purum, ob inhabitatorem animum.

5 Non in passione desiderii, sicut & Gentes, quæ ignorant Deum:

5 Proinde noverit suo quisque corpusculo, ceu vasculo fictili, hunc habere honorem, ut purum servet & illibatum: neque sinat inquinari morbo turpium cupiditatum ac libidinum, quod adeo Christianis indignum est, ut nec Gentium sit omnium, sed earum, quæ non noverunt Deum: verum existimant nullo ultore, cuique licere quicquid libet: & honestum esse, quicquid corpori dulce est.

6 Et ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, & testificati sumus.

6 Congeminatur autem libidinis malum, si cum fratris injuria copuletur, veluti cum alienam uxorem usurpat aliquis. Ne quis igitur aut hîc, aut aliis in rebus, sibi plus satis usurpando, fraudem faciat fratri suo, propterea quod Deus nihil horum sinet inultum, & adeo non proderit baptismus ista patrantibus, ut gravius etiam sint puniendi, quemadmodum & ante diximus vobis, ac testati sumus.

7 Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.

7 Nec enim ideo Deus nos vocavit ab instituto vitæ prioris, ut semel loti, rursum in easdem sordes revolveremur, sed ut innocentiam semel gratis datam vitæ sanctimonia puritateque tueremur. Neque fœditate libidinum expellamus à nobis Spiritum Sanctum castitatis amatorem.

8 Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum: qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis.

8 Hæc, inquam, & testatus sum, & rursum testor, non esse mea præcepta, sed Dei. Proinde qui adspernatur, non hominem adspernatur admonentem, sed Deum auctorem adspernatur, qui ideo Spiritum suum Sanctum impartiit vobis, ut illius afflatu sanctimoniam amplecteremini. In hunc contumeliosus est, quisquis corpus suum turpi libidine polluit.

9 De charitate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis: ipsi enim vos à Deo didicistis ut diligatis invicem.

9 Cæterum de caritate Christianorum erga Christianos, non arbitror necesse, ut vos admoneam hisce litteris. Nam ipsi ultro divinitus docti estis per Spiritum Christi, quem hausistis, ut vos invicem diligatis.

10 Etenim illud facitis in omnes fratres in universa Macedonia. Rogamus autem vos fratres ut abundetis magis,

10 Id enim re ipsa declaratis, Christiana caritate prosequentes cunctos fratres, non solum qui sunt Thessalonicæ, sed etiam qui in tota Macedonia. Non igitur hortabor, ut quod facitis ultro, faciatis, sed ut quod facitis admonitu Spiritus, in hoc superetis vos ipsos, semper in melius proficientes.

11 Et operam detis ut quietis sitis, & ut vestrum

11 Detis autem operam, ne per otiosos, & alienarum rerum curiosos, turbetur vestra tranquillitas, sed suum quisque agat negotium. Quod si cui non suppetant facultates, manibus propriis sibi paret, unde & sibi suppeditet, & aliis egentibus impartiat, quemadmodum & ante præcepimus vobis, ut vos geratis cum decoro erga eos, qui sunt alieni à professione Christi, apud quos mendicare, aut ob inopiam impudentius agere, turpe sit vestræ professioni. Quin potius hoc suæ cuique manus præstent, ne qua re sit opus. Et facile suppetit illi, qui parvo contentus est.

12 Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent.

12 Porro quod attinet ad resurrectionis mysterium, non patiar vos quicquam latere, ne impotenti dolore lugeatis eos, quali perierint, qui freti promissis Euangelii obdormierunt, ne lugeatis, inquam, ad exemplum Gentium, ideo lamentantium mortem suorum, quod non sperent unquam reviscturos. At Christianorum mors nihil aliud quam somnus est, unde expergiscentur in adventu Christi, longe jam felicius victuri.

13 Si enim credimus quod Jesus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo.

13 Cur enim non speremus in membris fore, quod factum scimus in capite? Nam si vere credimus, quod Jesus mortuus est nostro more, & revixit ad immortalitatem, sic futurum credamus oportet, ut Deus Pater, qui resuscitavit Jesum, & eos qui Jesum professi, & illius promissis confisi obdormierunt, una cum illo adducat redivivos in adventu Filii, ne capiti suo desint membra.

14 Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non prævenimus eos, qui dormierunt.

14 Non referimus vobis humanam fabulam, sed quod ab ipso Christo didicimus, videlicet quod nos, quos adventus Domini residuos hîc ac vivos reperiet, non ante sistemur in conspectu Jesu, quam ii qui mortui fuerint una sistantur. Dixerit quispiam, quî poterunt sisti, qui sepulti sunt & in pulverem redacti?

15 Quoniam ipse Dominus in jussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo: & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.

15 Ipse Dominus Jesus, per Angeli vocem, divina tuba de cœlo personantem, excitabit illos, adhortans, ut experrecti properent, ac protinus qui obdormierant hac spe, reviviscent, & exsurgent è monumentis.

16 Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus.

16 Id ubi factum erit, nos qui resides ac vivi reperti fuerimus, in adventu Christi una cum illis redivivis, subito rapiemur per nubes, ut in aere Domino occurramus, atque inde nos secum avehet in cœlum, jugiter secum victuros.

17 Itaque consolamini invicem in verbis istis.

17 His itaque sermonibus vos invicem consolemini, ne gravius vos discruciet mors piorum, dignior quam gaudiis & gratulationibus prosequamini, quam lamentis.

CAP. V.

Est ventura dies ut fur: vigilate: diei
Nos sumus: hoc moneo: verba notate mea.

1 De temporibus autem, & momentis fratres non indigetis ut scribamus vobis.

1 MODVM & ordinem resurrectionis habetis, quando id scire vestra referebat. Cæterum tempora, temporumque articulos, quando sint hæc futura, nihil attinet vobis scribere, & adeo non conducit, ut nec Dominus tale quiddam à se flagitantibus discipulis voluerit aperire.

2 Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.

2 Siquidem ipsi plane nostis, & ante à nobis edocti, quod dies ille Domini non aliter obrepet orbi inexspectatus, quam fur nocturnus obrepit dormientibus, ac tum potissimum opprimet oscitantes, quum minime exspectabitur.

3 Cum enim dixerint, pax, & securitas; tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut

3 Quum enim isti, qui non credunt Euangelio, in mediis deliciis dixerint, nihil est periculi, sed pacata tutaque omnia, non veniet Dominus, tunc illis repente instabit exitium, quemadmodum gravidam mulierem subitus dolor partus occupat, ante diem exspectatum. Nec erit effugium prius oppressis, quam senserint.

4 Vos autem fratres non estis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehendat:

4 Dies metuendus iis, qui nunc excæcati vitiis suis, nocturnam agunt vitam: vobis fratres non perinde metuendus, ne vos improvisos opprimat.

5 Omnes enim vos filii lucis estis, & filii diei: non sumus noctis, neque tenebrarum.

5 Vos enim omnes, qui Christum sequimini, non pertinetis ad regnum tenebrarum, sed ad regnum lucis ac diei, præsertim si studio pietatis nostræ professioni respondeamus, atque ita vivamus, ut appareat nos in luce vigilare, non in tenebris stertere.

6 Igitur non dormiamus sicut & ceteri, sed vigilemus, & sobrii simus.

6 Proinde si nolimus opprimi, ne dormiamus, quemadmodum faciunt cæteri qui non norunt lucem Christi, sed vigilemus ac sobrii simus, animo semper circumspectantes, ne quid per incogitantiam admittamus, quod oculos hominum ac Dei offendat.

7 Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt.

7 Nam ut qui juxta corpus dormiunt, nocte dormiunt, & qui vino temulenti sunt, nocte sunt temu-

Digitized by Google

mulenti: ita qui oscitant ac dormitant in vitiis, in animi tenebris versantur, & qui mundi cupiditatibus atque illecebris ebrii sunt, in mentis caligine versantur.

8 At nos, quibus illuxit Euangelii dies, sobrios ac vigilantes esse decet, semper accinctos ac parátos adversus subitum insultum hostis, semper in nostrum exitium vigilantis, munitos armis spiritualibus. Nimirum pro thorace fidem induti & caritatem, pro galea spem æternæ salutis.

9, 10 Nec est quod diffidatis. Aderit vigilantibus Deus ipse propugnator. Nec enim ideo vocavit nos ad Euangelii doctrinam, ut secus, quam illa commonstrat, viventes, iram nobis & ultionem Dei conduplicemus, sed ut illi parentes salutem consequamur, opitulante Domino nostro Jesu Christo, qui ideo mortuus est pro nobis, ut sive contingat vivere, per pietatem ac spem immortalitatis cum illo vivamus, sive contingat mori, cum illo vivamus immortales.

11 Quod ut magis ac magis faciatis, mutuis hortatibus vos invicem animate, ac vicissim alius alium excitate ad profectum, quemadmodum & vestra sponte facitis.

12, 13 Quin & illud rogamus vos fratres, ut rationem habeatis eorum, qui laborant inter vos, quique præsunt vobis in Euangelica doctrina, quique admonent vos, quibus rebus oporteat placere Christo, ut cum oporteat omnibus deferre honorem, hos tamen præ cæteris habeatis in pretio, referentes illis caritatem, quam præstant vobis, tot laboribus ac periculis, vestra causa subeundis. Et si quando vos arguunt delinquentes, tamen habete pacem cum illis. Neque enim odio dignus est qui arguit ut prosit.

14 Quin vos quoque pro sua quisque portione, ut illorum partes adjuvetis obsecro. Admonete eos, qui suo viventes arbitrio turbant ordinem vestrum. Consolamini pusillanimes, sublevate imbecilles, estote lenes ac patientes erga omnes, non modo Christianos, verum etiam à Christo alienos.

15 Cavete ne quis injuriam injuria repensct, ne quis maleficium maleficio retaliet. Nec enim imitari decet malos in re mala, & illorum similes fieri. Imo magis adnitendum, ut benefaciatis omnibus, non solum Christiani Christianis, verum etiam quibuscunque promeritis, & non promeritis; certi non perire vobis officium fidejussore Christo.

16 Quare quicquid vobis acciderit, incolumi pietate gaudete semper, indesinenter interpellate Deum precibus vestris;

18 In quavis fortuna gratias agite: sic enim placitum est Deo, ut semper sit pro quo gratias agatis Patri benefico in vos per Jesum Christum.

19 Quin & illud cavendum vobis, ne ex diversis dotibus dissidium aliquod oriatur inter vos. Contigit alicui donum Linguarum, ut spiritu psallat, quanquam infima dos est, nolite tamen extinguere, fovete potius, ut proficiat ad meliora.

20 Contigit alicui Prophetiæ donum, ut enarret sensum Scripturæ mysticum, nolite rejicere quicquid dicitur. Illum ferte, ut proficiat: hunc audite, sed cum judicio, sic tamen, ut ne dicenti molestius obstrepatur. Nemo sic suis dotibus favcat, ut contemnat alienas.

21 Omnia probate, cæterum quod quisque sibi judicarit accommodum, id amplectatur. Quicquid boni speciem habet, non est adspernandum.

21 Cæterum à malis sic oportet abhorrere, ut ab his etiam abstineatis quæ mali speciem præ se ferunt. Sed ad hæc omnibus conari studis vestrum erit.

23 Cæterum Deus ipse pacis auctor, cui gratus est consensus & concentus totius hominis in rebus honestis, efficiat, ut toti sancti sitis, & illibati, ut anima spiritui, corpus animæ respondeat, spiritus ipse respondeat Deo, ne sit in quo possitis culpari, utque in hac sanctimonia perseveretis, usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi.

24 Non est quod diffidatis. Bonæ fidei est, qui vocavit vos ad hanc sanctimoniam & hujus præmia: idem perficiet, quod cœpit: præstabit, quod est pollicitus.

25 Fratres, & nostros conatus vestris precibus adjuvate. Salutate fratres omnes osculo, non quale salutatorum vulgus ex more porrigit, sed sancto & Christiana digno caritate.

26 Obtestor vos per Dominum, ut recitetur hæc Epistola omnibus sanctis fratribus.

27 Favor & benevolentia Domini nostri Jesu Christi semper adsit vobis, Amen.

8 *Nos autem, qui dieisumus, sobrii simus, induti loricam fidei & charitatis, & galeam spem salutis:*
9 *Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum,*
10 *Qui mortuus est pro nobis: ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus.*
11 *Propter quod consolamini invicem, & ædificate alterutrum, sicut & facitis.*
12 *Rogamus autem vos fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos,*
13 *Ut habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum: pacem habete cum eis.* 14 *Rogamus autem vos fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.* 15 *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod bonum est sectamini in invicem, & in omnes.*
16 *Semper gaudete.*
17 *Sine intermissione orate.*
18 *In omnibus gratias agite: hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu, in omnibus vobis.*
19 *Spiritum nolite extinguere.*
20 *Prophetias nolite spernere.*
21 *Omnia autem probate: quod bonum est tenete.*
22 *Ab omni specie mala abstinete vos.*
23 *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia: ut integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur.*
24 *Fidelis est, qui vocavit vos: qui etiam faciet.*
25 *Fratres orate pro nobis.* 26 *Salutate fratres omnes in osculo sancto.* 27 *Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus.* 28 *Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Amen.*

PARAPHRASEOS IN PRIOREM EPISTOLAM D. PAVLI APOSTOLI AD THESSALONICENSES

FINIS.

VERSVS MEMORIALES IN PRIOREM EPISTOLAM D. PAVLI AD THESSALONICENSES.

Aditat hic grates: Bona laus: Cur Timothee adsit:
Deque die extremo hic: Et venit hic subito:

Digitized by Google

IN EPISTOLAM PAVLI AD THESSALON. POSTERIOREM

ARGVMENTVM,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

QVONIAM *non contigit* Paulo *facultas revisendi* Thessalonicenses, *per Epistolam confirmat illorum animos, ut fortiter ferant illatas ob* Christum *afflictiones, nec ipsis defuturum præmium, nec adversariis vindictam. Rursum de die adventus Domini, de quo nonnihil attigerat in Epistola superiori, monet ne quid commoverentur quorundam dictis, qui asseverabant illum jam instare, tecte, sicuti putant, significans prius abolendum* Romanum *Imperium, ac deinde venturum Antichristum. Attentius etiam inculcat, coercendos esse, qui otio & curiositate sua turbarent quietem & ordinem publicum, & ad opus adigendos, cum ipse* Paulus *apud eos manibus suis laborarit. Scripsit* Athenis *per eosdem, per quos misit priorem Epistolam, ut nostra quidem docent argumenta.*

ARGVMENTI FINIS.

IN EPIST. II. D. PAVLI AD THESSALONICENSES

PARAPHRASIS,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

CAP. I.

Afflictos requies, Domino veniente, malosque
Pœna manet: dignos vos velit esse vocans.

1 PAVLVS, & Silvanus, & Timotheus, Ecclesiæ Thessalonicensium, in Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.

PAVLVS, & Sylvanus, ac Timotheus cœtui credentium, qui Thessalonicæ conspirati sunt, & consentiunt in Deum patrem nostrum ac Dominum Jesum Christum, à quibus contingat vobis gratia & pax.

2 Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo.

3 Semper gratias agere debemus Deo, pro sua magnifica in vos liberalitate, magnificas, qui non solum illius ope persistatis in his quæ cœpistis, verum etiam in dies magis ac magis exuberetis in fide ac mutua inter vos caritate, in tantum, ut jam non arbitrer necesse vos aliorum exemplis accendere ad studium pietatis,

3 Gratias agere debemus semper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, & abundat charitas uniuscujusque vestrum in invicem:

4, 5 Cum potius ipsi gloriemur de vobis apud alias Ecclesias Dei, vestro exemplo cæteros ad virtutem inflammantes, commemorando patientiam vestram, fideique constantiam in omnibus persecutionibus vestris & afflictionibus, quas suffertis, ut in vobis posthac declaretur justum Dei judicium: dum vos hic pro ipsius nominis gloria vexatos admittet in consortium regni sui, contra, qui vos ipsius odio persequuti sunt tradet suppliciis æternis.

4 Ita ut & nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientia vestra, & fide, & in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus, quas sustinetis

6 Siquidem erit hoc justitiæ divinæ, utrisque rependere præmium factis dignum: iis qui affligunt innocentes, afflictionem:

7, 8 Et vobis, qui nobiscum affligimini, nobiscum largiri refrigerium ac solatium in illo die, cum apparebunt Euangelica promissa, palamque sese orbi ostendet è cœlo Dominus Jesus: non jam humilis, quemadmodum apparuit adventu primo, sed stipatus Angelico satellitio, sicuti decet potentem

5 In exemplum justi judicii Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini.

6 Si tamen justum est apud Deum, retribuere tribulationem iis qui vos tribulant:

7 Et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de cælo cum angelis virtutis ejus,

8 In flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini nostri Jesu Christi.

Principem, non jam mitis ac placidus ad sanandos improbos, sed armatus horrendo flammeoque incendio, inflicturus ultionem iis qui hic noluerunt nosse Deum, nec obedierunt Euangelio Domini nostri Jesu Christi, ut experiantur justum ac potentem, qui misericordem ac mitem despexerunt, ac vel suis suppliciis docti, fateantur esse vera, quæ prædicavit Euangelium.

9 Quipenas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis ejus:

9 Nam isti, quoniam impietatis suæ finem nullum fecerunt, pœnas luent in æternum, ubi conspexerint divinam illam Domini faciem, ac majestatem fortitudinis illius, quem hic ut imbecillem ac humilem contemserant.

10 Cum venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt: quia credimus est testimonium nostrum super vos in die illo.

10 Primum enim venerat, ut servaret omnes, tunc veniet, ut exhibeat se glorioſum, non in sc- ipso tantum, sed in omnibus etiam membris suis, quæ sunt homines pii, ut admirandus appareat in omnibus qui ipsius crediderunt Euangelio.

11 In quo etiam oramus semper pro vobis: ut dignetur vos vocatione sua Deus noster, & impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute,

11 Nam tum palam omnibus exhibebuntur in vobis ea, quæ nobis testimonium perhibentibus Christo credidistis, impiis adspernantibus ac diffidentibus: qui dies ut vobis sit prosper ac lætus, non desinimus Dominum precari pro vobis, ut quandoquidem placuit illi vocare vos ad spem hujus gloriæ, idem dignetur adesse vobis eo connitentibus, ut vita vestra congruat professioni, utque quod pro sua bonitate cœpit in vobis, consummet ac perficiat: addatque robur animis vestris, ut fortiter tolerandis afflictionibus impiorum, declaretis quam valeat in vobis certa spes felicitatis æternæ, cujus gratia negligitis & corporis vitam:

12 Ut clarificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, & vos in illo, secundum gratiam Dei nostri, & Domini Jesu Christi.

12 Ut quemadmodum Christus illustravit Patris gloriam morte sua, ac vicissim ab illo fuit illustratus resurrectione, ita nomen Domini Jesu Christi glorificetur nunc vestra tolerantia, vosque vicissim per illum glorificemini in die adventus illius, non juxta meritum vestrum, sed juxta beneficentiam Dei nostri & Domini Jesu Christi, sine quorum ope vester conatus futurus erat inanis.

CAP.

Digitized by Google

CAP. II.

Ben Satana Antichriſtus erit poſt talia: ſed vos
Elegit Dominus: juſta tenete mea.

1 Rogamus autem vos fratres, per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum:

1, 2 CÆTERVM illud vos oramus fratres per hunc adventum, de quo modo diximus, Domini noſtri Jeſu Chriſti, perque conſortium gloriæ, per quod membra tunc aggregabimur capiti, ne cito dimoveamini à veſtra ſententia, ſi proferetur adventus illius: aut ne conſternemini animis, neque per fictam prophetiam, neque per aſſeverationem probabilem, neque per Epiſtolam noſtro nomine miſſam, quaſi jam inſtet adventus Domini.

2 Ut non cito moveamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem neque per epiſtolam tamquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini.

3, 4 Ne quis vobis imponat ullo modo. Nam Dominus non eſt adventurus, niſi præceſſerit defectio, & ni prius apparuerit homo ille ſceleroſus, filius perditus, ut Chriſto multum diſſimilis, ita illi adverſarius, qui effertur, non ſolum ſupra Filium Dei, ſed ſupra omne quicquid dicitur Deus, aut Numen religioſe colendum, adeo ut in Templo Dei ſedeat, oſtentans ſeipſum pro Deo.

3 Nequis vos ſeducat ullo modo: quoniam niſi venerit diſceſſio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis,

5 An non meminiſtis, quod cum adhuc eſſem apud vos, hæc dixerim vobis?

6 Et nunc ſcitis quid obſtet, quo minus adveniat Chriſtus, nimirum ut ille ſceleroſus, de quo dixi, ſuo tempore palam exerceat ſuam tyrannidem in ſanctos.

4 Qui adverſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei ſedeat oſtendens ſe tamquam ſit Deus.

7 Nam nunc clanculum agit per illum vis impietatis, perque homines impios Diabolus ſævit in Euangelii profeſſores, nec, ut ex me ſcitis, quicquam in mora eſt, quo minus palam aperiat ſeſe Chriſti adverſarius, niſi ut interim quiſque, quod tenet, obtineat, donec illud regnum, quo cætera coercentur omnia, tollatur de medio.

5 Non retinetis quod cum adhuc eſſem apud vos, hæc dicebam vobis?

8 Id ubi factum erit, tunc ſeſe proferet in apertum iniquus ille, omni præſtigiorum & impoſturarum genere inſtructus, in perniciem humani generis. Sed hunc Diabolico afflatu tumultuantem, Dominus Jeſus conficiet potenti ſpiritu oris ſui, ac falſa Divinitatis ſpecie jactantem ſeſe prorſus obſcurabit & abolebit claritate adventus ſui, non aliter quam exorienti Solis jubari cedunt ſpectra nocturna, & evanida rerum ſimulacra.

6 Et nunc quid detineat ſcitis, ut reveletur in ſuo tempore.

9 Nam adveniet impoſtor ille Satanæ ſpiritu inſtructus, qui per hunc exſeret vim ſuam, quoque crudelius ſæviat, non ſolum armatus erit ingenti potentia, qua terreat animos hominum, verum etiam ſignorum ac miraculorum mendacibus præſtigiis, quibus ſic imitabitur Chriſtum, ut olim apud Ægyptios Magi ſunt imitati Moſen:

7 Nam myſterium jam operatur iniquitatis: tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat.

10, 11 Breviter, nullo non genere fraudis ad impietatem erit armatus. Sed is nihil proficiet, niſi in malum eorum, qui & alioqui ſuapte pereunt incredulitate. Meretur enim hoc illorum pertinax adverſus Chriſtum rebellio: digni ſunt hoc præmio, ut qui Chriſtum, & pro ſua caritate ſervare cupientem omnes, & pro ſua veritate patefacientem ea, quæ pertinebant ad ſalutem, non receperunt, per quem poterant eſſe ſalvi: nunc permiſſu Dei valeat apud illos falſitas pro veritate, valeat tyrannis pro caritate, valeat exſtinctor pro ſervatore: jamque credant mendaciis hominis ſcelerati, qui Filio Dei vera prædicanti credere recuſarunt. Ita fiet, ut qui & alias ob obſtinatam incredulitatem ſuam erant perituri, tunc omnibus palam ſit eos merito perire, qui Chriſtum ſint averſati, ac mox approbaverint impoſtorem ac ſceleratum.

8 Et tunc revelabitur ille iniquus: quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventus ſui eum:

12 Hæc tempeſtas, ut illos declarabit exitio dignos, ita veſtram conſtantiam magis etiam illuſtrabit. Quo nomine ſemper debemus gratias agere

9 Cujus eſt adventus ſecundum operationem ſatanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus, 10 Et in omni ſeductione iniquitatis iis qui pereunt: eo quod charitatem veritatis non receperunt ut ſalvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, 11 Ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati. 12 Nos autem debemus gratias agere Deo ſemper

A Deo, fratres mihi Chriſtiana caritate dilecti, quod non paſſus ſit vos in errore perſiſtere, ſed elegerit vos ab initio ſervandos, non per Legem Moſaicam, ſed per Spiritum ſuum, largitorem ſanctimoniæ, perque obedientiam, qua ſimpliciter credidiſtis veritati.

pro vobis, fratres dilecti à Deo, quod elegerit vos Deus primitias in ſalutem, in ſanctificatione ſpiritus, & in fide veritatis:

13 Ad hæc, ut vos delegerat ab æterno, ita vocavit per Euangelium noſtrum, ut veſtra ſalus, qui Judæis diffidentibus, credidiſtis, accederet ad gloriam Domini noſtri Jeſu Chriſti. Verum ac germanum Euangelium tradidi vobis, non eſt quod aliud requiratis.

13 In qua & vocavit vos per Euangelium noſtrum, in acquiſitionem gloriæ Domini noſtri Jeſu Chriſti.

B 14 Itaque in eo perſiſtite fratres, ac tenete quæ vobis tradidimus, quæque à nobis didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.

14 Itaque fratres ſtate: & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.

15, 16 Ad hæc omni vigilantia conniti veſtrum fuerit. Cæterum ipſe Dominus Jeſus Chriſtus, ac Deus Paterque noſter, qui ultro dilexit nos, vocatos ad ſalutem, ac per Spiritum ſuum dedit nobis interim in his afflictionibus conſolationem æternam, bona ſpe exſpectantibus præmia vitæ cœleſtis, non noſtris meritis fretis, ſed beneficentia gratuita ipſius, magis ac magis conſoletur corda veſtra, voſque confirmet ac ſtabiliat, ut perſeveretis in omni tum ſermone, tum facto bono.

15 Ipſe autem Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & Deus & Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam in gratia,

C CAP. III.

Conſummant ſegnes proprio quæſita labore:
Nam ſic nos facimus: ſcribite cuncta mihi.

1 QVOD ſupereſt fratres, quemadmodum nos noſtris apud Deum votis adjuvamus ſalutis veſtræ negotium, ita par eſt, ut vos viciſſim meos conatus veſtris apud eundem precibus prove-hatis, ut quemadmodum Euangelica doctrina celeriter ac feliciter apud vos increbuit, ita diſcurrat ac divulgetur apud omnes.

16 Exhortetur corda veſtra, & confirmet in omni opere & ſermone bono.

1 De cetero fratres orate pro nobis ut ſermo Dei currat, & clarifice-tur, ſicut & apud vos:

2 Id quo fiat expeditius orate, ut illius ope liberemur ab abſurdis ac perverſis hominibus, qui mo-

D dis omnibus obſtant, quo minus liceat inoffenſe diſſeminare doctrinam Chriſti. Nec enim omnes credunt Euangelio qui audiunt Euangelium, nec tamen eſt quod ob horum impios conatus diffidatis.

2 Et ut liberemur ab importunis, & malis hominibus: non enim omnium eſt fides.

3 Oppugnant Euangelium, ſed non expugnabunt, nimirum fido propugnatore Domino Jeſu, qui confirmabit vos adverſus horum improbitatem, & cuſtodiet vos à malo, perficietque quod cœpit in vobis, quoniam verax eſt in promiſſis. Non defuturum eſt vobis illius auxilium, modo ne vos illius bonitati defueritis, adjuvabit ille, ſed conantes.

3 Fidelis autem Deus eſt, qui confirmabit vos, & cuſtodiet à malo.

4 Atque hæc dicimus, non quod dubitemus de veſtra conſtantia, imo confidimus de vobis, opi-

E tulante Domino Jeſu, quod quæ præcepimus vobis, ut facitis, ita ſitis in poſterum facturi.

4 Confidimus autem de vobis, in Domino, quoniam quæ præcipimus, & facitis, & facietis.

5 Porro Dominus Jeſus ſuo favore dirigat corda veſtra, quo recto curſu ſemper pergant ac proficiant in caritate Dei, & exſpectatione Jeſu Chriſti. Caritas dabit, ut indeſinenter ſtudeatis de omnibus benemereri, quemadmodum Deus beneficus eſt in omnes: exſpectatio adventus Chriſti præſtabit, ut afflictiones omnes fortiter toleretis.

5 Dominus autem dirigat corda veſtra in charitate Dei, & patientia Chriſti.

6 Quod ſi quis eſt inter vos, qui contemta ratione vivendi, quam vobis juxta regulam Euangelicam

F præſcripſimus, ſuo vivat arbitratu, & otioſus ipſe turbet publicum otium veſtrum, atque ipſe nihil agens, curioſus ſit alienarum actionum, præcipimus vobis auctoritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ab hujus conſuetudine, ſi Chriſtianus fuerit, vos ſemoveatis.

6 Denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non ſecundum traditionem, quam acceperunt à nobis.

7, 8 Neque enim pigebit alios imitari noſtrum exem-

7 Ipſi enim ſcitis quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos:

Digitized by Google

exemplum, qui licet fungeremur Apostolico & honore & onere, tamen non gravati sumus apud vos in ordinem cogi, neque quicquam nobis ultra cæteros vindicavimus, adeo ut ne panem quidem acceperimus à quoquam, sed obliti dignitatis nostræ, nocturnis diurnisque laboribus, atque operis manuariis ipsi paravimus nobis, quæ postulabat vitæ necessitas, ne cuiquam essemus oneri.

8 Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore, & in fatigatione, nocte & die operantes, ne quem vestrum gravaremus.

9 Non quod existimaremus, id nobis non licere, quod cæteri faciunt Apostoli, sed noluimus uti jure nostro, quo nosmetipsos formam atque exemplar præberemus, quod cæteri non gravarentur imitari.

9 Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos.

10 Quod re præstitimus, id sermone quoque præcipiebamus vobis, ut si quis nollet operari, is nec ederet. Merentur alimoniam, qui noctibus atque diebus vigilant pro salute vestra. Cæterum otiosa curiositas, & inertia curiosa non meretur subsidium.

10 Nam & cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, nec manducet.

11 Nam audivimus inter vos esse quosdam, qui suo otio turbant ordinem vestrum, abhorrentes ab opere, & ita nihil habentes proprii negotii, ut interim curent aliena.

12 Adhuc nominibus illorum parco, sed quicunque hujusmodi sunt, eis præcipimus, atque, si malunt, obtestamur per Dominum nostrum Jesum Christum, ne per otium suum turbent publicam quietem, neve ipsi nihil agentes obstrepant aliis occupatis, sed ipsi quoque cum quiete operantes, suis ipsorum manibus sibi victum parent potius, quam aliis molesti sint improbis flagitationibus. Digni quidem illi, quibus negetur quod petunt, sed tamen humanitatis est Christianæ, etiam parum dignis succurrere, vel ob hoc ipsum quod homines sunt, & forsitan aliquando meliores futuri.

11 Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. *12 His autem, qui ejusmodi sunt, denuntiamus, & obsecramus in Domino Jesu Christo: ut cum silentio operantes, suum panem manducent.*

13 Vos igitur fratres, nolite defatigari benefaciendo, dignis pariter atque indignis.

13 Vos autem fratres nolite deficere benefacientes.

14 Quod si quis contemnit obedire monitis nostris, quæ & præsens vobis tradidi, & absens scribo, satis supplicii sit caritati Christianæ, ut alatur quidem, qui talis est, sed tamen notetur, submotus à familiaritate vestra, tantum in hoc, ut pudore correctus resipiscat:

14 Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commiscemini cum illo, ut confundatur:

15 Neque velut inimicum prorsus alienetis, sed potius admonete veluti fratrem errantem, quem sanatum velitis, non perditum, ita vitantes familiaritatem, ut animo tamen diligatis. Nam hoc est caritatis divortium non nisi ad tempus susceptum, quo resipiscat qui deliquit.

15 Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.

16 Cæterum ipse Dominus Jesus pacis auctor, largiatur vobis perpetuam pacem in omnibus vestris negotiis, Dominus semper adsit vobis omnibus.

16 Ipse autem Dominus pacis, det vobis pacem sempiternam in omni loco. Dominus sit cum omnibus vobis.

17 Rursum salutem vobis adscribo meapte manu, nempe Pauli. Hoc symbolum observabitis in omnibus meis Epistolis, sive ad vos, sive ad alios scriptis. Sic enim scribo, ne per subditicias Epistolas quisquam vobis imponat.

17 Salutatio, mea manu Pauli: quod est signum in omni epistola: ita scribo.

18 Favor ac benevolentia Domini nostri Jesu Christi jugiter adsit vobis omnibus, Amen.

18 Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

PARAPHRASEOS IN EPISTOLAM II. D. PAVLI APOSTOLI AD THESSALONICENSES

FINIS.

VERSVS MEMORIALES IN POSTERIOREM EPISTOLAM AD THESSALONICENSES.

A h dignos faciat: Ben Orci: Culpat inertes:
Quinque prior: tria habet Thessalonica sequens.

OPTIMO PRÆSVLI ET EIDEM CLARISSIMO
PRINCIPI TRAJECTENSI
PHILIPPO A BVRGVNDIA,
DES. ERASMVS ROTERODAMVS
S. D.

CVM hisce mensibus arva passim nuda steriliaque jaceant, ornatissime Præsul, litteraria tamen seges nunquam non aliquem fructum edit. Nec est ulla tam rigida bruma, quin ex studiorum agris proventus aliquis redeat. Mihi porro visum est æquum, ut hinc nonnulla portio decideretur Episcopo, velut hujus agricolationis principi. Etenim cum rem Euangelicam pro nostra virili adjuvamus, aliqua ex parte in vices tuæ sollicitudinis succedimus. Id autem eo feci libentius, quod argumentum etiam ipsum ad hoc ipsum invitaret. Explicavimus enim Paraphrasi Epistolas divi *Pauli*, ad *Timotheum* duas, ad *Titum* unam, quibus adjecimus, ceu coronidis vice, quam scripsit ad *Philemonem*, ne sola relinqueretur, cum sit ultima, licet argumento dissimili, quanquam in *Paulo* nihil est, quod non pertineat ad Episcopum. Siquidem in tribus superioribus mire depingit ac repræsentat imaginem germani vereque Christiani Præsulis, & quibus dotibus præditum oporteat ad tam arduam provinciam adsciscì, & quibus officiis obire munus delegatum. Nam quam sit ardua res inculpatum Episcopum agere, quanta rursum pernicies sit humanæ vitæ parum sincerus custos Dominici gregis, vel illud arguit, quòd non alia de re *Paulus* unquam instantius ac magis anxie præceperit. Quoties enim identidem inculcat & infigit eadem? Quoties obsecrat, obtestatur, adjurat per omnia sacra, nunc blandiens, nunc pollicitans, nunc territans, nunc suo, nunc *Christi* exemplo provocans. Jam cum *Paulus* sic metuat iis, quos ipse sua doctrina formarat, quos suis ipsius manibus impositis ordinarat, quorum fidem & integritatem tot modis perspectam & exploratam habebat, quanto plus ho-

Digitized by Google

hodie periculi est, tam difficile munus cuivis temere credere? Olim singulis civitatibus singuli præsidebant Episcopi. Atque in his ipsis sane, quota portio erat *Christi* religionem profitentium? Ut ne dicam quod illis temporibus fervebat adhuc in pectoribus hominum *Christi* sanguis, utpote recens effusus: ardebat adhuc ignis ille cœlestis, qui dabatur à baptismo. Quorum utrumque nunc, nescio quomodo, refrixisse videtur in moribus nostris. Has ob res Episcopus, non solum paucioribus præsidebat, verum etiam ultro parentibus. Proinde mihi non paulo difficilius videtur hodie Præsulem fidum & incorruptum agere, non tantum ob hoc, quod unus tot oppidis præsideat, verum multo magis quod plerique præter dispensationem Euangelicæ doctrinæ, quæ præcipua ac peculiaris est Episcopi functio, profanæ quoque ditionis administratione sint onerati. At dictu mirum, quam ægre inter se cohæreant mundus & *Christus*, quam difficile conveniat cœlestibus curis ac terrenis. Cumque multo difficillimum sit alterutrum præstare, vel bonum Episcopum, vel salutarem Principem, quantum negotii fuerit utroque districtum, sic moderari negotium; ut nec religioni desis, nec ditioni: sic satisfacere Principi mortali, ut Principem immortalem non offendas: sic placere aulæ, ut non displiceas cœlo. Olim quisquis suscipiebat Episcopatum, huic statim ad omnes persecutionum procellas præparandus erat animus. Sed haud scio, an horum temporum tranquillitas, si tamen hæc tranquillitas est, plus habeat periculi, quam illorum tempestates. Quanquam autem pro mutato rerum statu fieri non potest, ut per omnia sit eadem gerendi Episcopatus ratio, neque protinus damnandum; quod ab illius ætatis exemplo dissidet, nec sinunt rerum humanarum æstus, id semper impetrare Præsulem, quod optimum judicarit, quemadmodum peritus etiam ac vigilans gubernator, nonnunquam frustra clavo assidens undarum ac ventorum arbitrio rapitur: tamen minus aberrabit ab illa sincera perfectaque boni Præsulis imagine, quisquis hanc *Pauli* formam, ceu scopum quendam semper habebit præ oculis. Ut egregius nauclerus, licet nonnihil à recto cursu cogatur deflectere, tamen à Cynosura non dimovet oculos, ne toto (quod ajunt) cœlo contingat errare. Si *Paulum* assequi non licet, est tamen aliquid, illum utcunque sequi. Ad optima nitenti non deerit *Christi* præsidium, cujus vices gerit tua celsitudo, & sine cujus ope frustra est omnis conatus mortalium. Bene vale. Anno 1519.

IN EPISTOLAM D. PAVLI AD TIMOTHEVM PRIOREM

ARGVMENTVM,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

TIMOTHEVM *matre* Judæa, *sed* Christiana, *patre* Græco, Paulus *in ministerium adoptarat, probæ indolis juvenem, & sacris Litteris eruditum: quem tamen ob* Judæos *coactus est circumcidere. Quoniam autem huic Ecclesiarum curam delegarat, sicut &* Tito, *quas ipse non poterat adire, instituit eum in functione Episcopali, & in disciplina Ecclesiæ: non sic admonens, ut discipulum, sed ut filium & collegam. Id quo cum majore faciat auctoritate, subinde Apostolicam auctoritatem sibi vindicat. Admonet autem, ut rejectis, qui* Judaicas *fabulas inveherent, ea doceret, qua essent fidei & caritatis. Deinde Principum licet Ethnicorum auctoritatem, quoniam hinc pendebat ordo civitatis, & tranquillitas Reip. adeo non spernendam* Christianis, *ut pro his orari jubeat. Quid viros deceat in cœtu Ecclesiastico, quid mulieres, præscribit. Episcopum depingit cum sua familia. Atque hæc ferme tribus primis Capitibus. Deinde admonet ne recipiat* Judaicas *fabulas, de ciborum delectu, de vitando conjugio. Mox docet qualem se præstare debeat erga grandes natu viros, erga juvenes, erga anus, erga puellas, erga viduas divites ac pauperes, & Ecclesia stipe alendas, erga adolescentiores & suspecta etiamnum ætatis. Ad hæc præscribit, quid præcipere debeat dominis, quid servis, quid divitibus. Admonens modis omnibus rejiciendas contentiosas quæstiones Sophistarum, inani doctrinæ specie sese venditantium. Scribit è* Laodicea *per* Tychicum *Diaconum.*

ARGVMENTI FINIS.

IN EPISTOLAM D. PAVLI AD TIMOTHEVM PRIOREM

PARAPHRASIS,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

CAP. I.

Aufer legales scrupulos: lex nulla bonis est:
Fers mihi in exemplar, Christe redemtor, opem.

1 PAVLVS *Apostolus Jesu Christi secundum imperium Dei Salvatoris nostri, & Christi Jesu spei nostræ:*

PAVLVS Apostolus, ac legatus, ne quis suspicetur me meum aut humanum agere negotium, & legatus non Mosi, aut cuiusquam alterius hominis, sed legatus Jesu Christi, qui & ipse pridem Patris vice legatione fungens bona fide peregit illius negotium, à quo fuerat delegatus. Porro legationem hanc nec ipse mihi vindicavi, nec ab homine suscepi, sed ad eam non solum vocatus sum nutu æterni Numinis, verum etiam jussu & auctoritate adactus, adeo ut mihi liberum non fuerit deprecari munus, licet arduum, quod injungebat auctoritas Dei, quem habemus unicum omnis nostræ salutis auctorem. Quicquid enim nobis injunxit Filius auctore Patre, id ab ipso Patre injunctum interpretor, per quem & illi debemus salutem, sive dum hujus morte sumus ab æterno exitio redemti, sive dum hujus præsidio ab urgentibus afflictionum procellis eripimur. A quibus etiamsi non contingat interim eripi, tamen nihil est quod de incolumitate nostra dubitemus, videlicet Jesu Christi præsidio

Digitized by Google

freti, quem Pater & exemplum & auctorem esse voluit certissimæ spei nostræ. Siquidem ut ipse cæsus & cruci affixus, mortem corporalem perpessus est, sed mox ad immortalitatem revixit, ita nos præsentibus malis oppressos, aliquando redivivos ad eandem immortalitatem restituet.

2 Timotheo dilecto filio in fide. Gratia, misericordia, & pax à Deo Patre, & Christo Jesu Domino nostro.

2 Hoc igitur auctore & hujus præsidio fortis, & invictus Apostolus Paulus scribit Timotheo, vero germanoque filio, quem mihi non adoptavi quidem ex alieno grege, sed ipse ex hisce visceribus genui per Euangelium, cum adhuc esset à Christo alienus: & ipsé parentem hunc constantia sinceritateque fidei, ac pura doctrina Euangelica sic refert & exprimit, ut res ipsa declaret illum non esse supposititium, sed germanum, verumque, & indubitatum partum, & hoc nomine mihi longe cariorem, quam si juxta vulgarem morem ex hujus corpusculi substantia progenitus esset. Illa gignit paulo mox morituros, hîc nascimur immortalitati. Si parentes impensius diligunt ac peculiarius, velutique vere suos agnoscunt liberos, qui expressius referunt ipsorum imaginem: quanto justius hic mihi complectendus, quem per fidem Euangelicam genui Christo, & in quo meæ fidei sinceritatem, veluti renatam intueor. Jactent quam volent Judæi, quod adscito proselyto quopiam, Mosi suo ceu partum adoptivum adjunxerint: ego glorior, quod hunc talem Euangelicæ fidei, quod Christo genuerim. Expedit enim posthac Synagogam sterilescere. Tempus est, ut se per universum orbem propaget Euangelicæ fidei fœcunditas. Ut autem mihi multis modis suppetit, quod glorier de tali filio, cui tuto possim Euangelii delegare vices: ita nihil est, opinor, quod illum hujus vel Apostoli, vel Patris pœniteat. Meæ functionis partem in illum transtuli, sed hujus meæ potestatis auctorem habeo Deum, ut non sit quod diffidat, de per me mandata cura Ecclesiarum, nisi forte diffidit de auctoritate Dei. Quid autem precer tam unice caro filio, pater amantissimus? Quid aliud, quam eas res, quibus hîc interim summus ille nostræ vitæ moderator divites ac beatos esse voluit, & in quibus optat nos in dies magis ac magis grandescere, donec ad eum modum adoleverimus, ut Christus legitimos fratres dignetur agnoscere? Precor igitur gratiam, ut intelligat, absque præsidio Mosaicæ Legis gratuito Christi beneficio cunctis vere credentibus paratam esse salutem, neque gratiam modo, verum etiam misericordiam, quæ illi in tam multis rerum discriminibus versanti, semper præsens opituletur. Neque enim me clam est, quantis tempestatibus obnoxia sit vita doctorum. Postremo, quod est nostræ professioni peculiare, pacem opto & concordiam, utque hæc bona speret non à mundo, cujus vana sunt præsidia, non à Mose, cujus umbris fidere pernicies est, posteaquam emicuit Euangelii veritas, non ab alio quoquam mortalium, sed à Deo Patre, qui non distituit sibi fidentes, & ab hujus Filio Jesu Christo Domino nostro, qui ut habet cum Patre communia omnia, ita non frustratur eos ope sua, qui sese totos semel ipsius fidei concrediderunt, tanquam servi fideles, ab optimo simul & potentissimo hero, modis omnibus pendentes.

3 Sicut rogavi te ut remanerres Ephesi cum irem in Macedoniam, ut denuntiarres quibusdam ne aliter docerent,

3 Scis, fili germane, quanto tumultu, quantoque capitis discrimine gregem aliquem lucrifecerimus Christo, nec ignoras nusquam non vigilare Pseudapostolos, qui recentem adhuc fœturam, quam nos Euangelio collegimus, conentur ad Mosen traducere, non ob aliud, nisi ut sibi collectis discipulis, & rem faciant, & apud vulgus sint in pretio: ac mihi quidem ita studio est quam latissime proferre Euangelicæ ditionis pomœria, ut interim nihilo secius tueamur, quod partum est. Porro quando corpore non possumus omnibus locis adesse, quod superest, partim Epistolarum officio, partim collegarum ministerio peragamus oportet. Hoc videlicet consilio, quum me negotium Euangelicum revocaret in Macedoniam, ne prorsus deessem Ephesiis, te istic, velut alterum me, reliqui, ut difficili quidem, sed egregiæ provinciæ vicarius insignis præsideres. Vides hominum genus mire propensum, & ad superstitionem, & ad artes curiosas, sed hoc illustrior Euangelii gloria. At rursus adversarii cum multi, tum acres, quo magis adversus hos omni, quod ajunt, pede standum est. Proinde quod istinc discedens te rogavi ut faceres, idem absens etiam atque etiam obtestor, nimirum, ut istis quibusdam insinceris Apostolis, quorum nomina nunc prudens supprimo, ne irritati reddantur impudentiores, denunties, ne puritatem Euangelicæ doctrinæ, quam Ephesiis tradidimus, sua nova doctrina vitient ac subvertant.

4 Neque intenderent fabulis, & genealogiis interminatis: quæ quæstiones præstant magis quam ædificationem Dei, quæ est in fide.

4 Rursum fidelium gregem præmoneas, ne periculosa levitate talibus Pseudapostolis animos atque aures præbeant, non ea docentibus, quæ conducunt ad salutem æternam, quæque Christi digna sunt Euangelio, sed frigidas quasdam ac Judaicas fabulas ingerentibus, de superstitiosis hominum constitutiunculis, quæ nihil habent momenti ad veram pietatem, de perplexa serie genealogiæ usque ab avis ac proavis, tritavisque repetitæ, quasi vero donum Euangelicæ salutis per varias corporum traduces ad nos derivetur, ac non potius cœlesti benignitate semel effusum sit in universos, quicunque fidem Euangelicam amplectuntur. Atque hæc prædicant non ad Christi gloriam, sed partim, ut ipsi apud vos nobilitatis commendatione sint in pretio: partim, ut quoniam simplex est Euangelica doctrina, vel ob hoc ipsum doctiores habeantur, quod perplexas quasdam, & nunquam extricandas difficultates atque inexplicabiles labyrinthos ingerant, quasi non simplicissima quæque sint optima. Euangelica fides compendio salutem adfert. Ista doctrina hominum, quæstionem ex quæstione gignit, & adeo non confert ad cœlestem pietatem, quam Deus per fidem nobis largitur, ut Euangelicæ religionis caput evertat. Quisquis pure credit, non moratur quæstiones. Qui quæstionum nodos alios super alios nectit ac renectit, quid aliud docet quam dubitare? Ex diametro pugnat cum fide, quæstionum curiositas. Si Deum credunt, cur caulificantur de illius promissis? Si compendio fides & caritas Euangelica præstat salutem, quorsum admiscentur humana præscripta de præputii pellicula resecanda, de lotione manuum, de delectu ciborum, de observatione dierum? Jactitant vobis Legem à Deo traditam, & hujus molesti magis, quam eruditi doctores, Legis summam ac scopum non intelligunt. Quorsum autem attinet, per tot molestas observatiunculas ad salutem contendere, cum liceat præteritis istis, recta ad scopum ipsum advolare? Sat eruditus est in Lege Mosaica, quisquis summam Legis est assequutus.

5 Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.

5 Porro quod universam Legis Mosaicæ vim compendio complectitur ac præstat, est caritas, si modo ea proficiscatur ex corde puro, & animo sibi bene conscio, ac fide nescia fuci. Sincera caritas longe rectius dictat quid sit agendum, quam ullæ, quamvis multæ, constitutiones. Ea si adsit, quid opus est Legis præscriptis: si non adsit, quid confert Legis observatio? Humana caritas, quoniam sæpe vitiata est affectibus, cum vita parum sincera frequenter cohæret, nec aliquoties plenæ fiduciæ est. At Euangelica caritas, nec fallit usquam, nec hæsitat, nec ab officio pietatis cessare novit. Nec enim alio spectat, quam ad Christi gloriam, quam ad proximi salutem: nec ab alio pendet quam à Christo.

6 A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium,

6, 7 Ab hoc scopo quoniam aberrant quidam, ideo pro solida doctrina Christi, spargunt fumos inanes, ac nebulas Judaicarum quæstionum, quo videantur esse præclari Legis doctores, sesque inani loquacitate venditant, cum interim caput eorum, quæ lo-

quun-

Digitized by Google

quuntur, & de quibus asseverant mira pertinacia, non intelligant. Siquidem universa Mosi Lex, varia alioqui & diffusa, in unum Christum colligitur. Huic cum Lex ipsa deferat, impudenter Legis doctorem profitetur, qui contra mentem illius eam interpretatur.

7 Volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.

[8] Nequaquam vero hæc dicimus, quod Mosaicam Legem damnemus. Et scimus & fatemur Legem esse bonam, nisi quis ea parum legitime utatur. Abutitur autem Lege, qui eam adversus ipsius sententiam interpretatur. Summa destinatio Legis hæc erat, ut nos deduceret ad Christum. Bonam igitur Legem sibi vertit in perniciem, qui per eam avocat à Christo.

8 Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legitime utatur:

[9] Qui perspicit ac discernit, qua parte Lex ad tempus data debeat Euangelio cedere, qua perpetuum tueri vigorem: qui intelligit quomodo oporteat craſſam ejus litteram ad spiritualem Euangelii doctrinam accommodare: qui intelligit iis, quos Christi sanguis redemit à peccati tyrannide, quique caritatis impulsu, ultro plus præstant, quam Lex Mosaica præscribat, non esse opus vel metu, vel admonitu Legis, ut vel arceantur à flagitiis, vel incitentur ad officium, huic nimirum Lex bona est. Siquidem intelligit Legem ad se non pertinere, qui per Euangelium didicit, non solum neminem lædere, verum etiam benemereri de hostibus. Quorsum opus frenis aut calcaribus equo commode sponteque curronti? Quos Christi Spiritus agit rapitque, ultro præcurrunt, ac vincunt omnia Legis præscripta, ac semel gratis assequuti justitiam, abhorrent ab omni injustitia. Proinde Lex, quæ metu supplicionum deterret à flagitiis, non his utique condita est, qui volentes ac lubentes præstant, quod Lex exigit, etiamsi Legis verba non teneant.

9 Sciens hoc quia lex justo non est posita, sed injustis, & non subditis, impiis, & peccatoribus, scelestis, & contaminatis, patricidis & matricidis, homicidis.

[10] Quibus igitur instituta Lex? Nimirum iis, qui ad naturæ legem obsurduerunt, qui caritate vacant, ad omne facinus propensi, cupiditatibus suis feruntur, hi Legis repagulo coerceantur. Quæ si dederit impunitatem peccandi, mox ad ingenium redeunt, palamque fiunt, quod intus erant, videlicet injusti, rebelles, impii, ac peccatores, irreverentes, impuriquè, patricidæ, ac matricidæ, homicidæ, scortatores, prædicones, plagiarii, mendaces, perjurii.

10 Fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, & perjuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur,

[11] Ad hæc propensis Judæis, merito minæ Legis opponebantur, quæ ab his quæ commemoravi facinoribus, servili præditos ingenio, metu mali coerceret, aut si quod est aliud flagitii genus, quod inclytæ Legi Euangelicæ adversatur, quam nobis non Moses, sed beatus ille Deus per unicum Filium suum Jesum tradidit. Jactitant Judæi Legem suam, ut gloriosam, nos habemus gloriosiorem. Efferuntur illi auctore Mose, nos justius Deo Christoque auctore gloriamur. Prædicant illi Legem Mosaicam, quæ suppliciis immania quædam facinora cohibet. Ego prædico Legem Euangelicam, quæ semel excludit omnes cupiditates cum vera pietate pugnantes. Quis istis sit auctor prædicandæ Mosaicæ Legis, ipsi viderint. Mihi certe concreditum est hoc vere magnificum & efficax Euangelium, quod Legis præsidio non indiget, & concreditum est non ab hominibus, sed ab ipso Deo, non quod ego ullo pacto dignus mihi videar, cui res tanta committeretur.

11 Quæ est secundum Euangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi.

[12] Non erat hoc meriti mei, sed bonitatis divinæ, cui gratiam habeo, quod mihi homuncioni imbecillo, & huic muneri longe impari, robur addidit in gloriam Christi Jesu Domini nostri: cujus negotium, ut fidelis servus bona fide gero, nec aliud laudis hinc mihi vindico, nisi quod quemadmodum ille me fidum administratorem Euangelicæ dispensationis existimavit, ita ego sincere citraque dolum versor in munere delegato, nequaquam istos quosdam imitans, qui in Christi contumeliam Mosaicam Legem prædicant, suo compendio suæque gloriæ servientes, non Jesu Christi.

12 Gratias ago ei, qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro, quia fidelem me existimavit, ponens in ministerio:

[13] Fateor, olim eadem me habebat cæcitas, dum adhuc patriæ Legis studio tenerer. Eram maledicus in Christi nomen, eram persecutor adeo sævus, ut nec à violentia temperarem: nec enim usque ad convitia solum, verum etiam usque ad carceres, usque ad capitis supplicia persequebar orientem Euangelii gloriam. Hactenus me nihil istis antepono: fortasis hoc nomine sum illis anteponendus, quod hæc simplici Legis studio, per errorem & ignorantiam commisi, nondum vocatus ad Euangelii consortium. Isti semel professi Christum, tamen hujus gloriæ invidi, & suæ nimium avidi, obstinata malitia, inutile Mosaicæ Legis onus ingeruut. Et ob id mei simpliciter errantis misertus est Deus, cum isti magis in dies ac magis excæcentur.

13 Qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus: sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.

[14] Ego quo tum ardentius pugnabam pro Lege adversus Christum, hoc nunc animosius defendo Christi doctrinam adversus Legis assertores. Pro vehementi illo studio Legis abolendæ, successit & exuberavit gratia: pro fiducia Legis, successit fiducia erga Christum: pro Judaico odio, successit caritas erga mortales omnes, quam & exemplo & dono Christi sumus adepti.

14 Superabundavit autem gratia Domini nostri, cum fide, & dilectione, quæ est in Christo Jesu.

[15] Non est quod reclament Judæi, si dixi me sine Legis auxilio, ex impio & scelerosо factum hunc, qui nunc sum beneficio Dei. Imo quod istis videtur incredibile, certissimis argumentis est indubitatum: & quod isti rejiciunt, id est omni studio & obviis, ut ajunt, ulnis amplectendum: quod Jesus Christus videns Legem inefficacem esse ad perfectam salutem, ipse factus homo venerit in mundum, ut sua morte nobis conferret incolumitatem, & nostræ injustitiæ pœnas dependens, suam nobis largiretur justitiam. Porro quamvis patriæ Legis tenacissimus fuerim, tamen adeo me non eximo de numero peccatorum, ut inter hos vel primum esse me profitear.

15 Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.

[16] Non inficiabor impuritatem meam, quæ redundat in gloriam Christi. Quo minus ego promereor misericordiam, hoc illustrior est illius clementia. Ego supplicio dignus eram. Et unde tandem venit, ut non solum condonatis sceleribus meis, Christus summam lenitatem in me declararet, verum etiam tot gratuitis dotibus locupletaret? Quid aliud? quam ut hoc insigni exemplo, ad similem spem veniæ provocaret omnes, quamlibet prioris vitæ maculis inquinatos, modo diffisi Legis Mosaicæ præsidio, fiduciam omnem constituant in bonitate Christi, quæ nunquam destituit nos usque ad vitam æternam. Ingentia promissa, sed auctor certissimus. Diffidere desinet, quisquis Christum auctorem cogitarit.

16 Sed ideo misericordiam consecutus sum: ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui crediturі sunt illi, in vitam æternam.

[17] Quod si hunc ut hominem & crucifixum aliquis posset contemnere, cogitet summum illum seculorum Regem Deum Patrem immortalem, invisibilem, solum sapientem, præcipuum hujus negotii esse auctorem, qui per Filium nobis largitur omnia. Proinde nihil videri debet incredibile, quod ille tantus pollicetur. Nihil est quod homines sibi vindicent ex hac munificentia singulari, cum illi soli debeatur omnis honos & gloria, non in certos annos, qualis fuit gloria Legis Mosaicæ, sed in ævum omne. Decet enim immortalem immortalis honos.

17 Regi autem seculorum immortali, invisibili, soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[18] Quod dixi verum est, & ita res habet. Itaque quemadmodum ego bona fide gero negotium à Deo delegatum, ita præceptum hoc unice tibi commendo fili Timothee, ut parentis exemplum imiteris, ut officio suscepto per omnia respondeas. Divinum est negotium quod geris, nec humanis suffragiis ad istud adscitus es, sed oraculo jussuque Dei. Sub illius signis meres, ab eodem virtutis præmia relaturus. Vides quæ copiæ tuæ fidei commissæ sint, vides cum quibus adversariis res sit, non est cessandi, non est dormitandi locus. Turpissimum autem ac nefarium sit desciscere ab eo, in cujus verba juraris, cuique semel nomen dederis. Ille te judicavit stre-

18 Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam,

Digitized by Google

ſtrenuum ac fidum ducem futurum : hoc enim nobis ſignificavit afflatu ſuo Chriſti Spiritus, cum tibi manibus impoſitis, presbyterii commiſimus auctoritatem. Fac igitur, ut & Dei de te præjudicio, & noſtræ de te fiduciæ conſtanter reſpondeas, quo & ille ducem fortem collaudet, & ego filium germanum agnoſcam.

19 Habens fidem, & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt:

19 Egregia militia eſt in qua verſaris, eam fac gnaviter obeas: id fiet, ſi fidem obtineas ſinceram & inconcuſſam, fideique adjungas bonam conſcientiam, ut neque dubites de promiſſis divinis, & ſinceræ opinioni, vitæ integritas reſpondeat; cujus tanta debet eſſe puritas, ut non ſolum probetur hominibus cæteris, verum etiam apud Deum animus ſibi bene ſit conſcius. Fidei robur labefactant humanæ quæſtiones, conſcientiam vitiant humanæ cupiditates, dum qui Chriſti negotium agere videntur, alio ſpectant quam ad Chriſtum. Porro, duo hæc ita ſibi cohærent, ut altero labefactato, alterum quoque periclitetur. Etenim cujus eſt inſincera conſcientia, ejus non poteſt eſſe ſincera fides. Quî enim ſincerum dici poteſt, quod mortuum eſt? Aut quî durabile eſt, quod vita ſpirituque vacat? Fit enim ut ſibi per omnia male conſcii, tandem & credere deſinant, quæ de præmiis innocenter aut ſecus actæ vitæ tradit Euangelica doctrina.

20 Ex quibus eſt Hymeneus, & Alexander: quos tradidi ſatanæ, ut diſcant non blaſphemare.

20 Hujus rei exemplum heu nimis verum nuper conſpeximus in Alexandro & Hymenæo, qui dum in Euangelica prædicatione non tenent clavum rectæ conſcientiæ, in perfidiæ ſcopulos impegerunt, ſemelque ejecti à ſalutifera profeſſione, ſic abrepti ſunt malarum cupiditatum fluctibus, ut manifeſtis etiam convitiis in Euangelicam doctrinam debacchentur, adeo ut jam civilibus monitis ſanari non poſſint. Quos ideo, ceu putria membra mea ſententia reſecui à reliquo Chriſti corpore, ut ſaltem pudore probroque correcti diſcant ab impiis convitiis temperare, minuſque ſint noxii cæteris, ſi ſibi boni eſſe non poſſunt. Auſteritate coercendi ſunt, quorum eo progreſſa eſt impietas, ut lenibus remediis jam nihil agatur. Proinde, non ſolum Dei de tua ſinceritate judicium, non ſolum meum exemplum, non ſolum tua profeſſio, datumque nomen Chriſto, verum etiam horum abominandum exemplum debet animum tuum ad officii conſtantiam inflammare.

CAP. II.

Belle pro cunctis orandum: unus mediator: Vir mulierque rogent: ſit tamen illa ſilens.

1 Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus:

1 NEQVE vero ſatis eſt, ut ipſe vaces crimine, Epiſcopi partes ſunt, & aliis quid facto ſit opus præſcribere. Ea debent eſſe ejuſmodi, ut animo Euangelico digna videantur. Porro, qui Chriſtum profitentur, eos oportet longiſſime abeſſe à cupiditate vindictæ, à libidine nocendi, ab omni malevolentiæ ſpecie. Proinde fac horteris tuos, ut ipſo ſtatim diluculo pietatis officium Chriſtique cultum hinc auſpicentur. Primum deprecentur Deum, ut avertat omnia, quæ turbant, & inquietant ſtatum Religionis, ac Reipub. Deinde poſtulent ab eo, quæ faciunt ad negotium pietatis, & tranquillitatem Reipub. Sub hæc adverſus eos, qui perſequuntur gregem Chriſti, nihil aliud, quam præſidium ipſius implorent. Poſtremo pro his, quæ Dei beneficio contigerunt, agantur illi gratiæ: ac votis implorentur, quæ nondum contigerunt. Atque hæc quidem fiant, non ſolum pro Chriſtianis, verum etiam pro univerſis hominibus, ne videatur anguſta Chriſtiana caritas quaſi ſuæ duntaxat favens factioni, ſed exemplo Dei porrigat ſe latiſſime, ad bonos pariter ac malos, quemadmodum ille perfecte bonus, & omnibus quantum in ipſo eſt benefaciens, Solem ſuum juſtis pariter atque injuſtis impartit.

2 Pro regibus, & omnibus

2 Per Ethnicos quoque magiſtratus Deus largitur nobis publicam tranquillitatem: par eſt igitur & pro his gratias agere, ac nobis incertum eſt an ille ſimulacrorum impius cultor, brevi ſit amplexurus Euangelium. Omnium itaque ſalutem optat Chriſtiana caritas. Judæus amat Judæum, Proſelytus Proſelytum, Græcus Græcum, Germanus Germanum, cognatus cognatum. Non eſt hæc Euangelica caritas, verum ea eſt Euangelica caritas, quæ pios diligit ob Chriſtum, & impios diligit, ut aliquando reſipiſcant, & convertantur ad Chriſtum. Sacrificant illi Dæmonibus, ac vobis male precantur. Vos contra, Chriſti veſtigiis inhæretis, qui quum ſublatus in crucem audiret virulenta probra, vel ipſo crucis ſupplicio graviora, non regeſſit convitia, non imprecatus eſt diras, ſed ingenti clamore Patrem interpellavit, ut illis ignoſceret. Nec ſolum bene precandum eſt univerſo hominum generi, verum etiam pro Regibus, licet Ethnicis, & à Chriſti perfeſſione alienis, proque cunctis, qui juxta publicum ordinem mundi funguntur aliquo magiſtratu.

qui inſublimitate ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate, & caſtitate.

3 Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo,

3 Nec hoc vos moveat, quod ab his affligimur, cædimur, in carcerem conjicimur, occidimur. Miſerendum potius illorum cæcitatis, non retalianda malitia. Alioqui, nec illi fient meliores, & nos deſinemus eſſe Chriſtiani. Hæc ratio velut imprimis efficax placuit Chriſto, qua voluit omnes ad ſe pellici. Quod ſi ſunt in quos perit noſtra caritas, non ideo deſinemus eſſe noſtri ſimiles. Habet & hic mundus ordinem ſuum, quem non expedit à nobis perturbari, quorum eſt ubique paci conſulere. Poteſtas & auctoritas illorum aliquouſque ſervit divinæ juſtitiæ, dum coercent ſuppliciis facinoroſos, dum metu pœnæ malos utcunque continent in officio, dum latrocinia compeſcunt, dum armis ſuis tuentur publicam pacem, dum legibus Rempublicam moderantur. Hæc tametſi non faciunt amore Chriſti, tamen non expedit in commune per nos turbari Reipublicæ ſtatum, ne ſeditioſa videatur Euangelica doctrina, jamque incipiamus eſſe inviſi, non quod Chriſtum profiteamur, ſed quod publicam tranquillitatem labefactemus. Quod ſi quando abutantur in nos ſua poteſtate, Chriſtianum eſt obliviſci malorum, & meminiſſe beneficii. Hoc illorum poteſtati, hoc præſidiis & armis debemus, imo hoc Deo per illos debemus, quod à ſeditionibus, quod à latrociniis, quod à bellis tutis liceat tranquillam ac placidam vitam agere. Meminiſſe decet, quantum malorum mare ſecum invehat belli tumultus, quantum commoditatum habeat pax. Multa mala ſuadet egeſtas rerum neceſſariarum. Pax adfert ubertatem. In pace locus eſt pietati, bellum impietatem omnem docet. Amat noſtra profeſſio caſtitatem, in bello cujus eſt tuta pudicitia? Quod ſi plerique pacis beneficio ad impias cupiditates abutuntur, nos tamen publica tranquillitate ad Dei cultum ac morum integritatem abuti debemus, interim Principibus obſequentes in omnibus, quæ vel recte præcipiunt pro ſuo officio, vel afflictos nos tantum reddunt, non etiam impios. Adimunt pecuniam, at nihil deceſſit pietati. Onerant compedibus, at non diſtrahunt nos à Chriſto. Occidunt corpus, tranſmittunt ad portum immortalitatis. Tum vero noceant, ſi nos efficiant avaros, ſi mortis pavidos, ſi vitæ avidos, ſi ambitioſos, ſi vindictæ cupidos, ſi Chriſto diffidentes. Principibus igitur nec turpiter eſt adulandum, nec ſeditioſe repugnandum. Quod ſi quando pietas Euangelica poſtulabit, ut illorum juſſa ſpernantur, ea moderatione faciendum eſt, ut intelligant id à nobis fieri, non ipſorum odio, ſed ſtudio pietatis. Neque vero hæc eo animo moneo, ne cum ſimus mundi præſidiis impares, potentiam illorum in nos malo noſtro provocemus, ſed ut hac lenitate Chriſtum principem noſtrum referamus, qui cum unus plus poſſet univerſis hujus mundi Satrapis ac Monarchis, tamen tolerandis malis, quam re-

Digitized by Google

repellendis, aut regerendis orbem asserere maluit. Maluit beneficentia vincere, quam vindicta, maluit mederi, quam perdere, maluit allicere, quam opprimere. Hac ratione vicit ille, sic visum est Patri, ut triumphum reportaret Filius. Hunc imitemur oportet, si nostras preces, si nostras victimas illi gratas & acceptas esse volumus. Nobis ille servator esse maluit, quam ultor, magna lenitate tulit impietatem nostram, donec resipisceremus.

4 Qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

4 Quod in nobis factum est, idem cupit, ut est immensæ bonitatis, in omnibus, si fieri possit, accidere. Servator est omnium, nemínem à salute excludit, lucem Euangelicam affert omnibus. Qui repellit, qui se subducit, sibiipsi cæcitatem imputet: qui perit, suo vitio perit. Quid enim faciat medicus, si ægrotus rejiciat salutiferum pharmacum? Certe per illum non stat, quo minus omnes homines salutem adipiscantur, ac depulsa veteris vitæ caligine, ad Euangelicæ veritatis lucem accedant. Christus est veritas, hunc qui agnoscit, incolumis erit, à quocunque vitæ genere huc accesserit. Eadem salus ab uno, per unum offertur omnibus.

5 Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus:

5 Nihil est hîc quod sibi Judæus ceu proprium vindicet. Unus est Deus, non peculiaris huic aut huic Genti, sed omnium ex æquo communis. Unus est, qui genus humanum Deo reconciliat, Deus & homo Christus Jesus. Decuit enim, ut qui inter Deum & homines arbiter concordiæ intercederet, cum utrisque haberet aliquid commune, & Deus apud Deum intercederet, & homines homo reduceret in gratiam. Cur hunc aliquis sibi proprie asserit?

6 Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis:

6 Si pater omnium communis misit hunc servandis omnibus, si is semet impendit redimendis omnibus, par est & nos modis omnibus adniti, ut illius mors ex æquo prosit omnibus. Quod si pro Ethnicis quoque mortuus est, cur nos pigeat pro illorum salute litare Deo precibus? Quod si quando fuit ambiguum, an Christus etiam Gentibus universis redimendis venisset, certe nunc palam est, & ipsa re comprobatum, Christi mortem non minus ad Gentes pertinere, quam ad Judæos. Datum est olim aliquid pertinaciæ Judæorum, ne causari possent se fuisse spretos aut rejectos, at mox Deus voluit omnibus esse testatissimum, nullum prorsus esse gentis, aut superstitionis, aut conditionis discrimen confugientibus ad Euangelicam doctrinam.

7 In quo positus sum ego prædicator & Apostolus (veritatem dico, non mentior) doctor Gentium in fide, & veritate.

7 Hujus rei Deus me potissimum præconem esse voluit. In hoc voluit legatione fungi, cum cæteri Apostoli prius cunctanter atque ægre Gentes admiserint ad Euangelii gratiam. Neque desunt & hodie, qui negent aditum ad Christi beneficium, nisi per Legem Mosaicam. At mihi Christus & prædicatoris & Apostoli mandavit officium, ut omnibus absque Legis præsidio prædicem salutem æternam, quam ipsi soli debeamus acceptam ferre. Non mihi falso sumo hanc auctoritatem, Christus ipse mandavit. Neque vanum est quod prædico, imo vera sunt quæ loquor, ut doctor Gentium hæc prædico. Non arrogo mihi sumos magnifici tituli, quod solent Pseudapostoli, re ipsa me comprobavi Gentium Apostolum, non Mosaicas constitutiones illis ingerens, ut isti, sed fidem Euangelicam, non nebulas inanium quæstionum illis offundens, sed puram ac simplicem veritatem, ea docens, quæ proprie faciunt ad veram pietatem potius, quam ad quæstum, aut inanem ostentationem.

8 Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira & disceptatione.

8 Ut igitur ad id, quod instituerat, nostra sese recipiat oratio, viros precari volo, non solum in Ecclesia, verum etiam ubicunque res postulat. Judæi non appellant Deum, nisi Hierosolymis, Samaritani precantur in montibus, aut lucis: Christianis omnis locus purus ac sanctus est ad immolandas precum victimas. Nusquam existiment non esse templum Deo sacrum, ac ceu victimam oblaturi, puras manus ubivis attollant in cœlum. Non est quod desiderent propitiatorium, aut sanctum sanctorum. Undecunque precantes Deus exaudiet. Nec est quod morentur hostias Judaicas, aut ceremonias, aut sacrificium; in his sacris sibi quisque sacrificus esse potest. Non exspectat Deus pecudem, aut suffitum aromatum, gratissimum illi sacrificium est, purum votum, è puro pectore profectum. Quantumcunque se laverint Judæi, tamen impuræ sunt illorum hostiæ. Deo puræ sunt manus, vel illotæ, si pacatus sit animus, si nullius injuriæ memor, si nulli male volens, si nullis libidinis, avaritiæ, aut ambitionis sordibus inquinatus. Hæc est puritas & mundities, quæ divinis oculis commendat Christiani victimam: hac sibi litari cupit.

9 Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa:

9 Jam ad exemplum virorum precentur & mulieres. Si quid est in animo muliebrium affectuum, id prius ejiciant, pro Judaicis purgationibus, morum innocentiam adferentes, ad hanc victimam, animi non corporis cultum adhibeant, non nuditate corporis virorum oculos ad libidinem sollicitantes, sed amictu tectæ, & eo amictu, qui modestiam, qui pudorem, qui pudicitiam præ se ferat. Absit autem ut Christianæ mulieres eo cultu prodeant in cœtum sacrum, quo vulgus profanarum mulierum solet ad nuptias, aut theatrum exire, quæ se multo studio prius ornant ad speculum, arte contortis crinibus, aut auro intertexto, aut pendulis ab auribus collove margaritis, aut alioqui holoserica purpureave veste, quo simul & formam spectatoribus lenocinio commendent, & suas ostentantes opes, tenuioribus suam inopiam exprobrent.

10 Sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.

10 Quin is sit potius Christianarum habitus, qui vitæ respondeat, qui dignus videri possit iis mulieribus, quæ veram pietatem ac Dei cultum profitentur, non ostentatione divitiarum, sed benefactis; quibus opibus unice delectatur Deus: cujus oculis fœdum est, quod mundo videtur splendidum ac magnificum.

11 Mulier in silentio discat cum omni subjectione.

11 Et quoniam is sexus alioqui vitio loquacitatis obnoxius, nulla re magis ornatur, quam silentio; decet ut quod habitu profitentur, re quoque præstent, & in cœtu virorum discant, non doceant, sequantur, non præeant, neque quicquam auctoritatis ostentent apud maritos, quibus debent modis omnibus esse subditæ: ne si semel relaxatis pudoris habenis cœperint in publico cœtu perstrepere, congressus ille vester, quem moderatissimum esse decet, tumultu confundatur. Virorum est in cœtu loqui, præsertim si quid habent, quod docere possint conducibile ad pietatem.

12 Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.

12 Porro quantum sitæ quisque uxori domi permittat, ipse viderit. Ego in cœtu promiscuo non permitto mulieri cuiquam, ut docendi partes sibi vindicet, etiamsi habeat quod doceat, ne semel aperta fenestra, sexus imbecillis audaciam sibi sumat: neque concedo, ut quicquam auctoritatis usurpent in maritos, quos sic amare debent, ut nihilo secius revereantur. Sileant igitur, & quod à viris dicitur, reverenter auscultent. Agnoscant ordinem naturæ. Ut animi est imperare, corporis parere, ita uxor debet à mariti nutu pendere.

13 Adam enim primus formatus est, deinde Heva:

13 Cur invertimus ordinem Dei? Prior conditus est Adam, mox hujus gratia condita est Eva. Cur quod Deus prius esse voluit, impudentia faciat posterius?

14 Et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.

14 Deinde quod ad lapsum attinet, Eva prior est seducta, Serpenti credens, & illecta pomi lenocinio, neglexit præceptum Dei. Vir neque Serpentis promissis, neque pomi illecebra decipi potuisset, sola caritas uxoris pertraxit ad pernicioſum obsequium. Quî convenit autem, ut quæ semel marito fuerit magistra prævaricandi, nunc sibi in pietatis doctrina priores vindicet? Agnoscat potius veterem illam imbecillitatem sexus, cujus non sunt penitus abolitæ reliquiæ, etiamsi culpa per baptismum est condonata. Agnoscat & dignitatem & robur masculi

li pectoris, ac sat habeat, quod quæ olim fuit dux ad impietatem, nunc comes sit ad pietatem: & quæ olim præcessit ad exitium, nunc sequatur ad salutem.

15 *Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.*

15 Neque enim sic dejicimus muliebrem sexum, ut illum à consortio salutis excludamus. Est & mulieri sua functio, in qua si sincere versabitur, consors erit salutis. In concione non est quod agat. At domi est quod agat, quoque salutis præmium emereatur. Quod olim in seducto marito commissum est, id liberis gignendis, rectèque educandis sarciat. Id fiet, si totis viribus adnitatur, ut quos semel marito genuit, rursum per fidem gignat Christo. Si sic formet primam ætatem, ut caritate, ut sanctimonia, ut pudicitia, cæterisque virtutibus Christo digni videri possint. Magnam rem præstiterit mulier, si probam ac vigilantem matremfamilias præstiterit. Quod dixi, pro indubitato debet haberi.

CAP. III.

Curet Episcopus hæc: curent hæc jussa ministri:
Si tarde veniam; sic rege tecta Dei.

1 *Fidelis sermo: Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.*

1 ATQVE hæc ferme sunt, quæ præscribes citra discrimen omnibus. Porro majora spectanda sunt in his, quos judicabis esse præficiendos multitudini. Par est enim, ut qui honore præcellit, præcellat & virtutibus. Fortasse dignitatem appetunt multi, sed interim non secum expendunt, quantum sollicitudinis ea dignitas habeat adjunctum. Qui munus Episcopi non ob aliud concupiscit, quam ob ambitionem, aut quæstum, aut tyrannidem, rem pernicioſam sibi concupiscit, non satis animadvertens quid sibi velit Episcopi vocabulum. Siquidem Episcopus non tam dignitatis est nomen, quam functionis, quam officii, quam sollicitudinis: sonat enim inspectorem & commodis aliorum usibusque prospicientem. Itaque hoc qui intelligit, & Episcopi munus expetit, non alio spectans, quam ut prosit quam plurimis, honesto quidem ille desiderio ducitur, exercendæ virtutis materiam concupiscens, non honorem.

2 *Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem,*

2 Quem tamen illi non committes, nisi compereris dotibus præditum Episcopo dignis. Quod quo certius judices, en tibi simulacrum veri Episcopi paucis adumbrabo. Primum oportet ea esse vitæ integritate, ut nihil omnino criminis illi possit impingi. Non enim convenit, ut qui se cæteris profitetur magistrum & exactorem innocentiæ, ipse vita moribusque non præstet quod docet: & qui pro suscepto officio debet libera fronte peccantes arguere, committat in quo sit arguendus. Quis enim credit doctori, cujus oratio pugnet cum vita? Quis feret increpantem, in quo videt, aut eadem, aut etiam graviora flagitia? Ut omnes integri sint & innocentes, optari citius potest quam sperari. Certe magni refert, ut unus, à cujus magisterio pendet populus, vacet omni crimine. Deinde quoniam in Episcopo pudicitia magnam habet commendationem, si non continget qui voluptatem hanc in totum contemnat, illud certe spectandum, ut fuerit, aut sit unius uxoris maritus. Primum matrimonium gignendæ proli datum videri potest; at repetitum conjugium non caret etiam apud Ethnicos intemperantis animi suspicione. Cæteris nihil obsto, quo minus iterent matrimonium; si minus sibi temperant. Durius est hoc, quam ut ausim exigere à tota multitudine. At decet Episcopum in tantum abesse ab omni crimine, ut vacet etiam omni criminis suspicione. Præterea, qui unus tam multis prospicit, eum oportet esse sobrium ac vigilantem. Speculator est, & periculum undique imminet. Non licet esse socordem, quoquoversum vigiles oculos circumagat oportet, ne quid insidiator ille, duce dormitante, de Christi castris intercipiat. Ad hæc in omni vitæ consuetudine præ se ferat gravitatem, alienus ab omni levitate ac morum ineptia, quæ minuit & elevat doctoris reverentiam & auctoritatem. Neque vero satis sit, si se comem ac benignum præbeat erga suos, curare debet, ut hospites etiam illius humanitatem ac beneficentiam experiantur, quo latius sese spargat honestæ famæ fragrantia. Verum ut has virtutes habet cum plerisque communes, ita illud in Episcopo peculiariter spectandum est, ut appositus promtusque sit ad docendum, non fabulas Judaicas, ac supercilioſam turgidamque mundi hujus philosophiam, sed ea quæ nos vere pios, vereque reddant Christianos. Primum autem boni doctoris munus est, ut sciat quæ sunt optima. Proximum, ut libenter, ut placide, ut assidue, ut amanter, ut absque supercilio, ut tempestive doceat. Talis est enim Euangelica doctrina, quæ lenitate vincat, non clamoribus, quæ si quando etiam irritata peccatis malorum nonnihil sævire cogitur, tamen nunquam oblivisciturChristianæ caritatis.

3 *Non vinolentum, non percussorem, sed modestum; non litigiosum, non cupidum,*

3 Absit autem, ut doctor Euangelicus ad exemplum eorum, qui vino feroces debacchantur, sæviat impotentius in errantes, aut lingua convitiatrice percellat animos eorum, quibus paterna lenitate mederi potius debuit: sed in his omnibus mansuetudinis ac moderationis Christianæ meminerit, quæ non paulo est efficacior ad corrigendos homines, quam sævitia. Abhorreat autem à contentione, ne videatur odio, non amore facere, quod facit. Caritas emendat, contentio irritat. Abhorreat ab avaritia, ne videatur pietatem ad quæstum simulare.

4 *Sed sue domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate.*

4 Postremo vis scire quomodo se gesturus sit in negotio publico? considera quomodo domi rem privatam administret. Si illic præstat vigilantem patremfamilias, si omnia in officio continet, si liberos habet morigeros dictoque audientes, si sic institutos, ut ingenuo pudore, moribusque compositis testentur sanctam educationem parentis, bona spes est fore, ut publicam omnium curam gnaviter gerat, qui in administratione rei domesticæ specimen egregium sui præbuerit. Nihil enim aliud est domus quam parva Respublica, nec aliud paterfamilias, quam exiguæ civitatis regulus. Sic & mundana prudentia eos demum censet idoneos, quibus majora Reipublicæ munia committantur, si qui minora cum laude gesserint.

5 *Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?*

5 Porro qui sperare possis hunc totius Ecclesiæ curam bene gesturum, qui privatæ domui suæ non noverit præesse? quomodo curabit tam multas, qui uni curandæ non sufficerit? quo pacto prospiciet multitudini tantæ, qui tam paucis nescierit prospicere? an is bona fide curabit alienos, qui suos indiligenter habuerit? an utilis erit congregationi Dei, qui humanæ congregationi non potuerit esse utilis.

6 *Non neophytum: ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli.*

6 Jam & illud spectandum in deligendo Episcopo, non solum quam integre se gesserit in privatis officiis, verum etiam quam pridem ad Christi professionem accesserit. Baptismus quidem inserit hominem corpori Christi, sed perfecta pietas non ita repente contingit homini. Baptismus aperit aditum in Ecclesiam: verum hîc superest, ut pro se quisque certatim contendat ad sanctimoniæ metam. Per baptismum renascimur, sed reliquum adhuc est, ut multo temporis progressu magnitudinem & robur colligamus, quotidianis auctibus pietatis grandescentes in adultam ætatem. Proinde cavendum, ne neophytus, hoc est, nuper in fidei contubernium adscitus, tanto negotio præficiatur. Bona plantula est, sed etiamnum tenera, & grandi fortassis oneri sustinendo impar. Periculum est autem, ne si rudi, nec satis adhuc in religione confirmato, novus honos accesserit, efferatur in superbiam, sibique pernicioſe incipiat placere, velut ob hoc ipsum cooptatus in gregem religionis, ut religioni præesset: fiatque, ut irretitus Diaboli laqueis, quos ille varios tendit, sed nullos insidioſius, quam ambitionis, fastidioſius sese gerens in honore mandato, non effugiat hominum maledicorum calumnias: qui sic interpretabuntur, eum hoc consilio am-

Digitized by Google

ambiisse Christianismum, ut qui inter suos humilis erat, inter Christianos honore præcelleret. Feliciter, inquient, nos reliquit, habet mutatæ religionis præmium, maluit Episcopus esse Christianus, quam privatus apud nos degere. Ab hac suspicione tutus erit, qui multo tempore veræ pietatis ac modestiæ suæ specimen dederit.

7 Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.

7 Nec audiam, si quis mihi dicat, quid mea si obtrectent Ethnici? satis est si meis prober. Mihi vero istud in Episcopo haudquaquam satis est, cujus famam adeo oportet ab omni criminis suspicione puram ac illibatam esse, ut parum sit bene audire apud suos, quibus propius ac domestice notus est, nisi probetur & exterorum testimonio, qui cum veram hujus pietatem intueri non queant, quamvis etiam mali speciem rapiunt ad calumniam. Itaque modis omnibus cavendum, ne vel his qui sunt à nostra professione alieni, detur ansa calumniandi, neve non dicam flagitium, sed falsum etiam probrum probabiliter possint objicere. Siquidem ut & illi de nobis bene sentiant, non solum hoc habet fructus, quod facit ad gloriam Christi, verum etiam quod facilius resipiscent ab impietate sua, si de nostra pietate bene senserint.

8 Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes:

8 Jam vero, quoniam admissa ministrorum recidunt in infamiam auctorum, non sat fuerit dispicere, cujusmodi sit is, quem adscisis ad Episcopi munus, verum etiam quos habeat aut allegat sibi familiares ac ministros, qui sunt velut Episcopi membra: hos oportet omnibus modis respondere suo Præsuli, toto vitæ habitu graves ac compositos, alienos ab his vitiis, quibus famulorum vulgus esse solet obnoxium. Ne sint bilingues, ne multo vino dediti, ne sordidis lucellis inhiantes.

9 Habentes mysterium fidei in conscientia pura.

9 Qui sic initiati sint mysteriis Euangelicæ fidei, ut ipsa vita testentur sese non in gratiam Dominorum, sed ex animo pureque Christianos esse: nam professionis sinceritatem arguit morum innocentia.

10 Et hi autem probentur primum: & sic ministrent, nullum crimen habentes.

10 Nec his tamen protinus velim committi rerum sacrarum administrationem, verum ubi multo jam tempore illos exploraris, ubi diu post acceptum baptismum vitam innocentem egerint, ac tales se præbuerint, ut nullum crimen illis possit impingi, tum demum rebus sacris tractandis admoveantur.

11 Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus.

11 Quin & ab Episcoporum ac Diaconorum uxoribus similem exigo vitæ modestiam atque integritatem, quod hæ quoque veniant in aliquam partem ministerii, & harum mores maritorum moribus imputentur, aut eorum etiam quibus ministrant. Absint igitur à vulgarium uxorum vitiis, ne sint leves, aut ineptæ, ne obtrectatrices, ne intemperantes, sed sobriæ: ne futiles aut lubricæ fidei, sed fideles & constantes in omnibus.

12 Diaconi sint unius uxoris viri: qui filiis suis bene præsint, & suis domibus.

12 Porro Diaconorum castitas in hoc respondeat Episcoporum vitæ, ut ipsi quoque sint monogami, ne repetitum matrimonium suspicionem aliquam præbeat intemperantiæ: & in liberis honeste instituendis, propriaque familia diligenter administranda specimen sui dederint, quales futuri sint in sacro ministerio.

13 Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Jesu.

13 Quanquam enim inferior est functio Diaconorum functione Sacerdotum & Apostolorum, tamen quisquis in hoc ordine sese gnaviter integreque gesserit, ad excellentiora munia gradum non mediocrem sibi facit, dum & sibi nota pietas magis fidit suo robori, & ex recte gesto officio cæteri majorem fiduciam concipiunt, ut evectus ad altiora munera fidei Euangelicæ seipsum etiam vincat integritate, vigilantiaque. Habet enim & Jesu Christi politia magistratuum gradus & ordines quosdam, quorum primus est Diaconorum, secundus Presbyterorum sive Episcoporum, summus Apostolorum. Atque ut in Republica profana vocatur ad Præturam, qui in Ædilitate strenue se gesserit: rursus à Prætura ad Tribunatum, aut Consulatum, qui illic quoque vicerit seipsum: ita Diaconi functio declarat, qui sit Sacerdotis aut Apostoli loco dignus.

14 Hæc tibi scribo, sperans me ad te venire citò.

14 Hæc tibi scribo fili carissime, non quod desperem me rediturum ad vos, imo spes est fore, ut brevi revisam cœtum vestrum:

15 Si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.

15 Sed tamen si quid inciderit, ut serius cogar venire quam sperem, volui interim te litteris meis esse commonitum, ne nescias, quomodo versari debeas, non in templo Judaico, sed in domo Dei. Cur enim non sic appellem Christianam Ecclesiam, quæ Deo vivo consecrata dicataque est, nec ullis errorum, aut persecutionum procellis unquam demolienda, cum sit columna & firmamentum veritatis. Habuit olim Hierosolymitanum Templum suam venerationem, habuit suos Sacerdotes, habuit ritus, & victimas suas. Hoc est templum illo multo sacratius, non umbris ac typis celans mysteria, sed pro Cherubim, pro malis punicis, pro tintinnabulis, pro arca, pro similibus ænigmatibus, solidam, vereque Euangelicam veritatem nobis ostendens. Ne mireris igitur, si nihil hic audis præscribi, qualia magno studio Levitis ac Sacerdotibus præscripsit Moses. Nihil est quod eas umbras desideremus, quum id nobis patefecerit Deus, cujus gratia totus ille mysticus apparatus ad tempus fuit institutus. Nihil est quod Judæi mirentur aut jactent arcam, aut quæcumque claudebant sancta sanctorum, si ad nostra mysteria conferantur. An illorum secreta præcipuam aliquam venerationem mereantur, ipsi viderint.

16 Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.

16 Certe extra controversiam est, hoc Euangelicæ pietatis mysterium, quod nos semel ab omni superstitione liberat, longe maximum esse in hoc templo, quod per universum orbem patet. Non ostenditur mensa, aut arca, aut immolatum pecus, sed ostenditur ac prædicatur ipse Christus, qui antehac ignotus & abjectus, nunc adeo palam factus est, ut homo etiam juxta carnem conspectus & contrectatus sit ab hominibus, juxta spiritum tantam acceperit potestatem, ut abolitis omnium peccatis, per solam fidem contulerit, & conferat justitiam, quam Lex præstare non poterat. Et adeo non est celatum hoc mysterium nostrum, ut Angelicis etiam oculis fuerit admirandum, occinentibus gloriam in excelsis Deo, & in terra pacem hominibus, bonam voluntatem. Cætera mysteria desinunt esse veneranda, si fuerint evulgata: hoc palam prædicatum est, non solum Judæis, verum etiam Gentibus. Nec fuit inefficax prædicatio, quod præter naturæ ordinem videbatur omnibus, quod nulla philosophia, aut facundia mortalis persuasura fuerat, hoc orbi toti prodigiis attestantibus persuasit simplex Euangelii sermo. Postremo post crucis supplicium, propria virtute revixit, ac palam famulantibus Angelis, adscendit in cœlos: nimirum indicans, quo nostra spes sit omnis conferenda. Quid hoc mysterio sacratius? quid sublimius? quid certius? aut evidentius? Hoc si vere credimus, hoc si digne vivimus, quid est quod posthac ad Judaicas constitutiunculas respiciamus? Tenemus veræ pietatis mysterium, cur ad ea deflectimus, quæ plus habent superstitionis, quam pietatis? Si peccatis oneramur, hic est certissima peccatorum remissio: si doctrinam requirimus, hic est veræ pietatis regula, quam sequamur: si præmium spectamus, hic est immortalitas, ad quam evehamur. Hac igitur religione contenti mi Timothee, valere sinamus inania Judæorum præscripta.

CAP. IV.

Dæmonibus credent supremo tempore multi:
Ficta valere sinas: quæque jubemus age.

1 Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent

1 HÆC eo studiosius inculco, quo magis metuo periculum, quod non jam ambiguis colligitur conjecturis, cum ipse Spiritus, futurorum præscius, per eos, quos afflavit, clare certoque significet fore, ut extremis temporibus exoriantur quidam, qui desciscentes à sinceritate fidei Euangelicæ, ad

Digitized by Google

quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum,

Judaismum quendam relabantur, in his rebus constituentes cardinem pietatis, quæ adeo nihil habent momenti ad pietatem, ut frequenter etiam officiant, ac rebelles Spiritui Christi, magis auscultent Spiritibus impostoribus, aversique à doctrina veri Dei, præbeant aures atque animos doctrinis Dæmoniorum;

2 In hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam,

2 Qui fictæ specie pietatis loquentur ea, quæ sunt ab Euangelica veritate aliena, atque apud simplices sese venditabunt persona sanctimoniæ, cum apud Deum habeant conscientiam insinceram, multis mundanarum cupiditatum notis fœdam ac notatam compunctamque.

3 Prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem.

3 Hujusmodi cum intus madeant livore, odio, avaritia, ambitione, cæterisque morbis, qui vel ex diametro pugnant cum vera pietate, tamen ut nova quadam & admirabili doctrina sibi pariant opinionem pietatis, ad Essenorum exemplum prohibebunt legitimo matrimonio jungi, quasi Deo non sit honorabile connubium caste servatum, ac thorus immaculatus, seque pro Diis haberi postulabunt, quod cœlibes agant, aliis innumeris vitiorum pestibus infecti: denique non tam liberi à libidine, quam ab uxoribus. Quin & ad Judaicum escarum delectum conabuntur homines revocare, quasi cibus ipse quicquam habeat impuritatis, cum omne ciborum genus Deus in hoc paraverit, ut his ad corporis necessitatem, viresque sarciendas moderate utamur, pro sua benignitate gratias illi agentes, quicunque pro Mosaica Lege Euangelicam fidem sumus amplexi, quique discussis Judaicarum superstitionum nebulis, ad lucem veritatis adducti, cognovimus quicquid ab optimo Deo conditum est, id natura sua bonum esse, si quis ut oportet, & ad quod conditum est, utatur. Nec ullum esse cibi genus abominandum, aut rejiciendum, quod velut à benigno Deo datum percipitur cum gratiarum actione. Judæorum ista vox est, non Christianorum, hoc cibo ne vescitor, hoc corpus ne contingito, hac veste ne utitor, hoc die ne illud, aut illud agito.

4 Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur:

4 Nihil enim in rebus conditis impurum, aut immundum, si purus ac mundus sit utentis animus.

5 Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.

5 Quod etiamsi quid impuritatis haberet cibus, tamen hymnis, quibus ante cibum laudatur divina largitas, sacrisque verbis, ac precationibus sanctum purumque redderetur, quod prius erat immundum. Hos fumos offundunt populo, qui Christi negotium insinceriter gerunt, imo qui suum agunt negotium.

6 Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Jesu, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quam assecutus es.

6 Tu vero rejectis hujusmodi næniis, ea suggeres fratribus, quæ à nobis didicisti, bonum ac sincerum Christi ministrum agens, integra fide dispensans illius doctrinam multum abhorrentem ab istorum præscriptis. Idque eo magis te facere convenit, quod ad Euangelicam doctrinam vocatus es, non jam ætate provecta, quæ solet ad res novas ægre deflecti, sed ab ipsa adolescentia in fide Euangelica, bonaque doctrina es velut enutritus, ut assiduitas habitum ac robur debuerit addere, nec possis tui dissimilis esse in eo, quod hactenus constanter es secutus.

7 Ineptas autem, & aniles fabulas devita: exerce autem teipsum ad pietatem.

7 Hanc igitur dignam Euangelio doctrinam proponito tuis, cæterum aliorum frivolas & aniles fabulas, quas, ut alienas à mysteriis Euangelicæ fidei, recte profanas dixerim, rejice, magis hoc agens, ut temetipsum exerceas ad veram pietatem, quam ut cum loquacissimo simul & pertinacissimo hominum genere verbis digladieris.

8 Nam corporalis exercitatio, ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.

8 Vera pietas, quæ in animis sita est, rebus exteris crassisque, nec definiri, nec præscribi satis potest. Nam jejunium, aut delectus ciborum, aliaque id genus, etiamsi quando pro tempore locoque videntur nonnihil utilitatis afferre, quod corpus præparent ad officia pietatis, ea tamen utilitas neque perpetua est, neque ita magni momenti, si conferatur ad animi pietatem. Imo fere fit, ut ex observationibus hujusmodi nascatur pestis veræ germanæque pietatis. In loco utile est jejunium, rursum idem alias pestiferum. Huic salutaris erit vigilia, illi capitalis & noxia. Nonnunquam conducit quiete transmittere Sabbatum. Rursus exsistet aliquid, in quo sit impietas otium agere, cum caritatis officium desiderat proximi necessitas. Cæterum Euangelica pietas, quæ nititur sincera fide, veraque caritate, nullo non tempore, in nulla vitæ parte non est utilis, quæ compendio profitetur quicquid vel in præsenti vita sit expetendum, vel sperandum in futura, adeo ut non sit opus ullum aliunde præsidium venari nobis.

9 Fidelis sermo, & omni acceptione dignus.

9 Quod dico verum est & indubitatum, planeque dignum quod ab omnibus recipiatur.

10 In hoc enim laboramus, & maledicimur, quia speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium.

10 Re ipsa docemus & sentire nos, & fabulam non esse quod loquimur. Alioqui quæ res nobis persuaderet, ut volentes ac lubentes perpetiamur ærumnas hujus vitæ, ut ab impiis illatas plagas, carceres, mortes, forti feramus animo, nisi quod & hic præsidium cœleste, & post hanc vitam speramus immortalitatem, atque hanc spem fiximus, non in Mose, aut alio quopiam homine, qui destituere possit spem nostram, sed in Deo vivo, qui & mortuis possit opitulari, & à quo salus proficiscitur cum universo hominum genere, tum vere præcipue fidem Euangelicam amplexis.

11 Præcipe hæc, & doce.

11 Hæc constanter ac fortiter præcipe ac doce, sic ut Episcopi præ te feras auctoritatem, certus hanc esse doctrinam ab ipso Christo profectam.

12 Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.

12 Neque est quod juvenis, licet in re tanta, verearis, aut cedas improbitati diversa docentium. Alibi sit humanitati locus, hic ubi salutis periculum vertitur, proferenda est auctoritas. Neque spectandum est, quot annos vixeris, sed quod munus geras. Hic senex est, quisquis vitæ integritatem, quisquis morum præstat gravitatem. Neque periculum est, ne quis despectui habeat juventutem tuam, si talis fuerit tua vita doctrinaque, ut qui Christum profitentur, in hac videant exemplar Euangelicæ pietatis. Si in omni sermone tuo perspexerint sanctæ mentis imaginem, si in vitæ consuetudine animadverterint modestiam ac puritatem, si in præstandis officiis senserint Episcopo dignam caritatem, si in perferendis malis conspexerint animum Deo fidentem: denique si ubique viderint te ab humanis cupiditatibus immunem, jam dudum te facile pro sene venerabuntur.

13 Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ.

13 Spes est fore, ut te brevi videam, tibi non solum monitis, verum etiam officiis auxilio futurus. Interea dum absum hoc magis invigila officio, quo nostram absentiam sarcias. Pro nostra voce sit tibi sacra lectio, juxta eam docето, si quid errabitur: juxta eandem exhortare, si quos videris cessantes. Hæc sunt præcipua Episcopi munia.

14 Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.

14 Suscepto muneri respondeas oportet, quod tibi non temere mandatum est, quemadmodum quidam seipsos faciunt Apostolos ac Presbyteros. Te non ambitus aut hominum favor, sed divinus Spiritus per ora Prophetarum significans Dei voluntatem ad id muneris designavit, ac mox Presbyterorum auctoritas, rite tibi impositis manibus, Episcopi functionem delegavit.

15 Hæc meditare, in his esto: ut profectus tuus manifestus sit omnibus.

15 Porro divini muneris est, quod his dotibus instructus sis, quæ te declarent hoc honore dignum. Proinde duplex tibi cura incumbit, ut & Dei beneficio & auctoritati mandatæ respondeas. Non est otiosa aut delicata professio: vigilantiam & assiduitatem postulat. Hæc igitur fac mediteris, in his esto, hæc continenter agito, ut ex vita pariter ac doctrina tua nemo non videat populum reddi meliorem.

16 Attende tibi, & doctrinæ: in hac in illis. Hoc enim faciens, & teipsum

16 Primum ipse talis esto, qualem oportet: deinde doctrinam sanctam sancta vita commendabit, præsertim si id facies constanter ac perseveranter. Veritas enim perpetua est: simulatio temporaria. Hæc si præstiteritis, geminum capies fructum, primum servabis teipsum recte fungens officio delegato:

Digitized by Google

fulvum facies, & eos qui te audiunt.

gato: deinde ſervabis & eos, qui tuæ doctrinæ auſcultant. Qui recte docent, & impie vivunt, ut aliis ſint utiles, certe ſibi pernicioſi ſunt. Cujus autem & vita & doctrina eſt inſincera, is bis nocens & ſibi conciliat exitium, & alios in perniciem inducit.

CAP. V.

Elige ſic viduas: duplici digneris honore
Presbyteros: palam corripe: vina bibe.

1 Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut patrem; juvenes, ut fratres;

1 QUANQUAM autem à ſinceritate doctrinæ nunquam eſt deflectendum, tamen ad medendum humanis erratis, non mediocre momentum habet lenitas docentis, aut admonentis. Sic enim eſt tuenda auctoritas Epiſcopi, ut abſit tamen ab omni ſpecie tyrannidis, idque ubique præ ſe ferat, quicquid agit, juvandi ſtudio agere ſe, non odio. Proinde quoſcunque comitate, lenitate potes ſanare, non expedit aſperitate percellere. Facilius obſequitur admonenti, qui ſe ſentit amari ab eo, qui monet. Et ſic eſt ferme hominis ingenium, ut malit duci quam cogi, ac non raro blanditiis obtineantur, quæ ſævitia non poſſis efficere. Itaque pharmacum reprehenſionis pro cujuſque ætate ſtatuque eſt attemperandum. Quoniam autem non ſolum apud omnes Nationes bene moratas, verum etiam in Eccleſiis receptum eſt, ut ob prudentiam, uſumque rerum, & coercendam juventutis laſciviam auctoritas deferatur ætati provectæ, ſi quid forte deliquerit ſenior, ne ex ſuſpicione, aut delatione qualibet, ſævis verbis in hunc detones, ne admonitionis aſperitas fructum expetitum excludat. Bis enim moleſtum erit, ſi & contumelioſa ſit admonitio, & à juvene profecta. Quin potius ſervata reverentia ætatis, ſic exhortare quaſi parentem errantem velis admonere. Juvenes item juvenis, ut fratres admone, erga quos debet eſſe liberior correptio, ſed tamen quæ caritatem præ ſe ferat.

2 Anus, ut matres, juvenculas, ut ſorores, in omni caſtitate:

2 Anus tanquam matres reverentius ac blandius admone, nimirum ætati deferens. Puellas ut ſorores amanter caſtiga, ſic te gerens apud omnes, ne quam ſiniſtram ſuſpicionem incurras vel avaritiæ, vel impudicitiæ, vel adulationis, vel ſævitiæ.

3 Viduas honora, quæ vere viduæ ſunt.

3 Jam & viduis ſuus habendus eſt honos, ſed his præcipue, quæ non titulo tantum, verum etiam re ipſa viduæ ſunt, hoc eſt, quæ viri ac liberorum ſolatio deſtitutæ ſic vivunt, ut Eccleſiæ ſubſidio mereantur ſublevari, cujus præſidium patere debet, non alendis deliciis, ſed recreandæ calamitati.

4 Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet: diſcat primum domum ſuam regere, & mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum eſt coram Deo.

4 Quod ſi qua ſic orbata ſit marito, ut filios habeat, aut etiam nepotes, non eſt cur hæc veluti deſtituta confugiat ad Eccleſiæ patrocinium. Siquidem domi habet, quorum convictu, mariti deſiderium leniat, & quibus officium ſuum debeat. Ne prius igitur ſe dedicet obſequio Eccleſiæ, quam erga familiam ſuam pietatis ſpecimen præbuerit. Præpoſterum enim ſit, Eccleſiæ prætextu defugere naturæ debitum, officium pietatis. Dictat enim natura, ut parentibus, à quibus vitæ primordia ſumſimus, jam ætate deſtitutis ac defectis, mutuam pietatem referamus. Quod ſi hos nobis mors ademit, conveniet hoc officium in liberos ac nepotes transferre, quos ſic debet inſtituere, ut diſcant ſuo viciſſim officio ſublevare benemerentem. Hoc non ſolum approbat naturæ ſenſus, verum etiam ita gratum & acceptum eſt coram oculis Dei, ut bis peccent, quæ non tantum Deo rebelles ſunt, ſed & ad communem naturæ ſenſum obſurduerunt, quo commoventur etiam illi, qui Deum ignorant.

5 Quæ autem vere vidua eſt, & deſolata, ſperet in Deum, & inſtet

5 At dices, quænam igitur eſt vere vidua, ſi hæc vidua non eſt? Nimirum ea quæ mariti, quæ liberorum, quæ nepotum, quæ omni hujus mundi ſolatio deſtituta, totam ſpem ſuam collocavit in Deo, neque jam ſpectat alterum conjugium, neque venatur ullas voluptates, ſed totam ſe Deo dicavit: ad

A Annæ viduæ exemplum, nocte dieque precationibus intenta. Hæc demum meretur, ut Eccleſiæ ſolatio refocilletur, quæ nihil jam habet cum mundo commune. *obſecrationibus & orationibus nocte ac die.*

6 Nam vidua, quæ ſic abſtinet ab iterando matrimonio, ut licentius oblectet ſe deliciis, ne vivit quidem. Sic enim vivit voluptatibus, ut Chriſto mortua ſit, cui non vivit, niſi qui vivit pietati. *6 Nam quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt.*

7 His igitur præcipies, ut ſi diligunt viduitatem, ſic in ea ſeſe gerant, ut ne cui præbeant anſam male ſuſpicandi, quaſi non caſtitatis amore ab iterandis nuptiis abhorreant, ſed ut liberæ maritali imperio, B laxius vivant, ſuoque arbitratu deliciis indulgeant. Cæterum quo quæque animo viduitatem deligat, aut quomodo domi vitam agat, ipſarum animo judicandum relinquito. *7 Et hoc præcipe, ut irreprehenſibiles ſint.*

8 Porro ſi qua prætextu viduitatis ſic ad Eccleſiam confugit, ut liberorum, aut nepotum, aut qui alioqui ad ejus familiam pertinent, curam excutiat, ea tantum abeſt ut mihi videatur Epiſcopi favore digna, ut exiſtimem potius inter eas habendam, quæ fidem Euangelicam abnegarint, hoc ipſo deteriores Ethnicis, quod gravius eſt à profeſſione ſuſcepta deſciſcere, quam non profeſſum fuiſſe. An non abnegavit fidem, quæ fidei prætextu abutitur, ad ea quæ pugnant cum Euangelica doctrina? Certe C factis palam abnegat. Atque hac ſane parte infra Ethnicas eſt cenſenda, quod illæ cum à Chriſto ſint alienæ, ſolo naturæ ductu, curam gerunt ſuæ familiæ: hæc quæ juxta caritatem Euangelicam debebat omnibus pro ſua virili prodeſſe, domeſticis etiam ſuis ſubtrahit debitum officium, nec ab hac impetrat Euangelica pietas, quod à profanis ac impiis impetrat affectus naturæ. Si qua ſemina virtutis inſevit natura, ea non tollit Euangelica doctrina, ſed provehit ac perficit. *8 Si quis autem ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.*

9 Omnino decet hoc Chriſtianæ religionis conſuetudinem, ut omni ſolatio orbatas gremio ſuo foveat alatque: verum, id citra delectum temereque D fieri nolim, ne duplex ſequatur incommodum, dum & oneratur ſupra vires Eccleſia, & officium in indignas confertur. Porro in deligendo, duo præcipue ſpectanda ſunt, ætas, & vita ante acta, ne ſemel ad Eccleſiæ tutelam allectæ poſtea magno cum probro redeant ad conjugium. Atque ætatis quidem facile judicium eſt. Ne recipiatur igitur vidua minor annis ſexaginta. Siquidem hæc ætas ſuſpicionem impudicitiæ non debet adferre clericis, & bonam ſpem præbet fore, ut matrimonii deſiderio non tangantur iterum. Quanquam nec huic ætati fidendum, niſi eam ante acta vita commendet. Spectandum igitur, an fuerit unico marito contenta: nam in quibuſdam, nec ſenectus exſtinguit intemperantiam: E *9 Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor,*

10 An benefactis ſibi pepererit apud omnes honeſtam opinionem, an in educandis liberis, probe ſancteque ſe geſſerit, an pro ſua tenuitate hoſpitalem ſe præbuerit erga ſanctos, tecto eos juverit, pedes horum laverit: nam hæc officia præſtare poſſunt & tenues: an afflictis & egeſtate preſſis de ſuis facultatibus ſuppeditaverit. Denique an nullum opus bonum prætermiſerit, in quo non fuerit aſſidua. Par eſt enim ut ſic meritam, viciſſim in ſuam tutelam recipiat Eccleſia, quæ jam olim hoc benefactis ambiit, ut perpetuis ejus miniſteriis adſcriberetur. *10 In oſtentibus bonis teſtimonium habens; ſi filios educavit, ſi hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lavit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtravit, ſi omne opus bonum ſubſecuta eſt.*

11 Porro viduas juniores, ſuſpectæque ætatis, ne recipito. Præſtat non ſuſcipere profeſſionem viduiF tatis, quam à ſuſcepta deficere. Non eſt committendum continentiæ votum ætati lubricæ, præſertim in eo ſexu. Quod ſi placet illis caſtitas, domi quid poſſint periclitentur: ubi ſi non ſuccedit, licebit citra notam ad conjugii remedium confugere. At res ipſa nos docuit fieri, ut cum juniores viduæ temporario quodam amore caſtitatis, aut otium fortaſſis, aut honorem tituli ſecutæ, ſemet addixerint Eccleſiæ, abdicatoque jure repetendi connubii, Chriſto ſponſo ſe conſecrarint, mox titillante cas- *11 Adoleſcentiores autem viduas devita. Cum enim luxuriare ſuerint in Chriſto, nubere volunt;*

Digitized by Google

pristina libidine, ferociant ac lasciviant in contumeliam Christi, cujus jugum cupiunt excutere, ut rursus matrimonii jugum subeant.

12 Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.

12 Atque interim hanc infamiæ maculam sibi contrahunt, quod fidem, quam Christo pactæ videntur, fecerint irritam, duplici nomine notandæ, & quod temere susceperint professionem castitatis, non satis exploratis viribus, & quod à suscepta resilierint.

13 Simul autem & otiosæ discunt circuire domos: non solum otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ non oportet.

13 Quod si non eveniat, ut palam redeant ad connubium, certe sic vivunt in cœlibatu, ut Ecclesiæ sint dedecori, ac satius sit eas imperio mariti premi, reique familiaris cura distineri, quam sub viduitatis prætextu peccare licentius. Docet enim hoc illas otium, ut quoniam ipsæ domi nihil habent quod agant, oberrent per alienas domus, cum viduæ sit indecorum, per publicum aut per alienas ædes vagari otiosam. Nunc non tantum otiosæ sunt, verum etiam garrulæ simul & curiosæ. Solet enim curiositatis comes esse garrulitas. Siquidem prætextu viduitatis, & commendatione professionis, facile penetrant in domos alienas, ibique secreta rimantur, quæ post apud alios effutiunt, indecore garrientes de nuptiis, de dissidiis, de peccatis aut probris domesticis aliorum.

14 Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia.

14 Ob has causas tutius esse duco, ut viduæ juniores potius nubant maritis, cujus auctoritate & sexus & ætas imbecillior temperetur: dent operam gignendis liberis, curam agant rei familiaris potius, quam nihil agentes obstrepant etiam familiis alienis. Ut enim mariti reverentia coercet licentiam sexus & ætatis: ita curæ rei domesticæ non præbent liberum otium ea curandi, quæ ad ipsas nihil attinent. Postremo sic modis omnibus vitam instituant, ne qua sit occasio lapsus in manifestum probrum, neve detur ansa Satanæ, per quam vitam nostram traducat & infamet apud hostes Christianæ professionis.

15 Jam enim quædam conversæ sunt retro Satanam.

15 Non recuso quo minus videar hac in re meticulosior, nisi malum ipsum nos hanc docet cautionem. Non enim tam anxie metueremus, ne quid horum eveniret, nisi jam vidissemus, non semel evenisse. Terret nos exemplum quarundam, quæ semel cooptatæ in gremium Ecclesiæ, magno probro nostro, victæ voluptatibus, & obsequentes Satanæ, relapsæ sunt ad iterandas nuptias.

16 Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, & non gravetur Ecclesia: ut iis, quæ vere viduæ sunt, sufficiat.

16 Quod si dotis obstat inopia, quo minus maritum inveniat vidua, cujus ætas conjugium postulat, nihil necesse est, ut egestatis gratia, castitatis suscipiat professionem. Debet enim harum inopia, cognatorum benignitate sublevari, si quos, aut si quas habet Christianæ professionis. Non enim par est, ut Christianus, aut Christiana, cujus pietas debebat etiam alienis opitulari, sibi cognatam viduam destituat, & alendam obtrudat Ecclesiæ, quæ si gravetur quibuslibet viduis, futurum est, ut exhaustis facultatibus, non sufficiat veris viduis alendis, quibus & debetur hæc humanitas, nec aliunde suppetunt præsidia.

17 Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo & doctrina.

17 Sed quemadmodum viduis ita meritis pro portione suus habendus est honos, ita multo uberius subveniendum est Presbyteris, qui gravitate morum, qui senili prudentia, qui vitæ integritate, qui ætatis auctoritate bene præsunt multitudini, hoc est, qui vere Presbyteros agunt, quorum & ætas & pietas meretur, ut ab egestatis injuria vindicentur. Sic enim tranquillius præsidebunt populo, & suppetente quod ad vitæ munditiam pertinet, non elevabitur auctoritas. Quanquam hæc præsidia potissimum his præstanda sunt, qui non solum integritate vitæ prælucent populo, verum etiam laborant in dispensatione sermonis Euangelici, sacræque doctrinæ, quod hæc sit præcipua functio, longeque saluberrima gregi Christiano. Spectant illi quidem sublimius præmium, sed interim aliqua solatii pars est, si in ipsis laboribus aliquid præsentis fructus ad illos redeat, non ut ditescant, sed ut vivant.

18 Dicit enim Scriptura: Non alligabis os bovi trituranti. Et: Dignus est operarius mercede sua.

18 Et iniquum est rem longe pretiosiorem imparitenti, non vicissim aliquid ex rebus fluxis ac vilibus reponere. Adeo victus debetur laboranti, ut Mosaica Lex vetet infrenari os bovi tantisper, dum in tritura circumagitur. Quo nimirum inhumanius est pati, ut in Euangelio desudans, esuriat aut sitiat. Non venatur ille mercedem, sed tanto dignior est operarius mercede sua. Illi ad laudem pietatis cesserit, si gratis laboret: at interim populi crimen erit, si gravetur benemerentis inopiam, cui tantulo succurri potest, sublevare.

19 Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.

19 Quin & illud tribues seniorum auctoritati, ut non facile recipias adversus hos delationem eorum, quibus expedit illos esse reverendos, ne & his aperiatur fenestra temere incessendi vitam seniorum, in quos ægre recipi debet sinistra suspicio, & illorum elevetur auctoritas. Non est audiendus qui defert, nisi duobus aut tribus testibus comprobet, quod objicit.

20 Peccantes coram omnibus argue: ut & ceteri timorem habeant.

20 Quod si manifestius compertiusque est, quam ut dissimulari possit eos peccasse, ita moderanda erit castigatio, ut nec illos dedas accusatorum sævitiæ, nec tamen impunitas illorum pernicioſum exemplum ministret multitudini. Sed ipse voce tua palam eos argue, quo magis cæteri metuant censuram Episcopi, si conspexerint per hanc nec senioribus condonari, si quid admiserint correptione dignum.

21 Testor coram Deo & Christo Jesu, & electis angelis, ut hæc custodias sine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.

21 Profanæ leges judices suos obstringunt religione, ne quid affectibus corrupti perperam pronuntient. Quanto major integritas decet Episcopum, vel in judiciis, vel in præficiendis magistratibus? Illi sui jurisjurandi commonefiunt pro tribunalibus sessuri, & falsorum Deorum religione terrentur. At ego te obtestor Timothee per Deum Patrem, quo teste & auctore res hæc geritur, perque Jesum Christum, cujus ministri sumus, perque electos Angelos arbitros ac spectatores eorum, quæ gerimus, ut in judiciis obeundis serves hæc quæ tibi præscribo, ut integer & incorruptus ad cognitionem accedas, non tecum adferens sententiam, quam tibi seorsum instillavit favor, aut odium, aut ira, aut alius quispiam affectus, sed ex ipsa re cognita sumens, quod recte pronunties, nec in hanc, nec in illam partem propensior.

22 Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Teipsum castum custodi.

22 Hanc integritatem non solum oportet præstare in cognoscendis causis, verum etiam in deligendis his, quibus mandas administrationem Ecclesiasticam. Siquidem non alio fonte summa pernicies nascitur populo Christiano, quam si præficiantur inutiles, aut etiam pestilentes. Proinde ne cui temere manus imposueris. Multum diuque probandus & explorandus est, cui deleges auctoritatem Episcopi, qui si mandatum honorem indigne gesserit, tibi imputabitur, quicquid ille peccarit. Videberis enim illius faviſſe vitiis, qui cognito mandaris ejusmodi provinciam. Sin te fefellit, tamen negligentiæ culpam non poteris effugere, qui rem tam periculosam credideris inexplorato. Neque enim in Episcopo deligendo satis esse debet, si carcat infamia, sed multis modis oportet benefactis insigniter esse commendatum. Episcopo non satis est, si suam præstet innocentiam, debet & eorum integritatem præstare, quos ordinat. In his igitur fac castum purumque te serves religioni, cujus curam geris.

23 Nolt adhuc aquam bibere, sed modico vino utere, propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.

23 Mihi spectatior est tua temperantia, quam ut sis meis monitis avocandus à deliciis. Illud tamen admonendus es, sic esse temperandam abstinentiam, ne corporis imbecillitas non sufficiat obeundis officiis pietatis. Ut corpus obesum & immodice validum frequenter degravat animum adspirantem ad cœlestia: ita corporis incommoda valetudo sæpius obstat animi vigori, quominus semet exserat, libereque proferat per obsequia caritatis. Satis igitur arbitror hactenus abstemium fuisse; posthac noli aquam potare, sed utere potius moderato vino. Quod hucusque temperatum est à vino, primæ juventutis calori datum est. Nunc valetudini consulendum, ut possis omni-

Digitized by Google

omnibus Episcopi muniis obeundis par esse. Stomachus vino moderato fulcitur, aquæ potu cum primis offenditur. Ut igitur & huic subvenias, & minus frequenter quam soles, incidas in adversam valetudinem, vinum tibi pharmaci loco sit, ne post collapsis viribus cogaris medicorum opem implorare.

24 Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium: quosdam autem & subsequuntur.

24 Verum ut ad id redeam, quod modo cœperam, ne tibi putes omnia peccata tuorum imputanda esse, sunt peccata quorundam ita manifesta, ut non exspectent extremum illud Dei judicium, sed ultro judicium præcurrant, per se damnata priusquam in judicium illud afferantur. Nam horum & vita & doctrina palam discrepat à doctrina Christi. Siquidem pro Euangelica pietate docent superstitionem Judaicam, & vita ambitione, quæstu, cæterisque malis cupiditatibus infecta est. De his ut tibi licet judicare, ita reddenda erit ratio. Cæterum quorum improbitas sic est occulta, ut humano judicio deprehendi non possit, sed servatur judicio divino, in quo nuda fient omnia, horum culpam Deo præstare non potes.

25 Similiter & facta bona manifesta sunt: & quæ aliter se habent, abscondi non possunt.

25 Ad eundem modum quorundam opera bona a- deo manifesta, ut humana comprobatione non egeant. His igitur se tuto quisque adjunxerit, quemadmodum à palam improborum contubernio est abstinendum. Cæterum eos, qui sic arte moderantur vitam suam, & pietatis specie sic fucant animi malitiam, ut humanum fallant judicium, eos Deo relinquemus judicandos. Non est enim odiose suspicax Christiana pietas.

CAP. VI.

Falsiloquos vita: laqueos fuge divitiarum: Serva depositum: præcipe divitibus.

1 Quicunque sunt sub juga servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blasphemetur.

1 PORRO vitam eorum qui sunt à Christiana professione alieni, non est nostrum incessere, magis expedit illos officiis ad meliorem mentem provocare, quam convitiis irritari. Sic est moderanda religio, ut non videatur occasio aut seminarium seditionis. In commerciis, quæ nobis necessario sunt cum Ethnicis, sentiant nos ob religionem officiosiores esse factos, non incommodiores, aut procaciores. Sic enim facilius provocabuntur, ut nobis adjungantur. Itaque quicunque in servitute baptismum adepti sunt, meminerint se à peccati dominio manumissos esse, non ab heri jure liberatos. Quare non decet, ut freti professione sua, ferociant adversus eos, velut impios, & indignos quibus serviat initiatus Christo. Tantum meminerint illos esse dominos, & ob hæc omni honore dignos existiment, ne Dei nomen & Euangelica doctrina reddatur infamis & invidiosa, si conspexerint per hanc homines immodestiores fieri, & incommodiores. Quin magis addant aliquid pristinis obsequiis, magis sint ad obtemperandum alacres, velut ex animo servientes, ut his rebus provocati domini, facilius admittant prædicationem Euangelicam.

2 Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt: sed magis serviant, quia fideles sunt & dilecti, qui beneficii participes sunt. Hæc doce, & exhortare.

2 Multo minus autem, qui dominos habent Christianos, debent eos ob hoc minoris ducere, quod ob communis fidei professionem, pro dominis facti sint fratres. Imo si dominis Ethnicis non subtrahunt debitum obsequium, Christianis oportet jam duplici nomine obedire, primum quod domini sint, deinde quod socii religionis, quod pro supercilio sumserint caritatem, & pro formidatis cœperint esse dilecti, proque minacibus benefici. Plus enim præstandum promerenti, quam exigenti; amanti quam imperanti. Neque enim hæc jam proprie servitus est, sed officiorum commutatio. Hæc doce cum auctoritate, ad hæc exhortare cessantes. Hæc est doctrina vere Euangelica, quæ facit ad vitæ pietatem, quæque nos & Deo gratos, & hominibus amabiles reddit.

3 Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ:

3 Si quis doctrinam huic diversam adducit, nec accedit verissimis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, nec obtemperat hujusmodi doctrinæ, quæ consentanea Euangelio, vocat, non ad superstitiosas quæstiones, sed ad officia pietatis, is quo minus habet veræ scientiæ, hoc sibi plus arrogat. Nam ut modesta res est scientia, ita nihil est supercilliosius, aut pertinacius, insciția.

4 Superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum: ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ,

4 Quo morbo qui tenetur, is aversus ab Euangelica sinceritate, insanit circa frivolas quæstiones, vita neglecta, verbis digladians, quæ in tantum nihil conducunt ad veram pietatem, ut potius gignant pestem Christianæ pietatis, propterea quod ex hujusmodi rixosis concertationibus nascitur invidia, dum ex aliorum auctoritate elevata, nobis paramus auctoritatem: nascuntur contentiones, dum glisscente rixarum calore, nullus alii vult concedere: nascuntur & convitia, quoties res exit in rabiem: nascuntur & impiæ suspiciones in Deum, dum ea, quæ citra disquisitionem credi debent, humanis ratiocinationibus pro dubiis vocantur in quæstionem.

5 Conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem.

5 Ac multos veluti contagio inficit affrictu suo scabies hæc hominum, qui mentem habent malis cupiditatibus infectam, quibus excæcati, non cernunt veritatem Euangelicam, nec ad hunc scopum conferunt suam doctrinam: quin potius pietatem ac religionem quæstu suo metiuntur, atque id volunt videri sanctissimum, non quod alios reddat acceptiores Deo, sed quod illis plurimum opinionis, piurimumque compendii conciliet. Non est quod speres hos ullis disputationibus posse superari. Pertinax est insciția, quod si maxime perspiciant veritatem, non agnoscunt tamen, quippe ad id, quod sibi proposuerunt, inutilem. Cum his igitur ne contendas & indecore & frustra; verum ab illorum convictu te subducito.

6 Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia.

6 Venentur illi lucrum suum, cauponentur doctrinam Euangelicam. Nobis abunde magnus quæstus sit, si pietate, si veris animi bonis ditescamus, his contenti, quæ ad præsentis vitæ necessitatem sufficiunt, cum properemus ad immortalitatem. Magnum est eas opes accumulare, quæ nos nunquam relicturæ sunt.

7 Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid possumus.

7 Quorsum autem attinet in congerendis divitiis esse sollicitum, quæ neque nostræ sunt, & mox aliis relinquere cogimur. Sicut enim nihil horum nobiscum attulimus in hunc mundum nascentes, ita nihil efferemus nobiscum morientes. Divitias in voluptates prodigere, pestis est; conditas servare, dementia est.

8 Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus.

8 Nos usum harum rerum naturæ finibus metimur, & cum suppetit quo vestiamur & alamur, nihil amplius requirimus. Facile suppetit undelibet frugalis victus & vestitus: nec enim hæc ad luxum adhibenda sunt, sed ad necessitatem. Necessitati paulo subvenitur, luxuriæ gurges insatiabilis est. Ingens quæstus est, pecuniæ jactura augere thesaurum pietatis. Ingens dispendium est, ob vile lucellum amittere divitias immortales. Non competunt in eundem, studium divitiarum, & studium pietatis.

9 Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.

9 Etenim quorum animos semel occupavit cupiditas ditescendi, sollicitantur ad multa turpia, & incidunt in laqueum, multasque cupiditates, non solum stultas, verum etiam pernicioſas.

10 Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, erra-

10 Siquidem hæc cupiditas non venit incomitata, sed ingens malorum agmen secum ducit, superbiam, fastum, ambitionem, violentiam, fraudem, injuriam, luxum, voluptates, aliasque id genus pestes, quæ paulatim oneratum hominem in exitium ac perniciem demergunt, ut jam non solum sibi, verum etiam aliis, quibus præest, sit pestilens & exitiabilis. Quo major est honor, quem gerit, hoc longius oportet abesse à specie hujus mali. Summa potestas summam requirit integritatem. Nihil autem integre facit, nihil incorrupte, quisquis avaritiam habet in consilio, quæ tantum abest ab honestate, ut radix ac seminarium sit malorum omnium, etiamsi divitiæ miram quandam felicitatem præ se ferre videntur. Hac esca illecti quidam, dum has appetunt, depravati cupiditatibus aberrarunt à sinceritate fidei Euangeli-

Digitized by Google

vaverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.

gelicæ, sibi scopum alium præfigentes, quam Christum, & dum stulte captant suavem vitam, implicuerunt seſe doloribus multis, magnis moleſtiis parantes, quod anxia sollicitudine custodiant, quodque si contingat eripi, gravi vulnere sauciet avidum pectus. Hæc eorum sunt, qui se Mammonæ Deo dicarunt.

11 Tu autem ô homo Dei hæc fuge: sectare vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem.

11 Tu vero, qui Deo consecratus es, hæc indigna tua professione fugito, veras opes sequens, justitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem. Justitiam, quæ te servet ab omnibus vitiis immunem: pietatem, qua Deum ames, & hujus gratia proximum: fidem, qua Dei præsidio fretus, non crucieris hujusmodi rerum sollicitudine: caritatem, qua prosis omnibus: patientiam, qua spe futuræ immortalitatis perdures in adversis ac persecutionum procellis: mansuetudinem, qua leniter feras imbecillitatem alienam. Hæc tueri non potest, qui sibi nihil non faciendum existimat amore divitiarum.

12 Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, & confessus bonam confessionem coram multis testibus.

12 Tibi multo alius cursus susceptus est. Egregium certamen ingressus es, non avaritiæ, sed fidei. Neque mediocre præmium est propositum. Nec enim hoc agitur, ut hîc momentaneis, falsisque bonis detescas, sed ut vitam adipiscaris æternam. Ad hunc scopum, ad hanc metam omni studio connitere. Ad hanc vocavit te Deus agonotheta non fallax, qui te suo judicio delegit, ut Episcopus populo præsideres, ad Christi gloriam. Hoc suscepto Presbyteri munere professus es, idque multis testibus.

13 Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, & Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem:

13, 14 Eximia est professio, sed huic ut respondeas, magna opus est vigilantia. Si te parum movet præmium tam ingens, moveat spectator Deus, moveat tam multorum exspectatio, moveat religio susceptæ provinciæ. Hoc igitur etiam atque etiam tibi præcipio, obtestans per Deum Patrem, qui omnibus auctor est vitæ, etiam mortuos ad immortalitatem revocaturus, per hujus Filium Jesum Christum, qui sub judice Pontio Pilato functioni, quam à Patre susceperat, ad crucem usque non defuit, ut tibi delegatam provinciam sic geras, ut nullam maculam aut reprehensionem tibi contrahas, idque facias constanter, non solum ad judicium humanum, verum multo magis spectans adventum Domini nostri Jesu Christi:

14 Ut serves mandatum sine macula, irreprehensibile, usque in adventum Domini nostri Jesu Christi:

15 Quem suis temporibus ostendet beatus & solus potens, Rex regum, & Dominus dominantium:

16 Qui solus habet

15, 16 Quem suis temporibus rursus ostendet orbi beatus ille, soluſque potens Rex regnantium, & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem ex seſe, qui solus inhabitat lucem inaccessam, quem nullus hominum adhuc vidit, nec videre potest, cui honor & potestas æterna, Amen. Tantos habes tuæ functionis auctores, ne quid diffidas auctoritati tuæ: tantos spectatores ac judices, ne quid secus quam oportet committas: tantos propugnatores, ne quid metuas humanarum persecutionum procellas: tantos remuneratores, ne quid addubites de præmiis promissis. Ad illos tota Euangelii gloria referenda est, ne quid hinc homo sibi vindicet laudis.

immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest: cui honor, & imperium sempiternum. Amen.

17 Declaravi, quam sit periculosum Christum professis, divitiarum studium. Quod si sunt inter nostros, quibus opes istæ contigerunt, ob quas mundus hic divites ac beatos appellat, & ceu semideos quospiam suspicit veneraturque, his præcipe, ne, quemadmodum vulgo fit, fiducia facultatum efferantur animis, neque præsidia felicitatis suæ constituant in rebus, primum inanibus, deinde etiam incertis, ut quas si non casus, certe mors eripit. Magis autem fidant in Deo vivo, qui nec vivos, nec mortuos unquam destituit, cum ipse sit immutabilis, cujus beneficentiæ est, quicquid affatim annuo proventu mundus hic nobis suppeditat ad præsentem usum, non ad exstruendas opes.

17 Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum)

18 Quin potius huc suum convertant studium, ut se ad bona opera exerceant, quo vere divites fiant, & benefactis potius quam prædiis locupletentur: id quod forte obtigit, sic possideant, quasi commune sit, non proprium, eoque faciles sint ad impartiendum egentibus, neque cæteros, qui re tenui sunt, fastidiant, sed semet comes placidosque præbeant ad congressum & consuetudinem vitæ communis. Solet enim opulentiæ comes esse fastus ac superciliium.

18 Bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare,

19 Ne fidant substructionum molibus. Nihil enim hîc diuturnum est, quin potius veris virtutibus reponant sibi fundamentum solidum ac bonum in posterum, ut assequantur veram vitam, id est, æternam. Nam hæc quid aliud est, quam cursus ad mortem? Cæteris curis omissis rerum fluxarum, ad hanc omni studio nobis properandum est.

19 Thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.

20 O Timothee iterum atque iterum te obtestor, doctrinam hanc, ut est depositа, bona fide serva, ne sinas humanis dogmatibus vitiari. Id fieri non potest, nisi quemadmodum superius admonui, sutilem & inanem istorum loquacitatem, qui quæstiunculis & argutationibus humanis falsam scientiæ opinionem sibi venantur, rejicias, cum humana scientia, constans opinionibus inter se pugnantibus, non mereatur nomen scientiæ. Nihil verius scimus, quam quod Euangelica doctrina fidesque nobis persuasit.

20 O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ,

21 Cæterum quidam dum humanis ratiocinationibus, dum sophisticis altercationibus, dum novis dogmatibus, quæ ipsi commenti sunt, docti sapientesque videri student, aberrarunt ab Euangelicæ fidei sinceritate, quæ credit, non disputat, nec hominum decretis abducitur à præscriptis Dei. Ut intelligas hanc Epistolam non esse subditiam, hæc mea tibi non ignota manu subscribam. Gratia tecum, Amen.

21 Quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Gratia tecum. Amen.

PARAPHRASEOS IN EPISTOLAM I. D. PAVLI AD TIMOTHEVM

FINIS.

VERSVS MEMORIALES IN PRIOREM AD TIMOTHEVM EPISTOLAM.

ABSIT *lex justis: Bonus unicus est mediator:*
Curet Episcopus hæc: Dæmonum hypocrisis est:
Electa vidua: Falsos vitato prophetas.
Timothei tria bis scripta priora tenent.

IN

Digitized by Google

IN EPISTOLAM II. D. PAVLI AD TIMOTHEVM
ARGVMENTVM,
PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

QVONIAM *in superiori Epistola spem sui reditus fecerat* Timotheo, *apud* Ephesios *agenti, nec fuit ejus præstandi facultas, quod* Romæ *in vinculis haberetur, litteris eum confirmat, ne persecutionum procellis dejiciatur, sed suo exemplo animum ad martyrium præparet: instare enim tempora periculosa ob quosdam, pietatis prætextu veram pietatem subvertentes, itaque sese jactantes, quasi in verbis sit Christiana religio, ac non potius in animi puritate. Deinde testatus imminere diem obitus sui, seque jam a plerisque destitutum, jubet ut* Timotheus *una cum* Marco *propere ad se* Romam *veniat. Scripsit* Romæ, *cum iterum ad* Neronis *tribunal sisteretur.*

ARGUMENTI FINIS.

IN EPIST. II. D. PAVLI AD TIMOTHEVM
PARAPHRASIS,
PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

CAP. I.

Auge dona tua: antehac quæ celata patescunt: Depositum serva: vivat Onesiphorus.

1 PAVLVS [1, 2] Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, secundum promissionem vitæ, quæ est in Christo Jesu:

PAVLVS Legatus Jesu Christi, ad hoc adscitus voluntate Dei Patris, ut declararem, quanta sit felicitas futuræ vitæ, quam nobis pollicetur per Filium suum Jesum Christum, ne vitæ hujus jacturam magni faciamus, Timotheo dilecto filio, gratiam, misericordiam, pacem à Deo Patre & Christo Jesu Domino nostro.

2 Timotheo charissimo filio, gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & Christo Jesu Domino nostro.

[3, 4] Deo, cujus non nuper cultor esse cœpi, sed cujus religionem, à majoribus traditam, perpetuo sincera puraque conscientia servavi, servoque (siquidem eundem nunc colo Christianus, quem pridem colui Judæus, licet aliter) gratiam habeo, cujus beneficio tu talis nobis contigeris, sic imitans nos sincera prædicatione doctrinæ Euangelicæ, ut tuo merito te non aliter animo complectar, quam germanum verumque filium, adeo ut nec absentis unquam possim oblivisci. Siquidem in nocturnis diurnisque precationibus, quibus Deum interpellare soleo, & qui mihi vere cari sunt illi commendare, tu nunquam non occurris memoriæ meæ, magnoque teneor desiderio videndi tui, præsertim quoties recordor lachrymarum tuarum, quas in discessu meo fudisti, locupletissimas testes tuæ in me pietatis, mutuique amoris. Quæ res facit, ut gaudio totus perfundar, cum in mentem venit, quam nos sinceritate fidei referas, ut germanus filius parentem.

3 Gratias ago Deo, cui servio à progenitoribus in conscientia pura, quod sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte ac die

4 Desiderans te videre, memor lacrymarum tuarum, ut gaudio implear,

[5] Atque ut religionis integritas in me velut hæreditaria fuit, ita videtur & ista fidei sinceritas tibi à majoribus per manus tradita. Siquidem ea constanter habitavit, primum in avia tua Loide, mox Eunica matre tua, neque dubito quin & nepos religiosissimæ aviæ, & filius optimæ matri sis respondurus, quando has, quam paternum genus referre maluisti.

5 Recordationem accipiens ejus fidei, quæ est in te non ficta, quæ & habitavit primum in avia tua Loide, & matre tua Eunice, certus sum autem quod & in te.

A [6] Hæc commemoro, quo & nostro, & majorum tuorum exemplo reddaris alacrior, ut donum Dei, quod per impositionem manuum mearum Episcopus ordinatus accepisti, suscites tua industria vigilantiaque, fortique, & infracto animo peragas tibi delegatum munus, nihil expavescens quorundam oblatrationes, aut persecutorum sævitiam.

6 Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.

[7] Judæorum est ista formidare, quæ præsens intentat vita: nobis, qui per fidem Euangelicam facti sumus filii Dei, dedit Deus longe alium spiritum, non qui nos pavidos reddat ac dejectos ob metum ac diffidentiam, sed innocentiæ fiducia, speque promissiæ immortalitatis fortes atque erectos, caritate liberos & animosos, ut quæ simul & Dei præsidio tota fidit, nec metuit proximi gratia subire discrimen. B Postremo qui nos non sinat animo perturbari, sed efficiat, ut semper præsenti & infracto pectore perseveremus.

7 Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris; sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis.

[8] Hunc igitur spiritum cum acceperis, exsere vim illius, magnoque animo declara, quod habes. Ne quid pudeat professionis tuæ, qua prædicas crucem & mortem Domini nostri Jesu Christi, neque te hujus Apostoli pudeat esse discipulum, quanquam his vinculis sum oneratus. Nihil glorioſius cruce Christi, quæ salutem dedit orbi, quæ Diaboli tyrannidem fregit, quæ nobis immortalitatem peperit. Christi crux nostra est gloria. Neque me catenæ, C quas volens perpetior ob Euangelii negotium, faciunt infamem, sed glorioſum magis. Proinde ne refugias ea pati, quæ passus est Christus, quæque ego illius gratia perpetior. Quin & tu paratus esto venire in societatem afflictionum, quæ ob Euangelium Christi nobis infliguntur. Quicquid ingruerit, non est quod trepidemus: res enim non agitur nostris viribus, sed præsidio Dei.

8 Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum ejus: sed collabora Euangelio secundum virtutem Dei:

[9] Nos quidem imbecilles, sed ille potens, qui nos cum essemus perditi, servavit per Filii mortem, abolitis priſtinæ vitæ commissis, ac vocavit ad sanctimoniam, non ob ulla merita nostra, sed suapte voluntate impulsus, spontaneaque beneficentia, quam D non nupero consilio nobis largitus est: sed ab æterno, & ante tempus omne, ante conditum hunc mundum, hoc illi decretum fuit, hæc nobis conferre per Jesum Christum Filium suum.

9 Qui nos liberavit, & vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia.

Digitized by Google

10 *Manifestata est autem nunc per illuminationem Salvatoris nostri Iesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam & incorruptionem per Euangelium:*

10 Res apud illum nova non est, sed quod semper fuit in arcano mentis illius, id nuper declaravit orbi, per adventum Servatoris nostri Jesu Christi, qui sumto mortali corpore, per crucem abolevit mortem, & per resurrectionem aperuit vitam atque immortalitatem, per Euangelii prædicationem, quæ Christi crucem imitantibus, similia præmia pollicetur.

11 *In quo positus sum ego prædicator, & Apostolus, & magister gentium.*

11 Hujus Euangelii prædicatio mihi delegata est, ut Apostolo ac doctori Gentium, ut per me discant, ad hoc Dei donum non solum Judæos esse vocatos, sed universum hominum genus.

12 *Ob quam causam etiam hæc patior, sed non confundor. Scio enim cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.*

12 Ob Euangelium igitur quoniam alligatus sum catenis, adeo non pudet hujus afflictionis, ut etiam gloriæ mihi ducam. Ob maleficia pati, probrosum est, ob Christi gloriam affligi, gloriosum est. Nihil me terret hæc tempestas: nam quamvis ipse sum imbecillis, tamen scio & certum habeo, quod is, in quo collocavi meam fiduciam, abunde potens sit, ut in extremum usque diem servet quod illi concredidi. Illius præsidio & Euangelii negotium, & mea salus, & Christiani gregis incolumitas in tuto est. Et si quid hîc ad tempus perire videbitur, tamen ille, ubi venerit ille dies, quo proferet suam magnificentiam orbi, multo cum fœnore restituet. Ego apud illum deposui vitam ac salutem meam, ille mihi dispensationem Euangelicæ doctrinæ concredidit. Si ego bonæ fidei depositarius fuero, ille non fallet fiduciam nostram.

13 *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide & in dilectione in Christo Iesu.*

13 Quod ab illo accepi, tibi vicissim credidi. Ergo cum habeas formam atque exemplar Euangelicæ dispensationis, sinceræque doctrinæ, quam ex me didicisti, non nitentem frivolis ac perplexis quæstiunculis, sed fide & caritate, quam nos & docuit, & exhibuit Christus Jesus, cura ut serves quod penes te depositum est.

14 *Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis.*

14 Rem sinceram ac puram deposui, tu vide ne tua negligentia vitietur. Scio multos adniti & adnixuros, ut Euangelicam doctrinam corrumpant, sed tu fortiter ac constanter tuere quod accepisti, fretus præsidio Spiritus Euangelici, qui habitat in nobis. Hoc opitulatore fortes, quicquid intentabitur discriminum, facile negligemus, atque etiam vincemus. Eo qui carent, territi malorum procella, deserunt Euangelii negotium.

15 *Scis hoc, quod averſi sunt à me omnes, qui in Asia sunt, ex quibus est Phigellus, & Hermogenes.*

15 Nam opinor tibi notum, quod omnes cæteri, qui mihi adhærebant in Asia, post sint aversati me, & cui fictis animis adfuerant, mox ad occasionem erumpente simulatione, Romæ cœperunt aversari. Quorum de numero est Phygellus & Hermogenes, ne prodam omnium nomina. Uterque ipso vocabulo declarat inconstantiam. Nam priori à fuga, posteriori à versatili Mercurio vocabulum est.

16 *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui: quia sæpe me refrigeravit, & catenam meam non erubuit:*

16 Non est meum illis imprecari quod meruerunt. Illud precandum, ut Deus pie factorum remunerator, quique sibi vult imputari, quicquid officiorum famulis ipsius impenditur, benefaciat Onesiphori familiæ. Siquidem is cum sæpe alias mihi fuit solatio refrigerioque in his afflictionum æstibus, tum hoc tempore non puduit illum vinculorum meorum, intelligentem, glorioſum esse pro Christo affligi: nec metuit consortium periculi, fretus promissis Euangelicis:

17 *Sed cum Romam venisset, sollicite me quæsivit, & invenit.*

17 Imo Romæ cum esset, adeo non refugit colloquium captivi, ut magno etiam studio me vestigarit, nec conquieverit donec invenisset.

18 *Det illi Dominus invenire misericordiam à Domino in illa die. Et quanta Epheſi ministravit mihi, tu melius nosti.*

18 Invenit ille materiam exercendæ misericordiæ, det illi Dominus Jesus, ut vicissim inveniat misericordiam apud ipsum in illo die, quo cuique pro suis gestis merces reponetur, & Deum erga se benecum experiatur, qui beneficus esse studuit in afflictum. Non enim hîc referam, quam multis in rebus mihi fuerit opitulatus Ephesi, cum tu id melius noris, quam ipse. Qualem istic se præstiterit, talis erga me fuit & Romæ. Non enim terretur vera caritas ullis afflictionum procellis.

CAP. II.

Bellator: pugil: agricola: Christusque resurgens: Cancer: vasa: fides: sermoque recta docens.

1 *Tu ergo fili mi confortare in gratia, quæ est in Christo Iesu:*

1 HVJVS igitur ac meo exemplo tu quoque robur animi sumas, fretus beneficio Dei, quod habemus per Christum Jesum, & ad omnia pericula paratus ac munitus, sinceram Euangelii doctrinam, quam ego tibi non furtim, sed coram multis testibus palam tradidi, tu vicissim, fili carissime, per manus aliis trade propagandam, non quibuslibet, sed quos bona fide dispensaturus judicabis, quique visi fuerint idonei, ut non solum ipsi sequantur, quod hauserunt, sed etiam pure transfundant in alios.

2 *Et quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.*

3 *Labora sicut bonus miles Christi Iesu.*

3 Vides ut qui militiæ sacramentis sunt addicti, rebus omnibus omissis, nihil non & ferant, & agant, quo cum laude muniis suis defungantur. Habet & Christus suam militiam, huic nomen dedisti, in hujus verba jurasti, is te suis castris præfecit. Fac igitur, ita ut fortem ducem decet, adversus omnia mala ingruentia strenuum te præstes, dignumque imperatore tuo Jesu Christo, qui ad crucem usque perstitit in officio delegato.

4 *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus: ut ei placeat, cui se probavit.*

4 Ne sis sollicitus de præsidiis humanæ vitæ: totam hanc curam in imperatorem rejice, tu totus in hoc sis, ut quod ille mandavit, gnaviter obeas. Non oportet nos segniores videri in militia Christi, quam militum vulgus esse videmus in profana militia. Quis enim horum ubi se semel adscripsit militiæ Regis aut Imperatoris, de vestitu aut victu sollicitus est? Harum rerum provisionem Imperator in se recipit. Militi nihil aliud curandum est, quam ut operam suam probet Imperatori, à quo ceu strenuus ac fidus miles ad hoc negotii delectus est. Scit enim præmium esse paratum penes Imperatorem, si modo promereatur.

5 *Nam & qui certat in agone, non coronatur nisi legitime certaverit.*

5 Quin & inter hos, qui sese certaminibus Pancraticis addixerunt, quisquis decertat, non sat habet, ut quomodocunque decertet, sed nihil non facit, ut vincat, certus coronam quidem esse paratam, sed ei, qui gnaviter ac strenue se gesserit in certamine.

6 *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere.*

6 Eundem ad modum industrius agricola, dum proscindit, dum stercorat, dum sementem facit, dum repurgat, totus est in opere suo, nec ullum laborem sibi gravem ducit, spe fructus, quem suo tempore fidelem terram scit esse redditurum.

7 *Intelligo quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.*

7 Quo magis oportet idem facere nos, qui in Euangelii negotio versamur, ut immortalitatis præmio commoti, nihil hîc non volentes perpetiamur, præsertim cum Imperatorem habeamus, qui fallere nec vult, nec potest. Perpende quid his parabolis significem. Det autem tibi Dominus non solum in his, verum in cæteris omnibus intellectum. Nihil est dispendii, imo crescentibus afflictionibus, crescit lucrum Euangelicæ salutis. Sic enim visum est Deo suam declarare potentiam.

8 *Memor esto Dominum JESVM CHRISTVM resurrexisse à mortuis ex semine David, secundum Euangelium meum,*

8 Vidimus in capite, quod speremus in nobis. Quod scis, oportet meminisse, videlicet, quod Christus Jesus, factus homo mortalis ex progenie David, ferendis contumeliis illustrarit gloriam Euangelii, & post crucis supplicium evectus sit ad immortalitatis præmium. Hoc est Euangelium, quod hactenus constanter prædico, nec Judæorum odio, nec Gentium metu deterritus.

9 *In quo laboro usque ad vincula, quasi malè operans: sed verbum Dei non est alligatum.*

9 Atque hujus gratia multis malis affligor ab utrisque usque ad carcerem & vincula, quasi facinorosus quispiam. Ac ne sic quidem ab Euangelii prædicatione desisto. Corpus hactenus alligatum est. Lingua Christi prædicatrix alligari non potuit. Et captivus quantum licet ad Christum quoscunque possum allecto.

10 *Ideo omnia sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu, cum gloria cœlesti.*

10 Mea nihil refert quid patiar, modo lucrum aliquod adjungam Euangelio Christi. Hujus rei gratia volens omnia perpetior, de mea quidem salute se-

securus, sed ut ii quoque per Euangelii prædicationem consequantur salutem, quos Deus ad hanc felicitatem destinavit, quæ salus offertur omnibus non per Legem Mosaicam, sed per Jesum Christum: qui sicuti pro nobis est passus, ita vicissim decet, & nos pro illius Euangelio, & fratrum salute perpeti: & sicut ille per afflictiones varias & ignominiam ad cœlestem gloriam evectus est, ita nobis eodem eadem via est enitendum.

11 *Fidelis sermo: nam si commortui sumus, & convivemus:*

11 Multis hoc durum videtur & incredibile, sed nobis indubitatum esse debet. Etenim si per baptismum una cum Christo mortui sumus hujus mundi cupiditatibus, aut si etiam in baptismi professione perseverantibus obtigerit affligi malis hujus mundi, futurum est ut & cum Christo vivamus, videlicet immortalitatis socii, qui mortis socii fuerimus:

12 *Si sustinebimus, & conregnabimus: si negaverimus, & ille negabit nos:*

12 Et si cum illo perpetimur, atque ob illius gloriam, nimirum cum eodem etiam regnabimus. Æquissimus enim est Deus, nec sinet à regni consortio secludi, quos malorum consortes esse voluit. Si hîc illum fortiter profitemur apud homines, agnoscet & ille nos in majestate sua; sin illum abnegabimus, (abnegat autem, qui crucem recusat) futurum est ut in extremo die formidabilem illam vocem audiamus, *Nescio vos.*

13 *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.*

13 Si fidimus illi, nostræ saluti consulimus; sin diffidimus, nihil decedet illi. Siquidem ex nostra de illo opinione, neque profectus est illi, neque dispendium. Ille natura verax est, nec potest sui esse dissimilis. Sive credimus, sive non credimus, eveniet quod ille promisit, piis immortalitas, impiis mors æterna.

14 *Hæc commone, testificans coram Domino. Noli contendere verbu: ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.*

14 Hæc est basis Euangelicæ doctrinæ. Hujus omnes commonefacito, non disputans ac digladians humanis argutiis, sed obtestans per Dominum Jesum, hujus doctrinæ auctorem & tuæ admonitionis testem, & ultorem impietatis, nisi moniti resipuerint. Hujusmodi contestatione gravi seriaque magis profeceris, quam argutationibus. Noli Sophistarum more, verbis contendere, & humanis ratiocinationibus velle asserere, quod fide percipiendum est. Siquidem ea res adeo non confert ad profectum pietatis, ut labefactet etiam fidei firmitatem, ac tandem subvertat animos audientium, nihil non vocari in quæstionem, & philosophicis rationibus, nunc asseri, nunc destrui, de quo dubitare nefas, sic quæstione quæstionem propagante, ut nullus quæstionum neque finis sit, neque modus.

15 *Sollicite extra teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis.*

15 Tu potius omissis istiusmodi digladiationibus, stude te ipsum exhibere operarium Euangelicum, non disputatorem, & probatum operarium, non hominibus, sed Deo, & sic in Euangelico negotio te geras, ut illi, qui te delegit, non sis erubescendus. Id fiet, si recisis supervacaneis disputationibus, ad fidei compendium voces Euangelicam doctrinam, & discussis perplexarum quæstionum spinetis, recto judicio seces, tracteisque sermonem Dei, ea tantum proponens, quæ ad salutis ac pietatis negotium proprie pertinent.

16 *Profana autem, & vaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem:*

16 Cæterum inanes verborum disceptationes fortiter rejice, quæ si semel receptæ fuerint, paulatim gliscet venenum, & semper ad majorem proficient impietatem, & tandem res eo deveniet, ut invalescentibus humanis dogmatibus ac dissertationibus, obruatur, obscuretur, & obsolescat vigor Euangelicæ doctrinæ.

17 *Et sermo eorum ut cancer serpit: ex quibus est Hymenæus, & Philetus,*

17 Siquidem sermo istorum, si semel aures & animos simplicium occuparit, semper latius serpet, non aliter, quam cancer in corpore animantis, non desinit paulatim occupare partes vicinas, donec exitium attulerit. Quo magis statim in ipsis initiis occurrendum est malo, ac resecandum est potius, quam fovendum, priusquam radices agat. Hæc puta me temere formidare, nisi jam in Hymenæo ac Phileto, quod metuo, conspeximus.

18 *Qui à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam factam, & subverterunt quorumdam fidem.*

18 Hi dum humanis disputationibus tractant rem fidei, adeò aberrarunt ab Euangelica veritate, ut quod est hujus caput ac fundamentum, abnegarint, dictitantes resurrectionem jam in Christo peractam esse, neque nobis aliam exspectandam resurrectionem, quam qua in liberis nos referentibus quodammodo renascimur, ac reviviscimus. Nec interim animadvertunt sublata resurrectione, tolli metum ac spem præmiorum, quæ diversa manent pios & impios. Tolerabilius erat hoc malum nisi ipsi subversi, & aliorum quorundam fidem sua doctrina subverterent.

19 *Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: cognovit Dominus qui sunt ejus, & discedat ab iniquitate, omnis qui nominat nomen Domini.*

19 Sed periculum non est, ne istorum perversitas veritatem Euangelicam prorsus evertat. Ut sursum ac deorsum fluctuent opiniones humanæ, certe fidei fundamentum ope Christi jactum ac defensum, stat firmum & nullis hæreticorum oppugnationibus labefactandum. Cui ceu solido saxo insculptum est, nusquam eluendum elogium: Novit Dominus, qui sint ipsius: & discedat ab iniquitate, qui profitetur nomen Christi. Mirum non est, si desciscant à Christo, qui non erant illi sincere juncti. Sed ab horum doctrina debent abstinere, quicunque pura fide semel Euangelio crediderunt.

20 *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.*

20 Optandum quidem votis omnibus, ne quid oboriretur hujusmodi pestium in Ecclesia. Sed fieri non potest, quin in tanta hominum multitudine quosdam improbos feramus bonis admixtos. Quin & horum malitia vertitur in bonum piorum, dum ab his agitati magis declarant fidei suæ constantiam. Sic in ampla divitis domo non solum habentur vasa aurea & argentea, verum etiam lignea fictiliaque, quorum illa honesto usui deputata sunt, hæc inhonesto. Hoc tantum interesset, quod quæ natura argillacea, aut lignea sunt, in aurum argentumve verti non possunt: hîc quoniam res voluntatis est, non naturæ, qui se vitio suo vas fecerit ignominiosum, potest opitulante Deo efficere, ut rursum incipiat esse vas honorificum. Ac rursus, qui pietatis cultor, vas aureum fuit in domo Dei, si sua culpa relabatur ad impietatem, vas erit probrosum. Incredulitas, ambitio, crudelitas, libido, & his consimiles animorum morbi faciunt, ut aliquis vas sit ignominiosum.

21 *Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum.*

21 Ab his si quis se penitus repurgarit, & ad innocentiam pietatemque resipuerit, nimirum vas erit honorificum ac purum, accommodum ad glorioſos usus, semper Domino suo paratum, quoties opus erit.

22 *Juvenilia autem desideria fuge, sectare vero justitiam, fidem, charitatem, & pacem cum iis qui invocant Dominum de corde puro.*

22 Scio juventutem variis cupiditatibus sollicitari quæ pertrahant hominem ad impuritatem. Sed tu, qui senioris officio fungeris, omnia juvenilia desideria fugito, sectare potius quæ te digna sunt, justitiam, fidem, caritatem, pacem cum his, qui puro corde Christum profitentur. Cum Hymenæi similibus nihil tibi sit commercii. Non peccat innocentia, non disputat fides, non effertur caritas, non contendit pax.

23 *Stultas autem, & sine disciplina quæstiones devita: sciens quia generant lites.*

23 Porro stultas, & ineruditas quæstiones, quæ plus habent ostentationis, quam sapientiæ, ne recipito; non ignarus ex his nihil aliud nasci, quam jurgia & rixas, dum semper in majus glisscente disputationis calore, res tandem in rabiem exit, adeoque nullus alii velit concedere, ut malit & agnitam falsitatem pertinacissime tueri, quam minus eruditus haberi. Cum hoc igitur hominum genere non conseres manum, quando vinci non possunt. Christus non hac via persuasit mundo: modestia ac mansuetudine vicit, nec audita est vox ejus in plateis.

24 *Servum autem Domini non oportet litigare: sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem,*

24 Decet itaque servum Domini sui vestigiis inhærere, nec esse pugnacem, sed placidum ac mitem erga omnes: facilius enim persuadet, qui caritate modestiaque commendatur, paratus ad docendum magis, quam ad objurgandum: in malis tolerandis lenem, minimeque irritabilem, qui graviter magis, quam aspere corripiat eos, qui reluctantur, declarans se nihil aliud agere his rebus omnibus, quam ut illis medeatur.

25 *Cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati; nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem,*

25 Neque enim temere de quoquam est desperandum: nam fieri potest, ut per modestam & amicam

correptionem, det illis Deus superioris errati pœnitudinem, jamque discussa mentis caligine veritatem agnoscant, & amplectantur, quam prius impugnabant.

26 Et resipiscant à diabolo laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.

[26] Ac resipiscentes tandem, velutique ab ignorantiæ gravi somno expergiscentes excutiant sese à laqueo Diaboli, quæ nimirum sunt cupiditates pravæ, quibus antea capti ad ipsius voluntatem circumagebantur, etiam usque ad impugnationem Evangelicæ veritatis.

CAP. III.

Consurgent Jambri similes: mala multa: tuere
Tradita: sufficiant scripta tibi una Dei.

1, 2 Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa:

2 Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti,

3 Sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate,

4 Proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis quam Dei:

5 Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita:

6 Ex his enim sunt, qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis:

7 Semper discentes, & numquam ad scientiam veritatis pervenientes.

8 Quemadmodum autem Jannes & Mambres restiterunt Moysi: ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem,

9 Sed ultra non proficient: insipientia enim eorum manifesta erit

[1, 2] NON solum igitur adversus Judæorum & Ethnicorum persecutiones, verum etiam adversus horum malitiam nos muniamus oportet. Neque enim dissimulandum est, sed vincendum, quod vitari non potest. Illud certum habe, quod Spiritus futurum prædicit: extremis diebus instabunt tempora gravissima, quum degenerante sincera pietate, & Euangelica caritate refrigescente, erunt homines sui tantum amantes, pecuniæ studio dediti, fastuosi, superbi, maledici, parentibus inobedientes, ingrati, impii:

[3] Carentes affectu erga suos, & propinquitate conjunctos, nescii fœderis, calumniatores, intemperantes, immites, bonorum osores:

[4] Proditores sodalitatis & amicitiæ, temerarii, turgidi, voluptatum amantiores, quam Dei.

[5] Titulo, cultu, ceremoniis, & hypocrisi præ se ferentes speciem pietatis, cum id, quod est caput veræ pietatis, abnegent, hoc pestilentiores, quod sub persona religionis, & vita sint contaminatissima, & sinceritatem Evangelicæ doctrinæ Judaicis fabulis & humanis inventiunculis vitient.

[6] Fortassis & hodie cernere est quosdam, ad hæc morum exitia tendentes. Proinde hos quoque fac averseris. Id quo certius facias, mores illorum ex parte tibi depingam. Siquidem hujus generis sunt isti, qui commendatione simulatæ religionis, sordidis vestibus, ficta severitate, vultus pallore arte inducto insinuant semet in domos alienas, atque illic primum venantur stultas mulierculas, quo facilius per has imponant viris, haud secus, quam Serpens per Evam decepit Adam. Nam primum sexus imbecillior magis idoneus est impostoræ. Deinde, non captant graves ac vere probas matronas, sed leves mulierculas, quæ sic Christum profitentur, ut interim onustæ sint peccatis, quæque quoniam non innituntur solidæ pietati, fluctuant ac circumaguntur variis cupiditatibus:

[7] Non contentæ semel à nobis didicisse, quod ad veram pietatem satis est, sed nova subinde discere gestiunt, & ob id adsciscunt sibi doctores accommodos ad suas cupiditates, qui doceant illas nihil scire, nec unquam perducant ad cognitionem veritatis. Imo sub prætextu doctrinæ Euangelicæ, celant impurissimam vitam, ac palam profitentes Christum, clam ea docent, quæ cum Christi doctrina ex diametro dissident ac pugnant.

[8] Mirum videri non debet, si nunc exoriuntur, quorum improbitas adversetur Euangelio; vetus exemplum est. Quemadmodum enim olim in Ægypto, Jambres & Mambres suis prætigiis conati sunt abrogare fidem iis prodigiis, quæ Moses virtute Dei designabat: ita & hi sub falsa quadam imagine pietatis adversantur Euangelicæ veritati, homines deplorati, quippe non solum turpissimis animi cupiditatibus infecti, verum etiam Euangelicæ doctrinæ fideique sinceritatem ad suos affectus depravantes.

[9] Atque hactenus quidem imposuerunt quibusdam, cæterum posthac, haud ita multum promovebunt suis technis. Siquidem futurum est, ut istorum amentia perspicua fiat omnibus; quemadmodum & magorum detecta fraus reddidit illos contemtos ac ridiculos. Etenim quorum mores & animus est insincerus, eorum doctrina non potest esse sincera. Porro fucata non durant perpetuo. Quod aliquandiu texit simulatio, tempus in apertum profert.

omnibus, sicut & illorum fuit.

[10] Tu vero longe dissimilis istorum, doctrinam Euangelicam, quam tibi pure tradidi, pure item & constanter transfundes in alios. Qualis fuit mea doctrina, talis fuit & vita. Cujus rei testis optimus esse potes, qui diu mecum versatus, nihil non expertus es, sinceritatem doctrinæ, & huic congruentem morum institutionem, alacritatem animi nihil refugientis, fidei robur nullis malis perturbabilis, lenitatem erga hæreticos, caritatem, qua prodesse cupiebam & hostibus:

10 Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam,

[11] Tolerantiam in persecutionibus & afflictionibus, quæ mihi te teste acciderunt Antiochiæ, Iconii, & Lystris. Scis quam hic graves persecutionum procellas sustinuerim supra vires humanas. Sed tamen ex omnibus his eripuit me Dominus, cujus præsidiis eram infractus. Neque vero hæc mihi vel meo peculiari quodam fato acciderunt, vel ob malefacta mea sunt inflicta. Ob sinceritatem Euangelicæ doctrinæ pariter ac vitæ, tot malis exercitus sum.

11 Persecutiones, passiones: qualia mihi facta sunt Antiochiæ: Iconii, & Lystris: quales persecutiones sustinui, & ex omnibus eripuit me Dominus.

[12] Imo quicunque volent ad exemplum meum & Christi sequi veram pietatem, ad illius ac meum exemplum ad tolerandas afflictiones se præparent oportet. Nunquam enim non habiturus est mundus, qui quo suam fictam religionem tueantur, affligant & opprimere nitantur veræ pietatis cultores.

12 Et omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.

[13] Sed hæc afflictio nobis cedet in lucrum, quemadmodum improbis illis, & impostoribus, sua prosperitas cedet in cumulum damnationis, duplici nomine daturis pœnas, & quod ipsi desciverint à veritate, & quod alios suis erroribus involverint. Sed illos si minus resipiscunt, suæ pœnæ relinquito.

13 Mali autem homines, & seductores, proficient in pejus, errantes, & in errorem mittentes.

[14] Tu vero fac perseveres in his, quæ à me didicisti, & in officio tibi delegato, constanter esto sincerus, cum scias indubitatam esse doctrinam & institutionem quam habes, si modo meministi, & à quo profecta sit auctore, & à quo magistro didiceris:

14 Tu vero permane in iis, quæ didicisti, & credita sunt tibi: sciens à quo didiceris.

[15] Nec tibi exciderunt sacræ Litteræ, quas olim rudibus annis primæ pueritiæ à majoribus didicisti, quæ recte quidem intellectæ, vel citra nostrum magisterium, possunt te eruditum reddere, quantum attinet ad consequendam salutem, quam nobis promittit Euangelium, non per observationem Mosaicæ Legis, sed per fiduciam, qua credimus Christo Jesu. Quod Euangelium ex parte docet esse factum, hoc litteræ Veteris Testamenti futurum prædicunt ac delineant. Nec aliud docent, quam Euangelium, sed aliter, si modo nanciscantur pium & eruditum lectorem. Non est cur Prophetarum aut Mosi libros post evulgatum Euangelium existimemus esse supervacaneos, si per spiritualem intellectum ad Christum & pietatem accommodentur.

15 Et quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Jesu.

[16] Imo tota Scriptura, quæ nobis non humano ingenio, sed divini Spiritus afflatu prodita est, magnam habet utilitatem, vel ad docendum ea, quæ cum periculo salutis nesciuntur, vel ad redarguendum eos, qui veritati repugnant, vel ad corrigendos ac revocandos in viam eos, qui simpliciter errant, vel ad institutionem & eruditionem, non in Judaismo aut humana Philosophia, sed in vera innocentia, integritateque vitæ:

16 Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia:

[17] Adeoque cuncta suppeditat, quæ faciunt ad officia pietatis, ut homini Deo dicato, nihil jam desit quo minus consummatus sit, pleneque instructus ad omnia vitæ Christianæ munia.

17 Ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

CAP.

Digitized by Google

CAP. IV.

Doctrinam sanam spernent: exspecto coronam: Desertum Paulum summus Jova tegit.

1 ETIAM atque etiam te obtestor, per Deum Patrem, perque Jesum Christum, qui judicaturus est vivos ac mortuos, cujus sententiam nullus hominum effugiet, perque hujus adventum, quo non jam humilis, sed sublimis ac formidandus veniet judicaturus, qui hîc passus est se judicari, perque regnum ejus, cui nulla potestas possit resistere, ut Euangelicum sermonem fortiter prædices, nec adversis deterritus, nec prosperis delinitus.

2 Insta & urge opportune, inopportune. Nullum enim tempus tibi non videbitur opportunum, quo spes sit profectus in Euangelico negotio. Argue delinquentem, hortare cessantem, increpa perseverantem in errore, quo severitate corrigatur, qui placida admonitione correctus non est, sed ita, ut acrimoniæ objurgationis admisceas omnem & lenitatem & doctrinam, ne vel odisse videaris, si tantum intones convitiis, vel temere litigare, si tantum increpes ac non doceas etiam. Facilius obtemperat, qui persuasus est, & libentius obtemperatur amanti quam inimico.

3 Hoc magis occupandum est, ut confirmemus animos nostrorum, eo quod posthac erit tempus, ut dixi, grave ac periculosum, quo quidam ab Euangelica professione desciscentes, non ferent veram ac salubrem doctrinam Christi, pugnantem cum hujus mundi cupiditatibus: sed ut ipsi sunt affectibus corruptissimis, iisque variis, ita sibi varios ac subinde novos doctores coacervabunt, non qui doceant pietatem, sed qui Judaicis fabulis aut humanis inventiunculis titillent aures, quas habebunt stulta libidine prurientes, nova & arguta magis audiendi, quam utilia.

4 Ad horum fabulas sese convertent, & ab Euangelica veritate avertent aures, quo magis tu in diversum nitere.

5 Advigila, Euangelii gratia nihil non ferens, re ipsa te præbeas Euangelii præconem. Nam qui sua docent, ut dicantur, certe Euangelistæ non sunt. In ministerio, quod mei vice geris, fac ita verseris, & plene persuadeas ea, quæ doces, infigasque penitus animis, ne facile labefiant ab his, qui diversa conabuntur docere. Id eo diligentius tibi conandum est, quod non sim diutius conatibus vestris opitulaturus.

6 Nam ipse ceu victima destinata Christo, jam immolari incipio, nec procul abest dies obitus mei.

7 Volens ac libens immolor, & bene mihi conscius anteactæ vitæ, & de præmio certus. Certamen egregium decertavi, cursum Euangelicum consummavi, summa fide, quod delegatum erat, peregi.

8 Meis partibus sum defunctus, jam quod superest, scio esse in tuto. Scio mihi repositam esse coronam innocentiæ debitam, quam mihi redditurus est Dominus imperator, cui militavi. Reddet autem non in hac vita, in qua certandi tempus est, sed in illo die, quo justus judex rependet unicuique præmium pro vitæ meritis. Nec enim mihi solum parata est hæc corona immortalitatis, sed & omnibus qui freti promissis ejus, se servant integros & incontaminatos, cum gaudio præstolantes illius adventum, quorum de numero confido te cum primis esse. Cura, ut quam primum venias ad me.

9 Carcer obstat quo minus liceat huc & illuc obambulare in obeundis Euangelii negotiis, & ab omnibus pene sum destitutus. Denique sunt quæ tibi ante decessum cupiam viva voce commendare. Demas me deseruit, malens hujus mundi deliciis frui, quam spe immortalis præmii, mearum afflictionum esse socius. Hoc animo recepit se Thessalonicam:

10 Crescens, eo vocantibus negotiis, abiit in Galatiam: Titus in Dalmatiam:

11 Lucas solus mihi adest, indivulsus omnium fortunarum comes. Cum venies, Marcum comitem adducito, nam illius officio mihi est opus.

12 Tychicum enim ipse ob certa negotia misi Ephesum.

13 Penulam, quam Troade reliqui apud Carpum, ubi venies, affer tecum, usui mihi futuram & hyeme & in carcere, simulque libros, cum reliquos, quos ibidem reliqui, tum maxime descriptos in membranis.

14, 15 Alexander faber ærarius, non solum me destituit in his procellis, verum etiam multis malis me affecit. Non est meum ulcisci, sed Dominus illi referet gratiam, ut meritus est, à quo tu quoque cavebis tibi. Nam mihi in tantum non adfuit, ut vehementer etiam adversatus sit sermonibus nostris.

16 Cum primum mihi esset agenda causa pro tribunalibus *Cæsaris, nemo mihi adfuit, omnes metu territi me deseruerunt.

17 Humanum quiddam illis accidit, nolim hoc eis imputari, quanquam humano destitutum auxilio Dominus non destituit, sed adfuit, & vires addidit, ut per me præconium Euangelicæ fidei ad plenum persuaderetur, & hujus fama ad omnium Gentium aures permanaret. Nam hoc, opinor, consilio voluit me per varias Regiones circumactum tandem & Romam deportari, quo latius spargeretur Euangelica doctrina. Hujus ope, qui quovis tyranno potentior est, sum ereptus è faucibus Leonis sævissimi.

18 Quin confido fore, ut idem Dominus me & in posterum sit erepturus ab omnibus impiorum malefactis, ne quid ulla occasione deflectam ab Euangelii sinceritate. Et si hîc mors infligetur, ille tamen servaturus est famulum ac militem suum in regnum suum cœleste, cui gloria sit in æternum, Amen.

19 Saluta Priscillam & Aquilam hospites meos, & optime de me meritam Onesiphori familiam.

20 Erastus remansit Corinthi. Porro Trophimum reliqui Mileti, parum firma valetudine.

21 Da operam ut huc te conferas, prius quam hyems intercludat iter. Salvere te jubet Eubulus, & Pudens, & Claudia, cæterique fratres omnes.

22 Dominus Jesus Christus, qui mihi semper adfuit, adsit & tuo spiritui. Gratia vobiscum, Amen. Id mea manu subscripsi, quo certior sit Epistolæ fides.

* Alia Editio, *tribunali.*

1 *Testificor coram Deo, & Iesu Christo, qui judicaturus est vivos, & mortuos, per adventum ipsius, & regnum ejus:* 2 *Prædica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* 3 *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus:* 4 *Et à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* 5 *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple. Sobrius esto.* 6 *Ego enim jam deliber, & tempus resolutionis meæ instat.* 7 *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.* 8 *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex: non solum autem mihi, sed & iis qui diligunt adventum ejus. Festina ad me venire cito.* 9 *Demas enim me reliquit, diligens hoc sæculum, & abiit Thessalonicam:* 10 *Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam.* 11 *Lucas est mecum solus. Marcum assume, & adduc tecum: est enim mihi utilis in ministerium.* 12 *Tychicum autem misi Ephesum.* 13 *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maxime autem membranas.* 14 *Alexander æarius multa mala mihi ostendit: reddet illi Dominus secundum opera ejus:* 15 *Quem & tu devita: valde enim restitit verbis nostris.* 16 *In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur.* 17 *Dominus autem mihi astitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes Gentes: & liberatus sum de ore Leonis.* 18 *Liberavit me Dominus ab omni opere malo: & salvum faciet in regnum suum cæleste, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.* 19 *Saluta Priscam, & Aquilam, & Onesiphori domum.* 20 *Erastus remansit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti.* 21 *Festina ante hiemem venire. Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes.* 22 *Dominus Iesus Christus cum spiritu tuo. Gratia vobiscum. Amen.*

PARAPHRASEOS IN II. EPISTOLAM PAVLI APOSTOLI AD TIMOTHEVM

FINIS.

VERSVS MEMORIALES IN II. AD TIMOTH.

AVGE *donum: Bellus miles: Cælica scripta:*
Doctrinam urgeto: Timothee ista legas.

Digitized by Google

IN EPISTOLAM D. PAVLI AD TITVM

ARGVMENTVM,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

TITVM *discipulum suum, ac filii loco habitum ob eximias dotes, Insulæ nobilissimæ* Cretæ *præfecerat Apostolus, & illinc abiens Archiepiscopum consecrarat. Huic scribit ex urbe* Nicopoli, *quæ est in* Actiaco *littore, rebus, ut apparet, adhuc tranquillioribus. Siquidem afflictionum, aut persecutionum nulla mentio. Monet autem, ut quod ipse apud* Cretenses *cœperat, consummet absolvatque, & per singulas Civitates, quas centum habuisse memoratur ea Insula, Episcopos instituat, quos & Presbyteros vocat, idonei Episcopi formam præscribens. Et quoniam huc quoque penetrarant Pseudapostoli, qui* Judaismum *suum omnibus ingerebant, animat eum, ut eos fortiter rejiciat ac refutet. Deinde personarum & ætatum præscribit officia, quemadmodum* Timotheo *præscribit, illud addens, ne quisquam* Christianæ *religionis prætextu Principibus aut Magistratibus resisteret, suo fungentibus officio, quamvis essent à* Christi *fide alieni, quin magis eos leniter ferendos, si quando forte, volente Deo, & illi resipiscant. Postremo jubet* Titum *ad se venire* Nicopolim, *sed non prius quam ipse* Arteman, *aut* Tychicum *illuc misisset, ne* Cretenses *destituti viderentur Episcopi solatio.*

ARGUMENTI FINIS.

IN EPISTOLAM D. PAVLI AD TITVM

PARAPHRASIS,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

CAP. I.

Abs te pontifices hi fiant: argue Cretas:
Sunt bona cuncta bonis: sunt mala cuncta malis.

1 PAVLVS *servus Dei, Apostolus autem Iesu Christi secundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ secundum pietatem est*

PAVLVS ego ille servus & cultor addictus, non jam Mosaicæ Legis, ut olim, sed Dei Patris, atque idem legatus Filii ejus Jesu Christi. Porro legationis hæc summa est, ut eos, quos Deus elegit ad consequendam Euangelicam salutem, invitem non ad Legis observationem, aut operum fiduciam, sed ad fidem, quæ sola cunctis aperit aditum ad æternam salutem, ex gratuita beneficentia Jesu Christi: nec ad fidem tantum, verum etiam ad agnitionem veritatis, quæ apud Ethnicos humanæ sapientiæ commentis obruta fuit, apud Judæos umbris ac typorum involucris obtecta.

2 *In spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur, Deus, ante tempora sæcularia:*

2 Veritas, inquam, non quam profitentur hujus mundi Philosophi, de causis rerum naturalium differentes, sed quæ compendio commonstrat, quibus in rebus sit sita vera pietas, cujus & scopus & præmium sit vita æterna, post hanc momentaneam vitam secutura, quam hoc majore fiducia sperare debent, in quamlibet gravibus hujus vitæ malis. Primum, quod hanc illis promisit non homo quispiam, qui & falli possit, & fallere, sed Deus, qui tam non potest mentiri, quam non potest non esse Deus. Deinde, quod promisit non casu, aut nuper, sed ante mundum conditum divino & immutabili mentis ipsius decreto, fixum ac certum erat facere quod nunc facit.

3 *Manifestavit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi secundum præceptum Salvatoris nostri Dei:*

3 Nihil accessit novi decreto illius, sed quod hactenus ob arcanas causas ipsi soli cognitas, tectum atque occultum esse voluit, id hoc tempore, quod æterna sapientia huic negotio destinarat, toti mundo voluit esse manifestum: neque Judæis tantum figurarum ænigmatis obscuram quandam umbram ostendi, sed aperta sermonis Euangelici prædicatione patefieri cunctis mortalibus, citra discrimen ullum generis, aut linguæ. Hæc est summa Euangelicæ doctrinæ, cujus prædicatio mihi non usurpata est, A sed delegata, & delegata non ab hominibus, sed à Servatore nostro Deo, qui non solum vocavit me ad functionem Apostolici muneris, verum etiam sic injunxit, ut mihi liberum non sit detrectare quod mandatum est, ne cui levis sit nostra auctoritas, aut illius etiam, cui meas vices delegavi.

4 *Tito dilecto filio secundum communem fidem, gratia & pax à Deo Patre, & Christo Iesu Salvatore nostro.*

4 Talis igitur Paulus hanc Epistolam scribo Tito, vero germanoque meo filio, non juxta corporis, sed juxta fidei propagationem, quam in illum transfudi, & in qua ille sic me refert, ut in eo, veluti pater in filio non suppositicio, renatus videar. Huic opto, ut contingat gratia & pax ab eo, à quo quicquid est verorum bonorum proficiscitur, nempe à Deo Patre, & Jesu Christo unico nostræ salutis auctore. Nam his opibus cupio filios meos ditescere. B

5 *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per civitates presbyteros, sicut & ego dispositi tibi.*

5 Atque ut jam ad te sese nostra vertat oratio: Cum nossem ingenium istius Insulæ, neque dubitarem, quin opus esset fideli pariter ac vigilante curatore, ea gratia te velut alterum me reliqui in Creta, Euangelii negotiis alio me vocantibus, ut quæ per nos cœpta sunt corrigi, tu nostras ibi vices gerens absolvas. Et quoniam solus tot Civitatibus, quibus abundat Insula, curandis par esse non potes, constitues in singulis Civitatibus Episcopos singulos, quemadmodum & istinc abiens tibi mandabam: sed ad tantum munus cave ne quem temere admoveas.

6 *Si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos.*

6 Spectatissimus sit oportet, cui tantam provinciam deleges, non solum notæ testatæque probitatis, verum etiam alienus ab omni suspicione criminis. Quem quo certius deligas, notis aliquot eum tibi depingam. Si quem cognoveris iis moribus, eaque vitæ integritate, ut nihil criminis illi probabiliter possit impingi. Si quis unico matrimonio contentus, non præbuerit speciem incontinentiæ, si liberos habeat sic institutos & educatos, ut non solum professione religionis Christianæ, verum etiam vitæ innocentia testentur se vere Christianos, hoc est, non ob luxum infames, quemadmodum solet vulgus adolescentum, non parum morigeros suis parentibus.

7 *Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum:*

7 Oportet enim eum, qui dignus habeatur Episcopatu, in tantum abesse à flagitiis & flagitii suspi-

cio-

cione, ut familiæ quoque fuæ integritatem & famam sibi præstandam esse intelligat. Nam & liberorum admissa parentibus solent imputari. Porro quicquid lædit famam Episcopi, hoc redundat in infamiam Euangelii. Oportet igitur eum, qui Dei vicibus quodammodo fungitur, cuique ille thesaurus Euangelicæ doctrinæ, veluti selecto dispensatori, concreditus est, undiquaque inculpatum esse, longe semotum à vitiis istorum, qui vulgo magistratus gerunt: ut qui lubentibus ac volentibus imperet, quique præter gregis sibi commissi salutem nihil spectet, qui mederi studeat non opprimere, docere non cogere, ducere non trahere, quique persuadeat potius, quam exigat, beneficiis ac lenitate vincat magis, quam imperio. Hæc qui spectat, eum non oportet esse præfractum, non iracundum, non linguæ procacis, quibus rebus citius alienantur homines, quam sanantur: non turpiter avidum lucri, quæ res cum in profano magistratu & fœda sit & pestilens, multo magis in Episcopo erit detestanda. Nihil enim incorrupte gerit, quem morbus habet avaritiæ.

8 Sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem,

8 Quin potius talis esse debet, ut sua quoque liberaliter effundat in hospites refocillandos. Ad hæc bonarum rerum avidum ac bonorum hominum amantem esse decet magis, quam pecuniarum. Idem sobrius sit oportet, justus innocentia vitæ, pius cultu religionis Euangelicæ, nullis animi perturbationibus obnoxius, sed omnibus cupiditatibus, quibus vulgus mortalium sursum ac deorsum agitur, superior.

9 Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem: ut possens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.

9 Sed in primis constanter tenax Euangelici sermonis, quo sit instructus ad docendum imperitos, quæ ad rem pertinent, simulque possit sana doctrina exhortari cessantes, denique & contradicentes coarguere.

10, 11 Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & seductores; maxime qui de circumcisione sunt:

10, 11 Non temere hæc moneo. Sunt enim multi intractabiles, inaniloqui, ac mentium seductores, qui doctrinæ Euangelicæ non auscultantes, pro hac frivolas quasdam & inutiles Judæorum fabulas adferunt, quo sibi famam eruditionis & quæstum pariant: per has mentium simplicium aliquot in fraudem illiciunt, sub prætextu religionis irrepentes in animos auditorum, adeo ut aliquoties non unum aut alterum corrumpant, verum etiam totas familias subvertant, docentes absurda quædam & ab Euangelica veritate vehementer abhorrentia, sed tamen Euangelii Christique titulo ad quæstum, quem turpiter venantur, abutuntur. His igitur acriter increpitis, oportet occludere os.

11 Quos oportet redargui: qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.

12 Sunt autem nonnulli ex Gentibus, qui huic malo sint obnoxii, sed potissimum tales eos reperies, qui ex Judaismo conversi quidem sunt ad Christum, sed insincere, sic professentes Euangelium, ut Mosaicam Legem admisceant, nec Judaicæ superstitionis vitium penitus relinquant. Nec mirum est in Greta reperiri, qui vaniloquio & noxiis artibus ventrem pascant, cum id ante multos annos Epimenides ipse Cretensis de suis Cretensibus sit vaticinatus. Vaticinium apud hunc sic habet: *Cretenses semper mendaces, mala bestia, ventres pigri.*

12 Dixit quidam ex illis, proprium ipsorum prophetam: Cretenses semper mendaces, mala bestia, ventres pigri.

13 Hoc adeo verum est elogium, ut oraculum videri possit. An non natura mendaces sunt, qui clarissimam Euangelicæ veritatis lucem non verentur suis fabulis obscurare? An non noxiæ bestiæ, quæ venenum suum passim affiant incautis? An non pigri ventres, qui malunt per falsam doctrinam in otio luxuque vivere, quam pro tuendo Euangelio nobiscum esurire ac malis affligi?

13 Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos dure, ut sani sint in fide.

14 Quamobrem redarguito istos severiter, quo resipiscant, & relicta fiducia Legis, puram Euangelii fidem amplectantur, neque præbeant aurem istiusmodi fabulis Judaicis, quibus, omissis Christi præceptis, ingerunt constitutiunculas hominum; de neomeniis, de sabbatismis, de circumcisione, de

14 Non intendentes Judaicis fabulis, & mandatis hominum, aversantium se à veritate.

lotionibus, de ciborum delectu, de vestitu, de non contingendis certis rebus, de domo septem diebus impura, aliisque his consimilibus, quæ Deus pro tempore præcepit olim Judæis observanda: partim, ut Gens alioqui rebellis & intractabilis, multitudine præceptorum coerceretur, partim, ut ista veris rebus velut umbræ præluderent, sed quæ nunc adeo nullum usum habent, si quis Judaico more pergat observare, ut nulla res magis avertat ab Euangelica veritate. Nec enim nullum genus pertinacius rebellat Euangelio, quam Judæorum, non valentium istas nugas relinquere. Hic, inquiunt, cibus impurus est, ne vescitor. Hoc corpus immundum est, ne contingito.

15 Faciant apud Christianos ista discrimina, quibus puris omnia pura sunt, nihil exsecrantibus, quod optimus Deus ad usum hominum condidit. Ut autem pure Christianis nihil est impurum, ita Judæis animo impuris, nihil est purum, ne ea quidem, quæ Lex ut pura permittit. Cum enim diffidant ei, qui post Euangelium proditum voluit hæc omnia non juxta carnalem sensum observari, sed ad animi negotia referri, quid istis potest esse purum, quorum & mens est inquinata diffidentia, & vita contaminata luxu, ambitione, avaritia, cæterisque morbis? Legem mordicus tenent, & Legem non intelligunt: præputium habent circumcisum, mentem incircumcisam: lotis manibus ac pedibus ingrediuntur, animum & conscientiam habent illotam. Observant otia Sabbatorum, sed interim pectus habent odio, ira, ambitione, cæterisque perturbationibus irrequietum. Metuunt inquinari, si gustent carnem suillam, & mundos se putant, cum avide hauriunt turpiloquium, obtrectationemque. Impiatos se putant, si contigerint cadaver, nec interim abhorrent à contactu scorti, aut rei furtivæ. Nefas esse ducunt uti veste lino lanaque permixta, nec sibi displicent, cum pectus habeant tot sceleribus opertum.

15 Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum, sed inquinata sunt eorum & mens & conscientia.

16 Impudenter igitur jactant se solos nosse Deum, cum illum præ cæteris mortalibus, factis abnegent. An non abnegant, dum veris animi sordibus obliti, sunt abominabiles? dum per incredulitatem intractabiles? Denique dum ad omnia veræ pietatis officia, quibus Deum demeremur & agnoscimus, pejus se gerunt, quam mortales cæteri?

16 Confitentur se nosse Deum, factis autem negant: cum sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.

Cap. II.

Belle hic informat sexus: pia gratia Christi
Nunc tandem apparens omnia justa petit.

1 Sed valeant illi cum suis fabulis, te nihil commoveat istorum improbitas, quo minus memineris officii tui, eaque loquaris, quæ digna sunt vere Euangelica doctrina, hoc est, quæ nos puris affectibus, purisque moribus Deo commendent, & Christi declarent esse discipulos.

1 Tu autem loquere quæ decent sanam doctrinam:

2 At quæ sunt ista, inquies? Nimirum seniores admonebis, ut sobrii sint, advigilantes ad officia pietatis, & ætatis torporem, fidei alacritate vincant: ut graves sint, neve indecore præter ætatis rationem juveniliter ineptiant, & moribus compositis ac modestis, quo reverendi sint juventuti: ut moderati, ne, quod vulgus senum solet, morosi sint, & ad iram faciles: ut spectati sint & inculpati, non solum integritate fidei, verum etiam in obeundis caritatis officiis, in tolerandis incommodis, præsertim ob Euangelium Christi.

2 Senes ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia:

3 Anus ad eundem modum admonebis, ut eo cultu habituque utantur, qui deceat religionem professos Deoque dicatos: ne sint calumniatrices alienæ vitæ, qui morbus esse solet & sexui illi & ætati peculiaris: ne multo vino deditæ, etiamsi illi ætati concedendus est vini usus, sed moderatus: & puellas honesta doceant, non lenocinium:

3 Anus similiter in habitu sancto, non calumniatrices, non multo vino servientes, bene docentes:

4, 5 Eas-

4 Ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant,
5 Prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei.
6 Iuvenes similiter hortare ut sobrii sint.
7 In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate.
8 Verbum sanum, irreprehensibile: ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.
9 Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes,
10 Non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes: ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus.
11 Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus,
12 Erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobrie, & juste, & pie vivamus in hoc sæculo,
13 Expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Iesu Christi:

4, 5 Easque sic instituant, ut prudentes sint, ut maritos suos diligant, ut liberos ament, ut sobriæ sint, ut castæ, ut domi assiduæ sint, rei familiaris curam agentes. Hæc enim præcipua mulierum laus: ut maritis suis subditæ sint, ac morigeræ, ne ob harum mores infametur nomen Dei, cujus religionem profitentur. Cum enim in his officiis videamus & Ethnicorum uxores probe se gerere, quid dicturi sunt, si conspexerint Christi religionem profitentes, in eisdem esse deteriores, quas decebat omnibus modis antecedere?

6 Jam quod anus ex tua institutione docent puellas, idem tu docebis adolescentes, exhortans illos, ut sobrii sint, ac moderatis affectibus, ne calor ætatis illos præcipites agat.

7 Atque quo hæc persuadeas efficacius, in primis præbe teipsum exemplar honestarum actionum, idque in omni pietatis officio. Neque enim quisquam facilius persuadet, quam qui constanter id facit, quod faciendum esse docet. Sic igitur docebis juventutem, ut interim inter docendum præstes integritatem vitæ, nullo vitio corruptæ; gravitatemque, quæ commendet auctoritatem docentis.

8 Itaque sermonem omnem modereris ac vitam, ut nihil sit, quod possit contemni: ut non solum ii, quibus præscribis, obtemperent, verum etiam fiat, ut eos, qui antehac adversabantur Euangelio, jam pudeat suæ maledicentiæ, ubi viderint omnia sic esse integra, ut etiam observantes ac venantes quod calumnientur, nihil tamen reperiant, ob quod vobis merito obtrectent.

9 Servos hortare, ut heris suis subditi sint, ac morigeri sint in omnibus, ne professione religionis facti videantur incommodiores, & incipiat imputari Euangelio, quod hominum vitio peccatur:

10 Ne sint igitur responsatores, ac detrectantes jussa dominorum, ne suppilatores, quemadmodum vulgus servorum solet, ut qui fidem Euangelicam profitentur, in omni officio præstando dominis fidos sese & integros declarent, etiamsi illi parum promereantur, ut suis honestis moribus commendent & ornent doctrinam Servatoris nostri Dei, quo plures ad eam amplectendam alliciantur, si conspexerint hanc professos, ad omnia vitæ commercia reddi commodiores ac magis amabiles.

11 In hoc enim per Euangelium illuxit antehac ignota beneficentia clementiaque Servatoris nostri Dei, & illuxit, non Judæis modo, verum ex æquo cunctis hominibus, non ut Legis onere liberati, nostro viveremus arbitrio:

12 Sed erudimur, ut posteaquam per baptismum condonata nobis sunt superioris vitæ commissa, & jurantes in verba Christi, semel renuntiavimus impiæ religioni, cultuique simulacrorum, simulque mundanis cupiditatibus universis, posthac ita vitam agamus in hoc mundo, ut appareat nos vere renatos in alios homines, & qui prius serviebamus impietati, flagitiis, variisque cupiditatibus, quæ nos inescabant ad turpia, deinceps præstemus temperantiam, ut nullis humanarum rerum cupiditatibus perturbemur, præstemus justitiam, ut benemerentes, quod in nobis est, de omnibus, neminem lædamus: ut cultum, quem præstabamus Dæmonibus, nunc sincera professione puraque vita præstemus Deo.

13 Quod si interim paupertate, nuditate, infamia, convitiis, carceribus, cruciatibus, variisque malis affligimur, ne putemus sterilem esse pietatem nostram, neque venemur hujus vitæ præmiola, quæ nec magna sunt, nec diuturna, sed exspectemus eximium illud præmium immortalitatis, quæ tum continget, cum peracto hoc seculo, quo per afflictiones & ignominias exercentur adhuc membra Christi, Deus Pater profligatis omnibus malis, aperiet gloriam ac magnificentiam suam in suis cultoribus, jam non humilis apparens, sed glorioſus, & impiis formidabilis, simulque cum Patre apparebit eadem gloria conspicuus, Dominus ac Servator noster Jesus Christus, membris suis eandem immortalitatis gloriam impartiens, qua præfulget ipse.

14 Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

14 Is, ne quis diffidat hujus promissis, in hoc volens ac sciens tradidit se in mortem, seque totum nobis impendit, ut ipse ab omni peccato immunis, pretio sui sanguinis nos redimeret à tyrannide Diaboli, cui nostris flagitiis eramus obnoxii, & abolitis semel superioris vitæ maculis, pararet sibi novum quendam ac peculiarem populum, qui ad ipsius exemplum, contemtis hujus mundi malis, calcatis hujus vitæ illecebris & auctoramentis, bonis operibus ambiret immortalitatis hæreditatem, quam ille pollicetur omnibus Euangelicam professionem pure casteque servantibus.

CAP. III.

Consule: parendum: gratis nos Christe vocasti:
Bis monitum fugito: Nicopolinque veni.

15 Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.

15 Hæc tu, mi Tite, loquere, multum à Judaicis illis fabulis dissidentia, ad hæc exhortare, ab his deflectentes redargue summa cum auctoritate, ut quibus doctrina non persuadet, quos non movet blanda exhortatio, eos coerceat acris ac severa reprehensio. Sunt enim quædam vitia, quæ severitate sananda sunt. Hîc gravitatem & auctoritatem Episcopi profer, & ita te gere, ne quis te merito possit contemnere. Fastus & supercilium abesse debet, auctoritas, quoties res postulat, est adhibenda.

1 Admone illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse:

1 Porro quales modo volebam servos esse erga heros suos, licet Ethnicos, tales velim, te monitore, esse Christianos omnes erga eos, qui principatum gerunt, aut magistratibus funguntur, licet à Christiana professione sint alieni. Siquidem illud modis omnibus agendum, ne quis ex nostris moribus ansam possit arripere, alienandi se ab Euangelio. Id autem fieret, si qui funguntur publicis muneribus, sentiant nos ob professionem susceptam cæteris esse seditiosiores ac ferociores, minusque dicto audientes. Mox enim imputantes hoc Euangelio, magis etiam alienabuntur ab illius professione. Admone igitur eos, qui Christum professi sunt, meminerint non ideo se liberos esse à publicis legibus, & auctoritate Principum ac Magistratuum: imo tanto magis convenit illis subditos obtemperare, dictoque audientes & ad omne opus bonum paratos ac promtos esse, ut non coacti metu pœnæ, sed sponte quod honestum est exsequi videantur. Si recte imperant illi, iniquum est, imo pessimi exempli est non obedire publicæ potestati: sin durius imperant, si premunt inclementius, si exigunt immoderatius, nullos magis decet lenitas ac tolerantia, quam Christi discipulos. Quicquid imperant, quod non adimat nobis pietatem, in eo obtemperandum est. Adimunt facultates, crescit pietatis thesaurus: ejiciunt in exsilium, nusquam non adest Christus.

2 Nemine blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.

2 At dixerit aliquis, impii sunt, simulacrorum cultores, manifestis sceleribus inquinati, hostes nostræ religionis. Suo periculo tales sunt, non est nostrum illos condemnare, sed, si licet, emendare. Melius autem obsequiis, lenitateque, & exemplo bonæ vitæ emendantur, quam rebellione aut convitiis. Illos suo judici relinquamus, nos quid nobis dignum sit meminerimus. Christus deprecatus est etiam pro convitiantibus, tantum abest ut maledicta regesserit. Quî convenit igitur, ut hujus discipuli in quenquam sint contumelioſi? ut litium amantes? Quin potius ad exemplum ejus, cujus nomen profitentur, præbeant sese humanos, omnem mansuetudinem exhibentes, non solum erga probos ac promeritos, verum etiam erga omnes homines. Erga probos, quia merentur: erga improbos, ut resipiscant, & ne

Digitized by Google

ne probabiliter irritati, pejus sentiant de religione Christiana. Omnia sufferт, omnia sperat Christiana caritas. Miserandi nobis magis sunt, quam abominandi.

3 Eramus enim aliquando & nos insipientes, increduli, errantes, servientes desideriis & voluptatibus variis, in malitia & invidia agentes, odibiles, odientes invicem.

3 Id eo magis faciemus, si recordemur nos aliquando tales fuisse, quales illi nunc sunt. Ne aversemur illos, quod sunt impii, sed adnitamur, ut desinant esse quod sunt, & incipiant nostri similes esse. Quis nos avocavit à cæcitate nostra? Nonne clementia gratuita Dei? Eadem potest & illos immutare, cum volet. Quanquam enim nos, qui ex Judaismo venimus ad Euangelium, non coluimus idola, tamen eramus olim gravibus alioqui vitiis obnoxii, stulti, inobedientes, errantes, servientes cupiditatibus ac voluptatibus variis, pleni invidiæ, pleni malitiæ, simulatibus ac mutuis odiis decertantes. His, inquam, tantis malis, etiam sub Lege Mosaica eramus obnoxii. Porro quod nunc pro stultis & vecordibus, sobrii sanique sumus: quod pro rebellibus, mites ac tractabiles: pro errantibus, veritatis gnari: pro mancipiis cupiditatum ac voluptatum, spontanei cultores justitiæ: pro malitiosis, simplices ac benigni: pro invidis, benefici: pro osoribus, etiam iis bene volentes, qui nobis male volunt, non debemus Legi, neque nostris meritis, sed gratuitæ bonitati Dei, per quam cupimus, si fieri possit, omnes nobiscum gaudere communi salute, utque omnibus illucescat Euangelii veritas, quemadmodum illuxit nobis.

4 Cum autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei;

4,5 Nam antea cæci versabamur in tenebris quemadmodum & illi: at ubi jam patefactum est per Euangelii lucem, quam ingens esset bonitas, quantaque erga cunctos homines caritas Dei Patris, qui est auctor nostræ salutis, tum demum depulsa caligine vitæ prioris, veram salutem sumus adepti: non ex

5 Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti,

observatione Legis, quæ suam quandam habebat justitiam, sed parum efficacem ad præstandam salutem, verum ex gratuita sua misericordia. Siquidem per lavacrum sacrum renati sumus & insiti Christo illius Filio, perque hujus Spiritum innovati, desivimus esse carnales, ac cœpimus esse spirituales.

6 Quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum:

6 Quicquid igitur sumus, id totum illi debemus, qui Spiritum suum, quem Lex dare non poterat, affatim effudit in nos, nihil promeritos: effudit autem per Jesum Christum Servatorem nostrum, per quem nobis omnia largiri placuit:

7 Ut justificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitæ æternæ.

7 Ut illius beneficio purgati à peccatis pristinis, bonis operibus nitamur esse idonei, qui capiamus hæreditatem vitæ immortalis, cujus certam spem nobis facit Euangelica doctrina. Posteaquam igitur & nos aliquando fuimus miserabiles, solaque Dei misericordia liberati à peccatis, speramus æternæ vitæ coronam cum Christo, debemus & nos aliorum misereri, ac modis omnibus adniti, ut & illorum misereatur Deus.

8 Fidelis sermo est: & de his volo te confirmare: ut curent boni operibus præesse qui credunt Deo. Hæc sunt bona & utilia hominibus.

8 Hæc pro Judaicis fabulis inculcet Episcopus Christianus: sunt enim certa & indubitata. Nihil autem superest nobis, nisi ut ipsa deinceps vita beneficio Dei respondeamus, alioqui nihil nobis profuerit Euangelica professio. Quare de his quoque confirmes & asseveres volo, quæ vehementer ad rem pertinent: ut qui semel crediderunt Deo, quod illius gratuita clementia sint redemti à peccatis, quod is immortalitatis coronam daturus sit omnibus, qui pietate vitæ Jesum Christum pro viribus student æmulari, sic vitam transigant, ut & professione, & tantis promissis non indigna videatur. Declarabunt autem se vere Christianos, non si exsecrentur aut maledicant Ethnicis aut Judæis, sed si benefici sint erga omnes, si misericordiæ affectu studeant omnibus opitulari. Hæc enim non solum ornabunt & commendabunt Euangelicam professionem, ut per se honesta, verum etiam ut utilia ad pertrahendum alios ad Christum, & ad opitulandum iis, qui premuntur aliqua calamitate. Christianismi caput est, prodesse omnibus: & beneficiis vincuntur ac mansuescunt & feræ. De his igitur ita disseres, non tanquam addubitans, quemadmodum faciunt isti, qui omnia vocantes in quæstionem, nihil sibi persuasum habere videntur: sed magna vultus fiducia, magnaque sermonis constantia, ut omnes intelligant tibi persuasissimum esse, quod aliis suades. Ex his fructus est pietatis.

9 Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita: sunt enim inutiles, & vanæ.

9 Cæterum stultas & indoctas quæstiones, ac perplexas genealogias, & contentiosas dissertationes, aut pugnas verius de Lege Mosaica, quas excitant quidam Judaissantes ad gloriam, ad quæstum suum, tu rejice, velut inutiles ac supervacaneas ad Euangelicam pietatem. Quid enim officit ad pietatem, si nesciam quare Mosi sepulchrum nusquam reperiatur? an ob id, ne, quod ajunt Judæi, à Magis excitaretur? Quot annos vixerit Methusalem? Quoto ætatis suæ anno Solomon genuerit Roboam? cur Moses vetuerit vesci carne suilla? sed hæc curiosa tantum. At quid prodest quærere, cur Judæi sanguinem mustelæ tanta cura putent expiandum? aliaque his etiam stultiora. In quibus explicandis quorsum attinet immorari eum, qui properat ad præmium pietatis? Resecanda sunt ista magis, quam explicanda, & qui hæc profitentur ut rem eximiam, increpandi sunt potius, quam disputatione vincendi.

10 Hæreticum hominem, post unam & secundam correptionem devita;

10 Si simpliciter errant, admoniti resipiscent. Sin destinata malitia peccant, ob gloriam, aut quæstum, aut aliam turpem causam, parati erunt & illa tueri, quæ sciunt esse falsa. Hos ubi semel atque iterum corripueris, ceu factiosos & insanabiles devita, ne provocati magis noceant, quam neglecti, & vertatur in diversum discrimen, ne qui sanari non possunt, monitorem pertrahant in errorem. Quorsum enim attinet frequentius adhibere correptionis pharmacum, si spes medendi non sit? Humanus error una atque altera admonitione sanatur.

11 Sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.

11 Perversitas insanabilis est, & remediis exasperatur. Proinde qui semel atque iterum increpitus, pergit nihilominus sui similis esse, hunc ut deploratum, ac penitus subversum, suo morbo relinquito. Nec est adlaborandum, ut illum condemnes, cum ipse suo ipsius judicio sit condemnatus. Si perit, suo vitio perit. Non enim habet, quod prætexat, insciens erravi, nemo me monuit. Quid autem facias ægroto, qui pharmacum rejicit? Fortasse contemtus ac neglectus resipiscet. Sin minus, certe minus multos afflabit sui morbi contagio.

12 Cum misero ad te Artemam, aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim: ibi enim statui biemare.

12 Est cur cupiam te mihi adesse dies aliquot. At nolim id fieri dispendio Cretensium Ecclesiarum; quæ nuper Christianam professionem amplecti cœperunt, eoque magis opus est vigilante præfecto, qui jactis utcunque fundamentis superstruat. Cura igitur, ut Nicopoli me convenias, sed non prius quam Artemam, aut Tychicum istuc misero, pro te meis vicibus functurum, ne tuus abitus Cretam destitutam reddat, atque orphanam. At ne quid verearis, ne me alio profecto frustra huc te contuleris, decretum est mihi proximam hiemem agere Nicopoli: ea civitas est Thraciæ.

13 Zenam legisperitum, & Apollo solicite præmitte, ut nihil illis desit.

13 Zenam olim Legis Mosaicæ professorem, nunc insignem Euangelii præconem, & Apollo virum in Euangelica doctrina spectatum, cum isthinc discedere volent, omni cum humanitatis studio deducito, curatoque ne quid illis desit, quod ad necessitatem profectionis pertinebit.

14 Discant autem & nostri bonis operibus præesse ad usus necessarios, ut non sint infructuosi.

14 Si hæc humanitatis officia præstantur ab Ethnicis, ut hospitem benemeritum honoris gratia deducant, ac viaticum commeatumque suppeditent abeunti, æquum arbitror, ut nostri quoque, qui Christum profitentur, discant talibus officiis uti, verum hactenus ut benemeritis gratiam referant, non ut illos sua liberalitate locupletent, sed ut quæ ad

Digitized by Google

necessarios vitæ usus pertinent, suppeditent, cum erit opus. Neque enim convenit ut cum ii, qui à Christo sunt alieni, tamen naturæ magistra norint rependere gratiam iis, à quibus beneficio sunt adjuti, Christiani steriles & infrugiferi sint erga eos, quorum tantam beneficentiam sint experti.

15 Salutant te qui mecum sunt

A

15 Quotquot hîc mecum sunt salutem tibi precantur. Tu vicissim istic saluta meo nomine, quotquot nos amant, non affectu mundano, sed Euangelica caritate, quam fidei communis professio conciliat. Beneficentia gratuita Dei semper adsit vobis omnibus, Amen.

15 omnes: salutate eos, qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.

PARAPHRASEOS IN EPISTOLAM D. PAVLI AD TITVM

FINIS.

VERSVS MEMORIALES IN EPISTOLAM D. PAVLI AD TITVM.

ARTES *Pontificis: Bona & Ethica: Cali aqua purgans:*
Hæc segmenta Tito missa fuere tria.

IN EPISTOLAM D. PAVLI AD PHILEMON.

ARGVMENTVM,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

GRAECI *tradunt hunc* Philemonem *genere* Phrygem *fuisse*, *quam nationem intractabilem ac servilem esse*, *vel* Græco *proverbio jactatum est*: Phryx plagis emendatur. *Quem tamen* Paulus *ob pietatem & officia in sanctos, inter præcipuos habuit amicos. Hujus servus* Onesimus Romam *profugerat non sine furto, quod fere servi solent. Illic audito* Paulo, *qui tum in vinculis erat, Euangelicam doctrinam amplexus est, ac* Paulo *servivit in carcere. Verum ne quid herus ob servi fugam animo cruciaretur, remittit eum, sed miro studio miraque civilitate servum & fugitivum & compilatorem domino reconcilians, se interim sponsorem offerens, depensurus, si quid ille suppilasset in fuga. Scribit autem è vinculis per dictum* Onesimum, *quem & filium vocat.*

ARGUMENTI FINIS.

IN EPISTOL. D. PAVLI AD PHILEMON.

PARAPHRASIS,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

1 PAVLVS vinctus Christi Iesu, & Timotheus frater; Philemoni dilecto, & adjutori nostro,

2 Et Appiæ sorori charissimæ, & Archippo commilitoni nostro, & Ecclesiæ, quæ in domo tua est.

3 Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.

4 Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis,

Afflatur blando sermone Philemona servum, (Fugerat is) domino conciliare studens.

1 PAVLVS antehac Apostolus ac servus Jesu Christi, nunc etiam vinctus ejusdem, cur enim non illius vinctus esse glorier, ob cujus Euangelium hæc vincula gesto? non ut pœnam maleficiorum, sed ut insigne liberi strenuique præconis, simulque mecum Euangelicæ prædicationis consortio frater Timotheus Philemoni, communis fidei professione fratri unice diligendo, neque fratri tantum, verum etiam pluribus officiis consorti mihi & participi in Euangelica functione:

2 Hujusque uxori Appiæ, mihi ob fidei cognationem sorori plurimum amandæ, & Archippo commilitoni nostro, reliquæque congregationi, quæ domi illius est:

3 Gratia vobis & pax à Deo patre nostro communi, & hujus Filio Domino nostro Jesu Christo.

4 In precibus meis, quibus quotidie Deo solitus sum litare, semper illi gratias ago tuo nomine.

5 Nam huic acceptum fero, quod audio prædi-

5 Audiens charitatem tuam, & fidem, quam habes in Domino Iesu, & in omnes sanctos:

E

cari ab omnibus, & fidei tuæ sinceritatem, & caritatem vere Euangelicam, quam obtines erga Dominum Jesum, nec in hunc solum, verum etiam in omnes sanctos, hujus videlicet membra, quibus quicquid officii fuerit impensum, ille sibi vult imputari.

6 Simul illud apprecor, ut augeat suam in te beneficentiam, utque tua ista fides, quæ jam in te otiosa non est, in dies magis ac magis vim suam exserat, teque ad pluribus, & uberius opitulandum impellat, adeo ut nullum sit officium Christianæ caritatis, in quo non sis & notus, & probatus. Quæ hactenus præstitisti nobis addunt fiduciam, ut audeamus nobis & uberiora de te polliceri.

7 Etenim cum existimem Christianorum omnia esse communia, voluptate non vulgari perfusus sum,

F

atque in his afflictionibus non mediocri solatio fuit tua ista tam ad bene merendum de omnibus propensa caritas, qua sanctorum animos, hujus mundi malis afflictos, refocillasti, ô mi frater. Nam istis factis te vere fratrem declaras.

8 His igitur tam multis rebus fretus, quibus declaras te verum esse Christi cultorem, magnopere confidebam me impetraturum abs te quod volo, etiamsi tantum imperarem ut pater filio, ut Apostolus discipulo, præsertim in re per se æqua & consen-

6 Ut communicatio fidei tuæ evidens fiat, in agnitione omnis operis boni, quod est in vobis in Christo Iesu.

7 Gaudium enim magnum habui, & consolationem in charitate tua: quia viscera sanctorum requieverunt per te, frater.

8 Propter quod multam fiduciam habens in Christo Iesu imperandi tibi quod ad rem pertinet:

Digitized by Google

sentanea doctrinæ Euangelicæ, quam profiteris, quæ jubet ut ipsi domini misericordiam experti in condonando debito, vicissim & aliis condonemus:

9 Propter charitatem magis obsecro, cum sis talis, ut Paulus senex, nunc autem & vinctus Iesu Christi:

9 Malui tamen ut hoc abs te impetret caritas, quam nostra auctoritas, magisque volui rogare, ut frater fratrem, quam præcipere, ut magister discipulo. Nec adspernaberis hunc precatorem. Quid enim neges roganti? Primum Paulo, (cum Paulum dico, non paulum rerum tibi significo) deinde seni. Nonnihil tribui solet & ætati. Sed hæc tibi nova non sunt. Nunc etiam vincto.

10 Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo;

10 In precibus nonnihil ponderis habet & calamitas obsecrantis. Postremo vincto Christi Jesu. Sic vincto favere debent, qui profitentur Christi doctrinam. Tot nominibus obtestanti negare non poteras, etiamsi te pro quovis homine deprecaretur. Nunc deprecor pro filio meo, quem ego hoc tenerius diligo, quod illum genuerim, non Mosi, sed Christo, non mundo, sed Euangelio, & genuerim in vinculis, brevi hinc abiturus. Solent enim parentes impensius amare liberos, extrema senectute sibi natos.

11 Qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi & tibi utilis,

11 Is est Onesimus, quondam cum hero compilato profugeret, parum suo nomini respondens, hoc est, parum utilis ac frugi: nunc in diversum mutatus, non solum tibi futurus est usui, verum etiam mihi suo obsequio fuit utilis in carcere.

12 Quem remisi tibi. Tu autem illum, ut mea viscera, suscipe:

12 Eum igitur jam alium factum ad te remitto. Quod si is es, quem esse credo, & si valet apud te Pauli senis & vincti commendatio, accipies Onesimum, non jam ut servum fugitivum, sed ut carissimos affectus meos, & unice carum filium:

13 Quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Euangelii:

13 Invitus illum remitto. Malueram enim eum apud me retinere, vel ob hoc ipsum, ut te mihi repræsentaret in his vinculis. Nec enim dubito, quin cum erga cæteros omnes, amore Euangelii tantum caritatis exhibeas, si adesses, mihi quoque sis in hisce vinculis, quibus ob Euangelium sum obstrictus, impensurus officium. At nunc repertus est, per quem possis & absens mihi ministrare.

14 Sine consilio autem tuo nihil volui facere, ut ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.

14 Verum, id te inconsulto facere nolui, ne si hoc mihi velut auctoritate fretus usurpassem, etiamsi factum meum boni consuluisses, tamen minus laudis haberet tua virtus, quæ cum aliqua necessitate videretur conjuncta. Nunc ita remitto, ut tibi liberum sit, vel apud te retinere, vel ad me remittere. Si remittis, hoc plus habebit laudis tuum officium, quod non extortum, sed liberum ac spontaneum fuerit.

15 Forsitan enim ideo discessit ad horam à te, ut æternum illum reciperes:

15 Noli meminisse quod fugerit. Errorem fugæ pensavit officio, abluit baptismo, abolevit lachrymis. Et quî scis an id ita dispensatione divini consilii factum sit, ut illius error & nobis & illi verteretur in bonum? Occulta sunt Dei judicia. Fortassis ideo divulsus est abs te ad tempus aliquod, ut

16 Iam non ut servum, sed pro servo charissimum fratrem, maxime mihi; quanto autem magis tibi, & in carne, & in Domino?

pro servo temporario, neque enim est diuturnior servitus ipsa vita, reciperes illum æternum: æternum est enim quicquid gignit Euangelium:

16 Reciperes autem non jam servum, sed pro servo carissimum fratrem. Mihi certe Apostolo, & frater est, & frater carissimus, ob fidem communem, quæ nos æquat in Christo: ob hæreditatem communem, ad quam ex æquo vocamur, ob Patrem communem, ob Redemtorem communem, in quibus omnibus non est discrimen Domini & servi, magistri ac discipuli. Quod si mihi ob has causas carissimus est, qui cum nihil illi commune præter spiritus cognationem: quanto magis tibi debet esse carissimus, cui præter vincula spiritus etiam juxta carnem conjunctus est. Amares alienum, si talem cerneres factum, qualis est Onesimus. Nunc hoc nomine magis amabis, quod tuæ familiæ cum sit, talis evaserit.

17 Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me:

17 Quod si me dignaris habere consortem Euangelicæ functionis, illum recipias oportet velut alterum me, quem ego ut filium carissimum, ut fratrem eximie carum, ut participem vinculorum meorum & Euangelii complector. Aut uterque tibi rejiciendus est, aut uterque complectendus. Qualis antehac fuit, non decet à baptismo meminisse: novum hominem tibi renatum puta.

18 Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa.

18 Quod si te movet alicujus rei dispendium, quod tibi sarciri velis, prius quam ignoscas, me pro illo sponsorem accipe. A me poscito, si quid ille, vel læsit, vel debet.

19 Ego Paulus scripsi mea manu: ego reddam, ut non dicam tibi, quod & teipsum mihi debes:

19 Hoc chirographo meam tibi fidem obstringo. En habes Epistolam meapte manu scriptam. Si videor bonæ fidei sponsor, Onesimum omittito, me convenito, ipse resolvam illius vice quicquid debetur. Hæc impetrarem, opinor, etiamsi cum alio quopiam agerem. Nunc non libet meminisse, quid meo jure possim abs te exigere. Non enim hîc commemorabo, quod cum mea doctrina factus sis Christianus, non tua solum, verum etiam teipsum mihi debes, quo minus iniquum tibi videri debebat, etiamsi postularem hoc quicquid est damni, quod debet Onesimus, mihi condonari. Verum, hoc non postulo, nisi tu volens ac sponte remiseris, non perinde ut meam liberes fidem, atque ut tuam declares caritatem.

20 Ita frater. Ego te fruar in Domino: Reficе viscera mea in Domino.

20 Eja, mi frater, à fruendo nomen habet Onesimus, qui ut mihi intime carus est, utque tibi illum ex animo commendatum esse cupio, ita mihi contingat te frui, non quemadmodum vulgo amicus amico jucundus est, sed quemadmodum Apostolo voluptati est discipulus, Christi doctrinam exprimens. Vides quam mihi carus sit Onesimus, & suo merito carus est. In hoc igitur amplectendo, refocilla cor meum.

21 Confidens in obedientia tua scripsi tibi: sciens quoniam & super id, quod dico, facies.

21 Hæc pluribus tecum ago, non quod diffidam caritati tuæ, sed id facio ex abundanti quodam amore meo erga filium meum. Siquidem ex pristinis officiis tuis, sic mihi perspecta est obedientia tua, ut non dubitem, quin hac in re plus etiam sis præstaturus, quam abs te peto.

22 Simul autem & para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis.

22 Interim Onesimum ut pignus mei benigniter accipe, simulque mihi ipsi paulo post venturo para hospitium. Nam spero fore, ut Deus precibus vestris exoratus aliquando me vobis restituat. Tum præsens agam gratias pro Onesimo clementer recepto.

23 Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo Iesu.

23 Salutat te Epaphras tibi conterraneus, mihi captivitatis & vinculorum socius, ob amorem Christi Jesu.

24 Marcus, Aristarchus, Demas, & Lucas, adjutores mei.

24 Præterea Marcus, Aristarchus, Demas, ac Lucas Collegæ mei. Quos omnes puta deprecari mecum pro Onesimo.

25 Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro, Amen.

25 Gratia Domini nostri Jesu Christi semper adsit spiritui vestro, Amen.

PARAPHRASEOS IN EPISTOLAM D. PAVLI APOSTOLI AD PHILEMONEM

FINIS.

VERSVS MEMORIALIS IN EPISTOLAM D. PAVLI AD PHILEMON.

Accipe Onesimum amans, multum dilecte Philemon.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO
D. THOMAE S. R. E. TT. S. CECILIAE PRESBYTERO CARDINALI,
ARCHIEPISCOPO EBORACENSI, ANGLIAE PRIMATI,
AC TOTIVS REGNI CANCELLARIO SVMMO,
DESIDERIVS ERASMVS ROTERODAMVS
S. D.

QVM frequenter circumspectassem, quanam studiorum meorum fortura magnitudini tuæ responderem, quæ me hactenus sane deterruit, ne quid lucubrationum mearum auderem tibi dedicare, tandem mihi visus sum bis ineptus: primum quasi sit aliquid in meis literis, ingeniove, quod etiamsi me rupero, tuam amplitudinem possit æquare, sive spectemus dignitatis istius fastigium, sive hoc fastigio dignissimas animi tui dotes, sive officia, quibus quotidie tua benignitas onerat non tam me, quam ipsa bonarum litterarum ac veræ Theologiæ studia: aut quasi tu is esses, qui librum voluminis magnitudine magis quam utilitate soleas æstimare. Quanquam igitur nondum perfunctum provincia Paraphraseôn, quibus Epistolas *Paulinas*, certo germanas duntaxat explicui, fatigatis etiamnum viribus, mox exciperet dimicatio cum obtrectatoribus: tamen illis tumultuario milite profligatis, iisdem statim copiis aggressus sum duas Epistolas Apostoli *Petri*, & unam *Judæ*: simul illud mecum cogitans, quod Divis offertur aut viris summatibus, aptum esse oportere magis quam æquale. Siquidem olim absurde facere visus fuisset, si quis Musis offerret Hecatombem, aut hederaceas corollas *Marti*. Itaque primum illud mihi visum est congruere, si ad tam eximium religionis Antistitem iret *Petrus*, incomparabilis ille *Christiana* religionis Princeps: ut quemadmodum illo duce nata est ac propagata sincera vereque Euangelica Philosophia, ita tua pietate, quæ sè magis ac magis in dies exserit, nonnihil collapsa restituatur, ut est natura rerum humanarum semper in deterius prolabentium, ni magno studio nitamur in diversum. Quod si quid etiam commendationis adjungit Operis difficultas, multo plus hîc fuit negotii, quam pro voluminis modo. Facit hoc partim *Petri* phrasis, multo quam *Paulina* perplexior, partim, quod in his non perinde sublevamur Veterum Commentariis. Nam quos hodie habet Glossa, quam vocant ordinariam, ex *Bedæ* vestri Commentariis ad verbum desumta sunt, viri profecto nec indocti, nec indiligentis, quantum illa ferebat ætas, idque miro artificio factum est. Pars Commentariorum subducta est in spatium marginis, pars resecta est in intervallum, quod versus Epistolæ dirimit. Titulus in totum fere ademtus est, haud scio quo consilio. Insunt in omnibus loca nonnulla, quæ lectorem attentum & cautum requirant, velut in prima de *Christo*, qui in spiritu prædicarit Spiritibus in carcere constitutis, qui olim fuissent increduli: Item de Euangelio mortuis etiam prædicato: In secunda, de Dæmonibus in judicium servatis, de maledico judicio, quod nec Angeli ferunt adversum se, tametsi nos locum hunc aliter sumus interpretati, à *Beda* dissimulatum: de terra ex aqua & per aquam condita, de cœlis & elementis incendio solvendis: quibus ex locis nonnulli hauserunt occasionem erroris: In Epistola *Judæ*, de judicio blasphemiæ, qui locus desumtus putatur ex Apocryphis *Enoch*, ex quibus & paulo post adducitur vaticinium, cum is non legatur quicquam scripsisse. Hanc autem ideo subjecimus, quod cum Epistola *Petri* posteriore, non solum stylo ac sententiis, verum etiam verbis mire congruat, quædam illius velut interpretans, quod genus illud, de judicio blasphemiæ. De priore *Petri* nunquam fuit dubitatum, de posteriore fuit, tametsi mentionem facit transfigurati Domini, cui rei non plures tribus discipulis testes adfuerunt. Unde si *Petri* non est, oportuit esse alicujus, qui se *Petrum* haberi voluerit. Epistola *Judæ* serius obtinuit auctoritatem, quod adducat testimonium è Libro qui inscribitur *Enoch*, in quo ferunt haberi quædam non satis consentanea doctrinæ Catholicæ. Sed quid vetat, sic ex Apocryphis adducere nonnihil in loco, quemadmodum *Paulus* ex *Epimenide* citat testimonium? Cæterum cum in priore *Petrus* testetur se scripsisse per *Sylvanum*, & in posteriore aperte testetur eam esse secundam, *Hanc*, inquiens, *ecce vobis carissimi secundam scribo Epistolam*, non video, qui res possit explicari, nisi aut posterior *Petri* non sit, aut *Sylvanus* eam scripserit jussu *Petri*. Quod si hæc ab ipso *Petro* scripta est, videtur tres scripsisse, quarum prima interciderit. De tempore ac loco nihil habetur comperti, nisi quod conjectant priorem *Romæ* scriptam, quam in fine *Babylonem* appellavit, imperante *Claudio Cæsare*. Sed ne longior fit Operæ Præfatio, magnopere cupimus, ut hanc industriam nostram, si quo pacto meretur, R. T. D. candido calculo commendet studiosis, non quod ipsi venemur aliquid apud celsitudinem tuam, cum nec hic animus unquam, nec nunc hæc ætas faciat ad ambitionem, sed quod ex eorum favore judicioque, qui summa dignitate præminent, mirus ardor ac stimulus addatur studiosis. Præter multos absolute doctos subolescunt in vestra *Britannia* tuæ benignitatis auspiciis complures optimæ spei juvenes, qui olim & majora præstabunt & felicius, si studium illorum inflammarit aura tui favoris. Atque utinam huc incumbant posthac nostra studia, ut ad optimas disciplinas animi mortalium, & brevitatis & facilitatis illecebra pelliciantur potius, quam dum nos affectata difficultate prolixitateque studemus videri magnifice docti, optima quæque ingenia à rebus optimis alienentur. Id præstabunt felicius alii permulti, non dubito: at majore fide, quam nos fecimus, non adeo multi. Quod si hujusmodi sanctissimis conatibus, ita ut instituit, favere perget amplitudo tua, tum apud Deum egregiam laudem sibi parabit, tum apud posteros honestissimam sui memoriam relinquet. Eam nobis diutissime servet incolumem *Christus* Optimus Maximus.

IN

Digitized by Google

IN EPISTOLAM D. PETRI PRIOREM

ARGVMENTVM,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

PETRVS *quemadmodum &* Jacobus Judæis *scribit sparsim incolentibus Gentium regiones, Epistolam profecto dignam Apostolorum principe, plenam auctoritatis ac majestatis Apostolicæ, verbis paucam, sententiis differtam. Hortatur autem ad tolerantiam malorum, quæ ob Euangelii invidiam perpetiebantur spe præmiorum. Ad hæc, admonet ut juxta Prophetarum oracula ad tantam dignitatem vocati gratis, viam præstent sua professione dignam. Christianismum enim non in titulo aut baptismo tantum, sed in morum innocentia situm esse, alioqui quod affliguntur malis, non cessurum ad gloriam Christi, si ob malefacta pœnas dare videantur. Insuper admonet, ne freti Christianismo detrectent parere Magistratibus, licet Ethnicis, ita provocati illi nec convertantur ad* Christum, *& acrius sæviant: Item ne servi negent officium suum heris, licet Ethnicis. Christiana bonitatis esse omnia perpeti: Item ne mulieres Christianæ viros suos, licet Ethnicos, contemnant, sed moribus suis ad meliora studeant provocare. Maritos admonet, ut uxoribus suis deferant, ut a cultu nonnunquam temperent, quo magis vacet orare. Deinde exemplo* Christi *provocat ad tolerantiam malorum, ne contentur injuriam injuria pensare, sed mansuetudine & benefactis vincere studeant male meritos. Atque hæc agit tribus primis Capitibus, & initio quarti. Post hæc hortatur ad novitatem vitæ, dehortans à vitiis Gentium. Invitat ad sobrietatem, ad vigilantiam, ad preces assiduas, in primis ad mutuam caritatem, ad hospitalitatem, ad officia mutua. Rursus ad patientiam persecutionum ob* Christi *nomen illaturum. Mox Episcopos instituit, & in his subditum populum. In calce testatur sese & alteram Epistolam ad eosdem scripsisse per* Sylvanum, *quæ interciderit. Hanc scriptam apparet ex* Babylone, *nam hujus Ecclesia verbis jubet eos salvere, si cui de* Roma *commentum non probatur.*

ARGUMENTI FINIS.

VITA SANCTI PETRI APOSTOLI

PER DIVVM HIERONYMVM.

SIMON Petrus *filius* Joannis, *provinciæ* Galilææ, *vico* Bethsaida, *frater* Andreæ *Apostoli, & Princeps Apostolorum: post episcopatum* Antiochensis *Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum, qui de circumcisione crediderant, in* Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia, *secundo* Claudii *anno, ad expugnandum* Simonem *Magum* Romam *pergit, ibique viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuit, usque ad ultimum annum* Neronis, *id est, decimum quartum. A quo & affixus cruci, martyrio coronatus est, capite ad terram verso, & in sublime pedibus elevatis: asserens se indignum, ut sic crucifigeretur ac Dominus suus. Scripsit duas Epistolas, quæ Catholicæ nominantur: quarum secunda à plerisque ejus esse negatur, propter styli cum priore dissonantiam. Sed & Euangelium juxta* Marcum, *qui auditor ejus & interpres fuit, hujus dicitur. Libri autem ejus, è quibus unus Actorum ejus inscribitur, alius Euangelii, tertius prædicationis, quartus Apocalypsis, quintus judicii, inter Apocryphas scripturas reputantur. Sepultus* Romæ *in Vaticano juxta Viam triumphalem totius urbis veneratione celebratur.*

IN EPISTOLAM D. PETRI PRIOREM

PARAPHRASIS,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

CAP. I.

Audi quid credas: quid speres: cingite lumbos:
Sanguine, non auro, sospitat agnus opes.

1 PETRVS *Apostolus Iesu Christi, electus adventis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ,*

PETRVS ille quondam discipulus & convictor, nunc Legatus & Apostolus Jesu Christi, omnibus qui sparsim habitant in minoris Asiæ regionibus, Ponto, Galatia, Cappadocia, eaque parte, quæ est Ephesiorum, ac proprie sibi nomen Asiæ vindicat, Bithyniaque, quos vel olim bellorum procellæ alios alio dispulerunt, vel nuper eorum sævitia, quibus Christi nomen erat invisum, patriis sedibus exegit innoxios, atque ideo A nunc extorres inter peregrinas Nationes, velut exsulant, excluſi quidem hominum metu à solo natali, at non ideo semoti, nec exsules aut abdicati ab Euangelii munere, quod Deus omnium princeps ita largitus est primum terræ gentique Judaicæ, ut tamen omnibus velit esse commune, quoscunque delegerit ipse. Nam ut frustra nati sunt ac vivunt Hierosolymis, qui Jesu Christi doctrinam adspernantur, ita nulli futurum est fraudi, quod inter Gentes incircumcisas ac profanas habitat, si modo pro Lege Mosaica gratiam Euangelicam amplectatur. Neque enim Legis observatio, qua tumet Judæorum vulgus, præstat veram salutem, neque genus, aut locus, B sed gratuita Numinis electio. Ille vere Judæus est, qui quodcunque solum incolens, quocunque gene-

Digitized by Google

re natus, Jesum Christum agnoscit veræ salutis auctorem, qui non uni Genti mortuus est, sed orbi terrarum universo.

2 Secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam, & aspersionem sanguinis Iesu Christi: Gratia vobis & pax multiplicetur.

2 Ut autem hunc agnoscamus, non debemus observatæ Legis merito, sed gratuitæ Dei bonitati, qui ex omni Natione delegit, vocatque ad Euangelii munificentiam, quoscunque ipsi visum est adiscere. Neque enim hoc illi temere nuper venit in mentem, ut hac ratione servaret universum genus mortalium, neque ut nostris benefactis impulsus, hoc ceu præmium nobis ita meritis reponit: sed æterno consilio fuerat hoc Deo Patri decretum, ut non Judæis tantum, sed universis Gentibus aperiret portum salutis: non per circumcisionem, neque per sabbatismos, neque per ciborum delectum, neque per alias Mosaicæ Legis ceremonias, quæ corporales sunt, & rerum spiritualium umbræ duntaxat quædam, ad tempus datæ sunt: sed per veram sanctificationem spiritus, quem nobis impartit Lex Euangelica spiritualis, qua vere purgamur ab omnibus peccatis nostris, non ex eo quod observavimus Legis veteris præscripta, sed quod simpliciter promteque fidimus Euangelicis promissis, non ex adsperso vituli sanguine, quemadmodum hactenus juxta Legis ritum factitari consuevit, sed ex adspersione pretiosi sanguinis illibatæ Deoque gratissimæ victimæ Jesu Christi, cujus immerita mors nobis semel omnia vitæ veteris commissa delet, ac per baptismum velut in ipsum renatos, novæ vitæ restituit. Quos quoniam baptismus exemtos huic mundo cœlesti municipio insevit, non precabor ea bona, quibus parandis & accumulandis sibi felices videntur mundi cultores, sed ea potius, quæ nos à terrenis contagiis purgatos cœlesti principe Christo dignos reddunt: videlicet gratiam, ut vestris ipsorum meritis diffisi, diffisi etiam Legis ceremoniis, è sola gratuita Dei munificentia, fiduciaque Euangelii, veram exspectetis salutem: ad hoc, pacem, ut Deo per Christi sanguinem reconciliati gratis, concordiam & inter vos habeatis, & cum cæteris omnibus, non solum neminem lædentes, verum etiam aliorum admissa condonantes, & malefacta benefactis repensantes: quorum bonorum sortem, ut gratis accepistis à Deo, ita piis studiis adnitendum est vobis, ut bonorum operum usura magis ac magis ditescatis, non modo persistentes in eo quod cœpistis, verum etiam in dies in melius progredientes, donec ille venerit dies, quo præmium immortalitatis exhibebitur, cujus nunc certam spem hausistis ex Euangelio Christi, ne quid hinc laudis nobis arrogemus.

3 Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis,

3 Ob hoc tam immensum beneficium laudanda benignitas ejus, à quo nobis per Christum proficiscitur, quicquid vere beatos reddit. Is est non Moses, sed Deus ipse, & idem Pater Domini nostri Jesu Christi, qui parum feliciter natos ex Adam, nimirum natos peccato, natos morti, denuo genuit nos innocentiæ, genuit immortali vitæ, nullis meritis nostris provocatus, sed ultro sua misericordia, qua summus est, exstimulatus: idque fecit non præsidio Legis Mosaicæ, sed impendio proprii Filii Jesu Christi, quem mortem subire voluit, ut nos alioqui deploratos, à peccati mortisque tyrannide liberaret: quem mox à morte revocavit ad vitam, ut interim mortui cupiditatibus mundanis, & ad illius exemplum morum innocentia resurrectionem veluti meditantes, certam & alacrem spem habeamus, fore ut nos quoque aliquando his exemti malis, una cum Christo pertingamus ad æternam illam hæreditatem: quam ut assequutus est ille caput nostrum, ita consequemur omnes, quicunque Christi membris insiti, illius imitatione meremur illius dici fratres, & ejusdem patris filii: ut quemadmodum afflictiones sunt nobis cum illo communes, ita sit & cum illo commune præmium.

4 In hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conservatam in cælis in vobis,

4 Quandiu fuimus filii peccatoris Adæ, manebat nos infelix hæreditas. Posteaquam facti sumus filii Dei, ad cœlestem hæreditatem properamus. Decet enim ut è cœlo nati, cœlestia spectemus, ut ex Deo nati, non nisi divina sectemur. Qui mundo militant, caduca præmia fluxamque mercedem ambiunt: nos post has temporarias afflictiones manet illa felix hæreditas, quæ neque morte possit corrumpi, neque tædio molestiave contaminari, neque senio situve marcescere. Non est quod metuamus, ne quis hanc tam opimam hæreditatem nobis intervertat. Habemus certæ fidei promissorem: apud illum nobis in tuto est, conservaturque in cœlis:

5 Qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo.

5 Sed ita, ut interim certa spes ac veluti pignus quoddam sit penes homines in terris, non penes quoslibet homines, sed penes vos, vestrique similes, quibus Christi Spiritus arrhabonis vice datus est: quique licet interim variis malorum procellis undique tundamini, quibus humana imbecillitas prorsus ex se sit impar, tamen Dei præsidio, qui nihil non potest, servamini, non vestris meritis, sed fide, fiduciaque: qua non dubitatis quin Deus, etiamsi patiatur vos interim velut opprimi, tamen incolumes vos sit exhibiturus in extremo tempore, post quod non erit amplius ista rerum humanarum confusio, sed mali addicti suis suppliciis, neminem lædere poterunt, & boni ab omnibus malorum incursibus tuti, æterno fruentur otio. Nunc enim latent præmia, & sæpe juxta vulgarem æstimationem pejus habent, qui meliores sunt; & perire videntur, qui maxime sunt incolumes; & florere videntur, qui maxime pereunt. Hîc exercendæ pietatis tempus est, præmio suum præscriptum est tempus, quod non oportet antevertere. Nobis interim sit satis, quod æterna felicitas nobis est in tuto, quam nullus hominum aut Dæmonum possit intercipere, modo ne nos deficiat fides, qua neglectis rebus mortalium, toti pendeamus è cœlo.

6 In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus:

6 Sint interim feroces, qui Deo rebelles, fidunt mundi præsidiis: insultent interim quasi victis ac destitutis: cæterum ubi venerit ille dies, versis in diversum rerum vicibus affligentur illi, vos exsultabitis victores, imo nunc etiam exsultare debetis indubitata tantæ felicitatis exspectatione. Neque enim debet vobis videri magnum aut grave, si per breves ac mox desituras afflictiones, molestiasque, pervenitis ad nunquam interituram beatitudinem. Forsitan & persecutionum harum aliquando finis erit, quæ tamen quoties ingruunt, spe vitæ futuræ magno infractoque animo ferendæ sunt ob Dei gloriam.

7 Ut probatio vestræ fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem, & gloriam, & honorem, in revelatione Iesu Christi:

7 Sic enim permittit sapientia Dei, vestris consulens commodis, ut fidei vestræ sinceritas constantiaque variis malorum incursibus exploretur. Et enim si aurum, res alioqui & perdita & peritura, non solum exploratur per coticulam, verum etiam per ignem examinatur, ut eo magis deinde sit in pretio, quo fuerit exactius repurgatum: multo magis Deus vult fidem vestram variis experimentis probari, cui tantum honoris debetur, ut cum ex his malorum & afflictionum incendiis emicuerit, longe purior ac fulgentior quovis auro purgatissimo, pretiosa sit apud Deum, resque omnis tandem in diversum exeat: nimirum ut quod hîc videbatur illatum ad dedecus, cedat in laudem: quod ad ignominiam, vertatur in gloriam: quod ad dehonestandum vos, vertatur in cumulum honoris eo die, quo Jesus Christus, cujus vis nunc agit in vobis occultis rationibus, palam sese proferet omnibus, suum cuique præmium pro meritis rependens. Quid enim glorioſius, quam ore Christi laudari? cum audietis: *Venite benedicti Patris mei.* Quid honorificentius, quam à Deo Patre recipi in consortium regni cœlestis una cum Filio? Hæc autem gloria, quanquam erit omnium piorum communis, tamen copiosior continget iis, qui majora pro Christo passi sunt in

ter-

Digitized by Google

terris. Quæ præmia si nunc apparerent, non esset admirabile fidei robur.

8 *Quem cum non videritis, diligitu: in quem nunc quoque non videntes creditis: credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata:*

9 *Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum.*

8, 9 Nunc in hoc est præcipua laus bonorum, quod Christum, quem corporeis oculis nunquam vidistis, tamen oculis fidei conspectum amatis: cumque dolorum vis palam ac præsens urgeat, præmia vero, quæ sunt in diem, nondum appareant, tamen illius promissis sisi, non alio animo toleratis ista, quam si coram adesset parata gloria: nec toleratis modo fortiter, verum etiam in mediis afflictionibus exsultatis inenarrabili gaudio, pleni gloriæ apud Deum, videlicet bene sperantis conscientiæ, pleni certa fiducia, quod ista præter meritum tolerantes, volente Deo, reportabitis abunde magnum fructum fidei vestræ, nimirum æternam salutem animarum vestrarum. Ingens enim lucrum est, cum jactura caduci corporis servatur immortalis anima. Sic visum est æterno consilio Dei, ut his rationibus salutem consequerentur homines, quibus & Christus ipse pervenit ad æternam beatitudinem.

10 *De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt:*

10 Neque enim hæc fortuito geruntur, sed quod nos factum vidimus, id Prophetæ veteres, qui multo ante nos vaticinati sunt fore, ut per fidem & Euangelicam gratiam absque Legis Mosaicæ præsidio servaremini, diligenter exquisierunt ac scrutati sunt, non contenti tanqtam per nebulam videre, quod esset futurum.

11 *Scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi: prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias:*

11 Sed illud etiam pia curiositate scisciti sunt à Spiritu Christi, qui jam tum illis arcano afflatu significabat, quid esset passurus Christus, ac mox ad quantam gloriam evehendus, tum quo vel quali tempore id esset futurum: siquidem ingenti desiderio salutis hujus tenebantur illorum animi.

12 *Quibus revelatum est, quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea, quæ nunc nuntiata sunt vobis per eos qui euangelizaverunt vobis, Spiritu sancto misso de cælo, in quem desiderant Angeli prospicere.*

12 Quibus & illud patefactum est, quod hæc, quæ futura præsagiebant, ipsorum temporibus non essent exhibenda, sed vestris: quæque suis vaticiniis prodebant, vobis proderent, non sibi. Optassent quidem illi videre, quod vobis videre contigit: sed ideo præcesserunt illorum vaticinia, quo certior esset fides nobis Apostolis, qui nunc eadem vobis annuntiamus facta, quæ prædixerant illi futura. Quoque minus dubitetis, idem Christi Spiritus tacitis afflatibus illos docuit olim, quid facere decrevisset, qui nos nuper in igneis linguis è cœlo delapsus instruxit, ut eorum, quæ gesta sunt, in toto terrarum orbe simus præcones. Prædicamus enim Christum nostræ omnium salutis causa factum hominem, versatum in terris, probris & cruciatibus afflictum, denique crucifixum, pro nobis obisse mortem: mox revocatum ad vitam, subvectum in cœlum, ubi nunc cum Patre præfulget majestate gloriaque, qui prius videbatur in terris vilis & abjectus, eodem subvecturus & suos. Hæc tam ineffabili Dei consilio gesta, non mirum si Prophetæ concupiscebant cernere, cum ipsis etiam Angelis sit admodum jucundum gratumque spectaculum, cujus contemplatione non queunt expleri.

13 *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfecte sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in revelationem Iesu Christi:*

13 Quo majus est beneficium quod vobis offertur, hoc avidius est vobis amplectendum, ne vestro vitio fiat, ut non assequamini. Certum est præmium, sed interim vestræ partes sunt, ita vos gerere, ne videamini indigni promissis. Aderit ille dies inexspectatus, qui proferet in apertum piorum & impiorum præmia. Is quandocunque veniet, lætus & felix veniet iis, quos paratos offenderit: contra formidabilis iis, quos diffidentia torpentes reperierit & oscitantes. Quoniam autem Christus incertum esse nobis voluit diem illum, non oportet vos unquam esse securos, sed semper accinctos animi lumbis, ceu paratos in occursum adventantis Domini, vigilantes ac sobrios, certa firmaque semper erectos ac suspensos exspectatione felicitatis æternæ, quæ nunc offertur omnibus qui obtemperant Euangelio, sed tum demum possidebitur, cum palam ostendet majestatem suam cunctis hominibus & Angelis ac Dæmonibus Dominus noster Jesus Christus.

14 *Quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis:*

14 Verum ad eam immortalitatem non pervenient, nisi qui hîc eam quodammodo fuerint meditati, atque ad exemplum Jesu mortui cupiditatibus hujus mundi, cum illo revixerint ad innocentiam, atque in ea constanter perstiterint, tanquam legitimi verique filii, fidentes promissis Dei Patris, & illius præscriptis obtemperantes, nec unquam relabentes in veterem vitam, tum ob ignorantiam Euangelicæ doctrinæ mundanis obnoxiam cupiditatibus:

15 *Sed secundum eum, qui vocavit vos, Sanctum, & ipsi in omni conversatione sancti sitis:*

15 Convenit enim, ut à quibus dissidetis professione, ab iisdem dissideatis affectibus ac moribus. Mundus malus est, à quo jampridem estis exemti, Christo justo sanctoque & innocenti insiti, ad hoc delecti vocatique à Patre sanctitatis omnis fonte; ut vos quoque quemadmodum estis sancti professione, ita sitis & omni vita factisque puri, integri, & inculpati: non enim agnoscet Pater filios, nisi sui similes.

16 *Quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.*

16 Nimirum hoc sensit, cum loqueretur majoribus nostris, Levitici Capite XIX. *Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester.* Non vobis sufficerit Mosaica puritas, ut abstineatis à contactu cadaverum, ut lotos habeatis pedes, ut abstineatis à concubitu, totam vitam ac totum pectus nostrum Deus vult procul abesse ab omnibus vitiorum inquinamentis. Siquidem hæc sunt, quæ nos vere reddunt impuros coram oculis Dei.

17 *Et si patrem invocatis eum, qui sine acceptione personarum judicat secundum uniuscujusque opus, in timore incolatus vestri tempore conversamini.*

17 Quem etiamsi Patris nomine compellatis, in omnibus implorantes opem illius, non est tamen quod impure viventes speretis illum vobis fore propitium, aut pro filiis agniturum, qui non æstimat quenquam ex genere, aut fortuna, sed tantum ex vitæ meritis. Nec enim ille purus erit Judæus, si vita, si animus fuerit inquinatus: nec hic erit impurus præputiatus, si piam, si innocentem vitam egerit. Supereſt igitur, ut qui Patrem hunc cupitis habere propitium, illius inevitabile judicium semper habentes præ oculis, donec agitis in hoc exsilio, sic moderemini vitam vestram, ne sit ob quod offensus Pater, vos ceu degeneres parumque morigeros filios ab hæreditate patriæ cœlestis merito secludat.

18 *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paterna traditionis:*

18 Quo majus est pretium, quo vos Christus gratis redemit, hoc magis cavendum est, ne volentes & ingrati in pristinam servitutem revolvamini. Nulla servitus miserior, quam mancipium esse vitiorum. Qui pauculo ære liberantur à servitute heri, & ex servis fiunt libertini, modis omnibus advigilant, ne ob ingratitudinem possint in relictam retrahi servitutem: & vos committetis, ut in veterem tyrannidem recidatis, ut denuo Mosaicæ Legis velitis esse mancipia, malitisque servire vanis observatiunculis à majoribus vobis per manum traditis, quam obtemperare Euangelio Dei, cum sciatis vos ab illis semel esse liberatos, non pretio vulgari, velut auro argentove, sed hostia longe sacratiore quam norit Lex Mosaica?

19 *Sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati:*

19 Non enim adsperso sanguine vituli purgati estis, sed pretioso cruore Jesu Christi, qui velut agnus omnis maculæ nescius, purus ac illibatus ab omni vitiorum inquinamento, pro nostris peccatis immolatus est in ara crucis.

20 *Præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem novissimis temporibus propter vos,*

20 Neque vero id factum est fortuito, sed ab æterno & ante conditum mundum destinatus est huic sacrificio Dei Filius, ut sua morte nobis reconciliaret Patrem. Cæterum divinæ mentis consilium ac decretum, quod multis seculis orbi fuit incognitum, nunc tandem his extremis temporibus patefactum est, & oculis hominum exhibitum novum spectaculum, quod in mente divina novum non erat.

21 *Qui per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitavit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides vestra, & spes esset in Deo:*

21 Exhibitum est autem vestræ salutis gratia, quibus Christus homo factus, mortuus ac prædicatus hoc præstat, ut qui ante frustra fidebatis Legis cæremoniis, nunc vobis diffisi, fidatis Deo Patri: qui

ut

ut eum mori voluit expiandis peccatis vestris, ita suscitavit ex mortuis, proque toleratis hujus vitæ laboribus dedit immortalitatis gloriam: ut quod credidistis ab illo factum æmulantes, speretis & vobis idem præmium, videlicet auctore Deo freti, qui quod in Filio præstitit, haud dubie præstaturus est in omnibus, qui sic vixerint, ut inter Christi membra numerari mereantur, in cujus corpus estis insiti, posteaquam per baptismum in eum fuistis renati.

22 Animas vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius:

22 Antehac obtemperastis cupiditatibus vestris, utpote carnales umbras rerum pro veris amplectentes: nunc posteaquam purificastis animas vestras, non observatione lustrationum Mosaicarum, sed ex eo quod per fidem obedistis Euangelicæ veritati, quæ Spiritu Christi purgavit animos vestros, adnitendum est, ut & innocentia vitæ capiti Christo, & vehementi planeque fraterna, minimeque fucata inter vos caritate, concordiæ corporis respondeatis: ut quemadmodum Christus vos dilexit non amore vulgari, neque carnali, ita vos invicem spirituali caritati prosequamini.

23 Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi, & permanentis in æternum.

23 Nova cognatio novum desiderat affectum. Antehac Judæi Judæos diligebatis affectu carnali, nunc longe alio modo renati, non ex semine mortali terrenoque juxta corpus, sed ex semine immortali cœlestique per sermonem Dei viventis ac permanentis in æternum, cujus Euangelio credidistis, fratres cœlesti caritate prosequimini. Mosi Lex ad tempus erat data. Sermo Dei nobis prodidit Euangelicam Legem nunquam desituram.

24 Quia omnis caro ut fœnum: & omnis gloria ejus tamquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos ejus decidit.

25 Verbum autem Domini manet in æternum. hoc est autem verbum, quod euangelizatum est in vos.

24, 25 Quod ab hominibus profectum est, temporarium est, quod è cœlo venit, æternum est, quemadmodum prædixit Esaias, Cap. XL. *Omnis caro velut fœnum, & omnis hominis gloria quasi flos agri. Exaruit fœnum, & flos ejus decidit, at verbum Domini manet in æternum.* Hic est sermo Dei patris æternus æterni, quem olim Legis prioris umbræ vobis delinearunt, cæterum nunc per Euangelii præcones aperte prædicatur, non vobis solum, sed omnibus, qui Christum sincera fide recipiunt.

CAP. II.

Bilis pellatur: ladit: nam vos genus estis
Electum: cunctis detur honestus honos.

1 Deponentes igitur omnem malitiam, & omne dolum, & simulationes, & invidias, & omnes detractiones,

2 Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem:

1, 2 QUONIAM nuper estis per Euangelicam doctrinam cœlesti generatione renati, prorsus abjectis omnibus veteris vitæ vitiis, si quid erat malitiæ, si quid doli, si quid simulationis, si quid invidentiæ, si quid obtrectationis aut maledicentiæ, posthac velut infantes recens nati, avide concupiscite lac illud non corporis, sed animi, lac doli nescium, & aptum ætati vestræ innoxiæ magis, quam robustæ, lac institutionis Euangelicæ. Habet enim Euangelica doctrina sua rudimenta, habet infantiam suam, habet pabulum accommodum imbecillæ ætati, habet & profectus suos, demum habet ætatem perfectam. Non sunt illa prima fastidienter hauriendа, sed avide, sed sitienter: nec in his tamen persistendum, sed ab his usque proficiendum ad perfectiora.

3 Si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus.

3 Siquidem & absurdum fuerit, si quis è matre natus semper infans nihil aliud quam lac expetat. Oportet & vos grandescere, donec adolescatis ad perfectam salutem, neque semper hærere in fundamentis, sed paulatim assurgere ad perfectam structuram domus, siquidem juxta Psalmographi consilium gustastis, quod suavis sit Dominus Jesus, oportet hoc gustu accendi ad appetenda majora.

4 Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificum:

4 In humanis ædificiis lapides nec commutant locum suum, nec accrescunt: in hoc ædificio (quod constat vivis lapidibus, cujus præcipuus & omnia continens lapis est Jesus Christus, vivus & æternus, pridem juxta Psalmographi vaticinium ab hominibus rejectus, nimirum à Pharisæis, qui suo Templo perituro freti, structuram hanc cœlestem non noverant, sed Dei judicio selectus, multoque in pretio habitus) nihil obstat quo minus paulatim ad structuræ perfectionem proficiatur.

5 Et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.

5 Igitur ad Christum lapidem vivum, lapidem electum, lapidem in oculis Dei pretiosum, oportet vos virtutum profectibus accedere, ut ipsi quoque tali fundamento nixi, paulatim superstruamini, donec efficiamini templa spiritualia, longe sacratiora Templo, quo gloriantur Judæi, & in quibus Sacerdotium exerceatur multo sanctius, quam in illo consuevit. Siquidem in illo Levitæ & Sacerdotes pecudes immolabant: in his spiritualibus templis vos ipsi spirituales hostias offertis longe gratissimas Deo, qui ut spiritus est, non corpus, ita spiritualibus hostiis delectatur: ne quid desideretis Mosi ritus per Euangelium Christi jam antiquatos, pro variis animantium generibus mactatis affectus mundanos brutosque, libidinem, superbiam, iram, invidiam, vindictæ cupiditatem, luxum, avaritiam, pro thymiamate puras preces, è sinceri pectoris ara subvolantes in cœlum. Hæc sunt sacrificia, quæ nunquam non immolantur in templo spirituali, quæ nunquam non sunt grata Deo. Jam pridem enim Mosaica illa in nauseam abierunt, ut testatur Esaias Propheta. Horum jugis est gratia per Jesum Christum, cujus commendatione grata sunt Patri Christianorum obsequia.

6 Propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum: & qui crediderit in eum, non confundetur.

6 Non est quod diffidatis donec inhæseritis capiti vestro, donec innixi fueritis eximio & immobili lapidi Christo. De quo dixit olim Deus per os Esaiæ, Cap. XXVIII. *Ecce pono in Sion lapidem in fundamento collocandum angulo, probatum, electum, pretiosum. Et qui fisus illi fuerit, non pudefiet.* Quod prædixit ille: jam videmus exhiberi. Idem ille lapis aliis pretiosus fuit ac salutaris, aliis noxius ac pestilens.

7 Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem, lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli,

7 Vobis merito pretiosus est, qui illi innitimini, qui fiditis, adversus omnes tempestatum procellas tuti ejus præsidio. Cæterum iis qui Mosi maluerunt inniti, quam huic, qui hunc rejecerunt, nolentes eum poni in ædificio, quod ipsi parabant ædificare, versus est in probrum ac perniciem. Etenim quem illi suo ædificio dignati non sunt, hunc Deus in suo ædificio voluit esse caput anguli, quo ceu parietem utrumque, hoc est, populum utrumque, Gentium ac Judæorum, complecteretur & contineret, cujus munimento tuta esset adversus omnes insultus structura, & in quem suo malo impingerent, & incurrerent, quicunque adversarentur huic novo ædificio.

8 Et lapis offensionis, & petra scandali, his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt.

8 Impingunt autem quoscunque offendit sermo Euangelicus, neque credunt illi, cum huc eos præpararit Lex Mosaica, ut crederent Euangelio simulatque vere præstaretur, quod adumbrasset illa. Proinde qui reprobaverunt Christum, hos vicissim reprobavit Deus.

9 Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.

9 Vos autem, quos illi cum Christo rejiciunt, fecit genus illud electum, de quo loquutus est olim Moses, gentem illam sanctam, populum peculiarem, quem sibi Deus eximio pretio vindicavit: ut quemadmodum olim populus Hebræorum duce Mose liberatus ab Ægyptia tyrannide, perque tot rerum discrimina perductus ad terram diu speratam, divinam erga se beneficentiam orbi prædicavit: ita & vos memores illius erga vos gratuitæ benignitatis, celebretis apud omnes admirabilem Dei potentiam: qui nova ratione devictis hostibus salutis vestræ, eruit vos ab ignorantiæ vitiorumque tenebris, in admirabilem lucem suam Euangelicæ veritatis, per quam omnes & Gentium errores, & Judæorum umbræ discutiuntur.

10 Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.

10 Vobis igitur contigit hoc honoris, quod illi sibi promiserant, qui Christum persequebantur, ac versis rerum vicibus evenit, quod Osee futurum prædixit: Populus qui prius erat abjectissimus, utpote

Digitized by Google

pote à Deo alienus, nunc est populus Deo peculiaris. Et populus, quem Deus rejecerat, ut indignum sua misericordia, nunc expertus est Dei misericordiam absque circumcisionis, aut Legis adminiculo, per solam fidem Euangelicam receptus in consortium Filii Dei.

11 *Charissimi, obsecro vos tamquam advenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam,*

11 Postquam igitur agnoscitis Dei singularem erga vos beneficentiam, quos sanguinis pretio redemerit, quos Filii morte sibi reconciliarit, quos unigeniti sui membra, quos cœlestis structuræ lapides vivos esse voluerit, quos in filiorum jus adoptatos, ad immortalitatis hæreditatem vocarit, obsecro vos carissimi, ut vitæ sanctimonia, & dignitati vestræ, & benignitati divinæ, & tanto præmio respondeatis. Cœlo renati estis, hîc velut hospites ac peregrini: eo properate ubi vobis est patria, ubi reposita est cœlestis hæreditas: ne quid ab hoc studio vos avocent terrenæ crassæque cupiditates, quæ machinis omnibus militant ac belligerantur adversus spiritum, rebus cœlestibus inhiantem.

12 *Conversationem vestram inter gentes habentes bonam; ut in eo, quod detrectant de vobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.*

12 Congruat vita professioni, ut vestri mores & alios alliciant ad Christum quos habet Paganismus, inter quos vivitis: quibus in tantum non oportet ullam præbere ansam, ut jure male sentiant de doctrina Euangelica, si conspexerint vos ad communem vitæ consuetudinem nihilo meliores cæteris, ut obtrectationem illorum, qua de vobis maledicunt odio Christi quem ignorant, & odio religionis, quam existimant esse maleficam superstitionem, refellat integritas morum vestrorum, atque in omnes beneficentia: quibus rebus compertis resipiscent & illi, agnoscentes errorem suum, afflati misericordia Dei, cum illi visum fuerit & illos attrahere, qui vos delegit: jamque glorificent eum ex vestris piis operibus, quem ante ignotum detestabantur.

13 *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: sive regi, quasi præcellenti;*

13 Habet & hic mundus ordinem suum, qui per occasionem religionis turbandus non est, quatenus id licet, incolumi Christi gloria. Ita Christus vos voluit esse liberos à peccatis, ut tamen ultro nihil non feratis, ob Euangelii negotium obtemperantes ac submittentes vos non modo Christianis, verum etiam Ethnicis Magistratibus: sive Rex sit ille, obediendum est tanquam auctoritate publica præminenti, sive Præsides, per quos in Provinciam missos Rex administrat Respublicas, obtemperandum est.

14 *Sive ducibus, tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum:*

14 Neque vos moveat quod Ethnici sunt, quod idololatræ sunt, sed agnoscite functionem illorum necessariam Reipublicæ, quæ constat è diversis hominum ac religionum generibus. Præsident enim isti cum auctoritate, ut nocentes ac sceleroſos supplicium metu coerceant, ac probos præmiis invitent ad officium. Non est vobis opus illorum metu, qui sponte præstatis plus quam exigunt leges humanæ: non est opus humana laude, quos inflammat cœleste præmium, sed tamen oportet & hos cum cæteris agnoscere.

15 *Quia sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam:*

15 Sic enim vult Deus summus ille princeps vester, ne quam ansam præbeatis illorum imprudentiæ, qua possint probabiliter in crimen vocare professionem Euangelicam, si senserint suam auctoritatem à vobis negligi.

16 *Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei.*

16 Quod alii præstant metu legum, id vos ultro ex animo præstate, cumulatius etiam quam alii, quo vos vere liberos declaretis. Nam liber est is, qui sponte ac volens recte facit. Absit enim, ut Euangelicæ libertatis prætextu abutamini ad licentius peccandum. Non debetis servitutem hominibus, sed quoniam estis servi Dei, ob hujus gloriam submittetis vos omnibus lubentes ac volentes.

17 *Omnes honorate: fraternitatem diligite: Deum timete: Regem honorificate.*

17 Si quid igitur officii, si quid honoris debetur etiam Ethnicis vel ob munus publicum quod gerunt, vel ob affinitatem, id persolvite omnibus, ne quid offensi reddantur alieniores ab Euangelii professione, peculiari tamen caritate par est prosequi, quos communis professio fratres vobis reddidit. Deum timete, cujus oculos nemo fallit: Regem non est cur metuatis, qui non est formidabilis, nisi maleficis, sed tamen auctoritatem illius agnoscite in iis, quæ citra jacturam pietatis exigit à vobis. Expoſcit vectigal, solvite. Exigit tributum, date.

18 *Servi subditi estote in omni timore domino, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis.*

18 Quod liberi præstare debent Magistratibus, licet Ethnicis, hoc servi præstare debent heris suis, à quorum obsequio non liberat illos baptismus. Imo hoc majore cum reverentia debent illos agnoscere, non solum si boni sint ac modesti, verum etiam si difficiles & asperi, ne forte offensi moribus vestris incommodioribus, incusent professionem, & ab ea reddantur alieniores, ad quam oportebat illos vestra probitate pellici magis & invitari.

19 *Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injuste.*

19 Dicet aliquis: Durum est ferre Principum tyrannidem, durum est perpeti sævitiam Dominorum: illi spoliant, exigunt, affligunt: hi flagris & colaphis conscindunt innoxios. Recte viderentur hæc non ferenda, si hoc illis tribueretur, ac non potius Deo. Non meretur hoc illorum impietas, ut tolerentur: sed ita est Dei voluntas, ut vestra bonitas illorum malitiam vertat in gloriam Christi. Nam ita demum Deo grata est vestra patientia, cum præter meritum afflicti, tamen æquanimiter toleratis, non metu hominum, sed ob Dei gloriam.

20 *Quæ enim est gloria, si peccantes, & colaphizati sufferetis? Sed si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum.*

20 Vulgo nihil est impatientius contumeliæ, quam innocentia. At inter Christianos longe secus est, apud quos ut quisque est optimus, ita Deo cupit esse gratissimus. Atque hunc quo diligit impensius, hoc alacrius perpetitur, quicquid ad illius pertinet gloriam. Quid autem laudis fuerit, si cum ob malefacta colaphis cædimini, suffertis? Docet hoc mali conscientia, ut quisque commeritas pœnas tacitus ferat. Verum cum pro benefactis illata mala patienter toleratis, gratiam initis apud Deum, cujus causa volentes perpetimini. Indignetur innocentia vestra, nisi Christus innocens graviora passus est pro nobis.

21 *In hoc enim vocati estis: quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus.*

21 Hæc est vestra professio, hac lege adsciti estis in corpus illius, ut exemplum tolerantiæ, quod ille vobis reliquit, sequamini, & iisdem vestigiis ingressi, grassemini ad æternam gloriam, qua ille pervenit. Quid ille malorum non pertulit, qui cum latronibus crucifixus est?

22 *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus:*

22 Quid eodem innocentius? qui adeo nullum admisit facinus, ut nec in lingua illius sit ullus unquam repertus dolus?

23 *Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste:*

23 Cum in illum congererent acerba convitia, non regessit maledicta, quin potius Patrem obsecravit, ut illis ignosceret. Cum vinciretur, cum cæderetur, cum crucifigeretur, non minatabatur vindictam, sed omnem vindictam reliquit Patri, qui non ex affectu, sed juste judicat: ipse deprecatorem interim agens, non instigatorem.

24 *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: ut peccatis mortui, justitiæ vivamus: cujus livore sanati estis.*

24 Nos tametsi nunc sequimur innocentiam, tamen sceleribus nostris commeruamus olim ultionem Dei. At Christus cum ipse nulli peccato esset obnoxius, tamen sarcinam peccatorum nostrorum, quo nos oneratos sublevaret, sustulit in proprio corpore, & in ligno crucis velut holocaustum pro nostris sceleribus immolatus est, suaque morte immerita nobis debitam mortem depulit, ut illius mortem ac resurrectionem interim imitemur, ac mortui pristinis peccatis cupiditatibusque, quibus addicti servebamus, posthac vivamus innocentiæ, cui nos ille consecravit omnis innocentiæ fons, qui nostram impietatem in se transtulit, ut nobis suam conferret justitiam. Nos offenderamus, ille vapulavit: nostra erat culpa, in illum sæviit animadversio. Proinde juxta vaticinium Esaiæ, nos illius livore sanati sumus. Huic igitur acceptum ferre debetis innocentiam vestram: quod pristinæ vitæ peccata non imputat Deus, hujus vinculis, hujus plagis, hujus vulneribus, hujus cruci, hujus morti debetis.

Digitized by Google

25 *Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem & episcopum animarum vestrarum.*

25 Nam ante velut oves palantes absque duce, alii alio aberrabatis, quo quemque sua ducebat cupiditas, existimantes licere, quicquid liberet: sed ab errore pristino nunc conversi estis ad Christum Jesum, pastorem & curatorem animarum vestrarum. Hunc si sequamini ferendis præter meritum afflictionibus malorum, illo duce pervenietis ad immortalitatis gloriam.

CAP. III.

Commonet uxores pia Sara: pericula ferte: Ima petit Christus: diluviumque Noa.

1 *Similiter & mulieres subditæ sint viris suis: ut & si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant,*

1 JAM quemadmodum liberi, Principes ac Magistratus publicos, servi Dominos privatos debent obsequio, quod ubique parit benevolentiam, ad Euangelii favorem pellicere, aut certe per occasionem non irritare, si forte sanabiles non sunt: ita debent & uxores maritis suis morigeras præbere se, non modo Christianis, verum etiam iis, qui doctrinam Euangelicam nondum sunt amplexi. Siquidem fieri potest, ut quos non commovet nostra prædicatio, eos uxoris integritas, pietas, modestia, temperantia, castitas, tolerantia pervincat, atque permolliat, ac denique Christo lucrifaciat.

2 *Considerantes in timore castam conversationem vestram.*

2 Etenim cum conspexerint eas à baptismo commutatis esse moribus, cum in eis viderint exemplar veræ virtutis, fortassis inflammabuntur, huc etiam nonnihil appellente affectu maritali, ut qui thori consortes sunt, velint & professionis esse socii. Habet enim perquam acres stimulos sincera probitas, quæ sæpenumero propius animadversa facit, ut carnalis amor vertatur in spiritualem. Illum excitat formæ venustas, & formæ gratiam adjuvans cultus, hunc excitat mentis integræ pulchritudo relucens in moribus.

3 *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus:*

3 Quamobrem uxoribus, quæ Christum professæ sunt, non oportet hoc esse studium, ut juxta vulgatam consuetudinem compositis arte capillis, ut additis gemmis aurove, & purpureo amictu, reliquoque corporis cultu, qui foris exhibetur, sese commendent oculis virorum. Quid enim aliud fiat hisce rebus, nisi ut corpus uxoris adament ad libidinis usum?

4 *Sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.*

4 At quota portio hominis est corpus? Illud magis debet esse studio, ut morum ornatu provocati, mentem animumque latentem adament, si eam conspexerint puram, nulloque vitiorum nævo contaminatam, si præter morem communem nihil viderint in muliere muliebrium affectuum, nihil intemperantiæ, nihil iracundiæ, nihil invidiæ, nihil ambitionis, nihil arrogantiæ, nihil procacitatis, sed spiritum mitem, placidum, tractabilem, ac mansuetum. Hic est cultus magnificus ac splendidus in oculis Dei.

5 *Sic enim aliquando & sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subjectæ propriis viris.*

5 Hoc ornatu potissimum demerendus est maritorum animus. Hoc lenocinio & olim sanctæ mulieres aliquot, quæ spem suam fixerunt non in rebus fluxis atque caducis, sed in Deo, commendabant se viris suis, non auro gemmisve, aut purpura, sed modestia & obsequio, quo facillime lenitur virilis ingenii ferocitas.

6 *Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans: cujus estis filiæ benefacientes, & non pertimentes ullam perturbationem.*

6 Sic Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans, cum uxor esset illius non ancilla, modestiæ causa semet illi subjiciens. Nam quanquam non competit viro dominatus in uxorem, est tamen auctoritas, qua etiam sicubi abutatur, est tamen modestiæ muliebris, obsecundare in loco. Porro sicut Abrahæ germani verique filii sunt, qui fidem illius sequuntur: ita vos estis Saræ filiæ, quæ mulieris optimæ mores & masculum animi robur refertis, bonis operibus ornantes vosmetipsas, ac fiduciam omnem collocantes in Deo, cujus præsidio fretæ, non est quod quicquam expavescatis imbecillitate muliebri.

7 *Viri similiter cohabitantes secundum*

7 Atque ut matronarum officium est, obsequio casto sanctisque moribus, ac mansuetudine devincire maritos suos: ita vestræ partes sunt, ô viri, nequa-

A quam abuti vestra auctoritate, veluti tyrannidem agentes in uxores vestras, quod vobis se submittant, quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes bonorem, tanquam & coheredibus gratiæ vitæ: ut non impediantur orationes vestræ. imo hoc minus fitis in illas Domini, quod se faciunt ancillas. Sociæ sunt fortunarum ac rerum omnium. Sentiant vos commodos convictores, vestraque sapientia subveniat imbecillitati sexus fœminei. Quo plus valetis animi corporisque viribus, hoc magis oportet opitulari mulierum infirmitati, ut vestra institutione, vestraque moderatione reddantur meliores, ac veluti sexu posito, masculescant ad Euangelicam pietatem. Neque enim Christiani mariti sunt, qui uxores tantum habent ad usum coitus: imo magis admitendum est, ut sociæ fiant jejuniorum, eleemosynarum, vigiliarum, precationum: quo, quæ vocatæ sunt ad commune præmium æternæ vitæ, communibus etiam studiis huc contendant. In Christiano conjugio nihil, aut certe quam minimum, dandum est voluptati, pietati plurimum. In qua si consensus erit, & subinde temperabitis à coitu, non interrumpentur vestræ precationes, quo sacrificio oportet quotidie litare Deo.

8 *In fine autem, omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles:*

8 Ut igitur sunt aliorum alia peculiaria officia, ita sui quemque hoc magis decet meminisse, quod qui Christum professus est, debet in his, quæ probitatis sunt, cæteris antecellere. Cæterum, illud est omnium commune officium, ut quemadmodum eadem omnibus est professio, sicut per baptismum eidem estis insiti corpori, ita per concordiam sit idem omnium animus. Non vos ætas, fortuna, conditio, patriave diversa disjungat, quæ res apud alios sæpenumero ministrant odiorum ac dissidiorum semina. Vos oportet esse conjunctissimos, quos idem baptismus regenuit Deo, qui Patrem in cœlis habetis eundem, qui pendentes ab uno capite Christo, estis ejusdem corporis membra, quos Euangelica professio fratres ex æquo reddidit, & ob id ad idem immortalitatis præmium absque discrimine Pater ille cœlestis vocavit omnes, sive pauperes, sive divites, sive servos, sive dominos, sive maritos, sive uxores, sive Judæos, sive Gentes. In hac parte nullum est discrimen, ideo non debet esse dissensio, neque supercilium. Multo plus impetrabit Christiana caritas sese submittens, quam auctoritas exigens. Neque enim convenit inter arrogantes, feroces, suique amantes. Si in corpore animantis membra sibi vicissim subsidio sunt, & si quid uni cuipiam accidit commodi aut incommodi, id singula suum esse ducunt: si quos sanguinis propinquitas conjungit, cognatorum commodis atque incommodis pariter gaudent & indolescunt: quanto magis convenit vos tot modis conjunctos hunc præstare consensum, ut alienis bonis ac malis non minus tangamini, quam propriis. Ita demum præstabitis vere fraternam caritatem, si qui feliciores sunt non fastidiant infortunatos, sed malis illorum indolescentes, pro viribus opitulentur: si qui potentia præminent & auctoritate, non premant ac despiciant humiliores, sed consuetudinis comitate affabilitateque semet inferioribus accommodent: ut sit æqualitas, & quos fortuna separavit, conjungat Christiana caritas.

9 *Non reddentes malum pro malo, aut maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes: quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hereditate possideatis.*

9 Absit autem à vobis vindictæ libido, quorum est alere concordiam, non solum cum piis ac fratribus, verum etiam, si fieri possit, cum omnibus. Cum bonis oportet officiis certare, cum malis tolerantia, aut etiam beneficentia, qua ut vincuntur & feræ, ita mollescit aliquoties deplorata hominum malitia. Ne velitis igitur injuriam injuria retaliare, aut convitium convitio. Sic enim fiet, ut & ipsi mali sitis qui malos imitemini: quin potius injuriam officio, maledicentiam benedicendo pensate, ut vestra insuperabili bonitate vincatis & obruatis illorum malitiam. Neque enim in hoc vocavit vos Deus, ut malefactis ac maledictis superetis, sed benefaciendo omnibus, bene loquendo cunctis mereamini audire vocem illam optabilem: *Venite benedicti Pa-*

Digitized by Google

Patris mei, possidete regnum. Bonis malefacere, plus quam ferinum est, in benedicos esse maledicum, plus quam scurrarum. De male merentibus benemeri, de maledicentibus & obtrectantibus bene loqui, Christianæ virtutis est.

10 Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam suam a malo, & labia ejus ne loquantur dolum.

10 Hoc si cui durum videtur, audiat Psalmographum divino afflatum Spiritu idem præcipientem: *Qui vult*, inquit, *vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam suam à malo: cohibeat labia sua, ne loquantur dolum:*

11 Declinet à malo & faciat bonum: inquirat pacem, & sequatur eam.

11 *Declinet à malo & faciat bonum: quærat pacem, & persequatur eam.*

12 Quoniam oculi Domini super justos, & aures illius intentæ sunt ad preces eorum. Rursus adspectus Domini super eos qui faciunt mala.

12 *Quoniam oculi Domini super justos, & aures illius intentæ sunt ad preces eorum. Rursus adspectus Domini super eos qui faciunt mala.* Proinde si Deum volumus in nos esse beneficum, simus ipsi beneficiici in omnes: si volumus illius ultionem effugere, ne quem omnino lædamus.

13 Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?

13 Nec audio quod hîc forsitan obmurmurabit affectus humanus. Ni propulsaro injuriam, impunitas invitabit plurimos ad lædendum. Imo nihil vos reddet tutiores ab injuria, quam si vel toleretis, vel officio pensetis etiam. Nullus est lædendi finis, quoties misera vicissitudine convitium convitio, injuria conduplicatur injuria. Si nemo repugnet, conquiescet, aut certe languescet improbitas. Quis enim cupiat vos lædere, si studueritis omnibus benefacere, lædere neminem? Quod si qui reperiuntur adeo cæci, ut odio virtutis, aut errore vos persequantur, quæso qua in re possunt lædere? Auferent pecuniam mox alioqui relinquendam, affligent corpus, occident brevi alioqui morituros.

14 Sed & si quid patiamini propter justitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini.

14 Hæc omnia quoniam ob pietatem inferuntur, adeo nullum damnum adferunt, ut lucro etiam audeant. His malis augent vobis æternæ felicitatis præmium. Qui bonæ mentis afficitur dispendio, is vere læditur, ea incolumi lucrum est, quicquid mundus putat esse damnum: beatitudo est, quicquid istis videtur calamitas. In vobis igitur situm est efficere, ne qua vis malorum vobis noceat. Quicquid hominum improbitas ademerit, id divina largitas immenso cum fœnore restituet. Proinde Deo fretos, nihil est quod terreant hominum minæ, aut perturbet malorum violentia. Ne in mediis quidem afflictionum procellis animo turbemini, tanquam ope divina destituti.

15 Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, paratis semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe.

15 Neque maledicatis hominibus, qui vos per ignorantiam affligunt, quin potius glorificate Dominum Deum in cordibus vestris, qui suis famulis omnia vertit in bonum, sive læta accidunt, sive adversa. Semper itaque laudandus est, si voce non semper licet, certe cordis affectu nusquam non licet. Hujus hostes non sunt exacerbandi convitiis, verum ubicunque offeret se spes aliqua posse illos ad Christum pertrahi, sitis faciles promtique ad respondendum quibuslibet cupientibus cognoscere, qua fiducia, quaque spe contemnatis hujus vitæ commoda, & incommoda toleretis.

16 Sed cum modestia, & timore, conscientiam habentes bonam: ut in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem.

16 Idque facite non indignabundi, non contumelioſe velut illis infensi, sed cum omni mansuetudine ac reverentia, freti nimirum vestra conscientia bona, etiamsi non possitis illis persuadere. Neque enim satis est Christianis, ut vera loquantur, & Christo digna, sed ita loquantur, ut ipsa sermonis ratio declaret, vos non vestrum negotium agere, sed Christi gloriam, & illorum, quibus loquimini, spectare salutem. Hoc erit certissimum argumentum, quo pudefiant ii, qui vitam vestram, quam agitis juxta Christi doctrinam, calumniantur ut fucatam ac maleficam. Nam fucata virtus quanquam alias fallit præstigio, tamen ubi ventum est ad afflictiones, erumpit ac prodit sese. Sola mens sibi bene conscia, totaque pendens à Deo, potest alacriter ferre omnia, & adeo non moliri vindictam, ut iis etiam benefacere conetur, à quibus affligitur.

17 Adelius est enim benefacientes (si voluntas Dei velit) pati, quam malefacientes.

17 Neque vos moveat, quod innocentes nocentum supplicia patimini, imo hoc nomine levius ferendum est quicquid infertur. Præstat enim vobis, ut si Deo visum fuerit ista vos pati, benefacientes perpetiamini, quam malefacientes. Etenim qui pro malefactis punitur, tantum luit quod commeruit: vestræ afflictiones cedunt in gloriam Christi, vestræque felicitatis cumulum.

18 Quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.

18 Glorioſum est vobis imitari principem vestrum. Sic ille gloriam Dei Patris illustravit, totus innocens captus est, vinctus est, cæsus est, consputus est, crucifixus est, pro nostris peccatis mortuus est, cum ipse nullum haberet peccatum. Justus pro injustis, insons pro sontibus pœnas dedit, libenter obediens voluntati paternæ, quo nos, qui peccatores eramus, puros & illibatos exhiberet Patri, ut & ipsi sequentes illius exemplum, inter nocentes vivamus innoxii, ac boni pro malorum salute patiamur. Semel ille duntaxat mortuus est, pro temporaria afflictione vita donatus æterna, ne nos semel exemti à peccatis ad eadem relaberemur. Expiavit autem nos Christus, morti traditus ob imbecillitatem humani corporis quod assumserat, sed revocatus est ad vitam virtute spiritus, qui nullis afflictionibus vinci poterat.

19 In quo & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit:

19 Siquidem eo tempore, quo corpus illius exanime sepulchro claudebatur, spiritu vivens penetravit ad inferos: & quemadmodum apud homines mortali corpore circumdatos, ipse corporeus prædicavit Euangelicam doctrinam, cui qui crediderunt, salutem sunt assequuti, qui credere recusarunt, damnationis æternæ cumulum sibi accersiverunt: ita corpore posito adiit eos spiritus, qui & ipsi corporibus exsuti degebant apud inferos, eisque prædicavit jam adesse tempus, quo præmium caperent suæ pietatis, quod olim veriti justitiam Dei, nec se sint ulti de malis, & innoxii vixerint inter nocentes:

20 Qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca: in qua pauci, id est octo anima salvæ factæ sunt per aquam.

20 Ac denuntiavit, eos se digna passuros, qui temporibus Noe cum appararetur arca, & exspectaretur diluvium immittendum à Deo mortalium sceleribus irritato, non crediderunt, sed abusi sunt lenitate divina, cum viderent id, quod minitabatur, in annos aliquot proferri. Itaque diluvium irruens perdidit omnes, exceptis perpaucis, nimirum octo duntaxat, qui se juxta Noe consilium commiserunt arcæ, nec absorpti sunt diluvio. Et illis itaque temporibus fides non caruit suo præmio. Nec enim sivit Deus perire sibi fidentes toto pectore. Nec increduli possunt effugere vindictam Dei, etiamsi vos non sitis ultores. Vobis enim satis est quod obeditis Deo, cæterum impiorum ultionem illi relinquite.

21 Quod & vos nunc similis forma salvos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi,

21 Jam quod fuit illis arca Noe, hoc vobis est baptismus, quod illis diluvium, hoc impiis æternum supplicium, prædicatum iis, qui non obediunt Euangelio. Satis erat Noe denuntiasse venturum diluvium, satis erat ostendisse quo pacto liceret effugere periculum, si pœnitentia placassent iram Dei, quam in se suis sceleribus provocarant. Vobis quoque satis sit innocentia vestra, satis sit aliis denuntiasse, quod præmium paratum sit credentibus Euangelio, quæ pœna maneat incredulos. Si pauci servantur per fidem, vobis non imputabitur. Si bona pars hominum perit incredulitate, suopte vitio perit. Sic Deo visum est, aperire discrimen bonorum ac malorum. Baptismus rite acceptus, servat ab exitio; ac diluit sordes non corporum, sed animorum. Repudiatus perdit in æternum, ac scelerum gravioribus undis involvit. Itaque quod aliis saluti est, accedente fide, hoc incredulis ac rebellibus adfert exitium. Neque tamen vobis satis est, quod per baptismi diluvium periere peccata, periere pravæ cupiditates pristinæ vitæ, nisi adsit conscientia, per omnem deinde vitam respondens beneficio divino. Mortuus est Christus,

sed semel duntaxat, resurrexit, nunquam moriturus, ac nobis per baptismum ita semel occiduntur scelera vitæ prioris per Christi mortem, ut post in illo redivivi innocentiæ, nunquam relabamur in peccata, quod quidem in nobis est. Id fiet, si veluti deposita mortalitate, totis animis ad cœlestem illam vitam adspiremus, cujus hæreditas manet obedientes Euangelio. Sic enim resurrexit Jesus Christus, ut deinde non sit moratus in terris, sed à mortalium consortio sese subduxerit in cœlum, atque illic fruens immortalitatis gloria, assidet Patri dexter, non quidem sine corpore, sed in quod jam nullum jus habet mors: quæ dum absorbere conatur innocentem, prorsus absorpta est, dumque sibi prædam opimam pollicetur, ipsa præda fuit.

a a Qui est in dextera Dei, deglutiens mortem ut vitæ æternæ heredes efficeremur: profectus in cælum, subjectis sibi angelis, & potestatibus, & virtutibus.

[a] Porro Christi victoria, nostra est victoria, & quod in illo præcessit gloriæ, nobis ostenditur, si modo perseveremus in eo quod cœpimus, & illius vestigiis inhæreamus. In illum nihil valuerunt improborum afflictiones: imo his tolerandis vicit, triumphat, ac regnat sublimis sedens in cœlis, superior Angelis omnibus, aut quicquid est alioqui virtutum ac potestatum. Vobis aperuit viam in cœlum, ut eadem via, qua ille ingressus est, vos quoque eodem grassemini. Parata certaque est hæreditas, cujus ille pro vobis quoque possessionem adiit, si modo vos ea præstetis dignos: hoc est, si innocentiæ, quam ille gratis donavit, junxeritis studium benemerendi de omnibus, etiam de malis & affligentibus vos, quod quidem sit in vobis.

CAP. IV.

Defunctus vitiis benefac: sis hospes: amorem Serva: pro Christo vis tolerata bene.

1 Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, desiit à peccatis:

[1] CVM igitur Christus princeps & caput vestrum non obsequutus sit hujus vitæ voluptatibus, sed per temporarias corporis afflictiones pervenerit ad cœlestem gloriam, cumque tolerantiæ armis devicerit adversarios, æquum est, ut qui profitemini vos illius discipulos, simili animi proposito vosipsos armetis. Tutissima est armatura, vitæ innocentia. Inexpugnabile munimentum est, patientia Christiana. Hac quisquis cinctus est, non potest à quoquam lædi.

2 Ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis.

[2] Quisquis Christo commortuus fuerit juxta carnem, sic destitit à peccatis vitæ prioris, ut humanis cupiditatibus plane sit mortuus, ut jam non titilletur aviditate gloriæ, non irritetur vindicandi libidine, sed quicquid est reliquum ætatis, quod datur in hac corpuscula, id totum vivat voluntati Dei, cui uni placere desiderat, à quo exspectat bonæ conscientiæ præmium, cui relinquit improborum vindictam. Quisquis ad martyrium paratus est, non tangitur hujus mundi voluptatibus. Sic enim apud se cogitat: Absit, ut semel cum Christo meo suffixus in crucem, descendam ad relicta vitia, semel destinatus æternæ felicitati, revolvar ad hujus mundi non minus breves, quam insanas delicias.

3 Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam, his qui ambulaverunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus.

[3] Abunde satis est, quod præteritum tempus adhuc alienus à Christo impenderim insanis cupiditatibus, quibus Gentes profanæ turpiter serviunt, addictæ deditæque lasciviis, concupiscentiis, vinolentiis, comessationibus, ac nefariis simulacrorum cultibus. Hæc gaudemus à tergo reliquisse Christi beneficio, & quoties respicimus, inhorrescimus tantam vitæ fœditatem, tantam ignorantiæ caliginem. Nunc pro libidine placet castitas, pro luxu frugalitas, pro vinolentia sobrietas, pro superstitioso simulacrorum cultu vera pietas religiosusque cultus Dei vivi, cui gratissimum sacrificium est animus ab omni vitiorum inquinamento purus & illibatus.

4 In quo admirantur non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem, blasphemantes.

[4] Quos adhuc habent suæ tenebræ, mirantur istam tantam in vobis animorum ac vitæ mutationem, & indignantur vestra frugalitate damnari luxum ipsorum, vestra integritate notari vitam ipsorum, omni intemperantiæ genere superfluentem. Amarent socios turpitudinis suæ, nunc ob vitæ dissimilitudinem obtrectant vobis, sed non est quod horum convitiis commoveamini, nec sunt vicissim convitiis insectandi. Vobis satis sit mens sibi bene conscia apud Deum. Si qua potestis illos ad meliora convertere, conandum est, sed ita, ut à vestra sinceritate non recedatis.

5 Qui reddent rationem ei, qui paratus est judicare vivos & mortuos.

[5] Si resipiscunt, gratulandum est: si obdurati convitiis etiam insectantur bene volentes, relinquite vindictam Deo, cujus judicium nullus mortalium potest effugere. Is enim suo tempore judicabit omnes, non vivos tantum, verum etiam mortuos: vivos, quos adventus Christi deprehenderit viventes in corpore: mortuos, qui ante Christi adventum, jam excesserint è vivis. Quanquam non vere vivit, nisi qui vivit pietati. Qui serviunt vitiis fœdisque cupiditatibus, Deo mortui sunt. Huic Judici reddituri sunt rationem isti vere mortui, si nolint à suis vitiis resipiscere. Ille pro vobis pœnam sumet de illis, vobisque vestræ tolerantiæ præmia persolvet æquissimus Judex.

6 Propter hoc enim & mortuis evangelizatum est: ut judicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum Deum in Spiritu.

[6] Cupit ille quidem omnes reviviscere ad pietatem Euangelicam, & hac gratia voluit Euangelii gratiam prædicari, non modo Judæis, juxta Mosi Legem religiosè viventibus, non solum Gentibus, juxta naturæ legem probe degentibus, verum etiam mortuis, omnique vitiorum genere prorsus sepultis. Et horum tenebris voluit ingeri lucem Euangelicam, hos voluit cum omni mansuetudine tolerantiaque doceri, ut & ipsi tandem expergiscentes, contemtis his in quibus nunc cæci collocant felicitatem suam, apud homines quidem habeantur veluti corpore mortui, quod nullis corporis affectibus tangantur, sed apud Deum vivant spiritu. Non enim vere vivit judice Deo, nisi qui sic mortuus est.

7 Omnium autem finis appropinquavit. Estote itaque prudentes, & vigilate in orationibus.

[7] Nihil autem hîc diuturnum, & omnium rerum brevi finis aderit. Et illos cito relinquent suæ voluptates, & vestræ afflictiones mox finientur. Deinde vos manet æterna felicitas, illos æternum supplicium. Proinde modis omnibus advigilandum, ne vos ille dies offendat dormitabundos, & oscitantes crapula, socordiaque. Quin magis perpetuo præparetis vosmetipsos adversus eum diem, sobrii ac vigilantes in assiduis precationibus. Veniet enim inexspectatus (sic Christo visum est) sed in his si deprehenderit, non poterit non venire felix.

8 Ante omnia autem, mutuam in vosmetipsis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum.

[8] Grata est Deo sobrietas, tutum est vigilare, libens audit Deus preces temperantia vigiliaque commendatas. Sed illud multò omnium gratissimum, ut jugi vehementique caritate vos invicem complectamini, mutuis officiis invicem sublevantes: ut qui vigilantior est, expergefaciat oscitantem: qui doctior, erudiat indoctiorem, qui attentior, admoneat cessantem, qui fervention, exstimulet frigentem: qui perfectior est, condonet per infirmitatem erranti. Nam hæc caritas ardens in proximum, operit multitudinem peccatorum, quibus obnoxii sumus Deo. Quod in illum delinquimus, optime diluitur collocandis in proximum beneficiis. Ut cuique facultas obtigit, ita hac studeat prodesse fratri.

9 Hospitales invicem sine murmuratione.

[9] Cui res est, hospitalem sese præbeat; ac largiatur iis, quibus opus est, non gravate, neque cum murmure, sed libens & alacer, existimans se beneficium accipere cum dat, & hujusmodi facultatum dispendium ingens esse compendium apud Deum, omnia cumulatissime remetientem.

10 Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.

[10] Quin & illud cogitato, quicquid juvando proximo impenditis, Dei beneficium esse, in hoc donatum, ut hac veluti sorte credita diteſcatis usura piorum operum. Aliis alias dotes distribuit Deus. Nemo sibi vindicet, quod habet, cogitet Dei munus esse, quod per vos distribui vult in alios, ut ex mutuis officiis magis ac magis adglutinetur inter vos mu-

mutua caritas, & singulis per occasionem crescat præmium pietatis. Nemo sibi displiceat, quod hac aut illa dote non sit præditus. Nemo sibi placeat, quod dotibus præcellat alios. Sic visum fuit diviti benignoque Deo, varie partiri sua munera. Nemo dominus est ejus, quod accepit: dispensator est tantum, Domini res est, quam dispensat. Id si bona fide, si alacriter, si sollicite facit, ne mercedem exspectet ab homine, quam sit recepturus à Deo.

11 Si cui contigit doctrina sacra, si cui donum eruditæ linguæ, non abutatur ad quæstum, ad fastum, aut inanem gloriam, sed ad proximi salutem, Christique gloriam. Sentiant auditores esse Dei sermones, non hominum, & eum qui loquitur nihil aliud esse, quam organum divinæ vocis. Si quis magis valet functione, quam doctrina, sic administret datem suam, ut non sibi vindicet auctoritatem, sed Deo transscribat, qui vim & robur suppeditat, ut efficaciter obeat, quod agit. Ita fiet, ut ex dotibus varie distributis, ex muniis varie obitis, undique glorificetur Deus, à quo ceu fonte nobis fluunt omnia, non per Mosen, sed per Jesum Christum, per quem, ut unicum Filium nobis largitur, quicquid largitur Pater. Huic igitur acceptum referet, qui officio fratris adjutus est, huic gratias aget, qui suo ministerio gaudet adjutum fratrem. Summa igitur omnis gloriæ undiquaque ad Deum Patrem redit ac Filium, cui jugis est gloria & imperium, nullo ævo finiendum, Amen.

12 Nobis non est hic quærenda gloria, tantum oportet officii nostri meminisse, quo placeamus Deo. De præmio viderit ille, cui fidimus. Ille persequentium malitiam vobis vertet in bonum, cruciatus mutabit in gaudium, ignominiam in gloriam. Proinde carissimi, ne interim ceu re nova perturbemini, si cœlestis regni consortes futuri, temporariis afflictionibus exploramini, velut aurum igni. Novum vobis videri non debet, quod olim præcessit in probatis Prophetis, quod nuper in Christo. Levius ferendum est, quod videtis cum omnibus Deo probatis viris vobis esse commune.

13 At quod hac in parte discipuli præceptorem, membra caput referris Jesum Christum, gaudere etiam ac vobis gratulari debetis, quod ut nunc vos habet dignos, quos velit esse socios afflictionum, ita post cum aperuerit omnibus majestatem suam, pudefactis & attonitis qui illum & illius odio vos afflixerunt, exsultabitis ineffabili gaudio, quod sentiri potest, verbis exprimi non potest.

14 Interim si probris vos afficiunt homines, non ob vestra flagitia, sed ob professionem Christi, quantumvis affligamini corpore, tamen hoc nomine estis beati, quod in mediis etiam cruciatibus, in mediis ignominiis gloriosus ille Spiritus Dei refocillatur in vobis ob animum innoxium, sibique bene conscium. Dulce est pati cum Christo, gloriosum est pati pro Christo. Nam quod in ipsis est, probro afficiunt Christum, sed vestra innocentia, vestra tolerantia facit, ut id cedat in illius gloriam.

15 Absit autem, ut quisquam vestrum affligatur ob homicidium, aut furtum, aut convitium, aut curiositatem eorum, quæ nihil ad vos pertinent. Non enim cruciatus martyrem facit, sed causa. Quisquis autem patitur non ob aliud, nisi quod Christianus dicitur, non est quod pudeat supplicii. Furem appellari turpe est; Christianum appellari glorioſum est.

16 Beati sunt quibus vel sic licet effugere supplicia gehennæ, quibus per momentarias afflictiones datur aditus ad æterna gaudia. Ad hæc non admittit Deus, nisi multa malorum tolerantia spectatum probatumque.

17 Olim exercebit formidabile judicium, ubi misericordiæ tempus fuerit exactum, ubi pro meritis sua cuique reddentur præmia. Interim mitius est judicium, cum temporariis cruciatibus ad purum examinati, reddimur idonei consortio Christi, qui nihil admittet nisi purgatissimum ac defecatissimum. Jam tempus est, ut hoc judicium exerceatur, quo magis sit evidens, qui vere fidant Deo, qui vere diligant Christum. Res prosperæ tranquillæque non arguunt veram pietatem. Mosaicas ceremonias servare potest & hypocrita: at jacturam rerum, probra, carceres, flagra, mortem nemo fert æquo animo, nisi qui fidem invictam cum Euangelica caritate conjunxerit. Ad hæc se parent, qui volunt olim regnare cum Christo. Judicium hoc incipiet à domo Dei, quæ est Ecclesia. Quod si tanta purgatione nobis opus est, qui credimus Euangelio, & vivimus innocenter, quis finis, quod judicium, quæ pœna manet illos, qui diffidentes Euangelio Dei, persistunt in suis flagitiis? Si sic examinantur, qui simpliciter obedientes Euangelio, relictis omnibus hujus mundi deliciis, tradiderunt sese studio pietatis, quid futurum est iis, quos Euangelii prædicatio reddidit etiam deteriores.

18 Et si qui juste vivunt, nullius mali sibi conscii, non sine periculo negotioque perveniunt ad portum æternæ salutis, qua spe comparebunt impii ac scelerosi in judicio tam exacto, tamque formidando.

19 Itaque tantum abest, ut illic sibi sperent ullam salutem, ut hi quoque, qui non ob malefacta, sed ob voluntatem Dei crucientur in hoc mundo, non debeant sibi fidere, sed pro viribus exercentes opera pietatis, hoc pacto deponant animas suas apud Deum conditorem, cujus bonitas non sinet perire quod condidit, si benefactis immoriantur, sique suis diffisi meritis, ab illius benignitate præmium exspectent.

Cap. V.

Este sacerdotes tales: parete minores:
Sobrietas vigilet: nam leo quærit oves.

1 Hoc agite fratres, & seorsum singuli, & in commune omnes, ut Christi vestigia sequentes, ad illius consortium perveniatis. Sed par est, ut qui præcellunt ætatis auctoritate, præcellant & studio pietatis. Ab horum exemplo, ab horum doctrina, ab horum auctoritate pendet reliquus grex, quibus haudquaquam satis est, si suam tueantur innocentiam, ni multitudinis etiam curam agant. Nam his auctoritatem addit canicies: prudentiam, rerum usus: fidem, integritas diu probata spectataque. Vos igitur appello seniores, populi custodes, senior & ipse, qui quod doceo, re factisque præstiti, quippe pro Christi nomine carceres & flagra perpessus, ad crucem etiam paratus ubi volet Deus, atque idem optimam spem habens fore, ut quem ille dignum habuerit, ut pro ipso perpeteretur, eundem sit ad gloriæ cœlestis consortium admissurus, simulatque venerit ille dies, quo declarabit orbi majestatem suam, & finitis certaminibus proferentur præmia.

2 Obsecro vos per Christo pro vobis toleratos cruciatus, per meas afflictiones, quibus Dominum meum pro virili sequor, præbete vos vere Pastores multitudinis, quæ cuique sorte obtigit, vigilate, obambulate, dispicite, curate, ne quid desit gregi, pro quo mortuus est Christus, ne consolatio sancta, ne doctrina salutaris, ne vitæ Euangelicæ exemplum. Episcopi vocamini, re præstate, quod appellamini. Pascite, curate, regite, custodite, ne quid pereat, ne quid aberret. Idque facite non gravate, veluti coacti metu, aut pudore, aut officii necessitate, sed promte, sed libenter, sed ex animo, nihil aliud spectantes, quam quid Deo sit gratum. Illius negotium agitis, ab illo recepturi mercedem æternam. In hac vita, ne quærite præmium. Turpe est, quæstus gratia curare populum Christia-

11 *Si quis loquitur, quasi sermones Dei: si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam administrat Deus: ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum: cui est gloria, & imperium in sæcula sæculorum: Amen.*

12 *Charissimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat:*

13 *Sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.*

14 *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est ejus Spiritus, super vos requiescit.*

15 *Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.*

16 *Si autem ut Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine.*

17 *Quoniam tempus est ut incipiat judicium à domo Dei. Si autem primum à nobis: quis finis eorum, qui non credunt Dei Euangelio?*

18 *Et si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt?*

19 *Itaque & hi, qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis.*

1 *Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro, consenior & testis Christi passionum: qui & ejus, quæ in futuro revelanda est, gloriæ communicator:*

2 *Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie:*

Digitized by Google

num, quod nemo cum laude facit, niſi qui ſponte & gratis facit. Excidit à præmio cœleſti, qui venatur hîc officii mercedem ab hominibus.

3 Neque ut dominantes in cleru, ſed forma facti gregis ex animo.

3 Huic proximum eſt, ſi quis lucri quidem contemtor eſt, ſed tamen ambit honorem ac dignitatem, gaudet imperare, gaudet coli, nec huic erit præmium apud Deum. Tulit hic mercedem ſuam, multum abeſt Epiſcopi munus à dominatu. Non eſt tyrannis, ſed adminiſtratio. Ideo præſidet Epiſcopus, non ut plus auferat lucri, non ut regnet, utque illi plus liceat, ſed ut plus proſit. Memineritis igitur ſeniores officii veſtri, ſic gerite vos in omnibus, ut veſtra vita populo ſit exemplar vitæ Euangelicæ. Diſcant ex veſtris moribus lucrum negligere, diſcant adſpernari faſtum, diſcant officiorum ſuorum à Chriſto ſperare mercedem, nec aliud interim ſpectare, niſi quia ſic eſt honeſtum, ſic Deo gratum. Interim vel gratis agite bonos Paſtores.

4 Et cum apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam.

4 Quanquam id quidem haud fiet gratis: imo cum die præfinito proferet ſeſe Princeps Paſtorum Jeſus Chriſtus, qui ſemet totum impendit ovibus ſuis, quarum cuſtodiam nobis concredidit, tunc pro vili mortalique præmiolo percipietis glorioſam officii veſtri coronam, quæ nunquam marceſcit. Nolite igitur vobis ſumere, quod oportet à Principe veſtro exſpectare, nolite diem antevertere, quem ille nobis incertum eſſe voluit.

5 Similiter adoleſcentes ſubditi eſtote ſenioribus. Omnes autem invicem humilitatem inſinuate, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

5 Quemadmodum autem ſeniorum partes ſunt, ut ſeſe patres præbeant junioribus, ita juniores viciſſim oportet ſe morigeros & obſequentes præbere ſenioribus: & quemadmodum ſeniores ſeſe ſubmittunt per Euangelicam caritatem omnibus, quo magis prodeſſe queant, ita juvenes non debent abuti modeſtia facilitateque ſeniorum, imo hoc promtius convenit illis obſequi, quo minus abutuntur auctoritate ſua. Ubi vera caritas eſt, ibi nec auctoritas habet faſtidium, nec juventus ferociam. Qui dignitate præminet, hoc tantum agit, ut aliis ſit uſui: qui ſubditus eſt, ultro plus præſtat, quam ille exigit. Sit igitur omnibus penitus infixa animi modeſtia, ea faciet, ut neque gravis ſenioribus ſua ſollicitudo, neque juvenibus moleſta ſit illorum auctoritas. Odit Deus in hominibus animi ferocitatem, delectatur animis ſubmiſſis ac dejicientibus ſeſe, his libenter impartit ſuas dotes, qui ſibi nihil tribuunt: elatos repellit & averſatur, ut indignos ſuo beneficio. Qui ſeſe demittunt, hos evehit: qui ſemet efferunt, hos dejicit: qui ſuis fidunt viribus, hos non dignatur ope ſua: qui ſuis præſidiis diffiſi toti pendent ab illius nutu, hos fovet ac tuetur.

6 Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore viſitationis:

7 Omnem ſollicitudinem veſtram projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis.

6 Submittite igitur voſmetipſos, non ob metum hominum, ſed freti potenti manu Dei. Non eſt periculum, ne conculcemini perpetuo, ille vos evehet in altum, & attollet cum venerit dies ille præmiorum.

8 Sobrii eſtote, & vigilate: quia adverſarius veſter diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret:

7 Ne circumſpicite, ne diffidite, nolite metuere, ne malorum undis indefenſi neglectique involvamini, quoniam ille, qui nihil non poteſt, nihil non videt, curæ vos habet, nec patietur quicquam veſtri perire.

8 Solet ætas juvenilis eſſe propenſa ad voluptates, ad luxum, ad laſciviam. Vos autem eſtote ſobrii, vigilate animis, ſemper attenti, ſemper circumſpecti. Non enim dormit ille veſtræ ſalutis adverſarius ſitiens hominum exitium, ſed obambulat veluti leo famelicus ac rugiens, undique captans quem devoret: nullum non aditum tentans in vos, nunc inſidians per voluptates, nunc oppugnans perſecutionibus.

9 Cui reſiſtite fortes in fide: ſcientes eamdem paſſionem ei, quæ in mundo eſt, veſtræ fraternitati fieri.

9 Ne date locum illi, ſed infractis animis obſiſtite. Dicetis: unde vires adverſus tam potentem? Potentior eſt, qui curam habet veſtri. Illi modo fidite totis animis, nihil poterit adverſarius. Erga diffidentes robur habet, erga fidentes imbellis eſt. Si hunc aut illum impeteret, fortaſſis eſſet jure gravis afflictio, nunc univerſum piorum gregem pari impugnat odio. Chriſtum in vobis perſequitur, invidet ſaluti omnium, quo levius erit ferenda communis omnium afflictio, & concordibus animis ſtandum adverſus hoſtem communem. Iſta brevi finem habitura ſunt.

10 Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam ſuam gloriam in Chriſto Jeſu, modicum paſſos ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque.

10 Nec interim vos deſtituet Deus, unde proficiſcitur omnis beneficentia: imo quod cœpit in vobis, perficiet. Dedit iſtos animos, ut ob amorem ipſius non dubitetis adire cruciatus, per quos vocavit vos ad æternam gloriam ſuam. Non ſinet vos excidere à palma: ſi fortiter certetis, aderit certantibus, voſque fulciet, roborabit ac ſtabiliet, ut ad breve tempus afflicti, perveniatis ad coronam immortalitatis. Illius præſidio vincimus, illius munificentia capiemus præmium.

11 Ipſi gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

11 Non eſt, quod nobis arrogemus laudem. Soli Deo debetur omnis gloria, non ſolum in hoc mundo, verum etiam in omnia ſecula, Amen.

12 Per Silvanum fidelem fratrem vobis, ut arbitror, breviter ſcripſi: obſecrans & conteſtans, hanc eſſe veram gratiam Dei, in qua ſtatis.

12 In præſentia non agam vobiſcum pluribus: nam hac ipſa de re vobis, opinor, nuper ſcripſi, licet paucis, per Sylvanum fratrem fidelem, qui non dubito quin Epiſtolam bona fide reddiderit. In ea vos obſecrabam & obteſtabar, ut in eo, quod cœpiſtis, perſeveretis, ne qua res dimoveat animum veſtrum. Veriſſimam ad ſalutem viam eſtis ingreſſi. Huc uſque progreſſi eſtis Dei beneficio. Perſiſtite fortiter ejuſdem præſidio, donec pertingatis ad palmam vitæ immortalis.

13 Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone coelecta, & Marcus filius meus.

13 Salvere vos jubet congregatio Chriſtianorum, quam una vobiſcum Deus ſibi delegit Babylone, quæ in medio impiorum idololatrarum Euangelicam ſequitur pietatem, in medio corruptiſſime viventium amplectitur vitæ puritatem. Soli non eſtis, ubique habet Deus ſuos electos: pauculos quidem illos, ſed exquiſita ſeminaria olim latius propagandæ Eccleſiæ. Salutat vos Marcus, qui mihi filii eſt vice.

14 Salutate invicem in oſculo ſancto. Gratia vobis omnibus, qui eſtis in Chriſto Jeſu. Amen.

14 Salutate vos invicem oſculo non vulgari, quod ex more datur, non ex animo, ſed ſancto, puro, vereque Chriſtiano, quod ab animo non diſſideat, quod caſte, ſincereque amantis ſit non mendax ſymbolum. Atque ut Epiſtolam indidem finiam unde ſum exorſus, gratia & pax vobis omnibus ſemper adſit, qui inſiti corpori Jeſu Chriſti, illius Spiritu vivitis, ut illa Deo vos copulet, hæc vos mutua conglutinet concordia: quod faxit Deus Optimus Maximus.

PARAPHRASEOS IN I. EPISTOLAM D. PETRI

FINIS.

VERSVS MEMORIALES
IN I. EPISTOLAM D. PETRI.

AVDI *quid credas*: *Bonum opus fac*: *Chriſtus ad ima*:
Deſiſte à vitiis; *Ethica Presbyteri.*

IN

Digitized by Google

IN EPISTOLAM D. PETRI POSTERIOREM

ARGVMENTVM,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

HANC, *ut apparet, scripsit admodum senex, & jam morti vicinus, quandoquidem de obitu suo meminit. Scribit autem promiscue* Christianis *omnibus, adhortans ad vitæ puritatem, & veterum exemplis ac terrore judicii extremi deterrens à turpibus, vehementer insectans eos, qui simplicium animos perversa doctrina corrumperent, negantes adventurum* Christum.

ARGUMENTI FINIS.

IN EPISTOL. D. PETRI POSTERIOREM

PARAPHRASIS,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

CAP. I.

Admonet ista Petrus morti vicinus amicos:
Quam sit firma fides, Scriptaque voxque probant.

1 SIMON *Petrus, servus & Apostolus Iesu Christi, iis qui cognatem nobiscum sortiti sunt fidem in justitia Dei nostri, & Salvatoris Iesu Christi.*

SIMON Petrus, quondam Mosaicæ Legis cultor, nunc servus ac Legatus Jesu Christi, cujus Euangelium, veluti lux discutit ac dispellit omnes umbras Veteris Testamenti, absque delectu, seu gentis, seu religionis, seu sexus, seu status, aut conditionis omnibus scribo. Omnes enim nobis cognatos ac conjunctissimos ducimus, quicunque nobis æquari meruerunt in Euangelicæ fidei professione, per quam nobis contigit vera justitia, non per circumcisionem, aut Legis hostias, sed per bonitatem Dei nostri, perque mortem Servatoris nostri Jesu Christi, qui gratis condonavit nobis vetera peccata, ut posthac sequamur justitiam Euangelicam, quæ sita est non in ceremoniis, sed in vera animi pietate, & habet quiddam longe perfectius justitia Judaica, quæ veræ justitiæ umbra duntaxat est.

2 *Gratia vobis & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Christi Iesu Domini nostri:*

2 Precor autem, ut quemadmodum hactenus abunde profecistis in Euangelica gratia, semper aliquid addentes pietatis incrementis, & in dies arctius adstringentes fraternam inter vos concordiam: ita consummare dignetur divina benignitas in vobis sua munera: quæ bona hoc magis nobis accrescunt, quo magis promovetis in agnitionem Dei Patris, & hujus Filii Domini nostri Jesu Christi, quos vere agnoscere vita est æterna.

3 *Quomodo omnia nobis divina virtutis suæ, quæ ad vitam & pietatem donata sunt, per cognitionem ejus, qui vocavit nos propria gloria & virtute,*

3 Est enim caput salutis, auctorem salutis agnoscere, ne quid hinc arrogemus meritis ac viribus nostris, aut præscriptis Mosaicæ Legis, cum quicquid ad veram vitam, quicquid ad veram pietatem pertinet, illius divina virtus nobis largita sit absque præsidio circumcisionis, tantum per fidem, qua agnoscimus Deum Patrem, à quo proficiscuntur omnia, & Jesum Christum, per quem unum nobis donantur omnia. Non hæc præstantur meritis nostris, sed illius gratuita munificentia, quæ ultro vocavit nos ad beneficium salutis: & ingloriis ac virtute vacuis impartivit suam & gloriam & virtutem: ut qui nostris vitiis addicti, veluti sordida fœdaque mancipia serviebamus idolis, insiti Christo, redderemur & puri & glorioſi, sublatis sceleribus quibus fœdabamur. Nostram ignominiam in se transtulit, ut ultro in suæ gloriæ consortium cooptaret: nostra commissa in se recepit, ut nos illius innocentia gauderemus.

4 *Per quem maxima & pretiosa nobis promissa donavit: ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ: fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentia corruptionem.*

4 Jam hæc ipsa maxima sunt, at longe majora magnificentioraque sunt, quæ nobis promittuntur in posterum, non per Mosi Legem, ut sæpe jam diximus, sed per agnitionem Jesu Christi. Quid autem promittitur? Nimirum ut etiamsi ad genus Judaicum non pertinetis, tamen efficiamini pariter consortes divinæ naturæ, allecti in numerum filiorum Dei, possessuri hæreditatem immortalis vitæ, si modo hic interim incorrupta vita quandam immortalitatem meditemini, ac refugeritis ab omni corruptione vitiorum & cupiditatum, quibus infectus animus ad mortem tendit æternam.

5 *Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam,*

5 Innocentiam semel gratis largitus est Deus, eam non satis est tueri, sed omni studio admitentes satagite, ut benefactis locupletemini, ne fides sit otiosa, sed hanc comitetur probitas, ne quid agatur dicaturve, nisi quod honestum est. Probitatem excipiat scientia, ut non solum sequamini quæ recta sunt, verum etiam perspiciatis, quid, quo loco, apud quos, quatenus, & qua ratione sit agendum.

6 *In scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem,*

6 Scientiam comitetur temperantia, ut animus invictus adversus omnes illecebras mundi, sine deflexu constanter sequatur id, quod optimum esse judicavit. Temperantiæ jungatur patientia, ut dum benefacitis, mala fortiter toleretis. Nam quos blandimenta mundi non emolliunt, hos aliquoties frangit impatientia malorum. Patientiæ adsit pietas, ut quicquid agitis, aut patimini, ad Dei gloriam referatis.

7 *In pietate autem amorem fraternitatis in amore autem fraternitatis charitatem.*

7 Pietatem comitetur fraterna caritas, ut quemadmodum Deum amatis propter ipsum, ita illius gratia diligatis omnes, qui Deum profitentur. Fraternam caritatem augeat cumuletque dilectio, quæ benemereri studeat de omnibus, non solum de piis & Christianis, verum etiam de impiis.

8 *Hæc enim si vobiscum adsint, & superent; non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Iesu Christi cognitione.*

8 Hi sunt fructus Euangelicæ fidei, qui si vobis adsint, atque etiam exuberent, efficient, ut quod per fidem agnovistis Dominum nostrum Jesum Christum, non fuerit vobis inutile atque infrugiferum, etiamsi sitis à circumcisione alieni.

9 *Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, & manu tenta-*

9 Siquidem in his sita est summa Christianæ pietatis, quæ si cui defuerint, is frustra Christum professus est, cum ab Euangelica luce relabatur in veteres tenebras: nec aliter, quam cæcus manu viam tentans, per ambages cupiditatum mundanarum circum-

tans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum.

cumagitur, neque cernit viam, qua perveniatur ad Christi consortium, ingratus etiam Christi beneficio, à quo cum sit semel gratis purgatus à pristinis commissis, tamen velut oblitus hujus tantæ clementiæ, rursus in eadem relabitur.

10 Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.

10 Quapropter fratres, ne vos securos & oscitantes reddat, quod divina bonitas, vos nihil promeritos vocavit ad professionem Euangelicam, semel condonatis prioris vitæ peccatis omnibus: imo tanto magis adnitamini, ne Dei bonitas, qua vocavit vos, qua delegit, vobis vertatur in perniciem & cumulum damnationis, si benignitatis illius immemores, eo revolvamini, unde vos sua morte redemit. Quin potius ambite benefactis, ne Deus vos videatur frustra vocasse ac delegisse. Hujus rei nonnulla pars in vobis quoque sita est. Etenim si cogitaveritis unde vos vocarit Deus, ad quæ vocarit, quæ præmia proposuerit, & si ad hæc iis rationibus contenderitis, quas paulo ante commonstravi, nusquam à recto pietatis cursu prolabemini.

11 Sic enim abunde ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri, & Salvatoris Iesu Christi.

11 Siquidem hac contendentibus aderit abunde divinum auxilium, suppeditabitque vobis opem suam, ut tandem victores hujus mundi perveniatis in æternum regnum Domini & Servatoris nostri Jesu Christi, potituri cum illo bonis cœlestibus, cujus amore terrena contemsistis. Amplissimum est præmium, sed summo conatu ambiendum.

12 Propter quod incipiam vos semper commonere de his; & quidem scientes & confirmatos vos in præsenti veritate.

12 Quapropter non cessabo vos unquam hisce de rebus commonefacere, tametsi non arbitror esse necesse, cum & faciatis & memineritis, quid vobis sit agendum: jamque longo progressu pietatis confirmati etiam sitis, jam diu cognita veritate, quam hucusque constanter sequimini semel amplexi:

13 Justum autem arbitror quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione:

13 Sed tamen quo magis ac magis vigiletis in eo, quod cœpistis, partes meas arbitror, ut memor præcepti Domini mei, qui juffit, ut ipse conversus, confirmarem fratres meos, quamdiu vobiscum versor hospes super terram in hujus corpusculi tabernaculo, expergefaciam atque exstimulem studium pietatis in vobis,

14 Certus quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod & Dominus noster Iesus Christus significavit mihi.

14 Atque eo sane magis, quod sciam brevi futurum, ut exsutus hujus corpusculi domicilio, terræ exsilium, cœli municipio commutem. Nam id mihi significavit Dominus noster Jesus Christus, cui hactenus milito in hoc tabernaculo.

15 Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.

15 Nunc igitur dabo operam, ut hæc interim sic infigantur animis vestris crebra admonitione, ut possitis & post obitum meum meminisse, cum non licebit vos admonere voce. Cum enim certissimum sit quod à nobis accepistis, non oportet ab eo deflectere.

16 Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem & præsentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis.

16 Neque enim doctrina nostra talis fuit, qualis Philosophorum, qui fabulis arte compositis, & humanis argutiis persuadere conantur, quod ipsi non intelligunt, inter se quoque dissentientes. Nos haudquaquam ista sequuti patefecimus vobis potentiam & adventum Domini nostri Jesu Christi, & illius majestatem, quam his oculis conspeximus, vobis prædicamus.

17 Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum hujusce modi à magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.

17 Dignatus est enim suis aliquot ante mortem suam specimen aliquod exhibere, quanta cum potentia, quantaque cum gloria sit olim venturus, judex vivorum ac mortuorum, & quam admirabilem felicitatem sit largiturus iis, qui illum constanter diligunt. Cum enim Deus Pater illum totum gloria ac decore convestisset, adeo ut vultus illius Solis instar luceret, ac vestimenta nivis candorem superarent in tantum, ut humanus obtutus non ferret cœleste spectaculum, accessit & paternæ vocis multo honorificentissimum testimonium, quæ ad hunc delata est è sublimi à magnifica majestate Patris. Erat autem hujusmodi: *Hic est Filius meus dilectus, qui complacuit animo meo, ipsum audite.* Nullum poterat edi testimonium, neque plenius, neque magnificentius. Atque id proditum est, non à Propheta quopiam, sed ab ipsa Patris majestate.

18 Et hanc vocem nos audivimus de cælo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto.

18 Hæc oculis nostris adspeximus, hæc auribus hausimus, cum præsentes essemus illi in monte sancto Thabor. Si maximum pondus apud vos habent Prophetarum oracula, qui per ænigmatum involucra vaticinabantur de Christo, gravius esse debet ipsius Patris de Filio tam evidens præconium.

19 Et habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes, quasi lucerna lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris:

19 Prophetæ cum Patris voce consentiunt, si modo quis recte interpretetur. Hi suis promissis veluti præparant animos ad veritatem Euangelicam, dum adumbrant, ac veluti delineant, quod palam exhibet Euangelica prædicatio. Proinde non improbo, quod Judæi vehementer intenti vaticiniis Prophetarum scrutantur illic adventum Messiæ. Est enim nonnullus gradus ad fidem Euangelicam, credere Christum venturum. Nam citius credet venisse, cui jam certo persuasum fuerit venturum esse. Bona spes est igitur de eo, qui nondum illustratus Euangelica luce, Prophetis attendit, ceu lucernæ apparenti in obscuro loco. Præstat enim habere qualecunque lumen, quam nullum, donec adventante Sole, dies illucescat, qui dispellat omnem caliginem, & obscuret etiam ipsam lucernam, jamque exoriatur in cordibus vestris Lucifer ille prædicationis Euangelicæ, qui Solem ipsum adesse nuntiat.

20 Hoc primum intelligentes, quod omnis propheția Scripturæ propria interpretatione non fit.

20 Prophetarum vaticinia, ita demum erunt usui, si qui legunt, meminerint Scripturam Propheticam figurarum involucris obscuram esse, nec intelligi posse absque interpretatione.

21 Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.

21 Ea interpretatio non est cujuslibet, nec arbitraria cuivis. Siquidem Prophetæ, qui vaticinia prodiderunt, non è suo sensu, animique arbitrio prodiderunt, sed cum essent homines sancti purique ab omnibus humanis cupiditatibus, Spiritus Sanctus afflavit illorum animos, ac velut organis abusus, per illos nobis suam mentem utcunque significavit. Quod homines humano sensu proferunt, id potest humano ingenio percipi: cæterum quod afflatu divini Spiritus proditum est, id requirit interpretem, simili afflatum Spiritu. Qui quod de Christo dictum est, ad mundanum aliquem Regem accommodant: quod de cœlesti vita, ad hujus mundi felicitatem trahunt: quod de bonis animi dictum est, interpretantur de commodis hujus seculi, multum aberrant à mystico sensu Prophetiæ. Nec his facile persuadetur venisse Christum, cum ex falsa Prophetiæ interpretatione terrenum quendam Messiam sibi finxerint, qualem ille non præstitit. Et ideo non agnoscunt illum, non quia dissideat ab imagine spirituali Prophetiæ, sed quod discrepet ab idolo falsæ interpretationis.

CAP. II.

Blasphemos terret, memorans Loth, Noa; Gomorrham:
Illos qui redeunt, susque canisque notant.

1 Fuerunt vero & pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem.

1 QUISQUIS ex sui animi affectu vaticinatur, falso nomine Propheta dicitur. Quisquis Prophetæ vaticinium ad suas cupiditates interpretatur, falsus est interpres. Fuerunt & olim apud Judæos Pseudoprophetæ, qui vel ad Principis gratiam, vel ad quæstum, vel in odium aliorum vaticinabantur, non quod dictabat Spiritus Dei, sed quod ipsi sibi confinxerant. Hi se pro veris Prophetis gerentes, decipiebant stultos, ac veris Prophetis obstrepebant suis mendaciis. Sic & post obitum meum exorientur, qui se falso nomine jactabunt esse Doctores Euangelicos, cum futuri sint magistri falsitatis. Hi deflectentes ab Euangelica doctrina, inducent hominum commenta, pro salutari veritate ingerent sectas pernicioſas, ad suum quæstum, ad suam gloriam ac tyrannidem spectantes potius, quam ad negotium Christi: atque eo vesaniæ progredientur, ut ingrati Dominum suum Jesum, cujus sanguine redemti sunt,

sunt, cui semel dedere nomen, non vereantur abnegare, sceleratiores etiam Ethnicis, qui Christum nunquam professi sunt. Quibus factis irritabunt in se divinam ultionem, & non solum nihil eis proderit semel fuisse Christum professos, verum etiam accersent sibi celerem interitum à vindice Deo.

2 Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur.

2 At parum erat, si soli perirent, qui jam perditi sunt, multos etiam secum pertrahent in exitium. Inveniet enim falsa doctrina suos discipulos, his freti audebunt obtrectare Euangelicæ veritati, quam à nobis accepistis, neque sincere tractabunt sermonem Euangelicum, quem vident ad suas cupiditates nihil conducere:

3 Et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur: quibus judicium jam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat.

3 Sed intenti privatis lucris suis, fictis sermonibus imponent simplicitati vestræ, non hoc agentes, ut vos lucrifaciant Christo, sed ut ex vobis sibi quam plurimum auferant lucri. Vident enim Euangelicam doctrinam parum esse plausibilem iis, qui capiuntur hujus mundi deliciis, vident non esse rem delicatam, id quod nos facimus, per omnes mortes constanter adversus impios tueri sinceritatem Euangelicæ doctrinæ. Proinde vitiabunt illi veram Christi doctrinam: proque hac docebunt, quæ sunt crassis auditoribus blanda magis, quam salutifera: quæque ipsis rem & gloriam concilient apud mundum, non apud Deum. Mallent enim ob temporariam gloriam ac voluptatem, æternum exitium & sibi parare & aliis, quam per momentarias afflictiones corporis ad immortalem felicitatem eluctari. Cavete ne hos duces sequamini, nisi recta velitis abire in exitium. Neque vos fallat quod hîc fastu præminent, quod dictescunt, quod suaviter vivunt. Haud diu fruentur hac usura falsæ felicitatis. Ut enim piis brevi contingent præmia sua, jam olim apud Deum decreta: ita his sua decreta pœna prorsus accelerat, neque dormitat illorum pernicies, subito securos & oscitantes oppressura. Hominum judiciis poterunt imponere, Deum fallere non poterunt. Ut illis ignoscant homines, apud quos valent auctoritate, Deus non ignoscet, qui nullius magnitudinem veretur.

4 Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari.

4 Cur enim his nunc parcat, qui olim nec ipsis pepercit Angelis, qui peccarant, sed è cœlo præcipitatos, vinctos æternæ noctis catenis, in tartari carcerem detrusit: servatos in hoc, ut extremo judicio damnati, dedantur æternis suppliciis? An in hominibus feret impune superbiam, qui non tulit in Angelis?

5 Et originali mundo non pepercit, sed octavum Noe justitiæ præconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens.

5 An his erit impune quod faciunt post Euangelicam lucem patefactam, post tot beneficia gratis collata: qui nec rudi ac prisco mundo pepercit, sed offensus hominum vitiis, orbi sceleribus inquinato diluvium induxit, deletis omnibus, excepto Noe, quem octavum ex tam immensa mortalium multitudine voluit esse incolumem, quod cæteris contemta Dei lenitate, solus exstructa arca testaretur sese metuere vindictam omnipotentis.

6 Et civitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens, eversione damnavit: exemplum eorum, qui impie acturi sunt, ponens:

6 An hos non puniet, qui tot civitates, ac tam florentem regionem Sodomorum & Gomorrheorum sulphurea pluvia redegit in cineres, atque ita funditus evertit, ut nihil supersit præter horrendum ac pestilentem Lacum, qui testetur, quæ pœna maneat illos, qui similibus flagitiis in se provocarint iram Dei?

7 Et justum Lot oppressum à nefandorum injuria ac luxuriosa conversatione eripuit:

7 Atque ut illis sua impietas fuit exitio, ita Loth sua innocentia saluti fuit, cui cum homines nefarii vim pararent, & abominandis libidinibus suis castum ac justum virum opprimerent, Deus illum eripuit è commercio sceleratorum, inter quos erat illi gravissimum vivere.

8 Aspectu enim, & auditu justus erat: habitans apud eos, quotidie in diem animam justam iniquis operibus cruciabant.

8 Cum enim esset ipse & oculis & auribus purus castusque, grave supplicium erat animo pio audire quotidie, videre quotidie, quæ toto pectore detestabatur.

9 Novit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos:

9 Ex his satis declaratum est, nunquam committere Deum, ut cuiquam sua innocentia sit frustra, aut ut cuiquam sua impietas sit impunita: etiamsi ad tempus leniter fert aliquos, ut aliquando resipiscant: etiamsi patitur suos ad tempus aliquando tentari, tamen cum tempus adest, novit ab afflictionibus eripere pios: contra novit impios reservare puniendos æternis suppliciis in diem extremi judicii.

10 Magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere blasphemantes:

10 Nullum genus injustitiæ sinetur impunitum. Sed præcipue pœnas daturi sunt, qui ceu diffisi promissis Euangelicis, hîc sequuntur, quicquid corpori collubitum sit, servientes fœdis libidinibus, quibus undique conspurcant omnem vitam. Quoque sceleratiores sint, turpitudinem violentia conduplicant, contemnunt auctoritate publica præditos, audaces, præfracti, qui dignitate præminentes non verentur convitiis incessere.

11 Ubi angeli fortitudine & virtute cum sint majores, non portant adversum se execrabile judicium.

11 Et hæc audent homunculi, cum Angeli longe præstantes viribus ac robore, licet alias impii, non tamen eo sint audaciæ progressi, ut sustinuerint Deo maledicere: & qui in cæteris neglexerunt Dei voluntatem, in hoc tamen veriti sunt illum offendere, deferentes auctoritati divinæ.

12 Hi vero velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem & in perniciem in bus quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua peribunt,

12, 13 At isti Spiritibus impiis sceleratiores, ceu bruta pecora, nata in hoc ipsum ut capiantur ac perdantur, cum non vereantur præfectis suis obtrectare ac maledicere, ignorantes interim illud ipsum, cujus gratia de illis maledicunt, quemadmodum corruptis suis moribus accersunt sibi perniciem, ita pecudum ritu peribunt, percipientes impiæ vitæ dignam mercedem: qui quidem existimant suavem ac magnificam esse vitam, si prorsus exsuto omni pudore, luci quoque, luxui, fœdisque voluptatibus indulgeant. Nam nonnullis adhuc pudor habet illos qui hæc noctu faciunt. Quis istos credat homines? Labes sunt verius & maculæ, qui in fœdis illis suis comessationibus, in quibus miserabili errore ponunt summam felicitatis, vobis insultant, velut insanis, qui præsentis vitæ commodis non fruamini.

13 Percipientes mercedem injustitiæ, voluptatem existimantes diei delicias: coinquinationes, & maculæ deliciis affluentes, in convivis suis luxuriantes vobiscum,

14 Atque interim luxus invitat libidinem, cumque vino madent, oculos habent libidinantes, neque quicquam aliud cogitantes, quam adulterium, aut alia flagitiorum genera. Neque enim semel excussa ratione, semel inflammati vino, norunt à peccando cessare, sed à flagitio properatur in flagitium, adeo, ut non sat habeant, si ipsi perdite vivant, ni & aliorum animos nondum virtute confirmatos, ad suam turpitudinem pelliceant atque inescent. Jam fortasse tolerabilius sit, si tantum luxu libidineque peccarent. Nullum vitii genus abest.

14 Oculos habentes plenos adulterii, & incessabilu delicti. Pellicientes animas instabiles, cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis filii:

15 Ut turpiter prodigunt quod habent, ita turpiter parant quod profundant, habentes animum & ingenium ad avaritiam, ad fraudem, ad rapinam exercitatum, quæstus gratia nihil non facientes, ob lucrum male precantes piis ac bonis, & pecunia corrupti deflectunt à via recta, & in hoc referentes patrem suum Balaam filium Bosor, qui cum sciret optima, tamen iniqua mercede corruptus, maledicere studuit iis, quibus propitius erat Deus:

15 Derelinquentes rectam viam erraverunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit:

16 Eoque cæcitatis illum perduxit avaritia, ut ab Asina corriperetur, & cum homo vesanus mentem exsuisset humanam, brutum animal humana voce loquens, coercuit Prophetæ dementiam, plus cernens corporeis oculis, quam ille cernebat oculis animi, videlicet exoculatus pecuniæ cupiditate.

16 Correptionem vero habuit sua vesaniæ subjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam.

17 Hi sunt qui miram quandam ac novam doctrinam pollicentur, cum nihil adferant dignum Euangelica professione, similes fontibus aqua carentibus, ad quos si sitiens accurras, præter sordes ac lutum nihil reperias, similes nebulis, quæ huc & illuc impelluntur procella ventorum, ac spem faciunt pluviæ terræ sitienti, cum interim ne gutta quidem ab illis destillet doctrinæ salutiferæ. Promittunt Euangelicæ doctrinæ lucem, & involvunt tenebris errorem, quos æternæ manent tenebræ apud inferos.

17 Hi sunt fontes sine aqua, & nebula turbinibus quibus caligo tenebrarum reservatur.

Digitized by Google

18 *Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur:*

19 *Libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis: à quo enim quis superatus est, hujus & servus est.*

20 *Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus.*

21 *Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem, retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.*

22 *Contigit enim eis illud veri proverbii: Canis reversus ad suum vomitum; & Sus lota in volutabro luti.*

1 *Hunc ecce vobis, charissimi, secundam scribo epistolam, in quibus vestram excito in commonitione sinceram mentem:*

2 *Ut memores sitis eorum, quæ prædixi, verborum à sanctis Prophetis, & Apostolorum vestrorum, præceptorum Domini & Salvatoris.*

3 *Hoc primum scientes, quod venient in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes,* 4 *Dicentes: Ubi est promissio, aut adventus ejus? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ.*

18, 19 Cum enim verbis mendacibus magnifica quædam professi sint, atque hac spe pellexerint & inescarint eos, qui cœperunt ad meliorem frugem resipiscere, deceptos involvunt carnis cupiditatibus, & hujus vitæ voluptatibus, pollicentes se liberaturos alios ab errore, cum ipsi versentur in summis erroribus, promittentes aliis libertatem à vitiis, cum ipsi servi sint turpitudinis. Etenim à quo quisque superatus est, cujus arbitrio vivit, huic jure servus dicitur.

20 Neque enim illis prodest semel gratis ereptos fuisse à vitiorum servitute, si suapte sponte eodem relabuntur: imo hoc fœdior est servitus, hoc miserior, quia post gustatam libertatem ultro accersita. Quod commissum est ante prædicatum Euangelium, magna ex parte datur errori, datur ignorantiæ. At qui semel agnito per Euangelii prædicationem Domino & Servatore nostro Jesu Christo, per baptismum aufugerunt ab inquinamentis hujus mundi, ac vitam puram cœlestemque professi sunt, si rursus superati cupiditatibus, involvantur pristinis sordibus, iis non solum nihil opitulatur baptismus, verum etiam pejore in statu sunt quam fuerint antequam Christum agnoscerent. Levius enim peccat, cujus peccatum sublevat ignorantia. Gravius damnabuntur, qui crimen impietatis ingratitudinis vitio cumularunt.

21 Itaque præstiterat illis omnino non novisse doctrinam Euangelicam, quæ docet innocentiam ac puritatem, quam post cognitam & acceptam desciscere à sancto præcepto, quod illis semel traditum fuit.

22 Quid enim aliud istis accidit, quam quod vere solet proverbio dici? Canis resorbens id quod semel evomuit, & Sus lota revertens ad volutationem in cœno. Frustra canis repurgavit vomitu stomachum, si repetit quod ejecit. Frustra sus limpidis aquis abluit cœni fœtorem, si mox à lavacro redit ad sordes relictas.

CAP. III.

Christe, licet tarde, venies: elementa liquescent: Exspectate diem, Paulus ut ille jubet.

1 PLURIBUS verbis hæc inculco carissimi, atque adeo jam alteris hisce litteris eadem de re vos commonefacio, non quod dubitem de sinceritate mentis vestræ, sed ut quod scitis ac tenetis, magis ac magis memineritis, & quod facitis faciatis alacrius constantiusque.

2 Minus erit periculi ab illorum scelerata doctrina, si memores fueritis hoc prædictum olim à sanctis Prophetis, qui monuerunt hoc hominum genus esse cavendum. Sique memineritis, idem esse præceptum à nobis, qui sumus Apostoli Domini & Servatoris Jesu Christi, qui vetuit, ne quis hujusmodi, qui pro veritate Euangelica pernicioſam adferunt doctrinam, aures præbeat.

3 Illud igitur in primis scitote, venturos olim non prædicatores, sed illusores instructos præstigiis & impostoris, quibus fallant incautos, qui non sequentur ea, quæ nos docuit Christus, sed ut vivent pro cupiditatibus animi sui, ita etiam pro libidine sua docebunt, quæ tali vitæ congruent.

4 Quoniam illis turpiter viventibus, non erit optabilis adventus Domini, idcirco persuadebunt tum sibi, tum aliis, nunquam rursus adventurum, dicentes: Ubi est promissa resurrectio? ubi judicium? ubi præmia diversa pro vitæ meritis? ubi adventus ejus in dies singulos frustra exspectatus? existimabunt enim nunquam futurum, quod aliquandiu differtur. Quod, inquiunt, vestigium resurrectionis? Mortem obierunt alii post alios patres nostri, neque quisquam adhuc revixit. Et quemadmodum ab orbe condito, A morientium ac nascentium vicibus propagantur omnia, ita hucusque manet idem cursus naturæ, cum ex mutatione mundi, quæ præcessit, colligere liceat novationem futuram.

5 Et ut illa accidit non exspectantibus iis, qui pro sua libidine vivebant, ita hæc eveniet, sive credimus, sive non credimus. Nam illud latet istos, aut (quod magis reor) scire se dissimulant, quod olim conditi sunt cœli, simulque terra, quam aliqua ex parte nudabant aquæ, quibus prius operiebatur, magna item aquarum vi in sublimi pendente.

6 Cumque genus humanum passim esset inquinatum vitiis, Deus offensus, immisso diluvio perdit illius temporis mundum, servatis octo duntaxat, qui coluerant innocentiam. Hoc universale judicium Deus tum exercuit, per aquam purgans terram & innovans.

7 Porro cœli sicut conditi sunt hactenus perseverant, qui reservantur incendio, per quod & ipsi purgabuntur in die judicii, cum per ignem perdentur impii, quemadmodum olim per aquam perierunt.

8 Cum igitur certissimum sit venturum diem illum, non refert admodum, serius an maturius veniat. Illud tantum curandum nobis, ne quandocunque venerit, offendat nos imparatos. Nobis pro nostro animo quædam longa videntur, quædam brevia. At Deo nihil est, neque breve, neque longum. In suis promissis non sequitur cupiditatem nostram, sed suum æternum & immutabile consilium, cui nihil est neque præteritum, neque futurum, sed omnia præsentia. Nobis autem quicquid promisit, exhibet tempore, quod ipse sibi præscripsit. Alioqui nihil apud illum interest, sive intercesserit unus dies, sive mille anni. Eadem fide præstat quod serius præstat, qua quod maturius.

9 Jam enim quod ad ipsum pertinet, præstitit quicquid decrevit præstare. Non enim mutato consilio hominum cunctatorum more recrastinat, ac prorogat sua promissa, quemadmodum falso opinantur quidam, Deum è suis moribus metientes: sed aliquando spatium longius præscribit vestra causa, pro lenitate ac mansuetudine sua nolens quenquam perire, quod quidem in ipso est, sed cupit omnes aliquando resipiscere, ne qui percunt, causari possint sibi temporis spatium defuisse mutandæ in melius vitæ.

10 Aderit autem ille dies inexspectatus, nec aliter obrepet mortalibus, quam fur nocturnus obrepit dormientibus. In eo tanta vis erit incendii, ut cœli magno impetu transituri sint in aliam speciem. Cæterum elementa, quibus inferior hic mundus constat, æstu solventur. Porro terra, quæque in ea continentur, exurentur igni, totaque rerum natura purgabitur.

11 Quod si nunc oportet usque adeo omnia esse pura, ut hæc etiam dissolvenda sint, quæ non peccant: quantopere vobis adnitendum est, ut dies ille vos omni vitæ sanctimonia, omnibus pietatis studiis integros ac purgatos reperiat?

12 Id interim agendum magna celeritate, quo semper parati sitis, quandocunque venerit ille dies Dei, cujus exactum judicium nemini licebit effugere, qui usque adeo nihil feret impurum, ut cœli ardentes solvendi sint, ut elementa æstuantia colliquescere cogenda.

13 Post hæc juxta promissum illius exspectamus cœlos novos, ac terram novam, quæ nihil habeant corruptionis, nihil noxæ, ut nos, in quibus nihil erit corruptæ mentis, fruamur illis incorruptis.

14 Quapropter, fratres carissimi, judicium hoc tam rigidum semper præ oculis habentes, date operam, ut Dominus adveniens vos reperiat puros & inculpa-

5 *Latet eum eos hoc volentes, quod cæli erant prius, & terra, de aqua & per aquam consistens Dei verbo:*

6 *Per quæ ille tunc mundus aqua inundatus perit.*

7 *Cæli autem qui nunc sunt, & terra, eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii, & perditionis impiorum hominum.*

8 *Unum vero hoc non lateat vos, charissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus.*

9 *Non tardat Dominus promissi sui, sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.*

10 *Adveniet autem dies Domini ut fur: in quo cæli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem & quæ in ipsa sunt opera, exurentur.*

11 *Cum igitur hæc omnia dissolvenda sint, qualem oportet vos esse in sanctis conversationibus & pietatibus,*

12 *Exspectantes & properantes in adventum diei Domini, per quem cæli ardentes solventur, & elementa igne ardore tabescent?*

13 *Novos vero cælos, & novam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat.* 14 *Propter quod charissimi hæc expectantes, satagite immaculati & inviolati ei inveniri in pace.*

Digitized by Google

15 *Et Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini: sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis,*

patos, non apud homines tantum, quorum judicia A
sæpenumero falluntur, verum etiam apud ipsum.
Nam is demum purus est, qui Deo judici purus est.

15, 16 Et si forte dies ille serius advenerit, nolite sic interpretari, quasi venturus non sit, sed hanc Domini lenitatem, qua facit omnibus spatium ad pœnitentiam, existimate consulere saluti hominum: quibus de rebus scripsit vobis carissimus frater & collega noster Paulus, hoc copiosius, quo donum uberius sapientiæ donavit illi Deus, & in omnibus fere Epistolis hortatur ad hujus dici exspectationem, nonnunquam ita loquens, quasi jam instet dies Do- B
mini: quo magis exstimulet studium pietatis, cum dies ille (quoniam incertus est) sic exspectandus sit, quasi hodie venturus, sed ita, ut nemo certum præscribat tempus. Hæc atque alia quædam Paulus pro sua sublimi sapientia admiscuit Epistolis suis, quæ cum ab ipso rectissime dicta sint, tamen imperiti parumque firmi, perversa interpretatione detorquent, quemadmodum & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perniciem, ut quod bonis est saluti, id ipsorum vitio vertatur istis in venenum.

17, 18 Vos igitur fratres tot modis præmoniti, tum à me, tum à Paulo, cavete ne fraude nefariorum hominum una cum cæteris seducti, excidatis à vestra firmitate fidei, quam hactenus præstitistis, quin potius date operam, ut assidue crescatis ac progrediamini in donis & agnitione Domini nostri & Servatoris Jesu Christi, cui gloria, & nunc in hac vita, & in ævum omne. Amen.

Scripturæ ad suam ipsorum perditionem.

17 *Vos igitur fratres præscientes custodite: ne insipientium errore traducti excidatis à propria firmitate.*

18 *Crescite vero in gratia, & in cognitione Domini nostri, &*

Salvatoris Jesu Christi. Ipsi gloria & nunc, & in diem æternitatis. Amen.

difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & ceteras

PARAPHRASEOS IN II. EPISTOLAM D. PETRI APOSTOLI
FINIS.

VERSVS MEMORIALES
IN II. EPISTOLAM D. PETRI.

AVREA *lux verbum: Blasphemos territat inde:*
Christe cito adveniens: Hæc pie Petre doces.

VITA SANCTI JVDAE APOSTOLI,
PER DIVVM HIERONYMVM.

JVDAS, *frater* Jacobi, *parvam quidem, quæ de septem Catholicis est, Epistolam reliquit: & quia de libro* Enoch, *qui apocryphus est, in ea assumit testimonium, à plerisque rejicitur: tamen auctoritatem vetustate jam & usu meruit, & inter sanctas Scripturas computatur.*

IN EPISTOLAM D. JVDAE
ARGVMENTVM,
PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

MVLTIS *verbis destomachatur in eos, qui cupiditatibus suis excæcati, adversabantur Euangelio, quod tamen novum videri non debeat, cum jam olim in hoc destinati sint, & ab Apostolis prædictum sit, id genus homines irrepturos in gregem Christianorum. Adversus hos sic armat eos, ut studeant & illos vel increpatione coercere, vel admonendo servare. Quod si non queant, certe ipsi sese parent in adventum* Christi.

ARGVMENTI FINIS.

IN EPISTOLAM D. JVDAE APOSTOLI
PARAPHRASIS,
PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

Ad vivum nobis depingit Pseudoprophetas;
Antea prædictos: hosque cavere jubet.

1 *Judas Jesu Christi servus, frater autem Jacobi, his qui sunt in Deo Patre dilectis, & Christo Jesu conservatis, & vocatis,*

1 JVDAS Thadæus, Jesu Christi servus, frater Jacobi, hanc Epistolam scribo non solum Judæis, aut proselytis, sed in commune omnibus, quos clementia Dei Patris ultro sanctificavit, & citra Legis adminiculum, ex impiis pios, ex idolatris veræ religionis cultores fecit, quos in hoc C
cum cæteris abirent in barathrum æternæ damnationis, quos eosdem nunc sua gratuita munificentia vocavit ad salutem Euangelicam.

2 Nihil vobis precari queam in hac vita felicius, quam ut divina bonitas sua munera semper in vobis multiplicet, misericordiam, pacem & caritatem: Misericordiam, ut in dies magis ac magis absitis à vitæ pristinæ vitiis: Pacem, ut pietate vitæ concordiam alatis, quam habetis cum Deo: Caritatem, ut mutua concordia sitis unanimes, & alii in alios benefici.

2 *Misericordia vobis, & pax, & charitas, adimpleatur.*

3 Carissimi, quoniam Euangelica caritas facit omnia com-

3 *Charissimi, omnem*

Digitized by Google

sollicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute, necesse habui scribere vobis: deprecans supercertari semel traditæ sanctis fidei.

communia, sive quid accidit boni, sive quid mali, præsertim in his quæ ad æternam salutem pertinent, tantum mihi studium fuit scribendi vobis de vestra salute, quæ me non aliter habet sollicitum, quam si mea esset, huc videlicet exstimulante fraterna caritate, ut mihi non quiverim temperare, quin hac Epistola vos exhortarer, ut pro tuenda sincera fide, quæ semel ab Apostolis tradita est sanctis, adversus Pseudapostolos decertetis. Neque solum in hoc laboravi, ut perfistatis in fide vestra, verum etiam ut aliis opitulemini, ne seducantur ab impostoribus. Inæstimabilis est enim fidei thesaurus, eoque impensius advigilandum, ne nobis intervertatur.

4 Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præscripti sunt in hoc judicium) impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum Dominatorem & Dominum nostrum Iesum Christum negantes.

4 Cum enim vobis pure sincereque tradiderimus Euangelicam doctrinam, sicut accepimus à Christo, tamen sub prætextu religionis obiter admiscuerunt se quidam impii, ac ceu lupi in ovile Domini irrepserunt, pietatis specie venditantes sese, cum hostes sint veræ pietatis. Ne quid autem hæc res ceu nova perturbet animos vestros, sic olim decretum est arcano Dei consilio, sic prædictum est, exorituros qui suis flagitiis & vestram exercerent pietatem, & sibi condemnationem accerserent: gratuitam beneficentiam Dei nostri, qua nobis semel gratis peccata condonavit, & à Legis asperitate liberos reddidit, vertunt in occasionem lasciviæ, cum illius beneficio magis invitari debuerint, ut innocentiam gratuito datam, piis studiis & tuerentur & ordinarent, atque inflammati caritate Euangelica, copiosiorem etiam atque exactiorem justitiam præstarent volentes, quam Mosaica Lex præscripserat. Nunc isti data libertate abutuntur ad turpitudinem ac peccandi licentiam, & ultro recidunt in veterem servitutem, unde suo sanguine redemerat illos Jesus Christus: abnegantes Deum, quem semel professi sunt, cum solus sit herus omnium quæ in cœlo sunt & quæ in terra, abnegantes & Dominum nostrum Jesum Christum, qui nos sibi sacri cruoris sui pretio asseruit. Nihil profuerit esse redemtos, nisi perseveremus in his, ad quæ sumus vocati.

5 Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam Iesus populum de terra Ægypti salvans, secundo eos, qui non crediderunt, perdidit:

5 Non opinor opus, ut vos doceam, cum nihil vos fugiat, tantum illud in memoriam redigam, ne quod scitis excidat. Olim nihil profuit Hebræis, quos Jesus typum horum temporum è dura miseraque servitute Ægyptiorum per Mare rubrum traduxit in libertatem, imo quos ad se clamantes miseratus servavit, hos in deserto diffidentes & obmurmurantes Deo, denuo pejus perdidit. Quod illis erat servitus Ægyptia, hoc nobis erat servitus vitiorum: quod illis erat Pharao, durus & intolerabilis dominus, hoc nobis erat Diabolus, cujus tyrannidi nostris vitiis eramus obnoxii. Illi fisi Deo, per medias Maris undas incolumes evaserunt in libertatem, nos credentes Euangelio, per baptismum evasimus jus Satanæ. Sed quemadmodum ex illis quidam non eadem fide properabant ad terram promissam, quibus Dei beneficium adeo nihil profuit, ut etiam verteretur in cumulum damnationis: ita nobis nihil profuerit in baptismo semel depositisse peccata, nisi constantibus animis semper proficientes ad meliora tendamus ad hæreditatem vitæ cœlestis.

6 Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit.

6 Quin & illud meminisse vos volo, quod ne Angelis quidem profuit sic conditos esse, ut Divinitatis essent consortes, verum simulatque felicissimam naturam sua pravitate mutassent, neque persisterent in sua conditione, præcipites dedit è cœlis, ac luce cœlesti privatos, æternis tenebris damnavit apud inferos. Ubi vinculis insolubilibus servantur in diem judicii supremi, quo damnati meritis pœnis addicentur.

7 Sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ civitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.

7 Jam Sodoma & Gomorrha, reliquæque Civitates his finitimæ, cum omni rerum opulentia florerent, quoniam Dei benignitate abusi sunt ad luxum & libidinem, inquinantes sese nefandis & abominandis turpitudinum generibus, subito ira divina exstinctæ sunt, cœlesti igne consumtæ, quo videlicet aliis essent exemplo, qui Christi beneficiis ad vitæ turpitudinem abutuntur.

8 Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, majestatem autem blasphemant.

8 Neque enim effugient similem pœnam, qui similiter peccaverint. An non similiter peccant, qui delusi insomniis falsarum voluptatum, non solum corpora sua conspurcant, verum etiam præfectos suos, & auctoritate præditos adspernantur, & in eos, quibus ob potestatem, qua præminent, debebant reverentiam, non verentur maledicta congerere?

9 Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ: sed dixit: Imperet tibi Dominus.

9 At Michael Archangelus, cum illi esset disceptatio cum Diabolo de corpore Mosi, tamen veritus est illi, licet turpissimo Dæmoni, palam dicere convitium. Sed cum illius impium sermonem ferre non posset, moderatus est maledictum, hunc in modum: *Increpet* (inquiens) *te Dominus*. Si Michaeli religio fuit maledicere Diabolo, quanto intolerabilius faciunt, qui viris auctoritate dignitateque præminentibus non verentur maledicere?

10 Hi autem, quæcumque quidem ignorant, blasphemant, quæcumque autem naturaliter, tamquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur.

10 At istorum tanta est perversitas, ut cum nullam habeant causam, tamen ea maledictis insectentur, quæ non intelligunt. Contra adeo luxu libidineque corrupti, ut in his rebus, in quibus animantia rationis expertia probe moderateque degunt, veluti cibo, potu, coitu que, in his perditissime se gerant.

11 Væ illis, quia in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt.

11 Sed væ illis, quibus continget præmium commune cum his quorum scelera imitantur. Neque enim sibi proponunt Jesum Christum, sed Cain fratricidam, cui primo livor invidiæ persuasit homicidium: sed Balaam, qui corruptus quæstu, conatus est maledicere populo, cui benedixerat Deus: sed Chore, qui conspiratione facta coortus in Mosen, cum suis conjuratis horrendo exemplo exstinctus est.

12 Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore; semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ,

12 Ii sunt, qui vobis pure casteque viventibus, & Euangelicam amplectentibus caritatem, veluti maculæ sunt dehonestantes gregem vestrum, ac vobis jejunantibus, luxuriosis comessationibus inter sese indulgentes. Neq ullius reverentia metuve à turpitudinis licentia cohibentur, quicquid animo collubitum est, id temere sequentes. Et cum his factis profitentur sese Doctores Euangelicos, ac duces ad veram virtutem. Verum isti nubibus similes sunt, quæ in sublimi pendentes, cum terræ sitienti videantur polliceri pluviam, tamen aridæ sunt, nec aquam habent, qua sefluri subveniant, sed inanibus cupiditatibus suis huc atque illuc temere circumaguntur: similes arboribus, quæ sub finem Autumni proditis floribus mendacem fructus spem faciunt, cum mox emarcescant, non solum infrugiferæ, sed bis mortuæ: qui nec ipsi vitam habeant ad Euangelicam pietatem, & alios secum in perniciem trahant, neque secus deplorati, quam arbores radicitus evulsæ, quibus jam nulla spes est revirescendi.

13 Fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia: quibus procella tenebrarum servata est in æternum.

13 Qui cum irrequieti sint ac factiosi, semper aliquo novo tumultu turbant Ecclesiæ tranquillitatem: similes pervicacibus undis maris, sese subinde in altum tollentibus, nec aliud interim efficiunt, nisi ut sua probra suaque dedecora aliis quantum in ipsis est, adspergant: similes stellis, quæ cum lucis specie promittant se fore duces, tamen quoniam erraticæ sunt, neque constanter sequuntur quod rectum est, sed affectibus suis nunc huc, nunc illuc abducuntur, simplices & incautos inducunt in naufragium. Hæ stellæ, quæ nunc falsa luce sese venditant apud homines, non effugient judicem Deum, etiamsi in præsentia non punit illos, sed servat eos æternæ tartari caligini.

14 Prophetavit autem & de

14, 15 Isti quanquam nostris temporibus exorti sunt, tamen ne quid novi vobis accidere videatur, de his olim vaticinatus est Enoch, qui fuit ab Adam

Digitized by Google

bis septimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis.

dam septimus, deque horum supplicio, quo sunt olim afficiendi. Loquitur enim hunc in modum: *Ecce venit Dominus cum innumera multitudine sanctorum suorum, ut exerceat judicium adversus omnes, & redarguat omnes ex eis qui sunt impii, de factis omnibus, quæ impie patrarunt, deque omnibus, quæ dure ac ferociter loquuti sunt adversus ipsum*, non solum peccatores male viventes, verum etiam impii & contumelioſi in Deum.

15 Facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra Deum peccatores impii.

16 Siquidem hi, quoniam hujus vitæ felicitatem corporis voluptate metiuntur, impotenter ferunt, si quid incidat afflictionis aut incommodi, neque verentur obmurmurare Deo suis querimoniis, quod sic condiderit hominem, ut brevis esset ævi, ut morbis obnoxius, optantes hanc vitam esse quam maxime longam, minimeque malis obnoxiam, videlicet de futura vita diffidentes. Hæc tam sordida atque abjecta cum sentiant in animis suis, tamen os illorum loquitur magnifica quædam; ac mirabilem quandam philosophiam profitetur, cum non solum abjectissime serviant voluptatibus, verum etiam quæstui, quæ res cum primis vitiat doctrinam Christi. Neque enim loquuntur ea, quæ docet Euangelica veritas, sed quæ blanda grataque sint his unde sperant aliquid compendii. In pauperes tyranni, erga divites agunt palpones.

16 Hi sunt murmuratores querulosi, secundum desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superba, mirantes personas quæstus causa.

17 Horum malitia hoc minus turbabit vos carissimi, si memineritis, id olim vobis esse prædictum ab aliis Apostolis Domini nostri Jesu Christi, nominatim à Paulo Petroque.

17 Vos autem charissimi, memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi,

18 Dixerunt enim vobis, extremis temporibus exorituros illusores, qui suis pravis cupiditatibus vitiarent puriſſimam Christi doctrinam, haudquaquam viventes juxta regulam Euangelicam, sed juxta affectus suos impios ac nefarios. Hos agnoscere licebit hac nota.

18 Qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus.

19 Cæteris, qui juxta Christi Spiritum vivunt, & contemtis terrenis curant cœlestia, concorditer agentibus isti movent dissidia, eo quod animales sint, & obsequentes mundanis affectibus, ac vacui spiritu venentur voluptates, ambiant regnum, captent lucrum. His rebus qui student, non sunt apti Christianæ concordiæ. Malunt enim turbare gregis tranquillitatem, quam in ordinem cogi.

19 Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes.

20 Vos autem carissimi fratres, qui spirituales estis, date operam, ut magis ac magis, ceu vivi lapides coagmentemini in structuram Dei, innitentes solido fundamento sanctissimæ fidei vestræ. Semel vobis persuasum est, non defutura piis sua præmia, quantumvis hîc affligantur, ne mercedem requiratis in hoc seculo: non defutura impiis merita supplicia, ne vos velitis ulcisci.

20 Vos autem carissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in Spiritu sancto orantes,

21 Proinde puris ac spiritualibus precibus jugiter implorantes opem Dei, vos invicem mutua concordia, mutuaque caritate servate. Non enim audit Deus nisi concordes. Neque diffidatis, si hîc pro Christo variis modis affligimini, sed exspectetis Dei misericordiam, exhibendam non in hac vita, sed in vita æterna.

21 Vosmetipsos in dilectione Dei servate, exspectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam.

22, 23 Vos interim modis omnibus habita ratione personarum, date operam, ut servetis omnes, alios leniter & clementer revocantes ad meliorem mentem, alios vero metu adhibito servate, velut ex incendio rapientes, odio habentes non homines ipsos, sed corpus hoc, terrenis affectibus inquinatum, qua ceu tunica polluta gravatur & inquinatur humanus animus. Et hoc clementius decet alienis erratis mederi, quod nemo versans in hoc corpusculo non possit inquinari.

22 Et hos quidem arguite judicatos:

23 Illos vero salvate, de igne rapientes. Aliis autem miseremini in timore: odientes & eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam.

24, 25 Nam id humanarum virium non est, ne quis sibi gloriam arroget, sed omnis gloria, magnificentia, imperium, ac potestas sit soli Deo Servatori nostro, per Jesum Christum Dominum nostrum, non solum in hoc seculo, sed ante omnia secula, & futuris seculis omnibus in æternum. Siquidem solus Deus potest hoc præstare conantibus, ut quanquam fragili corpusculo circumdatos, undique mundus tot rebus avocet à proposito pietatis, tamen perpetuam innocentiam servetis usque ad finem, ut non solum homines nihil reperiant in moribus vestris, quod reprehendant, verum etiam tales statuamini in conspectu majestatis Dei, ut illi nihil in vobis displiceat, qui videt intimos mentium recessus. Quod cum fiet, exsultabitis & gaudebitis in adventu Domini nostri Jesu, mœrentibus aliis, qui interim videntur suaviter vivere. Quod ut fiat, votis omnibus comprecandum est.

24 Ei autem, qui potens est vos conservare sine peccato, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in exultatione in adventu Domini nostri Jesu Christi;

25 Soli Deo Salvatori nostro, per Jesum Christum Dominum nostrum, gloria & magnificentia, imperium & potestas ante omne sæculum, & nunc, & in omnia sæcula sæculorum. Amen.

PARAPHRASEOS IN EPISTOLAM JVDAE FINIS.

VERSVS MEMORIALIS IN EPISTOLAM JVDAE.

Ad vivum Judas depingit Pseudoprophetas.

REVERENDISSIMO DOMINO D. MATTHAEO CARDINALI SEDVNENSI, COMITI VALESII,

DESIDERIVS ERASMVS ROTERODAMVS

S. D.

TAM videbar ad hujus curriculi metam perveniſſe, & ipse mihi ferias destinabam in hoc duntaxat genere studiorum, propterea quod omnes Epistolas explicuissem, quàs *Pauli* germanas esse judicabam, quibus adjunxi *Petri* duas & *Judæ* unam, quod hæ non solum consentirent cum Paulinis in vigore doctrinæ Euangelicæ, verum majoribus etiam tenebris, quam illæ, essent involutæ. Siquidem quæ fertur ad *Hebræos*, præterquam quod multis argumentis conjici potest non esse *Pauli*, cum Stylo Rhetorico verius quam Apostolico sit scripta, non perinde multum habet difficultatis: quemadmodum nec eæ, quæ *Jacobo*, *Joanniqne* tribuuntur. Nam *Joannes* ipsa sermonis copia veluti sui ipsius interpres est, & *Jacobus* fere versa-

Digitized by Google

tur in locis communibus: quod genus ſunt, ob *Chriſtum* fortiter tolerandas res adverſas, & in his Dei præſidiis maxime nitendum: homines non naturæ Deive vitio, ſed ſuapte culpa fieri malos, ſive ſæviat fortuna, ſive blandiatur. Non temere loquendum, aut iræ indulgendum. Non ſatis eſſe verbotenus tenere profeſſionem Euangelicam, niſi factis & affectibus exprimamus. Inanem eſſe religionem, quæ cum intemparantia linguæ ſit conjuncta; veram pietatem ſitam eſſe in officiis, quibus proximum egentem miſericorditer ſublevamus. Neminem æſtimandum è bonis externis, ſed è veris animi bonis: fidei profeſſionem inutilem eſſe, ni piis factis comprobetur: nemini temere ſuſcipiendam docendi provinciam: præcipuam vitæ peſtem naſci ex lingua effreni, quemadmodum contra, bona moderataque lingua nihil utilius. Plurimum intereſſe inter mundanam & Chriſtianam ſapientiam: non conſtare pacem, niſi ſubmotis ex animo cupiditatibus humanis: nihil convenire huic mundo cum Deo: à Deo deſtitui, qui elati ſuis fidunt opibus, cum iis faveat ille, qui ſibi diffiſi ab ipſo pendent: Deo facere injuriam, qui condemnat ac judicat proximum: evanidam ac fugacem eſſe præſentis vitæ felicitatem: potentes, quibus hîc impune licet quod libet, poſt acerbiſſimas daturos pœnas: vindictam malorum Deo judici relinquendam eſſe: preces piorum hominum plurimum valere apud Deum: hoc officio maxime flecti Deum, ut noſtris peccatis ignoſcat, ſi nos fratri in nos peccanti condonemus, & ſi aberrantem amanter in viam revocemus, aliaque id genus, in quibus non poteſt admodum eſſe multum difficultatis in explicando, cum plurimum ſit in præſtando: & tamen incidunt loca quædam, in quibus erat nonnihil luctandum, velut in illo, in quo hæret *Auguſtinus*: *Quiſquis offenderit in uno, factus eſt omnium reus.* Item, quod negat fidem valere abſque factis, cum *Paulus* ex adverſo contendat, *Abraha* non ex factis, ſed ex fide contigiſſe, ut juſtus haberetur apud Deum, & amicus Dei diceretur. Jam quædam etiam hiare videntur, ut in connectendo nonnihil fuerit negotii.

Sed hæc utcunque habent, cum primum hanc operam ſuſciperem, non erat animus hoc honoris impendere, niſi duobus illis Apoſtolorum & Euangelicæ Philoſophiæ principibus, *Paulo* & *Petro*. Et ecce jam metam amplexum, jam ſpectantem otium, tua vox me revocat ad ſtadium, etiam atque etiam hortans, ne quam hujus laboris portionem aliis relinquam: non ſolum ob hoc, quod judicares ſtudium hoc vel præcipuam utilitatem allaturum Euangelicæ Philoſophiæ candidatis: verum etiam quod cum his temporibus pene nihil ſit intactum à ſycophantarum morſibus, tamen hoc unum Opus adhuc Momis omnibus ἄμωμον, ut ita loquar, fuerit. Sequor quo tua vocat auctoritas, reverendiſſime D. Non me clam eſt, quam ex animo faveas doctrinæ verè Chriſtianæ, in qua tu non paucos annos feliciter es verſatus, quam non ficte faveas *Eraſmo*, quam ſis ingenio perſpicaci, quam certo, quam non vulgari judicio. Quales ſi complures haberet Eccleſia Catholica, multo florentiores & aliquanto tranquilliores eſſent res Chriſtianæ. Quis autem ſpiritus agitet iſtos, qui ſuæ quoque famæ & auctoritatis diſpendio, cum injuria ſacrarum etiam concionum, tam pertinacibus ſtudiis conantur, ut è noſtris Lucubrationibus minus fructus redeat ad ſtudioſos, ipſi viderint. Me magis movet aliorum judicium, quos & eruditio non vulgaris, & morum integritas ab omni ſuſpicione livoris ac malevolentiæ vindicat. Ego nullius obſcuro gloriam, neminem è cathedra ſua depello, nullius obſtrepo ſtudiis, non ambio dignitates, non venor quæſtum, ſed qualecunque talentulum meum in commune profero. Cui mea non placent, liberum eſt abſtinere: nos hæc gratis largimur. Si quis volet dare meliora, favebimus utroque pollice. Nulli me factioni unquam admiſcui, nemo meis ſcriptis vel pilo factus eſt nigrior. Nullo ſeculo non licuit alicubi diſſentire à quamlibet probatis Auctoribus. Si à ſolo *Thoma* diſſentirem, videri poſſim in illum iniquior. Nunc & ab *Ambroſio*, & ab *Hieronymo*, & ab *Auguſtino* non raro diſſentio, ſed reverenter, in *Thomam* etiam candidior, quam ut multis bonis & eruditis viris gratum ſit: ſed hanc reverentiam non opinor me debere *Hugonibus* aut *Lyranis* omnibus, etiamſi *Lyrano* nonnihil debemus. Nullum fuit ſeculum tam felix, quin optima paucioribus placuerint: ſed haud ſcio an ullo plus licuerit inſcitiæ, audaciæ, impudentiæ, ſtoliditati, linguæque petulantiæ. Libris diffidunt, qui tacita doctorum hominum judicia ſubire coguntur, res geritur linguis veneno tinctis, idque apud imperitam plebem, apud credulas mulierculas. In horum ſimplici credulitate, tota victoriæ ſpes illis ſita eſt. O fortes viros qui hoc uno telo formidabiles ſunt, quo metuuntur & ſcurræ! Et poſtea nobis imputant, ſi qui pejus de ipſis ſentiant, pauciores ſeſe adjungant ſacroſancto ipſorum gregi, cum ipſi publicitus etiam declarent ipſa re, quanto propius abſint ab impiis ſycophantis, quam à veræ pietatis cultoribus. Sed illis continget aliquando ſua Nemeſis, videlicet ipſis ſuo ſibi jumento malum accerſentibus, & continget alicunde *malo nodo malus cuneus.* Neque enim conſultum arbitror, dimicare cum ventribus conjuratis, qui nec aures habent, nec mentem. Et viro Chriſtiano dignius eſt ferre ſcurras, quam imitari. Nos tuo tuique ſimilium hortatu, ſed in primis auſpice *Chriſto*, pergemus & noſipſos & alios hujuſmodi vigiliis ad meliora provocare. Bene vale, patrone cum primis colende. *Lovanio* 16. Decembris, Anno 1520.

VITA SANCTI JACOBI APOSTOLI,

PER DIVVM HIERONYMVM.

IACOBVS, *qui appellatur frater Domini*; *cognomento* Juſtus, *ut nonnulli exiſtimant*, Joſeph *ex alia uxore, ut autem mihi videtur*, Mariæ *ſororis Matris Domini*, *cujus* Joannes *in libro ſuo meminit*, *filius: poſt paſſionem Domini ſtatim ab Apoſtolis* Hieroſolymorum *Epiſcopus ordinatus: unam tantum ſcripſit Epiſtolam, quæ de ſeptem Catholicis eſt, quæ & ipſa ab alio quodam ſub nomine ejus edita aſſeritur: licet paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem.* Hegeſippus *vicinus Apoſtolicorum temporum, in quinto commentariorum libro de* Jacobo *narrans, ait: Suſcepit eccleſiam* Hieroſolymæ *poſt Apoſtolos frater Domini* Jacobus, *cognomento* Juſtus. *Multi ſiquidem* Jacobi *vocabantur. Hic de utero matris ſanctus fuit, vinum & ſiceram non bibit, carnem nullam comedit, nunquam attonſus eſt, nec unctus unguento, nec uſus balneo. Huic ſoli licitum erat ingredi ſancta ſanctorum. Siquidem veſtibus laneis non utebatur, ſed lineis, ſoluſque ingrediebatur Templum, & flexibus genibus pro populo deprecabatur, in tantum, ut camelorum duriciem traxiſſe ejus genua crederentur. Dicit & alia multa, quæ enumerare longum eſt. Sed &* Joſephus *in viceſimo libro Antiquitatum refert, &* Clemens *in ſeptimo* Hypotypoſeon, *mortuo* Feſto, *qui* Judæam *regebat, miſſum à* Nerone *eſſe ſucceſſorem ejus* Albi-

Digitized by Google

Albinum: *qui quum necdum ad provinciam pervenisset* : Ananus, *inquit*, *pontifex adolescens* Anani *filius*, *de genere sacerdotali*, *accepta occasione vacantiæ*, *Concilium congregavit*: *& compellens publice* Jacobum, *ut* Christum *Dei Filium denegaret*, *contradicentem lapidari jussit*: *qui quum precipitatus de pinna Templi confractis cruribus*, *adhuc semivivus tendens ad cœlum manus diceret*: Domine, ignosce eis, quod enim faciunt, nesciunt: *fullonis fuste*, *qua rudia vestimenta exterqueri solent*, *in cerebro percussus interiit*. *Tradit item* Josephus *tanta eum sanctitatis fuisse*, *& celebritatis in populo*, *ut propter ejus necem creditum sit subversum esse* Hierosolymam. *Hic est de quo* Paulus *Apostolus scribit ad* Galatas: Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi *Jacobum* fratrem Domini. *Et Apostolorum super hac crebrius Acta testantur*. *Euangelium quoque quod appellatur secundum* Hebræos, *& à me nuper in* Græcum Latinumque *sermonem translatum est*, *quo &* Origenes *sæpe utitur*, *post resurrectionem Salvatoris refert*. *Dominus autem quum dedisset sindonem servo sacerdotis*, *ivit ad* Jacobum, *& apparuit ei*. *Juraverat enim* Jacobus, *se non comesturum panem ab illa hora*, *qua biberat calicem Domini*, *donec videret eum resurgentem à mortuis*. *Rursusque post paululum*: Afferte, *ait Dominus*, mensam & panem. *Statimque additur*: Tulit panem, & benedixit, ac fregit, & dedit *Jacobo Justo*, *& dixit ei*: Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit Filius hominis à dormientibus. *Triginta itaque annos* Hierosolymis *rexit Ecclesiam*, *id est*, *usque ad sepimum* Neronis *annum*, *& juxta Templum*, *ubi & precipitatus fuerat*, *sepultus est*. *Titulum usque ad obsidionem* Titi *& ultimam* Hadriani *notissimum habuit*. *Quidam è nostris in monte* Oliveti *eum putaverunt conditum*, *sed falsa eorum opinio est*.

IN EPISTOLAM D. JACOBI APOSTOLI

ARGVMENTVM,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

JACOBVS *quoniam erat* Hierosolymitarum *Episcopus*, *scribit & cæteris* Judæis, *qui per omnes nationes sparsi habitabant*, *variis præceptis vitam illorum formans atque instituens*.

ARGUMENTI FINIS.

IN EPISTOL. D. JACOBI CANONICAM

PARAPHRASIS,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

CAP. I.

Afflictus gaude: pete fidens: te tua tentant:
Fac legem facias: hæc pia religio est.

1 JACOBVS *Dei & Domini nostri Jesu Christi servus, duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem.*

JACOBVS quondam Mosaicæ Legis cultor, nunc cultor & servus Dei Patris, qui post Euangelium proditum spiritualem requirit cultum, hujusque Filii Jesu Christi Domini nostri, scribit hanc Epistolam cum omnibus, qui Christiana professione censentur, tum peculiariter iis, quos ex omnibus Judaicæ gentis Tribubus persecutionis, quæ sub Stephani mortem coorta est, procella alios alio dispersit: propulsos à patriis sedibus, at non depulsos ab Euangelii consortio: ejectos ædibus suis, at non ejectos ab Ecclesia Christi, precans iis veram salutem, non hanc corporis tantum, quam mundus optat, sed eam, quam Christus suis, etiam in mediis exitiis ac mortibus largitur.

2 *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis:*

2 Cum communis Euangelii professio, cum idem baptismus nos fratres efficiat, atque inter vere fratres oporteat lætorum pariter ac tristium esse societatem, vehementer discrucior animum meum ista vestra calamitas, ni de vestra pietate confiderem. Neque enim nescio iis, qui felicitatem hujus vitæ commodis metiuntur, exsilium esse morte gravius, miserrimum videri à carissimis divulsos, ac possessionibus avitis excussos, agere peregre. Vos autem, qui in uno Christo beatitudinis puppim ac proram collocastis, qui felicitatem vestram non in hoc mundo, sed in futuro seculo exspectatis, oportet ab horum sententia longissime abesse.

3 *Scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur.*

3 Siquidem ista non immittuntur à Deo irato, sed maxime propitio: nimirum hoc agente, ut temporariis afflictionibus, quas immerentes patimini, & patientia vestra reddatur spectatior, & præmium vestrum cumulatius: ut quoties variis malorum procellis undique tundimini, non solum intelligatis vos non oportere consternari animis, quasi destitutos à Deo, sed potius toto pectore gaudendum esse, quod hoc argumento Deo cari curæque sitis, exploranti tolerantiam vestram: quæ si perstiterit, nec cesserit ullis malorum assultibus, nimirum liquebit esse solidum Euangelicæ fidei fundamentum. Nam nisi vobis penitus persuasum esset immortalitatis præmium esse paratum iis, qui hîc pro Christi gloria malis affliguntur, non tantum malorum volentes & alacribus animis toleraretis.

4 *Patientia autem opus perfectum habet: ut sitis perfecti & integri, in nullo deficientes.*

4 Porro cum Deus nostram salutem fidei potissimum velit acceptam ferri, pertinet hoc ad Euangelii gloriam, ut certis argumentis homines intelligant, vestram fiduciam non esse vulgarem, aut vacillantem, sed firmam & invictam. Etenim quod fucatum est, aut vanum, aut imbecille, ad ingruentem malorum procellam loco dimovetur. Verum ac solidum sit oportet, quod nec exsilio, nec inopia, nec ignominia, nec carceribus, nec flagris, nec morte denique vincitur, aut expugnatur. Admirabilis animi constantia habetur, si quis adversam fortunam infracto toleret animo. Cæterum ubi conspicient vos res, per se graves & acerbas, alacribus etiam

Digitized by Google

etiam & gaudentibus animis perpeti : ignominiam ob Christi professionem inflictam, pro summa gloria ducere: facultatum jacturam, pro lucro opimo habere : molestos corpori cruciatus, æternæ voluptatis pignus existimare: mortem, qua nihil horribilius, nihil aliud arbitrari, quam limen & ingressum immortalitatis futuræ: nimirum intelligent spem vestram, qua fulti ista contemnitis, non esse vulgarem, nec ab humana duntaxat persuasione profectam, sed afflatu Numinis confirmari. Cæterum, ut fides nondum est probata, nisi sese per vitæ pietatem & officia erga proximos exserat: ita tolerantia non habebit laudem absolutam, nisi quemadmodum in malis tolerandis fortis est & alacris, ita in bonis operibus exercendis sibi constet. Magnum est mala libenter perpeti, sed ob Christi gloriam duntaxat: at perfectum est, cum ipse malis afficiaris, omnibus benefacere, non solum his, qui promerentur, verum etiam his à quibus affligeris. Sic enim fiet, ut membra respondeatis capiti, discipuli præceptori, filii patri, si sitis undique perfecti & integri, neque quicquam in vobis desideretur, quod ad absolvendum Euangelicæ pietatis orbem pertinet.

5 Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei.

5 Hoc fateor, non exigebat Mosi Lex, hoc stultum etiam videtur hujus mundi sapientibus, sed hanc novam sapientiam nos docuit nova Philosophia, quam Christus cœlestis doctor invexit orbi. In ea si quis nondum satis confirmatus est, non est cur confugiat ad hujus seculi Philosophos, quorum doctrina dilutior est, quam ut ad rem tantam præstandam sufficiat. Supra vires mortalium est quod præscribitur. Cœlesti opus est præsidio. Proinde cœleste præmium paratum est. Qui res suas omnes hujus mundi bonis ac malis metiuntur, si quando premuntur malis, ab hominibus consilium petunt, ab hominibus implorant auxilium. Vobis sapientiæ cœlestis præsidium à Deo poscendum est. Is enim impartit omnibus, non modo Judæis, verum etiam Gentibus, & impartit pro sua benignitate affluenter, nec exprobrat cuiquam suum beneficium. Non reposcit à nobis gratiam, nec eget ullius officio. Natura bonus est, ultro cupiens omnibus benefacere. Ab hoc quisquis petet, non petet frustra. Vult omnibus benefacere, & potest quicquid vult. Nihil moratur merita nostra, tantum fiduciam erga se requirit. Pharisaica vox est, Domine fac quod peto, quia jejuno bis in Sabbato. Vere pius sic orat, Indignus sum tua munificentia, dignus ira, sed tamen respice famulum tuum, quoniam natura bonus es ac misericors.

6 Postulet autem in fide nihil hæsitans: qui enim hæsitat similis est fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur.

6 Proinde si quis ab hoc velit impetrare quod petit, petat nihil diffidens, nihil hæsitans. Ne circumspiciat afflictionum moles, ne vires expendat suas, tantum cogitet, optimum ac potentissimum esse Deum, à quo pendet. Qui totus fidit opi divinæ, solidus est ac firmus. Porro quisquis hæsitat ac circumspectat, sic à Deo pendens, ut interim respiciat humana præsidia, neque toto pectore credit promissis divinis, sed velut ex parte diffidens, argutationibus humanis secum disputat de rebus divinis, is haudquaquam stabilis est: sed quemadmodum undæ maris nunc huc, nunc illuc volvuntur ac revolvuntur ventorum & æstus arbitrio, ita hîc rationibus humanis, & opinionibus variis circumagitur inæqualis, ac dissimilis sui.

7 Non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid à Domino.

7 Itaque qui talis est, fallitur, si credit se quicquam impetraturum à Domino, cum male sentiat de eo, cujus auxilium implorat, diffidens ei, quasi aut parum bene velit hominibus, aut parum possit, aut parum verax sit in promissis. Simplex est Christiana fiducia, nec usquam vacillat, semper illum unum respiciens, qui neminem sibi fidentem destituit, sive vivere contingat, sive mori.

8 Vir duplex animo inconstans est in omnibus vus suis.

8 Porro cujus animus bifariam divisus est, hac parte Deum respiciens, illa mundum, is inæqualis est, & inconstans, non tantum in precibus suis, sed in omnibus etiam quæ agit, aliud habens in ore, aliud in pectore, proque tempore, nunc hoc, nunc illo affectus modo.

9 Gloietur autem frater humilis in exaltatione sua;

9 Non oportet pro flatu reflatuque fortunæ vertere animum, quemadmodum vulgus hominum facit. Quin potius Christianus humilis, ac variis malorum molibus pressus, erigat animum, & hoc nomine glorietur, quod mundo contemtus, non sit contemtus apud Deum, qui nihil offensus humilitate conditionis aut fortunæ, dignatus sit illum consortio sanctorum, nec excludat ab hæreditate regni cœlestis.

10 Dives autem in humilitate sua, quoniam sicut flos fœni transibit.

10 Contra dives hoc nomine sibi gratuletur, quod qui ob falsa hujus mundi bona magni fiebat apud mundi cultores, nunc ob Christi professionem spretus sit & contemtus: & quem ante tumidum inanibus bonis fastus agitabat, nunc apud homines dejectus & calcatus, veris bonis diteſcat apud Deum. Hoc pacto fiet, ut nec pauperem sua dejiciat humilitas, nec divitem insolentem reddat sua fortuna, maxime si cogitet uterque, & mala, quibus gravantur inopes, & bona, quibus sibi placent divites, non esse diuturna, sed celeriter evanescere, non aliter quam herbarum flosculos, qui ut blandiente Favonio, ad vernum rorem subito proferunt sese, ita mox ad Boreæ flatum, ac Solis ardorem emarcescunt atque emoriuntur, adeo ut flosculum, qui natus ad Solis exortum gratissimo colore blandiebatur oculis hominum, Sol occidens videat morientem.

11 Exortus est enim sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos ejus decidit, & decor vultus ejus depevit: ita & dives in itineribus suis marcescet.

11 Arbores quoniam altis nituntur radicibus ac solido robore fulciuntur, diu virent, quædam etiam perpetuo, nec ventorum injuria, nec brumæ rigore viroris gratiam ponentes. At herba quoniam iisdem rebus non fulcitur, mox ubi Sol efferbuit, succo suo destituitur, quo temporariam illam floris gratiam alebat. Itaque caulis languescens jam florem suum nec alit, nec sustinet, sed arescit, senescit, emoritur, collabitur, quod paulo ante tanta gratia blandiebatur oculis hominum. Ne quis igitur in his, quæ nec solida sunt nec diutina, Christianus glorietur, magis ea spectet, quæ sunt æterna, quæ blandiuntur oculis Dei: magis studeat esse palma semper virens, quam herba mox ad levem injuriam emoritura. Vides modo natum florem, qui decor, quæ species, quæ coloris, quæ odoris gratia? quæ foliorum virentium pompa, qui nitor, qui succus, quæ juventus? At mox ad Austri flatum, ad Solis æstum, qui languor, quod senium, quis interitus? Idem dies & nascentem conspicit florem & pubescentem, & adultum, & senescentem, & mortuum. Huic adsimilis est divitum felicitas. Qui nunc purpura conspicuus, auro lucens, gemmis refulgens, magnifico famulitio stipatus, supinus vehitur, ac veluti Numen quoddam inter homines colitur, si reflaverit fortuna, aut exsutus bonis omnibus, mendicabit exsul, aut plorabit in carcere, aut sublatus in crucem pascet corvos, aut si nihil horum acciderit, certe mors inopina subito strepitum omnem auferet.

12 Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.

12 Gentium est hujusmodi bonis metiri felicitatem, quæ præterquam quod à fortunæ pendent arbitrio, præterquam quod (ut nihil aliud) una cum hac vita nos deserunt, nisi contemnantur, perniciem adferunt. Christianorum est ea sequi, quibus æterna parantur bona, in quæ neque fortuna, neque senium, neque mors ullum jus habet. Non enim ideo beatus quisquam est, quia dives, sed ita demum beatus erit, si ob Euangelii professionem spoliatus iis, quæ possidebat, si spretis voluptatibus hujus vitæ, quibus affatim fruebatur, pro Christo suffert cruciatus & carceres, si ejus amore in malis omnibus ad mortem usque perdurat infracto pectore, sic interpretans, quo pluribus hujus mundi malis premitur, hoc se cariorem esse Deo, qui ad suam

Digitized by Google

suam gloriam explorat cultoris sui tolerantiam, quo simul & aliis exemplo sit ad contemtum hujus mundi, & ipse posteaquam se strenue gesserit in certamine, veræque virtutis ac fidei documentum dederit, palmam & coronam ferat, non quernam, ac lauream; nam marcescunt & hæ, quod genus accipiunt, qui præmium ac laudem venantur ab hominibus, sed coronam immortalis vitæ, quam pollicitus est non homo quispiam qui fallere possit, sed Deus. Pollicitus est autem, non iis, qui plurimum opum congesserint, non iis, qui corporis robore præcelluerint, qui plurimum hostium fuderint, sed qui ipsius amore, hujus mundi bona spreverint, hujus mundi mala fortiter pertulerint.

13 *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat.*

[B] [13] An sincerus sit amor Dei, explorant hujus mundi blandimenta, sed multo magis tumultus afflictionum. In nobis autem est situm, ut Dei præsidio fulti, nec blandimentis emolliamur, nec terriculamentis frangamur. Quod si quem illecebræ seculi dimovent à recto mentis statu, aut si quem afflictionum molestia deducit à vera pietate, non est quod imputet Deo. Qui vincit, Dei præsidio vincit: qui vincitur, suo vitio vincitur. Neque enim Deus præbet hominibus occasionem peccandi, sed quod ille largitur pro sua bonitate in materiam segetemque pietatis, hoc noster animus affectibus corruptus ac velut inescatus, sibi vertit in occasionem exitii. Deus enim in hoc aliquando nobis donat rerum affluentia, vitæque commodis frui, ut ipsius benignitate provocati, gratias illi agamus. Rursus patitur aliquoties nos rebus adversis affligi, quo & nostram pietatem reddat spectatiorem, & præmium augeat. Quod si res in diversum cedit, nostra culpa est, non illius. Siquidem ut ipse natura bonus, nullis malis sollicitari potest, ita neminem ad mala sollicitat.

14 *Unusquisque vero tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.*

[14] A nobis est illud, quod nobis Dei bona vertit in malum. Largitur ille ciborum copiam, largitur vini liquorem, ut moderate refecti, laudibus vehamus auctorem. An hunc in jus vocabit, qui vino temulentus est? nequaquam: accuset animum suum, [D] cujus vitiosa cupiditas illexit ac pertraxit ad ebrietatem.

15 *Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem.*

[15] Ex primorum parentum vitio insita est animis nostris quædam ad vitia proclivitas, ea ceu peccati seminarium est: quod si in animum admissum coaluerit, jam mens veluti concepit peccatum. Et ni vitiosa cupiditas pellatur ab animo, paulatim grandescit & invalescit malus ille fœtus, donec pariatur capitale peccatum: quod ubi suis numeris fuerit consummatum, rursum incipit & ipsum gignere. Gignit autem fœtum omnium pessimum, nempe mortem æternam, atque hic est fructus longe tristissimus voluptatis illius in speciem blandæ, & nescio quid suave pollicentis, [E] dum mortiferum æs voluptatis esca prætexit. Quemadmodum igitur hic mundus inferior nihil habet undique purum ac perfectum, sed bona malis vitiantur, & quæ læta sunt, tristium vicissitudine miscentur, aerem vitiat lues, corporum valetudinem infestat morbus & senium, lucis gratiam interrumpunt tenebræ: ita in nostris animis, donec his corporibus obnoxii sunt, vix quicquam est ex omni parte beatum ac purum, quod non aliqua labe cupiditatum humanarum, aut erroris & ignorantiæ tenebris vitietur. Sed quicquid in nobis est mali, nobis imputare debemus, non Deo. Etenim si puris essemus affectibus, si toto pectore fideremus [F] Deo, si totis visceribus ad æterna cœlestiaque adspiraremus, quicquid hæc vita nobis objiceret, seu triste, seu lætum, verteretur in pietatis incrementum.

16 *Nolite itaque errare fratres mei dilectissimi.*

[16] Proinde fratres dilectissimi, nolite facere quemadmodum vulgus stultorum hominum facit, qui quo suis vitiis blandiantur, naturæ conditorem in jus vocant, velut auctorem peccati. Procul absit hic error à vobis, qui didicistis Euangelicam Philosophiam.

17 *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est; descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

[17] Ut Deus suapte natura pure summeque bonus est, ita nihil ab illo proficiscitur, nisi bonum. Si quid igitur in nobis est vitiorum, non Deo, sed nobis ipsis feramus acceptum: si quid bonæ rei, si quid veræ lucis, si quid illibatæ sapientiæ, id totum auctori Deo adscribamus. Si quid lucis habet hic orbis crassior, à cœlestibus illis corporibus habet, & potissimum à Sole. Quicquid in nobis est veræ cognitionis, quicquid puri sincerique affectus, id à nobis non oritur, qui alioqui nihil aliud sumus, quam peccatores & ignorantes, sed è sublimi proficiscitur: ab auctore bonorum omnium venit, quicquid vere bonum est: à fonte totius perfectionis obtingit, quicquid legitimum ac perfectum est, taleque, ut vos Deo commendet: quicquid vere lucidum est, id nobis ex sese mittit ille Pater & Princeps omnis veræ lucis. Hæc non impartit meritis nostris, sed gratuito nobis largitur, ut est natura benignus. Dona sunt verius quam præmia, liberalitas est potius quam merces. Fas igitur non est, ut hinc quicquam nobis arrogemus, sed pro nostris malis Dei misericordiam interpellemus, pro bonis non nostris, illius liberalitati gratias agamus. Ut ille sua natura optimus est, ita non potest dare, nisi quæ sunt optima: ut incommutabilis est, semperque sui similis, ita nihil est apud eum, quod ulla vicissitudine caliginis offuscetur. [C] Nostrum hunc diem nox succedens excipit, nubes intercedentes obducunt, humanam sapientiam obnubilant errores opinionum, humanam probitatem inficiunt malæ cupiditates. Apud illum nulla malorum mixtura, nec ullæ caliginis vices.

18 *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus.*

[18] Ad hujus igitur simplicitatem oportet & nos pro viribus adniti, ut piis studiis præbentes nos magis ac magis capaces donorum illius, velut in illum transformemur. Convenit enim, ut filii naturam parentis referant. Male reddidimus Adam hujus crassæ corruptæque nativitatis principem. Is peccatorum tenebris obscuratus genuit nos tenebris obnoxios. Quod fastidimus cœlestia, quod inhiamus terrenis, illius ingenium referimus. Quod cæcutimus, quod hallucinamur, quod labimur, terreni parentis est. Sed felicius nos regenuit Pater ille cœlestis, ut jam veluti denuo conditi, innocentia vitæ, ac veritatis æternæ cognitione, novæ origini respondeamus. Ille seductus fallacibus promissis Serpentis genuit nos tenebris. Hic rursus nos genuit, non ex corrupto semine terreni patris, sed ex purissimo semine sermonis æterni ac veridici. Mendax erat sermo Serpentis, & à statu innocentiæ dejecit. Verax est sermo doctrinæ Euangelicæ, per quem cooptamur in hæreditatem immortalitatis, & adsciscimur in consortium Jesu Christi Filii Dei. Erat ille lux vera de summa luce profectus, cujus doctrina mentes hominum illustravit, & ab hujus mundi tenebris asseruit. Tam efficax autem est sermo cœlestis, ut nos non mutarit solum, sed velut prorsus in alios homines transformarit, exsecrantes jam, quæ prius adamabamus, adamantes, quæ prius exsecrabamur. Atque hoc honore dignatus est nos Pater cœlestis, non nostris meritis provocatus, sed sua gratuita bonitate, qua sic illi visum est ab æterno, ut inaudita ratione conderet in terris novam creaturam, nosque hujus novæ conditionis veluti primitias quasdam esse voluit, qui inter primos sumus ad Euangelicam vocati doctrinam.

19 *Scitis fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.*

[19] Hoc igitur honoris cum nobis Deus gratis impartierit, supereſt ut nos vicissim illius munificentiæ pro virili respondeamus. Gratuito sumus admissi ad hanc felicitatem, sed à qua interim possimus nostro vitio excidere, nisi quod gratuito donatum est, piis studiis tueri studeamus. Frustra cooptati fuerimus per baptismum & Euangelicæ doctrinæ professionem in consortium Filii Dei, nisi castis purisque moribus nostræ professioni respondeamus: ut quemadmodum nobis æterna lux illuxit per Filium Dei, ita

Digitized by Google

vita noſtra omnis teſtetur, quod ad lucis conſortium pertineamus. Semel exſuimus veterem hominem cum erroribus, cum affectibus, cum vitiis ſuis, nunc æquum eſt ut diverſa ſequamur. Antehac maluiſtis videri magiſtri quam diſcipuli, nam id vobis perſuadebat ambitio, quod doctior habeatur vulgo, qui loquaciſſimus ſit: maluiſtis iraſci recte monenti, quam agnoſcere culpam, maluiſtis obſequi libidini pernicioſæ, quam ea ſectari, quæ ſalutem adferunt: nunc fratres mei cariſſimi, quiſquis vult haberi novus homo, tardus ſit ad loquendum, velox ad audiendum, paratus à quovis diſcere. Cæterum docendi partes ne quis ſibi temere ſumat, neque præpropere. Et quemadmodum non abeſt à periculo lapſus, qui præceps eſt ad loquendum, ita vergit ad injuriam, qui facile commovetur animo. Oportet autem pios homines procul abeſſe, non ſolum ab omni vindicta, verum etiam ab omni maledicentia.

20 Ita enim viri, juſtitiam Dei non operatur.

[20] Tutior autem erit à convitio, qui nihil reſpondet: nulli faciet injuriam, qui nec lacteſſitus iraſcitur. Apud homines fortaſſis juſtus videtur, qui convitium convitio, qui maleficium maleficio retaliat, ſed idem multum aberit à juſtitia Dei, qui per Filium ſuum nos docuit bene loqui de his qui nobis obtrectant, bene velle his qui nobis male volunt, benemereri de male merentibus. Hæc non facit, qui linguæ laxat habenas, membro volubili & lubrico, qui iram habet in conſilio.

21 Propter quod abjicientes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ, in manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſalvare animas veſtras.

[21] Hujuſmodi cupiditates, ut obruunt ac ſuffocant ſemen divini ſermonis, quo minus ſuboleſcens fructificet in vobis, ita obſtant ne poſſint in animi ſegetem inſeri. Non hæret in ſolo ſenticoſo, non in paluſtri, non in arena fluitante: puram, purgatam, ac ſolidam terram poſtulat. Proinde ſi vultis ut ſemen ſermonis Euangelici, quod ſemel jactum eſt, fructum adferat in vobis, fructum, inquam, non temporarium aut vulgarem, quo ad tempus reficiantur corpora, ſed æternam ſalutem animarum veſtrarum: repurgate veſtri pectoris arvum, non ſolum à tumultu maledicentiæ & iracundiæ, verum etiam ab omnibus cupiditatibus, quibus inquinatur animus humanus, à ſpinis avaritiæ, ab arena temeritatis, à limo libidinis, à petris ſuperbiæ ac pertinaciæ. Siquidem his rebus onuſta mens, non eſt capax ſermonis Euangelici, qui fruſtra pulſat tympanum aurium, niſi alte ſubſidat in cordis penetralia.

22 Eſtote autem factores verbi, & non auditores tantum; fallentes vosmetipſos.

[22] Atque is ſi ſemel ſubſederit in animos veſtros, haudquaquam fuerit ſterilis, ſed emerget ac proferet ſeſe piis factis. Judæi Legem ſuam memoriter tenent, nec eam exprimunt vita. Philoſophi ediſcunt bene vivendi rationes, & id ſatis eſſe putant, longe fallentes ſemetipſos, cum non in lingua, ſed in vita ſita ſit hominis felicitas. Vobis autem ſatis eſſe non debet, quod catechumeni audiſtis Euangelicam doctrinam, quod baptizati admiſſi eſtis ad magis abſtruſa Euangelicæ doctrinæ myſteria, quod univerſam Chriſti Philoſophiam, omnemque illius vitam perdidiciſtis, quod accepiſtis promiſſionem immortalis vitæ. Quod Chriſtus docuit, moribus eſt exprimendum: quod ille geſſit, nobis eſt pro viribus imitandum. Mortui cupiditatibus hujus mundi, cum illo ſepeliamur oportet, cum illo reviviſcamus ad innocentiam, cum illo feramur in cœlum, denique, ſic vivamus in terris, ut ne indigni videamur præmiis cœleſtibus.

23 Quia ſi quis auditor eſt verbi, & non factor: hic comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo:

[23] Vultis audire, quam nullum fructum referat, qui leviter & incogitanter Euangelicum ſermonem audierit? Simillimus eſt homini contemplanti faciem ſuam in ſpeculo, contemplatur, ſed contemplatur tantum. Nec enim poteſt mutare faciem nativam, nec alius diſcedit à ſpeculo, quam acceſſerat.

24 Conſideravit enim ſe, & abiit, & ſtatim obliti eſt qualis fuerit.

[24] Imo quoniam ideo tantum acceſſit, ut videret qua forma eſſet, ne cogitat quidem de mutandis formæ vitiis, ſed ſimulatque recedit à ſpeculo, ne meminit quidem, qualem ſeſe conſpexerit. At Euangelicæ doctrinæ ſpeculum non oſtendit nævos, aut tubera corporis, ſed omnes animi tui morbos tibi ponit ob oculos, nec ſolum oſtendit, verum etiam medetur. Lex Moſaica magis prodebat animi mala, quam ſanabat. Erat enim Lex juxta litteram imperfecta, & magis metu deterrebat à malis, quam efficiebat, ut homines ſponte recta ſequerentur. At Euangelica Lex per caritatem à volentibus ac liberis plus impetrat, quam extorquebat illa, & quod incipit perficit, quum illa nihil ad perfectum adduxerit.

25 Qui autem perſpexerit in legem perfectam libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliviosus factus, ſed factor operis: hic beatus in facto ſuo erit.

[25] Ad hoc igitur ſpeculum quiſquis diligenter contemplabitur & mentem & vitam ſuam, idque fecerit aſſidue, nunquam dimovens oculos ab exemplo doctrinaque Chriſti, hoc eſt, quiſquis ſermonem ſacrum non ſic leviter audierit, ut mox ad curas hujus mundi verſus, videatur oblitus quod audiit, ſed ad ejus normam vitam omnem componat, piis operibus exprimens, quod animi medullis penitus infixit: hic demum beatus erit, non quod audierit, ſed quod affectibus, ac moribus præſtiterit. Audis à Chriſto ſupplicium gehennæ manere illum, quiſquis dixerit fratri ſuo, fatue. Ac mox oblitus quod audieras, ad leve convitium moves arma. Audis negligendas opes, tineis ac furibus obnoxias, ſed veras eſſe recondendas in cœlo. Verum digreſſus à prædicatore, ſic omnibus ſtudiis pergis per fas nefaſque congerere divitias, quaſi crederes poſt hanc vitam non eſſe præmia pietatis.

26 Si quis autem putat ſe religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt religio.

[26] Quod ſi quis inter vos abunde ſibi religioſus videtur, ſi manus contineat à furto, & pugnis, cæteriſque vitiis, ſed interim non refrenans linguam ſuam ab obtrectationibus, à convitiis, à turpiloquiis, neque cor ſuum à turpibus cogitationibus, hujus inutilis infrugiferaque religio eſt. Fortaſſe non punitur humanis legibus, qui loquitur tantum adulteria, non etiam patrat, at is apud Deum jam adulter eſt, qui animo patravit adulterium. Non dat pœnas hominibus, qui rem alienam concupiſcit, ſi liceat impune: ſed apud Deum furti reus eſt, qui furtum concepit in animo. Ex actis illis manifeſtis æſtimamur apud homines, quibus animus non eſt conſpicuus. Cæterum Deus intimos animi affectus intuetur, & ex iis nos æſtimat. Porro corruptus animus plerunque ſolet in linguam erumpere. Apud Chriſtianos convitium homicidii genus eſt, tantum abeſt ut cum linguæ petulantia cohæreat vera pietas. Neque vero ſufficit ad Chriſtianam religionem, abſtinuiſſe à peccando, oportet & bonis operibus abundare. Siquidem à malo temperant & ſervi, nimirum ſupplicii metu, at filios decet caritas, ea non eſt res otioſa, ſed efficax, in omne bonum opus ſeſe promens ultro. At dixerit aliquis, quænam igitur ſunt iſta facta, quæ nos vere reddunt religioſos? Qui Judaiſmum ſapiunt, religionis laudem conſtituunt in palliis ac phylacteriis, in delectu ciborum, in lotionibus, in prolixis precibus, cæteriſque ceremoniis, quæ ſic aliquoties adſpernandæ non ſunt, ſi per hæc veluti ſigna commoneſiamus eorum, quæ ſunt propria pietatis; pernicioſa vero, ſi quis arbitretur per hæc hominem fieri religioſum, quæ ſola citius reddunt hypocritam. Attamen hæc ſervare religio videtur apud homines, qui perperam ponunt pietatem in rebus viſibilibus, quæ ſigna ſunt fortaſſe pietatis, non cauſa, quum per ſe neque bonæ ſint, neque malæ, niſi quod tales vel uſu, vel hominum opinione videantur, cum vera pietas ſit in ipſis animis, atque aliis ſignis longe certioribus ſeſe promat.

27 Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc eſt: Viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo.

[27] Vultis igitur audire, quæ ſit vera religio apud Deum Patrem, qui non humano judicio vos æſtimat? Nimirum hæc eſt pura & immaculata religio, ut quemadmodum nos experti ſumus Dei erga nos & miſericordiam & beneficentiam, ita nos viciſſim erga pro-

Digitized by Google

proximum & misericordes simus & benefici, idque non aliqua spe rediturí ad nos officii mutui, sed ex mera sinceraque caritate præmium officii nostri non aliunde quam à Deo exspectantes, qui sibi patitur imputari, quicquid in fratrem ipsius amore collocaverimus. Pius ac purus est apud Judæos, qui morticinium non contigerit, qui lotus sit vivo flumine: apud Deum pius ac purus est, qui orphanis ac viduis adfuerit afflictis, qui fratrem oppressum sublevarit, qui egentem pecunia juverit. Apud Judæos impurus est, qui carnem suillam ederit, apud Deum impurus est, cujus animus fuerit hujus mundi cupiditatibus infectus & inquinatus. Sed quænam, inquies, sunt illæ cupiditates? Mundi judicio vilis habetur quisquis pauper est, honoratior, qui plus opum possidet: ideoque præcipuum illis studium, ut quam maximam pecuniæ vim sibi comparent: Ignavus & abjecti spiritus habetur, qui ad injuriam illatam obmutescit. Stultus habetur, qui pro maleficio refert beneficium. Splendidus habetur, qui luxui indulget: sordidus, qui sectatur sobrietatem. Magnus habetur, qui fastu turget, qui inferioris notæ homines è sublimi despicit. Felix habetur, cui res interim è sententia succedunt, qui deliciis ac voluptatibus affluit, qui ventri gulæque servit. Hæ res sunt, quæ vere reddunt impium & impurum hominis animum, à quibus quisquis abfuerit, is demum vere religiosus est apud Deum Patrem, qui nos exemtos à terrenis evocavit ad cœlestia, à perituris & caducis ad æterna, docuitque nos, ut veris bonis dignitatem hominis æstimaremus, utque in omnibus quæ agimus, non alio spectaremus, quam ad ipsius gloriam, à quo solo speranda est benefactorum compensatio, qui veræ pietatis officia non rependit fluxis ac mox perituris præmiis, quemadmodum hic mundus solet, sed beatam immortalitatem largitur. Humilis est, tenuis est, cui impendis officium, referre gratiam non potest, sed tamen in hunc longe præstat collocare, quam in alium quamlibet divitem aut potentem, à quo nullus fructus redire potest, nisi vilis ac temporarius, cum pro tenui fratre sublevato Christus reponat vitam æternam.

Cap. II.

Bulla placet, vilescit inops: facit unica summe
Culpa reum: numquid sufficit una fides?

1 Qui proximum amat propter Deum, & qui Deum amat in proximo, non hactenus illum metitur, quod potens sit, aut dives, aut nobilis, sed quatenus divinis bonis abundat. Cæterum ad hanc æstimationem nihilo potior est Rex, aut dives, quamvis humili aut paupere. Pro omnibus ex æquo mortuus est Christus, & omnes ex æquo vocantur ad immortalitatis hæreditatem. Proinde fratres mei, si vere fiditis promissis Domini nostri Jesu Christi, nolite facere discrimen personarum juxta rerum mundanarum æstimationem. Christus juxta mundum humilis fuit & pauper, & tamen hunc Principem omnis gloriæ voluit esse Pater. Non opulentis, sed pauperibus pollicitus est regnum cœleste.

2, 3 Jam si quis ingrediatur in consessum vestrum aureo insignis annulo, aut splendida veste conspicuus, ac simul ingrediatur pauper quispiam, nec annulum gestans in digitis, & veste vili sordidaque tectus, & continuo conjectis in divitem oculis, non ob aliud, nisi quod vestitu splendido pauperem obscurat, deferatis ei locum honoratiorem, dicentes: Tu sede hîc bene: Rursus pauperi dicatis veluti contemto, nec ob aliud, quam ob vestem viliorem: Tu sta illic, aut sede illic subter scabellum meum:

4 Quæso, an non statim animus vester reclamet, & condemnet tacite factum vestrum, qui honorem, qui virtuti debebatur, per adulationem tribuatis auro & purpuræ, ob harum rerum inopiam contemnentes eum, qui Deo veris animi bonis multo commendatior est illo divite? Illum vobis commendat digitulus annulo gemmaque nitens, & corpus opertum serico: hunc vobis non commendat fidei sinceritas, animi modestia, sobrietas, castitas, cæteræque dotes, quæ vere magnum ac splendidum reddunt hominem? Cur vestrum judicium dissentit à judicio Dei?

cogitationum iniquarum?

5 Æquis auribus audite fratres mei dilecti, quod res ipsa clamitat esse verissimum. Quantumvis mundus deferat divitibus, Deus ipse prætulit pauperes, pauperes quidem juxta mundum hunc, qui gemmas & aurum, qui magistratus & regna nec habent, nec ambiunt in hoc seculo. Hos præteritis divitibus cum suo fastu, delegit, præsentium quidem rerum inopia tenues, sed exspectatione regni cœlestis & hæreditatis æternæ divites ac potentes, nimirum fretos eo qui promisit, qui nec fallere potest, si velit, & præstare potest quicquid vult. Quibus autem is promisit hanc admirabilem felicitatem? num Regibus aut opulentis? nequaquam, sed iis à quibus vere diligitur, quicunque fuerint illi, sive servi, sive liberi, sive divites, sive tenues.

5 Audite fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?

6 Et vos invitato divite ad honorificum consessum, paupere ad ima subsellia relegato, prætulistis eum, qui Deo vilior est, & contemtui habuistis eum, qui Deo & dives est & honoratus. Illi habitus est honos, qui fortasse divitiis fraude quæsitis, aut rapina partis, sese venditat: hic contemtus est, qui pauper esse maluit, quam cum jactura pietatis ditescere, qui exhaustis in pauperum subsidia divitiis, ultro pauper factus est, ut pietate ditesceret. Non est quidem impius quisquis dives est, tamen haud temere divitibus hujus mundi convenit cum Euangelica pietate, verum ex hoc hominum genere potissimum exsistunt, qui repugnant Euangelio Christi. Nam qui sunt tandem, qui tyrannidem exercent in vos odio pietatis? nonne divites? Qui sunt, qui vos peragunt reos & pertrahunt ad tribunalia? nonne divites potissimum?

6 Vos autem exhonorastis pauperem. Nonne divites per potentiam opprimunt vos, & ipsi trahunt vos ad judicia?

7 Qui sunt, qui male loquuntur & exsecrantur sanctum nomen Domini nostri Jesu Christi, per cujus invocationem vos assecuti estis salutem, & in quo gloriamini? nonne divites? Qui in tantum non favent vestræ professioni, ut nomen, quod vobis est salutiferum & adorandum, illis sit exitiabile & abominandum.

7 Nonne ipsi blasphemant bonum nomen, quod invocatum est super vos?

8 Sic autem professio nominis hujus cœpit vobis esse salutifera, ut tamen vestro vitio possitis excidere à promissa salute. Rex præmium ostendit, sed ei qui factis præstiterit legem regiam: ea neminem potest latere, quum jam olim litteris sit prodita, est autem hujusmodi: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.*

8 Si tamen legem perficitis regalem secundum scripturas: Diliges proximum tuum sicut teipsum: bene facitis:

9 An proximum ad hanc regulam diligit, qui pio pauperi præfert divitem impium? Euangelica lex caritatis lex est, quicquid adversus hanc committitur, etiamsi non sit nominatim vetitum, tamen peccatum est, & vos ipsa lex tacite redarguit, quæ præcepit omnibus, & in omnibus diligendum proximum tanquam teipsum. Quisquis ab hac regula deflectit, legis transgressor convincitur.

9 Si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege quasi transgressores.

10 Neque vero sibi quisquam ita blandiatur: leve est admissum, hac parte duntaxat lex est violata. Imo lex Euangelica talis est, ut ni tota servetur, tota videatur esse violata. Cum enim summa totius legis contineatur in caritate Dei ac proximi, quisquis excidit à caritate, quæ radix est totius legis, nimirum totam legem violavit, & legis auctorem offendit, cui hactenus factus est omnium reus, quod qui semel aberravit à scopo totius legis, quod quidem in ipso est, aberraturus videatur, quoties se dederit occasio. Veluti quisquis in tenebris ambulat, non refert in dextrum aberret, an in sinistrum, certe cuilibet errori expositus est, qui semel excidit à luce. Proinde

10 Quicunque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.

1 Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ.

2 Etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem & pauper in sordido habitu,

3 Et intendatis in eum qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei: Tu sede hîc bene: pauperi autem dicatis: Tu sta illic; aut sede sub scabello pedum meorum:

4 Nonne judicatis apud vosmetipsos, & facti estis judices

qui per adulationem divitem immerentem prætulit pauperi promerenti, quoniam hac in parte violavit legem caritatis, affinis est omnibus commissis, quæ solent adversus proximi dilectionem patrari. Neque leviter offendit Deum, qui legem illius ausus est aliqua in parte violare. Qui semel præcepit caritatem, semel eadem opera vetuit, quicquid pugnat cum caritate proximi.

11 Qui enim dixit, Non mœcheris, dixit &, Non occides. Quod si non mœcheris, occides autem, factus es transgressor legis.

11 Etenim qui legem tulit, ne mœcheris, idem statuit, ne quem occidas. Quod si abstinueris quidem ab adulterio, cæterum perpetraris homicidium, an ideo non violasti totam legem, quod una in parte violasti? Idem utrumque vetuit, & eadem de causa vetuit, nempe quod adversetur caritati proximi.

12 Sic loquimini, & sic facite, sicut per legem libertatis incipientes judicari.

12 Sed non ea tantum vetuit, quæ legibus puniuntur etiam Ethnicorum, veluti furtum, homicidium & adulterium, sed omnia prorsus, quæ dissident ab Euangelica caritate. Mosaica Lex non puniret eum, qui modestum pauperem superbo diviti post habuisset, aut qui proximo male vellet, sed tamen hunc punit Lex Euangelica. Ad hujus igitur normam, non solum facta vestra, verum etiam sermonem & animi cogitationes componite, ne quid unquam sit, quod à proximi caritate discrepet. Lex est libertatis, non quod per eam liceat peccare, sed quod Euangelica caritas ultro impetret à volentibus, quod leges humanæ metu pœnarum extorquent à nolentibus. Ad hanc itaque legem vitam omnem componite, summum laturi præmium, si quod præscriptum est præstiteritis, contra gravissimas daturi pœnas, si semel excideritis ab eo, unde lex tota pendet.

13 Judicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam: superexaltat autem misericordia judicium.

13 Gratis vobis condonata sunt vitæ superioris commissa. Gratis collatum est donum Spiritus cœlestis, per quem estis Deo non modo reconciliati, verum etiam mutua conglutinati caritate. Quo plus vobis collatum est, & collatum est gratis nihil promeritis, hoc acrius punientur, qui tantam Dei misericordiam in se experti non se vicissim præbent mites ac misericordes in proximum. Qua fronte petet à judice Deo misericordiam, qui servus in conservum se præbuerit immisericordem? quo ore postulabit à Deo diligi, qui proximum suum non diligit? Si vis judicium naneisei dilutum misericordia, fac te præbeas misericordem erga proximum, vel peccantem, vel egentem. Atque in hanc sane partem præstabilius est deflectere, ut misericordiæ, quam judicio nitamur. Cum enim pene totum sit misericordiæ divinæ, quod habemus, magis quam justitiæ, potius admitendum est, ut Deum misericordem, quam ut severum experiamur. Ille nos servavit sua misericordia, æquum est & nos vicissim erga proximum ad misericordiam, quam ad severitatem esse propensiores. Nec enim paulo plures colliguntur lenitate, clementia, beneficentia, quam austeritate, ut hoc nomine merito glorietur misericordia, præferens sese judicio, quod qui judicium experti fuerant perituri, misericordiæ beneficio servantur. Nemo nostrum non labitur quotidie, talem experturus Deum in condemnandis admissis suis, qualem se præstiterit erga fratrem suum.

14 Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?

14 An satis per se putandum est ad salutem consequendam, solam fidei professionem? Quid autem est fides absque caritate? Porro res est vivida caritas, non cessat, non est otiosa, exserit sese benefactis ubicunque adest. Quæ si desint fratres mei, quæso an inane fidei nomen servabit hominem? Infrugifera fides est, quæ per caritatem non operatur, imo titulo tenus duntaxat fides est.

15 Si autem frater & soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano,

16 Dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini & saturamini: non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit?

15, 16 Quod dixi, clarius fiet exemplo collato. Si quis fratri aut sorori, cui vestis desit, aut victus quotidianus, dicat blandis verbis, abite cum pace, calescite, & saturamini, atque hæc loquutus nihil dederit eorum, quæ corpori sunt necessaria, nonne hujus blandiloquentia inutilis erit egentibus? Nihilominus algebunt aut esurient ob hujus orationem, quæ necessitati non opitulatur. Verbo tenus sublevat, re nihil præstat.

17 Sic & fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.

17 Sic nimirum inutilis erit fidei professio, quæ verbo tenus constat, neque quicquam agit, sed veluti mortua torpet, neque magis est dicenda fides, quam cadaver hominis meretur hominis vocabulum. Quod corpori est anima, hoc est fidei caritas: hac igitur subducta, mortua quædam & inefficax res est fidei vocabulum. Neque magis tibi profuerit apud Deum ore profiteri fidem otiosam, quam proximo egenti oratio blanda, cum re fuerit sublevandus. Rideri se putant quibus dicis: calescite, saturamini, quibus neque vestis datur, neque cibus. Ita Deum ridere videtur, qui quotidie repetit, credo in Deum, credo in Deum, cum nulla præbeat argumenta fidei. Ut inutilem habet caritatem, qui verbo tenus amat, ita supervacaneam habet fidem, qui verbo tenus modo credit.

18 Sed dicet quis: Tu fidem habes, & ego opera habeo: ostende mihi fidem tuam sine operibus: & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.

18 Jam exorietur fortasse quispiam, qui separare cupiens ea, quæ natura conjunctissima sunt, & quorum alterum ab altero divelli non potest, dicat: Tu fidem habes, ego facta habeo, sit sua uterque portione contentus. Tibi sufficiat tua fides, mihi sat est, quod adsunt benefacta. Imo neutri sufficerit sua portio. Tu fide gloriaris, eam, si veram habes, factis declares oportet: si mortuam habes, frustra habes. Tu facta jactas, nec ea sufficiunt ad consequendam immortalitatis coronam, nisi proficiscantur à caritate, quæ fidei salutaris comes est individua. Quod in arbore sunt flores & frondes, hoc in nobis sunt officia caritatis: quæ si prorumpunt suo tempore, declarant arboris radicem esse vivam, cujus succo aluntur. Proinde ita demum proderunt benefacta, si non præstentur ad inanem gloriam, non ad humanam gratiam, non ob metum aut pudorem, non spe lucri, sed ex viva fide, quæ nobis persuasit Deo præstari, quicquid præstatur ob ipsum proximo, nec ab alio quam ab illo sperandum esse præmium.

19 Tu credis quoniam unus est Deus: Bene facis: & dæmones credunt, & contremiscunt.

19 Tu tibi places, quod persuasum habeas unum esse Deum, cum error Paganorum credat innumeros esse Deos. Recte facis, nam istoc nomine præcellis. Sed frustra credis esse Deum, & esse Deum unum, nisi sic credas, ut ab illo salutem consequaris. At id non facies, nisi fidei jungas caritatem, & piis operibus testeris & quod credis & quod amas. Si Deum credis esse, crede & salutis auctorem esse, crede promissis illius, & ita vivas, ut illius dignus videare promissis. Promisit misericordiam, sed iis qui hîc misericordiam exercent in proximum. Promisit vitam æternam, sed iis qui hujus mundi gaudia spernunt. Ita non solum credes unum esse Deum, sed omnem fiduciam in uno illo collocabis: alioqui quis erit fructus credulitatis tuæ? Dæmonia quoque credunt esse Deum, credunt Jesum esse Filium Dei, & adeo credunt, ut contremiscant. Sed quoniam credunt tantum, non etiam amant, supplicium ab illo metuunt, præmium non sperant: & justum sentiunt, misericordiam sentire non merentur, cum ipsi crudeles sint in alios.

20 Vis autem scire ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est?

20 Quod si adeo stultus es, ut adhuc tibi blandiaris inani fide, age proferam exemplum familiarius ac notius, quod te doceat inutilem ac mortuam esse fidem, quæ per dilectionem non operetur.

21 Abraham pater noster, nonne ex operibus justificatus est, offerens, Isaac filium suum super altare?

21 Abraham, quo generis auctore potissimum gloriamur, primam ac præcipuam fidei laudem meruit apud Deum, à quo tributum est illi justitiæ elogium: sed in hoc fides haudquaquam sterilis fuit. Neque enim solum ore professus est se illius promissis fidere, verum etiam non dubitabat Isaac unicum filium altari impositum mactare, jubente Deo, cum juxta naturæ ordinem, non aliunde sperari posset illi posteritas: sed fretus Dei promissis, quem sciebat & mortuos revocare in vitam cum libet, nihil

Digitized by Google

hil cunctatus est peragere, quod jussus erat. Ex factis igitur justitiæ laudem meruit, sed quæ ex fide proficiscerentur. Sunt enim & opera Legis Mosaicæ, quibus frustra fidunt, qui sunt expertes Euangelicæ fidei. Quid autem non facturus erat egregius ille Patriarcha, qui promtus & alacer accedit ad mactationem unici filii Isaac, quem eo etiam tenerius diligebat, quod in extrema senectute natus esset, quodque hujus nomine promissa esset felix illa posteritas? Pronuntiatus est justus & antequam immolaret, sed à Deo, qui noverat vivam & efficacem senis fidem nihil recusaturam, si se dedisset occasio.

22 *Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est?*

22 Ergo res utraque alteri fuit auxilio. Fides addebat animum, ut non trepidaret immolare filium, quem non dubitabat mox jussu Numinis revicturum: sed factum insigne veluti colophonem imposuit, etiam apud homines declarans, Abrahæ fiduciam nec mortuam esse, nec vulgarem. Neque enim fingit, neque dubitat, qui non cunctatur in unico filio unice caro periculum facere. An gravetur pecuniam pro Christo negligere, qui filium, patri cariorem quam ipse sit sibi, promtus ducit ad mortem?

23 *Et suppleta est Scriptura, dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam, & amicus Dei appellatus est.*

23 Ex hoc igitur tam insigni documento fidei perfectum esse constat, quod dixit Scriptura: *Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad justitiam, & amicus Dei vocatus est.*

24 *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum?*

24 Quod si Abraham fidei fructum & justitiæ laudem amissurus erat, si gravatus fuisset ad Dei jussum immolare filium, an illi proderit sua fides, qui jubente Deo, gravatur impartire vestem algenti proximo, qui gravatur impartire cibum esurienti, potum sitienti, quasi Deus passurus sit eum perire frigore aut fame, qui de suis facultatibus aliquid erogarit in fratris necessitatem? Porro si priscis illis non contigit laus justitiæ, nisi factis fidem comprobantibus, multo minus id sperandum est iis, qui perfectæ caritatis legem profitentur.

25 *Similiter & Rahab meretrix, nonne ex operibus justificata est, suscipiens nuntios, & alia via ejiciens?*

25 Tantum autem valet apud Deum misericordia ac beneficentia in proximum, ut mulier, ut meretrix, ut alienigena, hospitalitatis officio commendata, meruerit in catalogo piorum, in catalogo civium, in catalogo probatissimorum Patriarcharum annumerari. Rhahab Judæa non erat, meritorio diversorio præfecta erat, quæstu non admodum probato victum parans, & tamen in divinis Libris justitiæ laudem promeruit: non ex fide tantum, quod persuasum haberet Deo remuneratore nulli sua benefacta perire, præsertim quod in bonos, aut certe Dei respectu conferretur: sed ex eo, quod contemto periculo vitæ suæ, exploratorum vitæ consuluit: quod nuntios, quos exploratum miserat dux Judæorum, ne perirent, furtim alia via emiserat. Poterat inire gratiam non mediocrem apud suos, si (quod ipsi erat in manu) prodidisset exploratores. Sed maluit servire voluntati divinæ, quam suo compendio: neque diffidebat, quin ab illo præmium copiosius rependeretur, quam ab hominibus. Quemadmodum igitur Abraham non ex fide nuda justitiæ laudem promeruit, sed ex fide factis comprobata, ita & Rhahab frustra credidisset, Deum Judæorum esse verum Deum, nisi, cum esset objecta occasio, factis declarasset sese ex animo credere: alioqui fides, ut dixi, quæ friget ex caritate, nec se profert cum res postulat, ne fides quidem est, tantum est inane fidei nomen.

29 *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.*

26 Etenim quemadmodum corpus anima destitutum mortuum est & inutile, ita fides, si desit caritas non otiosa, mortua est & inefficax.

CAP. III.

Compescas linguam: qua nil violentius una,
Terrea cœlesti dissimilis sophia est.

1 *Nolite plures magistri fieri fratres mei, scientes quoniam majus judicium sumetis.*

1 MAGNA est humanæ linguæ utilitas, si quis ea doceat, quæ pertinent ad veram pietatem, sed periculosa functio est, doctoris obire munus, & hominem requirit primum insigniter eruditum in his, quæ sunt Euangelicæ doctrinæ: deinde purgatissimis affectibus, cuique non satis sit docere recta, sed qui non alio spectet, quam ad Christi gloriam. Talis doctor ut plurimum prodesse valet, si quod docet etiam amet: ita cujus est corrupta doctrina, aut cujus animus est corruptus pravis cupiditatibus, odio, ira, vindicta, avaritia, ambitione, libidine, magno plebis exitio Doctoris locum occupat. Proinde fratres mei, ne passim ambiatis esse magistri. Tutius est auscultare quam loqui. Et pauci doctores sufficiunt pluribus erudiendis. Proinde, qui locum Episcopi ac doctoris capessit, etiam atque etiam semetipsum excutiat, an par sit oneri suscipiendo: atque illud in primis secum cogitet, quod provinciam aggreditur ingenti obnoxiam periculo, rationem exactissimam redditurus supremo judici, si secus docuerit quam oportet. Siquidem hujus sermo hoc latius ac periculosius spargit suum venenum, quod auctoritate dicentis commendetur.

2 *In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit: hic perfectus est vir, potest etiam fræno circumducere totum corpus.*

2 Nihil autem difficilius, quam sic undique moderari linguam, ut nunquam labaris. Etenim cum ea sit humanæ naturæ infirmitas, ut nemo non quotidie labatur in multis, si quis linguæ lapsus omnes vitare potest, hic vir perfectus videri possit, & idoneus qui totum etiam corpus veluti rationis freno moderetur, posteaquam membrum illud maxime lubricum potuit cohibere, ne quid peccet. Ab hoc periculo longius abest, qui mavult discipuli, quam doctoris vices gerere. Est aliquid imperare ventri, est nonnihil temperare oculis atque auribus, est aliquid continere manus. Sed omnium difficillimum est, perfecte moderari linguam. Pusillum est membrum lingua, sed à quo fere pendeat corpus universum. Efficax quædam ac præpotens res est hominis oratio, sive ad utilitatem, sive ad perniciem multorum. Penetrat in animos auditorum, inserit aut exserit pestilentes opiniones, excitat aut sedat odia, commovet ad bella, componit ad pacem, & auditorem huc aut illuc impellit.

3 *Si autem equi frana in ora mittimus ad consentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus:*

3 Sic frenos equis in ora immittimus, ut nobis obediant, ac exiguo ferro totum corpus belluæ pro nostro arbitratu circumagimus. Quod os frenatum sessori, hoc lingua domita homini.

4 *Ecce & naves, cum magnæ sint, & à ventis validis minentur, circumferuntur à modico gubernaculo ubi impetus dirigentis voluerit.*

4 Videtis quantæ sint navium moles, hæ cum passis velis miro impetu ventorum rapiantur in undis, tamen minimo gubernaculo circumaguntur, quocunque naucleri, temonem regentis, animus inflectere voluerit: impellit arte clavum, & tam ingens illa moles sentit minimæ partis imperium.

5 *Ita & lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat. Ecce quantus ignis quam magnam silvam incendit!*

5 Non est igitur contemnenda linguæ moderatio. Pusillum est membrum, sed turgidum & jactabundum, lateque miscens exitium & ingentes excitans tumultus, ni freno animi cohibeatur: hæc totos populos, tota regna inter se committit. Libet intueri simillimum exemplum. Ecce quantulus ignis, quam ingentem materiarum vim incendit. Unde sævum illud & latissime volitans incendium? ex una scintilla natum est. Ea initio minimo negotio poterat opprimi, neglecta colligit undique vires, & eo tandem evadit, ut nulla vi possit obrui.

6 *Et lingua ignis est, universitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata à gehenna.*

6 Ut autem ingens ac varius est usus ignis, si recte adhibeatur: summa pernicies, si sinatur quo volet evagari: ita ex hominis lingua plurima utilitas; & ex eadem extrema pernicies humanæ vitæ. An non videtis hoc ipsum naturæ opificem significasse, qui linguam hominis & specie & colore ignis esse voluerit, nec aliter volubilem ac rotatilem, quam est flamma? Nec tamen in hoc simplex est malum, velut in aliis ferme membris: mundus est & congeries vitiorum omnium. Quemadmodum enim exigua scintilla veluti seminarium est totius incendii, ita quicquid est malorum in vita, ex mala lingua, velut è mundo, promitur. Et quemadmodum ma-

Digitized by Google

teriarum acervo miſcetur paulum ignis, ut paulatim totam congeriem incendio miſceat: ita lingua ſic admixta eſt membris corporis, ut ni coerceatur, inficiat & inquinet ſua lue corpus univerſum, totamque hominis vitam, ab incunabulis ad extremam uſque ætatem, inflammet omni vitiorum incendio. Porro vim hujus mali non illi indidit natura, quæ vallo dentium & maceria labiorum admonuit, oportere linguæ uſum circumſpectum eſſe, ac moderatum: ſed afflata eſt ex igni gehennæ, unde primum per impios Spiritus inficitur animus, & animi lues per organum linguæ prorumpit in majus, & hominem è malo reddit peſſimum, ac peſtis contagio corripit & cæteros, ſic ut, nulla vi, nulla ratione poſſit cohiberi malum impotens.

7 Omnis enim natura beſtiarum, & volucrum, & ſerpentium & ceterorum domantur, & domita ſunt à natura humana:

7 Quid autem eſt uſquam tam impotens, quod non aliqua ratione manſuefaciat humana cura? Nulla eſt fera tam fera, nulla eſt avis tam immanis, nullus ſerpens tam peſtilens, nulla maris bellua tam immitis, quin hominum ingenio beneficiiſque manſueſcat. Cicurantur Leones, manſueſcunt Tigrides ac Dracones, ſerviunt etiam Elephanti. Subiguntur & Crocodili, miteſcunt Aſpides, redduntur familiares Aquilæ & Vultures, ad amicitiam etiam alliciuntur Delphini.

8 Linguam autem nullus hominum domare poteſt: inquietum malum, plena veneno mortifero.

8 Nulla adhuc ratio, nulla ars reperta eſt mortalibus, quæ linguam intemperantem domaret, cum & olim domitum ſit, & quotidie dometur omne genus animantium, quotquot habet terra, quotquot mare, quotquot aer: uſque adeo malum hoc eſt eſferum ac violentum, nec impotens modo, verum etiam lethali veneno tinctum.

9 In ipſa benedicimus Deum & Patrem: & in ipſa maledicimus homines, qui ad ſimilitudinem Dei facti ſunt.

9 Unguibus ac dentibus ſæviunt Leones, at venenum non habent. Veneno ſunt armatæ Viperæ, cæterum nec ungues habent, nec cornua. Sola lingua gemino modo noxia eſt, & feritate inſuperabili, & veneno lethali, quod procul etiam afflat quibus vult, cum ſcorpii non lædant, niſi caudæ cuſpide ictos, viperæ non lædant, niſi infixo denticulo fiſtulato. Atque hæc peſtis minus eſſet formidabilis, ſi ſimplex foret, & unico modo noxia. Nunc varium eſt malum, & in omnem ſe vertens ſpeciem, quo gravius ac facilius lædat, ſæpe nocentius, cum boni ſpeciem præ ſe fert. Nihil melius, nihil apud omnes commendatius pietate. Hujus prætextu lædit potiſſimum, ea miſcens, quæ non poſſunt cohærere. Neque enim poteſt eſſe pius in Deum, qui crudelis & maledicus eſt adverſus proximum. Et tamen hoc organo laudamus Deum, patrem illum appellantes, cum eodem vituperemus & infamemus proximum, ad Dei ſimilitudinem conditum. Lingua canimus Deum omnium bonorum auctorem, cum eadem ſummis malis affligamus hominem, quaſi hujus contumelia non pertineat ad Deum conditorem. Deus neque laudibus noſtris honeſtatur, neque convitiis læditur. Homo homini vel peſtilens eſſe poteſt, vel ſalutaris. Et quod in hunc præſtiterimus, hoc Deus putat ad ſe pertinere.

10 Ex ipſo ore procedit benedictio, & maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri.

10 Proinde ne quis credat ſuos hymnos Deo gratos eſſe, quos lingua promit, non animo, cum eadem lingua maledicentiæ virus evomat in proximum. Quid enim pugnantius, quam laus & vituperium? tamen res tam diverſæ ex eodem ore proficiſcuntur: atque hæc quidem geruntur inter impios. Inter vos, qui profeſſi eſtis Euangelicam ſimplicitatem, non oportet hæc eodem modo fieri, quibus turpe eſt aliud ſonare lingua, quam ſentiat animus, qui didiciſtis amare Deum in proximo, & proximum in Deo: qui didiciſtis adeo neminem eſſe lædendum linguæ petulantia, ut ad exemplum Chriſti jubeamini bene loqui illis, qui vobis ingerunt convitia. Levius autem nocens eſt, qui ſimpliciter & abſque fuco malus eſt. Cæterum maledicentia pietatis imagine commendata, quid aliud eſt, quam cicuta admixta vino? quo præſentius ſit venenum, quod rei ſaluberrimæ miſceatur. Habent in ore, *Domine miſerere*, cum ipſi crudeliter lingua ſæviant in fratrem. Habent in ore, *Pater noſter*, cum aſſidue linguæ ſpiculo proximum confodiant, pro cujus ſalute confoſſus eſt Chriſtus. Prædicant Dei bonitatem, qui ſua clementia ſervavit hominem, cum ipſi linguæ veneno properent exſtinguere. Prædicant Chriſti bonitatem erga mortalium genus, cum ipſi adverſus exemplum Chriſti linguas acuant adverſus conſortem. Efferunt laudibus Chriſti manſuetudinem, qui placide reſponderit maledicis, cum ipſi mendaciis etiam inceſſant benemerentem. Profitentur ſeſe angelos & præcones Chriſti, cum ſint organa Diaboli. Pollicentur ſemen doctrinæ cœleſtis, cum merum ſerant aconitum. Atque hæc tam diverſa non ſolum faciunt eadem lingua, ſed frequenter etiam ex eodem ſuggeſto, à laudibus divinis exorſi, prorumpunt in infamiam proximi, tanto perniciosius inficientes animos concionis, quod ficta ſpecie religionis tegant ac diſſimulent mortiferum venenum, quod ex infecto corde per linguæ organum depromunt. Quæſo fratres, an non hoc prodigii ſimile videtur?

11 Num quid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam?

11 Sunt fontes ſcatentes aquis ſalubribus, ſunt quos guſtaſſe mortiferum ſit: ſunt qui ſuffundant aquam dulcem ac potabilem, ſunt rurſus, qui præbeant aquam amaram ſalſamque. Nec id mirum videri poteſt, cum per diverſas venas fluens liquor, calcis, aluminis, ſulphuris, alteriuſve metalli, ſeu terræ dulcis ſaporem referat. At quî fit ut cum ex eodem corde proficiſcatur oratio, cum per eandem ſcateat linguam, adeo ſit ſui diſſimilis, cum inter tot fontium diſcrimina nullus reperiatur, qui ſimul ex eodem ore dulcem & amaram aquam proferat?

12 Num quid poteſt, fratres mei, ficus uvas facere, aut vitis ficus? Sic neque ſalſa dulcem poteſt facere aquam.

12 An eadem arbor diverſi ſaporis fœtus edit? Videte fratres mei, num ficus natura dulcis producit amaras oleæ baccas? Num vitis edit ficus? minime, ſed ſuæ quiſquis arbori fructus reſpondet, & radicis ſuccum ſapore refert. An non igitur monſtri ſimile videtur eundem hominem ex eodem corde per eandem linguam, pietatem & impietatem, veritatem ac mendacium, ſalutem & exitium, depromere?

13 Quis ſapiens, & diſciplinatus inter vos? Oſtendat ex bona converſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ.

13 Itaque cum improba lingua nihil ſit perniciosius, bona & erudita nihil ſalubrius, cumque rarus inventu ſit, qui membrum hoc modis omnibus queat moderari, etiam atque etiam è multis deligendus eſt, qui doctoris provinciam ſuſcipiat. Huic oportet & animum eſſe ab omni cupiditatum tumultu tranquillum, & vitam ab omni turpitudine ſemotam, ut non ſolum ea doceat, quæ ſunt veræ pietatis, verum etiam cum omni manſuetudine doceat. Nam contentioſa pertinaxque doctrina nihil aliud gignit, quam factiones & diſſidia. Atque inter hujus mundi ſapientes is primas tenet, qui pertinaciſſime diſputat, qui linguæ volubilitate nulli cedit. Nec hoc agitur, ut auditor diſcedat melior, ſed ut elatior qui vicit, dejectior qui victus eſt. Vulgus interim variis ſtudiis inter ſe diſtrahitur, ut nec dicenti ſit ullus ſolidus fructus, nec audienti. Inter vos autem qui Philoſophiam Euangelicam profitemini, quiſquis vere ſapiens eſt, & ſcientia vere præditus, ne faſtus ſermoniſque contentione declaret ſeſe ſapientem, ſed piis & integris moribus teſtetur qualis ſit, potius quam verbis. Ut enim inutilis eſt fides, ut inutilis caritas, quæ verbo tenus præſtatur, ita inutilis eſt ſapientia, quæ non prius ſe probat manſuetudine morum. Hoc enim præcipuum eſt argumentum, quo liceat humanam philoſophiam ab Euangelica dignoſcere. Illa moroſos, pertinaces, ac feroces habet profeſſores. Hæc quo ſincerior eſt, quo præſtantior, hoc minus habet ſupercilii: cujus præcipua vis ſita eſt non in argutiis Syllogiſmorum, aut phaleris eloquentiæ, ſed in ſinceritate vitæ, in lenitate morum, quæ cedit conten-

Digitized by Google

tentiosis, & allicit dociles, nec aliud spectat, quam salutem auditorum. Cœlestis est sapientia, hanc qui docet, mentem habeat oportet ab omnibus terrenis cupiditatibus repurgatam, è sincero vase depromatur necesse est.

14 *Quod si zelum amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris: nolite gloriari, & mendaces esse adversus veritatem.*

14 Quod si habetis animos amarulenta inter vos æmulatione vitiatos, si cor habetis contentionibus, & pervicaci vincendi studio, invidiaque corruptum, cedite potius docendi munus, quam ut gloriæ vestræ contentionique servientes, mentiamini adversus Euangelicam veritatem, quam nemo sincere tradere potest, nisi cujus animus liber fuerit ab omnibus humanis affectibus. Proinde quisquis ad hanc professionem accedit, si senserit animum suum infectum amore, aut odio humano, si livore, si studio gloriæ, si cupiditate pecuniæ, si voluptatum amore, prius diligenter expurget intima pectoris, ut ad puriſſimam doctrinam purus accedat.

15 *Non est enim ista sapientia desursum descendens; sed terrena, animalis, diabolica.*

15 Alioqui qui præteritis iis, quæ vere faciunt ad pietatem, fumos objiciunt perplexarum quæstionum, qui loquuntur ad gratiam Principum, qui dicunt ad quæstum, qui doctrinam Euangelicam detorquent ad ventris sui negotium, qui venantur gloriolas humanas, qui gravem sarcinam imponunt humeris aliorum, quam ipsi digitulo nolint attingere, pro divinis præceptis docent ceremonias & humanas constitutiunculas, qui pro Philosophia Euangelica tradunt novum Judaismum, denique qui seipsos prædicant verius quam Christum: horum sapientia non est illa sapientia, quam Pater nobis per Filium demisit è sublimi, ut nos à terrenis studiis avocatos, in cœlum subveheret: sed crassa est atque terrena, & ideo terram sapit: sed animalis est, & ideo magis illa spectat, quæ conducunt ad hanc vitam, quam ad vitam æternam: sed Dæmoniaca est, quia non est ex afflatu Spiritus Divini, sed ab instinctu Dæmonum, quia ea suggerunt, quæ nos alienent ab Euangelica sinceritate.

16 *Ubi enim zelus & contentio: ibi inconstantia, & omne opus pravum.*

16 Inter mundanæ sapientiæ professores videtis quanta sit æmulatio, quæ pugnæ, quæ dissidia, quod vincendi studium, quanta opinionum ac morum inconstantia, & interim omnis vita quam omni vitiorum genere contaminata.

17 *Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suasibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, non judicans, sine simulatione.*

17 At è diverso nostra sapientia, quæ è supernis proficiscitur à Spiritu Christi, primum casta puraque est, nullis pravis affectibus inquinata. Deinde pacifica, & ab omni studio contentionis abhorrens. Ad hæc modesta minimeque torva, præterea tractabilis ac morigera, neque gravate cedens ei, qui doceat meliora: clemens & misericors erga lapsos & errantes, quos magis studet servare, quam perdere, leniter tolerans, & nihil non tentans, ut resipiscant: plena fructibus bonis, dum nunquam cessat de omnibus benemereri, impios convertens ad pietatem, errantes revocans, indoctos docens, lapsos erigens, cessantes exstimulans, afflictos consolans. Nec interim quenquam damnat, sanandi quam damnandi studiosior, nihil habens fuci neque simulationis, sed ex animo sincero bene volens omnibus. Ad hunc modum qui puram tranquillamque ferunt doctrinam Euangelicam, & sibi metunt fructum vitæ æternæ, & alios ad studium vitæ cœlestis adducunt, quos erant contentionibus ac sævitia alienaturi. Habet & mundana sapientia suum fructum, sed aut inanem, aut mortiferum.

18 *Fructus autem justitiæ, in pace seminatur, facientibus pacem.*

18 Cæterum fructus justitiæ, qui confert & hîc innocentiam, & post immortalitatem, non seminatur per contentionem, sed in concordia paceque iis, qui pacem amplectuntur. Neque enim boni doctoris est, odiose digladiari cum iis, qui videntur obstinatiores, quam ut obtemperaturi sint Euangelicæ doctrinæ. Hos præstat suæ pertinaciæ relinquere, si spes non est fore ut resipiscant.

CAP. IV.

Damnate has lites: petitis male: stupra fugentur:
Reddite vos humiles: nostraque vita vapor.

1 *Unde bella & lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?*

1 Vobis omnibus modis adnitendum est, ut concordibus animis agatis. Atqui id fieri non potest, nisi cupiditates mundanas, concordiæ pestem & dissidiorum semina, penitus ex animis vestris exigatis. An negabitis vos esse cupiditatibus hujusmodi obnoxios? Unde igitur bella, unde pugnæ ac lites inter vos? unde contentionum ac dissidiorum tumultus? Pacem & concordiam vos docuit Christus, & unde dissensio, nisi ex eo, quod magis servitis libidini cupiditatum humanarum, quam caritati Euangelicæ? Eæ nisi militarent, & exercitum ducerent in membris vestris, neque lingua proximum laceraret, neque manus fraudaret fratrem. Adhuc veteris vitæ reliquiæ deprehenduntur in vobis, nondum exsuistis totum hominem veterem, alius concupiscit gloriam, alius inhiat lucro, hic studet regno, ille voluptatem venatur.

2 *Concupiscitis, & non habetis: occiditis, & zelatis: & non potestis adipisci: litigatis, & belligeratis, & non habetis, propter quod non postulatis.*

2 Ac dum non assequimini quod quisque vehementer appetit, protruditis competitorem, invidetis assecuto, decertatis cum eo, qui videtur assecuturus. Animo discruciamini, variisque curarum tumultibus distrahimini, dum quod impense petitis, non potestis adipisci. Ita nec unicuique secum pax est, neque cum alio. Cupiditates tumultuantur in pectore, lingua, manus, cæteraque membra pugnant ac belligerantur foris cum proximo. Atqui interim neque satisfit cupiditatibus vestris insatiabilibus, & à veris bonis exciditis.

3 *Petitis, & non accipitis: eo quod male petatis: ut in concupiscentiis vestris insumatis.*

3 A Deo postulandum erat, si quid opus esset, aut si quid ad veram felicitatem pertineret: à mundo petitis, quod à Deo petendum erat, ab hoc aut non petitis, aut si petitis, non petitis quod oportet, neque quomodo oportet. Siquidem aut noxia petitis pro salubribus, aut petitis diffidentes, aut in usum impium petitis, nimirum ut quod ex benignitate contigisset ad sublevandam vitæ necessitatem, aut egestatem proximi refocillandam, id explendis voluptatibus vestris insumatis.

4 *Adulteri, nescitis quia amicitia hujus mundi, inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.*

4 Cum ista faciatis, quo tandem nomine vos compellabo? Christianos? Facta vestra reclamant, titulum Christianorum audio, cæterum adulterorum & adulterarum facta video. Semel addicti estis sponso Christo, semel in illius verba juraſtis, ille vos redemit à tyrannide vitiorum, ille vos suo sacrosancto sanguine purgavit, ut sibi exhiberet sponsam immaculatam. Et quomodo professionis obliti, obliti beneficii sponsi, obliti fidei conjugalis, in adulterinos hujus mundi amores relabimini? An nescitis Deum zelotypum esse amatorem? totus amari vult, solus amari vult, non patitur mundum rivalem, à cujus amore vos tanto pretio vindicavit, solus ille sufficit ad omnia præstanda. Quid igitur est quod à mundo petatis partem vestræ beatitudinis? An nescitis quod Deus odit utroque genu claudicantes? non tolerat ille servum non contentum unico Domino. Quis est maritus tam patiens, qui ferat inimicum rivalem in uxoris consortium? Et vos existimatis fieri posse, ut simul & mundo placeatis & Deo? An non intelligitis, quod quemadmodum sponsa, si se junxerit adultero, protinus excidit ab amore mariti, ita Christianus si denuo tentet amicitiam habere cum mundo, protinus suscipit inimicitiam cum Deo, cui nihil convenit cum mundo? Illud igitur habete certum, quicunque studuerit esse amicus hujus mundi, is eadem opera reddit sese inimicum Deo. Nihil est commercii luci cum tenebris, nihil Deo cum Belial. Sponsus homo non fert sponsam cum adultero colludentem, non patitur dividi connubiales amores, & tamen duxit dotatam, duxit ingenuam, duxit rebus integris. Christus sponsam suam, quam servavit ab exitio, quam asseruit

Digitized by Google

ruit à servitute, quam abluit à peccatorum sordibus, quam vestivit nudam, quam tot donis gratuitis abunde dotavit inopem, rursus patietur cum Diabolo adultero habere commercium?

5 An putatis quia inaniter scriptura dicat: Ad invidiam concupiscit spiritus, qui habitat in vobis?

5 An putatis sine causa scriptum esse in sacris Voluminibus, quod spiritus, qui habitat in vobis, concupiscit ad invidiam? In Lege Mosaica nonnihil dabatur humanis affectibus, licebat quatenus impune erat, odisse inimicum, fas erat studere parandis opibus, non habebatur injustus, qui vim vi, qui convitium convitio retudisset. Sed spiritus Euangelicus, qui nunc habitat in vobis, zelotypus est, &, ut ita loquar, invidus, plus exigit, vult redamari vehementer usque ad uxoris, usque ad liberorum, usque ad vitæ contemtum. Non fert domicilium mundanis cupiditatibus inquinatum: pura requirit, requirit cœlestia, resilit, aufugit, offenditur, si mundi hujus sordes in ipsius templum invexeris.

6 Majorem autem dat gratiam. Propter quod dicit: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

6 Sed ut exigit à nobis eximium quendam amorem, longeque puriorem quam Lex Mosaica, ita confert uberiorem gratiam. Difficillimum est præstare quod exigit, sed in hoc ipsum largitur vires ut facile possimus. Amanti nihil est difficile. Hoc ipsum illius donum est, ut illum amemus, vel redamemus potius. Attraxit nos caritate sua prior, aversos sibi reconciliavit. Augebit in nobis sua dona, si modo nos illi vacuos ac totos præstemus, si ab ipso solo pendeamus, si nihil habeamus commune cum hoc mundo, nihil cum hujus mundi principe Diabolo. Cum mundum dico, nihil aliud sentio quam pravas cupiditates rerum visibilium, quibus hic mundus falsam quandam felicitatem pollicetur. Magna sunt, quæ exiguntur, sed majora sunt, quæ promittuntur. Qui largiri potest immensa, idem & robur addere potest: qui summa largiri vult immeritis, idem & vires addere dignabitur infirmis. Tantum nostris & hujus mundi præsidiis diffisi, totam spem ac fiduciam nostram in illo collocemus. Destituit eos, qui suis opibus arroganter fidunt: opitulatur iis, qui sibi nihil tribuunt, sed fidunt bonitati divinæ. Nimirum hoc est quod olim per Solomonem dixit Dominus: Deus elatis ac ferocibus resistit, sed humilibus & abjectis impartit suum favorem.

7 Subditi ergo estote Deo: resistite autem diabolo, & fugiet à vobis.

7 Deus vult vos sibi quam conjunctissimos esse, præbete vos illi morigeros, quemadmodum sponsa obtemperat marito. Quod si vos Diabolus conatur ab hujus amore sejungere, repellite adulterum cum suis præstigiis, & desinet esse molestus. Metuet vos, si viderit in amore sponsi firmos & constantes.

8 Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Emundate manus, peccatores: & purificate corda, duplices animo.

8 Ab hoc igitur sejungite vos, sive terreat, sive blandiatur, & piis studiis, sanctis castisque votis applicate vos Deo, & ille vicissim applicabit se vobis. Quocunque vergunt animi cupiditates, eo tenditis. Si affectus rapiunt ad honesta, ad cœlestia, ad Deum acceditis: sin ad illecebras carnis, ad Diabolum properatis. Eodem perpetuo properandum est, non oportet nunc huc, nunc illuc vacillare. Si Christum sponsum agnoscitis, puri sitis oportet. Proinde qui adhuc estis peccatorum cœno obliti, emundate manus vestras, abstinentes ab omni genere malefactorum: purificate corda vestra, ne quid illic resideat impiarum cupiditatum: qui nunc estis animo duplici, partim amantes quæ sunt Dei, partim quæ sunt mundi, totum pectus uni Christo dedicate. Cur hîc felicitatem quæritis, quæ promissa est in cœlis? Cur inanibus hujus seculi voluptatibus deliniti, negligitis æterna gaudia.

9 Miseri estote, & lugete, & plorate: risus vester in luctum convertatur, & gaudium in mœrorem.

9 Si vultis vere felices esse, hîc sitis afflicti: si vultis æternum gaudere, hîc plorate: si sine fine lætari, hîc flete. Stultus iste & pernicioſus risus vertatur in luctum salutarem: exitiale gaudium commutetur in salutiferum mœrorem: inanis ista celsitudo convertatur in humilitatem.

10 Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos.

10 Nemo semet erigat in altum, quin potius dejicite vos ipsos in conspectu Dei, ipse sic dejectos eriget, ac vere sublimes reddet. Quanto minus ipsi vobis arrogabitis, tanto majora largietur ille.

11 Nolite detrahere alterutrum fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, & judicat legem. Si autem judicas legem: non es factor legis, sed judex.

11 Arrogantia comitem habet livorem, ex livore nascitur detractio. Sceleratissimum autem superbiæ genus, fratris famæ detrahere, quo tu videaris honestior: perinde quasi quis alienam faciem luto conspergat, quo ipse videatur formosior: alienam vestem sordibus contaminet, quo ipse videatur cultior. Quid autem turpius, quam ut frater fratri detrahat, inter quos oportet omnia esse communia? an non secus quam si dextra manus sinistram mutilet, quasi futura felicior, si pejus habeat socium membrum? Et tamen qui vitant adulterium, qui furtum, qui perjurium, detractionem non horrent, quasi leve sit crimen, cum hoc sit pernicioſius, quo se magis tegit specie religionis. Nam qui in aliena vitia debacchatur, primum videtur ab his vitiis abhorrere, quæ in aliis detestatur: deinde simulat sese non livore, non odio commoveri, sed studio probitatis. Et habet hoc venenum suam etiam blanditiem. Mutua detractio facit, ut de utrisque pejus sentiant cæteri, nec aliud venenum præsentius Christianæ concordiæ. Jam qui obtrectat fratri, quive condemnat proximum, non solum facit injuriam ei cui detrahit, verum etiam Legi cui detrahere, quamque condemnare videtur. Si frater est innocens, si non est Lege vetitum, quod ille facit, qua fronte tu damnas, quod non damnat Lex Euangelica? sin peccat, cur eum obtrectatrice lingua traducis, quem oportebat Lege puniri? Lex Euangelica vetat, ne quos * vicissim judicemus, ne vicissim condemnemus, & sub Legis prætextu nostris affectibus indulgeamus. Habebit is qui peccat suum judicem, cur tu hujus partes occupas ante tempus? Non enim das operam ut corrigatur, sed ut traducatur. Ita quisquis obtrectat proximo, is aut legem condemnat, quod non corrigat turpia, aut detrahit, veluti nimium dilutæ lentæque, cujus officium occupat detractor. Habet mundus hic publicas leges coercendis sceleribus. At Christianæ mansuetudinis est, studere corrigendis omnibus magis quam judicandis.

12 Unus est legislator, & judex, qui potest perdere, & liberare.

12 Unus est legis conditor, qui potest & servare & perdere. An hunc putas latere quid quisque peccet? Tolerat ille fortasse peccantem, ut aliquando resipiscat, tolerat ut suo tempore gravius puniat. Cur tu quilibet è plebe vindicas tibi judicis partes? Cur ante tempus pronuntias? Monere fraternum est, rogare caritatis, increpare benevolentis est, sed obtrectare pestilens, judicare superbum. Si legi obtemperas, cur legis vices arroganter occupas? Si legi præis, non es observator Legis, sed judex. Qui legi præit, præit Deo legis auctori: is non sinet quicquam inultum, & novit quid quatenus sit puniendum, qui solus nulli crimini est obnoxius. Tu quis es qui judicas alterum? Condemnas fratrem ipse gravioribus commissis obnoxius. Etenim tendis perdere, quem servare non possis. Postremo in servum alienum jus tibi vindicas, haud citra contumeliam Domini communis. Relinque illum suo Domino, qui solus juste judicat. Tu tibi justum esse persuades, quod tibi dictaverit ambitio, quod odium, quod ira, quod livor, ac frequenter offenderis festuca in oculo fratris, cum trabem habeas in tuo. Nemo virulentius detrahit alienæ famæ, quam qui longissime abest à vera laude. Nemo levius fert alienam imbecillitatem, quam qui plurimum in veræ pietatis studio profecerit.

13 Tu autem quis es, qui judicas proximum? Ecce nunc qui dicitis: Hodie, aut crastino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus:

13 Jam qui tanto studio moliuntur ea, quæ sunt mundi, neglectis bonis cœlestibus, vel ipsa vitæ hujus incertitudine brevitateque debebant admoneri, dementiam esse in his bonis collocare felicitatem, quæ ut contingant, tamen aliquoties arbitrio fortunæ subito auferuntur, aut si illa non aufert fortuna possessori, mors ipsum possessorem eripit bonis. Hoc ita esse quum quotidianis discant exemplis, tamen velut

* Alia Editio, *nos.*

Digitized by Google

velut horum omnium obliti, somniant longævitatem, & quasi semper victuri, in plurimos annos sibi congerunt opes unde vivant, cum hoc ipsum sit incertissimum, quamdiu victuri sint, certissimum autem sit, non diu victuros, ac non potius viaticum sibi parant in eam vitam, quæ numquam est habitura finem.

14 Qui ignoratis quid erit in crastino.

14 Agite stulti, quanam igitur fronte dicitis, hodie aut cras proficiscemur in hanc aut illam civitatem, peracturi illic annum unum, facturique lucrum amplum, quod sufficiat in multos annos, cum incerti sitis quid futurum sit die postero?

15 Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Pro eo ut dicatis: Si Dominus voluerit; &: Si vixerimus, faciemus hoc aut illud.

15 Vitam per se brevissimam tot casus, tot morbi reddunt etiam incertissimam, & vos veluti pacti cum morte, per maria volitatis ac terras, quo viaticum paretis senectuti, fortassis nunquam venturæ, cum nemo sibi crastinum queat polliceri. Quid ita vitæ huic fiditis, quasi rei firmæ stabilique? Quæ tandem est ista vita vestra, cui uni prospicitis, cui uni laboratis ac molimini? nimirum vapor est ad breve tempus apparens, ac mox evanescens. Absit igitur istiusmodi oratio ab ore Christianorum: Ibimus, peragemus annum, mercabimur, lucrum faciemus, quasi vobis in manu sit eventus futuri. Vos in diem potius vivite, à Dei pendentes arbitrio, dicentes: Si Dominus voluerit, & si nobis vitam superesse volet, hoc aut illud faciemus. Leviter curanda, quæ faciunt ad brevem juxta & incertam corporis vitam, sed omnis sollicitudo conferenda est ad eas res, quæ faciunt ad vitam immortalem.

16 Nunc autem exultatis in superbiis vestris. Omnis exultatio talis, maligna est.

16 Et tamen cum hæc vita nihil habeat quo possitis tuto fidere, cum tot casibus, tot morbis sit exposita, cum tot ærumnis sit obnoxia, cum tam sit evanida, tamque fugax, tamen perinde quasi sitis immortales sic erigitis animos, & juventutis opumque fiducia turgetis.

17 Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.

17 Divini præsidii fiducia fortes & animosos esse, rectum est: cœlestium bonorum exspectatione alacres esse, pium est: sed omnis ista exsultatio qua vobis placetis de bonis, primum falsis, deinde moxauferendis, non solum impia est, verum etiam stulta. Fortasse tolerabilius sit hoc in his, quibus persuasum est à majoribus, à rogo nihil hominis superesse, & excusatius tam avide fruuntur hac vita, qui non exspectant aliam. Vos Euangelica Philosophia docuit hanc vitam esse negligendam, omnique studio properandum ad vitam illam cœlestem, quæ non opibus, sed piis factis paratur. Porro gravius peccat, qui cum ex Euangelica doctrina sciat quid sit agendum, tamen corruptus malis affectibus sequatur eadem, quæ sequuntur ii, qui Christum ignorant.

1 Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis.

CAP. V.

Exedit aurum ærugo: at spes patientibus alma
Permanet: haud jures: unctio quid valeat.

2 Divitiæ vestræ putrefactæ sunt: & vestimenta vestra à tineis comesta sunt.

1 AGITE nunc divites, qui felicitatem vitæque delitias, quas æternas oportebat exspectare in cœlis, hîc in terris occupatis præpropere, ponite cantus, omittite voluptates, & insana gaudia. Si mentem habetis, plorate & ululate, reputantes æternas illas calamitates, quæ mox imminent vobis.

3 Aurum & argentum vestrum æruginavit: & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus.

2 Fingite jam advenisse tempus, quod propediem est venturum, cum ablatis iis opibus, quibus nunc stultissime fiditis, sero sapietis, agnoscentes præclaras illas possessiones jam non esse vobis præsidio, sed pro fucata felicitate adesse veram & æternam calamitatem. Ubi nunc sunt opes, per fas nefasque congestæ? Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestimenta vestra tineis obnoxia facta sunt.

3 Aurum & argentum vestrum ærugine vitiatum est apud parcum & sordidum hæredem. Eaque ærugo testabitur vestram impietatem, qui malueritis situ perire, quam in usus egentium expromere. Harum rerum impendio poteratis emere vitam æternam.

A Nunc defossi æris ærugo exedet intima animarum vestrarum, non secus atque ignis. Sero frustraque macerabit vos male servatæ pecuniæ pœnitudo. Duplicabit infelicitatem vestram, quod male parta male servastis. Pro misericordia Dei, quam licebat opum jactura mercari, collegistis vobis iram & ultionem divinam.

4 Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini sabaoth introivit.

4 Non solum non fuistis benigni in fratrem egentem, sed tenuem debita quoque mercede fraudastis. Ecce fraudatus sua mercede messor, qui sudans demessuit segetes vestras, clamat ad Deum, & vindictam flagitat, & ita clamitat, ut vox illorum penetret in aures Domini Sabaoth, qui vobis etiam est
B formidandus. Non poterant illi ulcisci potentiores, non audiebantur ab homine judice, qui fere favet opulentioribus, obtiecebant illi, sed ipsa impietas vociferatur apud judicem Deum, qui nec metuit opulentos, & oppressi pauperis injuriam ad se pertinere putat.

5 Epulati estis super terram, & in luxuriis enutristis corda vestra, in die occisionis,

5 At vos nihil interim commoveat pauperum esurientium & sitientium calamitas. Alienus sudor vos alebat. Aliena fames ac sitis vos saginabat. Illi ringebantur, illi algebant, illi fame sitique enecabantur. Vos interim suaviter & in delitiis vitam transigebatis in terra, lasciviebatis, & omni voluptatum genere pascebatis animos vestros, agitantes
C quotidiana convivia, non minus splendida, quam alii solent festo die mactata victima.

6 Addixistis, & occidistis justum; & non restitit vobis.

6 Neque contenti fraudasse pauperem, condemnastis & occidistis innocentem non reluctantem. Putastis hoc vobis impunitum fore semper; quod apud homines impune licebat. Homicidii genus est tenues suo fraudare victu. Nec ea tamen crudelitas sufficiebat immanitati vestræ. Sitiebatis illorum sanguinem & innocentum suppliciis pascebatis animos vestros. Nunc rebus in diversum versis illi fruuntur æternis voluptatibus, vos breves & insanas delitias æternis cruciatibus luitis.

7 Patientes igitur estote fratres, usque ad adventum Domini. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum, & serotinum.

7 Proinde fratres ne despondeatis animum, ne vos
D pœniteat sortis vestræ, ne divitibus, quibus hîc res videntur ex sententia succedere, invideatis: ne quam moliamini vindictam in illos, sed toleretis usque ad adventum Domini. Nunc sementis tempus est, tunc metendi tempus erit. Nondum apparent præmia pietatis vestræ, sed tamen in tuto sunt suo tempore reddenda. Ecce qui terram colit, quantum laboris sumit suo interim impendio, nimirum exspectans futurum, ut terra suo tempore multo cum fœnore reddat quod accepit. Et tamen terræ proventus non usquequaque certus est. Ni cœlum faveat, pluvia tempestiva, quæ solum proscissum humectet, &
E serotina, quæ grandescentem segetem ab æstu tueatur, luserit operam agricola.

8 Patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra: quoniam adventus Domini appropinquavit.

8 Atqui quum hic bona spe fructus temporarii diuturnos toleret labores, neque postulet, ut protinus appareat quod seminavit: quanto magis æquum est, vos ob immortalitatis fructum, hujus vitæ incommoda patienter ferre, præsertim cum vestra merces in tuto sit, modo vos interim bonam sementem feceritis? Et vos igitur ad exemplum agricolæ, bona certaque spe confirmate & obdurate animos vestros, neque vindictæ cupidi, neque in piis operibus lassescentes. Aderit Dominus, & impios ulturus, & vos pro temporariis afflictionibus immortalitate donaturus. Nec procul abest ille dies, ve-
F niet citius exspectatione.

9 Nolite ingemiscere fratres in alterutrum, ut non judicemini. Ecce judex ante januam assistit.

9 Proinde fratres mei, ne quis videatur sibi infelicior, quod pluribus malis affligitur, neve quis invideat ei, qui mitius habet. Nec enim ille, qui graviora patitur, à Deo destitutus est, sed exercetur ad majora præmia: nec hic ideo Deo carior est, quod rebus utatur tranquillioribus, sed esse vult aliquos, quorum pietas sublevet aliorum calamitates. Ne sit igitur inter vos impius ille gemitus, index livoris ac diffidentiæ, ut ne condemnemini: nam hujusmodi gemitus animi

Digitized by Google

præludia sunt vergentis ad desperationem: consoletur vos ipsa temporis brevitas. Ecce judex ad fores adsistit, in promtu sunt præmia sua cuique pro meritis actæ vitæ.

10 Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris, & patientiæ, Prophetas: qui locuti sunt in nomine Domini.

10 Interim sanctorum patrum exemplis fulcite animos vestros: si vobis solis ista contigissent, erat fortasse quod admiraremini. Graviora passi sunt Prophetæ, qui promebant impiis oracula Dei. Ut tum non ferebant impii divites vaticinia Prophetarum, ita nunc non ferunt doctrinam Euangelicam, videlicet adversam & pugnantem ipsorum studiis.

11 Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est, & miserator.

11 Nemo tamen illorum sortem deplorat, nemo judicat infelices, quod carceres & compedes perpessi sint, quod variis cruciatibus enecti: sed felices ducimus, Deoque caros, quod ob justitiam occisi sint. Audistis nobile patientiæ exemplum Job. Quantum malorum ille pertulit, impetente Satana? Spectastis certamen, sed spectastis & vincentem præsidio Domini, cujus bonitate pro singulis malitia Satanæ ereptis recepit dupla. Non destituerat Dominus athletam suum, sed objectis tot malis, testatam ac spectatam esse voluit illius patientiam: sed misericors Dominus, ac natura propensus ad clementiam, alienam malitiam nobis vertit in cumulum lucrumque felicitatis.

12 Ante omnia autem fratres mei nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque juramentum. Sit autem sermo vester: Est, est: Non, non: ut non sub judicio decidatis.

12 Sit animus vester purus ac simplex, & animo respondeat oratio. Nemo fucatis verbis imponat proximo, sed in primis fratres mei nolite jurare, ne paulatim assuescatis pejerare. Inter Judæos & Ethnicos fidei causa interponitur jusjurandum. Inter Christianos, qui nec diffidere debent cuiquam, neque velle fallere, supervacaneum est jusjurandum. Affinis est autem pejerandi periculo, quisquis assuescit jurare. Neque solum religiosum vobis jurare per Deum in negotiis humanis & leviculis, verum etiam ab omni genere jurisjurandi temperate, ut neque per cœlum, neque per terram juretis, aut aliud quodcunque, quod vulgo sanctum ac religiosum habetur. Quisquis audebit mentiri injuratus, idem & juratus audebit, si libeat. Porro qui bonus est, fidet etiam injurato, qui malus, diffidet etiam jurato. Inter vos autem Euangelica simplicitate præditos, nec diffidentiæ locus est, nec fallendi studio. Sed sermo vester simplex, non minus habeatur verax ac firmus, quam quodcunque, quamlibet sanctum, Judæorum, aut Paganorum jusjurandum. Quoties confirmatis aliquid, ex animo confirmate, & re præstate quod dicitis. Quoties negatis aliquid, ex animo negate, nec aliud sit in pectore, quam sonat in ore, ne sit in vobis simulatio, cum sitis veritatis discipuli.

13 Tristatur aliquis vestrûm? oret: Æquo animo est? psallat.

13 Quod si quis afflictus est inter vos, ne confugiat ad hujus mundi remedia, ad annulos, ad incantamenta, ad balnea, reliquaque lenimenta mœroris, sed ad preces versus erigat animum in Deum cum summa fiducia, & experietur præsentaneum mœstitiæ levamen. Rursum si quis est æquo animo in rebus prosperis, ne semet efferat insolenter, aut inepte gestiat; sed sanctis hymnis celebret auctoris Dei benignitatem.

14 Infirmatur quis

14 Jam si quem affligat adversa valetudo, ne confugiat ad magica remedia, ne vim immensam pecuniæ consumat in medicos, quorum curatio frequenter est ejusmodi, ut præstet æquo animo è vita decedere, sed accersat ad se seniores Christianæ congregationis. Hi fusis pro ægroto precibus ad Deum, ungant eum oleo, non adhibitis precaminibus magicis, quemadmodum Ethnici solent, sed invocato nomine Domini nostri Jesu Christi, quo nullum est incantamenti genus efficacius.

in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini:

15 Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.

15 Adsit autem precibus fiducia, & audiet Deus servabitque laborantem. Neque solum restituetur ei sanitas corporis, siquidem expediat ægroto: verum si forte fuerit peccatis obnoxius, (ut plerunque morbi corporis ex animi malis oriuntur) remittentur ei ad seniorum preces, si modo fides commendet & hos qui precantur, & illum pro quo deprecantur.

16 Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua.

16 Et quoniam vita humana non constat sine levibus & quotidianis offensis, conveniet uti quotidiano remedio, ut vos viciſſim mutuis precibus sublevetis suum quisque delictum agnoscentes. Ita demum valebit remedium, si morbum agnoscas, & opem implores. Superstitiosi putant occultam inesse vim incantamentis & precaminibus suis, sed re vera plurimum valet hominis justi deprecatio, quæ per fidem nihil non impetrat à Deo. Hac lege nobiscum pactus est Christus, ut quicquid ipsius nomine petierimus cum fiducia, impetremus, nisi tale sit, ut expediat non impetrari.

17 Elias homo erat similis nobis passibilis: & oratione oravit ut non pluveret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex.

17 Quæritis hujus rei documentum? Elias homo purus erat, mortalis erat, quemadmodum & nos, & tamen ad hujus preces non pluit super terram annos tres, & menses sex.

18 Et rursum oravit: & cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum.

18 Rursus oravit, ut plueret, & mox cœlum velut auditis precibus dedit pluviam, terraque produxit fructum suum. Si precibus unius pii viri cœlum obtemperat, velut incantatum, mirum est, si Deus ad ignoscendum facillimus placatur precibus multorum?

19 Fratres mei, si quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum:

19 Jam illud perpendite fratres, si pium est, si Christianæ caritatis est, communibus precibus sublevare morbum corporis alieni, quanto magis par est, ut animi morbo laborantibus subveniamus? Neque enim magnum est hoc impetrare precibus, ut huic aut illi mors aliquanto serius accidat, omnino tamen aliquando ventura, sed magnum est vitasse mortem animi. Itaque si quis exstiterit inter vos, qui aberret ab Euangelica veritate, sive nimium adhuc adhærens Legi Mosaicæ, sive Paganismi à majoribus traditi pertinax cultor, ne quis hunc existimet convitiis exagitandum, sed huc potius oportet omnibus studiis adniti, ut conversus resipiscat ab errore suo.

20 Scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.

20 Quisquis enim hoc fecerit, magno sacrificio demerebitur Deum, qui non optat mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat. Rem enim magnam præstat, qui servat animam à morte, fratrem liberans à peccatis, per quæ morti tenebatur obnoxius. Nec interim is carebit suo præmio, siquidem Christus vicissim huic peccata condonabit etiam quamlibet multa, qui fratrem ab exitio revocarit.

PARAPHRASEOS IN EPISTOLAM D. JACOBI APOSTOLI

FINIS.

VERSVS MEMORIALES
IN EPISTOLAM D. JACOBI.

AEGER *gaude: Bulla placet: compesci to linguam:*
Damnate has lites: En prope lux Domini est.

RE-

Digitized by Google

REVERENDISSIMO DOMINO
D. MATTHAEO CARDINALI SEDVNENSI, COMITI VALESII,
DESIDERIVS ERASMVS ROTERODAMVS
S. D.

NVPER Jacobum *dedimus & Latine loquentem, & explanatius, nunc* Joannem *damus, ut & nos paulatim carpamus operis partes, nec tuam Celsitudinem negotiis Imperialibus occupatissimam obruamus; si quod tamen datur tempus vacuum hisce nostris Lucubrationibus cognoscendis. Bene vale, vir eximie.* Lovanio 6. *Januarii.*

IN I. EPISTOLAM D. JOANNIS
ARGVMENTVM,
PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

HANC *Epistolam esse* Joannis *Apostoli, qui scripsit Euangelium, vel ipse sermonis character arguit. Multus est in mentione lucis ac tenebrarum, vitæ ac mortis, odii & caritatis, in iterandis verbis, velut exceptis ex sermone proximo. Quod genus est illud: (ut exemplo quod dicimus fiat dilucidius)* Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo, quoniam omne quod in mundo est, *&c. Ac mox:* Non est ex Patre, sed ex mundo est: *&*, mundus transit. *Quoties hic iteratur* mundus? *Postremo est in toto hujus sermone quiddam minus adstrictum, ac fusius quam in sermone reliquorum Apostolorum. Est autem dilucidior Epistola quam ut egeat argumento, quemadmodum & duæ sequentes, quæ* Joanni *cuidam Presbytero non Apostolo tribuuntur.*

ARGUMENTI FINIS.

IN EPISTOLAM D. JOANNIS PRIMAM
PARAPHRASIS,
PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

CAP. I.

Auditum refero: Deus est lux: huic sociemur:
Se patrasse negans crimina, vera negat.

1 *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ:*

NEQVE de rebus mediocribus, neque de levibus aut incompertis vobis scribimus fratres carissimi, sed de re nova: verum ita nova nobis, ut apud Deum fuerit ab æterno. Is est sermo Dei, Jesus Christus, idem Deus & homo: qui cum nunquam non fuerit Dei Filius, nuper voluit esse virginis filius: & qui juxta divinam naturam erat humanis oculis invisibilis, dignatus est humanum corpus assumere: dignatus est inter homines versari familiariter, ut nos ab ignorantiæ nostræ tenebris subveheret ad lucem Euangelicæ cognitionis, & quem coram oculis corporeis conspeximus, inciperemus & mentis oculis intueri. Postulabat quidem humani cordis incredulitas, ut craſſis experimentis fides adstrueretur veritati: sed tamen illorum pietas ipsius voce prælata est, qui cum nec oculis vidissent Christum, nec manibus contrectassent, tamen certissima persuasione crediderunt eum esse Dei Filium, & unicum humanæ salutis auctorem. Nostrum est igitur, quod sensibus corporis compertissimum habemus, narrare iis, quibus videre non contigit: & tamen expedit credere, quod nulli sit speranda vita, neque salus æterna, nisi qui A credat Euangelicæ doctrinæ, cujus nos & testes sumus & præcones. Non est humanus sermo, neque levis momenti, sed divinus est & cœlestis, vitam æternam conferens iis, qui præbuerint aures morigeras, ac liberans à morte peccatorum, à quacunque religione, à quocunque vitæ genere sese huc converterint. De hoc quod referimus, optima fide referimus, nimirum quod assidui sectatores nostris auribus audivimus, oculis nostris vidimus, nec vidimus tamen procul, aut in transitu, sed coram ad plenum perspeximus. Ad faciendam fidem hi duo sensus principes sunt: atque si id quoque parum est, non solum audivimus docentem, precantem, imperantem ventis ac Dæmonibus, Patrem non semel attestantem Filio, non solum vidimus edentem miracula, morientem ac resurgentem: verum etiam hisce manibus contrectavimus. Siquidem redivivus à morte, quo plenam faceret fidem, se non esse spectrum inane, sed eundem hominem vivum, quem prius videramus mortuum, præbuit se nostris manibus contrectandum, & admotis digitis nostris, ostendit vulnerum cicatrices. Mortuum erat mortalium genus, nimirum vitiis ac peccatis obnoxium: ille pro nostris sceleribus dependit mortem, ut illius beneficio jam vivamus innocentiæ. Diffidebamus & nos, cum mortuum, cum sepultum cerneremus, sed ille revivisens spem certam vitæ nobis attulit.

2 *Et vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis:*

2 Nulla erat mortalibus æternæ vitæ spes, nisi

Digitized by Google

ille se nostris oculis ingessisset, nisi certissimis experimentis omnem dubitationem nobis ademisset. Homo pœnas luit pro nostris peccatis, sed idem Deus largitur immortalitatem ipsi fidentibus. Semper ille vivebat apud Patrem, semper hæc vita nobis erat per Filium decreta, sed nondum erat hoc consilium orbi proditum, licet ex Prophetarum oraculis id veluti per somnium exspectabat natio Judæorum, sed sola. Interim regnabat mors, vita latebat. Alii spem suam fixerant in Mose, alii in mundana sapientia, sed salus ac vita omnium Gentium erat Jesus Christus, sermo Dei Patris, magister innocentiæ & immortalitatis largitor. Neque enim vivit, nisi qui pie vivit; neque vero mortem effugit, nisi qui consequitur immortalitatem.

3 Quod vidimus & audivimus, annuntiamus vobis, ut & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre, & cum Filio ejus Jesu Christo.

3 Is sese tandem per seipsum patefecit orbi, omnibus sensibus humanis semet exhibens, atque ita insinuans sese in animos hominum. Nos autem ideo voluit esse spectatores ac testes omnium, quæ gessit in terris, ut nostro præconio cum fide divulgaretur per universum orbem terrarum: ut quemadmodum nos per Jesum sumus assequuti vitam ac salutem, si modo perseveraverimus in doctrina Euangelica, ita & vos nobiscum veniatis in societatem & consortium hujus salutis, si quod ab ipso non audistis neque vidistis, nostra prædicatione discitis, nostro testimonio creditis. Non sumus neque vani testes, neque ultronei. Mandavit ille, ut fidi testes essemus, & testificamur apud omnes magno capitis nostri discrimine, nec aliud, quam quod omnibus corporis sensibus habemus compertissimum. Nos felices, quibus aures & oculi fidem fecerunt, sed vos nihilo minus felices, si testibus illius fidem habueritis. Nostra fides conglutinavit nos Christo, reddiditque filios Dei ac membra Christi: vestra quoque fides inseret vos eidem corpori, ut nobis societate fidei conjuncti, constituatis unum corpus. Itaque fiet, ut non solum unanimes simus inter nos, velut unius corporis membra, verum etiam pacem ac fœdus habeamus cum Jesu Christo, & per hunc cum Patre illius Deo, à quo prius diffidebamus: ut quemadmodum Filio cum Patre summus est consensus, & omnium rerum communio, ita & nos per consensum Euangelicæ professionis coagmentemur in unum corpus Christi, participes futuri bonorum omnium capitis nostri.

4 Et hæc scribimus vobis ut gaudeatis, & gaudium vestrum sit plenum.

4 Scio vos gaudere de tam felici contubernio, sed hæc scripto refrico vobis, quo plenius etiam gaudeatis, si non sibi quisque tantum de sua salute gratuletur, sed omnium felicitas singulos afficiat voluptate. Facit enim hoc Christiana caritas, ut quisque de bonis alienis non secus gaudeat, ac de suis. Quo pluribus erit communis hæc felicitas, hoc erit uberius singulorum gaudium. Inter nos non constabit unanimitas, nisi adsit glutinum mutuæ caritatis. Cum Deo pacem habere non possumus, nisi capiti nostro Jesu Christo respondeamus: quicquid habet ille, Patri fert acceptum; nos quicquid habemus, Christo feramus acceptum oportet. Christus lux est vera à Patre lucis omnis proficiscens. Nos esse Christi membra non possumus, nisi lucidi simus: nec lucem habere possumus, nisi in illum transformemur, & in illius consortio jugiter perseveremus. Veritas & innocentia lux est animi, peccata pravæque cupiditates tenebræ sunt: ubi lux est, ibi vita est; ubi tenebræ sunt, ibi mors est.

5 Et hæc est annuntiatio, quam audivimus ab eo, & annuntiamus vobis: Quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ.

5 Quid igitur est quod vobis annuntiamus, quo plenius gaudeatis? nimirum hoc est, quod ab ipso etiam audivimus, & auditum vobis communicamus: quod Deus, quia totus ac sua natura bonus est, totus sapiens, totus purus, totus etiam lux est, & vita, neque quicquam est in illo tenebrarum. In nobis non itidem est, sed ex nobis ipsis multum habemus caliginis: si quid habemus lucis, hoc totum illi debemus, cujus gratuita benignitate liberati sumus à pristinis peccatis, liberati ab ignorantiæ prioris tenebris, per Euangelicam doctrinam didicimus pie vivere ad Christi capitis exemplum.

6 Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus:

6 Si quis gloriatur, se per baptismum insitum esse corpori Christi, & per hoc societatem habere cum Deo Patre: cum interim versetur adhuc in erroribus ac vitiis vitæ pristinæ, plane mentitur. Etenim cum (ut dixi) Deus absit ab omni consortio tenebrarum, qui potest cum hoc ullum habere commercium, qui totus adhuc versetur in errore, vitiisque pristinis? Errat enim tota via, qui se putat innocentiam assequi posse, nisi per Christum: errat rursus, qui satis esse putat baptismo lotum esse, nisi per innocentiam vitæ professioni suæ respondeat, errat qui hoc sentit, mentitur qui dicit. Christus autem veritas est, cui nihil commune cum mendacibus. Primus ad lucem gradus est, agnoscere suas tenebras; primus ad innocentiam profectus, agnoscere sua peccata.

7 Si autem in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce; societatem habemus ad invicem, & sanguis Jesu Christi, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato.

7 Vultis igitur audire; quo argumento cognoscere possimus nobis esse verum cum Deo consortium? nimirum hoc, si quemadmodum ille lux est, omnis caliginis expers, ita nos ad exemplum illius ab omnium errorum ac vitiorum tenebris abstinebimus, ad lucem Euangelicam vitam omnem attemperantes: & si quemadmodum Filius summam habet concordiam cum Patre, ita & nos innocenter viventes unanimes simus inter nos. Non imputabit nobis Pater veteris vitæ commissa, quæ semel ablita sunt universa pretioso sanguine Filii ipsius Jesu Christi, si modo nos in reliquum ab omni peccato temperemus, quod quidem in nobis est. Omnes sordes abluit sanguis Christi, & ab omnibus abluit: sed non abluit, nisi agnoscentes sua mala.

8 Si dixerimus quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.

8 Quod si negaverimus nos obnoxios esse peccato, nosipsos fallimus, in errore versamur, in tenebris agimus: & Christus, qui lux est, qui veritas est, in nobis non est. Etenim si vere in nobis esset, discuteret hanc arrogantis ignorantiæ caliginem. Quod si post acceptum baptismum continget in aliquam culpam ex infirmitate humana relabi, lucemque nostram ceu nebula quæpiam obscurarit: cavendum est, ne nos arrogantia longius ac longius semotos à luce reducat ad pristinas tenebras.

9 Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.

9 Sed adnitendum, ut per modestiam admoveamur luci, caliginem omnem dispulsuræ. Si quid obiter deliquerit frater in fratrem, alter alteri condonet offensam, ut Deus vicissim condonet illis, quæ in ipsum admittuntur. Siquidem hac lege Deus pollicitus est nobis se remissurum, quicquid in illum deliquimus, si fraterni delicti gratiam faciamus, ad extremum usque quadrantem debitum exigens ab eo, qui Domini clementiam expertus, se parum clementem præbuerat in conservum, videlicet eum indignum judicans divina misericordia, cum is semel gratis universa commissa condonarit, qui levem offensam condonare recuset ei, in quem ipse quotidie vel peccet, vel peccare possit. Facile ignoscet delinquenti, qui repetet quam multis modis ipse delinquat & in Deum, & in proximum. Atque ut difficillimum est homini præstare, ne quid peccet, ita facillimum est mederi delictis hujusmodi mutua condonatione. Ignosce tu proximo, & proximus vicissim ignoscet tibi, & utrique velut ex pacto ignoscet Deus. De his loquor erratis, quæ & inter bonos incidunt, sed homines tamen, quæque lucem Euangelicæ veritatis offuscant magis, quam extinguunt. Nam Deus avertat, ut homicidium, aut adulterium, aut sacrilegium incidat in vitam eorum, qui semel cooptati sunt inter Filios Dei. Nihil autem magis invitat Dei misericordiam, & mitigat iram, quam si quis apud Deum agnoscat peccatum suum. Si ferox etiam homo condonat agnoscenti delictum, quanto magis id faciet Deus, quovis homine clementior? Natura pro-

pen-

Digitized by Google

pensus est ad misericordiam, & hac conditione nobis pollicitus est veniam: Remittite, & remittetur vobis. Si non ignosceret, quia bonus est: ignosceret, quia justus est, ac bonæ fidei. Tu modo præsta conditionem præscriptam, ille non obliviscetur pacti. Si nos ex animo condonaverimus proximo, qui nos offendit, Deus vicissim nobis condonabit, non solum unam aut alteram noxiam, sed omnia peccata: modo pro viribus adnitamur, ut aliquando simus immunes ab omnibus vitiis. Id si nos ad plenum non poterimus assequi ob humani corporis fragilitatem, ipse tamen de sua benignitate supplebit, quod deest nostris viribus, ac repurgabit nos ab omnibus commissis nostris, qui fortassis ob hoc ipsum patitur in nobis residere nonnulla vestigia pristinæ vitæ, ut agnoscamus imbecillitatem nostram. Siquidem plus illi placet peccator sibi displicens, quam justus sibi placens.

10 Si dixerimus quoniam non peccavimus; mendacem facimus eum, & verbum ejus non est in nobis.

10 Vult ille salutem hominum suæ misericordiæ ferri acceptam, non meritis nostris. Jamque testatus est neminem esse mortalium in terris, qui non alicubi labatur. Quod si nos negaverimus in nobis esse peccatum, Deum mendacem facimus, qui mentiri non potest, eique contradicimus, cui quisquis contradicit, mentiatur oportet.

CAP. II.

Belle quid quis amet, quid non: advertite: errant mox
Antichristi: vox unctio sacra docet.

1 Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed & si quis peccaverit advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum:

1 HÆC scribo filioli mei, non ut paratæ clementiæ fiducia peccetur licentius, sed ne quis omnino peccet, quantum in nobis est. Posteaquam Christus semel nobis omnia commissa condonavit, huc oportet omnibus studiis eniti, ut innocentiam servemus illibatam. Et tamen si fors evenerit, ut relabamur in aliquod peccatum, non est quod desperemus de venia. Deum habemus exorabilem, & apud hunc habemus patronum amantem ac fidum, qui nihil non impetrat à Patre Filius, ac nobis ex animo bene vult, qui semetipsum impendit servandis nobis, modo nobis ipsi penitus atque ex imis præcordiis displicuerimus, & rursus ad meliora nitamur.

2 Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.

2 Solus ille non habet quod ipsi condonetur, & interpellat pro peccatis membrorum suorum, ac Patrem offensum nobis reconciliat, propitiumque reddit: neque nobis solum, qui jam illius doctrinam sumus amplexi, sed universo mortalium generi, si modo pectore sincero sese peccatores esse fateantur, & innocentis vitæ propositum suscipiant, susceptum urgeant, ac mordicus retineant.

3 Et in hoc scimus quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus.

3 Non enim ideo nos liberat baptismus ab observatione Mosaicæ Legis, ut in posterum impune peccemus, sed ut tenacius adhæreamus Euangelicæ caritati, quæ plus impetrat à volentibus, quam extorquent tot Mosi leges ab invitis. Multa compendio præcepit, qui præcepit caritatem erga proximos, qualem ipse præstitit nobis. Non adigit ad se redamandum, sed invitat, sed provocat, sed inflammat. Quisquis vere Deum novit, non potest illum non vehementer amare. Nec enim quisquis Deum ore profitetur, Deum novit: sed qui caritatis Euangelicæ flamma succensus, volens ac lubens præstat, quod ille prior præstitit, ut & inimicis benefaciamus, ut pro salute proximi non dubitemus vitæ subire discrimen, is se declarat nosse Deum.

4 Qui dicit se nosse eum, & mandata ejus non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est.

4 Quod si quis jactet se nosse Deum ob hoc, quod catechumenus didicerit mysteria fidei, quod baptizatus illius nomen professus sit, nec interim imitatur illius caritatem: is mendax est, nec adhuc Deum plene didicit, qui non cognoscitur, nisi fidem imbuat caritas. Quisquis autem mentitur, in hoc non inhabitat Christus, qui est ipsa veritas: & quisquis hunc non habet in se manentem, non est vivum membrum corporis ejus. Fides absque caritate res est inanis ac mortua. Porro caritas otiosa non est, nihil omittit eorum, quæ novit esse grata ei, quem amat. Christus negavit se agniturum discipulum, qui sublata cruce se non sequeretur, perfectæ caritatis vestigiis ingredientem.

5 Qui autem servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est: & in hoc scimus quoniam in ipso sumus.

5 Hujus igitur sermonem qui servat, is ipsa re declarat se tenere perfectam, vereque Euangelicam caritatem. Hoc experimento cognoscemus quod in illius corpore sumus, quod illius spiritum hauserimus. Quid tu te jactas, ut Christi membrum, quod per baptismum receptus es in gregem Christianorum? Non est otiosa, non est delicata professio. Non professio facit verum Christi membrum, sed imitatio.

6 Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.

6 Qui profitetur ore se renatum in Christo, debet illius vestigiis ingredi. Non vixit ille sibi, non sibi mortuus est: totum se nobis impendit, in omnes beneficus fuit, nulli regessit convitium, sed in cruce fixus, pro iis, qui probra congerebant in ipsum, Patrem deprecatus est. Hæc est Euangelica perfectaque caritas, quam factis oportet æmulari, qui se profitentur Christi discipulos.

7 Charissimi, non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio: Mandatum vetus, est verbum quod audistis.

7 Carissimi non est novum hoc præceptum de caritate, quod scribo vobis, sed jam olim hoc prodidit & Lex Mosaica, vel per hanc potius Christus, qui suum præceptum renovavit in Euangelio, & sic renovavit, ut illud peculiariter suum faceret. *Hoc*, inquiens, *est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Neque novum est igitur neque meum præceptum, quod nunc trado vobis, neque vobis hactenus inauditum: sed hoc ipsum est, quod vobis in ipso statim initio tradidimus ex auctoritate Christi.

8 Iterum mandatum novum scribo vobis, quod verum est & in ipso, & in vobis: quia tenebræ transierunt, & verum lumen jam lucet.

8 Sed idem rursus novum est, quod nunc scribo vobis. Vetus erat, sed antiquatum moribus hominum. Judæi memoriter tenebant: *Diliges Dominum Deum tuum, diliges proximum tuum*, sed suo quisque compendio serviebant. Christus hoc nobis renovavit, plus etiam nos diligens quam seipsum, & diligens non proximos, sed hostes, sed aversos ac malo dignos. Id tametsi scio vobis quondam auditum, tamen crebra iteratione subinde renovandum, ut altius insideat animo, quod est Euangelicæ professionis caput. Verum erat præceptum hoc in Christo, qui quod docuit præstitit. Sed verum non erat *in* vobis, donec laborabatis odio proximi, donec convitium convitio, injuriam injuria pensabatis. Nunc & in vobis verum est, posteaquam exorta vera lux Euangelicæ doctrinæ dispulit tenebras vitæ prioris, docuitque non esse Deo gratum, nisi qui bonos amaret ob Christum, & malos diligeret in hoc, ut converterentur ad Christum.

9 Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc.

9 Hanc doctrinam qui sequuntur, in luce ambulant, nec offendunt in tenebris malarum cupiditatum. Odium proximi, caliginem offundit animo. Proinde qui sic lotus est ac professus Christum, ut non desierit odisse fratrem suum, is falso se credit in luce versari, cum adhuc sit in tenebris. Neque enim huic Deus remittit peccata, qui non remittit fratri suo. Neque enim satis est reliquisse furtum, adulterium, & homicidium in baptismo, nisi simul ex animo revellatur omnis simultas, & in odii locum succedat caritas.

10 Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est.

10 Qui perseverat in amore proximi, is manet in luce, qui est Christus Jesus, nec impingit velut in tenebris ambulans: nam adeo neminem lædit vera caritas, ut omnia sufferat, omnia vertat in bonum.

11 Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo eat, quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.

11 Rursus qui odit fratrem, etiamsi desiit immolare simulachris, etiamsi desiit esse fœnerator, aut sacrilegus, tamen adhuc in tenebris est, & obsequiens cæcæ cupiditati, in tenebris ambulat, neque

Digitized by Google

cernit rectam viam ad salutem, quanquam illi præluceat Euangelium. In causa est, odii fraterni caligo excæcavit oculos ejus. Ubi regnat odium, ibi cæcum est judicium.

12 Scribo vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus.

12 Ego vos omnes materna caritate prosequor, & ob id scribo, partim gratulans felicitati vestræ, partim adhortans, ut ad meliora proficiatis. Omnibus vobis gratulor, ut carissimis filiis, quos per semen Euangelicæ doctrinæ regenui Christo, quia vobis condonata sunt peccata vitæ superioris, & gratis condonata sunt, non ob aliud nisi quod professi estis nomen Domini Jesu Christi, ut memineritis hujus exemplo gratis item condonare suo quisque proximo.

13 Scribo vobis patres, quoniam cognovistis eum, qui ab initio est. Scribo vobis adolescentes, quoniam vicistis malignum.

13 Scribo vobis, quos non tam ætatis progressus quam morum gravitas, & erga juniores pia sollicitudo patrum vocabulo dignos reddit, gratulans vobis quod non solum vulgari prudentia præditi sitis, qua senes ob usum rerum fere commendantur, & imperitis juvenibus rectius consulunt: sed quod cognovistis Jesum Christum salutis auctorem, qui non solum longævus est, verum etiam semper fuit apud Patrem. Æternum novistis longævi, & quo plenius hunc nostis, hoc diligentius eum prædicatis ætati rudiori. Multa vetera meminerunt ac tenent senes, vos eum tenetis, qui fuit ante tempus omne. Scribo vobis adolescentes, qui vigore fidei superastis Satanam improbum & importunum. Vulgus juvenum hoc videtur felix, quod robore corporis nemini facile cedant. Vos feliciores, qui robore mentis, nec voluptatum illecebris, nec ullis mundi terroribus potueritis superari. Aliorum virtus emicat in bello, vestra virtus clarius emicuit adversus insultus Dæmonum, carnis & mundi.

14 Scribo vobis infantes, quoniam cognovistis patrem. Scribo vobis juvenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignum.

14 Scribo vobis pueri, qui tametsi per ætatem nondum sapitis peritia rerum mundanarum, tamen hoc jam nunc estis assequuti, quod vobis æternam conciliet felicitatem. In aliis infantibus primum mentis specimen est, si patrem agnoscant, vos novistis Patrem cœlestem, per quem estis cœlo renati. Tueatur quisque quod habet, & proficiat in eo quod habet. Ob hanc causam & gratulor singulis & commonefacio singulos ordines ac status, ut agnoscentes felicitatem vestram, agatis gratias auctori Deo, & memores quo pervenire oporteat, semper enitamini ad perfectiora. Repetam igitur ne queat elabi. Scripsi vobis patres, quia nostis eum qui nec initium habet, nec finem, ne quid vos commoveat hujus vitæ desiderium ad æternam properantes vitam. Scripsi vobis adolescentes, quod mollitiem ætatis animi robore superastis, quodque constanti pectore sermonem Euangelicum servastis, & opitulante Christo superastis Diabolum pervicacem humani generis hostem. Perseverate in victoria, pergite contemnere, quod hactenus contemsistis, magis ac magis amate, quod amare cœpistis.

15 Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.

15 Sollicitat mundus falsis bonorum fluxorum simulacris, territat inani falsaque specie malorum. Vos ea terreant quæ vere mala sunt, nec unquam finem accipiunt: ea capiant, quæ vere bona sunt, & finem nesciunt. Lucem Euangelicam sequentes amate cœlestia, quæ pollicetur cœlestis ille Pater, cui per Christum estis renati. Fugite tenebras malarum cupiditatum, per quas mundus hic inescat fucatis bonis. Fieri non potest ut utrumque simul ametis, utrique simul serviatis.

16 Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.

16 Nihil convenit Deo cum mundo, nihil luci cum tenebris, quisquis amat mundum, excidit à caritate Dei Patris. Non hunc mundum dico, cujus opifex est Deus, in quo, velimus nolimus, vivimus. Improbas cupiditates rerum inanium, in quibus hominum vulgus constituit felicitatem, verorum bonorum oblitus, mundum appello. Non vos locus quamlibet semotus, non vos cultus, non cibus, non vos titulus eximit à mundo, sed animus purus ab his, quas dixi, cupiditatibus. Quid autem habet hic mundus, quod non sit exitiabile? Tria sunt, quibus potissimum imponit stultis & incautis, voluptas carnis, irritamenta oculorum, & fastus strepitusque vitæ. Objicit enim præstigias quasdam inanium voluptatum, quibus ad tempus corporis sensus demulceat, ut interim animus à cœlestium bonorum studio avocetur. Nam hujusmodi bonorum cupiditates suggerit Spiritus ille cœlestis, quem Deus Pater impartit filiis suis vere per Christum renatis. Habet & Satanas suum spiritum, per quem suggerit pernicioſum amorem rerum neque verarum, neque perennium iis, qui sese huic mundo devoverunt. Suggerit Veneris mala gaudia, quæ stulta fœdaque prurigine membra corporis titillent. Suggerit eduliorum ac potus cupedias, quæ gulæ palatoque blandiantur. Suggerit otii somnique dulcedinem, quo magis situ torpescat animus. Suggerit lascivas cantiones & impudicas fabulas, quibus aures deliniat. Suggerit formarum illecebras, & varia spectaculorum genera, quibus oculos oblectet. Suggerit honorum pompas, ac divitiarum strepitus, ambitionis irritamenta. Denique nulla non parte mentes hominum à veris æternisque bonis avocat ad inania bonorum simulacra. Horum cupiditate qui capitur, sciat se non incitari Spiritu Patris cœlestis, sed spiritu mundi.

17 Et mundus transit, & concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.

17 Mundus, ut constat elementis temporariis, ita nihil præbet nisi mox periturum. Deus ut est æternus, ita largitur æterna præmia. Ergo qui pendet à mundi præsidiis, evanidam quandam ac mox auferendam felicitatem sectatur, quam frequenter & hîc aufert casus præter opinionem exortus, aut senium eripit. Certe mors, nulli non ventura, tollit totum illud falsorum gaudiorum somnium. Subducta materia, perit voluptas, & succedunt dolores. Sublato homine pereunt omnia, & succedit cruciatus æternus. Cæterum qui Patri obtemperat vocanti ad amorem vitæ cœlestis, hujus felicitas nullum est habitura finem. Nescit enim finem, qui illam largitur. Innoxiis hujus mundi commodis utendum pro tempore, sed parce, sed moderate, ad necessitatem naturæ, non ad voluptatem libidinis. Cæterum summum animi studium ad res æternas vertendum est, ad quod etiam oportet referri cæterarum rerum usum. Nondum apparet piorum felicitas, sed ea patefiet in adventu Domini nostri Jesu Christi.

18 Filioli, novissima hora est: & sicut audistis quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt: unde scimus, quia novissima hora est.

18 Videntur interim hîc suaviter agere impii, sed imminet illis æterna calamitas, idque brevi. Videtur enim adesse tempus illud extremum, quo mutatis rerum vicibus, cum Christo regnabunt hi, qui nunc ob Christum affliguntur, ac ad nihilum redigentur, qui nunc Christo rebellant. Audistis venturum Antichristum, qui omnibus hujus mundi præsidiis ac præstigiis armatus, belligeretur adversus Christum, moxque Antichristo victo liberabitur omnibus malis corpus Christi, & onerabuntur omnibus malis membra Diaboli. Hujus igitur Antichristi adventus, de quo vobis prædictum est ab Apostolis, haud longe videtur abesse. In tantum enim invaluit hic mundus adversus doctrinam Euangelicam, ut jam nunc complures esse cœperint, qui vocabulum Antichristi mereantur, quorum & vita & doctrina, & studium omne Christo adversetur. Quid enim aliud hi quam Antichristi illius anteambulones videntur, & venturæ tempestatis extrema præludia? Minus enim lædunt Christi populum, qui prorsus à Christo sunt alieni, quam hi, qui semel in illius castris versati, mox transfugæ facti, Christi præsidiis & armis Christum oppugnant. Simulant enim etiam ea, quæ in Christianis declarant Christi virtutem, sanctimoniam, doctrinam, auctoritatem, miracula.

19 At-

Digitized by Google

19 *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam, si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum: sed ut manifesti sint quoniam non sunt omnes ex nobis.*

19 Atque hi quidem exierunt è nobis, verum nihil est quod nos magnopere perturbent: versabantur inter nos, sed nostri non erant. Hostes erant Christi, etiam cum in illius castris agebant. Quod si vere nostrarum fuissent partium, perpetuo perseverassent apud nos. Titulo cultuque Christum profitebantur, cæterum animo mundum adamabant. Et idcirco cum ventum est ad tempestates persecutionum, cum ad incendium afflictionum, prodidere semet quales antea fuissent. Nunc à nobis semoti sublevant nos, veluti corpus gravatum malis humoribus, ac minus lædent hostes aperti, quam fucati socii. Sic visum est Christo, quo palam fiat, non omnes pertinere ad Christi corpus, qui loti sunt in illius nomine, qui nomine illum profitentur, qui sacramentis Ecclesiæ communicant. Verus ac constans mundi contemtus arguit Christianum. Animus adversus omnes illecebras, adversus omnes injurias infractus & invictus arguit Christianum. Qui ad occasionem desciscit à doctrina Christi, simulabat Christianum, non erat.

20 *Sed vos unctionem habetis à Sancto, & nostis omnia.*

20 Expedit autem hos palam à nobis sejungi, ne specie boni magis etiam noceant incautis; etiamsi vobis ignoti non erant, & antequam se palam subducerent. Siquidem unctio Christi, unde & vobis est nomen, afflatus Spiritus Christi satis indicat vobis, qui sint vere Christiani, qui secus. Etenim qui spiritualis est, omnia dijudicat. Non erant ignoti, sed tolerabantur si forte resipiscerent.

21 *Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam: & quoniam omne mendacium ex veritate non est.*

21 Quod dico verum est, neque hæc scribo vobis, quasi vos latuerit veritas, qui doctorem habetis Christi Spiritum, qui non patitur vos quicquam ignorare: sed in memoriam revoco, quod scitis, quo fixius adhæreatis veritati, neque perturbemini successu malorum. Pauciores estis, sed saniores, sed purgatiores, sed tranquilliores. Nihil decessit corpori, si resecta est vomica, si pus exstillavit. Scitis quod Christus est veritas, ab hoc dissidet omne mendacii genus. Quisquis fucatus est, cum hoc nihil habet commercii, quantumvis illum ore profiteatur. Multæ sunt mendaciorum formæ.

22 *Quis est mendax nisi is qui negat quoniam Jesus est Christus? Hic est Antichristus, qui negat Patrem & Filium.*

22 Quisquis quocunque modo mendax est, Christum negat qui veritas est, nullius mendacii mixturam recipiens. Quisquis adversatur veritati, Christo adversatur: quisquis adversatur Christo, Antichristus est. Nullum autem sceleratius mendacii genus est, quam negare Jesum esse Christum, atque id faciunt multi Pseudoprophetæ Judæorum, qui negant illum fuisse, quem Moses & Prophetarum oracula jam olim mundo pollicita sunt vindicem ac salutis auctorem, & alium nescio quem Antichristum pro Christo promittunt. Nimirum quisquis est hujusmodi, palam est Antichristus. Rursus sunt qui licet ore profiteantur, Jesum esse Christum, tamen sic vivunt, quasi vana sit ejus doctrina, quasi vana sint præmia quæ promisit. Ille docuit, beatos esse pauperes spiritu, quod eos maneat regnum cœlorum; & alius huc toto incumbens studio, ut dilatet latifundia, ut exstruat magnificas ædes, ut augeat reditus, ut expleat arcas nummis per fas nefasque quæsitis, ut factione valeat, ut inopes opprimat, ut tyrannidem exerceat, an non reclamat Christo, cujus doctrinam, quod in ipso est, mendacem facit? Docet ille, beatos esse qui esuriunt & sitiunt justitiam; & alius in luxu, in gulæ ventrisque voluptatibus felicitatem ponens, nonne Christo refragatur? Docet ille, beatos esse mites, quod hi possessuri sunt terram illam cœlestem, unde rursus depelli non poterunt; & alius ita se denique felicem judicat, si pauperibus oppressis suam stabiliat opulentiam. Docet, beatos esse qui lugent in hoc mundo, quod his debeatur æterna refocillatio; & alius per omnia sectans hujus vitæ delitias, nonne Christo refragatur? Docet ille, beatos, qui misericordes sunt in proximos; & hic sibi placet, quod malis ultro affligit meliorem se. Docet ille, beatos, qui convitiis & afflictionibus vexentur ob justitiam Evangelicam; & hic omni fucorum ac technarum genere studet placere mundo. Agnoscit ille discipulum, qui sublata in humeros cruce sequatur ipsum; & alius nihilominus sibi Christianus videtur, si omnem effugerit molestiam. Dicit ille suis: *In mundo cruciatum habebitis, in me pacem habebitis*; & istis Christus gravis est, mundus suavis. Jubet ille benemeri etiam de inimico, & alius etiam immerentem afficit injuria. Nonne qui sic vivit, Christo refragatur? Non reclamat os, sed reclamat vita. Cum diversa doceret Filius, Pater dixit, *hunc audite*. Iste vero quid dicit? non hunc audite, dura sunt quæ docet, mundum audite. Proinde quemadmodum obsistit Filio, ita repugnat & Patri, & dum mundanæ factionis est, semovet se à grege eorum, quos Christus selegit ab hoc mundo. Nihil Christo commercii cum hoc mundo, huic qui sese adglutinat, Christo repugnat, & Antichristum agit, simul & Patrem abnegans & Filium. Siquidem Patri cum Filio individua societas est.

23 *Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet: qui confitetur Filium, & Patrem habet.*

23 Hic mihi reclamabit Judæus: Patrem agnosco, Filium non agnosco. Atqui quicquid in Filium commiseris, idem commiseris in Patrem. Filius nihil neque gessit, neque docuit, nisi auctore Patre. Qui Filio derogat, derogat Patri. Ergo qui se alienarit à Filii consortio, is nec ad Christi corpus pertinet, quod est Ecclesia catholica, nec cum Patre Deo consortium habet, cui per omnia convenit cum Filio. Videtis quanto cum periculo se stulti divellunt à Filio.

24 *Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat: Si in vobis permanserit quod audistis ab initio, & vos in Filio & Patre manebitis.*

24 Vos igitur perseverate in Euangelica veritate, quam à probatis Apostolis primum accepistis. Ne vos abducat Pseudapostolorum mendax oratio. Si perstiteritis in eo, quod primum tradidimus vobis, permanebitis in consortio Dei Patris, ac Filii ejus Jesu.

25 *Et hæc est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam æternam.*

25 Si cui durum videtur perseverare in Euangelica professione, propter afflictiones impiorum, cogitate præmium. Rem arduam exigit Deus, sed ingens est præmium, quod pollicetur. Neque enim pollicetur opes, aut regnum, aut voluptatem hujus mundi, sed vitam æternam. Id parvo emit, quisquis emit etiam vitæ dispendio.

26 *Hæc scripsi vobis de his, qui seducunt vos.*

26 Hæc tot verbis refrico & inculco vobis, sollicitus, ne quos forte seducant præstigiis suis impii, qui à Christo desciverunt.

27 *Et vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium. Et sicut docuit vos: manete in eo.*

27 Quanquam vel citra nostram commonitionem satis, ut arbitror, docet vos ipse Spiritus Christi, quem habetis assiduum monitorem ac doctorem in cordibus vestris. Is quandiu perseverat in vobis, non est necesse ut quisquam vos doceat, quid sit cavendum. Is doctor est arcanus, sed longe certissimus. Is semel à vobis haustus, docet vos de omnibus, quemadmodum & Filius promisit. Siquidem natura verax est Spiritus, neque mentiri novit. Proinde perseveretis in eo quod ille vos semel docuit. Tenetis rectam doctrinam, meministis, nihil superest, nisi ut in ea persistatis, usque ad adventum Christi, quem conjicio non procul abesse.

28 *Et nunc filioli manete in eo: ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in adventu ejus.*

28 Iterum atque iterum rogo filioli, persistite in doctrina Spiritus, ut cum apparuerit princeps ac judex ille noster, bonæ vitæ conscientia nobis tribuat fiduciam apud illum, talesque prodeamus, ut nec illum pudeat nos agnoscere suos discipulos, neque nos pudeat in conspectum illius venire. Nam quo ore compellabimus eum Præceptorem ac Dominum, si nec docenti auscultavimus, neque præcipienti paruimus? Quo ore Deum appellabimus patrem, si tota vita degeneres fuerimus ab illius institutis? Non simplex baptismus, sed servata justitia facit nos filios Dei. Quid enim audituri sunt, qui in nomine Jesu ejecerunt Dæmonia, qui prædixere futura, qui miraculis inclaruerunt? Nescio vos. Pro alienis ducit, in quibus non videt justitiam Euangelicam.

29 Quod

Digitized by Google

29 Si scitis quoniam justus est, scitote quoniam & omnis qui facit justitiam, ex ipso natus est.

29 Quod si vobis persuasum est, Deum esse hujus justitiæ auctorem, simul & illud scitote, quod quisquis non professione, sed studiis, factis, ac moribus præstat justitiam Euangelicam, ex Deo natus est, ad quem sibi bene conscius poterit ea fiducia accedere, qua solent obedientes filii ad patrem propitium. Similes agnoscet, dissimiles non agnoscet.

CAP. III.

Christum cernemus, qui tollit Dæmonis artes:
Vitemus Cainum: Cor neget esse reos.

1 Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus. Propter hoc mundus non novit nos: quia non novit eum.

1 UBI sincera caritas est, ibi fiducia est, & metus abest. Videte igitur nobis qui contemto mundo cum suis & illectamentis & terriculamentis, perseveramus in Euangelica doctrina, quam insignem dederit caritatem, ut non solum servi fideles, non solum amici, sed filii Dei & nominemur, & simus. Sic enim docuit Christus, ut cœlestem Patrem appellemus, si qua re sit nobis opus. Summus est honos appellari filios Dei. Summa felicitas est esse filios Dei. Huic quoniam constanti pietate adhæremus, & ab illo agnoscimur, mundus nos non agnoscit, sed ut diversæ factionis horret & exsecratur. Nec mirum si non agnoscit filios Dei, cum Deum ipsum non agnoscat, abnegans illius Filium Jesum. Ne quid perturbet animos vestros carissimi, quod vos habet despicabiles & abjectos.

2 Charissimi, nunc filii Dei sumus: & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.

2 Apud Deum habemus etiam nunc hanc eximiam dignitatem, quod sumus filii Dei, & gaudemus in sinu, sentientes in nobis spiritum non servitutis, sed filiorum, cujus fiducia clamamus, Abba, Pater. Adest dignitas, sed nondum apparuit dignitas. Adhuc pugnæ tempus est, nondum venit dies triumphi. Ille declarabit universis, quanta sit dignitas, quanta felicitas eorum, qui constanter sese præbuerint filios Dei. Nondum eluxit, quod sumus futuri in adventu Christi, verum, illud certa spe tenemus, simul atque apparuerit ille redditurus cuique pro suis factis præmia, nos qui fuimus hîc consortes afflictionum, erimus & gaudiorum socii, quique fuimus illi similes in mundi contemtu, erimus eidem similes in majestate gloriæ. Vidimus hîc illum afflictum, vidimus humilem, tunc videbimus, sicuti est, & semper fuit, excelsum ac sublimem, & videntes ad illius similitudinem transformabimur & ipsi, non solum animis, verum etiam corporibus. Videmus & nunc illum, sed veluti per nebulam oculis fidei: tunc ineffabili modo videbimus. Sed quod tunc futuri sumus perfecte, id nunc interim pro nostra virili meditandum est. Ut illi tunc similes simus in gloria, hîc puri simus ab omnibus sordibus. Ut illum tunc videre possimus, nunc purgemus oculos, ne cum ille splendidus apparuerit, nobis tamen formidabilis sit magis quam amabilis.

3 Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.

3 Nec enim feliciter videtur, nisi à similibus. Proinde quisquis habet hanc fiduciam in Christo, ut tunc consors sit illius gloriæ, interim piis studiis purificat se à mundanis affectibus, quemadmodum in illo nihil erat inquinamentorum hujus mundi, sed totus purus est ac cœlestis. Itaque pro nostris viribus huc enitendum est, ne quid in nobis resideat terrenæ fecis.

4 Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit: & peccatum est iniquitas.

4 Nec vero sibi quisquam blandiatur, dicens: Mihi satis est ad innocentiam, si nihil horum admisero, quæ Lex Mosi vetat, quæque Cæsaris etiam legibus puniuntur, quod genus sunt, furtum, sacrilegium, adulterium, homicidium: imo prorsus omne peccati genus est fugiendum. Quisquis enim ullo modo peccat, etiamsi non peccet adversus præscripta Mosaica, peccat tamen adversus legem Euangelicam, Mosaica longe sanctiorem.

5 Et scitis quia ille apparuit ut peccata nostra tolleret: & peccatum in eo non est.

5 Atque hanc ob causam Christus semel venit in mundum, ut viam ostenderet, qua reditus illius nobis fieret salutaris ac felix. Venit ut semel tolleret non unum aut alterum peccatum, sed omnia peccata nostra, cum ille solus nulli peccato esset obnoxius.

6 Omnis qui in eo manet, non peccat: & omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum.

6 Semel nos gratis purgavit ab omni peccato, ut sui similes redderet, quod nec lex ulla, nec mortalis ullus præstare poterat. Per baptismum insiti sumus illius sacrosancto corpori. Sed nostrum interim est adniti, ne excidamus à capite. Per gratuitam illius clementiam insiti sumus, sed excidemus, si in pristina vitia relapsi fuerimus. Quisquis in Christo manet, perseverat in innocentia, & adeo cavet ab omni peccato, ut in dies magis ac magis adolescat in virtutibus, reddaturque capiti suo similior. Quisquis non abstinet à peccatis, quanquam tinctus est, quanquam dedit nomen Christo, nondum plene vidit eum, neque novit eum. Quis enim si oculis fidei videret, quanta sit dignitas cooptari in numerum filiorum Dei, quanta turpitudo dedi patri Diabolo, sustineat à tali corpore avelli, à tali desciscere patre, & ad tam fœdam degenerare tyrannidem, à tantis præmiis ultro prolabi ad tantam calamitatem?

7 Filioli, nemo vos seducat. Qui facit justitiam, justus est: sicut & ille justus est.

7 Filioli ne quis vos seducat, blandiens vobis de professione Christiani nominis, quasi id satis sit ad felicitatem. Non qui profitetur justitiam justus est, sed qui vita ac moribus præstat justitiam, is justus est, quemadmodum & Christus se dictis ac factis præbuit exemplum omnis justitiæ. Huic qui vere ac totus adhæret, quoad potest ab omni vitiorum inquinamento temperat, & ipsa morum puritas arguit illum esse filium Dei, qui natura bonus est, & peccatum nescit.

8 Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.

8 Quisquis autem peccat, etiamsi Christi sacramentis est initiatus, tamen è patre Diabolo progenitus est, qui princeps est & auctor omnis peccati. Hunc quisquis imitatur, parentem suum refert, hoc ipso quod peccat, seque filium illius esse declarat. Non admittit Deus consortium cum vitiis: nam in hoc ipsum misit Filium in hunc mundum, ut aboleat opera Diaboli, hoc est, omnia quæ pugnant cum Euangelica caritate.

9 Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.

9 Ex Adam nascimur omnes obnoxii peccatis, ex Deo renascimur per semen Euangelicæ doctrinæ. Hujus seminis vis quam diu manet in homine, non peccat, nec potest peccare, videlicet vetante divina caritate, quæ rapit eum ad studium benefaciendi, & avocat ab omni cupiditate peccandi: eo quod vere sit filius Dei, germane referens indolem atque ingenium Patris & capitis sui.

10 In hoc manifesti sunt filii Dei, & filii diaboli. Omnis qui non est justus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum:

10 Non titulus, non baptismus, non sacramenta discernunt filios Dei à filiis Diaboli, sed vitæ puritas, sed caritas exserens & explicans sese benefactis. Non est otiosa si adsit. Quisquis hanc non declarat, nec re declarat sibi carum esse fratrem, is ex Deo natus non est. Si vivum esset membrum corporis Christi, diligeret cætera membra, pro quibus mortuus est Christus.

11 Quoniam hæc est annuntiatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum.

11 Hæc est Christianæ justitiæ summa, hoc est, quod in primis nobis tradidit Christus, hoc est, quod vobis ante omnia commendavimus, ut mutua caritate declaretis vos esse filios Dei, ac discipulos Christi.

12 Non sicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant: fratris autem ejus, justa.

12 Siquidem odium proximi gradus est ad homicidium. Et livor ex diametro pugnat cum caritate. Cain non erat filius Dei, sed ex Diabolo prognatus erat. Quamobrem? quia degeneravit à bono conditore, ac referebat Diabolum, qui stimulatus invidia primus occiderat hominem instinctu lethifero. Parentis ingenium referebat Cain, occidens Abel fratrem suum. Quæ fuit autem odii causa? Nimirum vitæ dissimilitudo, quapropter & diversi generis erant, quanquam juxta corporis propagationem fratres erant germani. Uterque suum parentem exprimebat. Abel erat innocens, & ad benefaciendi studium accensus. Cain contra, fratris odio concepto, non de se corrigendo, sed de fratre trucidando cogitavit.

13 Quem-

Digitized by Google

13 *Nolite mirari fratres, si odit vos mundus.*

13 Quemadmodum hic non ferebat impius pium, & Diaboli filius Dei filium, ita vobis mirum videri non debet fratres, si vos aversantur homines mundo dediti.

14 *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte:*

14 Oderunt immerentes: ne quis illos mutuo oderit. Illi quoniam morti devoti sunt, & serviunt auctori mortis, mortem aliis machinantur. Nostrum est illorum misereri, non vicissim lædere. Siquidem Euangelica caritas nos abduxit à studio lædendi ad studium benemerendi: & hoc argumento cognoscimus, quod destinati sumus æternæ vitæ, & exemti à mortis tyrannide, quod diligimus fratres. Qui diligit, bene vult, ac bene facit. Corpus halitu vivit, anima vivit Spiritu Christi. Ubi non est fraterna caritas, ibi non est Spiritus Christi.

15 *Omnis qui odit fratrem suum homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.*

15 Quisquis igitur odit proximum suum, mortuus est, neque vivit intus. Nam etsi fidem habet, mortuam habet, cum non adsit caritas. An ceu levem culpam contemnitis odium fratris? Quisquis odit fratrem suum, homicida est. Non strinxit ferrum, non miscuit venenum, non adortus est, non maledixit, tantum male voluit. Non damnat illum lex hominum homicidii, sed apud Deum jam homicidii damnatus est. Qui semel admisit odium in pectus, quantum in ipso est, homicida est. Multa sunt homicidii genera. Qui ferro trucidat, etiam profanis legibus dat pœnas. Qui veneno necat, punitur & ab impiis. Cæterum qui fratrem virulentæ linguæ spiculo confodit, etiamsi legibus humanis absolvatur à parricidii crimine, tamen ad Euangelicam legem homicidii reus est. Vivit adhuc ille, cui male vult osor, & tamen ipse jam mortuus est: illi vita est incolumis, & hic vitam amisit æternam, sui ipsius homicida.

16 *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.*

16 Vultis videre fratres quantum nos abesse oportet à cupiditate lædendi? Vertite oculos ad exemplum Christi. Ille sic dilexit nos nihil meritos, imo mortem commeritos, ut vitam suam nobis impenderet. Quanto magis debemus pro fratribus servandis vitæ subire discrimen, si res ita tulerit? præsertim qui in Christi pastoris vices succesimus. Non concredidit oves suas Petro, nisi ter amorem professo, ac mox illi mortis genus indicat, ut intelligeret & sibi gregis crediti salutem vitæ dispendio tuendam. An vero vitam impendet qui gravatur opitulari pecunia? An satis esse putat aliquis, si non lædat fratrem, si benigne loquatur? Christus re declaravit quantopere nos amaret.

17 *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?*

17 Qui conspicatus fuerit fratrem suum, cibo, veste, potu, tectove egentem, & habet facultates unde succurrat illius inopiæ, neque commovetur misericordia, sed velut ad se non pertineat, negligit eum, quî credi possit, quod in hoc sit caritas Dei? Succurrit Ethnicus Ethnico, & tu Christianus non succurris Christiano? Professus es fraternam caritatem, ea si vere adest, cur hic cessat, ubi discruciatur inopia frater? Fratrem appellas, & nullum argumentum edis affectus fraterni?

18 *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.*

18 Filioli mei ne diligamus nos invicem verbo tenus. In animo sit caritas potius quam in lingua, & factis se promat potius quam voce. Sit fraternum vocabulum in sermone quotidiano, sed ut veri simus, & orationi facta respondeant, quoties se dederit occasio, re declaremus in nobis esse vere fraternum amorem. Ne desit fratri, quod nobis supereat, sive vestem desiderabit, sive cibum, aut tectum, sive consolationem, sive doctrinam, sive admonitionem.

19 *In hoc cognoscimus quoniam ex veritate sumus: & in conspectu ejus suadebimus corda nostra.*

19 Id si promtis animis præstiterimus, hoc argumento cognoscemus, quod veritatis filii simus, quodque non fucate, sed sincere diligamus. Veritas autem est ipse Christus, cujus oculis probabimus conscientiam nostram, ut & Deo probati simus, & hominibus: & factis cognoscent homines, non esse fucatam inter nos caritatem: animi sinceritatem intuetur Deus. Succurremus egestati fraternæ, sed ita, ut necessitatem sublevemus, non ut luxum alamus: & succurremus ex animo, neque mercedis ad nos redituræ spe, neque inanis gloriæ causa.

20 *Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum: major est Deus corde nostro, & novit omnia.*

20 Animum non vident homines, sed ipse sibi conscius est, & oculis Dei conspicuus. Quod si laudent nos homines, & condemnet animus sibi male conscius, ut homines fallamus, Dei judicium non licebit effugere. Abditos habet recessus ac perplexas latebras cor humanum, sed nihil esse potest tam reconditum, tamque abstrusum, quod ille non penetret. Novit ille omnia melius nobis, novit cor nostrum, qui fecit cor nostrum. Nusquam non habet oculos, qui nusquam non adest.

21 *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum:*

21 Carissimi, si cor nostrum non condemnaverit nos ipsos apud Deum, si sincerus est ac simplex animus, si ex mera puraque caritate facimus quicquid facimus, quales nos præstiterimus erga proximum, talem se Deus præstabit nobis. Si libenter & ex animo condonabimus fratri culpam, facile & nobis delicta nostra condonabit Deus.

22 *Et quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata ejus custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo, facimus.*

22 Si promte largiemur egenti fratri, quoties opem nostram implorat, certa fiducia petemus & à Deo, quod ad salutem ac necessitatem pertinebit, nec ille negabit petentibus. Quod si dixerimus illi: *Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris*, & intus odio fraterno tenemur, nonne statim reclamabit nobis nostra conscientia? qua fronte tu petis à Deo, quod ipse negas proximo? Quo ore postulas pactum, cum non præstes conditionem? Pollicitus est ille se condonaturum nobis admissa nostra, sed si fratri ex animo condonaverimus delicta sua. Si ore dicimus, condono, & tamen malevolentiam retinemus in corde, animus sibi male conscius adimet nobis fiduciam impetrandi, quod à Deo petimus. Si fratrem blande salutamus, nec adsumus cum res ipsa poscat subsidium, non est quod speremus Deum nobis auxilio futurum, qui fratri defuerimus. Si nos surdi fuerimus ad illius jussa, surdus erit ille vicissim ad preces nostras. Impudentia est, non pietas, ab eo petere favorem, cujus præcepta contemnas. Verum si præcepta ejus servamus, si quicquid illi placitum est facimus, & in facimus, ut probemur illius oculis, qui nihil non perspicit, hinc nobis nascetur impetrandi fiducia. Hic mihi dicet Judæus Legis superstitiosus observator, observo Sabbata, baptizor, jejuno, abstineo à cibis vetitis, non committo furtum, me Deus audiet.

23 *Et hoc est mandatum ejus: Ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi: & diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis.*

23 Imo non hoc est præceptum, de quo loquor: quodnam igitur? nimirum ut totam salutis nostræ spem ac fiduciam collocemus in Jesu Christo Filio Dei, per quem Pater nobis omnia largiri voluit. Jam-ne hoc satis est? nequaquam: quin ad illius exemplum amemus nos mutuo. Sic ille jussit, sed quod jussit ipse prior præstitit. Nondum vere diligit Christum, qui membrum odit Christi: nondum amat Christum, qui male vult homini, pro quo mortuus est Christus.

24 *Et qui servat mandata ejus, in illo manet, & ipse in eo: & in hoc scimus quoniam manet in nobis de Spiritu, quem dedit nobis.*

24 Itaque qui servarit unicum illud caritatis præceptum, omnia servaverit. Hoc glutino conjungemur Christo, sic ut ille sit in nobis, & nos vicissim in illo. Ille per Spiritum suum inhabitabit pectora nostra, si illic ferveat caritas. Spiritus Christi non est auctor odii, sed largitor fraternæ caritatis. Is per impositionem Apostolicarum manuum infunditur baptizatis, sed idem resilit & avolat, si contingat exstingui caritatem. Hoc igitur indicio deprehendemus donum Spiritus in nobis manere quod accepimus in baptismo, si perseveraverit in nobis fraterna caritas. Quantum hæc refrixerit, tantum ille se subducet.

CAP. IV.

Dico spiritibus non credendum esse quibusvis:
Sit perfectus amor: cogit abire metum.

1 *Charissimi, nolite omni spi-*

1 INDICEM dedi carissimi, quo deprehendatis an in vobis sit Christi Spiritus. Sunt enim diversi

Digitized by Google

vitui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint: quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.

Spiritus in hominibus, sed fucati, sed mali. Ne igitur protinus cuivis Spiritui credatis. Multi passim se jactant habere Spiritum Dei, sed explorate num à Deo profecti sint. Habet & hic mundus suum Spiritum, & adumbrat Spiritum Dei. Prophetas afflat Spiritus Dei, sed complures jam in mundum prodierunt Pseudoprophetæ, sese mentientes afflatu divini Spiritus loqui, cum agantur mundano Spiritu.

2 In hoc cognoscitur Spiritus Dei: omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est:

2 Vultis igitur certius etiam argumentum Spiritus Divini? Audite profitentem, & intelligetis. Omnis Spiritus qui confitetur Jesum Christum, olim orbi promissum æternæ salutis auctorem, assumto corpore humano jam venisse, sicuti per suos Prophetas promiserat, is ex Deo est, nimirum agnoscens Filium Dei.

3 Et omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est; & hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit, & nunc jam in mundo est.

3 Rursus hoc qui negat, quoniam mendax est, ex Deo non est. Nullus enim vere profitetur Filium nisi afflatus à Patre. Negant autem illum non tantum ii, qui verbis reclamant, verum etiam qui sic vivunt, quasi Christus non fuerit exemplar veræ pietatis hominibus, aut quasi non fuerit auctor perfectæ salutis, eoque fingunt alium quempiam Messiam exspectandum, quod hujus doctrina nimium dissideat ab ipsorum cupiditatibus. Si favisset voluptatibus carnis, si promisisset immensas opes, si donasset honores & imperia mundi, jamdudum agnovissent suum Messiam. Nunc quoniam horum docet contemtum, & ad tollendam crucem invitat, & felicitatem omnem in futuro seculo exspectandam ostendit, negant hunc esse promissum olim humani generis redemtorem, sed alterum exspectari jubent, qui commoda corporis, & hujus seculi bona polliceatur. Nec satis est confiteri Christum, nisi totum & integrum confiteamur. Qui dividit illum, vel divinam naturam adimens, quam eandem habet cum Patre, vel humanam, quam accepit ab homine matre, hic Spiritus ex Deo non est, sed est Spiritus Antichristi, de quo quidem Spiritu jam audistis, quod venturus sit, imo jam nunc venit, agitque in his, qui mundanis deliciis addicti, pugnant adversus Christi Spiritum.

4 Vos ex Deo estis filioli, & vicistis eum, quoniam major est qui in vobis est, quam qui in mundo.

4 Non est quod istos metuatis filioli, vos quoniam ex Deo estis, & Spiritum habetis, per illum vicistis Antichristos. Ipsi quidem imbecilles estis, sed is, qui habitat in vobis, major est ac potentior est eo, qui habitat in mundo. Per sua membra vos impugnat Diabolus, sed suo Spiritu propugnat Deus.

5 Ipsi de mundo sunt: ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit.

5 Illi quoniam ad mundi factionem pertinent, & mundanum hauserunt Spiritum, mundum sapiunt, & mundana loquuntur, & horum doctrina grata est iis, qui & ipsi mundo dediti sunt. Nemo facile credit quod adversatur iis, quæ vehementer amat. Amant terrena, & horum doctrina terram sapit.

6 Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos: in hoc cognoscimus Spiritum veritatis, & spiritum erroris.

6 Nos ex Deo sumus, hunc qui novit, novit autem quisquis amat, auscultat nobis qui cœlestia Deoque digna docemus. Qui non est ex Deo, non audit nos, sed abhorret ab Euangelica doctrina, quæ jubet opes effundere, voluptates spernere, in afflictionibus gloriari, vitam etiam habere vilem pro justitia, recte factorum omne præmium exspectare in resurrectione, quam isti aut non credunt futuram, aut nollent accidere: quæ jubet per sinceram caritatem, & vitam impendere proximo, cum homo mundani spiritus, etiam cum fratris injuria, suis commodis ubique consulat. His igitur indiciis dignoscere licebit Spiritum Dei veracem, à Spiritu mundi fallaci.

7 Charissimi, diligamus nos invicem: quia charitas ex Deo est. Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum.

7 Itaque carissimi, quandoquidem ex Deo sumus, non ex mundo, diligamus nos invicem, & proximi commodis quisque serviat potius quam suis, quoniam caritas ex Deo est. Quisquis igitur hac caritate præditus est, is ex Deo natus est, ac vere novit Deum.

8 Qui non diligit, non novit Deum: quoniam Deus charitas est.

8 Quisquis alienus est à caritate, nondum cognovit Deum, propterea quod ipse Deus caritas est. Ille se nobis impartit, quoties impartit, caritatem suam. Declaravit ille suam in nos caritatem, ut nos vicissim nostram declararemus in proximum.

9 In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.

9 At dicet aliquis, Filii caritatem agnoscimus, sed unde cognoscimus Patris erga nos amorem? nimirum ex hoc quod unicum Filium suum, quo nihil habet carius, misit in hunc mundum ac morti dedidit, ut nos per illius necem vitam assequeremur æternam.

10 In hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.

10 Atque hoc majus etiam atque insignius dilectionis miraculum est, quod nullo nostro officio provocatus, tam insigniter dilexerit nos. Qui redamat amantem, tantum gratus est: inhumanus futurus ni faciat. Nos amabamus mundum, aversi ab amore Dei, & tamen Deus prior atque ultro dilexit nos. Cumque jure esset offensus peccatis nostris, nec esset in terris immunis à delictis, qui nos illi reconciliaret (nam gratiosus sit oportet, qui intercedat apud offensum pro nocentibus) misit è cœlis Filium suum, qui seipsum Patri sacrificaret, atque hac purissima victima nobis eum propitium redderet. Quid hac dilectione cogitari potest insignius? quid ardentius? quid effusius?

11 Charissimi, si Deus sic dilexit nos: & nos debemus alterutrum diligere.

11 Carissimi, si Deus, qui nostri non eget, ultro ac volens tantopere dilexit nos, debemus & nos invicem ad illius exemplum diligere.

12 Deum nemo vidit unquam. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta est.

12 Filius Dei se nobis visibilem exhibuit, cæterum Deum Patrem nemo vidit unquam oculis corporeis, & tamen ex rerum indiciis deprehenditur. Sentimus iratum, sentimus propitium, sentimus abesse, sentimus adesse. Mutuum erga Deum amorem non alio argumento testari possumus, quam si nos invicem diligamus, quemadmodum ille dilexit nos. Dilexit ille nos gratis, dilexit ad hoc, ut servaret. Si sic diligimus invicem, Deus, qui caritas est, ut dixi, manet in nobis. Vulgaris est amor benevolentia prosequi benemeritum, diligere qui possit referre gratiam, benevolentiam communibus officiis testari, sed perfecta est Dei erga nos dilectio. Dilexit ultro, dilexit alienos, dilexit unde ad ipsum nihil possit redire gratiæ, dilexit usque ad unigeniti Filii jacturam. Si nos ad consimilem modum diligimus proximum, tunc perfecta Dei caritas est in nobis, declarans & ipsum Deum esse in nobis. Quemadmodum idem spiritus membra corporis conjungit, & unum corpus efficit: ita Spiritus Dei nos & cum illo, & invicem quodammodo conglutinat nectitque, & velut in unum cogit.

13 In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, & ipse in nobis: quoniam de Spiritu suo dedit nobis.

13 Quod si Spiritus Dei, qui mentibus nostris afflat amorem proximi, viget in nobis, nimirum hoc argumento cognoscimus, & quod nos maneamus in Deo, & Deus vicissim in nobis. Adversarius est igitur caritati, qui negat Jesum esse Filium Dei, qui redimendo mortalium generi semetipsum impenderit.

14 Et nos vidimus, & testificamur, quoniam Pater misit Filium suum Salvatorem mundi.

14 At hujus rei nos spectatores etiam fuimus, oculis vidimus, auribus audivimus, manibus contrectavimus, deque re tot modis comperta testimonium perhibemus orbi terrarum, quod Pater miserit Filium suum, cujus morte mundus servaretur, si modo resipiscens à pristinis erroribus juxta regulam Euangelicam vitam deinceps attemperaret. Non enim solum misit illum servandæ nationi Judaicæ, sed toti mundo Servatorem dedit.

15 Quisquis confessus fuerit quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo.

15 Quisquis igitur confessus fuerit Jesum esse Filium Dei, quem Prophetæ esse venturum prædixerant, hic in Deo manet, & Deus in eo. Novit enim veritatem, & amplectitur caritatem. Non agnoscit caritatem Dei erga se, qui eam non exprimit in proximo.

16 Et nos cognovimus, & credidimus charitati, quam habet Deus in nobis. Deus Charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

16 Nos autem & experimento cognovimus, & animo credimus, & ore confitemur, & factis exprimimus dilectionem, quam Deus exhibuit nobis. Superest ut in eo, quod cœptum est, perseveremus, neque committamus ut & Deus divellatur à nobis, & nos à Deo distrahamur. Deus, ut ante dixi, caritas

Digitized by Google

ritas est. Proinde qui perseverat in caritate, in Deo perseverat, ac vicissim Deus in illo, manente nexu mutuo Spiritus Divini.

17 *In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii: quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.*

17 An vultis & aliud argumentum vobis dari, quo deprehendatis, an perfecta caritas Dei sit in vobis? Si nobis bene conscii simus, nec formidemus illum judicii diem, quo separabuntur à Christo qui Christum non sunt imitati. Hi trement cum audient horrendam illam vocem: *Discedite à me.* Nos autem cum fiducia diem illum exspectamus, videlicet nobis conscii, quod quemadmodum ille versatus est in mundo, ita & nos sumus in mundo. Ille nihil contraxit labis è mundo, sed eum purgavit à suis sordibus, & ad suam, quod in ipso fuit, pertraxit puritatem. Sic & nos pro viribus, adeo non miscemur mundo, ut illum magis Euangelica doctrina, vitæque castis exemplis ad Christum pelliceamus. Judicii divini metus ex mala conscientia nascitur.

18 *Timor non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem; quoniam timor pœnam habet: qui autem timet, non est perfectus in charitate.*

18 Timor igitur non congruit caritati. Nam caritas fiduciam addit, quæ si perfecta sit, propellet ex animo prorsus omnem formidinem. Gaudet autem quoties ille judicii dies in mentem venit: primum optime sentiens de bono Deo, & sibi bene conscia. Caritas gaudium adfert, metus cruciatum. Porro qui timet, hoc ipso declarat se nondum perfectum esse in caritate. Quantum deest caritati, tantum accedit ad metum. Veretur enim ne parum clementem erga se experiatur Deum judicem, qui se parum exorabilem præbuerit proximo.

19 *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.*

19 Ille dies aperiet, quis hic vere dilexerit. Nos diligimus Deum, nec mirum est, cum ille prior dilexerit nos. Neque enim nos illum amare possemus, nisi nos ad se traheret amore suo. Hoc ipsum igitur quod illum diligimus, illius beneficium est. Porro quod diligimus Deum, id testamur amando proximum, in quo vult ipse diligi.

20 *Si quis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?*

20 Si quis dixerit, diligo Deum, cum odio persequatur fratrem suum, mendax est. Etenim cum impii quoque, quorum plerique Deum adeo non amant, ut nec esse credant, tamen affectu quodam amplectuntur proximum, vel quia cognatus est aut affinis, vel quia notus ac familiaris, vel quia homo denique videt hominem esse, quemadmodum & animantia suum quæque genus amant instinctu naturæ: quomodo Deum diliget, quem non vidit unquam, cum oderit proximum, quem videt? Deinde quî consentaneum est eum diligere Deum, qui præcepta Dei negligit? Si quis clamet, amo Cæsarem, contemnens interim edicta Cæsaris, an inventurus est qui credat?

21 *Et hoc mandatum habemus à Deo: ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.*

21 Nos ab imperatore nostro præcipuum hoc habemus edictum, ut qui diligat Deum, diligat & fratrem suum, sive bonus sit, sive malus. Si bonus est, amet in eo Christum: si malus, in hoc amet ut convertatur ad Christum.

CAP. V.

Est invicta fides: tres sunt unum: bene credens
Accipit: haut rogites pro graviore malo.

1 *Omnis qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus est ex eo.*

QUISQUIS credit Jesum esse Christum, hoc est, illum unde oportet omnia salutis nostræ præsidia petere, idque credit ex animo, is ex Deo natus est, jamque adscitus in numerum filiorum Dei. Non potest autem non amare, qui filius est. Porro quisquis ex animo diligit eum, qui genuit, diligit & eum, qui natus est ex eo, nimirum fratrem suum, qui cum habet patrem communem.

2 *In hoc cognoscimus quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus, & mandata ejus faciamus.*

2 Hoc argumento deprehendimus, quod vere diligimus filios Dei, si prius ex animo diligimus ipsum Deum. Nihil enim vere diligitur, nisi quod illius causa diligitur.

3 *Hæc est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus: & mandata ejus gravia non sunt.*

3 Porro quod Deum diligamus, ita liquebit, si servemus illius præcepta, & servemus alacres ac lubentes: nec enim alioqui gravia sunt illius jussa. Quid enim grave amanti? quid grave ad talia properanti præmia?

4 *Quoniam omne quod natum est ex Deo, vincit mundum: & hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.*

4 Terribiles malorum species objicit mundus, paupertatem, exsilium, infamiam, carceres, flagra, mortes. Ingens est pugna, sed parata victoria: quicquid enim ex Deo natum est, vincit mundum. Quibus autem præsidiis vincit mundum? num opibus? num copiis? num machinis bellicis? num eruditione mundana? nequaquam, sola fiducia, qua se totos committunt propugnatori Deo, vincunt mundum quantumvis sævientem: Eripiuntur opes, sed quid objicit fides? Habes thesaurum in cœlo. Ejiceris in exsilium, sed exspectat suum municipem patriæ cœlestis. Admoventur corpori cruciatus, sed his emuntur æterna gaudia: intentatur mors, sed hanc sequetur immortalitas.

5 *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei?*

5 Quis est igitur qui vincit mundum? non Satrapes, non dives, non Philosophus, non Rex, sed is quisquis est, qui vere credit, quod Jesus est Filius Dei. Crede quod ille pollicitus est, & nihil te movebit, quicquid intentarit mundus. Vicit ille prior mundum, & assequutus est immortalitatem: venit in hunc mundum assumto nostro mortali corpore, ut pro nobis vinceret, ut vincendi rationem ostenderet, ut præmiorum fidem faceret.

6 *Hic est, qui venit per aquam & sanguinem, Jesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua & sanguine. Et Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas.*

6 Quibus autem præsidiis armatus venit ille? per aquam venit & sanguinem Jesus Christus; per aquam, ut nos ablueret à peccatis: per sanguinem, ut nobis vitam conferret immortalem. Baptizari voluit immunis ab omni peccato, ut nobis largiretur innocentiam: mori voluit in cruce, ut nobis aperiret viam ad immortalitatem. Non solum his duobus indiciis testatus est sese fuisse Christum & Servatorem mundi: quod baptismum accepit, ut homo nocens: quod mortuus est ut homo scelerosus, cum unus omnium innoxius esset ab omni peccato: sed & Spiritus apparens specie columbæ, de illo testatus est, quod is esset, quem Pater dedisset Servatorem mundi. Quoniam & Spiritus veritas est, quemadmodum Pater & Filius: una est omnium veritas, quemadmodum una est omnium natura.

7 *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt.*

7 Tres sunt enim in cœlo, qui testimonium præbent Christo, Pater, Sermo, & Spiritus: Pater, qui semel atque iterum voce cœlitus emissa, palam testatus est hunc esse Filium suum egregie carum, in quo nihil offenderet: Sermo, qui tot miraculis editis, qui moriens ac resurgens declaravit se verum esse Christum, Deum pariter atque hominem, Dei & hominum conciliatorem: Spiritus Sanctus, qui in baptizati caput descendit, qui post resurrectionem delapsus est in discipulos. Atque horum trium summus est consensus: Pater est auctor, Filius nuntius, Spiritus suggestor.

8 *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, & aqua, & sanguis: & hi tres unum sunt.*

8 Tria sunt item in terris quæ attestantur Christum: Spiritus humanus, quem posuit in cruce: aqua & sanguis, qui fluxit è latere mortui. Et hi tres testes consentiunt. Illi declarant Deum, hi testantur hominem fuisse.

9 *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est: quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de Filio suo.*

9 Testimonium perhibuit & Joannes. Quod si testimonium hominum recipimus, æquum est, ut plus apud nos habeat ponderis testimonium Dei. Manifestum est enim Dei Patris testimonium: *Hic est Filius meus dilectus, in eo complacitum est mihi, ipsum audite.* Quid dici potuit apertius aut plenius?

10 *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem facit eum: quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo.*

19 Qui vere credit Filio Dei Jesu Christo, & sic omnia vitæ præsidia in illo collocavit, ut hujus promissis fretus contemnat omnia, quæ mundus hic ostentet vel amabilia, vel terrifica, testimonium habet in se ipso, ac testimonium perhibet Filio Dei. Etenim dum afflatus Spiritu Christi, mortes etiam illius amore contemnit, non leve testimonium edit apud homines, non esse vana quæ Christus docuit ac promisit. Qui non credit Deo, sed fidit mundo, hic quod quidem in ipso est, Deum facit mendacem, qui felicitatem promisit iis, qui filio suo Jesu

Christo auscultarent, cum is à mundo petendam felicitatem ipsa vita doceat, & hujus vitæ commodis sic adhæreat, quasi nihil hominis supersit à morte corporis. Pater clamat, *ipsum audite*. Et hujus qui non credit vita dicit, *mundum audite*. Etenim cum Filius orasset Patrem, ut qui sibi credidissent, aut crediturі essent, vitam haberent æternam, audita est paterna vox, veluti tubæ sono testans preces illius fore ratas.

11 Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Filio ejus est.

11 Dedit itaque nobis vitam æternam Pater, commonstrans à quo foret ea petenda, nimirum à Filio ipsius Jesu Christo.

12 Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet.

12 Hujus doctrinam quisquis amplectitur, hujus exemplum quisquis imitatur, hujus promissis qui fidit, hic & Filium possidet & vitam habet, cujus arrhabonem interim tenet, Spiritum Dei, cujus fiducia Deum non veretur appellare patrem. Qui à Filio est alienus, is & à vita est alienus.

13 Hæc scribo vobis: ut sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei.

13 Hæc ideo tot verbis repeto vobis & inculco, ne quis vobis diversum persuadeat. Sed certum atque indubitatum habeatis, verum esse quod credidistis, vobis esse paratam vitam æternam per Jesum Christum, cujus estis adscripti cohæredes. Jus & arrham jam tenetis, rem suo tempore possessuri. Itaque qui creditis Filio Dei, constanter credite, eique in dies magis ac magis fidite.

14 Et hæc est fiducia, quam habemus ad eum: Quia quodcunque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos.

14 Non fallet in promissis æternæ vitæ, qui non deest vobis etiam in hac vita. Siquidem hanc fiduciam præbet vobis Spiritus Christi, ut quicquid à Patre petieritis in nomine Filii, impetretis, si modo petatis juxta voluntatem illius: hoc est, si tales accesseritis ad orandum, quales ille voluit accedere, nimirum puros ab omni odio fraterno: nihil enim impetrat à Deo, à quo proximus non impetrat veniam delicti: si ea petieritis quæ conducunt ad vitam cœlestem, quæ faciunt ad gloriam Christi.

15 Et scimus quia audit nos quidquid petierimus: scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo.

15 Alioqui nos plerumque nescimus quid postulandum sit à Deo, ac pro salutaribus sæpe noxia petimus, nisi Christi Spiritus nobis suggerat quid expediat petere. Sed hunc ad modum quoties petimus, certi sumus quod Deus audit vota nostra, certi sumus illum largiturum nobis quicquid petierimus. Sic ille pollicitus est nobis, & potest præstare quicquid pollicetur, & vult quicquid nobis est salutiferum.

16 Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petet, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis.

16 Neque solum augebit in nobis sua bona, subinde sollicitatus nostris precibus, verum etiam condonabit nobis quotidiana delicta, sine quibus imbecillitas humanæ naturæ vix potest durare diu: ac non tantum condonabit sua cuique commissa, si veniam petierit, verum etiam audiet fratrem pro fratris delictis precantem, modo peccatum sit hujusmodi, ut non prorsus exstinguat fraternam caritatem, etiamsi nonnihil obnubilet. Est enim peccatum, quod non possit imbecillitati imputari, neque levibus paratisque sanari remediis: veluti cum quis destinata malitia persequitur sodalitatem Christianam, cum ipse sit Christum professus, & religionis prætextu subvertere nititur religionem. Hujus deplorata perversitas non meretur piorum hominum intercessionem: & tamen pro his etiam orat perfecta caritas, optans etiam illa quæ fieri non possunt. Pro Satana nullus orat, quod sciens per invidentiam oppugnat eos, quibus bene vult Deus. Fortassis nec pro his orandum, qui in hujus affectum transierunt: ac vitandi sunt potius, ne quid lædant, quam precibus sublevandi, nisi spem præbeant resipiscentiæ. Talis morbus validioribus eget remediis, ac major est, quam ut quotidianis precibus tollatur, quibus delentur admissa leviora, quæ committit infirmitas, non quæ designat perversitas.

17 Omnis iniquitas, peccatum est: & est peccatum ad mortem.

17 Quicquid recedit à summa justitia, peccatum est, sed peccatorum multa sunt discrimina. Et est admissum aliquod, quod etiamsi minuat ac vitiet innocentiam, non tamen exstinguit prorsus Christianam caritatem: veluti cum per occasionem effutimus in amicum, quod mox pœnitet effutisse: cum ira subita verbum extorsit, quod mox optemus revocari posse, cum capti cibi potusve dulcedine, paulum aliquid sumimus ultra naturæ necessitatem. Ad hæc ignoscenda facilis est Deus, si mutuis precibus interpelletur. Ad ejusmodi lapsus filiorum plerumque connivent & parentes propitii, qui graviora commissa non ferrent. Quamquam nulla est culpa tam levis, ut sit negligenda. Malum ac fugiendum est piis, quicquid peccatum est, ac neglectum paulatim pertrahit ad mortem. Sed ut his levioribus, quæ vix ab hominibus vitari possunt, statim est adhibendum remedium: ita Deus avertat, ut qui semel abdicarit mundum, seque Deo dicarit, revolvatur in capitale crimen aliquod. Per Euangelicam professionem efficimur filii Dei, ac membra Christi. Neque convenit, ut filii tantopere dissideant à patre, & à capite membra.

18 Scimus quin omnis qui natus est ex Deo, non peccat: sed generatio Dei conservat eum, & malignus non tangit eum.

18 Proinde qui penitus intelligit se natum ex Deo, cavet à flagitiis magis, quam à morte ipsa: servatque seipsum ne quid habeat commercii cum illo Domino malo, cui prius servierat una cum mundo. Quemadmodum Christus semel mortuus revixit, & revixit nunquam posthea moriturus: ita qui semel per baptismum mortuus est mundo, & ad vitæ novitatem resurrexit cum Christo, non decet iterare, propter quod Christo sit iterum moriendum. Sibi metuant à mundo, qui non sunt vere renati ex Deo, qui non totis animi medullis receperunt semen Euangelicæ doctrinæ.

19 Scimus quoniam ex Deo sumus: & mundus totus in maligno positus est.

19 Nos scimus, quod vere simus ex Deo, quos nec mala, nec bona hujus mundi separant à Christo. Mundus totus in malo constitutus est. Quocunque te vertas, offerunt sese quæ nos avertant ab innocentia vitæ.

20 Et scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, & vita æterna.

20 Sed ab hujus incantamentis semel liberavit nos Filius Dei: qui hac de causa venit in mundum, ut nos eximeret à contagio mundi. Is dispulit caliginem ignorantiæ prioris, ac dedit intellectum illustratum luce Euangelica, ut cognosceremus verum illum Deum, & omnis justitiæ largitorem, cui uni nihil fuit commercii cum mundo: & nos sumus in illo vero, qui sincero pectore doctrinam illius ac promissa sequimur, quam diu sumus in Filio ejus Jesu Christo, quem hac de causa misit in mundum. Hic est verus Deus, qui solus est colendus: & vita æterna, quæ sola est expetenda.

21 Filioli, custodite vos à simulacris. Amen.

21 Filioli, si vere novistis verum Deum, cavete à falsis Diis, & simulacris inanibus, quæ colit mundus. Idolum colit, cui nummus Deus est. Idolum colit, cui Deus venter est. Idolum colit, qui ob mundanos honores Dei præcepta negligit. Multa sunt hujusmodi simulacrorum genera. Vos ab omnibus cavete, si manere vultis in cultu veri Dei. Quod meum votum fuxit ratum is, cujus beneficio liberati sumus ab erroribus pristinis.

PARAPHRASEOS IN EPISTOLAM JOANNIS PRIMAM

FINIS.

VERSUS MEMORIALES IN PRIOREM JOHANNIS EPISTOLAM.

AVDITA *affero*: *Blandus patronus*: *Cain abest*:
Deus amor fervens: *Est Deus una Trias*.

IN

Digitized by Google

IN EPISTOLAM JOANNIS SECVNDAM

PARAPHRASIS,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

CAP. I.

Adsit amor: seductor erit: quisquis negat ista,
Hunc fuge: non scribam plura, sed ore loquar.

1 SENIOR 2 ELECTÆ Dominæ, & natis ejus, quos ego diligo in veritate, & non ego solus, sed & omnes qui cognoverunt veritatem, 2 Propter veritatem quæ permanet in nobis, & nobiscum erit in æternum. 3 Sit vobiscum gratia, misericordia, pax à Deo Patre, & à Christo Jesu Filio Patris, in veritate & charitate. 4 Gavisus sum valde, quoniam inveni de filiis tuis ambulantes in veritate, sicut mandatum accepimus à Patre. 5 Et nunc rogo te domina, non tamquam mandatum novum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, ut diligamus alterutrum. 6 Et hæc est charitas, ut ambulemus secundum mandata ejus. Hoc est enim mandatum, ut quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis: 7 Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem: hic est

SENIOR Joannes scribo Dominæ electæ, simulque filiis illius, quos ego sincere diligo, nec id facio solus, sed omnes mecum qui cognoverunt veritatem Euangelicam: nec ob aliud diligunt, nisi quod intelligunt Euangelicæ professionis sinceritatem, quam sequimur, manere in vobis, ac mansuram in æternum.

3 Gratia, misericordia & pax semper vobis augeatur à Deo Patre, ac Domino Jesu Christo, perseverantibus in veritate doctrinæ Euangelicæ, ac mutua caritate.

4 Vehementer gavisus sum, quod compererim liberos tuos, matris pietatem imitantes, perseverare in veritate doctrinæ Euangelicæ, nec auscultare falsis Doctoribus, qui conantur multos ab hac avertere, cum Pater hoc nobis præceperit, ut doctrinæ Filii sui audientes essemus, & ab illius vestigiis non recederemus.

5 Itaque jam non est opus, Domina, ut novis præceptis instruam pietatem tuam, tantum in eo perseveremus, quod ab initio traditum est, ut nos mutuo vereque Christiano amore prosequamur.

6 Conciliet autem hanc benevolentiam inter nos piæ vitæ consensus, ac similitudo, ut concordibus studiis vivamus juxta Dei præceptum, qui nihil æque diligenter nobis injunxit, quam mutuam inter nos caritatem. Porro nec inter impios intercedit verus amor, nec inter dissimiles. Nihil igitur adfero novi præcepti, sed etiam atque etiam admoneo, ut in eo, quod jam olim accepistis, perseveretis, nec inde vos ullis artibus Pseudoprophetarum avelli patiamini.

7 Siquidem exstiterunt multi seductores in mundo, qui negant Jesum esse Christum, qui erat venturus in mundum juxtà Prophetarum oracula. Quisquis hoc docet, seductor est, & ille Antichristus, Christi adversarius.

8 Caveat sibi quisque, ne si relinquat quod bene cœpit, perdat omnem fructum eorum, quæ hactenus bene gessit: sed demus operam, ut plenam mercedem recipiamus, quæ non contingit, nisi perseverantibus usque ad finem.

9 Quisquis divertit à veritate, nec perseverat in doctrina Christi, is & à Deo Patre est alienus, cum desciverit à Filio. Cæterum qui constanter sequitur hujus doctrinam, is eadem opera & Patri carus est, & Filio. Alter sine altero nec haberi potest, nec relinqui. Hæc est illa vera doctrina, quam à veracibus testibus accepistis ab initio.

10 Quod si quis venerit ad vos, qui diversam ab hac doctrinam afferat, ut vos abducat ab Euangelica veritate, huic adeo non debetis auscultare, ut nec in domum sit admittendus, si quærat hospitium, nec ave dicto salutandus, si forte sit obvius in via. Periculum est enim ne familiam suo convictu inficiat, & pro officio communicati tecti rependat maleficium, atque è salutatione nascatur colloquium. Corrumpunt autem bonos mores colloquia prava.

11 Porro, qui salutat & congreditur cum impostore hujusmodi, consors esse videtur malefactorum illius. Addit enim animum improbo, dum se videt esse alicujus pretii apud eos, quos nititur subvertere: & aliis speciem mali præbet, quasi favere videatur illius malitiæ, cujus non horret familiaritatem.

12 Erant alia multa, quæ cupiebam vobis scribere super hisce rebus, verum ea malo præsens explicare, quam calamo chartisque committere: nam spero fore, ut brevi vos invisam, ac præsens cum præsentibus colloquar, ut gaudium, quod ex vestra constanti sinceritate concepi, fiat uberius ac plenius, dum & coram intuebor in vobis, quod nunc absens audio de vobis, & vos vicissim meum erga vos affectum oculis conspicabimini.

13 Salvere te jubent nepotes tui, filii sororis tuæ, fœminæ Christianæ.

seductor, & antichristus.

8 *Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis: sed ut mercedem plenam accipiatis.*

9 *Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic & Patrem & Filium habet.*

10 *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec AVE ei dixeritis.*

11 *Qui enim dicit illi AVE, communicat operibus ejus malignis.*

12 *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam & atramentum: spero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui: ut gaudium vestrum plenum sit.* 13 *Salutant te filii sororis tuæ Electæ.*

PARAPHRASEOS IN EPISTOLAM D. JOANNIS SECVNDAM

FINIS.

VERSVS MEMORIALIS IN II. JOANNIS EPISTOLAM.

ADSIT *amor: venient multi ad vos Pseudopropheta.*

Digitized by Google

IN EPISTOLAM JOANNIS TERTIAM

PARAPHRASIS,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

An lator meritus, quod pascis vera docentes?
Diotrephes malus est: sed bonus est alius.

1 SENIOR *Gajo charissimo, quem ego diligo in veritate.*

1 SENIOR Cajo viro multum amabili, quem ego diligo sincere.

2 *Charissime, de omnibus orationem facio prospere te ingredi, & valere, sicut prospere agit anima tua.*

2 Charissime, illud votis opto à Jesu Christo, ut quemadmodum prospere agit anima tua, perseverans in Euangelica doctrina, ita & in cæteris omnibus prospere agat, bene fortunante Christo.

3 *Gavisus sum valde venientibus fratribus, & testimonium perhibentibus veritati tuæ, sicut tu in veritate ambulas.*

3 Neque enim mediocrem cepi voluptatem ex oratione fratrum, qui venerunt ad nos, ac testimonium præbuerunt tuæ sinceritati, tam veri testes, quam tu vere sequeris Euangelicam veritatem, non modo professione, verum etiam studiis, totaque vita.

4 *Majorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.*

4 Neque enim ulla res animum meum majori afficit gaudio, quam si contingat, ut audiam filios meos, quos per Euangelium genui Christo, sequi veritatem à nobis traditam.

5 *Charissime, fideliter facis quidquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos,*

5 Carissime, quod officiosus es erga Christianos, qui istic agunt, aut istuc hospites commeant, rem facis dignam eo, qui vere fidit Euangelio ac diligit Christum.

6 *Qui testimonium reddiderunt charitati tuæ in conspectu*

6 Nam illi testificati sunt de tua sinceritate coram omni cœtu Christianorum. Recte facias autem, si quos humaniter accepisti venientes, pari humanitate deducas, quo volunt proficisci, sicut merentur tractari, qui Dei negotium agunt, non suum, ab iis, qui Deum ex animo diligunt.

7 Non enim profecti sunt ad mercatum, quo rem familiarem augeant, sed ad prædicandum nomen Domini Jesu Christi, cujus doctrinam sic impartiunt Gentibus, ut ab eis tamen nihil accipiant, quo plus fructus referant Christo, cui laborant: si quod faciunt, absit ab omni suspicione captati quæstus.

8 Decet autem, ut nos tales excipiamus hospitio, curemusque, ne quid desit ad vitæ necessitatem, ut aliqua ex parte participes simus eorum, quæ per illos geruntur in gloriam Dei. Sic enim promisit

Ecclesiæ: quos, benefaciens, deduces digne Deo. 7 Pro nomine enim ejus profecti sunt, nihil accipientes à Gentibus. 8 Nos ergo debemus suscipere hujusmodi, ut

B Christus, qui Prophetam acciperet ut Prophetam, hunc habiturum Prophetæ mercedem.

cooperatores simus veritatis.

9 Scripsi jam ante congregationi, quæ istic est, ut idem facerent, quod te admoneo: verum obstat Diotrephes, haudquaquam recipiens monita nostra, malens esse primas inter suos, quam humilis ac purus discipulus Christi: malens auctor esse novæ hæresis, quam veteris Euangelicæ doctrinæ sincerus sectator.

9 Scripsi forsitan Ecclesiæ: sed is, qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos.

10 Quapropter si venero ad vos, commonefaciam illum factorum suorum, quæ fortasse credit me latere, dum ipse malus, dictis malitiosis garrit in nos, quo nobis adimat fidem & auctoritatem apud vos, qui vos hortamur, ut perseveretis in Euange-
C lica doctrina. Nec his contentus, non solum non recipit fratres, verum etiam eos, qui volunt recipere, prohibet, & congregatione deturbat. Tanta est hominis perversitas.

10 Propterea si venero, commonebo ejus opera, quæ facit, verbis malignis garriens in nos: & quasi non ei ista sufficiant, neque ipse suscipit fratres; & eos, qui suscipiunt, prohibet, & de Ecclesia ejicit.

11 Frater amande, ne quod malum est imiteris, sed quod bonum est. Nostrum est malos perpeti, non imitari. Non omnes sunt filii Dei, qui baptismum acceperunt. Qui piis factis declarat fidem suam, is ex Deo natus est, refert enim ingenium ac doctrinam patris sui. Qui impie agit, etiamsi dictis Deum profitetur, Deum tamen vere non videt, videtur autem oculis fidei purgatissimis, quos obcæcant tenebræ vitiorum.

11 Charissime, noli imitari malum, sed quod bonum est. Qui benefacit, ex Deo est: qui malefacit, non vidit Deum.

12 Proinde vitabis exemplum Diotrephis, ac De-
D metrium tibi propones. Hujus enim pietati testimonium redditur ab omnibus, qui tametsi silerent, tamen res ipsa testatur hominis virtutem. Quin & nos experti ejus sinceritatem, testimonium de illo ferimus. Et ipsi nostis, quod verum testimonium de illo ferimus.

12 Demetrio testimonium redditur ab omnibus, & ab ipsa veritate, sed & nos testimonium perhibemus: & nostri

13 Habebam & alia permulta, quæ te scire cupiebam, sed non arbitrabar expedire, ut ea calamo & atramento proderem chartis.

14 Spero me propediem venturum ad te, tum coram omnia tutius ac plenius loquemur. Pax tibi. Amici, qui hic sunt, jubent te salvere. Saluta tu vi-
E cissim horum verbis amicos qui istic sunt, diligenter ac nominatim.

quoniam testimonium nostrum verum est. 13 Multa habui tibi scribere: sed volui per atramentum & calamum scribere tibi. 14 Spero autem protinus te videre, & os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.

PARAPHRASEOS IN TERTIAM EPISTOLAM JOANNIS.

FINIS.

VERSVS MEMORIALIS IN III. EPISTOLAM JOANNIS

ÆTERNVM *improba non Dominum fax viderit unquam.*

IN

Digitized by Google

IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS

ARGVMENTVM,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

NVLLA *Gens obſtinatioribus animis repugnabat Euangelio* Chriſti, *quam* Judæorum, *qui* Paulo *etiam peculiariter erant infenſi, quod ſe Gentium Apoſtolum profiteretur, quas* Judæi *ut profanas & impias abominabantur, quodque Legem* Moſaicam, *quam illi ſacroſanctam habebant, & Euangelii vice per univerſum orbem ſpargi cupiebant, antiquare videretur. Adeo ut eſſent inter hos quoque qui* Chriſti *doctrinam receperant, qui putarent Legis obſervationem cum Euangelio miſcendam.* Hieroſolymis *igitur qui crediderant variis calamitatibus afficiebantur ab iis, qui reſiſtebant Euangelio, (nam penes hos erat publica auctoritas) conjiciebantur in vincula, cædebantur, diripiebantur illorum bona. Hos itaque conſolatur* Paulus, *partim exemplo veterum ſanctorum, quorum plerique ſimilibus, aut gravioribus calamitatibus exerciti ſunt, quo virtus illorum eſſet exploratior ſpectatiorque, ac præcipue exemplo* Chriſti, *partim ſpe præmii cœleſtis. Deinde declarat coruſcante jam Euangelio* Chriſti, *ceſſaſſe umbras Legis* Moſaicæ, *multa repetens ex Veteri Teſtamento, & ad* Chriſtum *accommodans. Docet non ex obſervatione Legis ad tempus data & imperfecta, ſperandam eſſe ſalutem, ſed ex fide, per quam veteres etiam illi probata ſanctimonia viri, quorum memoria* Judæis *erat ſacroſancta, Deo potiſſimum placuiſſent. In fine tradit præcepta quædam ad mores* Chriſtianos *facientia.*

ARGVMENTI FINIS.

IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS

PARAPHRASIS,

PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM.

CAP. I.

Ad patres loquitur per vates, noſque per ipſum
Natum, quem longe vincere cuncta docet.

1 MVLTIFARIAM, *multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: noviſſime,*

1 MVLTIFARIAM olim Deus humano generi, pro ſua in nos pietate conſulere ſtudens, multifariam multiſque modis ſæpe locutus ſit per ſuos Prophetas, quibus nunc in nube, nunc in igni, nunc in auræ tenuis ſibilo, nunc alia atque alia ſpecie ſeſe oſtendit, nonnunquam per Angelos, interdum arcano quodam mentis afflatu ſemet inſinuans:

2 *Diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit heredem univerſorum, per quem fecit & ſæcula.*

2 Tandem hiſce temporibus extremis, quo certiore argumento declararet ſuam erga genus hominum caritatem, quoque pleniorem nobis fidem faceret, loqui dignatus eſt nobis, non per Angelum, non per hominem Prophetam, ſed per unicum Filium ſuum Jeſum Chriſtum: quem æterno ſuo conſilio inſtituit hæredem ac Dominum, non tantum Judaicæ gentis, ſed orbis univerſi, utpote verum & unicum Filium ejus, cujus ſunt omnia, quæ condita ſunt in cœlo & in terra, quemadmodum & in Pſalmis ante promiſerat. Nec mirum ſi voluit Filium habere ſecum commune dominium totius orbis, cum per illum condiderit orbem univerſum. Sermone condidit, ac Filius Patris æterni ſermo eſt æternus, nec ille condidit mundum per Filium, veluti per organum, aut miniſtrum, ſed ut eadem fuerit poteſtas condentis Patris ac Filii.

3 *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, &*

3 Neque enim ſic eſt Filius Dei Jeſus Chriſtus, quemadmodum homines pii nonnunquam dicuntur

D filii Dei, quod illius præceptis obediant: ſed quod à Deo Patre genitus ſit Deus, atque ita genitus, ut eadem ſit illi natura cum Patre. Et tamen cum eſſet æternus ſplendor paternæ gloriæ, veluti lux manans à luce, & imago expreſſa ſubſtantiæ illius, per omnia ſimilis & æqualis illi, à quo naſcitur: cumque non ſolum ſit conditor omnium, verum etiam condita moderetur, ac verſet nutu juſſuque omnipotenti ſuo, ſimul cum omnipotente Patre, videte quo ſe noſtro cauſa demiſerit. Aſſumſit humanam naturam noſtræ conditionis injuriis obnoxiam, ac moriens, in crucis ara ſeipſum hoſtiam immolavit pro noſtris peccatis: cumque antehac Sacerdos Moſaicæ Legis pecudis ſanguine ſoleat expiare peccata, hic ſuo ſacroſancto ſanguine expurgavit delicta totius humani generis: atque ex hac demiſſione ſui, tantam ſibi paravit gloriam, ut redivivus ac reverſus in cœlum conſederit dexter Dei Patris majeſtati, in qua ſemper illi fuerat æqualis juxta naturam divinam.

figura ſubſtantiæ ejus, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram majeſtatis in excelſis:

4 *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius pro illis nomen hereditavit.*

4 Sed hujus majeſtas ex humilitate magis inclaruit mundo, adeo, ut qui prius videbatur abjectus infra infimos homines, nunc major ſit & habeatur non ſolum Prophetis, verum etiam ipſis Angelis: ac tanto major, quanto plus habet dignitatis filii nomen quam famuli. Siquidem Angelus miniſtri vocabulum eſt, & convenit inferiori. Summa quidem dignitas Angelorum, qui ſemper aſſiſtunt Patri, contemplantes faciem illius. Et in his alios alii præcedunt dignitate.

5 *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rurſum: Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium?*

5 Sed cui Angelorum Deus unquam tantum habuit honoris, ut illum Filii vocabulo dignaretur, cum in Pſalmo myſtico ad hunc modum loquatur Chriſto: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ac rurſus: *Ego ero illi pater, ille erit mihi filius.* Siquidem Angelos ex nihilo condidit, Filium è ſua genuit ſubſtantia, per omnia ſimilem atque æqualem.

6 Rur-

Digitized by Google

6 Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.

6 Rursus autem cum in Psalmo mystico Filium humano corpore vestitum inducit in orbem terræ, loquitur hunc ad modum: *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Nimirum horrorantur famuli, sed adoratur Filius, qui Patri est æqualis.

7 Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.

7 Cæterum ubi dignitatem Angelorum exprimit Scriptura mystica, quid dicit? *Qui facit*, inquit, *Angelos suos Spiritus, ac ministros suos ignis flammam.* Quod facti sunt Angeli, hoc habent cum cæteris rebus à Deo conditis commune: quod facti sunt Spiritus, ac mentes à contagio corporis humani liberæ, quodque semper ardentes divina caritate assistunt agiles executores divinæ voluntatis, hoc nimirum præcellunt nobis.

8 Ad filium autem: Thronus tuus Deus, in sæculum sæculi: virga æquitatis, virga regni tui.

8 At quanto magnificentiora sunt, quæ loquitur Filio? *Thronus tuus Deus in ævum omne, sceptrum æquitatis, sceptrum regni tui.* Auditis Dei vocabulum tribui Filio, auditis thronum regni tribui, auditis sceptrum tribui, regni nunquam habituri finem.

9 Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis.

9 Sequitur autem in eodem Psalmo: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exsultationis ultra consortes tuos.* Auditis hunc peculiarius unctum à Deo Patre supra consortes omnes, sive homines, sive Angelos:

10 Et tu in principio Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli.

10 Et rursus alio Psalmo, vide quantum auctoritatis tribuatur Filio: *Et tu*, inquit, *initio Domine terræ fundamenta jecisti, & opera manuum tuarum sunt cœli.*

11 Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent.

11, 12 *Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, ac velut amictum circumvolves eos, ac subito mutabuntur. Tu autem semper idem es, & anni tui non deficient.*

13 Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?

13 Ad quem Angelorum unquam hæc dicta sunt? aut illud quod alio in Psalmo legitur: *Sede à dextris mihi, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

14 Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis?

14 Itaque nec condendi auctoritas, nec regni majestas tribuitur Angelis, sed omnes quantumvis magni sunt: mentes sunt ministerio destinatæ, qui nonnunquam in hoc emittuntur in terras, ut adsint his, qui futuri sunt hæredes æternæ salutis. Atqui hi sunt discipuli Christi.

CAP. II.

Bis petit hæc spernens: paulisper enim Angelo Jesus
Inferior moriens, semine natus Abræ.

1 PORRO quod tot verbis demonstravi Servatoris nostri dignitatem, huc spectat, ut quo major est ille, quem Pater nostræ salutis causa misit in mundum, hoc attentius audiamus, quæ per illum dicta sunt nobis, ne quando excidant, quæ nobis per illum denuntiavit Pater. Summus est qui misit, & majorem mittere non potest. Extremam hanc legationem esse voluit, nec est ulla salutis spes, si hanc fuerimus adspernati, quemadmodum majores nostri Mosen adspernati sunt, & Prophetas. Quo major est legatus, quo major est humanitas Dei erga nos, hoc gravior erit vel contumaciæ, vel negligentiæ culpa, nisi dictis paruerimus.

2 Etenim si pondus habet, quicquid hactenus Deus majoribus nostris mandavit per Prophetas, aut per Angelos, qui Mosi divina jussa renuntiabant, sique pœnas justas dederunt, quicunque jussis per illos non obtemperassent: quod Deum adspernari videretur, quicunque Dei nuntios adspernatur:

3 Quomodo nos effugiemus pœnam, si neglexerimus non Mosaica mandata, sed tam paratam salutem, tam insignem, tam evidentem? atque eam quidem ad nos ultro delatam, non per Mosen, non per Angelos, aut Prophetas, in quos utcunque fingi

1 *Propterea abundantius oportet observare nos ea quæ audivimus, ne forte perefluamus.* 2 *Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricatio & inobedientia accepit justam mercedis retributionem:* 3 *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est,*

A possit aliqua suspicio vanitatis: sed per ipsum Dei Filium, qui nobis non est loquutus procul è nube, aut per somnium, aut alia ratione, in quam caderet suspicio fraudis aut præstigii: sed coram auditus est, conspectus est, contrectatus est, diu versatus est inter homines, plurimis ac maximis argumentis declarans sese verum Dei Filium, ac perfectam salutem offerens universo mundo per fidem Euangelicam.

4 Contestante Deo signis & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem.

4 Hujus tantæ rei fides cum primum orbi tradi cœpisset, per ipsum Dominum Jesum Christum, qui non solum præco fuit salutis æternæ, verum etiam B auctor, post confirmata est ab eis, qui testes fuerant omnium, quæ ille dixit ac gessit inter homines versans: ac ne horum prædicatio parum haberet ponderis, sermonem illorum Deus ipse variis miraculorum signis ac prodigiis, aliisque mirificis dotibus, quas Spiritus ille cœlestis varie distribuebat suis, ut ipsi visum est expedire saluti mortalium, confirmabat: ex quibus omnibus abunde constitit, totum hoc quod agebatur, non esse virium humanarum, sed divinæ virtutis: atque eum, qui hæc prodidit, primum ipse, deinde per suos discipulos, non fuisse simplicem hominem, sed Deum humano indutum corpore.

5 Non enim Angelis subjecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur.

5, 6 Ac ne Angelum quidem fuisse declarat Psalmus mysticus, ita de Christo testificans: *Quid est* C *homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quod curam habes illius?*

6 Testatus est autem in quodam loco quis, dicens: Quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum?

7 *Demisisti illum paulisper infra Angelos.* Ac mox: *Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.*

7 Minuisti eum paulominus ab Angelis: gloria & honore coronasti eum: & constituisti eum super opera manuum tuarum.

8 *Omnia subjecisti pedibus ejus.* Antequam Deus conderet orbem terræ, jam tum decretum erat consilio divino, ut quicquid esset in orbe futurum, subjiceretur pedibus Jesu Christi. Nulli vero Angelorum legitur dominatum tribuisse totius orbis, in quo continentur & Angeli. Etenim qui dixit omnia subjicienda, nihil reliquit non subjiciendum. Atque hujus Psalmi vaticinium ex parte perfectum est, ex D parte perficiendum futuro sæculo. Nondum enim videmus illi subjecta esse omnia. Rebellatur adhuc ab impiis, & gravis est conflictatio Ecclesiæ cum mundo.

8 Omnia subjecisti sub pedibus ejus. In eo enim quod omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia subjectati.

9 Cæterum illud jam videmus perfectum, quod Jesus, qui cum hîc affligeretur variis cruciatibus, ac denique crucis supplicium subiret, & id, quod est hominum judicio amarissimum, hominum causa gustaret, sed ita gustaret, ut tamen non absorberetur, videbatur esse factus inferior Angelis, qui nec morti, nec ulli dolori sunt obnoxii: nunc tanta gloria & honore coronatus est, ut mundus intelligat ipsum immunem ab omni culpa, juxta vo- E luntatem Dei volentis humanæ saluti consulere, subisse mortis supplicium. Siquidem mors illius non erat pœna commissi per illum, sed erat favor divinus erga genus humanum, quod sua gratuita beneficentia redimi voluit per mortem innocentissimi Filii sui Jesu Christi.

9 Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum: ut gratia Dei, pro omnibus gustaret mortem.

10 Atque ut non poterat nos evehere ad immortalitatis consortium, nisi Deus esset: ita non conveniebat, ut is, qui condidisset omnia, & cujus moderatione gubernarentur omnia, sineret in totum perire, quod condidisset. Ubi vero regnum Filii, F si solus esset apud Patrem? Itaque decere visum est, ut Filius auctor ac princeps salutis omnium, exploratus ac probatus multis afflictionibus, non solum ipse sibi pararet hæreditatem æternæ gloriæ, verum etiam multos alios filios secum adduceret, Patri sua morte reconciliatos.

10 Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat,

11 Et ideo corpus humanum assumsit, ut homo hominem purificaret. Nam sacrificus Christus, qui purificat, & homines, qui purificantur, juxta naturam humanam ex eodem parente primo ducunt ori-

auctorem salutis eorum per passionem consummare. 11 *Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens:*

Digitized by Google

origines, ut communem patrem habent in cœlis.

12 Unde Dei Filius in Psalmis non erubescit homines pios appellare fratres, cum ita loquitur: *Annuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te.* An non hic palam discipulos suos fratres appellat.

13 Et rursus alio quodam in loco: *Et ego fiduciam meam ponam in eo.* Porro probati filii est, toto pectore fidere patri. Atqui is quando promisit se omnia subjecturum pedibus Filii, dubium non est, quin & illos servaturus sit, cum quibus & in quibus regnet Filius. Rursus alio quodam in loco apud Prophetam Esaiam Dominus discipulos appellat pueros suos, cum ait: *Ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus.* Auditis cognationis vocabula.

14 Quandoquidem igitur hi fratres & hi pueri, de quibus loquitur, homines sunt, constantes ex carne & sanguine, voluit ille, qui cœlestis erat, assumere carnem humanam, & hac parte similis illorum fieri, quos erat adsciturus in æternæ cognationis consortium: ut morte sua aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est, Diabolum;

15 Ac liberos redderet eos, qui metu mortis æternæ per omnem vitam obnoxii erant servituti Satanæ, qui per mortem regnabat in omne mortalium genus. Nam quisquis peccato obnoxius est, idem morti est obnoxius.

16 Nec enim cuiquam Angelorum hoc honoris habuit Christus, ut illius assumta natura frater aut cognatus illi fieret. Sed juxta promissionem divinam semen Abrahæ apprehendit. Judæus natus est ex Judæis, homo natus est ex homine, obnoxius omnibus nostræ naturæ incommodis, siti, fami, æstui, frigori, lassitudini, dolori, morti, quo similitudo testaretur veram naturæ cognationem, & fidem faceret, illum non deserturum eos, pro quibus tantum malorum subiisset, quosque sibi tam arcta necessitudine copulasset:

17 Unde congruebat, ut iis, quos sibi fratres esse volebat, per omnia similis redderetur, quo majorem illis fiduciam præberet impetrandæ veniæ, quod is, qui Pontificis munus suscepisset, ut apud Deum intercederet, expiaturus peccata totius populi, omnesque mortalium genus illi reconciliaret:

18 Hoc argumento videretur misericors ac fidus futurus erga suos, quod non solum esset ejusdem naturæ, verum etiam quod ipsi contigisset innumeris hujus mundi afflictionibus explorari probarique, quo facilius videretur succursurus iis, qui malis hujus mundi vexarentur.

CAP. III.

Christus præfertur Mosi: sed non requierunt, Qui Domini verbis non habuere fidem.

1, 2 QUAPROPTER fratres, jam Filii sanguine purificati, ac Dei gratuita bonitate ad hoc vocati, ut veniatis in consortium vitæ cœlestis, quo magis illius beneficiis respondeatis, considerate quanta dignitate præmineat Apostolus ac Pontifex vestræ professionis, hoc est, Euangelicæ fidei, Christus Jesus, quamquam pure atque integre se gesserit erga Deum, à quo fuit constitutus in tota Ecclesia: quemadmodum Moses laudatus est, quod fidelem ministrum gesserit in tota Synagoga sua, quæ est domus ac familia Dei.

3 At Christus tanto plus honoris ac dignitatis promeruit, quanto plus debetur honoris ei qui condidit domum, quam domui ipsi.

4 Siquidem omnis domus ædificatur ab aliquo. Porro qui condidit omnia, Deus est.

5 Moses igitur sic versatus est in domo Dei, ut ipse pars esset domus, non auctor. Ac meretur quidem hoc Mosi pietas, ut apud nos magnæ sit auctoritatis, quod in tota domo Dei bona fide versatus sit, sed tanquam minister ac dispensator, non tanquam filius. Ille versabatur in domo aliena, hic in sua. Ac Moses typos tantum ac umbras rerum adferebat earum, quas post Christus erat explicaturus.

6 At Christus ut conditor ac Filius administravit suam ipsius domum, cujus domus sumus nos, qui per Euangelicam professionem aggregamur illius Ecclesiæ, si modo perseveraverimus in eo quod instituimus: hoc est, si in concordia domus permaneamus, & fiduciam, quam nobis tribuit Spiritus Christi, simulque glorioſam spem, qua ceu germani filii Dei, fratresque Christi, cœlestem hæreditatem exspectamus, ad finem usque firmam & illabefactatam tenuerimus. Nihil enim nobis proderit audisse doctrinam Euangelicam, nisi perseveremus vivere juxta doctrinam Euangelicam: imo hoc gravius puniemur, quo major est qui per se nobis dignatus est loqui.

7, 8 Quare meminisse oportet, quod in Psalmo mystico loquitur Spiritus Sanctus, adhortans populum, ut obediat voci divinæ, ne provocatus ille, graviter illos puniat, & à promissa requie secludat: *Hodie*, inquit, *si vocem ejus audieritis, ne obduretis corda vestra*, sicut fecistis cum Deum exacerbaretis murmure ac rebellione eo die, quo patientiam vestram explorabat in deserto:

9 *Ubi*, inquit, *tentaverunt me patres vestri*, velut explorantes an is essem, qui possem punire nocentes, *& experti sunt iram meam: &* qui dictis credere nolebant, *viderunt opera mea, idque annis quadraginta.* Tantum enim temporis in deserto circumacti sunt, cum ex Ægypto profugi peterent terram, in qua promiseram illis quietem:

10 *Quapropter offensus eram illi genti, ac mecum dicebam: Hi semper errant corde*, sequentes suas cupiditates, *neque cognoverunt vias meas.*

11 Atque ob hanc inobedientiam iratus juravi, nunquam fore ut ingrediantur terram, in qua pollicitus sum illos requieturos ab laboribus itinerum.

12 Audistis fratres Deum patribus nostris comminantem, non perventuros ad terram promissam, ni perseverassent obedire jussis ipsius. Ac nos quidem per baptismum liberati à delictis vitæ prioris, egressi quidem sumus ex Ægypto, nunquam tamen perveniemus ad immortalitatem promissam in cœlestibus, nisi perstiterimus in observatione fidei & caritatis Euangelicæ. Sin respicimus Ægyptum relictam, hoc est, si relabimur ad pristinæ vitæ cupiditates, excludemur à consortio vitæ cœlestis. Videte igitur, ne sit in ullo vestrum cor pravum ac rebelle jussis Euangelicis, aut obnoxium incredulitati, sic ut reflectens sese ad relicta vitia, & mortis principem Diabolum, desciscat à Deo vivente.

13 Quin potius quotidianis hortatibus confirmate vos invicem ad perseverantiam in tolerandis hujus vitæ laboribus, quibus Deus explorat sinceritatem fidei nostræ, quamdiu dicitur dies hodiernus: hoc est, quamdiu gerimus hoc mortale corpus, & adhuc in hujus mundi deserto non absque periculo peregrinamur: ne quis fractus hujus vitæ malis ab instituto itinere seducatur illecebra peccandi. Quemadmodum olim Hebræi majores nostri, pertæsi laborum diutinæ profectionis, desiderabant nidorem ollarum, quas in Ægypto reliquerant.

14 Sumus quidem insiti corpori Christi per baptismum ac fidei professionem, sed ita, ut nostro vitio possimus excidere, nec aliter in hæreditatem immortalitatis nobis promissam perventuri, nisi felicitatis initium ac fundamentum, quod per Euangelium in

12 *Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te.*
13 *Et iterum: Ego ero fidens in eum. Et iterum: Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Deus.*
14 *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem: ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum:*
15 *Et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.*
16 *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.*
17 *Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.*
18 *In eo enim, in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari.*
1 *Unde fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate Apostolum & pontificem confessionis nostræ Jesum:*
2 *Qui fidelis est ei qui fecit illum, sicut & Moyses in omni domo ejus.* 3 *Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam.* 4 *Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creavit, Deus est.*
5 *Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tanquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant:*
6 *Christus vero tanquam filius in domo sua: quæ domus sumus nos, si fiduciam & gloriam spei usque ad finem firmam retineamus.*
7 *Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus: Hodie si vocem ejus audieritis,*
8 *Nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione, secundum diem tentationis in deserto,*
9 *Ubi tentaverunt me patres vestri; probaverunt, & viderunt opera mea*
10 *Quadraginta annis: Propter quod infensus fui generationi huic: & dixi: Semper errant corde. Ipsi autem non cognoverunt vias meas,*
11 *Sicut juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam.*
12 *Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi à Deo vivo:*
13 *Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec Hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* 14 *Participes enim Christi effecti sumus: si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus.*

Digitized by Google

nobis jactum est, solidum & inconcussum tenuerimus usque ad finem, sempe proficientes in eoquod cœptum est, admoniti per hoc quod nobis semper dicitur.

15 *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione.*

16 Quidam enim audita voce Domini non obedientes, exacerbaverunt illum, indignationem illius in se provocantes: at non omnes id fecerunt, qui profecti fuerant ex Ægypto duce Mose: atque iis sane datum est pervenire ad terram lacte ac melle manantem.

17 Quibus autem indignatus est annis quadraginta? nonne iis qui peccaverant? At isti non introierunt in requiem, sed horum cadavera prostrata sunt in deserto.

18 Quibus autem sic indignatus est, ut juraret eos non ingressuros in requiem promissam? nisi iis, qui voci Dei non paruerant.

19 Videmus itaque Deum utrobique veracem fuisse, qui quidem & præstiterit morigeris quod promiserat, & inobedientibus quod fuerat comminatus. Pervenerunt illi sua patientia, isti non potuerunt ingredi propter incredulitatem ac diffidentiam.

CAP. IV.

De requie rursus dissertat, de gladioque,
Qui mentem penetrat: Pontificisque decus.

1 QUOD majoribus nostris tum erat Moses, hoc nobis nunc est Christus. Ac terrena requies erat, ad quam illi properabant: nos tendimus ad requiem cœlestem. Metuamus igitur negligere vocem Dei, quæ nobis quotidie loquitur per Euangelium: ne quemadmodum ex illis complures sua culpa frustrati sunt exspectatione quietis promissæ, ita contingat, ut ex nobis etiam videatur aliquis esse frustratus, nec assequatur ad quod ire cœperat.

2 Siquidem nobis denuntiata est longe felicior requies quam illis, idque per legatum multo certiorem quam illis. At illis nihil profuit accepisse promissionem quietis, & hactenus audisse vocem Domini, propterea quod non crederent auditæ.

4 Introibimus enim in veram requiem, quæ nesciet ullos malorum tumultus, nos qui credidimus voci Dominicæ, quemadmodum contra negat ingressuros, qui non crediderint, dicens: *Sicut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam:* cum tamen prima Dei requies jam multis retro seculis præcessisset, nimirum operibus illius in orbe condendo perfectis, & in hujus quietis memoriam Judæi Sabbatismum suum celebrent.

4 Siquidem de prima quiete loquens, quæ contigit die ab opificio mundi septimo, Scriptura dicit: *Et requievit Dominus die septimo ab omnibus operibus suis.*

5 Ac rursus hoc in loco, quem adduximus è Psalmo, meminit secundæ quietis, quæ refocillaret Hebræos hospitio terræ Palæstinæ longo itinere defatigatos, dicens: *Si introibunt in requiem meam.*

6 Ex his igitur quoniam consequitur, Deum primo introisse in suam requiem condito mundo, & in secundam paucos ingressos fuisse propter incredulitatem, & tamen vanam fore promissionem, nisi populus aliquis ingrediatur, prioribus exclusis, quibus in umbra Legis erat promissa requies, quam tamen non ingressi sunt, quibus erat promissa:

7 Rursus Psalmus mysticus per os David, post tot annos à possessa Palæstina præfinit alium diem, quem non septimum, sed hodiernum vocat, quemadmodum sæpe jam dictum est: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

8 Etenim si Jesus Nave filius, quo duce quidam ingressi sunt Palæstinam, præstitisset Israelitis requiem veram, nequaquam Deus per os David alterius diei postea meminisset. Alioqui dicere poterant: quam novam requiem nobis proponis, cum promissam teneamus, regnantes in terra Judæa?

9 Restat igitur alius quidam sabbatismus populo Dei: restat alia requies, non in Palæstina, sed in cœlesti patria, quo properamus duce Jesu Christo, quod tamen non continget, nisi sabbatismum Euangelicum hic pure celebraverimus, abstinentes ab operibus hujus mundi.

10 Quisquis enim ingressus est in hanc veram requiem Dei: jam & ipse conquievit ab operibus suis, quemadmodum Deus conquievit à suis orbe condito. Siquidem perductus est in eam vitam, quæ nullum habet laborum aut dolorum tumultum.

11 Ergo dum adhuc in hujus vitæ deserto peregrinamur, ne restitemus, ne respectemus, sed jugibus studiis, sed ardentibus votis properemus in veram illam requiem, ad quam vocat Jesus dux noster: neque committamus, ut aliquis nostrum concidat in via, quemadmodum illi conciderunt. Nec enim erit nobis levior pœna, si simili peccemus exemplo.

12 Neque vero negligendum est, quod minatur sermo Dei Christus Jesus: nam vivus est & efficax, ac penetrantior quovis gladio utrinque incidente, neque solum incidens membra corporis, verum etiam intimos affectus animi, adeo ut dissecet animam à spiritu, dissecet compages omnes ac medullas mentis, discretor cogitationum arcanarum & consiliorum cordis nostri.

13 Et adeo nihil illum fallit humanæ cogitationis, ut nulla sit usquam omnino creatura, neque in cœlo, neque sub terra, quæ illius oculis non sit manifesta, sed omnia nuda sunt ac resupinata oculis ejus, cui nobis erit vitæ nostræ reddenda ratio. Ut olim non fefellit Deum murmur Hebræorum, nec opus erat ullo gladio ad perdendos illos, nisi jussu divino: ita non fallet nunc Christum, qui professus Euangelicam vitam, furtim amat ea quæ mundi sunt, neque sincero affectu properat ad promissam requiem.

14 Cum igitur habeamus Pontificem vere magnum Jesum Christum Filium Dei, qui peracto sacro pro nobis reconciliandis, non ingressus est adytum Templi manibus structi, sed penetravit cœlos nobis propitiaturus Patrem: perseveremus in professione nostra, sequentes viam quam ille monstravit, & properantes ad ea quæ ille promisit.

15 Ne nos deterreat illius magnitudo, sed magis animum addat clementia. Agit ille quidem in cœlis, sed prius homo versatus in terris. Ne igitur imaginemur nobis esse Pontificem, qui non possit tangi sensu nostræ imbecillitatis. Tentatus est ille omni genere malorum, quibus obnoxia est vita nostra: at victor repetiit cœlos, ne nos delassemur in afflictionibus, illius ope freti, & infractis animis pertendamus ad requiem æternæ felicitatis, ad quam ille pervenit. Nec enim ob aliud ille afflictus est, cæsus est, consputus est, crucifixus est velut nocens, cum esset innocens, ut nos, qui vere nocentes eramus, purgaret ab omnibus peccatis. Non mutavit erga nos affectum suum, modo ne illum alienemus nostra perversitate.

16 Freti igitur illius clementia, accedamus ad thronum ejus non terribilem, sed placabilem, & ad juvandum paratum, non ad perdendum: accedamus cum fiducia nihil hæsitantes, ut consequamur misericordiam, quæ nobis peccata nostra condonet, ut gra-

15 *Dum dicitur: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione.*
16 *Quidam enim audientes exacerbaverunt, sed non universi qui profecti sunt ex Ægypto per Moysen.*
17 *Quibus autem infensus est quadraginta annis? Nonne illis, qui peccaverunt, quorum cadavera prostrata sunt in deserto?*
18 *Quibus autem juravit non introire in requiem ipsius, nisi illis, qui increduli fuerunt?*
19 *Et videmus, quia non potuerunt introire propter incredulitatem.*
1 *Timeamus ergo ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex vobis deesse.*
2 *Etenim & nobis nuntiatum est, quemadmodum & illis: sed non profuit illis sermo auditus, non admistus fidei ex iis quæ audierunt.*
3 *Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus: quemadmodum dixit: Sicut juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam: & quidem operibus ab institutione mundi perfectis.* 4 *Dixit enim in quodam loco de die septima sic: Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis.* 5 *Et in isto rursum: Si introibunt in requiem meam.* 6 *Quoniam ergo supereſt introire quosdam in illam, & ii, quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem:* 7 *Iterum terminat diem quendam, Hodie, in David dicendo, post tantum temporis, sicut supra dictum est. Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*
8 *Nam si eis Jesus requiem præstitisset, numquam de alia loqueretur, posthac, die.*
9 *Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei.*
10 *Qui enim ingressus est in requiem ejus; etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut à suis Deus.*
11 *Festinemus ergo ingredi in illam requiem: ut ne in ipsum quis incidat incredulitatis exemplum.*
12 *Vivus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis.*
13 *Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo.*
14 *Habentes ergo pontificem magnum qui penetravit cœlos, Jesum filium Dei: teneamus confessionem.*
15 *Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.*
16 *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ: ut misericordiam consequa-*

mur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

gratiam, quæ nos cœlestibus bonis instruat & opituletur, quoties res postulabit. Neque enim ab alio sunt nobis postulanda præsidia, quam unde speramus præmia.

CAP. V.

Exprimitur Christus per Melchisedech: Deus illum Clamantem audivit: lacte opus est iterum.

1 Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis:

1, 2 PORRO solenne est apud Judæos, ut omnis Pontifex ex hominum numero delectus constituatur in hoc, ut in his negotiis, quæ inter Deum & homines aguntur, interpellet pro hominibus ceu medius quidam inter utrosque: ut si quid offensus sit Deus peccatis mortalium, is illum donariis ac victimis rite oblatis reconciliet, qui propter auctoritatem Pontificiæ dignitatis sic valeat apud Deum, ut tamen non sit alienus ab humana imbecillitate, quo placabilior sit iis, qui per ignorantiam erroremque deliquerunt, propterea quod ipse sit obnoxius eidem imbecillitati, ob naturam communem. Facilius enim alienis malis indolescunt, quos experientia similium malorum docuit misericordiam, ac lubentius succurrit aliorum erratis, qui ipse labitur nonnunquam, aut certe non abest à periculo lapsus.

2 Qui condolere possit iis, qui ignorant, & errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate:

3 Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis.

3 Atque hanc ob causam Mosaicus Sacerdos quemadmodum immolat hostiam pro peccatis populi, ita debet & pro suis immolare. Porro Christus sic habuit naturam nobiscum communem, doloribus mortique obnoxiam, ut tamen expers esset omnis peccati. Pœnam expertus est, peccati nescius.

4 Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron.

4 Ad hæc juxta Mosaicos ritus, nemo sibi ultro vendicat atque usurpat honorem Pontificiæ functionis, sed hunc tantum sumit, qui huc jussu Numinis adscisitur, quemadmodum adscitus est Aaron. Siquidem honore videtur indignus, qui per arrogantiam ambit dignitatem: & parum idoneus est ad functionem, qui semet ingerit.

5 Sic & Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

5 Atque hac quoque in parte Christus legitimi Pontificis exemplum præbuit. Nec enim ultro vindicavit sibi gloriam Pontificiæ dignitatis, sed approbatus est à Patre, qui primum agnovit Jesum verum Filium suum, cum ait: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

6 Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.

6 Mox etiam verum ac legitimum Sacerdotem constituit, cum ait: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* Quomodo sit ordinatus habetis, nunc quomodo sit tentatus ac probatus, accipite.

7 Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.

7 Cum adhuc mortale corpus gestaret in terris, preces & obsecrationes obtulit Deo Patri, qui poterat illum à supplicio crucis servare, nisi maluisset morte Filii mortalium saluti consulere: obtulit autem ingenti affectu, cum valido clamore ac profusis lachrymis, & auditus est, pro caritate simul & dignitate, qua valet apud Patrem, impetravit quod voluit. Voluit enim non ut supplicium crucis effugeret, sed ut sua morte nobis pararet salutem. Sensit horrorem, sensit cruciatum mortis, sed vicit amor humani generis.

8 Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam: 9 Et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ, 10 Appellatus à Deo pontifex juxta ordinem Melchisedech.

8 Filius erat, & nihil non erat impetraturus à Patre, si postulasset: sed ita visum est magis congruere nostræ saluti, ut omnibus malis afflictus, ad crucis usque supplicium præberet suis perfectæ obedientiæ formam.

9 Rogatis quid profecerit hæc tolerantia Sacerdotis nostri? Sic modis omnibus spectatus ac probatus, ut nihil in eo desideraretur, non solum servavit seipsum, sed causa fuit salutis omnibus, qui hoc obedientiæ exemplum imitantur. Impetravit enim à Patre, ut quos habuisset socios afflictionum, haberet & regni consortes.

10 Ob hoc sacrificium rite peractum cognominatus est à Deo Pontifex secundum ordinem Melchisedec.

11 Quis autem fuerit Melchisedec, & qua congruentia Filium Dei figuravit, multa nobis essent dicenda, sed omnia perdifficile fuerit enarrare vobis, eo quod aures vestræ parum capaces sunt hujus sermonis, atque imbecilliores, quam ut sermonem tam arduum tamque prolixum ferre possint.

11 Deque nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.

12 Qua quidem in re studium vestrum ac profectus ardorem desiderare cogor, qui cum tot annis jam fitis professi Christum, ut pro temporis modo debeatis esse doctores aliorum, rursum opus sit vobis, ut vos doceamus prima rudimenta, ac velut elementa Scripturæ divinæ, quæ ceu pueris tradi solent his, qui per baptismum renascuntur Euangelio: quosque jam robustos ac firmos esse decebat in Euangelica Philosophia, velut infantes teneri, infimæ doctrinæ lacte adhuc egeatis potius, quam idonei sitis solido cibo sublimioris eruditionis. Adhuc hæretis, ac velut repitis in historia divinæ Scripturæ, necdum assurgitis ad sensum abstrusiorem.

12 Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus: rursum indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei: & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo.

13 Porro qui talis est, ut sit adhuc lacte fovendus, is rudis est, & nondum satis firmus ad audiendum justitiam Euangelicam, quæ non in historia, sed in allegoriis invenitur. Et ideo non est capax sermonis, qui tradit nobis perfectam justitiam, quia adhuc in Christo est infans, nuper insitus corpori Christi, sic ut paulatim proficiat ad majora.

13 Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ: parvulus enim est.

14 Porro solidus cibus sensus altioris adultorum est ac perfectorum, nempe horum, qui longa assiduaque meditatione sensus habent exercitatos ad boni malique discretionem. Qui puer est ac lacte alitur, vivit quidem, at nondum usu atque ætate sibi collegit robur, ut ipse sibi deligat ex omnibus quod optimum est, nec exspectet ut alius lac, aut alioqui puerilem cibum præmansum in os inserat.

14 Perfectorum autem est solidus cibus; eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.

CAP. VI.

Fido cessurum melius, quamvis ita dicam:
Jurando Dominus spem jubet esse ratam.

1 Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum,

1 QUAPROPTER nos, quos jam oportet desisse pueros esse in Philosophia Christiana, omisso sermone, qui rudes solet primis elementis instituere, feramur ad perfectionem, neque semper in hoc hæreamus, ut subinde fundamentum jaciamus pœnitentiæ: quandoquidem primus omnium gradus est ad Christianismum, vitæ superioris agere pœnitentiam, & à peccatis recedere: deinde, ut doceamur à Deo sperandam esse veram innocentiam ac salutem.

2 Baptismatum doctrinæ, impositionisque manuum, ac resurrectionis mortuorum, & judicii æterni.

2 Mox, ut baptismo sacro purgemur à sordibus vitiorum, & innocentiæ restituamur: sed hæc per manus impositionem accipiamus Spiritum Sanctum: utque credamus futuram resurrectionem mortuorum, simulque judicium illud supremum, quod alios addicet æternæ felicitati, alios æternis cruciatibus. Hæc semel didicisse satis est, semel professos esse satis est, semel credidisse satis. Absurdum autem fuerit, si his traditis sic deinceps agamus, ut necesse sit subinde nobis iterari quæ in hoc traduntur, ut fundamentum sint ædificio superstruendo. Verum elementis hujusmodi semel acceptis, ardentibus studiis enitendum est, ut evadamus quotidianis auctibus pietatis grandes ac perfecti, & à semel jacto fundamento, nobilis structura ex auro argentoque & lapidibus pretiosis virtutum ac pie factorum surgat ad supremum usque fastigium.

3 Et hoc faciemus, si quidem permiserit Deus.

3 Nostrum est huc eniti, ut quod conamur perficiamus, si nobis conantibus affuerit prosper ac favens Deus, sine cujus præsidio nihil potest humanum studium. Hunc cursum posteaquam semel aggressi sumus, non est resistendum, non respectandum, non ad relicta redeundum, sed semper ad meliora proficiendum. Stultissimum autem sit ad id recurrere, quod iterari nec debet, nec potest.

Digitized by Google

4 Impossibile est enim, eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti,

5 Gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi,

6 Et prolapsi sunt; rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.

7 Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo.

8 Proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima: cujus consummatio in combustionem.

9 Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora, & viciniora saluti: tametsi ita loquimur.

10 Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministratis.

11 Cupimus autem unumquemque vestrum eamdem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei usque in finem: 12 Ut non segnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide & patientia hereditabunt promissiones. 13 Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem, juravit per semetipsum,

4, 5 Siquidem ne potest quidem fieri, ut qui semel reliquerint tenebras vitæ prioris illuminati per doctrinam Euangelicam, jamque per baptismum condonatis peccatis, experti sint Dei gratuitam liberalitatem, ac cœleste donum, quo sublatis semel vitiis omnibus largitur innocentiam, deinde per impositionem manus Sacerdotalis, participes facti fuerint Spiritus Sancti, per quem fidere cœperunt felicibus promissis æternæ vitæ, jamque ceu prægustare virtutes seculi futuri,

6 Si per incuriam relabantur in dedecora vitæ prioris, denuo renoventur per pœnitentiam, id quod semel factum est in baptismo, in quo semel deponitur vetus homo cum actibus suis, & exit è lavacro nova creatura. Siquidem qui postulant, ut subinde relapsi in vitam pristinam, denuo per baptismum inventur: hi quid aliud agunt, quam ut iterum sibi crucifigant Filium Dei, ac veluti ludibrio exponant? Semel ille pro nobis est mortuus, semel cum illo mortui sumus in baptismo, semel ille resurrexit, nunquam iterum moriturus: & nos oportet sic in novitatem vitæ cum illo resurgere, ut non relabamur in mortem vitæ semel relictæ, hoc acriorem provocantes iram Dei, quo fuit uberior illius in nos liberalitas. Oportet enim ut divinæ erga nos benignitati nostra respondeat industria. Semina quædam pietatis indit ille, quæ ut adolescant nostra item cura est adhibenda.

7 Nam terra, quæ pluviam frequenter in se venientem combiberit, ac progenuerit herbam utilem his à quibus colitur, ea collaudatur à Deo, quod sterilis non sit, neque semen jactum absque fructu premat ac suffocet.

8 At quæ recepto bono semine produxerit spinas ac tribulos, reproba est & affinis exsecrationi divinæ: cujus exitus huc tendit, non ut demetatur, sed ut exuratur.

9 Atque hæc exhortandi gratia loquimur carissimi, non quod hæc quæ diximus de terra sterili, in vos competant. Imò de vobis meliora nobis persuasimus, quæ salutem vestram promittant, auxiliante Deo, potius quam exitium: tametsi similitudinem hanc produximus, quo in vobis studium Euangelicæ pietatis exacuamus, ne relanguescentes paulatim deveniatis ad extremum malorum.

10 Aderit vobis Deus ad meliora nitentibus. Non enim ingratus est, nec injustus, ut obliviscatur benefactorum vestrorum, susceptique laboris, non ob gloriam aut quæstum, sed ex amore nominis ipsius, quem ipsa re declarastis: qui & de facultatibus & officiis vestris, & olim subministrastis sanctis, per quos nomen Christi prædicatur, & adhuc etiam subministratis.

11 Porro ea gratia hæc diximus, quod cupimus ut in eo, quod facitis, perseveretis omnes, inter quos sunt nonnulli languidiores quam vellem: nec perseveretis modo, verum etiam ut magis ac magis in dies proficiatis, donec perveneritis ad perfectionem:

12 Ut quod nunc de vobis bene spero, plane confidam, videns vos semper in melius progredi, proculque abesse à periculo eorum, qui segnescentes paulatim relabuntur in vitam pristinam, sed eorum potius vestigiis ingredientes, qui fidentes Christi promissis, tenacique spe præmiorum cœlestium, perveniunt ad hæreditatem immortalis vitæ, quam suis promisit in regno cœlesti.

13 Qui diffisi promissis Dei, respectabant Ægyptum relictam, non pervenerunt ad terram promissam: sed Abraham constanter fisus Dei promissis, etiam reclamante natura, consequutus est quod exspectarat. Deus enim quo certior esset fides promissionis, jusjurandum interposuit, quod apud homines certissimum pignus esse solet: juravit autem per semetipsum, eo quod non haberet majorem se, per quem juraret.

14 Juravit autem hunc in modum: *Per memetipsum juravi, quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & arenam quæ est in littore maris.*

15 Deus igitur perspecta constantia senis, nihil cunctantis etiam filium occidere, in quo videbatur omnis spes posteritatis esse sita, jurejurando confirmavit quod ante promiserat. Nam Deus cum homine agens, humanum morem imitatus est.

16 Siquidem homines jurant per eum qui major est, quo gravius sit jusjurandum. Atque iisdem si quid dubium est, aut controversum, id solvitur finiturque, si jurisjurandi confirmatio accesserit.

17 Atque hac de causa, cum Deus vellet insigniter declarare firmitatem consilii sui hæredibus promissionis, jusjurandum interposuit:

18 Ne quis suspicari posset Deum mentiturum, qui suam fidem gemino vinculo adstrinxisset, primum promisso, mox jurejurando: utque certa concepta fiducia, firmam habeamus consolationem in hujus mundi procellis, qui non collocavimus felicitatem nostram in hujus vitæ commodis, sed huc confugimus, ut spe proposita potiamur in futuro seculo:

19 Quam interim in his mundi tempestatibus velut ancoram animæ firmam ac tutam tenemus, ut quæ nobis non in rebus fluxis, sed in cœlo fixa est, nimirum porrigens sese usque ad ea quæ sunt intra velum, ubi nullæ sunt rerum vices, sed æterna stabiliaque omnia.

20 Hæc est illa pars interior Templi, quam nos eo præcurrens viæque monstrator ingressus est Jesus Christus, pro nobis interpellaturus Patrem, factus Pontifex in æternum secundum ordinem, ut dicere cœperam, Melchisedec.

CAP. VII.

Grandior Abramo patre Melchisedec fuit olim: Et nova lex veteri commodiora dabit.

1, 2 JAM quando nos ipse sermonis cursus reduxit ad mentionem Melchisedec, videamus qualis ipse fuerit, & qua ratione gesserit typum nostri Sacerdotis. Nam hic Melchisedec Rex civitatis dictæ Salem, Pontifex fuisse legitur Dei altissimi, qui occurrit Abrahæ revertenti à cæde trium Regum, eique benedixit ob rem fortiter gestam, cui decimas etiam omnibus ex rebus suis impartiit Abraam. Ac Melchisedec ex ipsa statim nominis interpretatione dicitur Rex justitiæ: deinde ex regni titulo dictus est Rex Salem, hoc est, Rex pacis:

3 Dictus nec patrem habere, nec matrem, nec genealogiam, nec initium dierum habens, nec vitæ finem habiturus. Sed de illo dictum est, quod vere competit in Filium Dei, quod maneat Sacerdos in æternum. Et hactenus quidem nihil non competit in Christum Pontificem nostrum, qui justitiæ regnum statuit, qui pacis est princeps, qui juxta divinam naturam, nec patrem habuit in terris, nec matrem: cujus genealogiam nullus hominum potest effari, qui nec esse cœpit, nec esse desinet: cujus Sacerdotium manet in æternum, purificans omnes ipsi credentes usque ad finem seculorum.

4 Nunc ejusdem dignitatem contemplemur, quantoque intervallo præcesserit Mosaicæ Legis Sacerdotes. Abraham tantus Patriarcha, non solum dignatus est ab hoc recipere benedictionem post cædem Re-

14 Dicens: Nisi benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo te.

15 Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem.

16 Homines enim per majorem sui juravit: & omnis controversiæ eorum finis, ad confirmationem, est juramentum.

17 In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum:

18 Ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem:

19 Quam sicut ancoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis:

20 Ubi præcursor pro nobis introivit Jesus, secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in æternum.

1 Hic enim Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahæ regresso à cæde regum, & benedixit ei:

2 Cui & decimas omnium divisit Abraham: primum quidem qui interpretatur rex justitiæ: deinde autem & rex Salem, quod est, rex pacis, 3 Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum. 4 Intuemini autem quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha.

Digitized by Google

5 Et quidem de filiis Levi sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere à populo secundum legem, id est, à fratribus suis; quamquam & ipsi exierint de lumbis Abrahæ.

Regum peractam, verum etiam de spoliis dedit illi decimas.

5 Ac Mosi quidem Lex hoc præscripsit, ut qui genus ducerent à Levi, succederent in functionem Sacerdotii, & decimas acciperent, sed duntaxat à fratribus suis, hoc est, Abrahæ posteris, neque longius se porrigit jus ac dignitas Levitarum.

6 Verum Melchisedec cum alienus esset à genere Judaico, decimas accepit ab ipso Gentis totius auctore Abraham, & benedixit ei, unde juxta promissionem Dei proditura erat natio Judæorum.

7 Extra controversiam est autem, id quod minus est, ab eo quod majus est, benedictionem accipere. Quisquis enim benedixit, velut auctoritate sua comprobat quod gestum est.

8 Porro comprobandi jus penes superiorem esse solet, non æqualem, aut inferiorem. Atque in genere quidem Levitico decimas accipiebant ii, qui & ipsi mortales sunt, quorumque morte jus transit ad alios. At de Melchisedec dictum est, quod vivat ac maneat in æternum, perenni Sacerdotio præminens.

9 Denique cum à Levi principe jus exigendarum decimarum pervenerit ad Sacerdotes, in hoc quod Abraham decimas pendit Melchisedec, videtur & ipse Levi decimis solvendis obnoxius esse factus, cum is soleat ab aliis accipere. Ut igitur minoris habentur, qui Levi solvunt decimas, ita Levi quoque fuit inferior Melchisedec, cui decimas dederit.

10 Dicet aliquis, quomodo dedit decimas, qui nondum erat natus id temporis cum Melchisedec occurreret Abrahæ? Sed quoniam posteritas quodammodo censetur esse in auctore gentis, ideo dixi ad hanc rationem Levi in Abraham dedisse decimas Melchisedec.

11 Quod si perfecta religio pendebat à Sacerdotio Levitico, quemadmodum videtur Judæis, quod sub Aaron, qui Tribus erat Leviticæ, Lex lata sit: quid opus fuerat præterea alium exoriri Sacerdotem, qui juxta Psalmum mysticum non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedec diceretur institutus?

12 Etenim cum Legis auctoritas ratioque conjuncta sit cum ratione Sacerdotii, necesse est ut in aliam formam translato Sacerdotio commutetur & Legis forma.

13, 14 Nam mutata Tribus satis declarat mutandum esse Sacerdotii genus. Is enim de quo loquitur Psalmi vaticinium, fuerat alienus à Tribu Levitica, sed ex ea Tribu, unde nullus adhuc adstiterat altari, quando palam est, quod Dominus noster Jesus exortus sit è Tribu Juda. At Moses cum instituere ret ritum ac jus Sacerdotii, nullam mentionem fecit hujus Sacerdotii, quod cognationem haberet cum Tribu Juda.

15 Porro Sacerdotium, de quo loquitur Psalmus, non esse ejusdem rationis cum Sacerdotio Mosaico, magis etiam ex illo fit perspicuum, quod evidenter addit vaticinium, secundum ordinem Melchisedec, videlicet Sacerdotem indicans dissimilem Aaron, ac similem Melchisedec, ut intelligamus non minus interesse inter personam ac personam, quam inter ritum ac vim Sacerdotii.

16 Quid autem sibi vult secundum ordinem Melchisedec? hoc est, qui non immolet pecudes, quas præscribit crassa Lex & carnalis, sed per gratiam cœlestem possit ad vitam æternam perducere. Siquidem illa lotionibus ac variis lustrationibus purificabat carnem, hæc efficaciore victima purificat animos. Quemadmodum enim Aaron non manet in æternum,

6 Cujus autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, & hunc, qui habebat repromissiones, benedixit.

7 Sine ulla autem contradictione, quod minus est, à meliore benedicitur.

8 Et hic quidem decimas morientes homines accipiunt: ibi autem contestatur, quia vivit.

9 Et (ut ita dictum sit) per Abraham, & Levi, qui decimas accepit, decimatus est:

10 Adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech.

11 Si ergo consummatio per sacerdotium Leviticum erat (populus enim sub ipso legem accepit) quid adhuc necessarium fuit, secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron dici? 12 *Translato enim sacerdotio, necesse est ut & legis translatio fiat.* 13 *In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altari præsto fuit.* 14 *Manifestum est enim quod ex Juda ortus sit Dominus noster: in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est.* 15 *Et amplius adhuc manifestum est; si secundum similitudinem Melchisedech exurgat alius sacerdos,* 16 *Qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vitæ insolubilis.*

ita Sacerdotium illius non erat æternum: & quemadmodum Melchisedec dictus est manere in æternum, ita Sacerdotium hujus nullum est habiturum finem.

17 Atque hæc in Christum vere competere declarat Psalmus mysticus, dicens: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* Temporarium Sacerdotium cedit æterno, & mortalis Pontifex cedit immortali.

18 Ut autem Sacerdotium imperfectius concedit perfectiori, ita Lex imperfecta locum dat Legi Evangelicæ perfectiori, per quam velut abrogantur scita Mosaica Veteris Testamenti, eo quod nec satis haberent roboris, nec adferrent utilitatem quam oportuit.

19 Voluit enim Deus nos reddi perfectos, at ea Lex nihil adduxit ad perfectionem, nec in hoc erat data, neque tamen frustra est data. Nimirum in hoc data est ad tempus, ut gradus quidam esset, qui nos tandem perduceret ad spem meliorem. Siquidem illa promisit terram frugiferam, in qua tranquillam vitam agerent, qui Legis Mosaicæ præcepta servassent. Crassa erat Lex, crassum erat præmium: sed ita consultum est crassis hominum ingeniis, ut ex rebus sensibilibus paulatim assuescerent rebus amini. Præscribebatur ne occiderent, ne furarentur, ut morticini contactum certis ritibus purgarent: promittebatur terra, in qua annos pauculos quiete degerent: nobis promittitur cœlum, in quo semper felices vivamus, & præscribitur interim, ut inimicos etiam nostros diligamus. Illorum Sacerdos cum religiosissime versabatur in sacris, interpellaturus Deum pro populo, recipiebat sese ad interiora veli. At noster Sacerdos ipsos etiam cœlos penetravit, causam nostram acturus apud Deum Patrem, cui nos admovemur per legatum nostrum Christum Jesum, qui est caput Ecclesiæ: nec potest abesse corpus, ubi caput est.

20 Atque hoc certior est spes nostra tali Pontifice, quam fuerit Judæis per suos, quod illorum Pontifices absque jurejurando constituti sunt, noster cum jurejurando: quod ideo Deus voluit intercedere, quo nobis certior esset fiducia de promissis, si Sacerdos, cujus interventu speramus promissam immortalitatis felicitatem, jurejurando approbetur Pontifex æternus: idque à Deo, qui nec alioqui novit mentiri.

21 Sic enim loquitur in Psalmo prophetico: *Juravit Dominus & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.*

22 Quantum igitur interest inter terram & cœlum, inter temporaria & æterna, inter mortales & immortales, inter humana & divina, tanto melioris Testamenti sponsor factus est Jesus Pontifex noster, ac tanto certior, quanto certius est apud homines promissum jurejurando confirmatum, promissio simplici.

23 Quid, quod sub Lege Mosaica, necesse erat plures institui Sacerdotes, vel ut statis vicibus fungerentur Sacerdotio, vel quod mors non sineret eosdem semper permanere in functione, ut habeat nonnihil incertitudinis sponsor subinde mutatus.

24 At hic noster unus est pro omnibus, nec eget successore, sed quia manet in æternum, perpetuum habet Sacerdotium.

25 Unde quos cœpit salvos facere, potest ad perfectam salutem adducere: quippe qui semper habeant paratum Sacerdotem, per quem adeant Deum. Siquidem semper vivit Christus in hoc, ut quoties opus sit, pro suis Deum interpellet. Neque enim sic immolavit victimam, ut paucis ad breve tempus prosit, sed ut omnibus & in omne tempus sit efficax ad placandum Deum.

26 Ergo cum Lex esset perfecta ac cœlestis, decebat ut talis item esset Pontifex, pius, expers doli,

17 Contestatur enim: Quoniam tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.

18 Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, & inutilitatem:

19 Nihil enim ad perfectum adduxit lex, introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum.

20 Et quantum est non sine jurejurando (alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt;

21 Hic autem cum jurejurando, per eum, qui dixit ad illum: Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum.)

22 In tantum melioris testamenti sponsor factus est Jesus.

23 Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, id circo quod morte prohiberentur permanere:

24 Hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.

25 Unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis.

26 Talis enim decebat ut nobis esset

pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & ex-

celsior cœlis factus:

impollutus, longe semotus à consortio peccatorum, evectus super cœlos omnes,

27 Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim semel-ipsum offerendo.

27 Cui non sit necesse, ut, quemadmodum faciebant Sacerdotes Mosaici, quotidie offerat victimas pro peccatis propriis, deinde pro delictis populi. Quales enim reconciliatores erant illi, quibus ipsis opus erat reconciliatione apud eum, apud quem deprecabantur pro commissis aliorum? Quale erat sacrificium, quod pro aliis atque aliis delictis identidem erat iterandum? Noster Pontifex, qui nullum habebat peccatum suum, totius mundi peccata in se transtulit, ac semel pro omnibus victimam obtulit, non pecudem, sed semetipsum.

28 Lex enim hominis constituit sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum.

28 Nam Mosaica Lex, ut erat imbecillis & imperfecta, sic Pontifices constituebat obnoxios infirmitati. At sermo jurisjurandi, quem modo retulimus, qui declarat veteri Legi meliorem successuram, non hominem quemlibet, sed ipsum Filium Dei Sacerdotem constituit in æternum, semper paratum atque idoneum ad intercedendum pro nobis, ut quem neque mors intercipere possit, nec ulla infirmitas obstet, quo minus sit idoneus atque perfectus pro nobis deprecator.

CAP. VIII.

Hic videt exemplar Moses: lex umbra futuri est: Lex nova promissa est: ergo vetusta perit.

1 Capitulum autem super ea quæ dicuntur: Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cælis,

1, 2 CÆTERVM eorum, quæ tot verbis disseruimus, caput ac summa est, ne posthac admiremur Pontificem Mosaicum, cum habeamus tam modis omnibus excellentem Pontificem, ut dexter assideat magnifico throno Dei in cœlis, ut rite peragat non sacra illa umbratica, quæ præscripsit Moses, sed sacra vera cœlestiaque, versaturque intra tabernaculum: non illud umbraticum, quod fixerat homo, sed in adytis veri tabernaculi, quod fixit Deus cœlestia dirimens à terrenis.

2 Sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo.

3 Porro cum omnis Pontifex ad hoc soleat instituti, ut donaria ac victimas offerat Deo: fieri non poterat, ut Pontifex legitimus sit, cui non sit quod offerat.

3 Omnis enim pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur: unde necesse est & hunc habere aliquid, quod offerat:

4 Quod si datum esset illi Pontificium terrestre, quemadmodum cæteris, ne Sacerdos quidem esset Christus: ut qui nihil obtulerit unquam, nec offerat earum hostiarum, quæ solent juxta Legis præscriptum ab aliis Sacerdotibus immolari:

4 Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos: cum essent qui offerrent secundum legem munera,

5 Quæ nihil aliud sunt, quam umbræ ac typi quidam Templi cœlestis & hostiarum cœlestium. Quicquid enim Christus etiam in terris gessit, quoniam non juxta carnem, sed juxta spiritum gestum est, & à cœlo profectum, ad cœlum tendit, merito cœleste dicitur, ad Mosaici Sacerdotii crassitudinem collatum. Nam id significasse videtur Deus, cum illi præscribens formam exstruendi Templi, loquitur hunc in modum: *Vide ut facias omnia secundum exemplar, quod ostensum est tibi in monte.* Viderat enim Moses spiritualibus oculis aliud sanctius Templi genus, aliud victimarum ac Sacerdotii genus, ad quorum exemplar crassam aliquam rerum imaginem interim adumbraret, donec veniret tempus, quo visum esset umbras veris cedere.

5 Qui exemplari & umbræ deserviunt cælestium. Sicut responsum est Moysi, cum consummaret tabernaculum: Vide (inquit) omnia facito secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte.

6 Nunc igitur hoc adest tempus, habemus cœlestem Pontificem, & illo dignum Sacerdotium, hoc utique præstantius, quo præstantius est Euangelicum Testamentum veteri Mosaico, quoque sunt magnificentiora promissa novi, quam veteris. Illic pecudum cruore purificabantur corpora, hic Christi sanguine purificantur animi. Illic promittitur terra, hic promittuntur præmia cœlestia. Atque in hoc Testamento cœlesti ritu intercedit inter homines ac Deum Pontifex noster cœlestis.

6 Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.

7 Quod si prius illud Testamentum tale fuisset, ut in eo nihil desideraretur, quemadmodum existimant Judæi, haudquaquam quæsitus fuisset locus secundo. Supervacuum enim erat aliquid adjungere perfectis.

7 Nam si illud prius culpa vacasset: non utique secundi locus inquireretur.

8 Nunc Deus queritur prius illud inutile fuisse, & pollicetur aliud efficacius ac melius, hunc in modum loquens apud Hieremiam Prophetam: *Ecce dies veniunt dicit Dominus, consummabo super domum Israel, & super domum Juda testamentum novum:*

8 Vituperans enim eos dicit: Ecce dies venient, dicit Dominus: & consummabo super domum Israel, & super domum Juda, testamentum novum;

9 *Non juxta testamentum, quod feci patribus illorum, in die cum apprehenderem manum illorum, ut educerem eos ex Ægypto: quoniam ipsi non perstiterunt in testamento meo, & ego vicissim neglectui habui eos, dicit Dominus.*

9 Non secundum testamentum quod feci patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum ut educerem illos de terra Ægypti: quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus.

10 *Nam hoc est pactum, quod paciscar cum domo Israel, dicit Dominus.* Cum leges meas non insculpsero saxis, aut chartis, quemadmodum frustra tentatum est, sed *indidero mentibus illorum, & cordibus illorum inscripsero. Et ero illis vere Deus, & ipsi* vicissim *erunt mihi* vere *populus:*

10 Quia hoc est testamentum, quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus: Dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum:

11 *Neque tradent per manus aliis alii, ut cogatur quisque docere proximum suum, & unusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum, propterea quod* jam non solum pauci Judæi, sed *omnes ubique cognituri sint me, à minimo usque ad maximum:*

11 Et non docebit unusquisque proximum suum, & unusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: quoniam omnes scient me à minore usque ad majorem eorum:

12 Quod per Filii intercessionem propitius reddar, *condonatis sceleribus ac peccatis illorum, nec inique gestorum ab illis recordabor amplius.*

12 Quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum jam non memorabor.

13 Audistis verba pollicentis novum Testamentum, eo quod vetus fuisset inutile. Porro quod novum appellatur, id est spirituale, significat abrogandum esse vetus, id est carnale. Alioqui hoc novum dici non posset, nisi quod præcessit antiquetur, ac veterascat. Porro quod antiquatur ac senescit, in propinquo est ut evanescat, nimirum paulatim vergens ad interitum.

13 Dicendo autem novum, veterem avit prius. Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est.

CAP. IX.

Judæos ritus cum Christi sanguine confert, Ostendens priscis utiliora nova.

1 DIXERIT aliquis, an vana fuit igitur veteris Templi religio? Nequaquam. Olim quidem & vetus illud Templum, cujus religio successione veritatis Euangelicæ jam evanuit, habebat ritus quosdam statasque ceremonias, lotiones ac victimas pecudum, quæ observatæ justificandi purificandique speciem habebant, rebus quibusdam extrariis ac visibilibus, typum sublimiorum ac spiritualium exhibentes oculis hominum. Hi ritus potissimum peragebantur in ea Templi parte, quam Scriptura appellat sanctum seculare, sive mundanum, quod in hanc promiscue pateret aditus omnibus, sive Judæis, sive proselytis, sive gentibus.

1 Habuit quidem & prius, justificationes culturæ, & Sanctum seculare.

2 Nam ut Tabernaculi ita Templi structura talis erat, ut alia pars haberetur alia religiosior, donec veniretur ad eam, quæ sanctissima videretur. Siquidem primo loco factum est tabernaculum, in quo servabantur non sine religiosa veneratione, lucernæ, mensa, sacrique panes septem, quos propositionis appellant, quod in sacra mensa proponi soleant. Atque hanc Templi partem appellant sancta tantum, quod sic abesset à profanis, ut multum tamen abesset ab iis, quibus præcipua sanctimonia tribuebatur.

2 Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum, quæ dicitur Sancta.

3 Post secundum autem velum, quod hanc Templi partem à reliquis dirimebat, erat aliud Tabernaculum, quod ob excellentiam religionis vocabatur sanctum sanctorum:

3 Post velamentum autem secundum tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum:

4 Id continebat sacratiora quædam monumenta, thuribulum aureum, arcam quam Testamenti vocant, laminis aureis undique circumtectam, in qua ine-

4 Aureum habens thuribulum, & arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna,

Digitized by Google

& virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti,

inerat urna aurea: hac servabatur manna monumentum miraculi veteris, cum fame laborantibus Hebræis novum tibi genus è cœlo dèplueret: & virga Aaron, quæ inaudito prodigio, cum esset à stirpe resecta, fronduerat, ac turgentibus gemmis eruperat in flores, & floribus successerunt amygdalæ. Inerant & tabulæ, quas Testamenti vocant, quod in his haberentur decem præcepta, insculpta digito Dei.

5 Superque eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium: de quibus non est modo dicendum per singula.

5 Supra arcam erant imagines alatæ Cherubim, repræsentantes majestatem & gloriam divinam, quæ alis suis obumbrabant Propitiatorium, quæ omnia significationem quandam habebant rerum sacratiorum, quas post prodidit Euangelium. Sed prolixum sit de singulis horum quid sibi velint differere, nobis sat erit summam totius negotii ad Christi Sacerdotium conferre.

6 His vero ita compositis, in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes:

6 Itaque cum Templo ad hunc modum distincto, ac sacris monumentis in sua loca digestis, in prius illud Tabernaculum quotidie ingrediebantur Sacerdotes quilibet, qui sacrorum ritus peragerent.

7 In secundo autem semel in anno solus pontifex, non sine sanguine, quem offert pro sua & populi ignorantia:

7 Cæterum in secundum illud sacratius solus Pontifex, cui prima dignitas erat inter Sacerdotes, semel duntaxat singulis annis ingrediebatur, non sine sanguine pecudis, quem illic offerebat, pro suis primum, deinde pro populi delictis, per errorem & ignorantiam commissis.

8 Hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum.

8, 9 Quibus rebus, veluti per ænigmata quædam significabat Spiritus Sanctus, id temporis nondum patuisse aditum ad ea loca, quæ vere sancta sunt, neque quicquam habent terreni contagii. Cum enim solus Pontifex ingrederetur secretius adytum cæteris exclusis, maneretque adhuc prius illud Tabernaculum, quod imaginem gerebat illorum temporum, in quibus homines crassis quibusdam ceremoniis, utcunque continebantur in religione Judaica, ne in deteriora prolaberentur, in eo tabernaculo crassi quidam ac plebeji ritus peragebantur à vulgaribus Sacerdotibus. Offerebantur donaria, mactabantur pecudes, immolabantur hostiæ, quæ sic habebant speciem aliquam purificationis, ut tamen non possent eos, qui his uterentur, ad plenum reddere puros juxta conscientiam & animum, ex quo nos æstimat Deus, etiamsi juxta corpus & hominum æstimationem aliquid puritatis addere videbantur.

9 Quæ parabola est temporis instantis: juxta quam munera, & hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis, & in potibus,

10 Quicquid enim illic agebatur, ad corpus potissimum pertinebat, situm in delectu ciborum ac potus, cum cibus vere nec purificet, nec inquinet animum, in variis ablutionibus, aliisque purgationibus carnis, quæ nec in hoc erant instituta, ut conferrent homini perfectam justitiam: sed ut hisce rudimentis paulatim assuescerent veræ religioni, & per umbras ducerentur ad veritatem, fierentque meliorum capaces, quæ suo tempore proferret Euangelica doctrina.

10 Et variis baptismatibus, & justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis.

11 Habetis summam totius religionis, qua sibi tantopere placent Judæi. Nunc nostri Pontificis dignitatem cum his conferamus. Christus enim Pontifex sponsor & auctor, non purificationis corporeæ, neque bonorum hujus seculi, quæ finem habent, sed æternorum ac cœlestium bonorum: non per velum manibus hominum textum, sed per aliud tabernaculum non manu factum, hoc est, non hujus structuræ, quam ut erigunt homines, ita demoliri possunt: sed per ipsum cœlum ingressus est in loca vere sancta, & ab omni mortalitatis contagio vere semota:

11 Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis,

12 Non adferens secum sanguinem hircorum ac vitulorum, quo Deum placaret, sed proprium sanguinem, quem in ara crucis pro nobis effuderat: quo non unum populum, sed universum hominum genus ab omnibus peccatis liberavit: idque non uno anno, sed in omne tempus usque ad finem mundi, modo resipiscentes à prioribus vitæ commissis Christum agnoscant, ac pro viribus imi-

12 Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa.

tentur. Quæ enim collatio mutæ pecudis ad Christum Deum & hominem?

13 Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis:

13 Quod si sanguis taurorum & hircorum, aut cinis exustæ vitulæ adspersus inquinatis, purgat eos juxta carnalem quandam & umbraticam sanctimoniam:

14 Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?

14 Quanto magis sanguis Christi, qui non per ignem corporalem, sed Spiritum æternum, humanæ salutis sitientem, obtulit: non pecudem brutam, sed semetipsum hostiam puram ac incontaminatam Deo Patri: purificabit non corpora vestra, sed conscientiam vestram ab his operibus, quæ vere mortem adferunt animæ.

15 Et ideo novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hereditatis.

15 Mors illius nos ab æterna morte liberat, & spiritus illius purissimus nostrum purificat spiritum prius inquinatum. Utrobique sanguis est, sed ingens discrimen: utrobique mors est, sed inæqualis: utrobique spiritus est, sed admodum dispar. Siquidem quod ibi gestum est per umbras ac simulacra quædam, hoc Christus vere præstitit. Quoniam enim is, qui in veteri Testamento medius intercedebat inter Deum & homines, non adferebat perfectam innocentiam, ideo Christus successit novi Testamenti novus intercessor, uti per mortem suam abolitis peccatis, quæ per prius illud Testamentum aboleri non poterant, quæque Deum alienabant à nobis, jam per Euangelicam doctrinam promissionem ac spem accipiant æternæ hæreditatis, non Judæi tantum, sed quicunque vocati fuerint ad Christi consortium.

16 Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris.

16 Etenim ubi Testamenti vocabulum auditur, ibi mors Testatoris intercedat necesse est, alioqui Testamentum non esset, aut si esset, ratum non esset.

17 Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est.

17 Nam mors Testatoris ratum facit Testamentum, quod nondum certum habet robur, quamdiu vivit, qui condidit, ut cui liberum sit si velit mutare.

18 Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est.

18 Unde quoniam vetus quoque illud Testamentum est dictum, non est dedicatum absque sanguine & morte, sed pecudis, & alioqui perituræ.

19 Lecto enim omni mandato legis à Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum & hircorum, cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo,

19 Nam quemadmodum legis in Exodi libro: cum Moses recitasset totam Legem Dei populo, & quid ex observata sperare præmii, quid ex neglecta metuere pœnæ deberent, exposuisset, quo ratum esset pactum inter Deum & populum, sanguinem vitulorum & hircorum miscuit in cratera una cum aqua, & intincta lana coccina, atque hyssopo adspersit simul ipsum librum, unde recitaverat præcepta Domini, simul universum populum, dicens:

20 Hic est sanguis testis, & confirmator ejus testamenti, quod vobis præcepit Deus ut observetis.

21 Nec hoc contentus, Tabernaculum insuper, & quicquid in hoc erat vasorum sacrorum, quibus utebantur in sacrificiis, similiter adspergebat sanguine.

22 Quin in cæteris item ritibus, quæcunque purificabantur juxta præscriptum Legis Mosaicæ, sanguine purificabantur. Nec ulla fiebat remissio peccatorum, nisi per effusionem sanguinis.

21 Etiam tabernaculum & omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit.

23 Atque ita sane congruebat ut in terris, quæ repræsentabant imaginem & umbram rerum cœlestium, hujusmodi crassis purificationibus peragerentur. Cæterum ubi veritas illuxit, decuit ut ipsa cœlestia sacra, & potioribus victimis peragerentur, & veriorem adferrent puritatem. Nam, ut dixi, cœleste est etiam totum hoc, quod Christus gessit in terris.

22 Et omnia pæne in sanguine secundum legem mundantur: & sine sanguis effusione non fit remissio.

24 Neque enim Christus ingressus est in sancta manibus hominum fabricata, quæ magis opinione quam re sancta sunt, quæque profanari possunt: nec

23 Necesse est ergo exemplaria quidem cælestium bis mundari: ipsa autem cælestia melioribus hostiis quam istis.

24 Non enim in manufacta Sancta Jesus introivit, exemplaria ve-

Digitized by Google

rorum: sed in ipsum cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis:

nec aliud erant, quam umbræ quædam rerum vere sanctarum. Sed in ipsum cœlum ingressus est, ubi habitat Deus immortalis cum æthereis mentibus, atque in hujus conspectu tanquam Pontifex legitimus deprecatur pro totius mundi peccatis, commendans sese proprio sanguine, quem ex mera gratuitaque caritate effudit pro nobis:

25 Neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno:

25 Idque fecit hostia tam efficaci, ut non fuerit opus quotannis repetere, quemadmodum veteris Testamenti Pontifex singulis annis ingrediebatur secretius adytum. Nec mirum est hostiam illius non fuisse perinde efficacem, cum & ipse obnoxius esset peccatis, ac sanguinem offerret & pecudis & alienum.

26 Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione sæculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit.

26 Quod si talis fuisset Pontifex Christus, cum toties ab orbe condito recurrerent secula & anni, necesse erat illum frequenter immolasse victimam, quemadmodum faciebant veteris Testamenti Sacerdotes. Nunc autem talis fuit, ut satis fuerit semel immolare semetipsum, ac semel adspersione proprii sanguinis abolere peccata omnium seculorum usque ad finem mundi. Idque factum est non ab initio mundi, sed instante fine, cum omnibus constaret, omnia vitiata peccatis: nec ullum esse remedium, nisi à Deo: ut palam esset, quam esset efficax Sacerdos, qui unica victima, tam immensum acervum peccatorum expiaret, relicto parato facilique remedio, ut eadem hostia in annos innumeros satisfaceret omnibus, qui sese non præberent indignos. Transtulit enim in se, non solum eorum peccata, qui ante multos annos spem salutis in ipso posuerant, verum etiam eorum, qui multis post seculis crediturі essent ejus Euangelio.

27 Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium:

27 Non est igitur quod mundus exspectet alium Sacerdotem, aut aliam hostiam expiandis peccatis: sed quemadmodum illud manet omnes homines, ut semel moriantur absque spe redeundi in hanc vitam, in qua & labimur subinde, & expiamur: neque quicquam exspectatur à morte singulorum, nisi judicium illud extremum, quod æterna præmia decernet, sive piis, sive impiis:

28 Sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata; secundo sine peccato apparebit expectantibus se, in salutem.

28 Ita & Christus, qui semel moriens, pro omnibus oblatus est, omnium, quod in ipso fuit, peccata in se transferens, ut pro omnibus pœnas lueret: nihil superesse voluit nisi judicium supremum, in quo rursus conspicietur hominibus, non ut antea, velut hostia devota, veluti scelerosus homo & supplicio dignus, sed ut gloriosus & ignarus omnis peccati: salutaris autem & felix conspicietur iis, qui nunc purificati per mortem illius, perseverant in innocentia vitæ, donec iterum advenerit, non immolandus, sed judex, optabilis piis, formidabilis impiis.

CAP. X.

Christus magna facit, quæ lex præstare negabat:
Ultro peccantes horrida pœna manet.

1 Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum; per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, numquam potest accedentes perfectos facere:

1 PORRO quo minus idem valuerit Pontifex veteris Testamenti, in causa est, quod Lex illa, eo quod non obtineret vivam ac veram imaginem bonorum, sed umbram modo quandam, quæ designaret potius aliquid quam efficeret, vulgaribus pecudum hostiis, tametsi singulis annis continenter ab illis Sacerdotibus offerrentur, nunquam poterat perfectos reddere, qui per Sacerdotes infirmos, hostiis inefficacibus accederent ad Deum reconciliandum.

2 Alioquin cessassent offerri: ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati, cultores semel mundati:

2 Quod si fieri potuisset, nonne semel oblatæ desissent iterari? Atqui in istis sacrificiis quoties repetuntur, rursus fit commemoratio superiorum delictorum, quæ res arguit illos parum fidere uni sacro.

3 Sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit.

3 Quorsum enim attinebat in singulos annos revocare sacra, si una victima sic purgasset ab omnibus peccatis, ut jam nulla resideret conscientia delictorum in iis, qui semel immolassent, ac semel essent purgati?

4 Impossibile enim est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata.

4 Cum enim peccatum sit animi vitium, non corporis, non potest res crassa corporeaque, qualis est sanguis taurorum & hircorum, abolere morbum mentis: solum id potest ad plenum cœlestis ac spiritualis hostia Christi, quæ per fidem ac baptismum sic semel omnia superioris vitæ commissa delet, quantumvis multa, quantumvis atrocia, ut in conscientia nihil residêat metus, aut remorsus. Tantum si caverimus, ne in pristina flagitia revolvamur.

5 Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam, & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: 6 Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt.

5, 6 In tantum enim Deus hujusmodi multiplicatis hostiis non reddebatur propitius, ut offensus potius, unum aliquod efficax & perenne sacrificium desideraret. Sic enim loquitur Deo Patri Filius in Psalmo mystico, veluti mundum ingressurus, ut proprii corporis hostia propitiaret illum humano generi: *Sacrificium & oblationem noluisti, sed corpus aptasti mihi, holocautomata, reliquasque hostias pro* expiandis hominum *peccatis* offerri solitas *non probasti.*

7 Tunc dixi: Ecce adsum ipse (quando me designat hostiam libri caput) *ut obsequar Deus voluntati tuæ.*

8 In his igitur verbis cum dicit: Sacrificium & oblationem, & holocautomata, & pro peccato noluisti, neque probasti quicquam eorum, quæ juxta Legem veterem offerri solent.

9 Tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.

9 Et mox adjicit: Ecce adsum, ut obsequar Deus voluntati tuæ, offeramque hostiam, quæ grata sit animo tuo: Tollit prius illud Sacerdotium, ut ingratum Deo, ut statuat posterius, quo satis fieret voluntati divinæ.

8 Superius dicens: Quia hostias, & oblationes, & holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundum legem offeruntur.

10 Quænam erat ista voluntas Dei, fastidientis sacra legitima veteris Testamenti, & novum sacrificii genus flagitantis? Nimirum hæc: quod ita visum esset gratuitæ ipsius bonitati, ut Filius cœlestis, id est, Christus, indueret corpus humanum, ac moriens pro peccatis omnium, unico sacrificio semel rite peracto, purificaret omnes à peccatis suis, sic ut posthac non sit opus aliis hostiis sanguinolentis.

10 In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel.

11 Quisquis est veteris Testamenti Sacerdos, cogitur quotidie assistere sacris, easdem hostias identidem iterans, quæ quantumvis multiplicatæ, nunquam possunt ad plenum auferre peccata, ut utrique sit inexplicabile negotium, & offerenti, & Sacerdoti, per quem offert.

11 Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ numquam possunt auferre peccata?

12, 13 At Christus unica hostia semel oblata pro peccatis omnium qui crediderunt, credunt, aut crediturі sunt ipsius promissis, jam dexter sedet Deo Patri, nihil aliud exspectans, nisi quod solum supereſt, ut colligantur omnia membra corporis in unum, fiatque tandem quod promissum est in Psalmo, ut inimici ipsius, qui rebelles sunt Euangelio, fiant scabellum pedum ejus.

12 Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, 13 De cetero expectans donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus. 14 Una enim oblatione, consummavit in sempiternum sanctificatos. 15 Contestatur autem nos & Spiritus sanctus. Postquam enim dixit: 16 Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus, Dando leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas: 17 Et peccatorum, & iniquitatum eorum jam non recordabor amplius. 18 Ubi autem horum remissio: jam non est oblatio pro peccato.

14 At interea nihil est opus iterum immolare seipsum pro nobis, quod unica oblatione abunde perfectos reddidit in perpetuum, omnes qui per fidem meruerunt sanctificari, sic ut nihil omnino pristinorum scelerum nobis imputetur.

15 Quod dico testatur & ipse Spiritus Sanctus, loquens per os Prophetæ, ac multo ante prædicens futurum, quod nunc factum conspicimus.

16 *Hoc*, inquit, *est testamentum, quod condam erga illos, post dies illos, dicit Dominus. Cum indidero leges meas cordibus illorum, & mentibus eorum illas inscripsero;*

17 *Nec amplius recordabor peccatorum aut iniquitatum illorum*, tantum aberit, ut velim ulcisci.

18 Porro posteaquam semel condonata sunt in æter-

Digitized by Google

ternum peccata omnia, quorsum opus est Judæorum hostiis, quæ peccatis expiandis adhibebantur?

19, 20 Cum igitur fratres sublata peccatorum conscientia, quæ nos ab interpellando Deo deterrebat, data sit fiducia ingrediendi in sancta, freti sanguine Jesu, quem ille pro nobis reconciliandis effudit, ac viam aditumque nobis aperuit, à vetere illa longe diversam videlicet recentem ac novam, vivamque & efficacem ac perpetuam, quæ semel aperta, postea claudi non queat, quam ille nobis auspicatus est, primus omnium ingrediens per velamen, hoc est, carnem suam, qua ad tempus tegebatur apud homines illius divinitas, eaque sublata in cœlum, patefacta sunt cœlestia:

21, 22 Cumque habeamus Sacerdotem magnum à Deo promissum secundum ordinem Melchisedech, quem præfecit toti domui suæ Deus, hoc est, Ecclesiæ catholicæ, quam non ut minister, sed ut auctor ac Dominus moderatur, adeamus eodem interim & nos, quo nobis viam aperuit Christus: adeamus autem non pedibus corporis in Templum saxeum, sed in Templum cœleste penetremus corde sincero, cum summa fiducia impetrandi quod petimus: sed prius adspersi non juxta corpus sanguine pecudis, sed juxta mentem ac spiritum sanguine Jesu Christi, ac per hunc depulsa veterum peccatorum conscientia, ad hæc per baptismum abluti, etiam corpore, aqua pura, & omnes abstergente sordes animi,

23 Supereſt ut perseveremus in eo, quod semel sumus aggressi, ac spem vitæ immortalis, quam professi sumus in baptismo, teneamus firmam, nullaque ex parte vacillantem, hoc uno freti, quod Deus qui promisit, certæ fidei est, nec potest fallere si velit, si modo nos in fide perstiterimus.

24 Ad hæc quoniam facti sumus ejusdem corporis membra, mutua caritate consensuque cohæreamus, considerantes invicem quantum quisque profecerit in Euangelica professione, non ut invideamus ei, qui nos antevertit, aut adspernemur eum, qui à tergo relictus est, sed ut mutuis exemplis, ut mutuis hortatibus provocemus ad caritatem ac pia opera.

25 Id fiet, si fratris profectus nos exstimulet ad ardentius studium pietatis, & si quem cessantem viderimus, cum fraterna sollicitudine exstimulemus ad meliora, gratulantes præcedentibus, & faventes annitentibus; haudquaquam committentes, ut quisquam destitutus pereat à grege nostro, quemadmodum solent quidam à rebus bene cœptis per occasionem deficere, sed modis omnibus alios alii stimulemus & inflammemus, ut in eo, quod institutum est, pergamus usque ad finem. Atque id eo magis faciendum est, quod videtis imminere diem Domini, qui redditurus est pro suis cuique factis præmia, nec jam locum relinquet sarciendi, quod parum recte gesseris, sed quicquid gestum est exacto judicio perpendetur. Atque his quidem delictis, quæ per errorem aut infirmitatem humanam committuntur, facilis erit venia.

26 Cæterum posteaquam per Euangelium cognovimus veritatem, edocti quid expetendum, quid fugiendum, & quæ præmia maneant pios, quæ impios, si volentes ac scientes revolvamur in capitalia flagitia, quæ semel suo sanguine abluit Christus, cum ille semel duntaxat mortuus sit, nunquam iterum moriturus, non supereſt relapsis in veterem vitam hostia, quæ rursus per baptismum gratis condonet peccata.

27 Quid ergo supereſt? Nimirum formidabilis quædam exspectatio judicii supremi, ac mox ignis sævus & infestus, qui ad vindictam contemtæ bonitatis divinæ devoraturus est adversarios.

28 An putatis impune fore, si quis legem Euangelicam contemserit? Quo clementior est, quo plus adfert beneficii, hoc graviores dabit pœnas, qui eam sciens ac volens habebit ludibrio. Habet autem, qui semel adscitus in numerum filiorum Dei, volens se conjicit in numerum servorum Diaboli. Si tanta erat animadversio apud Judæos: ut qui non obtemperasset Sacerdoti proponenti Legis Mosaicæ præcepta, hoc est, qui jussus abstinere à carnibus suillis, per contumaciam vescereturr convictus duorum aut trium hominum testimonio, protinus absque misericordia tolleretur è medio:

29 Quanto gravius meretur supplicium, qui non quemlibet Sacerdotem, sed Filium Dei Jesum conculcaverit: conculcat autem eum, qui tantum illius beneficium adspernatur, qui non sanguinem pecudis, sed sacrosanctum illius sanguinem, quo dedicatum est novum testamentum, ceu rem profanam duxerit: præsertim quo semel fuit purgatus ab omnibus peccatis vitæ prioris: qui Spiritum, per quem Euangelicam gratiam sit aslequutus, contumelia affecerit, quod eo suis vitiis expulso, templum Dei prodiderit Diabolo.

30 An ideo nobis promittimus impunitatem, quod non statim animadvertitur ab hominibus in eos qui desciscunt à sinceritate vitæ Euangelicæ? Novimus eum qui dixit: *Meum est ulcisci, ego rependam, dicit Dominus.* Ac rursum alio in loco: *Dominus judicabit populum suum.*

31 Ne quis sibi blandiatur nocens, si hominis ultoris manus effugit, Dei manus nemo potest effugere. Sed horrendum est incidere in manus Dei viventis.

32 Porro quo majore cum laude cœpistis Euangelicam professionem, hoc majore cum dedecore recidetis ad vitam priorem. Quod ne fiat, revocate vobis ipsis in memoriam tempora superiora, in quibus per Euangelicam doctrinam ac fidem illuminati, non simplex afflictionum certamen fortiter sustinuistis spe futuræ vitæ.

33 Partim dum & probris & molestiis affecti, spectaculo fuistis omnibus qui Christi doctrinam exsecrantur: partim dum ob Euangelicam caritatem, ultro venistis in consortium probrorum & afflictionum, quibus afficiebantur alii Christiani sive Apostoli, qui contemto mundo, regulam Euangelicam sectabantur:

34 Siquidem afflictionum probrique, quod ex vinculis meis apud homines impios videbatur accidere, fuistis ultro participes, & alieno dolore doluistis, alienam contumeliam vestram esse duxistis: nec hucusque tantum præstitistis vos ingenue Christianos, verum etiam direptionem facultatum vestrarum gaudentibus animis accepistis, nimirum re ipsa declarantes vos scire & credere, quod habeatis potiores & meliores opes repositas in cœlo, quas nec fur clancularius, nec prædo violentus possit eripere. Imo crescunt illæ jactura bonorum hujus mundi, quam ob Christi nomen patimur.

35 Hæc facta merito addebant vobis fiduciam assequendi promissa Christi. Debentur enim tam invictæ fidei summa præmia, & haud dubie persolventur à Deo justo ac benigno, sed suo tempore. Nunc certandi tempus est, post distribuentur coronæ.

36 Interim opus est vobis patientia, ut ubi constantibus animis obsecuti fueritis voluntati divinæ, victores reportetis promissam coronam æternæ gloriæ.

37 Nondum apparet ille dies, quo sublato certamine dabuntur præmia, tamen haud procul abest: & imperator noster, qui adscensurus in cœlum, pollicitus sese denuo ad nos rediturum, veniet, nec diu morabitur.

19 *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi,*
20 *Quam initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, id est, Carnem suam,*
21 *Et sacerdotem magnum super domum Dei,*
22 *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, asperſi corda à conscientia mala, & ablutà corpus aqua munda,*
23 *Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem, (fidelis enim est qui repromisit)*
24 *Et consideremus invicem in provocationem charitatis, & bonorum operum:*
25 *Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes, & tanto magis quanto videritis appropinquantem diem.*
26 *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia,*
27 *Terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios.*
28 *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur:*
29 *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?*
30 *Scimus enim qui dixit: Mihi vindicta, & ego retribuam. Et iterum: Quia judicabit Dominus populum suum.*
31 *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.*
32 *Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum:*
33 *Et in altero quidem, opprobriis & tribulationibus spectaculum facti: in altero autem, socii talium conversantium effecti.*
34 *Nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.*
35 *Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.*
36 *Patientia enim vobis necessaria est: ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.*
37 *Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, & non tardabit.*
38 In-

Digitized by Google

38 *Justus autem meus ex fide vivit: quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ.*

38 Interim justus ex fide sua victurus est, quantumvis afflictus, quantumvis irrisus, quantumvis exstinctus, tamen exspectatione promissorum sustinebit fortem animum. Quod si non perstiterit in fide, sed fractus desperatione subtraxerit sese ab Evangelica professione, non probabitur animo meo.

39 *Nos autem non sumus subtractionis filii in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ.*

39 Sed avertat Deus, ut subducamus nos à bene cœptis in exitium ob diffidentiam. Quin potius fidem professi sumus, & in ea persistemus, ut vitam ac salutem animæ lucrifaciamus, juxta consilium Abacuc dicentis: *Justus ex fide vivet.*

CAP. XI.

Laudat multa patrum stratagemata clara piorum, Qua sunt per firmam cuncta patrata fidem.

01 *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

1 NVLLA res æque pios commendat Deo, ac certa de illo fiducia. Siquidem argumentum est animi optime de Deo sentientis, nihil addubitare de dictis illius, cum nec appareant usquam humanis sensibus quæ dicuntur, nec humana ratione probari queant. Vulgus inania somniisque simillima ducit ea, quæ cum nusquam existent re, tantum animi spe concipiuntur, & stulte vera credi putat, quæ non possint oculis demonstrari. Atqui hæc fides, per quam justus vitam tuetur aliis pereuntibus, non est vulgaris aliqua credulitas, sed est solida firmaque basis earum rerum, quæ nec sensibus, nec rationibus humanis deprehendi possunt, sed eas firma spes ita repræsentat animo, quasi coram cernerentur, quasi manibus tenerentur, quæque per se videri non possunt, eas persuadet esse certissimas, non argumentis humanis, sed certa fiducia erga Deum auctorem.

2 *In hac enim testimonium consecuti sunt senes.*

2 Judæi fidunt operibus suis, sed hæc res est una, quæ nos Deo probatos carosque reddat: neque nos solum, verum si quis repetat ab orbe condito, reperiet majores nostros omnes, quorum memoria celebris est ob laudem pietatis, fidei commendatione potissimum promeruisse quod assequuti sunt.

3 *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent.*

3 Primum quod intelligimus Mundum hunc universum, cum his quæ amplectitur, conditum fuisse verbo Dei, soloque jussu conditoris, nonne fidei debemus? Quis enim alioqui persuadeat ex invisibilibus gigni visibilia, aut ex his, quæ non sunt, fieri quæ sunt? Philosophi ratiocinationem humanam secuti, Mundum putant ingenitum esse, neque magis habuisse exordium, quam habuerit opifex ipse. Nos autem, quod nec videri potuit, nec humanæ mentis ratiocinatione colligi potest, perinde credimus, ac si videremus, nimirum freti libris divinis, qui narrant Mundum esse jussu Dei conditum, quem scimus nihil non posse, nec posse mentiri.

4 *Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain, obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo; & per illam defunctus adhuc loquitur.*

4 Abel primus omnium justi cognomen promeruit, atque hoc sane majore cum laude, quod nullius exemplis provocatus, innocentem ac fidentem Deo se præbuit. At quæ tandem res effecit ut hic carior esset Deo, quam Cain frater? Nimirum fides, qua totus pendebat ab eo, cum Cain ceu diffidens, nec contentus iis, quæ sponte fundebat humus in alimoniam innoxiæ vitæ, terram proscinderet. Uterque de suis facultatibus offerebat hostias Deo: sed solius Abelis sacrificium fuit acceptum Deo, quod vir innocens sincero pectore fideret illius bonitati, neque circumspectaret hujus mundi commoda, sed pietatis suæ mercedem exspectaret in cœlis. Non igitur hostia, sed fide promeruit, ut Deus igne de cœlo demisso, complexus illius donaria, testaretur eum esse justum, atque hoc pulcherrimo elogio nunc etiam post tot annorum millia sic versatur in ore hominum, ut mortuus etiam vivere loquique videatur. Occiderat fratri, cum innocens esset interfectus, at non occiderat Deo, cui sanguis ejus adhuc clamabat de terra.

5 *Fide Henoch*

5 Nec obfuit Enoch pio, quod ex impio patre prognatus esset, sed huic divinæ Litteræ testimonium A ferunt, quod cum Deo versatus sit, etiam cum *translatus est ne videret mortem, & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo.*

ageret in terris, videlicet fide sectans, non ea quæ videntur, sed quæ non videntur, hoc est, æterna cœlestiaque, & ob hoc sublatus est vivus ad ea, quæ dilexerat, mortique subductus est. Sic enim vixerat, antequam tolleretur ex hominum consortio, ut in cœlis videretur vivere potius, quam in terris, & morte videretur indignus, qui nihil commisisset dignum morte: ut hujus exemplo primum discerent homines, per innocentiam vitæ perque fidem patere viam ad immortalitatem. Ideo sublatus est, quia placuerat Deo.

6 *Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit.*

6 Sed fide potissimum placuit, sine qua nemo illi B placet, quantumvis abundet alioqui factis. Quisquis enim illi velit esse commendatus, primum oportet credere Deum esse, qui possit omnia, quique velit optima. Deinde hunc agere curam rerum humanarum: perque hunc nec pios, qui neglectis visibilibus hujus mundi bonis Deum invisibilem inquirunt, fraudari suis præmiis, quantumvis affligantur in hac vita: nec impiis defutura supplicia, etiamsi in hoc sæculo videantur secundis ventis uti. Fidei igitur debet hoc seu gloriæ, seu felicitatis, quod sublatus ex hominum contubernio vivit cum Deo.

7 *Fide Noe, responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ, per quam damnavit mundum: & justitiæ quæ per fidem est, hæres est institutus.*

7 Sed insignius etiam hoc exemplum fiduciæ erga Deum præbuit Noe, qui cum esset oraculo admonitus, futurum ut inundatio deleret universum animantium genus in terris C, nec apparerent argumenta, quibus colligi posset quod prædicebat oraculum, eo quod cœlum esset serenum, homines securi convivantes, & matrimonium celebrantes, ridebant oraculi minas: ipse tamen indubitatum habens, eventurum quod Deus eventurum prædixerat, apparavit arcam, qua simul & servavit suam familiam, & reliquos homines condemnavit, adeo diffidentes sermoni divino, ut adornantem fabricam in futurum diluvium, velut insanum irriderent. Neque solum servatus est à diluvio, verum etiam successit in laudem majorum suorum Abel & Enoch, qui celebres sunt ob justitiam, quæ per veram fidem commendat D hominem Deo.

8 *Fide qui vocatur Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem: & exiit, nesciens quo iret.*

8 Jam Abraham quoties insignis erga Deum fiduciæ dedit documentum? Primum cum nihil sit homini dulcius natali solo, tamen cum à Deo juberetur relicta patria & affectibus suis commigrare in terram ignotam, nihil cunctatus obedivit voci divinæ, nullius exemplo provocatus, nullis probabilibus argumentis spem facientibus fore, ut relictis agris paternis, terram nescio quam hæreditate possideret, cujus neque nomen, neque situm adhuc noverat. Adeo certa erat illi fiducia, fore quicquid Deus esset pollicitus.

9 *Fide demoratus est in Terra repromissionis, tamquam in aliena, in casulis habitando, cum Isaac & Jacob coherederibus repromissionis ejusdem.*

9 Ejusdem fiduciæ fuit, quod cum deveniisset in E terram à Deo promissam, neque succederet res ex animi sententia, nec ipsi, nec filio Isaac, nec nepoti Jacob, cum tamen non Abrahæ tantum, sed posteris etiam illius esset promissa terræ hujus hæreditas, sed ipse subinde conflictari cogeretur cum hostibus, & Isaac moleste negotium exhiberent Philistæi, & Jacob per Esau fratrem profligatus esset in Mesopotamiam, unde reversus tandem coactus est paululum emere locelli, ubi figeret tabernaculum: tamen nihil omnibus hisce rebus commotus est Abraham, ut diffideret Deo pollicito terram, neque quæstus est, se exsulem esse, non hæredem, neque flexit animum ad ea, quæ videntur in terris, sed ad F cœlestia, quæ non cernuntur nisi oculis fidei. Sensit enim non hanc esse terram, de qua senserat promissio divina, quam adeo non magnifecit, ut nec ædificium ullum, aut oppidum in ea putaret exstruendum, sed velut hospes mox alio migraturus, in tabernaculis sese contineret cum suis.

10 *Exspectabat enim fundamenta habentem civitatem; cujus artifex & conditor Deus.*

10 Quid igitur exspectabat, cum cerneret hæc non apparere promissa? nimirum exspectabat aliam civitatem, stabilem ac perpetuam, unde nunquam esset depellendus, longe dissimilem his, quas & condunt & de-

Digitized by Google

& demoliuntur homines, cujus opifex & conditor esset Deus.

11 Fide & ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit esse eum, qui repromiserat.

11 Quin & hujus uxor Sara, cum & maritum haberet vetulum, & eo processisset ætatis, ut matrici nativa vis deesset ad semen virile attrahendum ac retinendum, tamen concepit & peperit Isaac, diffisa quidem naturæ viribus, sed confisa Deo, qui per Angelum illi fœtum masculum promiserat in annum proximum: non audiebat reclamantem naturam, tantum habebat persuasum, Deum mentiri non posse. Promiserat Deus Abrahæ posteritatem parem stellarum numero, parem arenæ littorali, nec ullam spem prolis dabat natura. Nihil tamen ille diffisus est.

12 Propter quod & ab uno orti sunt (& hoc emortuo) tamquam sidera cæli in multitudinem, & sicut arena, quæ est ad oram maris, innumerabilis.

12 Atque ob id ex uno sene jam annis effœto prognati sunt posteri, tanto numero, quanto sunt stellæ cœli, quanto arena quæ est in littore maris. Siquidem ille filios ac nepotes exspectabat, non juxta sanguinis cognationem, sed juxta fidei imitationem, quo nomine nos omnes posteri sumus Abrahæ, qui fidimus promissis Euangelicis. Ergo non Abrahæ tantum, sed & posterorum illius germanorum tam constans fuit fiducia, ut illis nec mors eam ademerit.

13 Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longe eas aspicientes, & salutantes, & confitentes quia peregrini & hospites sunt super terram.

13 Mortui enim sunt omnes hi, cum nondum tenerent promissa, sed procul ea fide viderent, crederentque, præque desiderio consalutarent, adeo non fidentes huic terræ, in qua nemini diu vivere licet, ut sese confiterentur hospites ac peregrinos esse, non solum in Palæstina, sed in toto mundo. Frequenter enim vitam hanc peregrinationem vocant & incolatum, & in Psalmo mystico David profitetur se peregrinum in terra, quemadmodum fuissent omnes patres ipsius. Et tamen is regnabat etiam in Palæstina, & civitatem condiderat. Atque hæc sane regio finibus admodum angustis circumscribebatur, & magna ex parte non cessit Hebræis Abrahæ posteris, eo quod pristinos possessores non possent loco depellere: nec hanc tamen ingressus est Moses, sed procul è monte conspectam salutavit moriturus, neque desperavit tamen de promissis.

14 Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere.

14 Itaque quum se fateantur esse peregrinos, satis declarant sese desiderare patriam.

15 Et si quidem ipsius meminissent de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi:

15 Quam autem patriam inquirunt, quibus hic mundus totus exsilium est? Chaldæam patriam reliquerant, cujus desiderium si illos cruciasset, non adeo procul aberat, quin possent eo commode redire.

16 Nunc autem meliorem appetunt, id est, cælestem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum: paravit enim illis civitatem.

16 Non igitur illam patriam desiderabant, sed aliam hac meliorem, in qua liceret æternum vivere, prorsus exemtos ab omni dolorum molestia. Hæc erat illa patria cœlestis, in quam illos evocarat Deus, & cujus amore volebat eos sic in hoc mundo vivere, quasi in mundo non essent. Atque hac de causa Deus cum sit conditor ac princeps omnium, tamen peculiariter se vocat Deum Abraham, Isaac, & Jacob. Siquidem illorum proprie Deus est, qui fiduciam omnem, & omnia felicitatis præsidia in ipso collocarunt. Ac talibus paravit civitatem non terrenam, sed cœlestem, in qua semper felices regnant cum Deo, cujus amore contemserunt omnia.

17 Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, & unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones;

17, 18 An non & illud insigne fuit fidei documentum in Abraham, quod cum Deus explorans, quam ex animo sibi fideret, jussisset ut immolaret filium suum Isaac, cum is & unicus esset, & cujus nomine promissa fuerat posteritas (siquidem hic erat sermo promittentis: *In Isaac vocabitur tibi semen*) nihil tamen cunctatus aggressus est facere quod jussus est, nihil interim secum disputans, unde mihi posteritas si hunc occido, in quo uno spes est posteritatis?

18 Ad quem dictum est: Quia in Isaac vocabitur tibi semen:

19 Sed illud in animo perpendebat, Deum, qui promiserat, mentiri non posse, & si libeat, vel à mortuis excitare posse filium exstinctum generis propagatorem: & quia credidit resurrectionem mortuorum, idcirco datum est illi, ut filium quod in ipso erat exstinctum, domum veluti vitæ redditum reduceret, jam tunc imagine quadam adumbrantem futuram resurrectionem Jesu Christi.

19 Arbitratus quia & à mortuis suscitare potens est Deus: unde eum & in parabolam accepit.

20 Fide & de futuris benedixit Isaac Jacob, & Esau.

20 Jam & illud erat evidens animi bene fidentis Deo documentum, quod Isaac moriturus, cum ipse nondum accepisset promissam à Deo felicitatem, tamen ausus est eam polliceri filiis suis Jacob & Esau, cum utrique benediceret, prævidens utriusque vitam, ac diversum utriusque præmium. Adeo res est oculata fides, ut ea quoque cernat veluti præsentia, quæ procul semota sunt à sensibus corporeis.

21 Fide Jacob, moriens, singulos filiorum Joseph benedixit: & adoravit fastigium virgæ ejus.

21 Consimilis fiduciæ fuit, quod Jacob moriens, singulis filiis Joseph benedixit non ignarus futuri, qui transversis brachiis dextram imposuit Effrem, qui sinister aderat: lævam Manasse, qui dexter: nihil addubitans, quin futurum esset, quod divinus Spiritus illi significarat eventurum. Sed longius etiam prospiciebat senis fides, cum exosculans summam virgam filii Joseph, veneraretur in eo Christum omnibus imperaturum, cujus ille delatus ac proditus à fratribus imaginem gesserat.

22 Fide Joseph, moriens, de profectione filiorum Israel memoratus est, & de ossibus suis mandavit.

22 Ne Joseph quidem degeneravit à fide majorum suorum. Siquidem moriturus in Ægypto, prævidit futurum ope divina, quod tamen id temporis non videbatur probabile, ut Israelitæ demigrarent ex Ægypto, perventuri ad terram promissam à Deo: adeoque non dubitavit de hac re, ut simul de ossibus suis eò transferendis mandaverit.

23 Fide Moyses, natus, occultatus est mensibus tribus à parentibus suis, eo quod vidissent elegantem infantem, & non timuerunt regis edictum.

23 Quin Mosi recens nato, parentum fides saluti fuit. Cum enim Rex edixisset, ut quicquid ex Hebræis nasceretur sexus masculini, statim interimeretur: parentes hujus ut conspexere puerum, ipsa statim indole vultus magnum quiddam præ se ferentem, interpretantes Deo gratum esse, ut infans bono publico populi servaretur, neglexerunt Regis edictum, ac puerum apud se tribus mensibus occultarunt: deinde scriniolo inclusum exponunt in ripa fluminis, non dubitantes, quin Deus servaturus esset puerum, cui tantam gratiam offuderat: magisque metuerunt offendere Deum, quam tyrannum, nimirum intelligentes eos qui pietatem colunt, utcunque res hominum cadunt, non posse destitui præmio suo.

24 Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis,

25 Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem,

24, 25 Sed hæc laus debebatur parentibus Mosi, verum illa fuit hujus propria, quod posteaquam adolevisset, & adoptatus esset à filia Pharaonis, respuit honorem Regiæ cognationis, maluitque palam professus Hebræum esse se, communibus malis affligi cum populo Dei, quam ex impia simulatione capere commoda hujus vitæ,

26 Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem.

26 Feliciores divitias esse judicans, jam tum pro servando populo ferre probra malorum in typum Christi, qui olim erat graviora passurus pro salute gentis suæ, quam universos Ægyptiorum thesauros. Contemsit quod erat in manibus, & fidei oculos vertebat in ea, quæ procul aberant à sensibus, Deo fretus, qui non patitur hominum pietatem fraudari meritis præmiis.

27 Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis: invisibilem enim tamquam videns sustinuit.

27 Idem Dei præsidio fretus, ausus est his etiam majora. Non dubitavit moliri fugam ex Ægypto, secumque populum educere, nihil veritus tyranni ferocis iram. Contemsit Regem, quem oculis cernebat: neglexit minas tanti Principis, quem armatum videbat imminere cervicibus suæ gentis: nec aliter animo infracto fisus est invisibilibus præsidiis invisibilis Dei, ac si eum coram oculis suis conspexisset.

28 Fide celebravit Pascha, & sanguinis effusionem: ne qui va-

28 Ejusdem fiduciæ fuit, quod cum intellexisset fore, ut Angelus ultor obambulaturus esset per universam Ægyptum, & occisurus quicquid esset primogenitorum, suis Hebræis nihil omnino metuerit, quibus id temporis sub exitum instituit solennem

ritum edendi paschalem agnum, è cujus sanguine conspergebant limen ac superliminare, simulque postem utrumque domus. Atque hoc signo freti, nihil sibi metuebant in media cæde Ægyptiorum.

stabat primitiva, tangeret vos.

29 Mox simili fiducia cum mare rubrum obstaret fugientibus, atque ictu virgæ Mosaicæ diduxisset sese, sic via relicta in medio, ut tanquam per siccum iter evaderent Hebræi, totus populus Deo fretus incolumis effugit. Cæterum Ægyptii cum ira præcipites sese credidissent eidem mari, mox coeuntibus undis demersi sunt.

29 Fide transierunt Mare rubrum tamquam per aridam terram: quod experti Ægyptii, devorati sunt.

30 Quæ res autem effecit, ut olim mœnia Hiericho septimo die septies ambita, subito corruerint, nullis impulsa machinis, sed ad sonitum Sacerdotalium tubarum, populique clamorem, sic, ut Hebræis urbem cingentibus, qua quisque steterat ingressus daretur? nonne fides Josue ducis ac populi? Persuaserat sibi nihil non posse Deum, & haud dubie futurum, quod ille facturum se promiserat.

30 Fide muri Jericho corruerunt, circuitu dierum septem.

31 Quin & illud fidei non leve documentum fuit, quod Rhaab meretrix, quæ prius missos exploratores exceperat hospitio, cum intellexisset eum populum esse Deo carum, maluit illis cum suæ vitæ periculo consulere, quam apud cives impios inire gratiam. Ac fidei suæ mercedem tulit, quod una omnium cum sua familia servata est, ne periret cum iis, qui suis viribus freti, non crediderant Deum, ubi vellet, eversurum civitatem.

31 Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.

32 Sed cum inter tot prodigiosa facinora majorum nostrorum nihil omnino gestum sit insigniter absque fidei præsidio, quorsum attinet singula commemorando persequi? Tempus enim citius nos, quam exempla deficient, si pergam referre de duce Gedeone, qui fretus Dei præsidiis, ausus est cum trecentis viris adoriri Madianitarum copias, & viris, & armis, reliquoque belli apparatu instructissimas. Et immensam multitudinem fudit, fugavitque clangore tubarum, crepituque lagenarum, & lucernarum miraculo, sic, ut Hebræis non stringentibus gladium, ipsi se hostes mutua cæde conficerent. De Baracha, qui fretus vaticinio Deboræ mulieris, congressus est cum instructissima acie Cyzaræ ducis, & ad internecionem concidit omnes, Rege Jabin in fugam acto, qui mox manu fœminea confossus est. De Sampsone, qui fultus ope divina, multa prodigiis simillima gessit adversus Philistæos pro gente, quæ nec à plurimis simul junctis, nec ullo robore humani corporis geri poterant. De Jephthe, qui cum esset nothus & abjectæ fortunæ apud suos, tamen fretus auxilio Dei, pulcherrimam victoriam retulit ab Ammonitis hostibus populi sui. De David, qui præter tot victorias auxilio divino partas, præter tot vitata pericula, servatore Deo, non dubitavit adolescens congredi cum Goliad armato, inermis ipse, quem ictu fundæ prostravit, ut victoriæ gloria penes Deum esset, non penes hominem. De Samuele, qui nullo satellitio munitus, per multos annos moderatus est populum Israeliticum, gratis administrans Judicis ac Principis officium, videlicet certus à Deo rediturum præmium, si quis quid recte gesserit. Tempus, inquam, me defecerit, si pergam hujusmodi exempla omnia percensere: ut fileam interim tot eximios Prophetas, qui Deo freti, tyrannorum minas pro nihilo ducebant, tot religione celebres viros, qui non opibus humanis, sed præsidio Dei, in quo totam fiduciam collocarant, prodigiosa patrarunt, & egregiis factis sui memoriam posteritati reliquerunt.

32 Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel, & Prophetis:

33 Etenim, ut omissis vocabulis auctorum, rerum summa attingam capita, fidei illorum tribuendum est, quod cæteris omnibus rebus impares, auxiliante Deo expugnarunt opulentissima regna, nec ullis terroribus potuerunt abduci ab observatione traditæ Legis, præmium exspectantes à Deo; & quoniam nulla dilatio promissorum minuit illorum fiduciam, tandem & compotes facti sunt eorum, quæ majoribus Deus promiserat. Impetrarunt à Deo votis fidentibus, quod juxta naturæ cursum fieri non poterat: erepti sunt è summis periculis, servatore Deo; Leones in alios invictæ sævitiæ, aut vicerunt, aut senserunt innoxios, velut occluso ore, aut alligatis unguibus lædere non possent, quos Deus volebat esse innocuos:

33 Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum.

34 In medium incendium conjecti, sic illæsi perdurarunt, quasi suis corporibus nativam ignis vim exstinguerent: è mediis ensibus hostium in se districtis, incolumes effugerunt, protectore Deo. Atque eodem animum instaurante, à summa rerum desperatione, summum animi robur collegerunt, adeo, ut paulo ante pro mortuis habiti, subito fortiter se gesserint in bello, & hostium incursiones strenue repulerint.

34 Extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum:

35 Quin illud etiam meruit mulierum fiducia, ut matres liberos defunctos ad vitam revocari conspicerent. Alii distenti in eculeis, variisque tormentorum generibus exanimati, maluerunt in his exhalare animam, quam obsequentes impiis Principum jussis, eximi à tormentis, ingenti fiducia vitam impendentes Deo, quam scirent se cum fœnore recepturos in resurrectione mortuorum, multoque satius esse judicantes, brevis hujus vitæ jactura depaciscì immortalitatem, quam ob lucellum exigui temporis perdere vitam æternam.

35 Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Alii autem distenti sunt, non susciptes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem.

36 Alii rursus ob veritatis ac justitiæ pertinax studium, ludibrio fuerunt hominibus, derisi, traductique velut amentes ac sceleroſi: neque probris tantum affecti sunt ob fiduciam, quam habebant erga Deum, verum etiam flagris explorata est illorum sinceritas, insuper & vinculis & carcere:

36 Alii vero ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres:

37 Lapidati sunt, dissecti sunt, horrendo supplicio corporis membris in diversa distractis: denique quo genere malorum non sunt tentati? Cæsi gladiis occubuerunt, persuasi nec morte pios à Deo divelli posse. Porro quibus non contigit morte finire cruciatus, iis vita nihil aliud contulit, quam ut longo martyrio cruciarentur. Exsulabant ab ædibus suis, ejecti oppidis, ferarum ritu oberrabant per solitudines, utcunque tecti pellibus ovillis & caprinis, laborantes inopia rerum necessariarum, imminente undique persecutorum sævitia pressi, variisque hujus vitæ incommodis affecti,

37 Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti:

38 Usque adeo non digni malis hujusmodi, ut viris tam sanctis mundus ipse potius esset indignus, ut Deus vel ob hoc videri posset illos semovisse ab hominum consortio, ne puri castique inter pollutos & inquinatos vitam agerent. Itaque vagabantur incertis sedibus per avios montes, pro tectis speluncis utentes, ac terræ cavernis.

38 Quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ.

39 Atque omnes ii cum nondum assequuti sint promissam pietatis mercedem, quæ continget in resurrectione corporum, tamen ob fiduciæ constantiam, æternam laudem meruerunt.

39 Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem,

40 Dicturus est aliquis, cur non statim à morte singulis redduntur sua præmia? Nimirum ita visum est Deo, ut universum Christi corpus simul accipiat gloriam immortalitatis. Omnes enim ejusdem corporis membra sumus, & qui nos præcesserunt, libenter exspectant, ut toti cum corporibus sociis, ac toto fratrum sodalitio pariter veniant in hæreditatem æternæ gloriæ, suoque capiti simul copulentur.

40 Deo providente aliquid provisum, ut non sine nobis consummentur.

CAP. XII.

Multum omni prodest correptio: nemo recedat: Mitia pro duris omnia facta docet.

1 Cum igitur tanta turba ac veluti nube sepiamur eorum, qui ferendis hujusmodi malis testati sunt, se toto pectore fidere promissis Dei, etiam in Veteri Testamento, nimirum horum exemplis animati, curemus & ipsi, ut abjecto onere sarcinaque rerum corporalium & cupiditatum, quæ

1 Ideoque & nos tam tam habentes impositam nubem testium, deponentes

Digitized by Google

omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen:

quæ remorantur onustum curis animum ab expetendis cœlestibus; excussoque peccato, quod nos undique complectebatur, rerum cœlestium spe inflammati, strenue curramus in hoc nobis proposito certamine, nec ullis afflictionibus aut avocamentis retardemur ab instituto cursu, nusquam oculos dimoventes à Jesu Christo:

2 Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet.

2 Qui ut nobis auctor est hujus de Deo conceptæ fiduciæ, ita quod cœpit in nobis consummabit. Consideremus qua via sit ingressus ille, & quo pervenerit, cum innocenti liceret effugere mortem, & tam abesse ab omni cruciatu, quam aberat ab omni peccato: tamen contemtis hujus vitæ gaudiis, subiit mortem, & quo malum esset gravius accessione ignominiæ, subiit mortem crucis. Nam glorioſam mortem facilius perferunt homines. Qua sit ingressus videtis, nunc quo tandem pervenit? Contemtu vitæ hujus assequutus est immortalitatem: contemtu ignominiæ apud homines, assequutus est æternam gloriam in cœlis, ubi nunc sedet dexter magnifico throno Dei Patris.

3 Recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversum semetipsum contradictionem: ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.

3 Ad hujus gloriæ consortium cum per ignominiam variasque dolorum afflictiones properetis, ne quando defatigemini fractis animis à cursu proposito, reputate vobiscum, quod dux vester nescius omnis peccati, tamen ut nobis ostenderet exemplar veræ tolerantiæ, tantum probrorum, tantum ignominiæ, tantumque criminationum perpessus est, ut ad crucis usque supplicium adigi sese passus sit. Ne vos abjiciatis animum, qui non immunes ab omnibus peccatis leviora patimini. Præstat millies mori, quam in pristinam vitam relabi.

4 Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes:

4, 5 At vos levioribus adhuc malis affecti, nondum usque ad sanguinis effusionem restitistis peccato, quod vos acriter impetit rebellantes, & statim arbitrabimini vos esse destitutos à Deo, nec venit in mentem, quid vobis tanquam filiis propitius Pater loquatur in mysticis Proverbiis, consolans vos, & ad animi magnitudinem blande exstimulans: *Fili mi*, inquit, *noli negligere correptionem Domini, neque despondeas animum, quoties ab eo argueris.*

5 Et obliti estis consolationis, quæ vobis tamquam filiis loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris dum ab eo argueris.

6 Quem enim diligit Dominus, cum hujus vitæ malis corripit, & flagellat omnem filium quem recipit.

6 Quem unim diligit Dominus, castigat, flagellat autem omnem filium: quem recipit.

7 Quod si castigationem hujusmodi patienter fertis, agnoscit suos filios Deus, seque vicissim illis offert, ut patrem propitium & amantem, nec excludit ab hæreditate vitæ cœlestis. An ideo vos putatis invisos ac neglectos Deo, quod affligimini malis hujus mundi? Imo hoc ipsum argumento esse debet, vos esse destinatos hæreditati paternæ. Quis est enim pater, qui non corripiat aliquando filium suum, quem ut germanum agnoscit?

7 In disciplina perseverate. Tamquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corripit pater?

8 Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes: ergo adulteri, & non filii estis.

8 Porro cum omnes pii, qui Deo cari sunt, aut fuerunt, afflictionibus temporariis eruditi sint ad veram pietatem, si vos immunes estis ab hujusmodi castigatione paterna, nimirum argumentum est vos nothos esse, non germanos filios.

9 Deinde patres quidem carnis nostræ, eruditores habuimus, & reverebamur eos: non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, & vivemus?

9 Quod si parentes nostros, ex quibus secundum corpus tantum sumus progeniti, non modo passi, sed etiam reveriti sumus, dum nos convitiis ac virgis erudirent ad institutionem vitæ communis, nihil illorum auctoritati reluctantes, sed sic interpretantes, quasi quibuscunque modis tractarent nos, amico animo facerent: an non multo magis subjiciemus ac permittemus nos Patri cœlesti, qui non corporum tantum, sed & Spirituum est auctor? hoc semel nobis habentes persuasum, quibuscunque malis ille nos patitur affligi, tamen paterno animo nostræ saluti consulere. Quemadmodum pater corporalis non ita sævit in filium ut occidat, sed ut servet, melioremque reddat: ita Deus in hoc castigat nos in hoc mundo, ut vivamus in æternum?

10 Et illi quidem in tempore paucorum dierum, secundum voluntatem suam erudiebant nos: hic autem ad id, quod utile est in recipiendo sanctificationem ejus,

10 Atque illi quidem parentes pro suo arbitratu nos instituebant, nonnunquam abutentes auctoritate sua, & instituebant ad breve tempus in rebus fluxis, moxque perituris, nimirum in his, quæ ad rem familiarem parandam ac tuendam pertinent, nonnunquam & suis commodis consulentes, ut obsequio nostro juvarentur. At hic nostri non egens, perpetuo consulit nostris commodis, nec his sane vulgaribus. Nec enim hoc agit, ut terrenis opibus ditescamus, nec ut in aliquot jugerum hæreditatem succedamus, sed ut sua cœlestia bona nobis impartiat; hoc est sanctimoniam in hoc mundo, in futuro seculo felicitatem æternam.

11 Omnis autem disciplina, in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ.

11 Hunc fructum tam eximium, qui suo cum animo reputabit, facile patietur temporariam hujus vitæ molestiam. Etenim cum cæteri parentes corripiunt liberos suos, habet ea castigatio non voluptatem, sed molestiam in præsenti quidem: cæterum ubi jam grandiores facti, sentire cœperunt, quanto bono sibi fuerit ille cruciatus, magnopere gaudent se fuisse cæsos & objurgatos, & cum risu gratias agunt his, quos ante lachrymantes ferebant. Sic hujus mundi calamitas gravis quidem interim est sensibus nostris dum imminet atque premit hæc mortalia corpora. Cæterum hic dolor, ille tumultus, quo turbantur & animi nostri ob corporis commercium, tranquillum ac suavem justitiæ fructum reddit suo tempore. Afflictio docet pietatem: pietas adfert gaudium bonæ mentis: bona mens parit immortalitatem.

12 Propter quod, remissas manus, & soluta genua, erigite,

13 Et gressus rectos facite pedibus vestris: ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur.

12, 13 Proinde ne quem in hoc pulcherrimo certamine destituat animus. Sudor est ingens, sed exigua præmia, sed fidus agonotheta. Imitemini fortes athletas, & strenuos cursores, manus lassescentes excitate, genua soluta labantiaque surrigite, recto cursu properate ad metam propositam, neque pes huc aut illuc deflectens aberret à recta via. Imo si quid aberratum est, si quid cessatum est, id alacritate nova sarciatur.

14 Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam; sine qua nemo videbit Deum:

14, 15 Neque vero satis vobis, ut quisque sibi curet securus aliorum, imo pax & concordia vos omnes ita jungat & conglutinet, ut communi studio alii pro aliis solliciti sint, curentque ne quis in commun cursu decidat à gratia Dei: ne quis alienus à sanctimonia, quæ decet membra Christi, & sine qua nemo videbit Deum, gravis sit corpori, & indignus qui braveo proposito potiatur: ne properantibus ad cœlestia, radix aliqua amarulentiæ suppullulans ac fruticans, obturbet aliorum piis studiis, eaque latius serpens, complures inquinet suo contagio.

15 Contemplantes nequis desit gratiæ Dei: nequa radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi.

16 Ne quis fornicator, aut profanus ut Esau: qui propter unam escam vendidit primitiva sua.

16 Ne quis sit inter vos scortator, aut alioqui profanus, gulæ ventrique deditus. Siquidem hujusmodi cupiditates remorantur cursum vestrum, ac delectunt à recto tramite, fitque ut dum ad hujusmodi fucata bona respicitis, summum illud & æternum braveum amittatis. Sic nimirum evenit Esau, qui famelicus ob unius edulii voluptatem vendidit jus primogeniti, brevi voluptatula perpetuam emens pœnitudinem.

17 Scitote enim quoniam & postea cupiens hereditare benedictionem, reprobatus est: non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis

17 Nam illud meminisse debetis, quo vobis sit exemplo, quod postea cum conaretur benedictione patris sibi restitui jus primogeniti, rejectus est, nec profuit illi sera pœnitentia, tametsi lachrymis profusis testaretur sibi dolere quod fecerat. Amarulentia, quæ nascitur ex odio, livore, & arrogantia, vitiat fraternam concordiam: libido, luxus, cæteræque rerum sordidarum cupiditates, vitiant puritatem & sanctimoniam vitæ. Atqui duas hasce res oportet inter vos esse salvas, nec altera sine altera constat. Nec enim est inter impuros grata Deo concordia, nec illic esse potest vera morum integritas, ubi regnat discordia. Cavendum est igitur & nobis, ne cœlestem hæreditatem cum hujus mundi delectamentis stultissime commutemus. Cœlestia sunt ad quæ properamus, puri accedamus oportet, in Euangelica luce versemur; tam sanctæ professioni vitæ sanc-

Digitized by Google

ctimonia reſpondeamus oportet. Pontifici veſtro atque hujus legi reſpondere neceſſe eſt.

18, 19 Non enim acceſſiſtis, quemadmodum olim majores veſtri, cum Moſes Legem ferret, ad montem Sina, qui corpore contingi poteſt, & ad ignem incenſum, qui ſenſibus humanis percipitur, ac turbinem & caliginem, procellamque ac tubæ ſonitum, quæ auribus atque oculis percipiuntur: nec ad vocem verborum, quæ licet aere pulſo ſentiri poterant auribus humanis, ac tenuem modo imaginem habebant vocis veræ divinæ, tamen non carebant majeſtate ſua, adeo, ut populus, qui audiebat, expaveſactus horrore vocis, deprecaretur, ne pergeret loqui Deus, ſed ipſe Moſes ſua voce pronuntiaret, quæ mandaſſet ille.

20 Alioqui terribilior erat illa vox, quam ut humanarum aurium imbecillitas ferre poſſet. Tantum autem habebant religionis ac formidinis, quæ per typum tantum Euangelicæ legis gerebantur, ut à contactu montis procul arceretur populus, & edicto publicaretur, ut beſtia, quæ tetigiſſet montem, lapidaretur, aut jaculo configeretur.

21 Nam uſque adeo terrifica ſpecies erat rerum, quæ ſenſibus corporalibus exhibebantur, ut ipſe Moſes expaverit ac tremuerit horrore ſpectaculi.

12 Ad hujuſmodi igitur ſenſibile ſpectaculum vos non acceſſiſtis, quod umbras ac typum habebat rerum longe meliorum, ſed acceſſiſtis ad res hoc veriores, quod animo, non ſenſibus corporis percipiuntur: ad ſpiritualem montem Sion, qui ſpiritu contingitur, non manibus: ad civitatem Dei viventis Hieruſalem cœleſtem, ubi pax eſt æterna: ad innumerabilium Angelorum cœtum, qui ſunt hujus civitatis proceres & indigenæ:

23 Ad concionem filiorum Dei, qui cum Eſau non perdiderunt jus primogeniti, ſed Chriſto adhærentes, conſcribi meruerunt in cœlis, facti cives ejuſdem civitatis: ad judicem univerſorum Deum, ejus Reipublicæ Principem, ac ſpiritus juſtorum hominum, quos perfecta pietas cœleſti contubernio copulavit, ac judicis aſſeſſores reddidit:

24 Ad novi Teſtamenti Pontificem Jeſum, qui non perdit, ſed reconciliat: & ad hujus ſanguinem, cujus adſperſu purgantur animæ, quique multo meliora loquitur, quam ſanguis Abelis. Siquidem ille flagitabat ultionem, hic impetrat remiſſionem.

25 Quo clementius & amantius ſanguis ejus loquitur pro nobis, hoc magis cavendum eſt, ne adſpernemur Chriſtum ſic nobis loquentem. Etenim ſi pœnas non effugerunt contemti ſermonis, qui Moſen hominem in terra loquentem averſabantur, multo graviores pœnas dabimus nos, ſi Chriſtum è cœlo nobis loquentem averſemur:

26 Cujus vox tum concuſſit terram, ut ſenſibili terrore deterreret à peccando. At nunc quid è cœlis comminatur ſe facturum per Aggæum Prophetam? *Adhuc ſemel*, inquit, *& ego movebo non modo terram, verum etiam cœlum*, ut expaveſcant non ſolum homines terreni, verum etiam cœleſtia.

27 Porro illud quod dicit, *adhuc ſemel*, ſignificat eorum quæ concutiuntur translationem: utpote quæ facta ſunt hominum manibus, quod genus ſunt Templum & civitas Hieroſolymorum, ut maneant ea, quæ hominum manibus facta non ſunt, & ideo concuti non poſſunt, cum ſint æterna. Gloriantur ſuo Templo Judæi, gloriantur ſancta Civitate, ſed hæc aliquando non erunt. Exſpectant regnum, videmus alio translatum.

28 Quapropter nos, qui cœpimus eniti ad regnum cœleſte, quod labefactari non poſſit, idque beneficio Spiritus divini, perſeveremus in beneficio Dei.

Itaque verſemur in hoc Templo cœleſti, ſic Deum cum reverentia ac religione colentes, ut puritate mentis illi placeamus, qui non requirit poſthac aliud ſacrificii genus.

29 Si religio erat olim in peragendis ſacris quicquam admittere, quod offenderet oculos hominum, quanto magis nobis obſervandum in hoſtiis ſpiritualibus, ne quid offendat oculos Dei? Si olim periculum erat, non rite adeunti loca religioſa, quanto plus erit periculi, ſi parum puris mentibus adeamus ipſum Deum: qui non ignis eſt corporeus, qui ut accenditur, ita reſtingui poteſt: ſed ignis eſt efficax, ad nihilum etiam redigens quæ vult?

CAP. XIII.

Nunc parere jubet patribus: nova dogmata damnat; Connubium laudat: vultque dare hoſpitibus.

1, 2 PERSEVERET apud vos fraterna caritas, cum ſitis ejuſdem corporis membra, neque ſolum eos amore complectamini, qui vobiſcum aſſidue vivunt, verum etiam eos, qui hoſpites ad vos diverſtunt. Neque enim mediocris laus eſt hoſpitalitatis apud Deum. Per hanc enim Abraham meruit, ut Angelos inſciens exciperet hoſpitio, cum ſe crederet hoc officium in homines conferre.

3 Poſtulat & hoc Chriſtiana caritas, ut eorum, qui in vinculis ſunt ob Chriſti profeſſionem, calamitas vos æque moveat, ac ſi ipſi eſſetis in vinculis: & cruciatus eorum, qui alioqui variis malis affliguntur, ſic vos afficiat, ut appareat vos meminiſſe, quod corpus habetis iiſdem obnoxium malis, nec alienos eſſe à ſenſu dolorum, quos patiuntur ejuſdem corporis membra.

4 Conjugium, quod rite ſervatum etiam apud Ethnicos, ſuum habet honorem, ſit apud vos item honorabile, neque cubile ullo ſtupri genere contaminetur. Cæterum ſcortatores & adulteros judicabit Deus.

5 Veſtri mores abſint ab avaritia, ſic ut contenti ſitis rebus præſentibus, velut in diem viventes abſque ſollicitudine futuri. Sic enim Deus ipſe pollicitus eſt Joſuæ, & in hoc omnibus ipſi fidentibus: *Non te deſero, neque derelinquo.*

6 Ut hoc freti, fidentes dicamus, quod in Pſalmo myſtico dicit Propheta: *Dominus mihi auxiliator eſt, nec timebo quid faciat mihi homo.*

7 Rationem habete eorum qui præſunt vobis, à quibus accepiſtis non humanam doctrinam, ſed verba Domini, curateque ne quid illis deſit rerum neceſſariarum. Horum verbis quemadmodum initio credidiſtis, ita vitam illorum veluti ſcopum intueamini, ac fidem imitemini, conſiderantes qua conſtantia perſeverent in Euangelica profeſſione uſque ad vitæ finem.

8 Euangelium ſemel recte traditum, ſemper eſt conſtantiſſime tenendum. Ut enim Jeſus Chriſtus & heri fuit, & hodie eſt, & ſemper futurus in omne tempus, nec unquam mutabitur, ita ſemper manebit illius doctrina.

9 In hac igitur perſiſtite, ſtabiles ac firmi, neque ceu nullo certo fundamento nixi, circumferamini doctrinis ſubinde novis ac variis. Non aliud docuit Lex Moſaica, quam docet Euangelium, ſed aliter. Stultum eſt autem umbris inhærere, cum illuxerit veritas. Et tamen non deſunt qui veterem Judaiſmum jam antiquatum renovent, in eſcis ciboque corporis pietatem conſtituentes, in quarum rerum obſervatione qui ſuperſtitioſe verſati ſunt, nullum inde fructum juſtitiæ retulerunt. Qui ſolidam ac veram pietatem aſſequi velit, quæ non tantum umbram habeat juſtitiæ, ſed animum ipſum bona conſcientia confirmet apud Deum, in gratia fideque conſiſtat, huic fundamento quod jecit Chriſtus innitatur, & non vacillabit Judaicis ſuperſtitionibus. Sit illis

inquiſiſſet eam.

18 Non enim acceſſiſtis ad tractabilem montem, & accenſibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam,

19 Et tubæ ſonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excuſaverunt ſe, ne vis fieret verbum.

20 Non enim portabant quod dicebatur: Et ſi beſtia tetigerit montem, lapidabitur.

21 Et ita terribile erat quod videbatur. Moyſes dixit: Exterritus ſum, & tremebundus.

22 Sed acceſſiſtis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Jeruſalem cæleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam,

23 Et Eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt in cœlis, & judicem omnium Deum, & ſpiritus juſtorum perfectorum,

24 Et teſtamenti novi mediatorem Jeſum, & ſanguinis aſperſionem melius loquentem quam Abel.

25 Videte ne recuſetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recuſantes eum qui ſuper terram loquebatur: multo magis nos, qui de cælis loquentem nobis avertimus. 26 Cujus vox movit terram tunc: nunc autem repromittit, dicens: Adhuc ſemel; & ego movebo non ſolum terram, ſed & cælum. 27 Quod autem, Adhuc ſemel, dicit: declarat mobilium tranſlationem, tamquam factorum, ut maneant ea quæ ſunt immobilia. 28 Itaque regnum immobile ſuſcipientes, habeamus gratiam: per quam ſerviamus placentes Deo, cum metu & reverentia.

29 Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt.

1 Charitas fraternitatis maneat in vobis.

2 Et hoſpitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hoſpitio receptis.

3 Memento te vinctorum, tamquam ſimul vincti; & laborantium, tamquam & ipſi in corpore morantes.

4 Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim, & adulteros judicabit Deus.

5 Sint mores ſine avaritia, contenti præſentibus: ipſe enim dixit: Non te deſeram, neque derelinquam.

6 Ita ut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo.

7 Memento te prepoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei: quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem.

8 Jeſus Chriſtus heri, & hodie: ipſe & in ſecula.

9 Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Optimum eſt enim gratia ſtabilire

Digitized by Google

cor, non scis: quæ non profuerunt ambulantibus in eis.

illis religiosum à certis abstinere cibis, etiam ab immolatis.

10 Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.

10 Habemus & nos altare multò sacratius, de quo non est fas edere iis, qui adhuc addicti legalibus cæremoniis, nesciunt gratiam Euangelicam veræ salutis largitricem.

11 Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per pontificem, horum corpora crematur extra castra.

11 Siquidem juxta Legis præscriptum, animantium, quorum sanguis offerri solet pro peccato per Pontificem in tabernaculis, quæ dicuntur sancta, cadavera cremari jubentur extra castra: perinde quasi sanguis habeat aliquid sacri, cum corpora ceu polluta deferantur foras, in profanis locis exurenda; atque ob id ab his velut ab impuris abstinent cibis. Umbram habent isti, sed nos amplectimur id quod umbra significavit. Illi nihilo sanctiorem mentem habebant, posteaquam fuerant adspersi sanguine: nec puriores erant, quod ab esu corporum abstinerent, cum animi vitiis maderent.

12 Propter quod & Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.

12 Nos Jesum victimam nostram ac Pontificem amplectimur, qui velut alludens ad Legis imaginem, ut proprio sanguine purgaret populum suum, extra portam Hierosolymitanæ civitatis voluit crucifigi.

13 Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.

13 Cujus exemplum oportet nos non superstitiose, sed religiose imitari: id faciemus, si & ipsi, sublata cruce nostra, sequamur illum exeuntem è contubernio hominum, veluti sceleros um. Egrediamur & nos à commercio mundi hujus, nobisque dulcius sit subire probrum pro Christo, quam mundi gloria frui.

14 Non enim habemus hîc manentem civitatem, sed futuram inquirimus.

14 Valeat nobis hæc civitas terrena, qui non habemus hîc manentem civitatem, sed futuram ac cœlestem æternamque desideramus.

15 Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus.

15 Exit autem civitatem, quisquis affectus abjicit carnis, totoque studio cœlestia meditatur. Intra mœnia non immolatur hostia nostra, cæterum egressi cum Pontifice nostro Christo, semper offerimus & ipsi quandam hostiam per ipsum gratam Deo, non pecudem aliquam, non fruges agrorum, sed fructum labiorum: labiorum, inquam, non tam corporis, quam animi, quibus agnoscimus Dei beneficium erga nos, & commemorantes Christi crucem, pro condonatis peccatis, pro tot dotibus, gratias agimus. Hujus altaris non sunt participes Judæi, qui manentes intra muros, nihil amant nisi carnale.

16 Beneficentiæ autem, & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.

16 Jam accipite & aliud sacrificii genus dignum Euangelio, quo litare oportet assidue Deo. Beneficio juvandus est proximus, ac si egeat facultatum subsidio sublevandus. Talibus enim hostiis conciliatur Deus citius, quam Judaicis observatiunculis neglecto fratre.

17 Obedite præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis.

17 Parete præfectis vestris, concedentes his, etiamsi mali sint, modo ne pertrahant ad impietatem. Etenim cum suo funguntur officio, vigilant pro animabus vestris, saluti vestræ consulentes: atque id faciunt suo periculo, nimirum reddituri rationem Deo, à quo proficiscitur omnis potestas. Horum omnus aliqua ex parte levabitis, si vos & morigeros & obtemperantes præbueritis, ut quod faciunt, faciant cum alacritate & gaudio, potius quam gementes. Nam id quemadmodum illis est molestum, ita vobis est inutile. Illis tædio est labor sine fructu susceptus, vobis non expedit iram Dei provocare in vos inobedientia.

18 Orate pro nobis: confidimus enim quia bonam conscientiam habemus in omnibus bene volentes conversari.

18 Fratres, & nos precibus vestris Deo commendate, siquidem videor annumerandus inter eos, qui vobis bene præsunt. An omnibus prober nescio, certe confidimus, quod sincere nos gessimus cum bona conscientia apud omnes, qui cupiunt ad Euangelicam regulam vivere.

19 Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celerius restituar vobis.

19, 20, 21 Quod ut faciatis, eò precor impensius, quo celerius possim vobis restitui, ut Deus pacis auctor, qui revocavit à mortuis summum illum ovium pastorem Dominum nostrum Jesum Christum, qui redivivus per sanguinem suum ingressus est cœlum, pro nobis interpellaturus Patrem, quo sanguine consecravit novum & æternum Testamentum, perficiat vos & consummet in omni opere bono, ut idonei sitis, qui satisfaciatis voluntati ipsius, atque idem efficiat, ut quod agitis, acceptum sit in conspectu ipsius: idque per Jesum Christum, qui semper adest commendans sacrificia nostra, cui debetur omnis gloria, non solum in hac vita, sed in omne tempus, Amen.

20 Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum,

22 Nihil est quod nobis ex benefactis arrogemus, ipsius donum est, quicquid facimus tale, ut placeat oculis Dei. Hæc exhortandi gratia scripsi vobis, id boni consuletis; quod à nobis bono animo factum est. Scripsi paucis, ut ipse vos brevi visurus.

21 Aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem: faciens in vobis quod placeat coram se per Jesum Christum: cui est gloria in secula seculorum. Amen.

23 Scire vos volo, quod Timotheus in præsentia mihi non adest, sed alio dimissus est: is si celerius redierit, hoc comite vos invisam.

22 Rogo autem vos fratres, ut sufferatis verbum solatii. Etenim perpaucis scripsi vobis.

24 Salutate meis verbis omnes qui præsunt vobis, sed & cum his omnem sanctorum gregem. Salutant vos Itali.

23 Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum: cum quo (si celerius venerit) videbo vos.

25 Gratia favorque Dei semper adsit vobis omnibus, Amen.

24 Salutate omnes præpositos vestros, & omnes sanctos. Salutant vos de Italia fratres.

25 Gratia cum omnibus vobis. Amen.

PARAPHRASEOS DES. ERASMI ROTEROD. IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS

FINIS.

VERSVS MEMORIALES IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS.

Ad patres: Bone Jesu frater: Christe Mosesque:
De verbi gladio hic: Et typa Melchisedec:
Firmi simus: Grandis Melchisedec: Hierarcha:
Jesu lex umbra est: ἀνελία ἡ δυσία:
Laus fidei: Mitis correptio: Nomen amoris.
Hebrei tredecim hæc segmina scripta legunt.

TOMI SEPTIMI, IN QVO PARAPHRASES PER DES. ERASMVM ROTERODAMVM, THEOLOGIÆ PROFESSOREM,

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google